Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
4 C
48

Digitized by Google

G G
[illegible]
VIII
7

Digitized by Google


Digitized by Google

JOHANNIS à FELDE Phil. & J.U.D.

ELEMENTA JURIS UNIVERSI

& In ſpecie

Publici Juſtinianæi.



FRANCOFURTI & LIPSIÆ
Sumptibus
CHRISTIANI GERLACHII & SIMONIS BECKENSTEINII.

M. DC. LXIV.

Ex Bibl·
Ios·Ren·Card·
Imperialis·

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Ad
Lectorem Benevolum.

DE Jure civili in artem redigendo non par omnium JCtorum eſt ſententia: nonnullis enim labor omnis, qui huic rei perficiendæ inſumitur, inanis videtur. Quomodo enim, inquiunt, quod à fortunâ caſuq; & ex inſtituto magis hominũ profectum, quàm in naturâ & ratione fundatum eſt, & in quo aliquid definire periculoſum (l. omnis. 202. ff. de R. J.) *artis & ſcientiæ formam recipere poterit? Contrà fuêre & antiquitus & noſtris temporibus, qui ſpem non omnem depoſuerunt. Ciceronem ſanè de modo conficiendi legum artem nonnihil ſcripſiſſe, teſtatur A. Gellius* (lib. 1. noct. cap. 22.) *& ipſe ſub perſonâ Craſſi hoc fatetur* (libr. 1. de Orator.) *Nec deſunt recentiores, Placentinus, Azo, Weſembecius, Cujacius, Julius Pacius, Vultejus, Zoëſius, qui omnes id egerunt, ut artem aliquam Juris poſteris relinquerent. Et quidni, ſi alia permulta, quæ olim divulſa, diſperſa & diſſipata fuerunt, artibus concluſa ſunt, & in hac tam nobiliſſimâ tamque humano generi maximè ſalutari materiâ idem tentandum erit? Sed qui hactenus eâ in re deſudarunt aut tantùm hoc egerunt, ut memoriæ diſcentium conſulerent in dichotomiis materias Juris tironibus exhibentes, vel eaſdem ſecundum quatuor cauſſas, materiam, formam, efficientem & finem digerentes; aut verò quæſtiones varias examinandas ſuſceperunt tentativè & λογιστικῶς circa veritatem verſando. Ex ſuis cauſſis autem & ita quidem, ut & certò ſciretur, has, quæ redduntur, eſſe cauſſas, qui unumquodque legibus Romanis comprehenſum ſpeculatus ſit, neminem me videre memini: Id quod tamen facere oportet veritatem adeptos. An fortaſſe tanta eſt actionum humanarum varietas, ut legum circa has occupatarum nulla certa ſcientia dari poſſit? At ſi hoc ponas, fruſtrà erunt quoque dialecticæ diſceptationes, quæ circa interpretationem legum inſtituuntur. Nam cujus dialectica eſt tentativa, ejus philoſophia ſpeculativa eſt. Stolidè enim tentatur veritas, ubi nulla determinata & certa eſt. Mirum autem profectò, multos in obſcuritate rerum, quæ nulli uſui ſunt humanæ felicitati, verſatos ſolidamque ſcientiam conſecutos eſſe: hanc autem, quæ quaſi in medio & communi in uſu verſatur, & præ cæteris ſui cultores ſpe præmiiſque allicit, commovet, quaſi incultam, opinionumque innumerarum pugnâ dilaceratam, imperfectamque hactenus jacuiſſe. Sed nimirum nil aliud cauſſæ eſt, quàm quòd legum immenſa copia videatur*

omnia

Digitized by Google

omnia alia ſtudia cunctaque reliquas ſcientias prohibere & ſibi hominem vendicare totum his immerſum, ab omnibus reliquis ſcientiis tractandis alienum, & ne ſic quidem idoneum vel memoriâ ſingula comprehendere, nedum ut quod præter theſaurum illum rerum cognitarum & cuſtodem requiritur, Judicii munia addat, & memoria infuſa in ſcientiam redigat. Nam ex præſtantiſſimorum philoſophorum Ariſtotelis & Platonis ſententiâ nemo id perficere poteſt, niſi mathematicarum ſcientiarum, quæ analyticæ ſcientiæ principia ſuggerunt, peritiam conſecutus ſit. Etenim ex cognitis ſcientiis mathematicis effloreſcit ſcientia analytica, cujus beneficio ex ſuis cauſſis perſpicimus modum ſcientias tractandi. Quis verò munere advocati functuro tantum imponet oneris, ut nihil ſcientiarum mathematicarum ipſi neſcire concedat? Quomodo enim qui vitam occupationibus forenſibus conſecravit, abſolvet, quod hominis non ſolùm ingenio ſed etiam otio abundantis vitam totam ſuperare videtur. Et quæ diſciplinæ magis diverſa & diſcrepantia ingenia deſiderare poſſunt, quàm matheſis & Juriſprudentia? Quin ſtolidum deridendumque cunctis ſe præbebit qui initium Juriſprudentiæ à mathematicis diſciplinis facturus eſt. Meo id didici exemplo, qui, poſtquam excultis ſcientiis mathematicis, ſummiſque ac maximis lucubrationibus & ſedulâ græcorum commentatorum lectione acquiſitâ analyticorum Ariſtotelicorum cognitione, ſtudium Juridicum aggreſſus ſum, mihi contemptum potius hominū odiumq; quàm laudem & amorem peperi. Quid enim, ajebant, novi molitur hic homo, an emendabit quod hactenus tot tantorumque virorum celeberrimorum maximis laboribus perfectum eſt? Quam novam hic nobis cudet artem? Sed ego ſciendi cupidine ductus cuncta floccipendens, non forum, ſubſellia, curiam, aulam, gratiam, ſed cauſſas legum & methodum docendi artem Juris meditatus id egi unicè, ut accuratam perfectamque legum cognitionem mihi pararem; perfectam autem eam voco, quam intellectus habens nihil quærit ulterius. Eſt verò quæſtionum, quas facit intellectus, hic ordo; 1. An res ſit. 2. Ob quam cauſſam ita ſit. 3. An etiam hæc, quæ reddita eſt, ſit cauſſa hujus rei? *Ut adeò quamdiu horum aliquid deſit, tamdiu ignorantiâ intellectus adhuc laboret, his autem inveſtigatis nihil diſcendum ſit reliquum. Hæc cogitanti & talem cognitionem meditanti occurrit diverſa & quidem triplex tractandi legum ſtudium methodus; prima tendens ad cuſtodiam eorum, quæ legibus comprehenſa ſunt, memoriâ faciendam; ſecunda occupata in diſceptatione variarum rerum dubiarum, ut decertationes & conflictus inſtituantur circa ea, quæ in legibus obſcura ſunt, & ſatisfiat quæſtioni* an ſit. *Tertia complementum exiſtens omnis cognitionis, rationes & cauſſas ſingularum legum, quarum reddi poſſunt, (ſæpè namque & mihi hærenti ſolatio fuit lex* Non omnium*) reddens, ut eas non modò intelligamus; ſed etiam noverimus has & non alias cauſſas eſſe. Prima methodus inſervit* Juris *tironibus, ad quorum*

officium

officium pertinet, hoc dare operam, ut ſenſum legum hauriant & propoſitiones his comprehenſas memoriæ infigant: id quod obtinere poſſunt, ſi fideli utantur præceptore, qui textum Inſtitutionum perſpicuâ quâdam oratione declaret, adhibitis caſibus variis, additâ etiam quâdam titulorum connexione; quo ita ordine materiarum perſpecto memoriæ conſulatur: Ordo enim memoriæ lumen adfert, inquit Cic.lib.2. de Orator. *Voluit namq; Imperator inſtitutiones velut compendium Juris propterea præmitti, quò primò levi ac ſimplici viâ, deinde diligentiſſimâ atque exactiſsimâ interpretatione ſingula tradantur; ne ab initio rudis adhuc & infirmus animus ſtudioſi multitudine ac varietate rerum oneretur; quo ipſo duorum alter aut deſertor ſtudiorum efficitur; aut cum magno labore, ſæpè etiam cum diffidentiâ (quæ plerumq; Juvenes avertit) ſerius ad id perducitur, ad quod, leviori viâ ductus, ſine magno labore & ſine ullâ diffidentiâ maturius perduci potuiſſet. Nam methodus hæc acquirendæ memoriæ gratiâ exiſtit: memoria verò habitus phantaſmatis eſt, velut imaginis ejuſce rei quæ imaginationi ſubditur, paraturq; recolendo, i. e. imagines prout imagines ſunt crebrò reſpiciendo. Unde fit, ut hic habitus objectâ ſtatim nimiâ rerum, quæ recoli haud commodè poſſunt, multitudine parari nequeat; ſed conducat, prius integram diſciplinam quoad præcipua capita rudi ter connexam, deinde ſingula capita ſeorſim in ſuis particulis tironum animis exhibere: ita enim tandem totus in his gignitur habitus, complectens cuncta quæ ſtudioſum Juris ſemper in promptu habere decet. Quâ de cauſâ primâ in methodo Elementa nil aliud ſunt, quàm rudis præcipuorum capitum, ſub quibus multa particulatim continentur, delineatio prius memoriæ mandanda, quàm ad magis particularia procedatur. Et hoc in ſenſu Inſtitutiones elementorum nomen habent. Præmiſſis ob has cauſſas Inſtitutis & fideliter memoriæ impreſſis connexio titulorum in Digeſtis & Codice comprehenſorum, unà cum materiarum ſingularum adumbratione proponenda (Quod idem & circa Decretales faciendum auditoribus ad cognitionem Juris Canonici adſpirantibus.) Et hiſce ſingulorum titulorum contenta, in ordine redactis legibus, prout materia id admittunt, ſubjicienda. Sic namque pro cujusque captu multitudo legum quàm commodiſſimè memoriæ imprimetur. Id quod fieri non poterit, ſi eâ confuſione, quâ titulis inſertæ ſunt, leges perlegantur. Minuunt namq; laborem ſummæ ex his jam erutæ & in ordinem redactæ. Quare verò connexionē quandam titulorum & legum in hiſce comprehenſarum urgeam, hæc cauſſa eſt, quia ordo & ratio connectendi quandam parit unà reminiſcentiam. Nam reminiſcentia fit, cùm motus animæ ita ſe habent, ut alter ſubinde poſt alterum fieri natus ſit, dum alter alterum conſequio quodam trahit. Hoc namque modo multarum rerum, quod aliàs non fieret, recordamur. Ordo autem diſpoſitio partium eſt ſecundum prius & poſterius: & ita hujus beneficio fit, ut antegreſſis motibus noſtra anima moveatur ad ea, quæ ſequuntur: dum enim ex*

Digitized by Google

certo aliquo primo ſequelam venamur; tandem omnium recordamur. Hæc ergò eſt illa methodus, quâ obtinetur, ut vel in diſputationibus ſcholaſticis vel in foro verſaturus quovis tempore leges velut principia, ex quib9 hæ diſceptationes fiunt, è memoriá promere poſſit. Hac ergò primâ methodo abſolutâ apti erunt ſtudioſi, qui diſputationibus crebris veritatem tentare poßint, adhibendo canones dialecticos modumq́; diſputandi, quem Ariſtoteles in topicis præſcripſit; perlegendo etiam, quæ à Doctoribus circa leges ſubtiliter diſputata ſunt: ita namq; cognita ſibi reddent dubia, quorum obſcuritates mediante ſcientiâ diſpelli debent. Nam intellectualis cognitio, & quidem perfecta, aliter non obtingit, quàm ſi auditis prius variis orationibus circa entia propoſitis, memoriæque mandatis, quæras, & diſceptes, an etiam ita ſe habeant ſingula nec ne. Quã quæſtionem an ſit *excipit quæſtio* quid ſit *ſeu* quæ ſit cauſſa, *& hac redditâ,* an etiam hæc ſit cauſſa hujus rei. *Quapropter eum, qui ſolidam Juris ſcientiã obtentur9 eſt, contentis legum ex ore præceptoris hauſtis exercitia diſputatoria inſtituere, &, ſi quæ occurrunt, antinomias probè examinare oportet, quò ad ſcientiam penitus hauriendam ſe præparet. Has duas vias hactenus Ddres Juris ingreßi ſunt, alii connexiones materiarum proponendo; quâ in re præ ceteris Speckhanium in ſuâ Exegeſi, dignâ, quæ ab interitu vindicetur, excellere deprehendi; alii in paratitlis breviter materias Juris enarrando; pleriq; controverſias Juris tractando. Et quia hi in dialecticis ſubſtiterunt argumentis, aut confuſè dialecticis, ſophiſticisq; ſuas theſes defendere conati ſunt: loco artis & ſcientiæ farrago quædam opinionum ſtudioſis diſcenda nata eſt. Hunc ſtudiorum defectum cum mathematicis & analyticis præceptis eruditus deprehenderem: magno meo cum damno (ſi odium hominum, quod pro veritate patimur, damnum vocandum eſt) hoc ſemper egi, ut ſtudioſos ad cauſſas & rationes legum ſecundum præcepta analytica quærendas & cognoſcendas manuducerem. Ipſe quoq; cunctis in Corpore Juris civilis comprehenſis legibus ter perlectis & inde erutis propoſitionibus, harumq́; ſubjectis & prædicatis, ut ſcientifica methodus requirit, perpenſis, quæſitoq; eo, quod καθόλȣ πρῶτον eſt, ſcientificam tentavi methodum, non quòd exiſtimarem, me, quod hactenus perfectũ non eſt perficere, & poſteritati ſimile quid ſtruendi occaſionem præripere poſſe, quamvis videatur opus haud malè ceſſiſſe; dum ſingulis vicibus, quando τὸ καθόλȣ quæſivi, ad eadem perductus ſum univerſalia. Et ne te, Lector Benevole, meus proceſſus lateat, exemplo quodam eum tibi exhibebo. v. g. quia prodigi, impuberes, minorennes curatorem habentes prohibentur contractus præcipuè cum periculo damni conjunctos ſubire; quæſivi univerſalius ſubjectum, ſub quo hi omnes continentur, quodq́; quà tale facit, ut quis ſit ineptus ad contrahendũ,* nimirum imprudentem eſſe, *& ita vidi, JCti eſſe conſiderare, quid ſit prudentia, quid imprudentia &c. pariq́; ratione & in aliis progreſſus ad univerſalia in Elementis ſcientificis demonſtranda perveni. Sunt autẽ Elementa ſcientifica*

illa

illæ primæ demonſtrationes, quæ ſunt de univerſaliſſimis in quaq; ſcientia, ex quibus cæteræ demonſtrationes dependent, ut docet Ariſtoteles 5. Metaphyſic. & longè multumque differunt ab Elementis habitui memoriæ inſervientibus. Hæc autem elementa non modò exhibere; ſed & eorundem uſum in cæteris demonſtrationibus inde eruendis oſtendere volui. Nam poſtquam (part. 1.) *docui, duo eſſe, quæ omnem civitatem conſervant, Juſtitiam nimir. & amicitiam, illamq; vel univerſalem vel particularem, & hujus iterũ diſtinctas ſpecies: Juſtitiam univerſalem, qualiter ea vulgò in civitatibus & Imperiis colitur & conſervatur, nimir. pœnis afficiendo improbos.* part. 2. *contemplor, & elementa hujus ſeu primas demonſtrationes, ex quibus porrò Judicium de puniendis delictis ſingulis fieri poſſit, trado: applicandoq; univerſaliter tradita ad ea, quæ Ddres hodiè communiter docent, & magno ſtudio à Nobiliſſimo* J*Cto Benedicto Carpzovio in Praxi Criminali collecta ſunt, eorundem uſum in cognoſcendis cauſſis dictandarum pœnarum oſtendo. Contemplationi Juſtitiæ univerſalis ſubjicio* (part. 3.) *tractatum de amicitia, ejus ſpecies ſingulas perluſtrando, quò ita nihil omittatur primorum, ex quibus cauſſæ legum petendæ veniunt. Hinc ad ſpecies* J*uſtitiæ particularis progreſſus illius Juris, cujus elementa exhibet* J*uſtitia diſtributiva, publici nimirum conſiderationem ſuſcipio; & univerſalium præmiſſorum uſum doceo in Jure publico Juſtinianeo, quod fundamentum aliquando præbebit* J*uri privato Romano. Et in hoc ſubſiſtere modò cogor; quia video conditionem bibliopolarum nullã ulterius ferre moram in omnibus reliquis unâ vice edendis. Ceterùm excipiet præſentem tractatũ brevi tractatus de Jure publico Romano-Germanico, cui ſubjicientur Elementa Juris privati, quod dirigit Juſtitia Correctiva, it.* J*uris pacis & belli ſeu gentium & tandem toti operi finem imponet ſcientia interpretandi. Quare verò & Juri publico Juſtinianeo cognoſcendo præmiſerim hiſtoriam mutati ſtatus Romani, cauſſa eſt, quia hæc præbet principium cognoſcendi ſingularia, quorum in* J*ure publico Juſtinianeo uſus eſt. Hinc Coraſius* (p. 1. c. 5. de Jure in art. redig.) *tradit, neceſſariò antiquitatis Romanæ originem & proceſſum ad elaborandam Juris artem requiri; utpote cujus ignoratione in Jure noſtro plerumq; graviter peccetur. Veluti in cognitione Jurisdictionis & Imperii, quam cum omiſſis hiſtoriarũ & antiquitatum latebris, Accurſiani tradiderint, nihil aliud ab iis actũ dicit, quàm ut facerent, ſe intelligendo nihil intelligere. Neminem autem de Jurisprudentia penitus hauſta gloriari poſſe, niſi eo, quo diximus modo circa leges philoſophatus fuerit, partim antiquorum teſtimonia, partim etiam ea, quæ communiter de officio JCti traduntur, quemlibet docebunt. Nam Cic.* (lib. 1. de Orator.) *expreſſè dicit; artem Juris ex intima philoſophia velut laudatarum artium omnium procreatrice quâdam & quaſi parente petendam, eosq; qui aliter Jus civile tradunt, non tam Juſtitiæ quàm litigandi præbere viam. Rationem hujus ſuæ doctrinæ reddit* (lib. 1. de LL.) *quòd in LLbus XII. tabb.*

omnes philoſophiæ partes repoſitæ reconditæq; ſint. Doctores autem communiter definitionem Celſi, quòd Jus ſeu Juriſprudentia ſit omnis boni & æqui, interpretantur ita: quòd ſit quædam legum ſcientia (l.2. §. Juris civilis ff. de Or. Jur. l. ſi ſervum 91. §. ſequitur 3. ff. de Verb. Obl. l. 10. §. ult. ff. de Juſtit. & Jur.) Scire verò leges non hoc eſſe, verba earum tenere, ſed vim & poteſtatem: (l. ſcire. 17. ff. de LL.) Vim autem & poteſtatem conſiſtere in cauſſâ & ratione cujuſque legis: unde & JCti rationem animam legis vocare ſolent. Fatentur & Ddres communiter officium JCti eſſe, extendere, reſtringere; & quandoq; corrigere & emendare leges. (l. 10. & ſeqq. ff. de LL.) At hæc perfici nequeunt, niſi cognitâ cujusq; legis ratione. Nam extenſio fit legum, quando proceditur ad ſimilia; quo pacto autem cognoſces quæ ſimilia ſint, niſi inſpexeris rationes? ſimilia enim ſunt, quorum eadem eſt ratio. Id obſervavit Gajus (l. illud quæſitum. 32. ff. ad L. Aqvil.) & Calliſtratus (l. 64. §. 1. ff. de Rit. nupt.) Hinc Chryſippus apud Plutarchum interpretationem Juris in hoc conſiſtere dicit, ut quæ obtinent in unâ re, ad cæteras omnes, quæ parem rationem habent, traducantur. Quid verò aliud corrigit & reſtringit leges, quàm ratio? ubi namque ceſſat ratio legis; ibi legem ipſam ceſſare neceſſe eſt. Quod ſi ergò omne JCtorum officium fundatum eſt in cognitione rationis legum; & nullus horum ſecurus exiſtit de interpretatione ritè factâ niſi ſciat rationem legis eamq; quam adſignat etiam hujus vel illius legis rationem reverà eſſe; ſequitur ſtudiũ Juris poſitum eſſe in aliqua ſcientia & in modum ſcientiæ tractandum eſſe. Cauſſas enim ſeu rationes noſſe rerum & has harum reverà eſſe, nil aliud eſt, quàm ſcire. Ob quod etiam Juriſprudentia civilis ſapientia vocatur. (l. 1. §. eſt enim. ff de Extraord. cognit.) eſt namq; ſapientia profunda aliqua cauſſarum perſcrutatio. Quis ergò gloriari poterit de habitu Juriſprudentiæ perfectè acquiſito, niſi ita tractaverit leges, ut harum ſciat cauſſas & has etiam, quas novit, reverà eſſe? Non itaque dubitandum eſt, meum, quem Elementis hiſce impendi, laborem non provenire ex quadam arrogantia aut libidine innovandi, cujus calumniatores mei me reum arguunt; ſed ex amore erga veritatem, cujus gratiâ non verear quævis ſubire perpetiq; mala. Interim Lector benevole te id etiã atq; etiã oro atq; obteſtor, ut tuum Judicium de labore meo & ratione connectendi materias ſuſpendas, donec omne opus propoſitum perfectum fuerit. Eſt enim in ſcientiis ita comparatum, ut aliâ viâ, quàm in habitibus ſolam memoriam perficientibus procedamus. Ita namque in ſcientiis omnia concatenata eſſe debent, prout alterum ex altero velut ſuâ cauſſâ fluit. Unde fit, ut paulò aliâ viâ ingredi hîc coacti ſimus, quàm communiter fieri ſolet. Priora enim in ſcientiis ſumimus, non quæ nobis, ſed quæ naturâ talia ſunt i.e. conſequentium cauſſæ exiſtunt. Id quod etiam me movit, ut Jus publicum privato præmitterem. Vale Lector

Benevole.

PARS PRIMA ELEMENTORUM, DE JURIS ET JUSTITIÆ NATURA, SPECIEBUS ET HARUM AFFECTIONIBUS.

CAP. I.

DE SOCIETATIBUS HUMANIS.

I.

EUm, qui quid Jus quid Juſtitia cognoſcere vult, oportet prius probè in naturam & ſpecies ſocietatum humanarum inquirere. *Nam omnes fatentur Juſtitiam eſſe quiddam quod Societates humanas conſervat.*

2. Societas humana eſt unum quiddam compoſitum ex multis hominibus ad commune quoddam bonum tendentibus.

3. Societas omnis humana vel naturalis eſt vel ex mero inſtituto & placito hominum introducta.

4. Naturales ſocietates voco eas, ad quas ineundas à naturâ trahuntur homines. Trahit autem natura quemque ad ſocietatem aliquam ineundam, dum indit eidem appetitum ad eandem, ſuggeritque inſtrumenta in ea operandi. *Nam natura nihil facit fruſtrà.*

5. Ex inſtituto ſunt eæ ſocietates, quas homines pro ſuo arbitrio nullo appetitu naturali tracti ineunt.

6. Societatum naturalium varia ſunt genera. *Nam quæque ſocietas ſuâ naturâ tendit ad bonum num. 2. huj. cap. bona autem humana*

varia ſunt, ad quæ obtinenda diverſæ & peculiares requiruntur operationes. Unde neceſſe eſt diverſa ſocietatum genera naſci.

7. Societatum naturalium aliæ minus perfectæ ſunt aliæ perfectæ. *Nam omnes ſocietates vel tendunt ad certum aliquod bonum humanum, ad quod naturaliter appetendum ducuntur homines, vel ad perfectiſſimum quoddam, cui omnia reliqua bona inſunt.*

8. Minus perfectæ ſocietates ſunt primò eæ quæ civitate minores partes quædam ſunt eandem conſtituentes. *Nam ex conjugali, herili & patria ſocietate componitur ſocietas quæ familia vel domus vocatur, ex multis domibus vicus, ex multis vicis civitas.*

MEMBR. I.
DE
MINIMIS SOCIETATIBUS DOMESTICAM CONSTITUENTIBUS.

1. Tres ſunt ſocietates naturales minimæ omnium, conjugalis, paterna, herilis. *Has enim naturales eſſe, demonſtrabitur, quando ſingulas diſtinctis articulis propoſituri ſumus; minimas eas eſſe inde demonſtramus; quia civitas, domus in minores alias ſocietates; hæ verò tres in nullas alias reſolvi poſſunt. Minimum verò hoc eſt, quod in minora reſolvi aptum non eſt.*

ARTIC. I.
DE
CONJUGALI SOCIETATE.

1. Conjugalis ſocietas ea eſt quæ initur inter marem & fœminam procreandæ ſobolis gratiâ.

2. Hæc ſocietas naturalis eſt. *Cum enim mortalium vita tempore ſit determinata, non poſſunt ſpecies aliter conſervari quàm procreatione; hæc verò non obtinetur ſine hac ſocietate. Quâ de cauſſa indidit natura hominibus appetitum quo ducuntur ad procreationem ſui ſimilis & ineundam hanc ſocietatem: Unde ſequitur eam naturalem eſſe. pr. n. 4. huj. cap.*

ARTIC. II.
DE
HERILI SOCIETATE.

1. Herilis ſocietas eſt ea quæ intercedit inter dominum & ſervum.

2. Hæc ſocietas non æquè naturalis eſt ac conjugalis. *Videtur namq; oriri à quodam errore naturæ: cum enim natura tendat ad hoc, ut omnes*

omnes homines ſuo intellectûs Judicio regantur, deprehēduntur nonnulli, in quibus Judicium intellectus ſe nunquam exerit, quiq́; inſtar beſtiarum vivunt ducti ſuâ phantaſiâ; quos ſubjici dominorum imperio vel ipſorum intereſt. Nam quemadmodum cæci corpus ubique offendit & propterea indiget alieno oculo: ita quoq́; homo ſolo appetitus ductu vivens. Cum ergò herilis ſocietas ex quodam naturæ errore oriri videatur, nec pro merè naturali habenda erit; ut adeò non erroris accuſanda ſint Jura Romana, quando ſervitutem dicunt conſtitutionem, quâ quis contra naturam dominio alieno ſubjicitur.

3. Eſt tamen & ſuo modo naturalis. *Nam natura in hominibus hoc intendit, ut appetitus regatur Judicio intellectus: unde fit, ut proprio Judicio deſtitutus naturæ convenienter ſubjiciatur alieno, domini nim. regendus.*

4. Servus itaque naturalis eſt, qui proprio intellectus Judicio deſtitutus alieno ſubjectus eſt.

5. Eſtque hoc pacto ſervus quaſi alterum quoddam domini corpus organicum & quicquid eſt, ſui domini gratiâ eſt. *Nam quemadmodum noſtra corpora reguntur à noſtro intellectu & hujus gratiâ ſunt quicquid ſunt: ita & ſervi noſtri, quorum quaſi intellectus nos exiſtimus noſtri gratiâ exiſtunt.*

ARTIC. III.
DE SOCIETATE PATERNA.

1. Patria ſocietas intercedit inter procreans & procreatum.

2. Eſt autem & hæc ſocietas naturalis. *Nam cum nihil naſcatur perfectum, etiam in hominibus contingit, ut ſtatim à primo ortu Judicium intellectus perfectum non habeant, quin ab initio planè nullum, cum nullus uſus rationis naturaliter in iis ſeſe exerat. Indit ergò natura parentib9 liberiſq́; appetitum ad unà vivendum, & quidem ut parentes ſe habeant velut quiddam perficiens, liberi velut quiddam perficiendum.*

3. Liberi itaque aliâ ratione ſubjiciuntur regendi parentibus quàm ſervi dominis. *Nam ſervi velut corpora organica ad quendam diriguntur uſum & inſtrumentorum loco ſunt. At liberi reguntur à parentibus tanquam quiddam perficiendum.*

4. *Ex quibus ſequitur, rectæ rationi conveniens non eſſe, ut liberi ſervorum loco habeantur & in poteſtate patriâ pro libitu detineantur; quemadmodum nec Juri naturæ conveniens eſt, ut ſervi ſint, qui ſufficienti intellectus Judicio præditi ſe ſatis benè regere poſſunt.*

ARTIC. IV.
DE
DOMESTICA SOCIETATE.

1. Ex minimis tribus & modò enarratis ſocietatibus componitur domeſtica ſeu familia.

2. Eſtque hæc ſocietas naturalis. *Nam eſt ex tribus naturalibus compoſita. Naturales quippe eaſdem eſſe præc. trib. artic. demonſtratum eſt.*

3. Alia autem familia eſt prima & minus perfecta alia perfecta. Prima conſtat ex conjugali & herili ſocietatibus; Perfecta ex conjugali herili & patriâ.

4. Tendit autem hæc ſocietas ad uſum quotidianum, ut ſcilicet præſtò ſint quibus quotidiè indigemus.

MEMBR. II.
DE
CIVITATE.

1. Quò, quæ hîc traduntur, intelligantur, requirimus cognita jam ſatis quæ Ariſtoteles demonſtravit in ſuis quos de moribus ſcripſit libris, nim. felicitatem humanam conſiſtere in operatione ſecundùm virtutes eaſque vel intellectuales vel morales. *Nam ſi vellemus ea hûc referre actum ageremus: utpote cùm exactius quiddam dicere vires ingenii noſtri non patiantur.*

2. Civitas ſocietas eſt omnis felicitatis humanæ obtinendæ gratiâ inita. *Hanc namq; ponimus civilem ſocietatem eſſe, cætera minus perfecta ſunt oppida nim. quibus non eſt datum perfectiſſimam felicitatem humanam obtinere.*

3. Eſtque proinde civitas omnium ſocietatum humanarum perfectiſſima. *Nam cæteræ ſocietates qualeſcunq; propoſitum habent certum aliquod bonum, hæc verò ſummum i. e. omnē felicitatem humanam num. præced. Si ergò omnis ſocietatis natura in hoc poſita eſt, ut ſit alicujus boni obtinendi gratiâ. pr. n. 2. h. cap. Sequitur eam eſſe perfectiſſimam, quæ ad perfectiſſimum tendit bonum felicitatem nim. omnem quam hac in vitâ homo ſibi parare valet.*

4. Civitas maximè omnium naturalis ſocietas eſt. *Nam omnes domeſticæ ſocietates velut civitatis partes, ex hac ſuam capiunt perfectionem. Quilibet namque Paterfam. unà cum ſuâ familiâ hac ſocietate felix redditur. Quod autem quæ naturalia ſunt perficit maximè naturale eſt: ſemper namque natura ad id quod perfectum eſt tendit & in hoc cumprimis ſubſiſtit v. g. natura hominis quam maximè conſpicitur in eo qui*

maturæ ætatis eſt. Et quis neget, maximè naturale eſſe quod naturalia velut ſuam perfectionem intendunt?

5. Homo naturâ eſt animal civile. *Nam homo ut pars civilis ſocietatis ſuam perfectiſſimam felicitatem obtinet. At natura ſemper tendit ad perfectiſſimum. Ducit itaq; & hominem, ut hanc ſocietatem appetat. Si hoc non admittas, cogeris fateri hominem nullius gratiâ à naturâ eſſe; cum tamen nulla ſubſtantia naturalis fruſtra ſit. Teſtatur præterea experientia diverſis hominibus diverſa data eſſe ingenia, dum alij ad artem militarem, alii ad ſapientiam, alii ad prudentiam eamq; conſultatricem vel Judicatricem alij ad artes alias medicam, muſicam, pictoriam &c. magis habiles & ita quaſi partes certæ civitatis producti ſunt.*

MEMBR. III.
DE
IMPERIIS.

1. Videntur quidem imperia perfectiores civitate ſocietates ſed non ſunt. *Nam partes videntur toto imperfectiores: at civitates coëuntes in imperia horũ partes ſunt. Sed nihilominus civitas perfectior ſocietas eſt; quia hæc tendit ad felicitatem omnem humanam; imperia ad potentiam quò externis nationibũ certa quædam natio vel viribus par vel ſuperior ſit. Quando autem contingit uno in Imperio multas eſſe civitates, ſi qua caput eſt totius imperij, hæc propriè civitas eſt, qualis erat olim Roma, reliqua opida & municipia ſunt.*

MEMBR. IV.
DE
SOCIETATE OMNIUM GENTIUM.

I. Videtur & dari quædam univerſaliſſima gentium & nationum ſocietas, quam diverſa inter ſe colunt imperia, & hæc quidem itidem naturalis. *Nam cùm non omnis ferat omnia tellus, ſed quæ hûic data ſunt alteri regioni denegentur, videtur natura hac indigentia trahere voluiſſe omnes nationes & gentes ad aliquam univerſaliſſimam & per totum orbem terrarum ſeſe extendentem ſocietatem colendam.*

2. Sed nec hæc ſocietas perfectior eſt civitate; *quia ad omnem felicitatem humanam, quæ conſiſtit operatione ſecundum virtutes non tendit; Sed tantum ad hoc, ut ex peregrinis regionibus inferantur quibus indigemus.*

CAP. II.

DE JUSTITIÆ NATURA ET DIVISIONE EJUSDEM IN UNIVERSALEM ET PARTICULAREM, HUJUSQVE SUBDIVISIONE.

1. Duo ſunt quæ faciunt omnem humanam ſocietatem ſe benè habere & propterea nobis conſideranda veniunt,

JUSTITIA ET AMICITIA.

Nam propoſitum noſtrum eſt tradere elementa ex quibus legum rationes & cauſſæ peti poſſint: ſed leges omnes tendunt ad hoc, ut ſocietates humanæ ſe benè habeant; itaque primum omnium cura impendenda eſt, quò nota nobis faciamus ea quæ unamquamque ſocietatem humanam bonam reddunt. Optimè autem ſe habet unaquæque ſocietas, quæ quam maximè una eſt ſeu cujus partes quàm arctiſſimè cohærent: Definivimus quippe ſocietatem quiddam unum ex multis hominibus compoſitum: id itaque quod ſocietatem unumquamq; maximè unam reddit eandem conſervat, & benè ſe habere facit. Hæc autem duo Juſtitia & amicitia faciunt ut ſocietas omnis una permaneat; quemadmodum injuſtitia & inimicitia eam diſſolvunt.

MEMBR. I.

DE DIVISIONE JUSTITIÆ IN UNIVERSALEM ET PARTICULAREM.

1. Juſtitiæ & Juris ſpeculationem petimus ab eo, quod ſocietatem civilem conſervat. *Nam civitas perfectiſſima & maximè naturalis ſocietas eſt, cap. 1. membr. 2. n. 3. & 4. & quia Juſtitia eſt quiddam conſervans ſocietates humanas: ſequitur eam Juſtitiam perfectiſſimam & maximè naturalem eſſe, quæ civilem ſocietatem conſervat. Jam verò conſtat unumquodque in ſcientiâ quâvis primum conſiderandum eſſe, prout maximè naturale & perfectum eſt.*

2. Quam variè autem vox Juſtitiæ ſumatur, exinde poterimus diſcere, ſi attendamus quàm varii ſint, qui injuſti dicuntur. *Nam injuſti quàm plurimi, juſti pauci numero reperiuntur: unde ab injuſtis tanquam cognitu facilioribus principium cognitionis petendum eſt.*

3. Injuſti dicuntur. 1. omnes vitioſi homines qui propter vitioſas actiones ſuas pœnis afficiuntur v.g. fures, raptores qui ex avaritiâ; ſcortatores, adulteri qui ex intemperantiâ peccant: 2. in ſpeciè ii, qui aliis minus tribuunt de bonis externis & ſibi plura ſumunt quàm debebant.

4. Juſtitia ergò alia univerſalis eſt conſiſtens in quibuscunq; opera-

operationibus virtuoſis, quæ in civitatibus laudari & præmiis affici ſolent; alia particularis, quæ in hoc poſita eſt, ut alter alteri tribuat quod æquale eſt & non minus in bonis externis. *Nam contrariorum contraria natura & eſſentia eſt.*

ARTIC. I.
DE
JUSTITIA UNIVERSALI IN GENERE.

1. Juſtitia univerſalis non immeritò hoc nomen habet; *quia ex hac velut habitu fluunt omnes virtuoſæ actiones quibus in civitate quis laudem gloriam & alia præmia ſibi parat: adeoq; ad eum qui inſtructus virtute hac eſſe vult omnis virtutum chorus requiritur: Unde meritò Univerſalis quædam virtus dicenda velut univerſum virtutum numerum comprehendens & in ſe includens.*

2. Eſt ergò Juſtitia univerſalis virtus ex omnibus virtutibus reliquis moralibus compoſita, quatenus hiſce eduntur operationes legibus præceptæ & ad commune bonum ſocietatis civilis pertingentes.

3. Juſtitia univerſalis eſt perfectiſſima virtus. *Nam eſt compoſita ex omnibus virtutibus moralibus & diſponit hominem ut omnium optimi finis gratiâ, illius nim. quem civitas propoſitum habet operetur. Quâ de cauſſa huic virtuti nihil deeſt eorum quæ ad virtutem humanam pertinent. Id autem perfectum eſt cui nihil deeſt.*

4. Juſtitia univerſalis videtur eſſe alienum bonum. *Nam cum tendat ad ſalutem totius civitatis videtur hac inſtructus non ſibi ſed civitati operari.*

5. In rei veritate tamen Juſtus ſibi operatur. *quia bonum totius civitatis eſt etiam bonum ſingulorum in eâ viventium.*

6. Itaque non eſt ſervile legibus parére & communis publicique boni gratiâ operari. *Nam qui ſui gratiâ operatur nihil ſervile facit: at dum Juſtus boni publici cauſſa inſtituit ſuas actiones ſuum proprium bonum operando producit, velut civitatis pars.*

7. Uti verò Juſtitia univerſalis eſt perfecta quædam virtus; ita injuſtitia huic oppoſita eſt extremum quoddam vitium. *Injuſtus quippe is eſt, qui ex vitiis illis operatur, quæ bonum ſocietatis optimæ, qualis eſt civitas, evertunt.*

ARTIC. II.
DE
PARTICULARI JUSTITIA ET EJUS DIVISIONE IN DISTRIBUTIVAM ET COMMUTATIVAM.

1. Juſtitia ea quæ verſatur in bonis fortunæ, ut in his ſervetur

æqualitas meritò particularis vocatur. *Nam hæc virtus cæteris contradiſtincta eſt, & ſub univerſali Juſtitiâ, de quâ artic. præc. egimus, velut pars continetur.*

2. Dividitur hæc in diſtributivam & commutativam.

3. Juſtitia diſtributiva eſt Virtus, quâ quod commune eſt in partes ſocietatis ita diſtribuitur, ne cauſſam conquerendi ulla ſocietatis pars habeat. *Nam diſtribuere nihil aliud eſt, quàm id quod commune eſt in partes dividere & ſingulis partibus ſocietatis portionem aliquam adſignare: Juſtitia autem requirit, ut hæc diſtributio ita fiat, ne querelæ ſuboriantur.*

4. Commutativa Juſtitia, Ariſtoteli correctiva dicta, verſatur in commutationibus corrigendis quò ceſſent querelę.

5. Omnes autem commutationes vel ſpontaneę ſunt vel invitę. *Nam inæqualitas corrigenda vel ſuboritur eo qui illam patitur conſentiente vel eodem invito. v.g. qui vendit rem & tradit emptori volens patitur inæqualitatem corrigendam per hoc, ut emptor precium ſolvat; cui quid furto auffertur patitur inæqualitatem corrigendam invitus ſeu ignorans.*

6. Rectè autem Ariſtoteles Juſtitiam quę in commutationibus occupata eſt vocavit correctivam. *Nam in invitis commutationibus v.g. furto, rapinâ, damno injuria dato &c. ſtatim oritur inæquale corrigendum; in ſpontaneis verò tunc, ſi altera pars ſatis fecerit ſuo officio altera verò ſolvere ceſſaverit. v.g. ſi emptor ſolverit precium, venditor non debito tempore tradiderit rem: ut adeò Juſtum commutativum obtineatur corrigendo inæquale in commutationibus ſubortum.*

APPENDIX.

DE GEOMETRICA ET ARITHMETICA PROPORTIONE.

1. *Antequam ad pleniorem de Juſtitiâ diſtributivâ & correctivâ contemplationem progrediamur, de Geometricâ & Arithmeticâ proportionibus, ſine quibus harum Juſtitiæ ſpecierum natura declarari nequit, quædam præmittenda ſunt. Solet autem vulgus eruditorum in hac opinione eſſe, geometricam proportionem eſſe eam, quam geometræ in ſcientiâ geometricâ contemplantur, arithmeticam eam, quæ in numeris locum habet & propterea arithmeticis conſideranda venit. unde ſeducti â Plutarcho quam plurimi addidère tertiam proportionis ſpeciem, nim. harmonicam; nonnullos autē eò traxit ignorantia ut novi quiddā contra Ariſtotelē molientes ſtatuerent, Juſtitiæ naturam in quâdam harmonicâ proportione conſiſtere. Verum quia ſoni numeri quidam ſunt & Muſica ſcientia Arithmeticæ ſubalternatur*

natur

natur; Ariſtoteles verò quid Arithmetica porportio ſit, lineis; quid Geometrica, numeris declararit lib. 5. Ethic. ſepè miratus ſum, qui fieri potuerit, quòd non modò commentatores Ariſtotelis plerumq; ſcientiarum mathematicarum rudes, ſed & mathematici nonnulli ejusmodi ſomnia de Arithmetica, Geometrica & Harmonica proportionibus commenti ſint.

2. *Arithmetica proportio dicitur* ἀπὸ τοῦ ἀριθμεῖν *à numerando: eſt autem numerare nihil aliud, quàm addendo vel ſubtrahendo numerum aliquem colligere. Numeramus enim vel in ſequentia, quod eſt addere; vel in antecedentia, quod eſt ſubtrahere. In utroque procedimus vel per unitates vel per numeros; illa numeratio ſine arte abſolvi poteſt, hac artificio indiget: quam ob cauſſam qui hodiè artem colunt arithmeticam artificioſam numerationem in conſequentia additionem; in antecedentia, ſubtractionem vocare in ſuis libellis arithmeticis ſolent. Quandocunque ergò numerus ad numerum refertur, & alter ex altero cognoſcitur procedendo per ſubtractionem & additionem, proportio arithmetica ſeu numerativa obſervari dicitur.*

3. *Geometrica proportio nomen habet* ἀπὸ τοῦ γεωμετρεῖν, *quod idem ſignificat ac* μετρεῖν *metiri. Eſt autem metiri perſpicere, quoties numerus in numero contineatur. Hæc ergò proportio, quæ latinè menſurativa dici poteſt, conſiſtit in multiplicando & dividendo; quia multiplicans numerus productum ex multiplicatione toties metitur, quot in multiplicando ſunt unitates, & contrà multiplicandus toties metitur productum ex multiplicatione, quot ſunt unitates in multiplicante. Quemadmodum etiam in diviſione factâ Quotiens metitur toties dividendum numerum, quot in diviſore ſunt unitates, & contrà diviſor toties dividendum, quot ſunt in quotiente unitates. Quâ de cauſſa Geometrica proportio eſt, quando numerus ad numerum refertur & alter ex altero cognoſcitur mediante multiplicatione & diviſione.*

CAP. III.

DE JUSTITIA DISTRIBUTIVA.

1. Juſtitiam diſtributivam adumbrando deſcripſimus *artic. 2. n. 3. præced. cap.* quòd ſit ejusmodi Juſtitia, quâ quod commune eſt dividimus inter partes alicujus ſocietatis ita, ne pars ulla conquerendi cauſſam habeat. ut autem penitius hujus naturam inſpicere poſſimus, videndum eſt, ex quibus causſis diviſione factâ ſolent oriri querelæ. *Nam ita eò melius quomodo hac Juſtitiæ ſpecies querelis occurrat cognoſcere poterimus.*

2. Querelæ moventur, ſi diviſione bonorum communium fa-

ctâ, aut æqualibus in æqualia, aut inæqualibus æqualia vel etiam inæqualia, inferiori nim. plus, ſuperiori minus tribuuntur.

3. Quò ergò ceſſent querelæ, neceſſe eſt in diſtributionibus æqualitatem proportionis ſervari. *i.e. ſi inter Titium & Mævium quid dividendum ſit, ut fiat, quemadmodum Titius ſe habet ad Mævium, ita & pars, quæ Titio aſſignatur, ad eam partem quæ datur Mævio. Habeat v.g. ſe Titius ad Mævium ut 3. ad quatuor & ſunto dividenda quatuordecim, dabuntur Titio ſex, Mævio octo. Uti enim ſe habent 3. ad 4. ita 6. ad 8. Hoc enim facto, omnes querelæ ceſſabunt, quia nec æquales inæqualia nec inæquales æqualia conſequentur.*

4. *Sed quæras, unde petenda ſit perſonarum, inter quas diviſio fit, proportio.* Dico, diſtributionem fieri inter perſonas, quatenus ſunt partes alicujus ſocietatis, quia eatenus ex communi iis aliquid debetur; quemlibet autem hominē eatenus dici partem alicujus ſocietatis, quatenus aliquid confert ad bonum commune illius obtinendum (*omnis namque ſocietas boni alicujus gratiâ eſt.*) Ex eo ergò, quod quis in ſocietatem pro bono illius impetrādo confert, ſumendā eſſe proportionē perſonarum. *Sunto mercatores duo Titius & Mævius ineuntes ſocietatem lucri captandi gratiâ; pro fine hoc ſeu lucro obtinendo Titius confert 300. Mævius 200. Dico, Titium habere ſe ad Mævium, ut 300. ad 200. vel ut 3. ad 2. Et per conſequens, ſi lucrum dividendum ſit 20. danda erunt Titio 12. Mævio 8. quia 12. ad 8. ſe habent quemadmodum 3. ad 2. Et ita fit*

Uti Titius ad Mævium		*Sic portio lucri quæ datur Titio 12.*	*ad portionem lucri quæ datur Mævio 8.*
3	2		

Quâ proportione ita ſervatâ nec Titius nec Mævius conquerendi cauſſam habent.

5. Ex cognitâ proportione partium lucri quę ſingulis partibus ſocietatis aſsignandæ veniunt, colligitur porrò, quæ proportio in oneribus communibus imponendis, & damnis communibus ferendis ſit obſervanda. *v.g. ſi tributa ſint imponenda, ſemper conſiderandum venit, quid quotannis vel ſingulis menſibus quisq; civium ex bonis, quæ in civitate habet, lucrari poſſit. Eſto coctor cereviſiæ qui ſingulis menſibus quinque & Sutor qui unum aureum lucratur: habebit in tributis imponendis coctor cereviſiæ ſe ad ſutorem, quemadmodum quinque ad unum. Sunto porrò conferenda 60. Dico Sutorem debere dare decem, coctorem cereviſiæ 50. Fit enim*

ut 5. ad 1. ita 50. ad 10.

6. *Quæri verò porrò poteſt, quâ ratione procedendum ſit in diviſione, quò ejusmodi proportionum æqualitas obtineatur.* Dico id communiter

niter ab Arithmeticis tradi in Regulâ, quam propterea ſocietatis vocant. *Nimirum colligendæ ſunt in unam ſummam primò perſonæ & ſumma ea ponenda eſt in primo regulæ proportionum loco, ſecundo lucrum ſeu commune dividendum, tertiò ponendæ ſunt ſingulæ perſonæ; & inde eruendus eſt quartus proportionalis. Habeat ſe Titius ad Mævium ut 3. ad 2. & eſto commune dividendum 20. addantur 3. & 2. ut producatur ſumma perſonarum quinque. Deinde fiat 5. dant 20.*

quid dabunt 3? / 2? *Producuntur* { 12. *pro Titio* / 8. *pro Mævio.*

Nam uti ſe habent 5. ad 20. ita ſe habent 3. ad 12. ita quoque 2. ad 8. adeoq; perſona Titij 3. ad ſuam partem lucri quam accipit 12. eam habet proportionem quam Mævius 2. ad ſuam partem 8. utraque enim proportio eadem eſt cum proportione 5. ad 20. Quæ autem proportiones cum tertiâ ſunt eædem, eæ & inter ſe eædem ſunt. Quia verò numeri proportionales ſunt viciſſim proportionales per 13. VII Euclidis i.e. ſi fiat ut I. ad II. ita III. ad IV. etiam fit ut I. ad III. ita II. ad IV. Hinc etiam cum fiat

I.	*II.*	*III.*	*IV.*
ut Titius	*ad ſuum lucrum*	*ita Mævius*	*ad ſuum lucrum*
3.	12	2	8

fiet ἐναλλάξ *ſeu viciſſim*

I.	*III.*	*II.*	*IV.*
ut Titius	*ad Mævium*	*ſic portio Titij*	*ad portionem Mævij.*
3	2	12	8

Et ita apparet, quomodo æqualitas proportionum obtineatur, quam n. 4. h. cap. dicebamus à Juſtitiâ diſtributivâ intendi, quò querelæ impediantur.

7. Analogia ſeu æqualitas proportionum, quam Juſtitia diſtributiva obſervat Geometrica eſt. *Nam mediante multiplicatione & diviſione omnia inquiruntur, & perſona ad perſonam refertur vel quatenus altera alteram metitur, vel quatenus habent communem menſorem. Fit enim: ut perſona metitur perſonam, ita res rem. it. ut communis menſura metitur utramq; perſonam, ita alia menſura utramq; rem.*

v. g. ut 3. *ad* 6. *ita* 4. *ad* 8.

Nam quemadmodum 3. *metiuntur* 6. *per duo, ita* 4. *metiuntur* 8.

it. uti 4. *ad* 6. *ita* 8. *ad* 12.

Nam uti 2. *metiuntur* 4. & 6. *ita* 4. *metiuntur* 8. & 12. *nim.* 2. *metiuntur* 4. *per* 2. & 6. *per* 3. & *eâdem ratione* 4. *metiuntur* 8. *per* 2. & 12. *per* 3. *Patet ergò quare in Juſtitiâ diſtributivâ ſervetur proportio geometrica.*

CAP. IV.

DE JUSTITIA CORRECTIVA, QUAM COMMUTATIVAM COMMUNITER VOCANT.

1. Juſtitia correctiva tollit querelas, quæ oriuntur in Commutationibus partim ſpontaneis partim invitis. Querelarũ in cōmutationibꝰ ſpontaneis hanc deprehendimus eſſe cauſſã: quando ſcil. alter in alterũ transfert aliquod bonũ externũ, & qui hoc adeptꝰ eſt vel nihil retribuit vel non tantũ quantũ vel non eo loco eo tempore quo retribuere debebat. *v.g. ſi bubulcus tribuat paſtori ovium duos boves, ut is 20. oves retribuat, hoc nihil aut nõ 20. retribuente, querelæ excitãtur.*

2. Invitæ commutationes ſtatim pariunt querelas. *Id apparet ſi tantummodo eas ſingulas inſpicimus: ſunt enim v.g. furtum, rapina, damnum injuriâ datum &c.*

3. Correctio tollens querelas fit, ſi plus habenti detrahitur & detractum minus habenti additur. *Plus dicitur habere in commutationibus ſpontaneis, qui quid ab altero accepit & vel nihil vel non tantum quantum debebat retribuit. Plus in invitis commutationibus is habere dicitur, qui læſit alterum v.g. fur, adulter &c. alter cui furtum eſt factum minus. Furi ergò, adultero, raptori &c. quid detrahendum & ei, qui ex furto vel adulterio, quid damni vel mali perpeſſus eſt, addendum venit. Quo facto querelæ ceſſabunt. Hoc autem ita fieri teſtantur omnes executiones ſententiarum.*

4. Correctiva itaq; juſtitia proportione utitur Arithmeticâ. *Nam proportio Arithmetica, prout dictum in Appendice cap. 1. conſiſtit in additione & ſubtractione: ita v.g. Si Titius vendidit Mævio domum, precium deſignando 100. eamq; tradit, oritur injuſtum; quia Mævius & domum habet & precium pro domo, egente ex vendito Titio Judex detrahit Mævio precium & Titio addit; atq; ita quod inæquale & injuſtum eſt corrigit. In commutationibus invitis tale eſto exemplum: Titius Mævium contumeliâ affecit, Mævius actione injuriarum convenit Titium, Judex injuriam illatam æſtimat, & quanti eam deprehendit, tantum pecuniæ Titio detrahit Mævio addit. Quâ ſubtractione & additione factâ injuſtum ſeu inæquale ad æqualitatem reductum & correctum eſt.*

5. Sed hic oritur dubium, quo pacto mala, illata æſtimanda ſint, & quantum plus habenti ſit detrahendum. Circa hoc inveſtigandum videtur peculiaris ſpecies juſtitiæ occupata eſſe, quam Retributivam vocare ſoleo. *Obſervat namq; hæc non Arithmeticam ſed geometricam proportionem. Ariſtoteles juſtum, quod hac proportione introducitur, vocat τὸ ἀντιπεπονθός. Parum autem refert, utrum peculiarem*

dicas

dicai juſti ſpeciem, utrum actum quendam in juſto correctivo obſervandum. Ut verò quæ ſit natura juſti retributivi declaremus, repetendum, quod paulò antè diximus, Commutationes omnes vel ſpontaneas vel invitas eſſe. Quantum in commutationibus ſpontaneis retribuendum ſit, plerumq́; ex pactis contractibus adjici ſolitis cognoſcitur v. g. Titius vendit domum Mævio, conveniunt emptor & venditor, ut precium ſit 100. aureorum. Si Mævius accepit domum nec ſolvit pro domo quicquam; quæritur quantum retribuendum ſit? videtur attendendum eſſe, de quanto precio convenerint contrahentes, cum contraherent; tantum enim Mævius retribuere tenebitur; & tantum etiam, ſi Mævius id non fecerit, Judex ad executionem perveniens eidem detrahet & Mævio addet; id quod Juſtitiæ correctivæ opus eſt.

6. Quòd ſi in commutatione ſpontaneâ ſeu contractu nihil fuerit dictum, nec de quanto ejus quod retribuendum eſt convenerint contrahentes: ratio retributionis ita ineunda eſt, ut uterque commutantium tantum poſt commutationem habeat, quantum ante eandem habuit. *In ſpontaneis commutationibus id obtinetur, ſi attenditur rei cujusq́; indigentia quæ petitur ab uſu & raritate. (quò rarior enim res eſt, eò major ejusdem eſt indigentia.) & perſonis tribuitur proportio, quam res commutandæ ad invicem habent v. g. quando boves cum ovibus commutantur, bubulco & paſtori ovium tribuuntur numeri, qui exprimunt indigentiæ proportionem. Velut ſi bos decuplo plus uſus præbet quàm ovis tribuuntur bubulco 10. paſtori ovium 1. Hac namq́; perſonarum proportione cognitâ facilè colligi poteſt, quantum retribuendum ſit, ut quod dictum eſt obtineatur. ſi fiat:*

ut Bubulcus	*ad Paſtorem ovium*	*Ita numer⁹ ovium retribuendarũ*	*ad bovem qui datur à bubulco.*
10.	1.		

Decem ergò oves pro uno bove, viginti pro duobus, et ita porrò retribuendæ ſunt. Nam hoc pacto uterq́; commutantium poſt factam commutationem tantum habebit, quantum ante eandem habuit, nec quicquam ipſius rebus familiaribus ſeu ſubſtantiæ videbitur detractum; quia decem oves unum bovem ratione indigentiæ exæquant. Cæterùm hac de re dicetur uberius infrà quando de correctione injuſti, quæ in ſingulis actionibus obſervatur dicturi ſumus.

CAP. V.
DE DIVISIONE JURIS IN NATURALE ET VOLUNTARIUM SEU LEGITIMUM.

1. *Omnes Jus naturæ dari clamant, nemo autem propemodum ſcit quid illud ſit; ſed quod cuilibet ſua dictat opinio hoc pro Jure naturæ habet:*

noſtrum

CAP. IV.

DE JUSTITIA CORRECTIVA, QUAM COMMUTATIVAM COMMUNITER VOCANT.

1. Juſtitia correctiva tollit querelas, quæ oriuntur in Commutationibus partim ſpontaneis partim invitis. Querelarũ in comutationib' ſpontaneis hanc deprehendimus eſſe cauſſã: quando ſcil. alter in alterũ transfert aliquod bonũ externũ, & qui hoc adept' eſt vel nihil retribuit vel non tantũ quantũ vel non eo loco eo tempore quo retribuere debebat. *v. g. ſi bubulcus tribuat paſtori ovium duos boves, ut is 20. oves retribuat, hoc nihil aut nõ 20. retribuente, querela excitatur.*

2. Invitæ commutationes ſtatim pariunt querelas. *Id apparet ſi tantummodo eas ſingulas inſpicimus: ſunt enim v. g. furtum, rapina, damnum injuriâ datum &c.*

3. Correctio tollens querelas fit, ſi plus habenti detrahitur & detractum minus habenti additur. *Plus dicitur habere in commutationibus ſpontaneis, qui quid ab altero accepit & vel nihil vel non tantum quantum debebat retribuit. Plus in invitis commutationibus is habere dicitur, qui læſit alterum v. g. fur, adulter &c. alter cui furtum eſt factum minus. Furi ergo, adultero, raptori &c. quid detrahendum & ei, qui ex furto vel adulterio, quid damni vel mali perpeſſus eſt, addendum venit. Quo facto querelæ ceſſabunt. Hoc autem ita fieri teſtantur omnes executiones ſententiarum.*

4. Correctiva itaq; juſtitia proportione utitur Arithmetica. *Nam proportio Arithmetica, prout dictum in Appendice cap. 2. conſiſtit in additione & ſubtractione: ita v. g. Si Titius vendidit Mevio domum, precium deſignando 100, eamq; tradit, oritur injuſtum; quia Mevius & domum habet & precium pro domo, egente ex vendito Titio Judex detrahit Mevio precium & Titio addit; atq; ita quod inæquale & injuſtum eſt corrigit. In commutationibus invitis tale eſto exemplum: Titius Mevium contumeliâ affecit, Mevius actione injuriarum convenit Titium, Judex injuriam illatam æſtimat, & quanti eam deprehendit, tantum pecuniæ Titio detrahit Mevio addit. Quâ ſubtractione & additione factâ injuſtum ſeu inæquale ad æqualitatem reductum & correctum eſt.*

5. Sed hic oritur dubium, quo pacto mala illata æſtimanda ſint, & quantum plus habenti ſit detrahendum. Circa hoc inveſtigandum videtur peculiaris ſpecies juſtitiæ occupata eſſe, quam Retributivam vocare ſoleo. *Obſervat namq; hæc non Arithmeticam ſed geometricam proportionem. Ariſtoteles juſtum, quod hac proportione introducitur, vocat τὸ ἀντιπεπονθός. Parum autem refert, utrum peculiarem*

dicas

dicai juſti ſpeciem, utrum actum quendam in juſto correctivo obſervandum. Ut verò quæ ſit natura juſti retributivi declaremus, repetendum, quod paulo antè diximus, Commutationes omnes vel ſpontaneas vel invitas eſſe. Quantum in commutationibus ſpontaneis retribuendum ſit, plerumq; ex pactis contractibus adjici ſolitis cognoſcitur v. g. Titius vendit domum Mævio, conveniunt emptor & venditor, ut precium ſit 100. *aureorum. Si Mævius accepit domum nec ſolvit pro domo quicquam; quæritur quantum retribuendum ſit? Videtur attendendum eſſe, de quanto precio convenerint contrahentes, cum contraherent; tantum enim Mævius retribuere tenebitur; & tantum etiam, ſi Mævius id non fecerit, Iudex ad executionem perveniens eidem detrahet & Mævio addet; id quod Juſtitiæ correctivæ opus eſt.*

6. Quòd ſi in commutatione ſpontaneâ ſeu contractu nihil fuerit dictum, nec de quanto ejus quod retribuendum eſt convenerint contrahentes: ratio retributionis ita ineunda eſt, ut uterque commutantium tantum poſt commutationem habeat, quantum ante eandem habuit. *In ſpontaneis commutationibus id obtinetur, ſi attenditur rei cujusq; indigentia quæ petitur ab uſu & raritate. (quo rarior enim res eſt, eò major ejusdem eſt indigentia.) & perſonis tribuitur proportio, quam res commutandæ ad invicem habent v.g. quando boves cum ovibus commutantur, bubulco & paſtori ovium tribuuntur numeri, qui exprimunt indigentiæ proportionem. Velut ſi bos decuplo plus uſus præbet quàm ovis tribuuntur bubulco* 10. *paſtori ovium* 1. *Hac namq; perſonarum proportione cognitâ facilè colligi poteſt, quantum retribuendum ſit, ut quod dictum eſt obtineatur. ſi fiat:*

ut Bubulcus	*ad Paſtorem ovium*	*Ita numerus ovium*	*ad bovem qui datur*
10.	1.	*retribuendarũ*	*à bubulco.*

Decem ergò oves pro uno bove, viginti pro duobus, et ita porrò retribuendæ ſunt. Nam hoc pacto uterq; commutantium poſt factam commutationem tantum habebit, quantum ante eandem habuit, nec quicquam ipſius rebus familiaribus ſeu ſubſtantiæ videbitur detractum; quia decem oves unum bovem ratione indigentiæ exæquant. Cæterùm hac de re dicetur uberius infrà, quando de correctione injuſti, quæ in ſingulis actionibus obſervatur dicturi ſumus.

CAP. V.

DE DIVISIONE JURIS IN NATURALE ET VOLUNTARIUM SEU LEGITIMUM.

1. *Omnes Jus naturæ dari clamant, nemo autem propemodum ſcit quid illud ſit; ſed quod cuilibet ſua dictat opinio hoc pro Jure naturæ habet: noſtrum*

noſtrum ergo erit paulò accuratius in naturæ Jus, quid ſit & quomodo à voluntario ſeu legitimo differat, inquirere.

2. *Initium contemplationis facturi ſumus inde; ut inquiramus qualia juſta & injuſta ſint entia.* Notum eſt omne ens vel neceſſarium eſſe vel contingens. Ens neceſſarium propriè ſumptum eſt quod ſe aliter habere nequit. *v.g. Homo rationalis eſt ens neceſſarium; quia impoſſibile eſt, illud ſe aliter habere i.e. dari hominem qui non habeat intellectum ſeu facultatem animæ ratiocinativam.*

3. Contingentia alia ſunt ut plurimùm alia rarò, alia in utramq; partem ſe æqualiter habentia. *Contingentia ut plurimum ſunt v.g. vita hominis centum annis incluſa; virgo carens lacte, &c. Contingentia rarò v.g. virgo lac habens: Contingentia æqualiter v.g. Geometra poeta, Muſicus grammaticus.*

4. Contingentia ut plurimum quodammodo neceſſaria ſunt: *habent enim ſemper ſe ita & non aliter, modò ſubſtantia ſeu ſubjecta ſuam naturam retineant; aliter autem ſe habent quandoque non propter ſe ſed propter alia, accidentia nimirum.*

5. Juſta & injuſta humana quæ naturalia ſunt nec neceſſaria entia ſunt nec contingentia æqualiter. *Contingentia æqualiter non ſunt: aliàs enim per ſuas cauſſas cognoſci non poſſent. Nam cauſſæ contingentium æqualiter certæ & ſtabiles nullæ ſunt. Ergò intellectus nihil determinare in his poteſt. Neceſſaria non ſunt Juſta humana: ſed ſi inter angelos bonos Jus intercedit, ut videtur ex ſcriptum ſacra probari poſſe, hoc fortaſſe neceſſarium quid erit. Homo ſubſtantia mobilis eſt & mutabilis eidemq; varia accidere poſſunt quæ naturam qualitatum ipſius immutant.*

6. Juſta & injuſta naturalia quæ contemplamur ſunt entia contingentia ut plurimum. *Nam ſi non ſunt entia neceſſaria aut contingentia æqualiter, multò minus rarò, velut ex num. præc. apparet: neceſſe eſt contingentia ut plurimum eſſe. Et ſanè ſi quæ juſta ſunt intuemur & his proprietates contingentium num. 4. traditas applicamus, deprehendimus reverà ita eſſe. Entia Juſta ſunt v.g. Depoſitarius obligatus ad reddendum quovis tempore depoſitum* item *Emptor obligatus ad ſolvendũ precium, &c. Hæc entia ſemper ita ſe habent & non aliter, quà ſcil. talia & quatenus accidentia cauſſarum, ob quæ ita ſunt, ſubſtantiam & naturam non deſtruunt. v.g. Depoſitarius, quà talis, ſemper eſt obligatus ad reddendum depoſitum, nec aliter ſe habet: at ſi accidat eum jam rem reſtituiſſe, aut ſi accidat rem depoſitam evaſiſſe talem, quæ reſtitui nemini niſi Imperatori poſſit, quod fit, ſi depoſitarius deportatus ſit in Inſulam, aut ſi accidat depoſitarium eſſe talem, cui ipſi nil reſtitui poſſit v.g. ſi factus ſit furioſus, tunc ens hoc depoſitarius obligatus aliter ſe habet, fitq; depoſitarius non obli-*

obligatus. Sic injuſtum ens eſt frater habens uxorem ſororem & hoc perpetuò ſe ita habet, quà tale; ſed ſi accidat humanum genus aliâ ratione propagari non poſſe, fit frater ducens ſororem aliquid non injuſtum & ita ſe aliter habet.

7. *Ex his quid Jus naturæ ſit intelligere poſſumus. Nim.* omnes propoſitiones quæ entia juſta contingentia ut plurimum dicunt ſunt Juris naturæ. *Conſiſtitque adeò Jus naturæ in propoſitionibus quæ dicunt contingentia ut plurimum in rebus juſtis & injuſtis: Nam qualia ſunt entia tales & ſunt propoſitiones, quæ illa dicunt: Si entia ſunt neceſſaria per propoſitiones neceſſarias dicuntur; ſi contingentia, per contingentes. Neque enim cum vulgo Logicorum exiſtimandum eſt à vocculis neceſſe, contingit &c. petendum, quæ propoſitiones neceſſariæ vel contingentes ſint. Quod aliquando clarius dicam in tractatu de parandâ bonâ opinione & quinque habitibus mentis.*

8. *Hoc juſtum Philoſophis, qui ipſa entia ſpeculantur & ſingula ex ſuis cauſſis demonſtrant, Jus naturæ dicitur, & id etiam reverà eſt. Dialectici verò, quibus propoſitiones illæ, quas vel omnes homines aut pleriq; vel ſapientes omnes aut plerique aut horum præcipui ſtatuunt veras, pro principiis ſunt, ex quibus ratiocinando progrediuntur, id Juris naturæ eſſe definiunt,* quod non heri aut nudius tertius natum, ſed cum univerſo hominum genere proditum ab omnibus gentibus propterea hactenus obſervatum eſt.

9. Qui ergò in veriſimilibus ſubſiſtentes ipſas res non ex ſuis cauſſis ſpeculantur JCti Romani in determinando Jure naturæ inſpiciunt ſocietatem univerſalem omnium hominum, qualis ea fuit antequam civitates conditæ eſſent, & quod tunc obtinuit Juris naturæ pronunciant. Sed hoc principium dialecticum multis cum erroribus conjunctum eſt. *Quanquam enim ejusmodi principium nos ducat ad veriſimile, non tamen quid reverà Juris naturæ ſit inde haurire poſſumus; ſed quemadmodum reliqua dialectica principia quandoq; nos fallunt, ita & hoc. Quod hic fieri exinde patet; quia quid Juris naturæ ſit non ex imperfectâ aliquâ ſocietate, qualis erat olim gentium, ſed ex perfectiſſimâ, civitate nim. petendum eſt. Natura namque ad perfectiſſimum tendit & in perfectiſſimo conſiſtit.* Redimus ergò ad hoc, ea Juris naturæ eſſe, quæ Juſtitia univerſalis & particularis, eaque cum diſtributiva tum correctiva dictitant i. e. quæ ex principiis *præcedd. capp.* traditis firmis demonſtrationibus deducuntur.

10. *Videamus nunc porrò quid ſit Jus voluntarium, quod Ariſtoteles legitimum vocat. Ubi initio monendum cenſemus, accidere Juri naturæ, ut legibus quidem comprehendatur, propterea tamen non legitimum eſſe.*

eſſe. Id enim hic vocamus legitimum, quod Juſtum non eſſet, niſi legibus comprehenderetur, quod propterea poſitivum communiter appellatur.

11. *His poſitis dico,* Juſta legitima propriè eſſe entia contingentia in utramque partem, id eſt talia quæ æquè Juſta ac injuſta eſſe poſſunt, ſed voluntate legislatoris determinantur & Juſta vel injuſta fiunt. *v.g. colere Deum naturaliter Juſtum eſt; hoc autem vel illo loco, his vel illis ceremoniis verbo divino non præceptis id facere, nec juſtum nec injuſtum eſt, niſi poſtquam ab Eccleſia eſt determinatum. Nonnunquam & contingens rarò tranſit in Jus legitimum v.g. Mutuantem non obligatum eſſe ad ſolvendum mutuum eſt contingens rarò. Interim circa filium fam. legibus Romanis introductum eſt. Quâ ratione verò hoc fiat paullò inferius explicabitur.*

12. Pendet ergò Jus legitimum à Voluntate humanâ. *Nam volenti dicimus injuriam non fieri; & quod quisq; vult, ſi hoc conſequitur aut juſtum eſt aut non injuſtum. Quemadmodum enim naturaliter Juſtum eſt quod tollit querelas & facit, neminem conqueri poſſe ob non ſervatũ proportionem & æqualitatem: ita quod ſecundum voluntatem alicujus fit anſam conquerendi ipſi adimit. Sic ſi populus in principem poteſtatem confert, ut quicquid ipſi placuerit Juſtum ſit, conqueri non poteſt, ſi leges ille conficiat qualescunque, modò cum Jure naturæ non pugnent.*

13. Cujusque hominis voluntas ab eodem declarata circa res quæ juſti & injuſti particularis capaces ſunt vel juſtum vel ad minimum non injuſtum quid eſſe facit. *Quod namq; quis vult hoc bonum eſt eidem, & hoc ſi obtineat conqueri nequit. Hinc quicquid quis circa bona fortunæ ſibi contingere & evenire vult id non injuſtum eſt. In his autem Juſtum particulare occupatum eſt.*

14. *Ex præmiſſis demonſtrare poſſumus, quare* Jus naturale ſit immutabile, legitimũ verò ſeu voluntariũ mutabile. *Nam entia contingentia ut plurimũ quà talia ſemper permanent, quemadmodum neceſſaria. Contingentia autem in utramq; partẽ nullâ ſtabilem cauſſam habent, & proinde aliter atq; aliter ſe habere poſſunt, prout legislatores voluntatem mutant. (Qui ex principiis dialecticis quid naturaliter juſtum ſit petunt; propterea Jus naturale immutabile dicunt, quia non facilè fieri poſſit, ut quod omnes homines aut pleriq; aut qui præ cæteris rectâ ratione utuntur deſinant facile ita opinari; ea autem Jura quæ in quâq; civitate introducta ſunt dependere ab unius civitatis arbitrio, civesque facilè convenire de abrogandis iisdem poſſe.)*

15. Jus legitimum ex voluntate ſubditorum non eſt injuſtum & hoc ipſo quòd lex fiat voluntate ſubditorum, juſſus herilis etiam ipſis invitis & nullâ voluntatis eorundem ratione habitâ, lex & juſſus herilis

herilis differunt. *Nam quod in volentes ſtatuitur injuſtum non eſt, nec de eo conqueri poſſunt: quod verò invitis imponitur ſervile eſt. ut ergò aliquid lex ſit & præceptum liberis hominibus præſcriptum, neceſſe eſt & eorũ voluntatem accedere. Fit autem hoc duobus modis, vel ſi in ſpecie in legem aliquam ferendam conſentiunt, prout olim fiebat liberâ adhuc Republ. Romanâ; vel ſi generaliter in certam perſonam conferunt poteſtatem leges ferendi.*

16. Dividitur etiam Jus in ſcriptum & non-ſcriptum. *Cujus diviſionis hæc eſt ratio, quia omne Jus eſt propoſitio univerſalis, quæ oritur ab intellectu entia practicabilia componente & dividente. Aut ergò civium intellectus practicus ipſe aliquam propoſitionem conſtanter approbat, cujus indicium præbet conſtans quædam operatio; & hinc oritur Jus non-ſcriptum, nullâ indigens ſcripturâ, quâ in memoriam civibus revocetur: aut verò datur propoſitio, quam cives vel planè ignorant, vel circa quam nihil affirmativè aut negativè determinant, vel contrarium factis ſuis declarant, & tunc neceſſe eſt, illam propoſitionem mediante ſcripturâ memoriæ hominum mandari.* Jus ergò ſcriptum eſt, quod ſcripturâ indiget, quò ſervetur in civitate; Jus non-ſcriptum, quod nullâ indiget ſcripturâ.

17. Jus non-ſcriptum aſſvefactione introducitur, quod propriè conſvetudo vocari poteſt. *Nam aſſvefactio facit, ut quid quaſi nobis naturâ inhærens conſtanter ſervetur. Poteſt autem & Jus non ſcriptum introduci duobus vel tribus actibus ad notitiam populi vel civium pervenientibus, quibus cives longo tempore non contradicunt. Quod minus propriè conſvetudo vocatur, & potius facit, ut aliquid non injuſtum quàm Juſtum ſit. Nam tacitus conſenſus civium, quem tacendo declarant, ad minimum facit, ut pro non injuſto quid haberi queat.*

18. Leges ſcriptæ ſunt propoſitiones univerſales, ſub quarũ ſubjectis homines ſingularia ſubſumẽdo faciunt ſyllogiſmũ practicum, cujus concluſio eſt ipſa operatio eorũ. *Nam cum leges de ſingulis caſibus ferri nequeant, ita tamen ferendæ ſint, ut hiſce omnes caſus dirigi poſſint; alia ratio non ſupereſt, quàm ut conſtituantur propoſitiones univerſales, ſub quarum ſubjectis ſubſumptio fiat.*

19. *Nonnunquam tamen contingit & leges circa certas perſonas ferri. Unde fit quod* Jus legitimum dividatur in reale & perſonale quod privilegium vocari ſolet. Jus reale eſt quod ſimpliciter juſtum eſt. *i. e. conſiſtit in propoſitione aliquâ, ſub cujus ſubjecto quicquid venit ita tractari debet ut & prædicatum inſit. v. g. Civem electum tutorem ſuſcipere tutelam reale Juſtum eſt: regulariter enim omnis, qui ſub*

cive

eſſe. Id enim hic vocamus legitimum, quod Juſtum non eſſet, niſi legibus comprehenderetur, quod propterea poſitivum communiter appellatur.

11. *His poſitis dico*, Juſta legitima propriè eſſe entia contingentia in utramque partem, id eſt talia quæ æquè Juſta ac injuſta eſſe poſſunt, ſed voluntate legislatoris determinantur & Juſta vel injuſta fiunt. *v. g. colere Deum naturaliter Juſtum eſt; hoc autem vel illo loco, his vel illis ceremoniis verbo divino non præceptis id facere, nec juſtum nec injuſtum eſt, niſi poſtquam ab Eccleſia eſt determinatum. Nonnunquam & contingens rarò tranſit in Jus legitimum v. g. Mutuantem non obligatum eſſe ad ſolvendum mutuum eſt contingens rarò. Interim circa filium. fam. legibus Romanis introductum eſt. Quâ ratione verò hoc fiat paullò inferius explicabitur.*

12. Pendet ergò Jus legitimum à Voluntate humanâ. *Nam volenti dicimus injuriam non fieri; & quod quisq; vult, ſi hoc conſequitur aut juſtum eſt aut non injuſtum. Quemadmodum enim naturaliter Juſtum eſt quod tollit querelas & facit, neminem conqueri poſſe ob non ſervatã proportionem & æqualitatem: ita quod ſecundum voluntatem alicujus fit anſam conquerendi ipſi adimit. Sic ſi populus in principem poteſtatem confert, ut quicquid ipſi placuerit Juſtum ſit, conqueri non poteſt, ſi leges ille conficiat qualeſcunque, modò cum Jure naturæ non pugnent.*

13. Cujusque hominis voluntas ab eodem declarata circa res quæ juſti & injuſti particularis capaces ſunt vel juſtum vel ad minimum non injuſtum quid eſſe facit. *Quod namq; quis vult hoc bonum eſt eidem, & hoc ſi obtineat, conqueri nequit. Hinc quicquid quis circa bona fortunæ ſibi contingere & evenire vult id non injuſtum eſt. In his autem Juſtum particulare occupatum eſt.*

14. *Ex præmiſſis demonſtrare poſſumus, quare* Jus naturale ſit immutabile, legitimũ verò ſeu voluntariũ mutabile. *Nam entia contingentia ut plurimũ quà talia ſemper permanent, quemadmodum neceſſaria. Contingentia autem in utramq; partẽ nullã ſtabilem cauſſam habent, & proinde aliter atq; aliter ſe habere poſſunt, prout legislatores voluntatem mutant. (Qui ex principiis dialecticis quid naturaliter juſtum ſit petunt; propterea Jus naturale immutabile dicunt, quia non facilè fieri poſſit, ut quod omnes homines aut pleriq; aut qui præ cæteris rectâ ratione utuntur deſinant facilè ita opinari; ea autem Jura quæ in quâq; civitate introducta ſunt dependere ab unius civitatis arbitrio, civesque facilè convenire de abrogandis iisdem poſſe.)*

15. Jus legitimum ex voluntate ſubditorum non eſt injuſtum & hoc ipſo quòd lex fiat voluntate ſubditorum, juſſus herilis etiam ipſis invitis & nullâ voluntatis eorundem ratione habitâ, lex & juſſus herilis

herilis differunt. *Nam quod in volentes ſtatuitur injuſtum non eſt, nec de eo conqueri poſſunt: quod verò invitis imponitur ſervile eſt. ut ergò aliquid lex ſit & præceptum liberis hominibus præſcriptum, neceſſe eſt & eorũ voluntatem accedere. Fit autem hoc duobus modis, vel ſi in ſpecie in legem aliquam ferendam conſentiunt, prout olim fiebat liberâ adhuc Republ. Romanâ; vel ſi generaliter in certam perſonam conferunt poteſtatem leges ferendi.*

16. Dividitur etiam Jus in ſcriptum & non-ſcriptum. *Cujus diviſionis hæc eſt ratio, quia omne Jus eſt propoſitio univerſalis, quæ oritur ab intellectu entia practicabilia componente & dividente. Aut ergò civium intellectus practicus ipſe aliquam propoſitionem conſtanter approbat, cujus indicium præbet conſtans quædam operatio; & hinc oritur Jus non-ſcriptum, nullâ indigens ſcripturâ, quâ in memoriam civibus revocetur: aut verò datur propoſitio, quam cives vel planè ignorant, vel circa quam nihil affirmativè aut negativè determinant, vel contrarium factis ſuis declarant, & tunc neceſſe eſt, illam propoſitionem mediante ſcripturâ memoriæ hominum mandari.* Jus ergò ſcriptum eſt, quod ſcripturâ indiget, quò ſervetur in civitate; Jus non-ſcriptum, quod nullâ indiget ſcripturâ.

17. Jus non-ſcriptum aſſvefactione introducitur, quod propriè conſvetudo vocari poteſt. *Nam aſſvefactio facit, ut quid quaſi nobis naturâ inhærens conſtanter ſervetur. Poteſt autem & Jus non ſcriptum introduci duobus vel tribus actibus ad notitiam populi vel civium pervenientibus, quibus cives longo tempore non contradicunt. Quod minus propriè conſvetudo vocatur, & potius facit, ut aliquid non injuſtum quàm Juſtum ſit. Nam tacitus conſenſus civium, quem tacendo declarant, ad minimum facit, ut pro non injuſto quid haberi queat.*

18. Leges ſcriptæ ſunt propoſitiones univerſales, ſub quarũ ſubjectis homines ſingularia ſubſumẽdo faciunt ſyllogiſmũ practicum, cujus concluſio eſt ipſa operatio eorũ. *Nam cùm leges de ſingulis caſibus ferri nequeant, ita tamen ferendæ ſint, ut hiſce omnes caſus dirigi poſſint; alia ratio non ſupereſt, quàm ut conſtituantur propoſitiones univerſales, ſub quarum ſubjectis ſubſumptio fiat.*

19. *Nonnunquam tamen contingit & leges circa certas perſonas ferri, Unde fit quod* Jus legitimum dividatur in reale & perſonale quod privilegium vocari ſolet. Jus reale eſt quod ſimpliciter juſtum eſt. *i. e. conſiſtit in propoſitione aliquâ, ſub cujus ſubjecto quicquid ſumitur ita tractari debet ut & prædicatum inſit. v. g. Civem electum tutorem ſuſcipere tutelam reale Juſtum eſt: regulariter enim omnis, qui ſub*

ſive tutore electo ſumi poteſt, hoc efficere debet, ut & ſibi prædicatum inſit i.e. ut tutelæ adminiſtrationem ſuſcipiat.

20. Jus perſonale eſt quod cùm ſimpliciter non ſit juſtum in hac perſonâ Juſtum eſt, aut cùm ſimpliciter ſit injuſtum in hac perſonâ non injuſtum eſt. v.g. *Licet ſimpliciter ſit injuſtum tutelam delatam repudiare: tamen in profeſſore vel magiſtratum gerente non eſt injuſtum. ita licet creditori mutuum non ſolvere ſit injuſtum, huic tamen vel illi fœneratori qui pecuniam filiofam. fœnori dedit, non ſolvere non injuſtum eſt.*

21. Jura perſonalia oriuntur ex favore & odio. *Id ipſum ex allatis exemplis manifeſtum eſt. Quatenus autem favor & odium legumlatorum ea quæ ſimpliciter juſta ſunt limitare poſſint, patebit ex iis, quæ infrà de Amicitiâ tractaturi ſumus.*

22. Omnes leges à mente quâdam debent eſſe profectæ. *Nam leges continent id quod juſtum eſt; hoc verò eſt opus ſubſtantiæ cujusdam intellectualis, quatenus intellectu prædita eſt: bruta quippe & reliqua intellectu carentia Juſtum operari nequeunt.*

23. Optimæ leges ſunt quæ à prudentiâ quâdam proficiſcuntur. *Nam leges ſunt inſtrumenta quaſi quædam quibus diriguntur actiones humanæ. Prudentia verò virtus quædam intellectualis eſt intellectum practicum perficiens, ut optimè actiones dirigere poſſit. Quâ de causâ & leges à prudentiâ provenientes erunt ad dirigendas actiones accommodatiſſimæ.*

24. Optimæ leges ſalutem & veram felicitatem humanam quærunt ad eamque tendunt. *Quicquid enim à prudentiâ eſt ad verã felicitatem tendit. Prudentia quippe habitus ille eſt, quo vera paratur felicitas. Leges autem optimas à Prudentiâ eſſe præced. num. demonſtravimus.*

CAP. VI.
DE DIVISIONE JUSTITIÆ IN EAM QVÆ IMPERANTIUM ET EAM QVÆ PARENTIUM PROPRIA EST.

1. *Mens humana principium eſt operationum, quæ hominum propriæ ſunt: qualis ergò mens eſt, tales quoq; ſunt hominis operationes. Si mens eſt corrupta, operationes oriuntur vitioſæ: ita quoq; aliter operantur qui ex ſcientiâ & prudentiâ id faciunt, aliter qui ex opinione.*

2. Imperan-

2. Imperantes operantur ex ſuâ ſcientiâ & prudentiâ, parentes ſeu ſubditi ex opinione & prudentiâ non propriâ ſed alienâ. *Id manifeſtum reddere poſſumus ex virtute ducis & gregarii militis. Quid enim facit tantum differre ducem à gregario milite? ſanè utriuſq; eſt, ſuæ vitæ nullam rationem habere, ſed eam, ſi opus eſt, pro patriâ profundere: utrumq; ergò decet fortem eſſe. Quòd ſi ob fortitudinem militibus honor debetur, quare honor tam inæqualis eſt qui iiſdem offertur? Nulla alia eſt ratio, quàm quòd dux ex ſuâ ſcientiâ & prudentiâ exerceat fortitudinem, gregarius miles ex prudentiâ alienâ non propriâ, i. e. ex opinione. Quod namque eligit dux faciendum, hoc miles gregarius bonum eſſe opinatur & ſecundum hoc inſtituit ſuas operationes.*

3. Juſtitia ergò Imperantium eſt virtus cum ſcientiâ & prudentiâ ejus qui operatur conjuncta.

4. Juſtitia parentium virtus eſt cum opinione conjuncta.

5. Hinc ſubditi parendo diſcunt imperare. *Nam opinio bona manuducit ad ſcientiam & prudentiam. (Quod quandoq; demonſtrabo in tractatu de quinque habitibus mentis & bona opinione.) At parére in ſubditis eſt bonam à ſapientibus & prudentibus habere opinionem. Nam ſi τὸ ὅτι ſatis notum ſit, τὸ διότι non diu latére poteſt. Eſt ergò benè parére prudentibus via ad Imperandi artem.*

6. Inde etiam diſcimus Imperantes non ſecundum leges vivere, facere tamen ea quæ legibus ipſi aliis præſcribunt. *Nã ſecundũ leges vivere eſt operari ſecundum opinionem, quòd putemus id honeſtum & juſtum eſſe quod legibus comprehenditur. Imperantes autem ſecundum opinionem non vivunt; Interim quia leges quas ferunt à prudentiâ eorum proficiſcuntur, ipſi autem ſecundum ſuam prudentiam agunt ſingula: faciunt quidem ea, quæ legibus ſunt comprehenſa, non tamen ſecundum leges vivunt, ſed ſecundum ſuam prudentiam.*

7. Vulgus hominum ſecundum Jus legitimum magis vivit quàm ſecundum Jus naturale, niſi per accidens. *Nam vulgus hominum ſapientiâ deſtituitur, nec ſcientiam Juſti & injuſti habet, ſed opinionibus regitur, & legibus quas ſapientes qui ſunt, aut ab eodem pro ſapientibus habentur præſcribunt. His ſi accidit continere id quod naturaliter Juſtum eſt, etiam ex accidente quod Juris naturæ eſt operatur.*

8. *Ex hiſce omnibus colligimus,* Subditorum ſeu parentium Juſtitiam conſiſtere in quâdam opinione bonâ, quam de legibus latis habent, & conſtanti perpetuâque voluntate ſecundum eaſdem operandi. *Hactenus enim demonſtratum eſt, ſubditos quà tales ſecundum leges vivere; & hoc nil aliud eſſe, quàm habere bonam de legibus opinionem.*

9. *Tandem etiam videmus, quomodo, cùm num. 15. dixerimus, ad leges requiri & ſubditorum voluntatem, utriusq; & imperantis & parentis voluntas circa legem conficiendam concurrat. Nam imperans conſentit quia per cauſſas ſcit hoc vel illud ſalutare eſſe & ad felicitatem conferre; parens, quia fidem tribuit bonamque de lege opinionem habet, quod ſalutaris futura ſit. Ubi verò id nō fit, leges inſuſſa herilia tranſeunt. Hinc prudentis legislatoris eſt, adhibitis argumentis dialecticis legibus bonam opinionem conciliare. Quo pacto autem hac ratione formarum Reip. quæ ab optimâ recedunt aliter vel aliter ſe habeant infrà dicendi locus erit.*

CAP. VII.

DE LEGIBUS SUPERIORIBUS ET INFERIORIBUS.

1. Quamvis Imperantium ſit proprium leges præſcribere, ſubditorum ſecundum easdem vivere: coguntur tamen Imperantes nonnunquā concedere ſubditis poteſtatem leges inter ſe condendi. *Nam cùm preter ſocietatem civilem ſocietates parvæ variæ ineantur, nec quid in hisce ſingulis ſalutare ſit legislator ſcire poſſit: concedendum eſt ſingulis parvas easq; vulgò ſalutares ſocietates ineuntibus initiò, quando hoc faciunt, leges mutuo præſcribere, ſervandas ideò, quò his ſocietates directæ eò felicius ſuum finem obtineant.*

2. *Cogimur ergò leges dividere in ſuperiores & inferiores.* Superiores vocamus eas quæ pendent à voluntate Jura Majeſtatis habentis; Inferiores, quas producit voluntas eorum qui Jura Majeſtatis non habent, ſed alterius Imperio vel regimini ſunt ſubjecti.

3. Legum, quas inferiores vocamus, cauſſa eſt quidem ſubditorū voluntas, ſed non quævis. *Nam ſi omnis voluntas ſubditorū ſeu omne id quod ſubditis placet, pro lege haberetur, nullus uſus eſſet legum ſuperiorum, & quilibet viveret pro ſuo arbitrio.*

4. Nulla itaque voluntas privatorum pro lege haberi debet, niſi ab eo, qui legum ferendarum Jurisque condendi poteſtatem habet, ſit approbata. *Vis namq; legis nulli voluntati vel placito ineſſe poteſt, niſi Majeſtas quædam accedat.*

5. Voluntas privatorum duobus modis approbari poteſt, quò vim legum conſequatur, vel ſpecialiter ſi placito privatorum conſenſus ſuperioris accedat; vel generaliter, quando per leges pronunciatur, quænam conventiones vel pacta privatorum vim legum habere

bere debeant. *Sic videmus Jure Romano pacta à Pratore approbari, quando ait:* Pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque adverſus leges, plebiſcita SCta, Edicta principum, neque quò fraus cui eorum fiat, facta erunt, ſervabo *l. 7. §. 7. ff. de Pact. Sic Imperator confirmat teſtamenta jubetq; eadem vim legum habere Nov. 22. c. 2. quando inquit:* Diſponat itaque quisque ſuper ſuis rebus, ut dignum eſt; & eſto lex ejus voluntas. *Hinc etiam lege obvenire dicitur hereditas, quæ ex teſtamento defertur; quia lege XII. tabb. teſtamentariæ hereditates confirmantur l. 130. de Verb. Signif.*

6. Difficile autem eſt in fundamenta inquirere, & per cauſſas demonſtrare, quænam pacta veniant legibus publicis generaliter confirmanda quæ non; nec hoc loco omnia perſequi poſſumus; ſed cogimur pleraq; differre ad tractatũ infrà de commutationibus ſpontaneis. Nunc id tantũ perſequemur, quarum perſonarum & quibus de rebus pacta facta generaliter à legibus publicis approbari poſſint & robur vimq; legum accipere.

7. Non omnium perſonarum voluntatem generaliter pro lege haberi poſſe, vel exinde manifeſtum eſt; quod omnis lex debeat eſſe à mente quâdam cap. 5. n. 22. huj. libr. i. e. à rectâ ratione profecta. At multi ſunt homines, qui uſu rationis deſtituuntur aut eum planè imperfectè habent. quod accidit iisdem vel propter ætatem, velut impuberibus; requiritur enim ad cognitionem rerum & prudentiam parandam experientia multumq; temporis; aliis id evenit ob ſexus imbecillitatem, velut mulieribus; aliis ob morbum corporis, velut furioſis; aliis ob vitium animi, ut prodigis. Horum conventiones & pacta tanquam à mente integrâ non profecta nec pro legibus haberi poſſunt. Quin ejusmodi hominum voluntas ne quidem voluntas eſt, quia voluntas eſt appetitio ex Judicio intellectus orta: at his & ſimilibus hominibus aut nullum ineſt, aut debiliter admodum.

8. Voluntas præterea privati nulla vim legis conſequi poteſt, niſi verſetur circa eas res, quæ quicquid ſunt privatorum ſunt & arbitrio ipſorũ commiſſæ. *Nam quod arbitrio privati commiſſum non eſt, circa id voluntas ejus ſibi relicta nihil diſponere poteſt. Sic nullus civis de vitâ vel libertate amittendâ paciſci poteſt: vivit enim civitati dum ſibi vivit.*

9. Unde colligimus voluntatem privatorũ eam pro lege haberi poſſe, quæ occupata eſt in iis bonis fortunæ, quorum arbitri privati ſunt, qualia ſunt quæ homines liberi acquirunt & invicem permutant. *Nam harum rerum moderatores & arbitri privati ſunt.*

9. Porro quomodo circa ejusmodi bona ineunda ſint pacta vel declaranda voluntates, quò vim legum conſequantur, infrà dicendi locus erit.

neque

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

neque enim quovis modo circa res patrimoniales pacta inita approbanda ſunt.

10. Conventiones ergò circa bona fortunæ initæ inter privatos omnes vel Jus faciunt vel ad minimum, ut aliquid non ſit injuſtum. Jus faciunt quæ legibus approbatæ publicis vim &robur legum habent: *nihil enim à merâ voluntate humanâ profectum Jus eſſe poteſt, niſi vim legis habeat.*

12. Quæ pacta vim legum non habent nec Jus faciunt tolerantur tamen à legibus, & in nudis placiti finibus dicuntur conſiſtere, vocanturque nuda pacta: faciuntque ut aliquid pro non injuſto habeatur. *Solemus enim dicere volenti non fieri injuriam. & ſuprà demonſtratum eſt, id quod homini, prout vult, evenit extra querelas eſſe, & propterea non injuſtum.*

13. Tandem nonnulla pacta legibus rejiciuntur quæ planè invalida ſunt. *v. g. ſi ſint contra bonos mores: hæc enim annullanda ſunt.* ut ita ſuboriantur tres pactorum ſpecies 1. quæ vim legum habent. 2. nuda, facientia tantùm, ut quid pro non injuſto habeatur. 3. invalida, quæ planè nullam vim habent.

14. *Reliqua quæ de pactis & legibus privatorum dicenda ſunt, ſuis locis, ubi commodè per cauſſas cognoſci & demonſtrari poſſunt, tradentur.*

CAP. VIII.

DE DIVISIONE JUSTI ET INJUSTI IN ID QUOD PER SE VEL PER ACCIDENS TALE EST.

1. *Nullus homo Juſtus vel injuſtus dici poteſt, niſi cauſſa per ſe juſti vel injuſti fuerit. adeoque videndum eſt, quid ſit per ſe quid per accidens juſtum vel injuſtum. id quod commodè abſolvetur, ſi in genere dictum fuerit de cauſſâ per ſe & per accidens.*

2. *Quid ſit cauſſa per ſe & per accidens patebit, ſi quid ens per ſe & per accidens ſit, dicamus. Id autem cognoſcitur inde, ſi videamus quid accidens ſit. Hoc namque cognito latére non poterit, quid per accidens dicamus.*

3. *Suprà cap. 5. n. 2. & ſeqq. diximus, aliud ens eſſe neceſſarium aliud contingens, & hoc vel ut plurimum vel rarò vel æqualiter in utramq; partem. Ex quibus probè perpenſis nunc porrò patebit, quid ſit accidens. nim. id propriè accidens eſt,* quod cum altero conjunctum producit

ens contingens vel rarò vel æqualiter in utramque partem. *v.g. reſpectu* fodientis inventio theſauri *eſt accidens*, *quia* fodiens inveniens theſaurum *eſt ens contingens in utramq; partem. At reſpectu* Emptoris obligatio ad precium *non eſt accidens propriè dictum*; *quia* Emptor obligatus ad precium *eſt ens contingens ut plurimum.*

4. *Ens itaq; per accidens dicitur vel illud, quod ex ente & accidenti eſt compoſitũ & nihil aliud eſt, quàm Ens contingens rarò vel æqualiter in utramq; partem; vel quod compoſitum eſt ex duobus eidem accidentibus. v.g.* Homo albus *eſt ens per accidens, quia ens contingens æqualiter eſt, & homini album accidit ineſſe.* Muſicus albus *propterea ens per accidens eſt, quia* Muſicus albus *ens dicitur quòd eidem homini accidat* Muſicum & album *eſſe.*

5. Cauſſa ergò per accidens eſt, ſi vel cauſſa vel cauſſatum eſt ens per accidens. *v.g. ſi accidat jugulanti eſſe poëtam; dicimus poëtam eſſe cauſſã homicidij: ſed per accidẽs jugulans enim cauſſa per ſe eſt homicidii: at quia accidit jugulanti eſſe poëtã, dicim⁹ poëtã cauſſã homicidij eſſe, ſed ut modò dictũ per accidẽs. A parte cauſſati fit, ut quid dicatur alicuj⁹ rei cauſſa per accidens, ſi cauſſato per ſe accidat quiddã. v.g. Miles offendens in acie hoſtem eundem occidit: cauſſatũ per ſe eſt mors hoſtis; ſed huic hoſti accidit patrẽ militis eſſe. Dicitur ergò miles cauſſa parricidij ſed non per ſe, verùm per accidens, quia cauſſato per ſe id tantùm accidit. It Provocatus ad duellum vulnerat pungendo: pungens ergò eſt cauſſa per ſe vulnerati: huic vulnerato accidit, ut negligatur à chirurgo, negligentia chirurgi cauſſa eſt febris, hæc cauſſa eſt mortis: dicitur ergò pungens cauſſa mortis, ſed per accidens, quia vulnerato, cujus cauſſa per ſe eſt, accidit mori: cùm mortis cauſſa per ſe non ſit vulnus.*

6. Hæc nunc ad Juſtum & injuſtum applicantes, dicimus, hominem non quatenus animal eſt aut corpus, aut bipes cauſſam injuſti eſſe; ſed quatenus mentem ſeu intellectum habet: *ob hoc enim homo dicitur Juſtus & injuſtus, cætera autem animalia nec Juſta nec injuſta ſunt, ut adeò Juſtum hic contemplari poſſimus velut affectionem motus & quietis in aliquam ſubſtantiam mobilem & intellectualem quatenus intellectu prædita eſt cadentis.*

7. Injuſtum duplex eſt aliud commiſſionis aliud omiſſionis. *Nam injuſtum eſt quiddam quod quietam vel motum alicujus ſubſtantiæ intellectualis malũ reddit. Omiſſio quædam quietis; Commiſſio quædam motus ſpecies eſt.* Itaque videndum erit, quomod homo fiat cauſſa per ſe injuſti cùm ejus quod in committendo tum ejus quod in omittendo conſiſtit.

8. Injuſtum commiſſionis conſiſtit in operatione quâdam, hæc verò, uti modò dictum, eſt quidam motus porveniens à ſubſtan-

tia

tiâ intellectuali quatenus intellectualis eſt. *Quamobrem neceſſe eſt hominem tunc cauſſam injuſti per ſe eſſe,* quando in eodem eſt principium motus ſeu operationis verſantis in iis, quæ homo ille ſcit aut ſcire poterat vel debebat. *v.g. Titius vulnerat pedem equi quo in itinere Mævius utitur: emergit inde damnum Mævio 1. quòd pes equi ſit vulneratus. 2. quòd impediatur in itinere: illud ſcit Titius quando vulnerat, hoc ſcire debebat ratiocinando, ſi vulneratus fuerit equus, Mævium impeditum iri. Totius ergò injuſti quod Mævius patitur cauſſa per ſe Titius eſt.*

9. Injuſti in omiſſione conſiſtentis cauſſa per ſe is eſt; qui vel facultate operandi inſtructus eſt & non operatur id, ad quod de jure obſtringitur, vel cauſſa ipſe ſibi impotentiæ eſt, quòminus operari poſſit; vel cùm ſciat aut ſcire debeat, ſe facultatem operandi non habere aut nō habiturum eſſe eo tempore, quo operandum eſt, nihilominus tale quippiam facere ſubit, ad quod ea requiritur. *Hiſce enim omnibus in caſibus id ob quòd injuſtum eſt ipſi per ſe & non ex accidenti ineſt.*

10. Contrà is per accidens tantùm cauſſa injuſti in omiſſione conſiſtentis eſt, qui nec facultatem operandi habet, nec quominus habeat ipſe ſibi cauſſa eſt, nec ſcit aut ſcire poteſt, ſe eam non habere aut non habiturum eſſe quando opus erit in negotio quod ſuſcipit. *Huic enim neceſſe eſt externum quiddam accidere, quod cauſſa omiſſionis ſit. Et per conſequens ipſe Injuſti tantùm cauſſa per accidens erit.*

CAP. IX.
DE ÆQUITATE.

1. *Æquitas ſolet Juri contradiſtingui imò opponi. Si autem quod bono & Juſto opponitur malum eſt & injuſtum: videtur æquitas mala & injuſta. Sed contra deprehendimus, æquitatem communiter. Juri præferri. Sequetur ergò Jus non usquequaq; bonum eſſe. Nam quod bono opponitur non poteſt omnimodo bonum eſſe. An ergò Jus aliquando malum eſt? Videtur hoc ſtatuere commune dicterium,* ſummum Jus ſumma ſępè injuria. *Quòd ſi hujus rei cauſſam ex naturâ Juſti ſuprà traditâ inveſtigaverimus, indicium erit, naturam æquitatis nos benè ſpeculatos eſſe.*

2. *Juſtum cap. 5. diviſimus in naturale & legitimum: unde ſequetur æquitatem vel Juri naturæ vel Juri legitimo oppoſitam eſſe. Videndum ergò ratione utriusq; eſt, quid ſit æquitas. Juſta naturalia diximus eſſe entia contingentia utplurimum, quæ, quà talia, ſunt neceſſaria, ob acciden-*

tia autem, quæ contingunt ſubjectis, quandoque aliter ſe habent. Unde colligimus, quia æquitas eſt quiddam quod Jus naturale immutat eam in accidentibus conſiſtere quæ faciunt Jus naturale ſe aliter habere. *Id quomodo ſe habeat videndum porrò erit.*

3. *Sed ſi æquitas in accidentibus conſiſtit, quomodo dabitur ejus ſcientia? Nam accidentium utpote indefinitorum & indeterminatorum nulla ſcientia eſt. Æquitatis autem dari aliquam ſcientiam vel inde colligitur, quòd alias fruſtrà daremus operam Jurisprudentiæ, quæ ars quædam boni & æqui eſt, teſte Ulpiano l. 1. pr. ff. de Juſtitiâ & Jur. Eſt ergo & hæc difficultas & obſcuritas ſuperanda.*

4. *Ut dubia propoſita reſolvamus, & paullò accuratius, quàm communiter fieri ſolet, in naturam æquitatis inquiramus, petimus rurſus exordium à naturâ ſubjectorum, quibus juſta & injuſta inſunt quæ contemplamur.* Suprà diximus, Juſtum & bonum in ſolo DEO ſubſtantiam eſſe, in ſubſtantiis verò intellectualibus mobilibus, quales ſunt homines, qualitatem tantùm quandam & accidens. Subjecta ergò juſtorum, quia mobilia & materiata ſunt, poſſuntque aliud atque aliud accidens recipere, quod naturam prioris accidentis & cauſarum ejusdem deſtruit atque evertit: in iisdem juſta fiunt mutabilia. *v. g. Depoſitarius obligatus eſt ad reddendum depoſitum; Res depoſita eſt reddenda; Depoſitarius Jure depoſitum quandocunque vult repetere poteſt. Sed accidere poteſt, ut is qui depoſitarius eſt deſinat eſſe depoſitarius, vel res depoſita deſinat eſſe depoſita v. g. ſi accidat deponentem deportari, efficit hoc accidens, ut res depoſita deſinat eſſe depoſita & fiat fiſci. Deſtructo ergò eo, ob quod res depoſita reſtituenda venit, ſequitur & ceſſare hoc eſſe* quiddam reſtituendum. *Nam quod fiſco reddendum eſt injuſtè reſtituitur alii cuidam.*

5. Principium ergò æquitatis eſt accidens quoddam immutans & deſtruens cauſſam alicujus juſti vel injuſti in ſubjecto, cui illa cauſſa inhæret; conſiſtit tamen in affectione quâdam, cujus cauſſa per ſe illud accidens eſt à quo principium petit. *v. g. Rem depoſitam reddi, ſtricti Juris eſt, eam aliquando non reddi, æquitatis. quare? quia accidat depoſitarium deportari; (hoc, quod reſpectu depoſitarii eſt accidens, fit principium æquitatis) deportatio cauſſa per ſe eſt amiſſionis bonorum depoſitarii & quod res depoſita ejus eſſe deſinat incipiatque fiſci eſſe. Et ita in omnibus ſeſe habet.* Unde patet æquitatem quæ Jus naturale corrigit eſſe quoddam naturaliter Juſtum, cujus principium & cauſſa per ſe eſt accidens deſtruens cauſſam alterius Juſti. *Similiter ſe res habet in Injuſto.*

6. Æquitas ergò quodammodo ſub ſcientiam cadit, quodam-

D modo

modo non. *Nam noſſe accidentia quæ deſtruunt cauſſam Juſti vel injuſti in quâlibet perſonâ & re, quibus juſtum vel injuſtum ineſt, ex numero eorum eſt quæ fieri nequeunt. At noſſe cujus juſti vel injuſti cauſſa per ſe ſit illud, quod reſpectu ſubjecti accidens eſt, id ejus eſt qui Jura naturalia ſcit.*

7. *Ex hisce quoq; dubium num 1. huj. cap. propoſitum decidere poſſum 9. Quærebatur, quomodo æquitas ſit juſta, juſtum tamen corrigat, & quomodo Juſtum ſit bonum, cùm correctione indigeat. R. demus, Juſtum quà tale ſemper manere juſtum & bonum. v. g. ſemper Juſtum eſt rem depoſitam reddendam eſſe. At eandem rem quæ depoſita eſt quandoq; non eſſe reddendam, eſt ex accidenti, faciente ut res depoſita pro depoſitâ amplius haberi nequeat, quodq; cauſſa per ſe eſt, ut res ad fiſcum pertineat, & propterea eidem reſtituatur. Non ergò æquitas ipſum juſtum tollit, ſed circa eandem rem vel eaſdem perſonas aliud jus introducit. Eſt ergò juſtum naturale perpetuò juſtum & bonum, & æquitas quoque juſta & bona eſt, quod verò Jure ſtricto melior ſit, & Jus ſtrictum & ſummum ſumma dicatur ſæpè eſſe injuria, inde eſt, quia ſi dato accidenti quod cauſſam Juris ſtricti tollit & cauſſa per ſe eſt alterius juſti in iiſdem perſonis & rebus, nihilominus velis Juri illi ſtricto inhærere; neceſſe eſt te injuſtum committere.*

8. *Reſtat declarandum, quomodo æquitas corrigat Jus legitimum. Videtur etenim hic emergere difficultas; quia docuimus Jura naturalia per æquitatem propterea corrigi quod ſint entia contingentia utplurimùm: & ſuperius cap. 5. differre Jus legitimum à naturali tradidimus, quod ſit entium contingentium æqualiter.*

9. Notandum ergò, entia Juſta, quorum eſt Jus legitimum, antequam legibus approbentur, contingere æqualiter, at poſtquam legibus approbata ſunt ex inſtituto & placito legislatoris itidem pro entibus contingentibus utplurimum habenda eſſe. *Quâ de cauſſâ & leges ſunt propoſitiones de contingenti ut plurimum. v. g. Exceptiones in Judicio verbis ore prolatis Judici proponi eſt contingens æqualiter! quia non magis Juſtum eſt, ut eaſdem verbis non ore prolatis ſed in ſcripturam redactis in Judicium deduci. At poſtquam legislatori placuit, alteram hujus contingentis partem determinare, juſſitque, omnes exceptiones in Judicio verbis ore prolatis proponi, fit ex inſtituto legislatoris hæc propoſitio contingens utplurimum. At quomodo? nim. inſpicienda eſt ratio quæ movit legumlatorem ita rem determinare. Hâc enim cauſâ durante ſemper & Juſtum hoc legitimum manebit: niſi liberrimè legislator iterum voluntatem mutarit.*

10. Inde diſcimus æquitatem pariter ſe habere circa Jus legitimum

timum, ac circa naturale. *Nam ſi accidens aliquod tollat rationem alicujus legis, ſitque vel Jure naturæ vel alio quodam cauſſa alicujus diverſi juris: erit hoc accidens principium æquitatis quâ emendatur Jus legitimum. Et tale quippiam æquitas naturalis eſt. Aquâ diverſa videtur æquitas in Jure ſingulari fundata. De quâ quid ſit dicetur infrà, quando materiam de exceptionibus contemplaturi ſumus.*

CAP. X.

DE VI JURIS LEGUMQVE VIRTUTIBUS.

1. *Sequitur nunc commodè, ut dicamus de Juris cùm naturalis tùm legitimi vi, legumque virtutibus.* Juris omnis hęc vis eſt ut obliget. Eſt autem obligare, libero homini neceſſitatem imponere aliquid alterius gratiâ agendi, patiendi vel omittendi. *Et hinc* obligatio activè ſumpta *definiri poteſt*, impoſitio neceſſitatis quæ contingit in libero homine, ut alterius gratiâ vel operetur vel ab aliquâ operatione quieſcat & abſtineat; Paſſivè *autem ſumpta* obligatio *definiri poteſt* neceſſitas libero homini impoſita &c. *ita enim accipimus vocabulum, quando dicimus, Contractus parere obligationes: Quare verò Juris affectio ſit obligare, exinde colligere licet; Nulla namque neceſſitas libero homini imponi poteſt, ut aliquid alterius gratiâ faciat, quia quicquid eſt ſui cauſſa eſt, niſi quatenus alicujus ſocietatis humanæ pars eſt: in ſocietate enim vivens dum alteri operatur ſibi operatur: tenentur enim qui cum ipſo in ſocietate ſunt rurſus hujus gratiâ operari. Si ergò neceſſitas alterius gratiâ operandi homini libero non aliter quàm in ſocietate viventi imponi poteſt, & Jus illud eſt quod conſervat dirigitque ſocietates humanas, id quod cap. 1 num. 1. poſuimus: ſequitur Juris proprium eſſe, neceſſitatem alterius gratiâ operandi libero homini imponere. i. e. obligare.*

2. *At quomodo Jus imponit neceſſitatem liberis hominibus operandi eorum gratiâ cum quibus in ſocietate vivunt? Dico* hanc neceſſitatem ſimplicem non eſſe; *hæc namque velut ſervorum propria ex libero homine ſervum redderet;* ſed talem quę ducit hominem, ut tandem ab injuſtis abſtineat & ultrò faciat quę juſta ſunt. *Nam Juſtitia virtus eſt, & an quis juſtè vel injuſtè operetur ex electione liberâ cujusque cognoſcitur. Si ad id nunquam perduci quis poteſt, pro libero habendus homine non eſt, ſed eo qui perpetuæ ſervituti ſubjiciendus eſt. Hinc ſuprà diximus liberum hominem propterea parére, ut parendo diſcat imperare & ultrò facere quæ virtuoſum hominem decent.*

noſtrum ergò erit paulò accuratius in naturæ Jus, quid ſit & quomodo à voluntario ſeu legitimo differat, inquirere.

2. *Initium contemplationis facturi ſumus inde; ut inquiramq qualia juſta & injuſta ſint entia.* Notum eſt omne ens vel neceſſarium eſſe vel contingens. Ens neceſſarium propriè ſumptum eſt quod ſe aliter habere nequit. *v. g. Homo rationalis eſt ens neceſſarium; quia impoſſibile eſt, illud ſe aliter habere i. e. dari hominem qui non habeat intellectum ſeu facultatem animæ ratiocinativam.*

3. Contingentia alia ſunt ut plurimùm alia rarò, alia in utramq; partem ſe æqualiter habentia. *Contingentia ut plurimum ſunt v. g. vita hominis centum annis incluſa; virgo carens lacte, &c. Contingentia rarò v. g. virgo lac habens: Contingentia æqualiter v. g. Geometra poeta, Muſicus grammaticus.*

4. Contingentia ut plurimum quodammodo neceſſaria ſunt: *habent enim ſemper ſe ita & non aliter, modo ſubſtantia ſeu ſubjecta ſuam naturam retineant; aliter autem ſe habent quandoque non propter ſe ſed propter alia, accidentia nimirum.*

5. Juſta & injuſta humana quæ naturalia ſunt nec neceſſaria entia ſunt nec contingentia æqualiter. *Contingentia æqualiter non ſunt: aliàs enim per ſuas cauſſas cognoſci non poſſent. Nam cauſſæ contingentium æqualiter certæ & ſtabiles nullæ ſunt. Ergò intellectus nihil determinare in his poteſt. Neceſſaria non ſunt Juſta humana: ſed ſi inter angelos bonos Jus intercedit, ut videtur ex ſcriptum ſacra probari poſſe, hoc fortaſſe neceſſarium quid erit. Homo ſubſtantia mobilis eſt & mutabilis eidemq; varia accidere poſſunt quæ naturam qualitatum ipſius immutant.*

6. Juſta & injuſta naturalia quæ contemplamur ſunt entia contingentia ut plurimum. *Nam ſi non ſunt entia neceſſaria aut contingentia æqualiter, multò minus rarò, velut ex num. præc. apparet: neceſſe eſt contingentia ut plurimum eſſe. Et ſanè ſi quæ juſta ſunt intuemur & his proprietates contingentium num. 4. traditas applicamus, deprehendimus reverà ita eſſe. Entia Juſta ſunt v. g. Depoſitarius obligatus ad reddendum quovis tempore depoſitum* item *Emptor obligatus ad ſolvendū precium, &c. Hæc entia ſemper ita ſe habent & non aliter, quà ſcil. talia & quatenus accidentia cauſſarum, ob quæ ita ſunt, ſubſtantiam & naturam non deſtruunt. v. g. Depoſitarius, quà talis, ſemper eſt obligatus ad reddendum depoſitum, nec aliter ſe habet: at ſi accidat eum jam rem reſtituiſſe, aut ſi accidat rem depoſitam evaſiſſe talem, quæ reſtitui nemini niſi Imperatori poſſit, quod fit, ſi depoſitarius deportatus ſit in Inſulam, aut ſi accidat depoſitarium eſſe talem, cui ipſi nil reſtitui poſſit v. g. ſi factus ſit furioſus, tunc ens hoc depoſitarius obligatus aliter ſe habet, fitq; depoſitarius non obli-*

obligatus. Sic injuſtum ens eſt frater habens uxorem ſororem & hoc perpetuò ſe ita habet, quà tale; ſed ſi accidat humanum genus aliâ ratione propagari non poſſe, ſit frater ducens ſororem aliquid non injuſtum & ita ſe aliter habet.

7. *Ex his quid Jus naturæ ſit intelligere poſſumus. Nim.* omnes propoſitiones quæ entia juſta contingentia ut plurimum dicunt ſunt Juris naturæ. *Conſiſtitque adeò Jus naturæ in propoſitionibus quæ dicunt contingentia ut plurimum in rebus juſtis & injuſtis: Nam qualia ſunt entia tales & ſunt propoſitiones, quæ illa dicunt: Si entia ſunt neceſſaria per propoſitiones neceſſarias dicuntur; ſi contingentia, per contingentes. Neque enim cum vulgo Logicorum exiſtimandum eſt à voculis neceſſe, contingit &c. petendum, quæ propoſitiones neceſſariæ vel contingentes ſint. Quod aliquando clarius dicam in tractatu de parandâ bonâ opinione & quinque habitibus mentis.*

8. *Hoc juſtum Philoſophis, qui ipſa entia ſpeculantur & ſingula ex ſuis cauſſis demonſtrant, Jus naturæ dicitur, & id etiam reverà eſt. Dialectici verò, quibus propoſitiones illæ, quas vel omnes homines aut pleriq; vel ſapientes omnes aut plerique aut horum præcipui ſtatuunt veras, pro principiis ſunt, ex quibus ratiocinando progrediuntur, id Juris naturæ eſſe definiunt,* quod non heri aut nudius tertius natum, ſed cum univerſo hominum genere proditum ab omnibus gentibus propterea hactenus obſervatum eſt.

9. Qui ergò in veriſimilibus ſubſiſtentes ipſas res non ex ſuis cauſſis ſpeculantur JCti Romani in determinando Jure naturæ inſpiciunt ſocietatem univerſalem omnium hominum, qualis ea fuit antequam civitates conditæ eſſent, & quod tunc obtinuit Juris naturæ pronunciant. Sed hoc principium dialecticum multis cum erroribus conjunctum eſt. *Quanquam enim ejusmodi principium nos ducat ad veriſimile, non tamen quid reverà Juris naturæ ſit inde haurire poſſumus; ſed quemadmodum reliqua dialectica principia quandoq; nos fallunt, ita & hoc. Quod hic fieri exinde patet; quia quid Juris naturæ ſit non ex imperfectâ aliquâ ſocietate, qualis erat olim gentium, ſed ex perfectiſſimâ, civitate nim. petendum eſt. Natura namque ad perfectiſſimum tendit & in perfectiſſimo conſiſtit.* Redimus ergò ad hoc, ea Juris naturæ eſſe, quæ Juſtitia univerſalis & particularis, eaque cum diſtributivatum correctiva dictitant i. e. quæ ex principiis *præcedd. capp.* traditis firmis demonſtrationibus deducuntur.

10. *Videamus nunc porrò quid ſit Jus voluntarium, quod Ariſtoteles legitimum vocat. Ubi initio monendum cenſemus, accidere Juri naturæ, ut legibus quidem comprehendatur, propterea tamen non legitimum*

eſſe.

Digitized by Google

eſſe. Id enim hic vocamus legitimum, quod Juſtum non eſſet, niſi legibus comprehenderetur, quod propterea poſitivum communiter appellatur.

11. *His poſitis dico,* Juſta legitima propriè eſſe entia contingentia in utramque partem, id eſt talia quæ æquè Juſta ac injuſta eſſe poſſunt, ſed voluntate legislatoris determinantur & Juſta vel injuſta fiunt. *v.g. colere Deum naturaliter Juſtum eſt; hoc autem vel illo loco, his vel illis ceremoniis verbo divino non preceptis id facere, nec juſtum nec injuſtum eſt, niſi poſtquam ab Eccleſia eſt determinatum. Nonnunquam & contingens raro tranſit in Jus legitimum v.g. Mutuantem non obligatum eſſe ad ſolvendum mutuum eſt contingens raro. Interim circa filium fam. legibus Romanis introductum eſt. Quâ ratione verò hoc fiat paullò inferius explicabitur.*

12. Pendet ergò Jus legitimum à Voluntate humanâ. *Nam volenti dicimus injuriam non fieri; & quod quisq; vult, ſi hoc conſequitur aut juſtum eſt aut non injuſtum. Quemadmodum enim naturaliter Juſtum eſt quod tollit querelas & facit, neminem conqueri poſſe ob non ſervatũ proportionem & æqualitatem: ita quod ſecundum voluntatem alicujus fit anſam conquerendi ipſi adimit. Sic ſi populus in principem poteſtatem confert, ut quicquid ipſi placuerit Juſtum ſit, conqueri non poteſt, ſi leges ille conficiat qualescunque, modò cum Jure naturæ non pugnent.*

13. Cujusque hominis voluntas ab eodem declarata circa res quæ juſti & injuſti particularis capaces ſunt vel juſtum vel ad minimum non injuſtum quid eſſe facit. *Quod namq; quis vult hoc bonum eſt eidem, & hoc ſi obtineat conqueri nequit. Hinc quicquid quis circa bona fortunæ ſibi contingere & evenire vult id non injuſtum eſt. In his autem Juſtum particulare occupatum eſt.*

14. *Ex præmiſſis demonſtrare poſſumus, quare* Jus naturale ſit immutabile, legitimũ verò ſeu voluntariũ mutabile. *Nam entia contingentia ut plurimũ quà talia ſemper permanent, quemadmodum neceſſaria. Contingentia autem in utramq; partẽ nullã ſtabilem cauſſam habent, & proinde aliter atq; aliter ſe habere poſſunt, prout legislatores voluntatem mutant. (Qui ex principiis dialecticis quid naturaliter juſtum ſit petunt; propterea Jus naturale immutabile dicunt, quia non facilè fieri poſſit, ut quod omnes homines aut pleriq; aut qui præ cæteris rectâ ratione utuntur deſinant facilè ita opinari; ea autem Jura quæ in quâq; civitate introducta ſunt dependere ab unius civitatis arbitrio, civesque facilè convenire de abrogandis iisdem poſſe.)*

15. Jus legitimum ex voluntate ſubditorum non eſt injuſtum & hoc ipſo quòd lex fiat voluntate ſubditorum, juſſus herilis etiam ipſis invitis & nullâ voluntatis eorundem ratione habitâ, lex & juſſus herilis

herilis differunt. *Nam quod in volentes ſtatuitur injuſtum non eſt, nec de eo conqueri poſſunt: quod verò invitis imponitur ſervile eſt. ut ergò aliquid lex ſit & præceptum liberis hominibus præſcriptum, neceſſe eſt & eorū voluntatem accedere. Fit autem hoc duobus modis, vel ſi in ſpecie in legem aliquam ferendam conſentiunt, prout olim fiebat liberâ adhuc Republ. Romanâ; vel ſi generaliter in certam perſonam conferunt poteſtatem leges ferendi.*

16. Dividitur etiam Jus in ſcriptum & non-ſcriptum. *Cujus diviſionis hæc eſt ratio, quia omne Jus eſt propoſitio univerſalis, quæ oritur ab intellectu entia practicabilia componente & dividente. Aut ergò civium intellectus practicus ipſe aliquam propoſitionem conſtanter approbat, cujus indicium præbet conſtans quædam operatio; & hinc oritur Jus non-ſcriptum, nullâ indigens ſcripturâ, quâ in memoriam civibus revocetur: aut verò datur propoſitio, quam cives vel planè ignorant, vel circa quam nihil affirmativè aut negativè determinant, vel contrarium factis ſuis declarant, & tunc neceſſe eſt, illam propoſitionem mediante ſcripturâ memoriæ hominum mandari.* Jus ergò ſcriptum eſt, quod ſcripturâ indiget, quò ſervetur in civitate; Jus non-ſcriptum, quod nullâ indiget ſcripturâ.

17. Jus non-ſcriptum aſſvefactione introducitur, quod propriè conſvetudo vocari poteſt. *Nam aſſvefactio facit, ut quid quaſi nobis naturâ inhærens conſtanter ſervetur. Poteſt autem & Jus non ſcriptum introduci duobus vel tribus actibus ad notitiam populi vel civium pervenientibus, quibus cives longo tempore non contradicunt. Quod minus propriè conſvetudo vocatur, & potius facit, ut aliquid non injuſtum quàm Juſtum ſit. Nam tacitus conſenſus civium, quem tacendo declarant, ad minimum facit, ut pro non injuſto quid haberi queat.*

18. Leges ſcriptæ ſunt propoſitiones univerſales, ſub quarū ſubjectis homines ſingularia ſubſumēdo faciunt ſyllogiſmū practicum, cujus concluſio eſt ipſa operatio eorū. *Nam cum leges de ſingulis caſibus ferri nequeant, ita tamen ferendæ ſint, ut hiſce omnes caſus dirigi poſſint; alia ratio non ſupereſt, quàm ut conſtituantur propoſitiones univerſales, ſub quarum ſubjectis ſubſumptio fiat.*

19. *Nonnunquam tamen contingit & leges circa certas perſonas ferri, Unde fit quod* Jus legitimum dividatur in reale & perſonale quod privilegium vocari ſolet. Jus reale eſt quod ſimpliciter juſtum eſt. *i. e. conſiſtit in propoſitione aliquâ, ſub cujus ſubjecto quicquid ſumitur ita tractari debet ut & prædicatum inſit. v. g. Civem electum tutorem ſuſcipere tutelam reale Juſtum eſt: regulariter enim omnis, qui ſub*

ſive tutore electo ſumi poteſt, hoc efficere debet, ut & ſibi prædicatum inſit i.e. ut tutelæ adminiſtrationem ſuſcipiat.

20. Jus perſonale eſt quod cùm ſimpliciter non ſit juſtum in hac perſonâ Juſtum eſt, aut cùm ſimpliciter ſit injuſtum in hac perſonâ non injuſtum eſt. *v.g. Licet ſimpliciter ſit injuſtum tutelam delatam repudiare: tamen in profeſſore vel magiſtratum gerente non eſt injuſtum. ita licet creditori mutuum non ſolvere ſit injuſtum, huic tamen vel illi fœneratori qui pecuniam filiofam fœnori dedit, non ſolvere non injuſtum eſt.*

21. Jura perſonalia oriuntur ex favore & odio. *Idipſum ex allatis exemplis manifeſtum eſt. Quatenus autem favor & odium legumlatorum ea quæ ſimpliciter juſta ſunt limitare poſſint, patebit ex iis, quæ infrà de Amicitiâ tractaturi ſumus.*

22. Omnes leges à mente quâdam debent eſſe profectæ. *Nam leges continent id quod juſtum eſt; hoc verò eſt opus ſubſtantiæ cujuſdam intellectualis, quatenus intellectu prædita eſt: bruta quippe & reliqua intellectu carentia Juſtum operari nequeunt.*

23. Optimæ leges ſunt quæ à prudentiâ quâdam proficiſcuntur. *Nam leges ſunt inſtrumenta quaſi quædam quibus diriguntur actiones humanæ. Prudentia verò virtus quædam intellectualis eſt intellectum practicum perficiens, ut optimè actiones dirigere poſſit. Quâ de cauſâ & leges à prudentiâ provenientes erunt ad dirigendas actiones accommodatiſſimæ.*

24. Optimæ leges ſalutem & veram felicitatem humanam quærunt ad eamque tendunt. *Quicquid enim à prudentiâ eſt ad verã felicitatem tendit. Prudentia quippe habitus ille eſt, quo vera paratur felicitas. Leges autem optimas à Prudentiâ eſſe præcedenum demonſtravimus.*

CAP. VI.

DE DIVISIONE JUSTITIÆ IN EAM QVÆ IMPERANTIUM ET EAM QVÆ PARENTIUM PROPRIA EST.

1. *Mens humana principium eſt operationum, quæ hominum propria ſunt: qualis ergò mens eſt, tales quoq; ſunt hominis operationes. Si mens eſt corrupta, operationes oriuntur vitioſæ. ita quoq; aliter operantur qui ex ſcientiâ & prudentiâ id faciunt, aliter qui ex opinione.*

2. Imperan-

2. Imperantes operantur ex ſuâ ſcientiâ & prudentiâ, parentes ſeu ſubditi ex opinione & prudentiâ non propriâ ſed alienâ. *Id manifeſtum reddere poſſumus ex virtute ducis & gregarii militis. Quid enim facit tantum differre ducem à gregario milite? ſanè utrimq; eſt, ſuæ vitæ nullam rationem habere, ſed eam, ſi opus eſt, pro patriâ profundere: utrumq; ergò decet fortem eſſe. Quòd ſi ob fortitudinem militibus honor debetur, quare honor tam inæqualis eſt qui iisdem offertur? Nulla alia eſt ratio, quàm quòd dux ex ſuâ ſcientiâ & prudentiâ exerceat fortitudinem, gregarius miles ex prudentiâ alienâ non propriâ i. e. ex opinione. Quod namque eligit dux faciendum, hoc miles gregarius bonum eſſe opinatur & ſecundum hoc inſtituit ſuas operationes.*

3. Juſtitia ergò Imperantium eſt virtus cum ſcientiâ & prudentiâ ejus qui operatur conjuncta.

4. Juſtitia parentium virtus eſt cum opinione conjuncta.

5. Hinc ſubditi parendo diſcunt imperare. *Nam opinio bona manuducit ad ſcientiam & prudentiam. (Quod quandoq; demonſtrabo in tractatu de quinque habitibus mentis & bona opinione.) At parére in ſubditis eſt bonam à ſapientibus & prudentibus habere opinionem. Nam ſi τὸ ὅτι ſatis notum ſit, τὸ διότι non diu latére poteſt. Eſt ergò benè parére prudentibus via ad Imperandi artem.*

6. Inde etiam diſcimus Imperantes non ſecundum leges vivere, facere tamen ea quæ legibus ipſi aliis præſcribunt. *Nã ſecundũ leges vivere eſt operari ſecundum opinionem, quòd putemus id honeſtum & juſtum eſſe quod legibus comprehenditur. Imperantes autem ſecundum opinionem non vivunt; Interim quia leges quas ferunt à prudentiâ eorum proficiſcuntur, ipſi autem ſecundum ſuam prudentiam agunt ſingula: faciunt quidem ea, quæ legibus ſunt comprehenſa, non tamen ſecundum leges vivunt, ſed ſecundum ſuam prudentiam.*

7. Vulgus hominum ſecundum Jus legitimum magis vivit quàm ſecundum Jus naturale, niſi per accidens. *Nam vulgus hominum ſapientiâ deſtituitur, nec ſcientiam Juſti & injuſti habet, ſed opinionibus regitur, & legibus quas ſapientes qui ſunt, aut ab eodem pro ſapientibus habentur præſcribunt. His ſi accidit continere id quod naturaliter Juſtum eſt, etiam ex accidente quod Juris naturæ eſt operatur.*

8. *Ex hiſce omnibus colligimus,* Subditorum ſeu parentium Juſtitiam conſiſtere in quâdam opinione bonâ, quam de legibus latis habent, & conſtanti perpetuâque voluntate ſecundum eaſdem operandi. *Hactenus enim demonſtratum eſt, ſubditos quà tales ſecundum leges vivere; & hoc nil aliud eſſe, quàm habere bonam de legibus opinionem.*

9. Tandem etiam videmus, quomodo, cùm num. 15. dixerimus, ad leges requiri & ſubditorum voluntatem, utriusq; & imperantis & parentis voluntas circa legem conficiendam concurrat. Nam imperans conſentit quia per cauſſas ſcit hoc vel illud ſalutare eſſe & ad felicitatem conferre; parens, quia fidem tribuit bonamque de lege opinionem habet, quod ſalutaris futura ſit. Ubi verò id nō fit, leges in juſſa herilia tranſeunt. Hinc prudentis legislatoris eſt, adhibitis argumentis dialecticis legibus bonam opinionem conciliare. Quo pacto autem hæc ratione formarum Reip. quæ ab optimâ recedunt aliter vel aliter ſe habeant infrà dicendi locus erit.

CAP. VII.

DE LEGIBUS SUPERIORIBUS ET INFERIORIBUS.

1. Quamvis Imperantium ſit proprium leges præſcribere, ſubditorum ſecundum easdem vivere: coguntur tamen Imperantes nonnunquã concedere ſubditis poteſtatem leges inter ſe condendi. *Nam cùm preter ſocietatem civilem ſocietates parvæ variæ ineantur, nec quid in hisce ſingulis ſalutare ſit legislator ſcire poſſit: concedendum eſt ſingulis parvas easq; vulgò ſalutares ſocietates ineuntibus initiò, quando hoc faciunt, leges mutuo præſcribere, ſervandas adeò, quò his ſocietates directæ eò felicius ſuum finem obtineant.*

2. *Cogimur ergò leges dividere in ſuperiores & inferiores.* Superiores vocamus eas quæ pendent à voluntate Jura Majeſtatis habentis; Inferiores, quas producit voluntas eorum qui Jura Majeſtatis non habent, ſed alterius Imperio vel regimini ſunt ſubjecti.

3. Legum, quas inferiores vocamus, cauſſa eſt quidem ſubditorũ voluntas, ſed non quævis. *Nam ſi omnis voluntas ſubditorũ ſeu omne id quod ſubditis placet, pro lege haberetur, nullus uſus eſſet legum ſuperiorum, & quilibet viveret pro ſuo arbitrio.*

4. Nulla itaque voluntas privatorum pro lege haberi debet, niſi ab eo, qui legum ferendarum Jurisque condendi poteſtatem habet, ſit approbata. *Vis namq; legis nulli voluntati vel placito ineſſe poteſt, niſi Majeſtas quædam accedat.*

5. Voluntas privatorum duobus modis approbari poteſt, quò vim legum conſequatur, vel ſpecialiter ſi placito privatorum conſenſus ſuperioris accedat; vel generaliter, quando per leges pronunciatur, quænam conventiones vel pacta privatorum vim legum habere

bere debeant. *Sic videmus Jure Romano pacta à Prætore approbari, quando ait:* Pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque adverſus eges, plebiſcita SCta, Edicta principum, neque quò fraus cui eorum fiat, facta erunt, ſervabo *l. 7. §. 7. ff. de Pact. Sic Imperator confirmat teſtamenta jubetq; eadem vim legum habere Nov. 22. c. 2. quando inquit:* Diſponat itaque quisque ſuper ſuis rebus, ut dignum eſt; & eſto lex ejus voluntas. *Hinc etiam lege obvenire dicitur hereditas, quæ ex teſtamento defertur; quia lege XII. tabb. teſtamentariæ hereditates confirmantur l. 130. de Verb. Signif.*

6. *Difficile autem eſt in fundamenta inquirere, & per cauſſas demonſtrare, quænam pacta veniant legibus publicis generaliter confirmanda quæ non; nec hoc loco omnia perſequi poſſum9; ſed cogimur pleraq; differre ad tractatũ infrà de commutationib9 ſpontaneis. Nunc id tantũ perſequemur, quarum perſonarum, & quibus de rebus pacta facta generaliter à legibus publicis approbari poſſint & robur vimq; legum accipere.*

7. *Non omnium perſonarum voluntatem generaliter pro lege haberi poſſe, vel exinde manifeſtum eſt; quod omnis lex debeat eſſe à mente quâdam cap. 5. n. 22. huj. libr. i. e. à rectâ ratione profectâ. At multi ſunt homines, qui uſu rationis deſtituuntur aut eum planè imperfectè habent. quod accidit iiſdem vel propter ætatem, velut impuberibus: requiritur enim ad cognitionem rerum & prudentiam parandam experientia multumq; temporis; aliis id evenit ob ſexus imbecillitatem, velut mulieribus; aliis ob morbum corporis, velut furioſis; aliis ob vitium animi, ut prodigis. Horum conventiones & pacta tanquam à mente integrâ non profecta nec pro legibus haberi poſſunt. Quin ejusmodi hominum voluntas ne quidem voluntas eſt, quia voluntas eſt appetitio ex Judicio intellectus orta: at his & ſimilibus hominibus aut nullum ineſt, aut debiliter admodum.*

8. Voluntas præterea privati nulla vim legis conſequi poteſt, niſi verſetur circa eas res, quæ quicquid ſunt privatorum ſunt & arbitrio ipſorũ commiſſæ. *Nam quod arbitrio privati commiſſum non eſt, circa id voluntas ejus ſibi relicta nihil diſponere poteſt. Sic nullus civis de vitâ vel libertate amittendâ paciſci poteſt: vivit enim civitati dum ſibi vivit.*

9. Unde colligimus voluntatem privatorũ eam pro lege haberi poſſe, quæ occupata eſt in iis bonis fortunæ, quorum arbitri privati ſunt, qualia ſunt quæ homines liberi acquirunt & invicem permutant. *Nam harum rerum moderatores & arbitri privati ſunt.*

9. *Porro quomodo circa ejusmodi bona ineunda ſint pacta vel declarandæ voluntates, quò vim legum conſequantur, infrà dicendi locus erit.*

neque

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

neque enim quovis modo circa res patrimoniales pacta inita approbanda ſunt.

10. Conventiones ergò circa bona fortunæ initæ inter privatos omnes vel Jus faciunt vel ad minimum, ut aliquid non ſit injuſtum. Jus faciunt quæ legibus approbatæ publicis vim &robur legum habent: *nihil enim à merâ voluntate humanâ profectum Jus eſſe poteſt, niſi vim legis habeat.*

12. Quæ pacta vim legum non habent nec Jus faciunt tolerantur tamen à legibus, & in nudis placiti finibus dicuntur conſiſtere, vocanturque nuda pacta: faciuntque ut aliquid pro non injuſto habeatur. *Solemus enim dicere volenti non fieri injuriam. & ſuprà demonſtratum eſt, id quod homini, prout vult, evenit extra querelas eſſe, & propterea non injuſtum.*

13. Tandem nonnulla pacta legibus rejiciuntur quæ planè invalida ſunt. *v. g. ſi ſint contra bonos mores: hæc enim annullanda ſunt.* ut ita ſuboriantur tres pactorum ſpecies 1. quæ vim legum habent. 2. nuda, facientia tantùm, ut quid pro non injuſto habeatur. 3. invalida, quæ planè nullam vim habent.

14. *Reliqua quæ de pactis & legibus privatorum dicenda ſunt, ſuis locis, ubi commodè per cauſſas cognoſci & demonſtrari poſſunt, tradentur.*

CAP. VIII.

DE DIVISIONE JUSTI ET INJUSTI IN ID QUOD PER SE VEL PER ACCIDENS TALE EST.

1. *Nullus homo Juſtus vel injuſtus dici poteſt, niſi cauſſa per ſe juſti vel injuſti fuerit. adeoque videndum eſt, quid ſit per ſe quid per accidens juſtum vel injuſtum. id quod commodè abſolvetur, ſi in genere dictum fuerit de cauſſâ per ſe & per accidens.*

2. *Quid ſit cauſſa per ſe & per accidens patebit, ſi quid ens per ſe & per accidens ſit, dicamus. Id autem cognoſcitur inde, ſi videamus quid accidens ſit. Hoc namque cognito latére non poterit, quid per accidens dicamus.*

3. *Suprà cap. 5. n. 2. & ſeqq. diximus, aliud ens eſſe neceſſarium aliud contingens, & hoc vel ut plurimum vel rarò vel æqualiter in utramq; partem. Ex quibus probè perpenſis nunc porrò patebit, quid ſit accidens. nim. id propriè accidens eſt*, quod cum altero conjunctum producit

ens contingens vel rarò vel æqualiter in utramque partem. *v.g. reſpectu* fodientis inventio theſauri *eſt accidens, quia* fodiens inveniens theſaurum *eſt ens contingens in utramq; partem. At reſpectu* Emptoris obligatio ad precium *non eſt accidens propriè dictum; quia* Emptor obligatus ad precium *eſt ens contingens ut plurimum.*

4. *Ens itaq; per accidens dicitur vel illud, quod ex ente & accidenti eſt compoſitũ & nihil aliud eſt, quàm Ens contingens rarò vel æqualiter in utramq; partem; vel quod compoſitum eſt ex duobus eidem accidentibus. v.g.* Homo albus *eſt ens per accidens, quia ens contingens æqualiter eſt, & homini album accidit ineſſe.* Muſicus albus *propterea ens per accidens eſt, quia* Muſicus albus *ens dicitur quòd eidem homini accidat* Muſicum & album *eſſe.*

5. Cauſſa ergò per accidens eſt, ſi vel cauſſa vel cauſſatum eſt ens per accidens. *v.g. ſi accidat jugulanti eſſe poëtam; dicimus poëtam eſſe cauſſã homicidij: ſed per accidẽs jugulans enim cauſſa per ſe eſt homicidii: at quia accidit jugulanti eſſe poëtã, dicim⁹ poëtã cauſſã homicidij eſſe, ſed ut modò dictũ per accidẽs. A parte cauſſati fit, ut quid dicatur alicuj⁹ rei cauſſa per accidens, ſi cauſſato per ſe accidat quiddã. v.g. Miles offendens in acie hoſtem eundem occidit: cauſſatũ per ſe eſt mors hoſtis; ſed huic hoſti accidit patrẽ militis eſſe. Dicitur ergò miles cauſſa parricidij ſed non per ſe, verùm per accidens, quia cauſſato per ſe id tantum accidit. It Provocatus ad duellum vulnerat pungendo: pungens ergò eſt cauſſa per ſe vulnerati: huic vulnerato accidit, ut negligatur à chirurgo, negligentia chirurgi cauſſa eſt febris, hæc cauſſa eſt mortis: dicitur ergò pungens cauſſa mortis, ſed per accidens, quia vulnerato, cujus cauſſa per ſe eſt, accidit mori: cùm mortis cauſſa per ſe non ſit vulnus.*

6. Hæc nunc ad Juſtum & injuſtum applicantes, dicimus, hominem non quatenus animal eſt aut corpus, aut bipes cauſſam injuſti eſſe; ſed quatenus mentem ſeu intellectum habet: *ob hoc enim homo dicitur Juſtus & injuſtus; cætera autem animalia nec Juſta nec injuſta ſunt; ut adeò Juſtum hic contemplari poſſimus velut affectionem motus & quietis in aliquam ſubſtantiam mobilem & intellectualem quatenus intellectu prædita eſt cadentis.*

7. Injuſtum duplex eſt aliud commiſſionis aliud omiſſionis. *Nam injuſtum eſt quiddam quod quietum vel motum alicujus ſubſtantiæ intellectualis malũ reddit. Omiſſio quædam quietis; Commiſſio quædam motus ſpecies eſt.* Itaque videndum erit, quomod homo fiat cauſſa per ſe injuſti cùm ejus quod in committendo tum ejus quod in omittendo conſiſtit.

8. Injuſtum commiſſionis conſiſtit in operatione quâdam, hæc verò, uti modò dictum, eſt quidam motus porveniens à ſubſtan-

tiâ intellectuali quatenus intellectualis eſt. *Quamobrem neceſſe eſt hominem tunc cauſſam injuſti per ſe eſſe,* quando in eodem eſt principium motus ſeu operationis verſantis in iis, quæ homo ille ſcit aut ſcire poterat vel debebat. *v.g. Titius vulnerat pedem equi quo in itinere Mævius utitur: emergit inde damnum Mævio* 1. *quod pes equi ſit vulneratus.* 2. *quod impediatur in itinere: illud ſcit Titius quando vulnerat. hoc ſcire debebat ratiocinando, ſi vulneratus fuerit equus, Mævium impeditum iri. Totius ergò injuſti quod Mævius patitur cauſſa per ſe Titius eſt.*

9. Injuſti in omiſſione conſiſtentis cauſſa per ſe is eſt; qui vel facultate operandi inſtructus eſt & non operatur id, ad quod de jure obſtringitur, vel cauſſa ipſe ſibi impotentiæ eſt, quòminus operari poſſit; vel cùm ſciat aut ſcire debeat, ſe facultatem operandi non habere aut nō habiturum eſſe eo tempore, quo operandum eſt, nihilominus tale quippiam facere ſubit, ad quod ea requiritur. *Hiſce enim omnibus in caſibus id ob quod injuſtum eſt ipſi per ſe & non ex accidenti ineſt.*

10. Contrà is per accidens tantùm cauſſa injuſti in omiſſione conſiſtentis eſt, qui nec facultatem operandi habet, nec quominus habeat ipſe ſibi cauſſa eſt, nec ſcit aut ſcire poteſt, ſe eam non habere aut non habiturum eſſe quando opus erit in negotio quod ſuſcipit. *Huic enim neceſſe eſt externum quiddam accidere, quod cauſſa omiſſionis ſit. Et per conſequens ipſe Injuſti tantùm cauſſa per accidens erit.*

CAP. IX.

DE ÆQUITATE.

1. *Æquitas ſolet Juri contradiſtingui imò opponi. Si autem quod bono & Juſto opponitur malum eſt & injuſtum: videtur æquitas mala & injuſta. Sed contra deprehendimus, æquitatem communiter. Juri præferri. Sequetur ergò Jus non usquequaq; bonum eſſe. Nam quod bono opponitur non poteſt omnimodo bonum eſſe. An ergò Jus aliquando malum eſt? Videtur hoc ſtatuere commune dicterium,* ſummum Jus ſumma ſępè injuria. *Quòd ſi hujus rei cauſſam ex naturâ Juſti ſuprà traditâ inveſtigaverimus, indicium erit, naturam æquitatis nos benè ſpeculatos eſſe.*

2. *Juſtum cap. 5. diviſimus in naturale & legitimum: unde ſequetur æquitatem vel Juri naturæ vel Juri legitimo oppoſitam eſſe. Videndum ergò ratione utriusq; eſt, quid ſit æquitas. Juſta naturalia diximus eſſe entia contingentia utplurimum, quæ, quà talia, ſunt neceſſaria, ob acciden-*

tia autem, quæ contingunt ſubjectis, quandoque aliter ſe habent. Unde colligimus, quia æquitas eſt quiddam quod Jus naturale immutat eam in accidentibus conſiſtere quæ faciunt Jus naturale ſe aliter habere. *Id quomodo ſe habeat videndu m porrò erit.*

3. *Sed ſi æquitas in accidentibus conſiſtit, quomodo dabitur ejus ſcientia? Nam accidentium utpote indefinitorum & indeterminatorum nulla ſcientia eſt. Æquitatis autem dari aliquam ſcientiam vel inde colligitur, quòd alias fruſtrà daremus operam Jurisprudentiæ, quæ ars quædam boni & æqui eſt, teſte Ulpiano l. 1. pr. ff. de Juſtitiâ & Jur. Eſt ergo & hæc difficultas & obſcuritas ſuperanda.*

4. *Ut dubia propoſita reſolvamus, & paullò accuratius, quàm communiter fieri ſolet, in naturam æquitatis inquiramus, petimus rurſus exordium à naturâ ſubjectorum, quibus juſta & injuſta inſunt quæ contemplamur.* Suprà diximus, Juſtum & bonum in ſolo DEO ſubſtantiam eſſe, in ſubſtantiis verò intellectualibus mobilibus, quales ſunt homines, qualitatem tantùm quandam & accidens. Subjecta ergò juſtorum, quia mobilia & materiata ſunt, poſſuntque aliud atque aliud accidens recipere, quod naturam prioris accidentis & cauſſarum ejusdem deſtruit atque evertit: in iiſdem juſta fiunt mutabilia. *v. g. Depoſitarius obligatus eſt ad reddendum depoſitum; Res depoſita eſt reddenda; Depoſitarius Jure depoſitum quandocunq; vult repetere poteſt. Sed accidere poteſt, ut is qui depoſitarius eſt deſinat eſſe depoſitarius, vel res depoſita deſinat eſſe depoſita v. g. ſi accidat deponentem deportari, efficit hoc accidens, ut res depoſita deſinat eſſe depoſita & fiat fiſci. Deſtructo ergò eo, ob quod res depoſita reſtituenda venit, ſequitur & ceſſare hoc eſſe* quiddam reſtituendum. *Nam quod fiſco reddendum eſt injuſtè reſtituitur alij cuidam.*

5. Principium ergò æquitatis eſt accidens quoddam immutans & deſtruens cauſſam alicujus juſti vel injuſti in ſubjecto, cui illa cauſſa inhæret; conſiſtit tamen in affectione quâdam, cujus cauſſa per ſe illud accidens eſt à quo principium petit. *v. g. Rem depoſitam reddi, ſtricti Juris eſt, eam aliquando non reddi, æquitatis. quare? quia accidit depoſitarium deportari; (hoc, quod reſpectu depoſitarij eſt accidens, fit principium æquitatis) deportatio cauſſa per ſe eſt amiſſionis bonorum depoſitarij & quod res depoſita ejus eſſe deſinat incipiatque fiſci eſſe. Et ita in omnibus ſeſe habet.* Unde patet æquitatem quæ Jus naturale corrigit eſſe quoddam naturaliter Juſtum, cujus principium & cauſſa per ſe eſt accidens deſtruens cauſſam alterius Juſti. *Similiter ſe res habet in Injuſto.*

6. Æquitas ergò quodammodo ſub ſcientiam cadit, quodam-

modo non. *Nam noſſe accidentia quæ deſtruunt cauſſam Juſti vel injuſti in qualibet perſonâ & re, quibus juſtum vel injuſtum ineſt, ex numero eorum eſt quæ fieri nequeunt. At noſſe cujus juſti vel injuſti cauſſa per ſe ſit illud, quod reſpectu ſubjecti accidens eſt, id ejus eſt qui Jura naturalia ſcit.*

7. *Ex hiſce quoq; dubium num 1. huj. cap. propoſitum decidere poſſum9. Quærebatur, quomodo æquitas ſit juſta, juſtum tamen corrigat, & quomodo Juſtum ſit bonum, cùm correctione indigeat. R. demus, Juſtum quà tale ſemper manere juſtum & bonum. v.g. ſemper juſtum eſt rem depoſitam reddendam eſſe. At eandem rem quæ depoſita eſt quandoq; non eſſe reddendam, eſt ex accidenti, faciente ut res depoſita pro depoſita amplius haberi nequeat, quodq; cauſſa per ſe eſt, ut res ad fiſcum pertineat, & propterea eidem reſtituatur. Non ergò æquitas ipſum juſtum tollit, ſed circa eandem rem vel eaſdem perſonas aliud jus introducit. Eſt ergò juſtum naturale perpetuò juſtum & bonum, & æquitas quoque juſta & bona eſt, quod verò Jure ſtricto melior ſit, & Jus ſtrictum & ſummum ſumma dicatur ſæpè eſſe injuria, inde eſt, quia ſi dato accidenti quod cauſſam Juris ſtricti tollit & cauſſa per ſe eſt alterius juſti in iiſdem perſonis & rebus, nihilominus velis Juri illi ſtricto inhærere; neceſſe eſt te injuſtum committere.*

8. *Reſtat declarandum, quomodo æquitas corrigat Jus legitimum. Videtur etenim hic emergere difficultas; quia docuimus Jura naturalia per æquitatem propterea corrigi quòd ſint entia contingentia utplurimùm: & ſuperius cap. 5. differre Jus legitimum à naturali tradidimus, quod ſit entium contingentium æqualiter.*

9. Notandum ergò, entia Juſta, quorum eſt Jus legitimum, antequam legibus approbentur, contingere ęqualiter, at poſtquam legibus approbata ſunt ex inſtituto & placito legiſlatoris itidem pro entibus contingentibus utplurimum habenda eſſe. *Quà de cauſſâ & leges ſunt propoſitiones de contingenti ut plurimum. v.g. Exceptiones in Judicio verbis ore prolatis Judici proponi eſt contingens æqualiter! quia non magis Juſtum eſt, ut eaſdem verbis non ore prolatis ſed in ſcripturam redactis in Judicium deduci. At poſtquam legiſlatori placuit, alteram hujus contingentis partem determinare, juſſitque, omnes exceptiones in Judicio verbis ore prolatis proponi, fit ex inſtituto legiſlatoris hæc propoſitio contingens utplurimum. At quomodo? nim. inſpicienda eſt ratio quæ movit legumlatorem ita rem determinare. Hâc enim cauſſâ durante ſemper & Juſtum hoc legitimum manebit: niſi libertimè legiſlator iterum voluntatem mutarit.*

10. Inde diſcimus ęquitatem pariter ſe habere circa Jus legitimum

timum, ac circa naturale. *Nam ſi accidens aliquod tollat rationem alicujus legis, ſitque vel Jure naturæ vel alio quodam cauſſa alicujus diverſi juris: erit hoc accidens principium æquitatis quâ emendatur Jus legitimum. Et tale quippiam æquitas naturalis eſt. A quâ diverſa videtur æquitas in Jure ſingulari fundata. De quâ quid ſit dicetur infrà, quando materiam de exceptionibus contemplaturi ſumus.*

CAP. X.

DE VI JURIS LEGUMQVE VIRTUTIBUS.

1. *Sequitur nunc commodè, ut dicamus de Juris cùm naturalis tùm legitimi vi, legumque virtutibus.* Juris omnis hęc vis eſt ut obliget. Eſt autem obligare, libero homini neceſſitatem imponere aliquid alterius gratiâ agendi, patiendi vel omittendi. *Et hinc* obligatio activè ſumpta *definiri poteſt*, impoſitio neceſſitatis quæ contingit in libero homine, ut alterius gratiâ vel operetur vel ab aliquâ operatione quieſcat & abſtineat; Paſſivè *autem ſumpta* obligatio *definiri poteſt* neceſſitas libero homini impoſita &c. *ita enim accipimus vocabulum, quando dicimus, Contractus parere obligationes: Quare verò Juris affectio ſit obligare, exinde colligere licet; Nulla namque neceſſitas libero homini imponi poteſt, ut aliquid alterius gratiâ faciat, quia quicquid eſt ſui cauſſa eſt, niſi quatenus alicujus ſocietatis humanæ pars eſt: in ſocietate enim vivens dum alteri operatur ſibi operatur: tenentur enim qui cum ipſo in ſocietate ſunt rurſus hujus gratiâ operari. Si ergò neceſſitas alterius gratiâ operandi homini libero non aliter quàm in ſocietate viventi imponi poteſt, & Jus illud eſt quod conſervat dirigitque ſocietates humanas, id quod cap. I. num. I. poſuimus: ſequitur Juris proprium eſſe, neceſſitatem alterius gratiâ operandi libero homini imponere. i. e. obligare.*

2. *At quomodo Jus imponit neceſſitatem liberis hominibus operandi eorum gratiâ cum quibus in ſocietate vivunt? Dico* hanc neceſſitatem ſimplicem non eſſe; *hæc namque velut ſervorum propria ex libero homine ſervum redderet;* ſed talem quę ducit hominem, ut tandem ab injuſtis abſtineat & ultrò faciat quę juſta ſunt. *Nam Juſtitia virtus eſt, & an quis juſtè vel injuſtè operetur ex electione liberâ cujusque cognoſcitur. Si ad id nunquam perduci quis poteſt, pro libero habendus homine non eſt, ſed eo qui perpetuæ ſervituti ſubjiciendus eſt. Hinc ſuprà diximus liberum hominem propterea parére, ut parendo diſcat imperare & ultrò facere quæ virtuoſum hominem decent.*

 3. Neceſ-

3. Neceſſitas libero homini aliter imponi nequit, quàm ſi dolores comitentur operationes eas quę conformes non ſunt Juri. *Cùm enim neceſſitas im imponatur libero homini, ut tandem diſcat ultrò facere quæ juſta & honeſta ſunt, & homines ſoleant duci ad vitioſa facienda voluptatibus, quæ vitiorum humanarum velut morborum cauſſæ quædam ſunt; contraria autem contrariis curantur: Hinc adhibitis doloribus, qui ſubſequuntur actiones vitioſas, vitia hominum reprimuntur: dum enim hos fugiunt, voluptatibus, quibus ad injuſta facienda concitantur, reſiſtere diſcunt, incipiuntque facere quæ virtuoſorum propria ſunt.*

4. Quemadmodum dolores qui vitioſas actiones comitantur vim habent terrendi homines à vitioſis actionibus: ita ſi pręclaras res geſtas comitentur voluptates quędam, alliciuntur homines ad res pręclaras gerendas. *Nam cauſſa quare homines præclaras res gerendas non ſuſcipiant, eſt fuga moleſtiarum cum quibus actiones virtuoſæ conjunctæ ſunt. Dum ergo ſubſecuturas voluptates magnifaciunt, diſcunt præſentes moleſtias parvi pendere. v. g. fortitudinem exercere res moleſtiarum pleniſſima eſt iis qui actionibus fortitudinis non ſunt aſſueti: ſed dum meditantur homines honores, laudem gloriamq; quæ fortes homines comitantur, præſentes voluptates parvi pendere diſcunt.*

5. Hoc quod diximus & naturam obſervare videmus. *Homines enim improbos, qui quid contra Jus naturæ faciunt, comitantur angores & tormenta conſcientiæ, ut ſeipſos oderint & ſepenumerò è medio tollant: at proborum actiones cum ſummâ voluptate ſunt conjunctæ, dum ſeipſos ob res benè geſtas quam maximè amant & ſecum eſſe vivereque ſemper volunt.*

6. *Hæc ergò, quæ à naturâ fieri videmus, meritò imitantur legumlatores, imponentes dolores & cruciatus iis, qui quid contra leges faciunt, voluptatibus autem honeſtis afficiunt eos, qui virtuoſas & præclaras edunt actiones. Dolores, qui comitantur malas actiones, pœnæ; voluptates, quibus gaudent boni, præmia vocari ſolent. Quâ de cauſâ etiam infrà part. 2. uberius dicendum nobis erit de conſcientia bonâ & malâ, præmiis item & pœnis.*

6. *Hiſce ita præmiſſis, Iura invicem conferemus, conſiderando ſingulorum vires, ut quatenus ſingula obligent inde pateat.* Maximam *ergò* vim obligandi habet Jus naturę. *Nam pœnas ſeu dolores, quibus utuntur legumlatores in coercendis injuſtis actionibus, effugere improbi poſſunt, dum faciunt peccata latère, aut poteſtatem magiſtratuum eludunt auffugiendo: at cruciatus conſcientiæ improbos quovis in loco comitantur: quibꝰ puniuntur Tyranni qui ſummã poteſtatẽ habentes nullis legũ pœnæ ſubjici poſſunt.*

7. Ius

7. Jus voluntarium duplex ſupra diximus, ſcriptum & non ſcriptum ſeu conſvetudinarium. Horum *autem* id majorem vim habet quod conſuetudinarium eſt, arguitque civitatem magis felicem. *Nam quod conſvetudine fit magis ultrò fit nec indiget pœnis ſeu doloribus homines aſtringentibus.*

8. Voluntarium habet has vires, ut Juri naturæ quid addere, illud confirmare & limitare ſeu reſtringere poſſit: *tria namque aſſignari ſolent legibus ſeu Iuri Voluntario, quæ circa Ius naturæ poſſit 1. confirmare. 2. addere. 3. limitare. Quod quomodo perficiat videndum eſt.*

9. Quo pacto Jus legitimum quid addat Juri naturę obſcurum non eſt, *v. g. Deum colere eſt Iuris naturæ: ſummum namque ens cujus voluntate ſumus quicquid ſumus nos ita ſibi devinxit; ut operationes noſtras in illius placitum inſtituamus, nihil omittendo quod ſcimus eidem placere. At accenſis candelis, adhibitis organis id facere Iuris poſitivi eſt; quod dum circumſtantias quaſdam certas obſervare jubet, aliquid Iuri naturæ addit, redditque operationes, quæ ſecundum Ius naturæ fiunt, evidentiores magiſque ordinatas.*

10. Confirmandi Ius naturale vis competit Iuri poſitivo; *quia demonſtravimus ſuprà, vulgus hominum Ius naturale plerumque ignorare & ſuas opiniones ſæpenumerò perverſas pro Iure naturæ habere; adeò ut ſecundum Ius naturæ magis per accidens quàm per ſe operetur. Cùm ergò vulgi opinio de Iure naturæ ſit infirma & fluctuans; legiſlatoris boni eſt, quid determinare cui velut certo & firmo adhærere illud poſſit.*

11. Eſt & Iuris poſitivi vis quædam hæc, ut tollat Ius naturæ & eidem quid detrahat. *Sed quomodò? neque enim Ius voluntarium id quod Iuri naturæ contrariũ eſt, præcipere poteſt: nullus namq; vir honeſtus & juſtus patietur ſe ullis trahi doloribus ad faciẽdũ quod juri naturæ cõtrariũ eſt: Cõſcientia enim in eodẽ longè potentior eſt legũ pœnis. Hoc dubiũ expeditur ſi ſumimus quæ ſuperius de Iure naturæ & mox de æquitate diſſeruimus.* Cùm enim Iuſta naturalia ſint entia contingentia ut plurimum, & nõnunquã propter accidentia aliter ſe habeant, quod quando fiat ſępè obſcurũ eſt; ſolent legiſlatores legibus determinare quibus in caſibus quæq; ob accidentia æquitas ſervanda & quãdo à Iure naturæ ſtricto abeundum ſit. *Quemadmodum ergò æquitas limitans & corrigens Ius naturæ non ipſi eſt contrarium, ſed maximè conforme, imò ipſum Ius naturæ: ita leges quæ corrigunt & limitant Iura naturalia iis contrariæ non ſunt ſed conformes. Quæque non ex æquitate limitant Ius naturæ, ſed ſine cauſſâ id impugnant, eas invalidas eſſe neceſſe eſt.*

Conſtat ex hactenus dictis, quænam ſit vis Iuris poſitivi ſeu legitimi, quatenus ad Ius naturæ refertur: ſequitur ut ipſa Iura legitima inter ſe conferamus, quò appareat quam alterum præ altero vim habeat. Nam

cum

cum Iura hæc ſint mutabilia & dependeant à ſolâ voluntate humanâ adeoque cum eâdem mutatâ etiam mutentur: eveniet Ius, quod olim vim obligandi habuit, eam non amplius habere.

13. Ius ergò poſitivum poſterius derogat priori. *Cùm enim legitimum ſeu poſitivum jus in voluntate poſitum ſit, ceſſante voluntate ceſſabit & illud: voluntatem autem mutatam eſſe indicat declaratio ejus quod cum priori voluntate ſtare nequit. Sed hoc procedit quando poſterior voluntas eandem vim habet quam prior.*

14. *Hinc naſcuntur quæſtiones de diverſis juris poſitivi ſpeciebus, quodnam velut poſterius habeat vim tollendi prius. v.g. quia jus poſitivum duplex eſt, ſcriptum & non ſcriptum ſeu conſuetudinarium, quæritur an ſcriptum tollat non ſcriptum, & contrà non ſcriptum ſeu conſuetudo ſcriptum. Res autem ita ſe habet.* Voluntas poſterior ea evertit vim prioris quæ eandem aut potiorem vim cum priori habet. Quâ de cauſſâ ſi populus habeat poteſtatem ferendarum legum, quemadmodum is verbis declarare voluntatem poteſt, quid pro juſto haberi debeat; ita huic voluntati contrariis factis derogare. *Nam quid intereſt, ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis & factis?* At ſi penes populum non ſit Majeſtas ſeu poteſtas ferendarũ legum, ſed penes principem vel optimates, conſuetudo legem vincere nequit: *cujus namq. ſuffragium invalidum eſt in conſtituendis legibus & Iuribus, ejus facta & operationes longè minus poterunt. Quemadmodum autem voluntas ſubditorum accedente voluntate ejus, qui Jura Majeſtatis habet, vim legis & Iuris conſequi poteſt: ita & conſuetudo populi, ſi principis, penes quem Majeſtas eſt, voluntas vel expreſſa eam confirmet vim legis conſequi & priores leges abrogare valet.*

15. *Reſtat, ut conferamus leges ad invicem, quarum alias ſuperiores alias inferiores eſſe diximus,* Videtur autem leges inferiores ad ſuperiores ſe habere, quemadmodũ Jus voluntariũ ad naturale. Leges ergò inferiores habent vim 1. addendi legibus ſuperioribus id quod in iiſdem non continetur. 2. Confirmandi eaſdem. 3. Iis detrahendi. *Addere leges inferiores poſſunt quædam ſuperioribus, quæ iiſdem congrua ſunt nec pugnant. Quin propterea conceſſum eſt inferioribus condere leges, quòd non omnia legibus publicè latis comprehendi poſſint.*

16. Confirmandi poteſtatem habent leges inferiores; *quia nonnunquam de ſenſu legum publicarum & generalium diſceptationes oriuntur. Quod quando fit, ſalutare eſt contrahentibus pacto determinare quid obſervatum velint: Ita enim ceſſabunt diſceptationes de ſenſu legis generalis.*

17. Nulla

17. Nulla lex inferior debet cum lege publicâ pugnare: hinc nec eam evertere poteſt; niſi accidens aliquod ſuadeat æquitatem. Evertunt ergò leges inferiores eas quę publicæ ſunt, quemadmodũ æquitas Jus naturale. *Quamvis verò interdum ſimpliciter videantur leges publicas tollere: non tamen hoc fit, niſi tunc, quando æquitas nititur in hoc fundamento:* Volenti non fit injuria.

18. *Ex diverſis Jurium ſpeciebus, quas hactenus invicem contulimus, diverſæ oriuntur Obligationum ſpecies.* Omnis nim. Obligatio vel eſt naturalis vel civilis vel naturalis & civilis ſimul, quam mixtam vocare ſolent. Naturalis obligatio eſt neceſſitas, quam libero homini imponit jus naturę mediante conſcientiâ Civilis, quam ſolæ leges; Mixta eſt neceſſitas quam & jus naturæ & leges imponunt, id quod fit quando jus naturæ legibus confirmatur.

19. Obligatio à jure legitimo ſeu poſitivo deſcendens iterũ vel ſimplex eſt vel conditionalis, vel ex die vel in diem. *Cùm n. Jus poſitivum fundatum ſit in voluntate; ſequitur qualis eſt voluntas, talem quoq; legibus ineſſe vim obligandi. Voluntas autem omnis vel ſimplex eſt vel conditionata, vel in diem vel ex die. Omnis namq; legislator vel ſimpliciter vult quid fieri, vel initium operandi ex illo vel illo die eſſe faciendũ vel ſub conditione. Et quia conditionales obligationes frequentes ſunt, præſertim in pactis & legibus privatorum; dicendum nobis erit quid ſit Conditio.*

20. Conditio nihil aliud eſt, quàm contingens futurum, in cujus exiſtentiâ vis alicujus legis ponitur. *Hinc omnis conditio ſuſpendit obligationem donec exiſtat. Plura de conditionibus dicenda nobis infrà erunt quando de pactis tractaturi ſumus.*

21. *Ex collatione jurium & naturâ obligationum probè perpenſâ judicium facere licet, quænam leges & quatenus obligent. Nam non omnes leges obligant, ſed quæ validæ ſunt.* Eæ autem validæ non ſunt, quę nõ ſalutares ſed pernitioſę civitati eſſe manifeſtò deprehenduntur. *Nam cùm jus ſit id quod conſervat ſocietates humanas: Sequitur nullo modo vim juris habere poſſe quod eaſdem deſtruit aut corrumpit.*

22. Nulla quoq; lex cum honeſtate pugnare debet, ut valida ſit. *Nam lex nulla jus naturæ deſtruere poteſt: quæ autem honeſta ſunt à jure naturæ præcipiuntur.*

23. Nulla porrò lex inferior cum ſuperiori aliquâ pugnare debet, quò valida exiſtat. *Quemadmodum enim leges inferiores vim ſuam habent à ſuperioribus: ita ab iis deſertæ vel cum iiſdem pugnantes vi omni deſtituuntur.*

24. Nulla lex pręcipiens impoſſibilia valida eſt. *Hinc dicim⁹*

impoſſi-

impoſſibilium nullam eſſe obligationem. Nam demonſtratum eſt cap. 8. *num.* 10. *neminem cauſſam injuſti per ſe dici poſſe, qui omittit ea quorum perficiendorum facultate ſine ſuâ culpâ deſtituitur. Ob quæ autem omiſſa nemo poteſt dici injuſtus vel cauſſa per ſe injuſti: ad ea quoq; nec obligari poteſt; quia pœnâ affici nequit: ubi autem pœnæ infligi nequeunt, ibi & ceſſat neceſſitas.*

25. *Reſtat, ut dicamus de legum virtutibus,* quæ quatuor numero ſunt 1. Imperare. 2. vetare. 3. permittere. 4. punire. *Nam lex omnis pronunciat aliquid vel juſtum vel injuſtum vel non injuſtum eſſe. juſto autem vim addit, ut fiat; injuſto, ne fiat; non injuſto, ne impediatur: Vis autem iſta ſingulis mediantibus pœnis additur. Hinc neceſſe eſt legis vim quatruplicẽ eſſe,* 1. imperare *i.e. vim addere juſtis ut fiant.* 2. Vetare *i.e. vim addere ne injuſta fiant.* 3. permittere *i.e. vim addere, ne quis quod non injuſtum eſt, facere impediatur, & hæc tria comitatur quartum, ſine quo eſſe non poſſunt, nim.*

punire.

PARS SECVNDA,
DE
JVSTITIA VNIVERSALI QVATENUS EADEM COMMUNITER IN OMNIBUS REBUSPUBL. INTENDITUR.

PROOEMIUM.

QVATENUS HIC DE JUSTITIA UNIVERSALI AGENDUM.

I.

LEges ſcriptæ communiter in omnibus Rebuspubl. tuentur Juſtitiam univerſalem, quatenus prohibent actiones quæ ex vitiis fluunt, conſtitutis pœnis in eos qui vitioſa operantur. *Nam nullæ leges, quamcunq; tandem pœnam adhibeant efficere, poſſunt, ut quisquam virtuoſe operetur. Non enim qui operatur eadem quæ virtuoſus facit, continuò virtuoſus eſt; quia virtus æſtimatur ex animo & promptitudine operantis. At ut quis volens promptè & cum voluptate operetur nullus pœnæ metus ſed ſola aſſuefactio efficere poteſt. Videtur & Juſtus is qui ita vivit, ut nemo civium conqueri poſſit. Hoc vero obtinetur, ſi quis à vitioſis abſtineat, licet virtuosè non operetur. Quapropter tradituri elementa, ex quibus petuntur rationes, & cauſſæ legum, ſubſiſtemus nunc in contemplatione actionum vitioſarum, & remediis quibus hisce velut morbis Rerumpubl. omnium occurritur.*

2. Exigit etiam natura ſcientiæ, ut ab Injuſtitiâ univerſali ad cognoſcendam Juſtitiam progrediamur. *Nam id quod notius eſt nos ducit ad cognitionem minus noti. Eſt autem notius quod magis obvium eſt; talia ſunt vitia & vitioſi homines: rari quippe boni plerique mali. Omnis porro Respublica dat operam expellendis vitiis & puniendis peccatis; at virtuti & introducendæ Juſtitiæ nulla niſi optima. Itaque à communiori velut notiori facientes initium, contemplaturi ſumus Injuſtitiæ univerſalis principia, quæ inſunt animæ humanæ, ejusque operationes delicta nimirum & peccata, quæ à principiorum diverſitate ſuas capiunt differentias.*

tias. Ne verò in re tam arduâ quicquam minus cognitum omittamus, ſed ſingula ex ſuis cauſſis ſpeculemur, paulò altius exordio capto dicturi ſumus de Subſtantiis in genere, quarum rerum & quomodo principia ſint.

CAP. I.

DE SUBSTANTIIS IMMOBILIBUS ET MOBILIBUS QVATENUS PRINCIPIA RERUM SUNT.

1. Subſtantiæ aliis entibus principia & cauſſæ ſunt. *Nam neceſſe eſt omnia vel per ſe eſſe vel per aliud quoddam tanquam ſuam cauſſam. Quapropter quando entium per alia exiſtentium ſpeculamur cauſſas, neceſſe eſt, ſi non in infinitum abeundum eſt, nos tandem in ejusmodi entibus ſubſiſtere, quæ per ſe ſubſiſtunt. Adeoque patet ſubſtantias eſſe principia entium.*

2. Subſtantiæ ſingulę ſecundum ſuam naturam principia ſunt. *Nam experientia nos docet, unumquodq; operari ſecundum ſuam naturam: aliter enim operantur plantæ, aliter homines, aliter beſtiæ, aliter ſpiritus, aliter ſtellæ &c. Qvin videntur nonnullæ ſubſtantiæ nihil operari & tamen principia eſſe; quales ſubſtantiæ ſunt entia mathematica. Itaq;, ut videamus, qualiter homo principium quarumq; in ſubſtantiarum numero ſit, & quomodo cæteris contradiſtinguatur; meritò quàm variæ ſubſtantiæ ſint hîc velut accuratioris cognitionis gratiâ præcognoſcendum præmittimus.*

3. Omnis Subſtantia vel eſt immobilis movens omnia, vel immobilis nihil movens, vel mobilis quæ & movetur & movet. *Nam neceſſe eſt, omnem ſubſtantiam vel mobilem vel immobilem eſſe; & immobilem vel nihil vel alia rurſus movere, mobiles enim ſubſtantias omnes ad movendum rurſus aptas videmus. Sed in hisce non erimus ſubtiles hoc in loco; quia & ſine accuratiore horum cognitione nobis progredi dabitur.*

4. Immobiles ſubſtantiæ nihil moventes philoſophis ſunt entia mathematica. *Nam principia mathematica reliqua inde deducta non producunt, nec operando faciunt, ut reliqua ſint; ſed tantum ſunt ſubſtantiæ quibus labefactatis & cætera corruunt inde demonſtrata, & quibus ſubſiſtentibus neceſſe eſt reliqua eſſe. Hinc quia hæc principia nihil operantur, ad ſimilitudinem tantùm videntur ita dici, & propterea nonnulli mathematicas diſciplinas ſcientias eſſe negant, putantes in entibus rationis, uti loquuntur, eaſdem ſubſiſtere. Sed & hæc miſſa hîc facimus, utpote quæ parum ad futuram ſpeculationem nobis proderunt.*

5. Sub-

5. Subſtantia una datur immobilis à quâ omnes ſubſtantiæ mobiles pendent, eaque eſt Numen æternum illud. *Nam in uno aliquo immobili cuncta reliqua movente etiam Ethnici Philoſophi ſubſtitêre, & non poſſe dari plura immobilia quæ reliqua moveant ſatis firmis demonſtrationibus notum dedêre, de quibus non hîc dicendi locus eſt.*

6. Deus ergò principium quoddam eſt κύριον, *ſeu, quia melior vox hîc non occurrit, quâ hoc exprimi queat,* ſimpliciter majeſtaticum. *Nam hôc nihil eſt prius, ſed cunctis principium exiſtit.*

7. Eſtque DEUS ſubſtantia intelligens. *Nam cuncta quæ naturaliter moventur ſecundum ſuas cauſſas moveri videmus, nihilque ſine cauſſâ in rerum naturâ fieri. Quicquid autem principium eſt motuum, quæ per cauſſas fiunt, intelligens eſt; quia cauſſæ ſine intellectu non ſunt.*

8. Hæc divina mens ſemper ex ſe operatur. *Nam cùm ſit ſubſtantia immobilis, nullum erit extrinſecum à quo poſſit moveri. Quod verò nihil extrinſecus habet à quo moveatur ſemper ex ſe movet & operatur.*

9. Subſtantiæ mobiles ſingulæ certam naturam habent, ſecundum quam edunt operationes huic naturę proprias & convenientes. *Sic ſubſtantiæ mobiles viventes ſecundum ſuam naturam ſimiles ſubſtantias generant & generatis principia exiſtunt. Et in ſummâ unaquæq; ſubſtantia mobilis habet ſuum naturalem impetum, quo ipſa movet & movetur.*

10. Habent & ſingulæ ſubſtantiæ ſua ſibi propria bona. *Nam cujusq; ſubſtantiæ hoc bonum eſt, ad cujus productionem impetu ſuo naturali fertur: ſingulæ autem ſubſtantiæ ſuos ſibi proprios impetus habent.*

11. Subſtantiæ mobiles, quæ circa nos ſunt, deprehenduntur neceſſitatibus & caſibus ſubjectę. *Nam ignis ſuo naturali impetu fertur ſurſum: quandoque autem videmus eum ex neceſſitate & ab extrinſeco compulſum deorſum moveri. Sic & animalia ſæpius contra naturalem ſuum impetum agere patique quid ex neceſſitate deprehenduntur. Dico autem ſubſtantias mobiles propterea caſibus ſubjectas eſſe.* Nam caſus dicitur, quando externum quoddam operatur, producitque aliud quid, quàm cujus gratiâ unumquodque ſecundum ſuam naturam operatur. *Ita, cùm lapis naturali ſuo impetu feratur deorſum, ut in ſuo proprio loco quieſcat, caſu fieri dicitur, quòd decidendo occidat animal ibi ſubſiſtens.*

12. Ex hiſce diſcimus, quid & quale principium ſit neceſſitas *nim.* quòd ſit principium extrinſecum pręter impetum intrinſecum

& naturalem movens vel impediens in ſuo motu ſubſtantias mobiles. *Ita v.g. neceſſitas principium dicitur, quando manus alicujus hominis vel pes beſtiæ cujusdam, contranitente homine vel beſtiâ impetu ſuo naturali, ab externo apprehendente movetur, aut lapidi imprimitur motus surſum.*

13. Id cujus principium eſt neceſſitas violentum dicitur. *Unde omnis motus omnisque quies præter naturalem & intrinſecum impetum ab extrinſeco proveniens & ſubſtantiæ mobili inexiſtens violentum quiddam reſpectu illius eſſe dicitur.*

14. A neceſſitate differt caſus: *Licet enim caſus etiam ſit extrinſecum quoddam, non tamen ipſum principium operationis in ſubſtantiis impedit, ſed tantummodo motui extrinſecus ſupervenit.*

15. *An verò dentur ſubſtantiæ mobiles nullis neceſſitatibus & caſibus ſubjectæ, hîc non diſputabimus: neque enim ad propoſitum noſtrum quicquam facit. Id ex ſcripturâ ſacrâ compertum habemus, ex ſingulari gratiâ divinâ caſibus & neceſſitatibus hominem ſubjectum non fuiſſe, ſi in ſtatu permanſiſſet integritatis. Hoc autem nos docet lumen rationis:* Deum eſſe ſubſtantiam omnibus neceſſitatibus & caſibus exemptam. *Nam num.18. demonſtratum eſt, Deum ſemper ex ſe operari.*

16. Subſtantię mobiles vel animatę vel inanimatę ſunt. Inanimatis principium motus ſimplicius, animatis verò multiplicius ineſt. *Quâ de cauſſâ & ſubſtantiæ animatæ plures diverſos motus habent. Sic homo multa in ſe principia motuum habet, quorum nonnulla ſunt communia etiam cum inanimatis v.g. ita gravitate corpus ipſius præditum eſt, quod eſt principium motûs qui per lineam rectam fit deorſum; nonnulla ſunt communia cum iis quæ inſunt ſubſtantiis animatis cùm vegetativis tum ſentientibus v.g. cum plantis habet communem animam vegetativam cum beſtiis ſentientem: principium quod ſolus habet inter animalia eſt intellectus.*

17. *Principia motuum in ſubſtantiis excitantur à ſuis bonis, quæ nil aliud ſunt quàm fines ad quos operando tendunt. Unde definitur* bonum id, ad quod quęlibet ſubſtantia naturali ſuo impetu fertur.

18. Deus ipſum bonum & ſuum ſibi bonum eſt. *Nam principium operationis in Deo à nullo alio quàm ſeipſo excitari poteſt: eſt namq; Deus ſubſtantia immobilis nulli alii ſubjecta à quo excitetur.*

19 In ſubſtantiis verò mobilibus bonum eſt accidens. *Nam neceſſitas & caſus impedire fines ſingularum ſubſtantiarum mobilium poſſunt, quò minus eos operando conſequantur.*

CAP. II.

CAP. II.

DE ANIMÆ FACULTATIBUS QVÆ HOMINI CVM PLANTIS ET BRVTIS COMMVNES SVNT.

1. Subſtantiis viventibus principium operationum eſt anima. *Nam in hisce vivere eſt operari, & anima hoc eſt, quo vivunt ſingula quæ vitam habent. Quia ergò homo quædam ſubſtantia vivens eſt, noſtrum erit ſingulas facultates animæ ejusdem compendioſa quâdam ſpeculatione præmittere, quò principia operationum, quæ eduntur ab homine, modumq́, operandi inde haurire poſſimus. Et quia facultates animæ humanæ nonnullæ ſunt communes nonnullæ hominum propriæ: à communibus initium facientes eò melius eas, quæ propria ſunt percipere poterimus.*

2. *Facultas ergò animæ humanæ alia communis eſt cum plantis, alia cum beſtiis; illa vegetativa, hæc ſenſitiva vocatur. Hinc caput præſens abſolvetur duobus membris, quorum prius aget de facultate vegetativâ, poſterius de ſenſitivâ.*

MEMBR. I.

DE FACVLTATE ANIMÆ VEGETATIVA.

1. Facultas vegetativa eſt principium conſervandi illam ſubſtantiam mobilem, corruptibilem & viventem cujus facultas eſt.

2. Dupliciter verò conſervatur ſubſtantia mobilis 1. ratione ſui individui. 2. ratione ſpeciei. *Nam cùm ſemper vivere & æternùm eſſe nequeant ſubſtantiæ mobiles vitam habentes; tendunt ad conſervationem ſpeciei: unaquæq́, enim ſubſtantia ſuâ naturâ tendit ad conſervationem ſui, ut cùm id in individuo obtineri nequeat, ſubſiſtat in ſpecie.*

3. Eſt ergò hęc facultas 1. principium, unde fluit operatio, quâ conſervatur & augetur individuum 2. principium generandi talem ſubſtantiam qualis ipſa eſt, cujus facultas exiſtit.

4. Id autem quo pręparatur hęc facultas ad operandum eſt alimentum. *Nam videmus deficiente alimento ceſſare hujus facultatis operationes.*

MEMBR. II.

DE FACVLTATE ANIMÆ SENTIENTE.

1. *Sunt quædam ſubſtantiæ ſolâ vegetativâ facultate conſtantes, quales ſunt plantæ: dantur autem quæ facultatem ſentientem habent. Sed non uti vegetativa facultas eſt ſine ſentiente etiam ſentiens ſine vegetativa eſt. Nam omnes ſubſtantiæ ſenſu aliquo præditæ etiam nutriuntur & generant. Sunt autem ſenſitivarum ſubſtantiarum nonnullæ*

nullæ quæ ſolo tactu prædita ſunt; reliqua verò quæ viſu, auditu, olfactu, &c. prædita ſunt etiam tactu conſtant. Hominis autem anima hæc omnia involvit. Quâ de cauſſâ, ut exactius in hominis animam quæ principium operationum ipſius eſt inquiramus, de his facultatibus priori loco dicere cogimur.

2. Subſtantia perfectè ſentiens conſtat quinque ſenſibus, viſu, auditu, olfactu, guſtu, tactu.

3. Horum ſenſuum maximè communis tactus eſt. *Nam omnia minus perfectè ſentientia, licet cæteris ſenſibus deſtituantur, tactu tamen conſtant.*

4. Eſt autem in ſubſtantiis ſentientibus alia ratio nutritivę facultatis ac in iis ſubſtantiis quę ſolâ facultate vegetativâ prędità ſunt. *Nam in animalibus alimentorum ſenſus eſt; quippe quæ tactu percipiuntur ab iisdem; at in plantis non mediante ſenſu tactus alimentorum ſit perceptio.*

5. Senſitiva facultas conjuncta eſt cum voluptatibus & moleſtiis. *Videmus enim ſubſtantias hac facultate præditas lætari & triſtari, quæ duo voluptatis & moleſtiæ ſigna ſunt.*

6. Eſt & eadem hęc facultas conjuncta cum appetitu. *Nam ſubſtantiæ ſentientes appetitu ad ea quæ jucunda ſunt, ſeu voluptatem afferunt, feruntur, à moleſtis abſtinentur.* Quin & in animalibus nutritiva ſeu vegetativa facultas conjuncta eſt cum appetitu. *Nam fames & ſitis circa alimenta occupantur, quorum in uſu operatio nutritivæ facultatis conſiſtit. Alimenta verò cunctorum ſunt humidum, ſiccum, calidum, frigidum. Eſtque fames appetitio calidi & ſicci, ſitis appetitio frigidi & humidi.*

7. Multa quoque animalia irrationalia phantaſiam & imaginationem habent, quâ ipſâ reguntur & moventur; quę facit, ut edant operationes ſimilimas hominum operationibus. *Nam plerique homines phantaſiâ potius quàm intellectu ducti operantur.*

8. Affectus etiam & paſſiones ſubſtantiis ſenſu prędіtis ineſſe deprehenduntur. *Nam beſtias iraſci, metuere, amare in promptu eſt.*

9. Hæc omnia perpendere & à quibus principiis oriantur motus beſtiarum proprii & quomodo harum fiant operationes proficuum nobis eſt conſiderare. *Nam hæc nobis proderunt ad principia operationum humanarum eò ſubtilius inſpicienda: ſine quibus ſolidum de bonitate & malitiâ hominum Judicium facere non poſſumus.*

10. *Membrum ergò præſens ſequentibus abſolvetur articulis: diſſerendum enim eſt 1. de ſenſibus, horum organis, objectis, & operationibus.*

2. de

2. de voluptatibus & moleſtiis. 3. de phantaſiâ. 4. de affectibus. 5. de appetitu. 6. de ipsâ operatione ſeu motu beſtiarum hujusq; principio.

ARTIC. I. DE SENSIBUS HORUMQUE OBJECTIS ET ORGANIS.

I. Senſus quinque eſſe diximus, viſum, auditum, olfactum, guſtum, tactum: hi autem inſunt ſubſtantiis vel potentiâ vel actu & hoc vel primo vel ſecundo. Potentiâ ſenſus ineſt ei quod poteſt eſſe animal: & eſt quædam materia quæ in actum deducitur per generationem.

2. Actus primus itidem quædam potentia eſt; ſed reſpectu illius potentiæ, de quâ modò diximus, actus. *Nam qui actu primo ſenſum habent nunc quidem non ſentiunt, poſſunt tamen ſentire ubi opus eſt. Sic dormientes actu primo viſum habent & potentiâ tali quæ in actum deducitur, quando evigilant.*

3. Deducitur autem hic actus primus ad ſecundum ab objecto quodam extrà poſito. *Omnes namque ſenſus ſunt rerum ſingularium extra animam poſitarum, à quibus patiuntur quiddam per ſua organa. Sic v.g. poſito colore qui ab oculo, velut organo viſûs, recipi poſſit, ſtatim fit viſus actu. Neque enim animal in poteſtate habet videre vel non: ſed aperto oculo datoque objecto viſibili fit viſio. Organon itaque ſeu inſtrumentum ſenſorium eſt illud primum in quo potentia ſentiendi eſt collocata ad recipiendam formam objecti extrà poſiti: quam dato objecto non poteſt non recipere. Et proinde objectum à quo potentia ſentiendi quid patitur eſt hoc ipſum à quo actus primus ſeu potentia ſentiendi in actum deducitur.*

4. Videtur autem hæc deductio in actum non tantum fieri patiendo ſed & agendo. *Senſus enim unà operari in objecta vel ſpecula teſtantur à mulieribus menſtruoſis infecta. Imò deprehenduntur in pueris motiones ſenſuum oriri nullo ſæpè dato objecto; hi namq; in locis tenebricoſis vigilantes ſpectra nonnunquam vident.*

5. *Nonnunquam & affectibus excitari ſenſus deprehendimus etiam ubi nullum eſt objectum v.g. meticuloſi putant ſe videre hoſtem, amatores amaſiam.*

6. Omne ſenſibile objectum vel per ſe ſentitur vel per accidens. Senſibile per ſe vel eſt commune vel proprium cujusq; ſenſus. Proprium cujusq; ſenſus objectum eſt, quod à nullo alio quam hoc ſentiri poteſt. Sic color eſt proprium objectum viſus, ſonus proprium objectum auditus.

Com-

7. Communia objecta ſunt quę à pluribus ſenſibus percipi poſſunt; qualia ſunt, motus, quies, numerus, figura, magnitudo. Sic nō modò viſu ſed & tactu motum percipimus.

8. Per accidens ſenſibilia ſunt, quæ objectis per ſe accidunt. Ita quando hoc album videmus, dicimur videre parietem; accidit enim huic albo paries.

9. Ex hiſce diſcimus, ſenſus conjunctos eſſe cum facultate judicandi, & quidem alterum magis alterum minus. *Sic tactu ſæpè duplex percipimus quod viſu unum & ſimplex deprehenditur. Et hanc ob cauſſam ſolet ab animalibus adhiberi non unus ſenſus in objectis communibus apprehendendis, quo Judicium fiat exactius.*

ARTIC. II.
DE VOLUPTATIBUS ET MOLESTIIS SUBSTANTIARUM SENTIENTIUM.

1. *Cùm voluptates & moleſtias ſubſtantiis ſentientibus ineſſe deprehendamus: commodum erit hìc circa eaſdem initium ſpeculandi facere.*

2. Gignitur in ſubſtantiis ſenſu prędiitis moleſtia, quando percipiunt operationem naturę ſuę congruam non eſſe. *Sic cùm ſenſus excitentur & in actum ſecundum deducantur à ſuis objectis propriis patiuntur quid ab iisdē, quod quando natura ſingulorum congruum non eſt, ſubſtantias ſentientes moleſtiâ afficit. v.g. nimia luce oculos intrante viſus, nimio frigore vel calore tactus moleſtiam ſentit.*

3. Contrà voluptas ſuboritur, quando hę ſubſtantię percipiunt operationem naturę ſuę congruam. *Ita v.g. quando calor circumſtans animalia temperans & proportionatus eſt ipſorum calori, voluptate afficiuntur.*

4. Quemadmodum verò moleſtia facit, ut ſubſtantię ſentientes abſtineant ab operationibus quibus conjuncta eſt, eaſq; fugiunt: ita contrà voluptas facit eaſdem ſuis operationibus inhęrere eaſq; perſequi & appetere.

5. Quare videmur rectè definire voluptatem animalium propriam, quod ſit conſequens quiddam operationum cum naturâ cujusque ſubſtantię ſenſum habentis & operantis congruentium, perficiens eaſdem; & moleſtiam, quòd ſit quiddam conſequens ſeu concomitans operationes, quę cum naturâ ſubſtantię cujusque ſentientis non congruunt, deſtruens eaſdem.

6. Inde conſtat ratio, quare omne violentum ſubſtantijs ſenſum habentibus ſit moleſtum. *Nam violentum eſt quod oritur à neceſſitate; neceſſi-*

neceſſitas autem eſt quoddam principium extrinſecum imprimens operationes ſubſtantiis quæ præter naturam earundem ſunt. Hinc natum eſt illud: Nemo lætus violentum patitur.

7. Voluptas & moleſtia cujusq; ſubſtantiæ ſentientis naturam indicant. *Nam ſigna petuntur vel ab antecedentibus vel concomitantibus vel conſequentibus. Et quia voluptas & moleſtia quamlibet operationem ſubſtantiæ ſentientis concomitantur & conſequuntur, illa naturæ congruentem, hæc naturæ adverſam & non congruentem: ſequitur voluptatē & moleſtiam, qualis cujusq; ſubſtantiæ ſentientis natura ſit indicare.*

8. Voluptas autem & moleſtia colliguntur rurſus vel ex ſignis lętitiâ nim. & triſtitiâ, vel ab ipſâ ſuâ eſſentiâ. *Nam cum voluptas perficiat operationes, faciatq; , ut ſubſtantiæ his inhæreant; moleſtia contra deſtruat: jucundum cuiq; ſubſtantiæ id eſſe colligitur, cui inhærent operando, & moleſtum circa quod operari deſinunt, quodque fugiunt.*

ARTIC. III.

DE PHANTASIA SEU IMAGINATIONE.

1. *Traditum eſt artic. 1. hujus membr. In ſubſtantiis potentiam ſentiendi habentibus objecta ſenſuum ſeu ſenſibilia excitare ſenſum ſecundum unumquodque ſenſus organon, & ita actum primum ad ſecundum deducere. Hæc paſſio non tantum durat in ſenſibus, quamdiu objectum præſens eſt & formam ſuam potentiæ ſentiendi imprimit, ſed & quando remotum eſt, nec ſentiendi potentiam amplius afficit. Idq; quomodo contingat ſimili quodam comprehendere poſſumus. Quemadmodum enim ab igne calefactum aliud ſibi vicinum calefacit, & ſic calorem impreſſum & alteri imprimit: ita quoque organon ſenſus ab objecto alteratum afficit aliud ſibi proximum & vicinum.*

2. *Ex his percipere poſſumus definitionem phantaſiæ, quam tradidit nobis Ariſtoteles,* quòd ſit motio quæ fit ſecundum ſenſus alicujus actum. *Quemadmodum enim lapide in aquam projecto aqua mota vicinam partem, & hæc rurſus vicinam movet, ut inde multæ circulares figuræ fiant: ita ſenſus motus ab objecto movet aliud, ejusque imprimit imaginem ab objecto receptam. Quæ imago phantaſma græcis appellari ſolet.*

3. Phantaſia ergò in animalibus nec ſenſus eſt, nec ſine ſenſu. *Nam ſenſus excitari ſolent ab objectis: percipimus autem phantaſmata & ſine objecto. Nec tamen Phantaſia ſine ſenſu eſt; quia motio quædam eſt à ſenſu in ſenſorio ſeu inſtrumento ſentiendi facta. Ejusmodi autem motiones in ſenſoriis etiam ſine objecto excitante ſenſum fieri, teſtatum faciunt pueri, qui nocturno tempore ſpectra ſe videre concipiunt.*

4. Per hanc non modò beſtiæ ſed & homines multa operantur. *Quemadmodum enim omnis ſenſus, quando excitatur ab objecto ſibi proportionato, & ita benè & naturæ convenienter operatur, eſt conjunctus cum voluptate: (eſt enim voluptas conſequens quiddam operationum cùm naturâ congruentium cujusq; perficiens eaſdē) ita quoq; motio, quæ fit ſecundum actum alicujus ſenſus naturæ congruenter operantis, voluptatem comitem habet, quâ movetur & excitatur in animalibus appetitus. Immanet enim phantaſia animalibus & ſenſibus ſimilis eſt. Exemplo luxurioſorum hoc declarari poteſt: quemadmodum enim homines hi nocturno tempore per ſomnium concipientes, ſe poculum frigidisſimi & ſuavisſimi vini haurire, illudque quando evigilarunt meditantes, feruntur vehementisſimo appetitu ad bibendum: ita cum omnibus animalibus quæ phantaſiâ moventur comparatum eſt; feruntur namque ad pabulum gratum quærendum voluptate quæ percipitur, dum fit motio ſecundum actum tactûs guſtûsque: quaſi enim jam guſtent ad guſtandum moventur.*

5. Phantaſiæ vel habitus vel affectiones ſunt memoria & ſpes. Et quidem memoria præteritorum, ſpes futurorum eſt.

6. Gignitur autem memoria, dum per motionem quæ ſecundum actum alicujus ſenſûs fit imprimitur quiddam picturæ ſimile in eâ parte corporis quę animam ſentientem habet. *Veriſimile enim eſt quemadmodum motu annuli ceræ ſigillum; ita & â motione, quæ ſecundum actum alicujus ſenſus fit, quandam ſenſionis figuram imprimi; hujusque impreſſæ figuræ habitionem eſſe memoriam.*

7. Eſt autem & memoria directrix vitę animalium, quatenus ſenſorum impreſſionem ſervat, ut inde phantaſma promi poſſit exhibens id, quod olim ſentiebatur.

8. Spes conſiſtit in imagine alicujus futuri, & quod animal habiturum concipit. Hęc ſolet animalia in ſuis operationibus detinere, ne ab operatione deſiſtant. *An autem & hæc aut potius huic ſimile quiddam beſtiis inſit, hîc non diſceptabimus: ſufficit enim ad hoc cujus gratiâ hæc diſſerimus, hanc primario mediante phantaſiâ fieri.*

ARTIC. IV.
DE AFFECTIBUS.

1. Affectus in animalibus ſunt immutationes quędam humorum in corpore, quę fiunt mediante calore vel frigore. *Nam calor & frigus duæ illæ qualitates ſunt vim habentes operandi in humidum & ſiccum exareſcendo, indurando, mollificando, liquefaciendo, &c.*

2. Hęc cauſa eſt quare plerique affectus percipiantur conjuncti cum calore vel frigore, exiſtentib⁹ vel in toto corpore vel in certis

tis corporis partibus. *Sic ira affectus eſt cum calore conjunctus: videtur enim eſſe quædam ſanguinis circa cor efferveſcentia; metus contrà cum frigore conjunctus eſt efficiente, ut ſanguis congeletur & ſtet: Unde apertis venis meticuloſorum hominum nullus ſanguis ſæpenumero effluit; oritur etiam in his membrorum tremor, non aliter ac in iis quorum membra frigus occupavit.*

3. Videntur autem affectus eſſe quędam inſtrumenta quibus appetitus utitur in corpore organico movendo. *Quam ob cauſſam de appetitu nobis dicendum eſt, & poſtea de modo quo affectus incutiendo movet animalia.*

ARTIC. V.
DE APPETITU.

1. Appetitus eſt facultas animę quę à ſenſibus & phantaſiâ excitata movet animal vel ad perſequendum vel ad fugiendum. *Nam phantaſia exhibens imagines fugiendorum & perſequendorum excitat appetitum, qui animal porrò impellit. Dum enim fit motio quædam ſecundum actum alicujus ſenſus naturæ congruens & cum voluptate conjuncta, movetur appetitus excitans animal ad perſequendũ; dũ fit motio quædã ſecundũ actum ſenſus naturæ non congruens & cum moleſtiâ conjuncta, movetur appetitus ad fugiendum impellens. v.g. quando in animali mediante phantaſiâ quaſi guſtatur & tactu percipitur cibus, & unà quædam ſentitur voluptas, æquè propemodum, ac ſi à cibo ipſo tanquam objecto ſuo guſtus tactusque ad actum ſecundum excitati eſſent; movetur hac ipſâ voluptatis perceptione animal ad talem vel talem cibum appetendum.*

2. Eſtque appetitus duplex, iraſcibilis & concupiſcibilis. Ille movet animal, ut cum violentiâ quâdam operetur; hic lentè irrepit.

3. Eſt ergò appetitus medium quoddam in animalibus quod movet & movetur.

ARTIC. VI.
DE MOTU ET OPERATIONE ANIMALIUM.

1. *Poſtquam dictum eſt, quid ſint ſenſus, phantaſia, affectus, appetitus; declarari nunc poterit, ex quonam principio animalium ratione deſtitutorum, & quibus modis fiant operationes eorundem propriæ.* Principium ergò operationum eſt perſequendum & fugiendum, quod phantaſia à ſenſibus pręparata per imagines ſuas repræſentat.

2. Operatur autem phantaſia aut ſimpliciter durante ſcil. ſenſu, aut per ſuos habitus memoriam nim. & ſpem. *Memoria e-*

nim & ſpes utentes ſimulacris & imaginibus itidem exhibent perſequenda & fugienda.

3. Hoc imaginum per phantaſiam facto objectu præparatur appetitus & concitatur. *Nam appetitus objecto bono, ſeu eo quod naturæ cujusque ſubſtantiæ congruum eſt, operatur ſuâ naturâ, & porrò ad bonum conſequendum animal concitat.*

4. Perficit autem appetitus ſuum munus præparando affectus in animalibus. *Nam hisce velut mediis utitur ad movendum corpus organicum.*

5. Affectus præparant corporis organici partes ad motum. *Hoc enim inde colligitur, quòd corpus ratione qualitatum immutetur ab affectibus, id quod pallor, rubedo, tremor membrorum &c. indicant. Et veriſimile eſt, dum gignuntur affectus, quippiam circa cor vel in corde immutari, calorem nim. & frigus, & hanc immutationem licet ab initio exiguam & vix ſenſilem multas magnasq; in corpore parere differentias ruboribus, palloribus, horroribus, tremoribus &c.*

6. *Corpus ergò animalium eſt aliquid aptum natum moveri, & per conſequens naturâ præparatum ut patiatur vires ejus quod movet. Anima verò potentiâ inſtructa eſt, movendiq; facultatem habet.* Robur & vis animæ in ſpiritibus conſiſtit. *Nam horum ope commodè motio fieri poteſt; dum apti ſunt ad impulſum & tractum organa extendendo & contrahendo. Moventur ergò animalia ita:* phantaſia exhibet operationem velut præſentem, quæ ſi conjuncta eſt cum voluptate calor & ſpiritus excitantur in animali ut ſit agile ad operandum. *Et hoc modo voluptas auget & amplificat operationes animalium.*

CAP. III.

DE FACULTATIBVS ANIMÆ HVMANÆ.

1. Permultum conducit inquiſituro in rationes legum noſſe facultates animæ humanæ. *Quemadmodum enim medici in ſingulas partes corporis humani, & quarum operationum organa ſint, ſubtiliter inquirunt, quò naturam cujusque morbi exactè ſpeculari, & ſingulis morbis occurrere poſſint: ita quoque decet politicum ſingulas animæ humanæ facultates probè perpendere, quò de morbis animæ vitiis nimirum & horum cauſſis eò rectius judicare poſſit. Idque eò majori diligentiâ faciendum, quò anima corpore præſtat, quoq; Jurisprudentia medicinâ præſtantior eſt.*

2. Quò verò facilior eſſet doctrina de facultatibus animæ humanæ, voluimus de facultatibus animæ irrationalis, quâ beſtiæ reguntur

guntur, nonnulla præmittere. *Quemadmodum enim (quod ſupra cap. 2 membr. 2. n. 4. tradidimus) nutritiva facultas ſubſtantiis animâ ſentiente præditis ineſt, aliâ ratione tamen, quàm ſubſtantiis quæ merè vegetativæ ſunt: ita quoq; phantaſia & appetitus aliâ ratione ſe habent in homine quàm in beſtiis: uti enim triangula, in quæ quadrangula & multangulæ figuræ reſolvuntur, reverà quidem triangula ſunt, aliter tamen ſe habent, quàm ea, quæ ſimpliciter triangula ſunt, dum affectionibus, quæ triangulis ſimpliciter conſideratis inſunt, aliquid ſuperaddunt: ita quoq; appetitus non ineſt hominibus tali ratione quali beſtiis: eſt namq; intellectui ſeu facultati ad ratiocinandum validæ ſubjectus. Non immeritò ergò præmiſimus contemplationem appetitûs prout ſimpliciter animantibus ratione deſtitutis ineſt: hoc pacto enim facilior erit contemplatio appetitûs humani, qui rationi ſeu directioni intellectus ſubjicitur. Sic namq; & mathematici procedunt, ut prius contemplentur triangula ſimpliciter; deinde quatenus reliquarum figurarum partes ſunt, in quas ea reſolvuntur.*

3. Videmur autem præſens caput ita rectè abſolvere, ſi primô locô conſideremus intellectum, quem ſoli præ cęteris animalibus homines habent, eumque cùm contemplativum tùm practicum; deinde qualis ſit appetitus humanus, quinam itidem affectus, quos appetitus in hominibus excitat. *Hinc caput hocce ſequentibus membris abſolvetur, nim. tradetur membr. 1. de intellectu. 2. de diviſione intellectus in theoreticum & practicum. 3. de appetitu humano. 4. de affectibus hominum, ſpeciebus itidem & cauſſis earundem.*

MEMBR. I.
DE INTELLECTU.

1. Soli homini præ reliquis animalibus tributa eſt facultas intelligendi; de quâ, quia hominis propria eſt, paulò ſubtilius hîc erit dicendum. *Nam juſta & injuſta hîc contemplamur humana ſeu operationes hominum proprias efficientia. Hæc autem neceſſe eſt à principio quodam fluere quod hominis proprium eſt.*

2. Videtur autem facultas intelligendi cum facultate ſentiendi quandam convenientiam habere. *Nam ſenſitiva facultas recipit in ſe formas ſuorum objectorum: v. g. quando album intuemur, oculus noſter illius formam ſeu album hoc ſed ſine materiâ recipit. Quemadmodum enim in Camerâ obſcurâ paries dealbatus è regione foraminis poſitus eundem colorem recipit qui extra cameram illam eſt: ita & oculo, dum videmus, ineſt ille color qui conſpiciendus objicitur, quando fit viſio. Similiter ſe res habet in cæteris ſenſibus, ut adeò ſenſitiva facultas ſit potentia*

tiâ id, quod eſt ſenſibile actu, fiatque illud actu, quando ſentit. Ad modum facultatis ſenſitivæ videtur & intellectiva facultas omnium rerum formas ſine materiâ tamen recipere & fieri ea ipſa quæ intelligit.

3. Videtur & facultas intelligendi multum à ſenſitivâ differre, & primò quidem, tanquam incorporeum ab eo, quod corpori immerſum eſt. *Eſſe enim ſenſitivam facultatem quiddam cum corpore mixtum nos docent organa ſeu inſtrumenta ſenſoria: ſinguli enim ſenſus per certa inſtrumenta operantur; viſus per oculum; auditus per aurem &c. At intellectus nullum habere inſtrumentum videtur. Nam ſi haberet aliquod, non poſſet intelligendo naturam illius inſtrumenti egredi; haberetque certa tantùm objecta, circa quæ operando verſaretur, quemadmodum viſus colores, auditus ſonos. At intellectus omnia cognoſcit tam incorporea quam corporea. Et proinde eſt quiddam à corpore ſeparatum, nullam certam naturam habens, niſi quòd ſit quiddam poſſibile ad recipiendas omnes rerum formas, nilque actu niſi quando intelligit. Differre autem intellectum & ſenſum tanquam incorporeum à corporeo ex hoc quoque ſigno colligere poſſumus. Nam ſenſus debilitantur ex objecto paulò vehementiori v.g. viſus ex nimio albo; auditus ex ſono grandiorum campanarum. At in intellectu contrà ſe res habet; qui percepto eo quod valdè intelligibile eſt v.g. univerſaliſſimum aliquod & à ſenſu remotiſſimum, eò aptior fit ad reliqua inferiora & ſingularibus viciniora apprehendenda.*

4. Differt etiam intellectiva facultas à ſenſitivâ actuatione. *Nam ſenſus actum primum conſequitur ipſâ generatione, qui inſtrumento ritè diſpoſito datoque objecto illud afficiente in actum ſecundum deducitur. Sed intellectus humanus ad actum primum conſequendum indiget diſciplinâ; quem quando longo tempore adeptus eſt, poſtea ad actum ſecundum quandocunque lubet deducere poteſt. v.g. quando quis geometricam ſcientiam paravit, intellectus poteſt triangula ſpeculari quandocunque vult. Hæc ſi conferimus, haud leviter ab invicem diſtare utraque facultates deprehendemus. Nam actus primus ſenſitivæ facultatis adeſt à generatione, intellectivæ paratur experientiâ & diſciplinâ: actus ſecundus in ſenſitivâ facultate excitatur ab objecto, in intellectivâ à ſeipſâ: poteſt enim intellectus ſpeculari, quandocunque vult.*

5. Differunt & hæ facultates tertiò objectis. *Nam objecta ſenſuum ſunt formæ rerum ipſis rebus immerſæ, v.g. viſus objectum eſt color qui ineſt corporibus. At objecta intellectus ſunt phantaſmata, ſeu imagines, quæ in hominis excitantur phantaſiâ; ſuntq; nil aliud, quàm formæ rerum ſenſibilium ſine materiâ.*

6. Poſitæ autem ſunt formæ rerum, quarum receptione cognoſcit

gnoſcit intellectus, in orationibus, quas circa entia facit. *Nam formæ rerum ſine intellectu non ſunt, nec tamen intellectus humanus eas fingit, ſed pro ut ſunt entia comparata, ita & ſe habent orationes quas intellectus format. v.g. forma trianguli habentis tres angulos æquales duobus rectis eſt habere tres angulos quorum duplos metitur integer circulus, vel etiam habere tres angulos æquales tribus ſuper unam lineam ad idem punctum deſcriptis. Hoc quidem triangulo intellectus tanquam non inexiſtens nõ affingit; non tamen eſſet, niſi daretur intellectus. Poſitæ ergò ſunt formæ rerum in orationibus quas intellectus facit circa entia; quibus cognoſcendo entia fit ſingula quæ contemplatur ſed ſine materia. Formas autem rerũ in orationibus quas facit intellectus conſiſtere, inde manifeſtum eſt. Nam ſi quæras, quare hæc pictura vel hæc ſtatua habeat formam humanam, reſpondebitur, in ſtatuâ deprehendi caput talis figuræ, talib9 oculis, tali naſo & ore &c: Hinc eleganter tradit Ariſtoteles, intellectum eſſe formam formarũ, quemadmodũ manus eſt inſtrumentũ inſtrumentorum: Si enim nulla daretur manus dirigens gladium, nec gladius eſſet gladius: prout autem manus comparata eſt apprehendens gladium, ita & gladius ſe habet: In manu enim infantis gladius vix naturam gladii retinet: ita prout ſe habet intellectus, ita eruuntur formæ. Gladius in manu virtute ſuâ, robore nimirum debito inſtructâ verè gladius eſt: (Inſtrumentorum enim natura in uſu poſita eſt) forma intellectu ſcientia inſtructo ipſa debita rerum forma eſt.*

7. *Hæc hactenus in hunc finem narravimus, ut notum faceremus, intellectum humanum à primo hominis ortu raſæ cuidam tabulæ ſimilem eſſe, nec ſine prævio labore & diſciplina operationes ſuas perficere: interim tamen cum ætate ſe naturaliter exerere.*

MEMBR. II.
DE DIVISIONE INTELLECTUS IN THEORETICUM ET PRACTICUM.

Præcedenti membro dictum, intellectum intelligendo fieri rem ipſam quæ intelligitur non quoad totum ſed quoad formam ejus. Et quia entia alia ſunt neceſſaria, quæ ſe aliter habere nequeunt, alia quæ ſe aliter atq; aliter habent: ſequitur non unum ſed ſpecie diverſum intellectum eſſe, quorum alter verſatur circa entia quatenus non aliter, alter verò quatenus aliter atq; aliter contingunt. Qui verſatur circa entia, quatenus ſe non aliter habent, theoreticus, is vero qui occupatus eſt in entibus quatenus aliter atq; aliter contingunt practicus vocatur.

ARTIC.

ARTIC: I.
DE INTELLECTU THEORETICO.

1. Intellectus ergò theoreticus componit dividitq; entia quæ ſe aliter habere nequeunt: & propterea huic ineſt vis ſciendi. *Nam ſcientia eorum eſt, quæ ſe aliter habere nequeunt. Tunc namq; ſcire quid dicimur, quando rem per cauſſam cognoſcimus & novimus, quod hæc ſit hujus rei cauſſa, & quod ſe res aliter habere nequeat.*

2. Hic intellectus vero & falſo totum opus abſolvit, & contentus eſt ſi hoc aſſecutus ſit. *Hoc enim bonum ipſius eſt quod quærit, ut de entibus orationes faciat componendo & dividendo eadem prout ſunt.*

3. Eſtque porrò hic intellectus reverà divinum quiddam. *Nam circa res æternas occupatus ſit ea quæ æterna ac perpetua ſunt.*

ARTIC: II.
DE INTELLECTU PRACTICO.

1. Ab hoc intellectu theoretico differt practicus, qui in rebus agendis faciendisq; occupatus eſt. *Qualia ſunt quæ ab arte quadam vel prudentia proficiſcuntur. Nam cum homo ſit ſubſtantia quædam mobilis caſibus & fortunæ ſubjecta; etiam operationes ejus aliter atq; aliter ſe habebunt, eruntq; cum multis accidentibus conjuncta quæ caſuum & fortunæ principia ſunt. Ob quam cauſſam intellectus dirigens has operationes itidem occupatus erit circa ea quæ aliter & aliter contingunt.*

MEMBR: III.
DE APPETITU HUMANO.

1. Appetitiva facultas hominis videtur quodammodo eadem cum eâ quæ beſtiis ineſt, quodammodo etiam diverſa ab eâdem. *Nam quemadmodum nutritiva facultas alia ratione ineſt plantis, quæ hac ſolâ conſtant, aliâ ratione animalibus: hac enim mediante ſenſu tactûs alimenta percipiunt, plantæ non itidem, id quod ſimili quodam à triangulis quorum alia ſimpliciter ſunt, alia figuris inſunt declaravimus init. huj. cap. n. 2. ita quoque circa appetitum humanum comparatum eſt.*

2. Habet ergò homo appetitum 1. iraſcibilem & concupiſcibilem 2. eum qui voluntas vocatur, illum irrationalem, hunc rationalem appellabimus.

ARTIC. I.
DE APPETITU IRRATIONALI.

1. Appetitus iraſcibilis & concupiſcibilis communis eſt homini cum beſtiis, non tamen eâ ratione ineſt beſtiis quâ homini. *Nam*

Nam beſtiis ſimpliciter ineſt, hominibus autem ita, ut audire rationem, eique etiam reſiſtere poſſit. Inde facilè quomodo & quid appetitus iraſcibilis & concupiſcibilis in homine operetur quæque ſit vis ejus videre licet.

2. Excitatur ergò concupiſcentia & ira in homine itidem à phantaſiâ repræſentante id quod jucundum & moleſtum eſt. *Videmus enim pleroſq; homines ſuam vitam metiri voluptatibus corporis, ſeu iis quæ ex ſenſibus percipiuntur, & ita phantaſiâ ſuâ regi & moveri, non aliter ac beſtiæ ſolent.*

3. Eſt autem alia concupiſcentia in hominibus magis beſtialis, quæ verſatur circa voluptates quæ ex cibó, potu, & re venereâ percipiuntur, alia minus, ſimilis tamen alicui beſtiali concupiſcentiæ, quæ ſcil. divitiarum & honorum eſt. *Nam concupiſcentia honorum & divitiarum tantùm ratione objecti differt à beſtiali concupiſcentia; modus concupiſcendi tamen à phantaſiâ præparatus idem eſt. Dum enim phantaſia hominibus repræſentat voluptatem, quæ ex imperio & abundantiâ honorum percipitur, concupiſcunt honores, imperia, divitias.*

4. Appetitus irrationalis tendit ex ſe & ſuâ naturâ in infinitum. *Nam ex ſe, quia ſibi relictus irrationalis eſt, determinare nequit, quousq; voluptates ſint perſequendæ, moleſtiæ fugiendæ: objectâ enim imagine voluptatis à phantaſiâ movetur, rurſumq; excitando affectus movet corpus organicum ad operandum. Quò plures autem ex ſenſibus voluptates percipiuntur, eò plus virium conſequitur phantaſia ad illas repræſentandas: memoria namque perceptas repetit & exhibet. Unde illud in appetitu infinitum oritur.*

5. Meritò ergò natura hunc hominis appetitum regendum intellectui practico ſubjecit. *Cùm enim omne nimium ſubſtantias mobiles corrumpat; quod autem in infinitum tendit neceſſario in nimium incidat: appetitus nimio laborans homines detrudet in perniciem, rapietq; eos in nocitura & nunquam ſatiatura tanquam cæcus, niſi ſit quod ipſum ad mediocritatem retrahat. Tale munus intellectus practicus à naturâ ſibi injunctum habet.*

6. Sed ea eſt humana imbecillitas, ut nonnunquam appetitus rationem non audiat. *Nam quotidiè audias conquerentes,* Video meliora proboque deteriora ſequor. *Nimia etenim voluptatum dulcedo repræſentata à phantaſiâ ita commovet appetitum, ut velut concitatus equus non audiat habenas; ſed excitatus affectibus moveat eò hominem quò tendere intellectus prohibet.*

ARTIC. II.
DE
VOLUNTATE HUMANA.

1. Voluntas appetitus quidam eſt ſed appetitui irrationali contradiſtinctus. *Nam appetitus irrationalis cadit & in beſtias: At voluntas ſoli inter animalia homini ineſt. Quod hoc indicio colligimus, quia quandoq; appetimus quædam ſine irâ & concupiſcentiâ, non tendentes ad aliquam corporis voluptatem. Sic volumus Deum colere, parentes, magiſtratus venerari &c.*

2, *Quænam autem differentia eſt inter voluntatem & appetitum irrationalem? Certum eſt & voluntatem præparari à phantaſiâ: hæc enim imaginem futuri boni exhibens movet appetitum.* Sed notandum eſt phantaſiam, quemadmodum ſenſibus, ita & intellectu præparari poſſe. *v.g. quando equus videt avenam, præparatur à viſu phantaſia, ut exhibeat voluptatem equo quæ percipitur ex guſtu & tactu avenæ; quâ voluptate per phantaſiam repræſentatâ movetur appetitus, & ab hoc rurſus corpus organicum. Uti verò ſenſus, ita & intellectus præparat phantaſiam v.g. dum meditamur quid ſit vita æterna, ſcil. videre Deum à facie ad faciem i.e. ipſius eſſentiam ſpeculari & ita participem fieri illius ſuaviſſimæ vitæ divinæ: gignitur in nobis quædam imago repræſentans, quantum imbecillitas noſtra admittit, aliquod bonum omnia bona humana excedens: & ita præparatur intellectu phantaſia ad exhibendum bonum appetitui.*

3 Voluntas itaque eſt appetitus motus à phantaſiâ quam præparavit intellectus. *Differtq; ab appetitu irrationali, quod hic excitetur à phantaſiâ quam ſolus ſenſus aliquis præparavit.*

4. Eſt ergò intellectus practicus conjunctus cum appetitione: nec affirmatio & negatio, quæ ab eodem fit, nuda affirmatio & negatio eſt, ſed conjunctam habet appetitionem; affirmatio, quam hic facit, eſt unà in appetitu perſecutio boni; negatio, fuga mali, *Eſt enim intellectus practici enunciare id quod appetitus perſequi vel fugere tenetur.*

5. Quapropter compoſitio & diviſio entium i. e. affirmatio & negatio intellectui practico difficilior redditur; quàm theoretico. *Nam quæ ponderatâ rerum formâ judicat intellectus theoreticus componenda & dividenda, hæc componit dividitq;, nullo alio impeditus: at intellectus practici Judicium turbatur appetitu qui præſentes intuetur voluptates corporis eaſq; perſequitur. Hinc Juvenes docentibus ſenſibus ſpernendas voluptates eſſe non obtemperant, dum præ affectibus non poſſunt aſſentiri propoſitionibus quas intellectus practicus liber ab affectibus enunciat.*

6. In-

6. Inde cognoſcimus, quare voluntas hominum alia recta & bona alia erronea & corrupta dicatur. *Nam quæ appetitio oritur ex judicio intellectus erroneo vel etiam corrupto, hæc quoque erronea & corrupta eſt. Quâ de re inferius pluribus dicetur.*

MEMBR. IV.

DE AFFECTIBUS HUMANIS.

1. *Quia appetitus mediantibus affectibus, qui corpus afficiunt, illud ipſum velut inſtrumentum quoddam movet: noſtrum erit de affectibus humanis hoc in loco diſſerere, quò de actionum humanarum bonitate & malitiâ eò ſubtilius judicium facere poſſimus. Multa namq́ue quæ ex affectibus fiunt minus inhoneſta minusq́ue injuſta habentur.*

2. *Affectus humani ſunt 1. Ira & huic oppoſita delinitio. 2. Amor & huic oppoſitum odium. 3. Metus & huic oppoſita confidentia. 4. Pudor cui opponitur impudentia. 5. Gratia. 6. Miſericordia & huic oppoſita crudelitas. 7. Stomachatio 8. Invidia 9. Æmulatio.*

ARTIC. I.

DE IRA ET DELINITIONE.

1. Ira affectus eſt quem excitat appetitus tendens ad vindictam. *Nam nemo iraſcitur, niſi quærens vindictam eamq́ue ſe obtenturum putans. Hinc illud* vana eſt ſine viribus ira; *quia ad vindictam requiritur facultas cum mediis eandem obtinendi.*

2. Appetitus tendens ad vindictam excitatur à phantaſiâ ſeu per ſenſum ſeu per intellectum præparatâ exhibente imaginem alicujus deſpicientiæ & præterea voluptatis quæ ex vindictâ percipitur. *Nam vel ex ſignis mediante ratiocinatione homo colligit ſe deſpici, & ita informat phantaſiam, ut hujus deſpicientiæ imaginem appetitui exhibeat, v.g. quando qui meus amicus eſt mei nominis obliviſcitur, colligit intellectus eum me nihili facere nec mei curam habere (qui enim alicujus curam habet memoriam ejus deponere nequit) & hoc modo phantaſia intellectu præparata appetitum ad vindictam excitat. Vel etiam ſolus ſenſus præparat phantaſiam, v.g. quando ſitiens bibiturus impedior ab aliquo. Nam & exinde beſtias concitari ad iram deprehendimus, quarum tamen appetitus non niſi phantaſiâ ſenſu præparatâ ad operandum movetur. Sed hæc utraq́ue phantaſia non ſufficit; quia nemo iraſcitur niſi qui vindictam ſperat. Spes ergò quæ ſpecies phantaſiæ quædam eſt, repræſentat vindictam quaſi præſentem & unà voluptatem, quam quaſi jam percipiens animal trahitur duciturq́ue appetitu ad eam obtinendam. Patet itaque quomodo duplex hæc phantaſia cauſa appetitus ſit ad vindictam trahentis.*

3. Appetitus iſte ad vindictam ducens hominem & reliqua animalia, quibus ira ineſt, afficit quâdam moleſtiâ circa cor excitans calorem, qui ſangvinem reddit efferveſcentem. *Nam ſuprà diximus, ſangvinem initio & circa cor leniter immutatum reliquum per univerſum corpus inde manantem ſangvinem afficere: quod & in irâ contingit, ut ſcil. ſangvis circa cor efferveſcens & nimio calore affectus faciat ſangvinem totum corpus urendo afficere: Unde oritur quadam moleſtia in homine hoc ſentiente.*

4. Eſt itaque ira affectus partim cum voluptate partim cum moleſtiâ conjunctus. *Nam ſpes exhibens vindictam velut præſentem efficit ut nonnunquam iraſcentes gaudeant, quaſi jam voluptatem illam adepti. Hac ſpes in hominibus conjuncta eſt cum quâdam opinione vindictam obtinendi, & nititur argumentis probantibus poſſibile eſſe quod intenditur. Nam ſpes ſuâ naturâ eſt poſſibilium. Quod enim quis impoſſibile reputat illud nec ſperat. Poſſibilis autem nonnunquam reputatur, licet cum periculo vitæ ſit conjuncta. Hinc illud:* Eſt vindicta bonum vitâ jucundius ipſâ. *Parit ergò voluptatem iraſcentibus phantaſia non aliter ac in ſomniis. Moleſtia autem oritur ex ſangvinis efferveſcentiâ, ut* num. præced. *demonſtravimus.*

5. Augetur ira ex moleſtiâ & voluptate. *Nam quo potentior eſt phantaſia ad vindictam repræſentandam, eò magis ſentitur voluptas. Quò major eſt ſenſus voluptatis quam excitat phantaſia eò potentior hæc eſt ad excitandum appetitum. Quò vehementior eſt moleſtia ex ſangvinis efferveſcentiâ, eò magis ducitur homo ad eam remiſſiorem reddendam, quæ talis fieri alio modo non facilè poteſt niſi vindictâ obtentâ.*

6. *Et quia deſpicientia Iræ principium eſt, de eâ uberius cogitandum, quam naturam quotque habeat ſpecies.* Deſpicientia, quâ moventur homines ad iram, eſt actus quidam opinionis, quâ concipitur alterum nullâ curâ dignum eſſe. *Nam quemadmodum dicitur quis geometra, vel potentiâ proximâ ſeu actu primo, quando nullam magnitudinem ſpeculatur v. g. quando dormit; & actu, quando magnitudinem ſpeculatur aliquam, ita quoque opinionem quis habere dicitur vel potentiâ & actu primo, quando eam non exerit nec exercet, & actu ſecundo, quando ea exeritur. Et quemadmodum judicare non poſſumus, aliquem eſſe geometram, niſi deprehendamus eum ſpeculari: Sic etiam nullum deſpicere deprehendimus, niſi quid dicat & faciat opinionem illam indicans. Unde ſequitur deſpicientem concitare iram quando actu opinatur & dictis aut verbis eam opinionem declarat.*

7. Hinc deſpicientia, quâ movetur ira, triplex eſt: Contemptus, Incommodatio & Contumelia. *Nam tot modis exeritur opinio,*

pto, quam de aliquo habemus, quod nihili eum pendamus: Contemptus enim ſimplex quædam deſpicientia eſt. Incommodatio eſt quædam deſpicientia, quæ declaratur impeditione. *Impeditio actus eſt, quo quis alterius appetitioni obverſatur, & tunc deſpicientiam quandam indicat arguitque, quando fit ob hoc, non ut impedienti quid commodi accedat, ſed tantum ne impetretur quod ab altero appetitur.* Contumelia deſpicientia eſt, quam declarat quis in iis ex quibus dedecus affertur patienti nocendo & moleſtiam gignendo. *Declaratur autem tunc, quando quis non ob aliquid aliud id facit, quàm ut voluptatem percipiat. Solent enim omninò contemnentes alios id voluptate ducti facere. Nam excellentem ſe ſentire & ſuperiorem aliis jucundum eſt. Qui vero contemnit excellentem & ſuperiorem ſe concipit.*

8. In omni iraſcente prærequiritur Judicium deſpicientiam factam eſſe decernens. *Nam ſine prævio Judicio intellectus ſenſuumq; phantaſia non operatur. Itaq; nec appetitus per imagines ſuas deſpicientiam factam exhibere poteſt, niſi judicium aliquod intellectus vel ſenſuum præceſſerit.*

9. Hoc Judicium, quod requiritur ad decernendum deſpicientiam factam eſſe, excitatur ab eo, quod non convenienter fit. *Nam per hoc quòd quis ſe genere, facultatibus, virtute, eloquentiâ, beneficiis, dignitate imperii ſuperiorem altero concipit, intellectus judicat deſpicientiam factam eſſe. Semper namq; intellectus in dijudicando utitur quibusdam differentiis, quæ in diſcernendo eo, quod per deſpicientiam fit, ab eo, quod tale non eſt, deprehenduntur, perſonas, agentem nim. & patientem, conferendo.*

10. Delinitio remiſſio quædam Iræ eſt. *Nam deliniri dicuntur in quibus ira ſedatur.*

11. Delinitio tendit ad contrarium ejus ad quod ira: nim. ad omiſſionem vel neglectum vindictæ. *Nam remiſſio eſt quædam motio tendens in contrarium ejus ad quod movetur quid, quando intenditur.*

12. Delinitio ex principiis eſt contrariis illis, ex quibus eſt ira. *Nam motus ad contraria tendentes ex contrariis principiis ſunt.*

13. Delinitio prærequirit Judicium dictitans nullam deſpicientiam fieri. *Nam quemadmodum ira ex Judicio deſpicientiam factam eſſe decernente oritur: ita contrà remiſſio ab irâ fit, ſi Judicium dictitat, deſpicientiam ceſſare.*

14. Quiſque hominum à ſuis ſibi inhærentibus paſſionibus ad iram & delinitionem præparatur. *Ita v. g. ex morbo, paupertate, amore, fame, ſiti, & concupiſcentiâ quâcunque moleſtias ſentientes proni ad iraſcendum exiſtunt. Contrà qui in luſu, riſu, feſto & felici die,*

in ſaturitate, in rectâ actione, quæ jucunditatem affert, in ſpe bonâ &c. conſtituti ſunt proni ad delinitionem exiſtunt. Nam appetitus iraſcibilis naturâ comparatus eſt ad propellendas moleſtias, ejusq; ſedes ſine dubio in corde eſt: utpote in quo principium omnium motuum eſſe videtur, in quo ſenſus oriuntur & deſinunt. Hinc fit, ut perceptis moleſtiis colligatur copia caloris, quo velut principali medio anima utitur ad vires ſuas exerendas. Calore autem veluti inſtrumento jam præſente & præparato neceſſe eſt appetitum facilius efferveſcentiam in ſangvine excitare poſſe; quæ cauſſa iræ eſt. Contrà quando homo jucundas exercet actiones calor liberius diffluit & per omnes arterias diſpergitur: unde paulò difficilius colligitur ad excitandam in ſangvine efferveſcentiam.

15. Delinitio iram conſequitur cum tempore. *Nam quemadmodum aqua calefacta impreſſum calorem paulatim remittit: ita quoque ſangvis cui aq; per accidens tantùm calor ineſt. Eſt enim delinitio, ut iræ contraria, quædam caloris remiſſio; efferveſcentia verò, in quâ poſita iræ natura eſt, quædam eſt caloris abundantia in ſubjecto cui per accidens & non per ſe ineſt.*

16. Oritur & delinitio, ſi in aliquo alio ira conſumpta ſit. *Nam appetitus tunc quaſi exſatiatus, deſinit calorem à cujus copiâ ſangvinis efferveſcentia gignitur excitare.*

17. Ceſſat quoque ira, quando is cui homo iraſcitur majus malum perpeſſus eſt, quàm ipſe iraſcens intuliſſet. *Nam appetitus quodammodo deceptus, quaſi à ſe ſumpta ſit pœna, deſinit movere calorem.*

18. Delinitur quoque homo, ſi concipiat, non ſenſurum eſſe alterum id mali, quod vindictæ nomine infligendum eſt. *Nam velut fruſtraneum & quod impetrari nequit appetitus vindictam negligit.*

19. Nonnulli homines celeriter iraſcuntur, qui & citò deliniuntur, nonnulli tardius ſed vehementius & diutius. *Quemadmodum enim lapis & ferrum, velut dura corpora, lentius caleſiunt, ſed calefacta longè vehementius urunt, aqua verò citius caleſit ſed non æq; calefacit: ita quoque circa homines comparatum eſt: quò namq; plus terreæ materiæ ineſt ſangvini eò lentius caleſit calefactus autem magis urit.*

20. Nonnulli homines per iram in furorem conjiciuntur. *Nam ſangvis multis fibris refertus & terrenâ conſtans materiâ, quæ fervoris plurimum habens vehementiſſimè urit, tandem furorem concitat.*

ARTIC. II.

DE
AMORE ET ODIO.

1. Odium concitat appetitus non calefaciendo ſanguinem & efferveſcentiam excitando in eodem. *Nam ſi per efferveſcentiam ſangui-*

ſanguinis contingeret odium, non differret ab irâ. Satis autem per experientiam conſtat, aliud eſſe odium aliud iram.

2. Odium videtur concitare appetitus producendo in ſanguine humorem quendam venenoſum. *Colligimus hoc ipſum à ſigno. Nam natura nonnullis animalibus dedit vim ejuſmodi humorem venenoſum expellendi aliisque, quæ odio proſequuntur, nocendi. Veriſimile ergò eſt, cætera animalia, quæ vim hanc non habent, concitari hoc ipſo ad hoc, ut exerceant ejuſmodi operationes, quibus aliorum ſubſtantia perimatur. Unde homo, qui alterum odit, venenoſæ cuidam beſtiæ ſimilis redditur, quæ nocet aliis animalibus ſuo venenoſo humore, licet ad iram nonnunquam non ſit concitata.*

3. Odium excitatur per multas crebrasque iras. *Nam in quo ſanguinis efferveſcentia contigit, tandem natura progreditur ad concitandum venenoſum quiddam, quò planè removeatur è medio objectum quod nocet.*

4. Nonnunquam concitatur odium ſine irâ. *Nam experientia nos docet, odium gigni in nobis erga eos qui nos non læſerunt, quosq; opinamur tales vel tales eſſe, licet nihil mali nobis intulerint. ita v.g. fures, ſycophantas, paraſitos odio proſequimur.* Hinc etiam contingit odium erga genera, cùm ira non gignatur, niſi erga ſingularia & individua certa. *Quemadmodum enim beſtiæ venenum ſuum emittunt & conjiciunt in certa genera, licet ab individuis læſa non ſint: Ita quoq; contingit in aliis animalibus, ut appetitus concitet humorem venenoſum, quo mota perſequantur genera, eaque ſtudeant tollere, licet ab individuo aliquo læſa non ſint.*

5. Videtur odium etiam naſci ex diſconvenientiâ proportionum, quæ ineſt temperamentis. *Nam hæc diſconvenientia etiam in inanimatis pugnam gignere videtur, ut alterum tendat ad ſublationem alterius. Id quod ex Chymicorum præparatis ſpiritibus addiſci poteſt.*

6. Inde porrò dependet cauſſa, quare qui diverſis moribus ſunt ſe mutuo odio proſequantur. *Nam diverſi mores ex diverſis oriuntur temperamentis: diverſa autem temperamenta conſiſtunt in diſconvenientibus proportionibus humorum.*

7. Odium affectus eſt inſanabilis, cum ira ſanabilis ſit tempore. *Nam ira conſiſtit in efferveſcentia ſanguinis tenditq; ad vindictam. Dum ergò vel vindictam ſe conſecutum eſſe appetitus ſentit, vel efferveſcentia ſanguinis remittit, ira lenitur. At odium deſcendit ab appetitu tendente ad hoc, ut alterius cujusdam ſubſtantia tollatur, oriturque ex ſuffuſione venenoſi humoris qui firmiſſimè ſanguini inhæret. Ergò & odium regulariter tempore ſanabile non eſt.*

8. Tendit

8. Tendit porrò odium magis ad malum, ira magis ad moleſtiam. *Nam vindictam tunc quilibet putat ſe adeptum, ſi ſentiat alterum affici moleſtiâ: nemo enim exiſtimat vindicatam eſſe contumeliam, niſi percipiat, eum qui læſit ſentire ex facto ipſius moleſtiam. Hinc qui odit parvipendit, an ſentiatur, quando malum infert; iraſcens autem, dum vindicat, vult ſentiri.*

9. Eſt porrò ira cum moleſtiâ conjuncta, odium non item. *Nam venenoſus humor incitans ad perimendum ſubſtantiam alterius lentè ſvaviterque repit: at nimietas caloris, qui ineſt ſanguini efferveſcenti, moleſtiam parit hunc ipſum ſentientibus.*

10. Qui odit nullius miſereſcit, at iratus nimio malo illato miſericordia tandem afficitur. *Nam appetitus ſentiens vindictam, frigus affundit corrigens efferveſcentiam, ut ita ſanguis fluat frigefactus mediocriter. Conſiſtere autem miſericordia videtur in ſanguine calido lentè frigefacto: quod infrà de miſericordiâ tradetur. At odium tendit ad interitum ſubſtantiæ alterius.*

11. Amor odio contrarius eſt, videturque gigni ab appetitu, dum ab eodem calidum humidumque circa cor excitatur, ut ita totus ſanguis ejusmodi humore afficiatur. *Nam uti odium tendit ad tollendam aliquam ſubſtantiam; ita amor ad conſervandam. Amare enim eſt alteri omnia bona velle evenire ipſius gratiâ. Veroſimile ergò eſt appetitum, quando excitat amorem, affundere circa cor ejusmodi humorem in quo conſervatio omnis vitæ conſiſtit.*

12. Videtur amor naturaliter oriri ex proportionum, quæ inſunt qualitatibus animalium, convenientiâ. *Nam uti in ſonis gignunt harmoniam proportiones in numeris cohærentes, ita quoque hæ in animalibus amorem conciliare videntur. Nam amor connectit animalia, quemadmodum numeri in proportionibus ſonos, ut excitetur harmonia.*

13. Hinc amor ſolet naſci inter eos qui congruentibus moribus præditi ſunt. *Nam mores ſequuntur temperamentum, hoc autem conſiſtit in qualitatum quatuor proportione ad invicem.*

14. Qui in odio vivunt horum omnia facta invicem ſunt moleſta, cùm amantium omnia jucunda ſint. *Hinc etiam proprium eorum qui oderunt eſt, omnia in pejorem interpretari partem, contrà amantium, etiam quæ mala, turpia, injuſta pro bonis, honeſtis, juſtis habere. Quod teſtatum facit amor parentum erga liberos. Cauſſa eſt, quia ſangvis humore calido humidoque, qui maxime naturæ conveniens eſt, præparatus ſuccurrit ſingulis ſenſibus, ut objectum diſproportionatum proportionatum evadat.*

15. Juvenes

15. Juvenes ad amorem, ſenes ad odium ſunt proniores. *Nam in juvenibus plus calidi humidiq; eſt, quo amor concitatur; in ſenibus plus frigidi & ſicci, quod facit eos aptiores ad venenoſum illum humorem concipiendum, in cujus concitatione odium conſiſtit.*

16. Amantes unà lætari & triſtari ſolent. *Nam ubi eſt quædam identitas proportionis, ibi ſi quid cum uno proportionatorum quandam diſconvenientiam habet, etiam cum altero proportionatorum diſconvenientia intercedit: & ſimiliter ſe res habet in convenientiâ. Convenientia autem proportionum voluptatem, & quæ hanc indicat, lætitiam, diſconvenientia moleſtiam, & quæ hujus comes eſt, triſtitiam operatur.*

ARTIC. III.
DE
METU ET CONFIDENTIA.

I. Metus eſt affectus cum moleſtiâ conjunctus, natus ex phantaſiâ repræſentante malum futurum & jam imminens, habens vim ad interimendum vel ad moleſtiam aliquam gignendam.

2. Procreat hunc affectum appetitus frigus circa cor excitando & quidem in exceſſu, ut inde quædam quaſi ſanguinis congelatio oriatur. *Teſtatur hoc pallor & tremor membrorum, qualis ineſt iis, quorum artus frigus hybernum affligit.*

3. Et hanc ob cauſſam qui frigidioris complexionis ſunt, præſertim tenuem ſanguinem habentes, præ cæteris ad metum proclives ſunt. *Nam in hiſce facilius contingit congelatio quædam.*

4. Phantaſia porrò excitans appetitum ejusmodi frigus ſuffundentem naſcitur ex argumentatione, quæ plerumque petitur à poſſe & velle. *Nam eum qui vult & poteſt nocere concipimus nociturum. Et inde phantaſia malum imminens velut jam præſens exhibendo appetitum excitat ad fugam.*

5. Proniores hinc ſunt ad metum melancholici. *In his namque phantaſia plus virium habet, quàm in reliquis hominibus.*

6. Confidentia eſt affectus qui naſcitur ex phantaſiâ vel rerum ſalutarium imminentium vel malorum longè remotorum. *Eſt namq; confidentia metui contraria.*

7. Confidentia aut quædam ſpes eſt, aut cum ſpe conjuncta. *Nam phantaſia exhibens bonum futurum & eventurum ſpes eſt: at ex tali phantaſiâ confidentia gignitur.*

8. Excitat confidentiam appetitus affundendo cordi calorem qui congelatum ſangvinem liquat fluidumque reddit. *Nam confidentia contraria metui ex contrariis principiis gignitur.*

H 9. Ob

9. Ob hanc cauſam, ſi ſublato metu redeat confidentia, pallorem rubedo, tremorem agilitas membrorum excipit. *Nam ſangvis congelatus calore diſſolutus liberè iterum per venas & arterias movetur; horumque affectuum cauſſa exiſtit.*

ARTIC: IV.

DE

PUDORE ET IMPUDENTIA.

1. Pudor affectus eſt cum moleſtiâ conjunctus, natus ex malis quæ exiſtimationem alicujus lædunt, ſive ea ſint præſentia ſive præterita ſive futura.

2. Videtur autem naturaliter pudor conſiſtere in calido, quod ſe habet ut flamma. *Nam pudor minus turbat hominem quàm ira. Quod nullâ aliâ ex cauſâ eſt, quàm hac, quòd ira conſiſtat in calore reddente ſangvinem efferveſcentem; pudor autem in calido quod ſe ut flamma habet celeriterque percurrit. Aqua quippe fervens magis calefacit id quod tangit quàm flamma.*

3. Pudor cum rubedine faciei conjunctus eſt. *Nam calidum flammæ ſimile excitatum ſurſum aſcendit & percurrit ſangvinem, donec veniat ad exteriores partes calidi, quod ſe ut flamma habet, receptivas, qualis eſt hominum facies.*

4. Impudentia potius carentia affectus pudoris nim. quàm affectus pudori contrarius eſt. *Nam eos impudentes vocamus, qui quid honeſtum vel inhoneſtum ſit parvi pendunt nec conſiderant, adeoque nec rubore aliquo ſuffunduntur.*

ARTIC. V.

DE

GRATIA.

1. Gratia eſt affectus quo qui habet id, quo alter indiget, ei hoc tribuit, non ut aliquid recipiat aliud, ſed ut ille conſequatur quo indiget.

2. Indigentes autem ſunt, qui cum quâdam moleſtiâ appetunt id quod non habent.

3. Gratia videtur excitari dum abundantia humidi calidique circa cor quaſi affunditur. *Id quod ex ſigno colligimus: videmus namque ebrios præ cæteris hoc gratiæ affectu duci. Unde qui indigentes ſunt, inebriatos hilaresque, in quibus calidum humidumq; abundant, quaſi occaſionem arripiendo adoriri & ab iisdem id quo indigent expetere ſolent. Quamvis parum ad noſtrum propoſitum faciat in hæc ſubtilius inquirere. Quòd enim hæc, quæ aliàs phyſica ſunt, unà pervolvimus, id fit hanc ob cauſſam, quia deprehendimus eadem aliquem uſum in doctrinâ præſumptionum habere.*

ARTIC.

ARTIC. VI.
DE
MISERICORDIA.

1. Miſericordia affectus eſt conjunctus cum moleſtiâ inde natâ, quia deprehendimus alterum & quidem indignum pati malum, quod videtur habere vim interimendi vel aliam magnam moleſtiam inferendi, quodque & nos putamus paſſuros aut aliquem noſtrorum & hoc ipſum à nobis non longè remotum eſſe.

2. Videtur appetitus hunc excitare affectum frigefaciendo & humectando ſangvinem qui circa cor eſt, ſeu affundendo humorem tenuem & ſincerum eumque frigidum. *Nam hic affectus quodammodo participat de metu, quatenus cum phantaſiâ imminentis mali conjunctus eſt. Humidum autem movet ad ſuccurrendum ei qui malum patitur. Hinc videmus maximè miſericordes eſſe, qui præ cæteris humidæ frigidæque complexionis ſunt, velut mulieres, & inter maſculos ij qui timidiores cæteris ſunt, it. ſenes, it. eruditi. Hi namq; omnes frigidioris complexionis eſſe ſolent. Nam, quod eruditos concernit, conſtant hi plerumque ſangvine frigido & dilutiore; quia ſangvis tenuior & ſincerus reddit ſenſus mobiliores, quorum auxilio in ſpeculationibus indigemus; idem autem ſangvis frigefactus congelaſcit magis, quemadmodum aqua pura. Unde oritur diſpoſitio ad metum.*

3. Ex hiſce colligimus cauſſam, quare ſummo in metu conſtituti non miſereantur. *Nam fluidum oportet eſſe ſangvinem, quo homo concitetur ad ſuppetias ferendas: qui autem ſummo metu detinentur, horum ſangvis congelatus ſtat; adeoque in ſolo metu detinentur.*

ARTIC. VII.
DE
STOMACHATIONE ET INVIDIA.

1. Stomachatio & invidia opponuntur miſericordiæ. *Nam utrque affectus hic conſiſtit in dolore, qui contingit ob hoc, quod alteri quid boni eveniat. Et quemadmodum miſericordes remittunt dolorem, ſi contrarium eveniat iis, quibus miſerentur, id eſt, ſi malo quod patiuntur liberentur; ita contrà ſtomachantes & invidi remittunt dolorem vel etiam lætantur, ſi ij ob quorum bona dolent eadem amittant & contrà malo afficiantur.*

2. Excitat appetitus hos affectus ſangvinem præparando in corde, ut reddatur craſſior & calidior. *Nam primò hi affectus contrariè opponuntur miſericordiæ, Ergò videntur etiam in contrariis qualitatibus conſiſtere. Uti ergò miſericordia conſiſtit in ſangvine frigidiori*

& tenuiori, ita ſtomachatio & invidia in craſſiori & calidiori. Deinde quemadmodum ſangvis frigidus & tenuis ſincerusque obtinet vim intelligendi meliorem; ita craſſior & calidior plus roboris habet & efficacior eſt ad deſtruendum & infringendum. Veriſimile autem eſt appetitum tendentem ad deſtruendum bonum quod aliis ineſt, ita ſangvinem præparare ut efficacior ſit & plus roboris contineat.

3. Differunt autem ſtomachatio & Invidia, quòd ſtomachantes doleant ob res ſecundas eorum qui hiſce gaudent cùm indigni iisdem ſint; Invidi verò doleant ob res ſecundas etiam dignorum.

4. Ex hiſce apparet utrumque hunc affectum eodem modo præparari ab appetitu, ſed moribus, à quibus proveniunt, differe, dum ſtomachatio à bonis, invidia à malis gignitur moribus. *Nam ex num. 2. conſtat, appetitum concitare utrosque hos affectus reddendo ſangvinem & ſpiritus, quibus movetur homo, craſſos calidosque. Differre autem hosce affectus moribus inde patet. Nam dolere ab bona, quæ contingunt indignis, eorum proprium eſt, qui Juſtitiæ cultores ſunt, voluntque ut digni habeant bona, indigni his deſtituantur. Unde fit, quod ſtomachatio ſit affectus bonorum morum. Contrà dolere ob bona quæ digni habent injuſtorum & iniquorum eſt. Et ita invidia affectus malorum morum eſt.*

5. Stomachatio *definiri poteſt* affectus, quo quis dolet ſeu moleſtiâ afficitur ob res ſecundas quæ indignis contingunt, non quia inde ſibi quid metuat qui dolet, ſed propterea tantùm quia indignus habet.

6. Invidia affectus eſt cùm moleſtiâ conjunctus ob res proſperas aliorum & potiſſimum ſimilium, non quia inde mali quid patitur dolens, ſed propterea tantùm quia alter habet.

7. Stomachationis & invidiæ comes eſt ἐπιχαιρεκακία. *Nam qui dolent, ſi bonum quid alteri contingat, de dolore remittunt ad minimum aut lætantur, ſi bonum ille ſuum amittat & malo afficiatur.*

ARTIC. VIII.
DE ÆMULATIONE.

1. Æmulatio eſt moleſtia quædam inde nata, quod alios videamus habere bona honorata, quæ nos, cum nos ſimiles & æque illa bona poſſe parare putemus, non habemus.

2. Videtur hic affectus gigni per ſubtilem & ſpirituoſum ſangvinem. *Nam ſpirituum copia excitat homines ad operandum. Conſiſtit enim æmulatio in labore adipiſcendi bona ſimilia iis quæ habent quos æmulamur.*

ARTIC.

ARTIC. IX.

DE AFFECTUUM INTER SE COMPARATIONE.

1. Affectus alii ſuâ naturâ ex bonis alii ex malis moribus proveniunt, alii bonitatem & malitiam capiunt prout regimen rectæ rationis vel admittunt vel reſpuunt.

2. Ex bonis moribus proveniunt & propterea laudabiles ſunt ex ſe & ſuâ naturâ Miſericordia, Stomachatio, Æmulatio. *Nam excitari ad bona honorata quærenda eſt bonum & laudabile: æmulatio verò in hoc poſita eſt. Miſericordia & ſtomachatio proveniunt ex æſtimatione ejus quo quiſq; dignus vel indignus eſt: miſericordia enim inde oritur, quod quem indignum malo; ſtomachatio, quòd aliquem bono quodam indignum judicemus. Hoc vero eorum eſt, qui Juſti amantes ſunt, & propterea boni & laudabiles habentur.*

3. Bonis affectibus annumerari quoque poſſunt gratia & pudor. *Nam indigentibus ſuccurrere propter ipſos, ut habeant id quo indigent, laudabile eſt & ſalutare hominibus: talis autem affectus eſt gratia. Pudor tendit ad emendationem malorum. Ergò affectus hic bonus & laudabilis eſt in juvenibus, quorum virtus eſt tendere ad emendationem vitæ corrigendo mala. In iis autem, quos perfectorum morum eſſe decebat, abſolutè laudabilis non eſt.*

4. Suâ naturâ malus eſt affectus invidia. *Nam nolle admittere, ut, qui bonis digni ſunt, eadem habeant, eſt hominum injuſtorum.*

5. Ira & metus, quemadmodum etiam delinitio & confidentia ſunt ſuâ naturâ nec boni nec mali, ſed ex regimine rectæ rationis bonitatem aliquam capiunt. *Nam iraſci quibus & qualibus & quonſq; non oportebat malum eſt, temperare iram ratione circumſtantiarum, bonum. Sic nihil metuere v. g. nec tonitrua nec fulgura aut alia, quibus Deus homines malos punit, malum: at omnia metuere v. g. mortem ſubeundam pro nomine Chriſti vel pro patriâ, malum eſt. Itaq; dantur certæ virtutes in hiſce affectibus occupatæ.*

6. Amor per habitum amicitiæ redditur bonus. *Nam ita amare malos, ut eos in malitiâ confirmemus malum eſt; ſed ut eos corrigamus bonum. Itaque deſiderat & hic affectus habitum intellectûs quò regatur ut bonus ſit. Eſt tamen ſuâ naturâ amor melior odio. Nam hic affectus tendit ad malum, ille regulariter ad bonum.*

7. Alii porrò affectus ſunt vehementes & nimiâ feſtinatione animum prævenientes, alii remiſſiores. Vehementiores vel ex atrâ vel acutâ bile oriri ſolent. *Nam atra bilis facilè admit-*

tit ſpecies ſeu viſiones animo oblatas: adeoque reddit phantaſiam adeo tenacem earundem, ut intellectui nullus locus ſit. Acuta autem bilis celeritate ſui motûs facit, ne homo rationem expectet.

APPENDIX.
DE
PRINCIPALI ANIMÆ SEDE.

1. *Quò quæ hactenus de affectibus tradita, quæq́; impoſterum reliqua de principiis actionum humanarum dicenda ſunt eò magis pateant: ex phyſicis nonnulla hîc cogimur docere de ſede animæ, quæ loco hypotheſeon hac in doctrinâ ſcire convenit; idque propterea, quia phyſici hac in parte non conveniunt ſed diverſarum ſunt opinionum.*

2. Materia totius corporis eſt ſangvis. *Nam mediante ſangvine corpus humanum tanquam organon animæ præparari videtur ad operationes quas per hoc anima edit. Pallores etenim, rubores, trepidationes in affectibus à ſangvinis diſpoſitione eſſe deprehendimus.*

3. Operatur ergò anima diſponendo & præparando ſangvinem. *Nam ſangvis ex ſe humidus vel calidus non eſt, ſed hæ qualitates ipſi inſunt ex accidenti. Id quod colligitur ex ſangvine effuſo à quo ſtatim humidum calidumq́; quod ineſt ſeparatur. Eſt ergo ſangvis quiddam quod ex accidenti varias recipere qualitates poteſt, & præterea proxima corpori materia exiſtit; ac proinde videtur variis modis ab animâ præparari, ut diverſimodè materiam proximã corpori organico exhibeat.*

4. Cor eſt illud viſcus in quod omnis ſangvis influit & ex quo rurſus effluit. *Nam per venas omnis ſangvis cordi infunditur & ex hoc rurſus in arterias propellitur. Venas enim ſangvinem ad cor deferre colligitur 1. ex valvulis, quæ in venis ſunt, & viam aperiunt ſangvini verſus cor meanti, occludunt refluenti 2. ex ligaturâ venarum; ſi enim brachium hominis ligamento conſtringas, deprehendes non citrà ſeu non cor verſus ſed ultrà ſub ſummâ cute hærentes venas tumere. 3. Ex venæ ſectione: ſi namque apertam venam ultra foramen comprimas, deſinet ſanguis effluere, non citrà i.e. non cor verſus. Unde manifeſtum fit, venas ſangvinem in cor transferre. Recipitur ergò ſangvis ex venis in cordis ſinu dextro, ex quo rurſus per venam arterioſam cum impetu in pulmones detruditur, quæ vena arterioſa ſubſtantiam arterioſam idemque cum arteriis officium habet; Unde per anaſtomoſes iterum recipitur ab arteriâ venoſâ, quæ ſubſtantiam & officium venæ habens leni motu eundem in cordis ventriculum ſiniſtrum invehit. Ex hoc ventriculo ſiniſtro propellitur in aortam & ſic cum impetu quodam defertur in omnes arterias. Quam ob cauſſam natura arterias ſine valvulis, denſâ tamen tunicâ conſtruxit;*

Ob

Ob cor enim ſemper ſangvinem in illas propellens nullis indigent valvulis, quia nullum periculum eſt recurſus; ſed denſiori quâdam tunicâ, quò ſine noxâ contineant ſangvinem cum impulsu quodam & impetuosè fluentem. Hæc autem ita ſe habere teſtantur rurſus ligaturæ & arteriotomiæ: Si namq; brachium hominis fortiter liges, tumeſcent arteriæ cis non ultra vinculum: Et hinc in arteriotomiis non ultra ſed cis vinculum ſectio fieri ſolet. Haud minoris ponderis & hoc indicium eſt, quòd ſectæ arteriæ cum ſaltu projiciunt ſangvinem & cum celeritate longè majori quàm venæ: cujus cauſſa nulla alia eſt, quàm quod motu cordis trajiciatur ſangvis per arterias.

5. Videtur ſangvis circumgyrari in corpore humano, & ex venis in cor, ex corde in arterias, ex arteriis iterum in venas fluere. *Nam tantam ſangvinis copiam, quanta ex venâ cavâ in cor effunditur generari ſingulis momentis, tantamq; quæ ex corde in aortam influit converti in ſubſtantiam hominis impoſſibile eſt. Celerem autem & in venis motionem ſangvinis eſſe indicat ſubitus tumor ex conſtrictione brachii in venis natus, & colligatio venæ cavæ in ſectione vivorum animalium: celeriter quippe ſangvis in cor diffluit qui cis vinculum eſt. Veroſimile ergò eſt ſangvinem arterioſum per anaſtomoſes derivari rurſus in venas, & hoc modo quandam ſangvinis circumgyrationem contingere. (Sunt autem anaſtomoſes exiguæ cum venis coalitiones ſeu variæ vaſorum iſtorum in carne connexiones, quæ licet infinitæ ſint, ob fibras tamen, membranas & ſangvinem concretum, quibus ſtipantur viſu diſtingvi non poſſunt.) Indicium præbet colligatio brachii in venæ ſectionibus. Nam ſi paullò arctius fiat, non fluet vena; cujus cauſſa hæc eſt, quia non eq; facilè ligantur arteriæ ac venæ, adeoque levi ligaturâ contingit ſangvinem per arterias moveri liberè poſſe & penetrare in venas, unde continuitas fluxus oritur. Hujus etiam indicium præbet, quòd omnes affectus corporis in conſenſum trahant cor & pulmones, & horum affectus rurſus corpori communicentur.*

6. Sangvis non ob hoc per venas in cor profluit, ut in eodem concoquatur. *Nam quorſum pertineret illa toties quoties facta concoctio, ſangvine per circumgyrationem ſæpiſſimè in cor delabente? Cui accedit, quòd ſangvis exiguam moram in corde faciat, nec tantam quanta ad concoctionem requiritur: vix namq; unius vel alterius pulſus momento ibidem perdurat. Deprehendimus porrò, naturam illis viſceribus, in quibus concoctio fit, receptacula recrementorum adjeciſſe: at talia circa cor nulla reperiuntur. Quin ſi quid cor concoquendum habet, videtur illud per ductum chyliferum in illud ipſum transferri; ſed hoc exiguum admodum eſt.*

7. San-

7. Sangvinis generatio fit in hepate, in corde verò reſidet appetitus præparans ſangvinem & per hoc concitans varios affectus. *Nam oculis noſtris cernimus, chylum per venas lacteas in epar transferri & huic viſceri additum eſſe recrementorum receptaculum, ut nullum dubium ſupereſſe poſſit, ibidem concoctionem chyli fieri & ſangvinem maturari. At quia ſangvis hoc pacto generatus aptus eſt ad recipiendas varias qualitates, quarum beneficio gignuntur in homine & cæteris animalibus varii affectus; convenientiſſimum videtur, appetitum circa cor reſidere & ibidem tanquam circa principia motus ſangvinis, qui per arterias cum impetu fit, diverſimodè ſangvinem præparare. Scil. ita putamus comparatum eſſe: animam principalem ſedem in corde habentem vi quâdam, quæ magneticæ ſimilis eſt, ſangvinem ex venis in cordis ſinum dextrum trahere (cujus ſignum eſt, quia venæ à corde remotiores ſuas valvulas habent, non aliam ob cauſſam, quàm quòd in partibus à corde remotioribus vis attractrix debilior ſit, unde periculum refluxus ſuboritur; quod ne fieret, natura valvulas conſtruere voluit) ex hoc mox, ut paulatim refrigeretur, in pulmones devolvere & ex his iterum in ſiniſtrum cordis ventriculum recipere, ubi appetitus reſidens eundem afficit diverſimodè, prout hactenus in doctrinâ de affectibus tradidimus.*

8. Omnis animæ judicatricis ſedes principalis in corde eſſe videtur. *Nam appetitus ſine facultate judicatrice non eſt, & qualis hæc eſt facultas, talis quoque eſt appetitus. Quare convenienter utriusque eadem ſedes eſſe videtur. Et proinde ſpecies ſenſibus apprehenſas ad cor dijudicandas transferri cenſemus. Quæ etiam cauſſa eſt, quare lætitia & triſtitia ſuum principium ibidem habeant. Nam voluptas eſt perceptio bonæ & naturæ cujusq; convenientis operationis: at hæc perceptio fit mediante facultate Judicatrice, ubi ergò ſentitur lætitia & triſtitia, ibi & Judicatricem facultatem reſidere naturæ congruum eſt. Conveniunt hæc cum ſcripturâ ſacrâ, quæ cogitationes humanas bonas malasque cordi tribuit.*

9. *Hac hypotheſi uſuri ſumus in præſenti noſtrâ de cauſſis bonitatis & malitiæ doctrinâ. Cui quia recentior eſt & Ariſtoteli incognita, quibusdam rationibus & cauſſis fidem facere voluimus, non ignorantes, tractatum iſtum hujus loci non eſſe.*

CAP.

CAP. IV.

DE
JUDICIO FACULTATIS SENSITIVÆ, INTELLECTUS ITEM CUM THEORETICI TUM PRACTICI.

1. Judicium eſt facultas addita ſingulis facultatibus animæ quâ verum à falſo diſcernunt. *Nam cùm ſingulis facultatibus accidat errare, natura addidit iisdem judicium cujus beneficio errores effugiant.*

2. *Dicturi ergò de judicio præſenti capite dividemus illud ipſum in duo membra: priori tractabitur de Judicio ſenſuum & phantaſiæ, intellectus item cùm theoretici, tum practici, poſteriori de cauſſis Judicium humanum corrumpentibus.*

MEMBR. I.
DE
JUDICIO SENSITIVÆ FACULTATIS.

1. Judicium in iis locum habet in quibus errare contingit. *Ubi namq; errori locus non eſt, ibi nec facultas deſideratur verum à falſo diſcernens.*

2. Senſus autem benè diſpoſiti non errant in propriis objectis ſed in iis quæ his accidunt. *Neque enim quiſquam videt Titium, ſed id cui Titius accidit, nim. hoc album, hoc nigrum, hanc magnitudinem hujus vel illius partis; his autem viſû perceptis judicat phantaſia, id quod his accidit Titium eſſe. Sic vacca vitulum ex ſe natum diſcernit ab aliis judicatq; ſuum eſſe viſu, odoratu: Eum enim cujus poſt partum primùm ſibi oblati colores & ſpeciem odoratus notat phantaſia, ſemper poſtea ſuum judicat.*

3. Ejusmodi judicio utitur quoque vulgus, *v.g. ſolem pedalem eſſe ſeu habere diametrum quæ pedis magnitudinem referat judicant idiotæ. Nam oculis perceptam magnitudinem ſolis conferunt cum magnitudine pedis, quam phantaſia exhibet, pronunciantque ita magnitudinem eſſe eandem.*

4. Habent autem ſenſus ſinguli non eandem facultatem judicandi. *Nam judicium tactûs ſæpè corrigitur à judicio viſûs. Ita quod ſimplum tactus id duplum viſus deprehendit: & ita judicium ſenſûs unius à judicio ſenſûs alterius corrigitur.*

5. Hac de cauſsâ ſolent animalia quinque ſenſus habentia pluribus ſenſibus adhibitis judicare, quò certitudinem conſequantur.

tur. *Sic canes ſuos dominos, ſi fortaſſis veſtimenta mutarint, non ſolo viſu ſed & odoratu adhibito ab aliis diſcernunt.*

MEMBR: II.
DE
INTELLECTUS JUDICIO.

1. Judicium intellectus diverſum eſt à Judicio ſenſitivæ facultatis quod beneficio phantaſiæ illa facit: *Nam Judicia hæc duo ſibi contradicere deprehendimus. v. g. ſenſitiva facultas judicat ſolem pedalem; at facultas intellectiva, eum eſſe multis partibus corpore terreno majorem.*

2. Intellectiva facultas modò benè modò malè judicat; Benè & rectè judicat 1. opinione bonâ 2. ſcientiâ 3. prudentiâ 4. arte; non rectè ſeu malè 1. opinione malâ 2. Inſcitiâ 3. imprudentiâ 4. inertiâ.

3. Scientia habitus eſt proprius intellectûs theoretici; ars & prudentia practici, opinio utrique intellectui ineſt. *Idque quomodo ſe habeat dicendum eſt. Nam hæc proderunt quàm maximè nobis ad faciendum judicium de principiis actionum humanarum.*

4. Omne judicium ſuum intellectus abſolvit mediantibus aliis prius cognitis. *Nam intellectus judicat ratiocinando: omnis autem ratiocinatio procedit à notioribus & quibus plus fidei tribuimus ad minus nota minusq; credibilia, eadem credibilia efficiendo.*

5. *Nos pro ratione inſtituti noſtri dicturi ſumus 1. de ſcientiâ 2. de prudentiâ 3. de opinione bonâ 4. de corrupto judicio.*

ARTIC. I.
DE
SCIENTIA.

1. Scientia perfectiſſima quædam rerum cognitio eſt. *Nam eſt habitus theoretici intellectûs proprius eumq; perficit. Uti ergò intellectus theoreticus tanquam diviniſſimum in homine & quamproximè ad mentem divinam accedens eſt perfectiſſimum quod homini ineſt; ita & cognitio, quâ perficitur, erit omnium perfectiſſima.*

2. Cognitionem perfectam tunc habet intellectus quando ulterius non quærit. *Nam quamdiu intellectus quærit, tamdiu ipſius cognitioni quid deeſt: quærere enim eſt tendere ad cognitionem ejus quod ignoramus.*

3. Ex

3. *Ex hiſce colligimus;* ſcientiam eſſe habitum quo rem unamquamque cognoſcimus per ſuam cauſſam, & quòd hæc ejus rei cauſsa ſit, quòdque res ſe aliter habere nequeat. *Nam primò quærit intellectus noſter,* an res ſit, *ſi compertum habet, rem ita ſe habere, nondum ſubſiſtit, ſed ulterius quærit,* quare ita ſe habeat, ſeu quæ ſit cauſsa hujus rei. *Siqne audiat cauſſam aliquam, quærit porrò*, an etiam hæc cauſſa quę à reſpondente allegata eſt ſit reverà illi9 cauſſa rei. *Et tandem hoc quærit,* an res ita ſemper ſe habeat, adeò ut aliter contingere nequeat. *Nam ſi deprehendit aliter ſe habere poſſe, aliquid ſuæ cognitioni deeſſe judicat; quia quando ſe res aliter habet ac eam cognovit, rem non novit. Sed hiſce quæſitis omnibus cognitis ulterius intellectus nil quærere poteſt. Ergò tunc perfectam cognitionem habet.*

4. Operatio porrò intellectûs conſiſtit in compoſitione orationum circa entia. *Nam intellectus unumquodque intelligit concipiendo ejusdem formam. Forma autem cujusq; entis eſt oratio quam intellectus circa unumquodque facit. Uti namque actus ſunt formæ rerum ſingularium; ita orationes intellectûs ſunt formæ univerſalium, quas intellectus theoreticus contemplatur. Hinc fit, quòd nulla forma entis univerſalis ſine intellectu ſit, nec tamen intellectus formas rebus imprimat. Id quod ſuperius demonſtratum dedimus.*

5. Perfectio intellectûs in hoc conſiſtit, ut ipſe quaſi entia componat & formet. *Nam dum orationes facit ex nominibus circa entia, eò ipsô quodammodo entia format & componit; quia ſingula nomina ſingula entia denotant, quorum compoſitio entium forma eſt.*

6. Scientiâ tunc inſtructus eſt intellectus, quando ipſe componit formatque entia ſecundum ſuas cauſſas. *Nam ſcientia in perfectâ quâdam operatione intellectus poſita eſt. Eſt verò tunc operatio intellectûs perfecta, ſi ipſe ex cauſſis & principiis entium eadem format quaſi & componit. Quemadmodum imperfecta ea operatio intellectûs ſeu cognitio eſt, quando orationes ab alieno intellectu compoſitas accipit, iisque fidem tribuit, & his velut normâ utitur in entibus formandis & componendis.*

7. Scire ergò eſt ex principiis, quæ habitus intelligentiæ componit, ſingula noſſe. *Sunt enim quædam orationes, ad quas componendas ruit intellectus tractus naturâ nec requirens compoſitionis cauſſam, quæ vocantur principia, circa quæ habitus intelligentiæ occupatus eſt. Ex hiſce progrediendo per demonſtrationes intellectus theoreticus ſingula cognoſcens & dijudicans ſcire dicitur.*

ARTIC. II.
DE
PRUDENTIA, CONSULTATIONE ET EX HAC NATA PROÆRESI.

1. Intellectus practici habitus eſt prudentia, tantum differens à ſcientiâ quantum intellectus practicus à theoretico. *Nam ſi ſubjecta diverſa ſunt ſuâ naturâ, diverſaq́; edunt operationes; neceſſe etiam eſt, à diverſis virtutibus perfici, i.e. à diverſis habitibus diſponi ad ritè fungendum munere ſuo.*

2. Prudentia non eſt ſcientia. *Nam prudentia perficit intellectum practicum in actionibus humanis & ita ſingularibus, quaq́; aliter vel aliter ſeſe habere poſſunt occupatum: eſt enim homo ſubſtantia mobilis cujus operationes aliter vel aliter contingere poſſunt. Scientia verò eorum eſt quæ ſe aliter habere nequeunt, perficitq́; intellectum theoreticum. Differunt ergò prudentia & ſcientia, quod prudentia habitus eſt practicus in ſingularibus occupatus. Hinc fit, ut nonnunquam prudentiores ſint empirici diu in ſingularibus verſati, quàm ſcientiam habentes. Unde etiam ſenibus deſtitutis ſcientiâ plus fidei tribuitur, quàm juvenibus ſcientiâ inſtructis.*

3. Prudentia verſatur circa ſingularia, non quemadmodum ſenſus eadem percipiendo horumque accidentia, adhibendo judicium mediante phantaſiâ; ſed mediantibus univerſalibus ſub quibus ſingularia ſumit; quemadmodum mathematicus triangula ſingularia cognoſcit. *Nam prudentia habitus eſt intellectum non ſenſitivas facultates perficiens. Intellectus autem cognitio procedit ab univerſalibus velut notioribus.*

4. Univerſales propoſitiones, quibus utitur prudentia, ſunt contingentes ut plurimum, quæ, quatenus univerſales ſunt, æternæ ſunt & neceſſariæ, quatenus ſingularibus applicantur aliter atque aliter ſe habent. *Nam v.g. depoſitum eſſe reddendum æternæ veritatis eſt, nec quatenus tale ſe aliter habet; ſed, quatenus Titii depoſito applicatur, aliter quandoque ſe habet ob accidentia quæ ſingularibus contingunt, nim. ſi Titio accidat furor vel deportatio. Qui enim tradunt prudentem applicando univerſalia ſingularibus demonſtrare æquè ac ſcientem qui univerſalia contemplatur, næ illi ſuam produnt ignorantiam, & omnem exceptionum materiam è foro civili exterminant; cujus tamen vel potiſſimus uſus eſt. Univerſalia autem quatenus univerſalia ſunt æterna eſſe & immutabilia, vel nos docent ſcripta ethica & politica, quæ non alio tempore vera alio falſa habentur, ſed cenſentur eſſe æternæ veritatis.*

5. Pru-

5. Prudentia habet ſcientiam architectonicam, quæ practica Ariſtoteli & civilis vocatur. *Cauſſam hujus rei haurire poſſumus ex iis, quæ ſuperius docuimus, nim. facultates animæ humanæ inferiores ineſſe ſuperioribus, quemadmodum triangulum reliquis figuris mathematicis, à quibus certam formam capit. v. g. triangulum quod ſit in parallelogrammo à duobus lateribus & diagonio, dividit illud in duas æquales partes. Quæ ſanè affectio non ineſt triangulo quod à parallelogrammo ſuam eſſentiam non capit. Sic quoque veroſimile eſt rem ſe habere circa intellectum practicum, ut aliquid formæ & eſſentiæ capiat à theoretico, & ratione ſcientiæ quâ utitur huic ſubjiciatur. Succurrit ergò theoreticus intellectus practico ſubminiſtrando cauſſas cognoſcendis & demonſtrandis propoſitionibus uſum præbentibus prudentiæ. Unde meritò habitus, quo id perficitur, ſcientia architectonica ſeu practica vocatur.*

6. Nec ergò ſcientia civilis ſeu practica eadem eſt cum prudentiâ: nec tamen alter habitus ſine altero eſt. *Ariſtoteles hoc noſtrum problema his proponit verbis: Civilis ſcientia & prudentia idem ſunt quidem habitus, eſſe verò ipſis non eſt idem. Nam in componendis dividendisque entibus practicabilibus, i. e. in affirmationibus & negationibus faciendis intellectus practicus concurrit. At ut ſingula ex ſuis cauſſis cognoſcantur intellectus theoretici operatio eſt.*

7. Scientia civilis ſeu practica prudentiam perficit ratione propoſitionum univerſalium, quibus utitur circa ſingularia verſando. *Nam habitus prudentiæ in cognitione non modò ſingularium ſed & univerſalium conſiſtit. Univerſalium autem perfecta cognitio ſcientia quædam eſt.*

8. Nemo prudens ſit ſolâ ſcientiâ civili acquiſitâ. *Nam prudentia magis occupata eſt in ſingularibus, hiſce applicando univerſalia, attendendo unà, quibus applicari poſſint vel non; ſeu quæ accidentia ſingularibus inexiſtentia faciant, ut univerſalia locum habere nequeant. Quàm ridiculum ergò eſt dicere, eum, qui univerſalia per cauſſas novit, ſatis callidum eſſe ad ſentienda accidentia ſingularium quæ impediunt univerſalia quò minus in iisdem locum habeant, tam ineptum eſt dicere inſtructum civili ſcientiâ prudentem eſſe. Verùm hæc magis perſpicua fient, ſi paulò ſubtilius in naturam prudentiæ inquiſiverimus.*

9. Prudentem omnes fatentur & dicunt eum, qui benè conſultare poteſt. *Hoc quippe & congruit cum iis quæ hactenus de prudentiâ diſſeruimus. Nam docuimus eam occupatum eſſe in ſingularibus quæ ab homine quatenus homo eſt practicabilia ſunt. Hæc verò ſunt ea de quibus deliberamus ſeu conſultamus. Nam de rebus, quas quis in ſuâ poteſtate ſcit ſe non habere, non niſi ſtolidus deliberat. Cum ergo prudentia*

dentia ſit ille habitus, quo intellectus practicus dirigit actiones humanas; rectè omnes tradunt, eam in conſultando poſitam eſſe. Dicendum itaque nobis erit quid conſultare, quid itidem benè quid rectè.

10. Conſultare eſt propoſito aliquo fine quærere quibus poſitis ille detur & in his quærendis progredi, donec perveniatur ad id, quod in poteſtate noſtrâ eſt & à nobis effici poteſt. *Ita v.g. propoſitum habeo finem hunc, me velle jucundam & otioſam ducere vitam, quæro quo poſito hoc dabitur? reperio hoc; ſi habiturus ſim multum pecuniæ fœnori. Itaq. porrò quæro, quo poſito hoc obtenturus ſim? reperio medium, ſi duxero benè dotatam uxorem. Quæro porrò quomodo hanc obtenturus ſim, deprehendo meâ in patriâ moribus introductum, ut ditiſſimæ virgines deſiderent Doctores quibus nubant. Quæro itaque, quo poſito evaſurus ſim Doctor, reperio, hunc honorem me obtinere poſſe evolutis probè legibus Romanis. Hoc in meâ poteſtate exiſtens præbet mihi principium meæ operationis. Nam quod in quærendo & reſolvendo eſt ultimum, id in operatione eſt primum.*

11. Ex hiſce probabimus, prudentiam uti univerſalibus propoſitionibus applicando eaſdem ad ſingularia non eo modo quo iis utitur qui demonſtrat. *Nam qui demonſtrat verſatur in neceſſariis, nec ſubſumit ſub univerſalibus unà attendendo an aliter vel aliter in hoc ſubſumpto res ſe habere poſſit. Qui verò conſultat, dum utitur univerſalibus, ſemper unà perpendere tenetur quomodo præſenti in negotio aliter vel aliter ſe habeant; quæque accidentia eadem tollant vel non admittant. v.g. ut retineamus exemplum* præced. num. *propoſitum, ſi quis in univerſalibus progreditur non attendendo quomodo unumquodque aliter ſe habere poſſit, vehementer in conſultatione errabit & loco otioſæ & jucundæ vitæ conſequetur vitam moleſtiſſimam. Nam multa ſunt accidentia quæ faciunt, ut pecunia fœnori data vitam noſtram turbet eamque moleſtam & inquietam reddat. Quale accidens eſt, ſi pecuniam fœneratitiam habeamus ab uxore ſuperbâ, quo tamen qui in meris univerſalibus ſubſiſtit loco medii utetur, prout ex exemplo* præced. num. *tradito apparet. Hinc toties quoties Ariſtoteles inculcat, ejuſmodi circumſtantiarum varietatem nec doceri nec ſcientiâ aliquâ proponi poſſe. Scil. ut paucis & in ſummâ dicamus, & ſciens & prudens veritatem per cauſſas inquirit; (ſine cauſſarum enim inquiſitione id quod verum eſt ſciri nequit) ſed ſciens inquirit cauſſas quatenus ex ſe & ſuâ naturâ cauſſæ ſunt, prudens quatenus in hac materiâ, hoc loco, hoc tempore, huic vel illi cauſſæ exiſtunt.*

12. Conſultatio recta eſt, quâ id quod obtinendum venit quomodo & quo tempore obtineri debet reperitur. *Nam, ad ſingulos*

gulos fines acquirendos non omnia media æq; conducunt, ſed alia præ aliis proſunt. Sunt & occaſiones, quibus qui non inſerviunt, nec puncto temporis media reperiunt, non rectè conſultare dicuntur.

13. Non tamen omnis recta conſultatio eſt bona. *Nam latrones reperientes tempore oportuno media inſervientia latrociniis commodè perpetrandis dicuntur rectè conſultaſſe, ſed non bonam conſultationem ſuſcepiſſe.*

14. Bona ergò conſultatio eſt recta conſultatio, quæ ducit ad verum bonum adipiſcendum. *i. e. eſt conſultatio quæ propoſitum habet verum aliquod bonum & ad hoc ducentia media quærit, non ratiocinatione aliquâ falſâ, nec alio modo, quàm quo oportet.*

15. Ex hiſce traditis nunc paulò clarius deſcribere poterimus, quomodo ſcientia civilis & prudentia idem habitus ſint, eſſentiâ tamen differant. *Nam prudentia ſine dubio in bonâ conſultatione conſiſtit. At hæc non eſt ſine propoſito fine, reverà bono: quinam fines reverà boni ſint certè cognoſcere ſine ſcientiâ non poſſumus; quia opinio erroribus obnoxia eſt. Decet ergò prudentem ſcientiâ veri boni inſtructum eſſe, quâ informetur voluntas, ut tendat ad verum aliquod bonum. Ejuſmodi ſcientiam nobis reliquit Ariſtoteles in libris de Moribus; in quibus tradit, quænam conveniant homini perſequenda, virtutes nim. quænam ſint fugienda, vitia ſcil. Præterea, quia quærentes media ad finem ducentia utimur univerſalibus, attendendo unà quæ accidentia faciant aliter atq; aliter illa in ſingularibus ſe habere: hoc autem fieri nequit niſi cognitis univerſalium rationibus & cauſſis; quæ enim accidentia ſingularibus inexiſtentia tollunt rationes & cauſſas univerſalium, faciunt quoq; univerſalia in ſingularibus ceſſare: hinc ſequitur, prudentem noſſe debere rationes & cauſſas univerſalium quibus utitur. Noſſe verò rationes & cauſſas univerſalium eſt ſcire. Unde ſequitur prudentes eſſe ſcientes quidem, aliam tamen eſſe eſſentiam ſcientiæ & prudentiæ; quia ſcientia ſubſiſtit in univerſalium ex ſuis cauſſis cognitione; prudentia verò in ſingularibus occupata eſt univerſalia applicando, & unà perpendendo, quibus accidentibus evertantur & tollantur, quominus in ſingularibus procedere poſſint. Proprium itaque prudentiæ, quo differt à ſcientiâ, eſt ſentire accidentia quibus rationes & cauſſæ univerſalium ſingularibus applicandorum evertuntur.*

16. Non immeritò itaque reprehendendi ſunt qui gloriantur, ſe in academiis prudentiam docere poſſe. *Nam quæ infinita ſunt doceri nequeunt: at ſingularia & quæ his contingunt accidentia, in quorum ſenſu prudentia conſiſtit, infinita ſunt. Ergò prudentia doceri nequit. Sed pro eâdem acquirendâ & parandâ multum facit*

ſcien-

ſcientia practica, plurimum experientiæ, quæ longum tempus deſiderat.

17. Multò minus tolerandi qui prudentiam dicunt conſiſtere in demonſtrationibus: dari enim & ſingularium demonſtrationes. *Ne hi alieni ſunt ab omni & ſcientiâ & prudentiâ. Nam conſultare non eſt demonſtrare. Quemadmodum enim mathematicus quærens cauſſas problematum non demonſtrat quando principia inveſtigat, ſed tunc, quando ex principiis inventis progreditur; ita conſultans non demonſtrat, ſed quærit principium, verùm non demonſtrationis ſed operationis; à quo invento initium operationis facit, quemadmodum mathematicus demonſtrationis. Perſpicuum ergò eſt prudentem quà talem non demonſtrare, niſi operationem velis vocare demonſtrationem. Quod ridiculum eſt.*

18. Prudentia non ineſt niſi homini reverà bono & omnibus virtutibus inſtructo. *Nam ſi vel una virtus deſit, corrumpi Judicium intellectus practici ab appetitu poteſt, ut quæ ſecundum reliquas virtutes peragenda ſunt negligantur. v. g. Ponamus quem eſſe fortem unà tamen avarum aut intemperantem; dico nec hunc verè prudentem nec verè fortem eſſe. Nam avaritia faciet, ut potius pecuniæ; intemperantia, ut potius luxuriæ obtinendæ, quàm honeſtatis gratiâ pugnet. Qui autem honeſtatis cauſâ nec conſultat nec operatur nec fortis nec prudens reverà eſt.*

19. Prudentiſſimus omnium eſt qui aptus eſt invenire quibus conſequimur quod optimum eſt. *Nam ſi prudentem eſſe eſt benè conſultare; prudentiſſimus dicendus erit qui optimè conſultat: & ſi bonus conſultator eſt qui eſt aptus reperire media ad finem reverà bonum ducentia; optimus conſultator erit, qui aptus eſt reperire omnium practibilium optimum per debita media. Quare prudentiſſimum ita definiendum eſſe conſtat. Eſt autem omnium practicabilium homini optimum DEO vivere, quod alibi demonſtrabitur.*

20. *Reſtat ut nunc de proæreſi etiam quid ſubjiciamus: quemadmodum enim Judicium, quod ſecundum ſcientiam practicam de bono fit, comitatur appetitus, quem voluntatem vocamus, quique tendit ad finem, cujus gratiâ conſultationem inſtituimus: ita quoque quando de factâ à nobis conſultatione judicium facientes deprehendimus, nos perveniſſe ad aliquod medium quod in poteſtate noſtrâ ſitum eſt, ut produci à nobis queat, appetimus ſecundum illam conſultationem operari, qui appetitus græcis proæreſis vocatur.*

21. *Definimus itaq; proæreſin, quòd ſit* appetitio operandi ſecundum conſultationem, quam judicium intellectus practici approbat.

22. Pro-

22. Proæreſis itaque non voluntas eſt, ſine voluntate tamen præviâ non exiſtit. *Nam voluntas etiam eorum eſt quæ contingere homini non poſſunt, v.g. immortalitatis, dominii in univerſum mundum &c. it. eorum quæ quis ipſe perficere nequit, v.g. quando volumus hunc vel illum regem in acie ſuperiorem exiſtere. At proæreſis non eſt eorum quæ fieri nequeunt, ſed quorum perficiendorum poteſtatem quis ſe habere concipit. Apparet ergò proæreſin non eſſe voluntatem: at eam nec ſine voluntate eſſe inde conſtat; quia intellectus practicus ad conſultandum excitari nequit, niſi prius judicio de fine facto, quod voluntas comitatur. Unde proæreſis ſine voluntate non eſt.*

23. Exinde porrò deducitur, omne proæreticum eſſe ſpontaneum, licet fortaſsè omne ſpontaneum proæreticum non exiſtat. *Nam ſponte fit quod ex alicujus voluntate aut non contra eam fit: at proæreſis ſine voluntate non eſt. Contrà verò deprehendimus homines quid facere ſpontè & ex voluntate ſine tamen præviâ conſultatione, v.g. quando moti irâ tendunt ad vindictam nullâ præmiſſâ conſultatione quouſq; & quatenus ea ſit intendenda: id quod plerumque accidit, quando quid repentè fit; quia conſultatio tempus deſiderat.*

ARTIC. III.
DE
OPINIONE.

1. Ea eſt intellectus humani cùm theoretici tum practici debilitas, ut rarò habitus horum proprios homines conſequantur. *Nam intellectus theoreticus & practicus habitibus ſuis inſtructi ipſi formant entia componendo & dividendo, i. e. affirmando & negando; idq; ſine errore & non temerè; ſed intellectus theoreticus id facit demonſtrando, practicus benè conſultando. At hoc paucis datum eſt, quos æquus amavit Jupiter. Nam pleriq; moleſtias & labores, cum quibus conjuncti ſunt hi habitus, quando parantur, fugiunt, & potius iis quæ ab aliis dicta & inventa ſunt hauriendis operam impendunt, tribuentes iisdem fidem; quia ſapientes aut prudentes exiſtimant eos, quorum præcepta addiſcunt.*

2. Hæc cauſſa eſt quare opinionibus totus regatur mundus. *Nam ſcientiam & prudentiam acquirere non valentes opinionibus inhærent, ſecundum quas omnia dijudicant. Dicendum ergò & de opinione eſt quâ homines judicare ſolent.*

3. Opinio eſt cognitio imperfecta rerum quam nobis non per cauſſas earundem paramus, ſed ex propoſitionibus, quas credimus veras eſſe quia omnes homines aut plerique aut ſapientes prudentesque, iique vel omnes vel plerique vel qui creditur ſapientiſſi-

mus aut prudentiſſimus eas ſtatuunt. *Quemadmodum enim ad lydium lapidem examinant aurum & argentum qui de eodem an verum an falſum ſit judicare volunt: ita ex propoſitionibus ab omnibus vel plerisq; hominibus aut à ſapientibus approbatis argumentando procedentes de vero & falſo judicant qui ſecundum opinionem judicium faciunt.*

4. Secundum opinionem non propriam prudentiam vivunt ſubditi, *id quod & ſuprà demonſtratum dedimus. Nam prudentum eſt eligere quæ ad benè vivendum conducunt, ſubditorum his uti velut principiis quibus actiones ſuas dirigant, & his tribuere fidem. Unde fit, ut ſubditi ſecundum alienam prudentiam vivant. Et inde porrò deducitur, Juvenes naturâ parere ſenioribus debere. Nam hi deſtituuntur experientiâ, quæ ad prudentiam requiritur, & propterea alienâ prudentiâ indigent.*

MEMBR: II.

DE CAUSSIS JUDICIUM HUMANUM CORRUMPENTIBUS.

1. *Ex præcedentibus deduci poteſt, quid corruptum Judicium ſit, & quibus ex cauſſis homines corruptè judicent.* Judicium aliud ſenſuum eſt aliud intellectus. Utrumque quomodo corrumpatur & ex quibus cauſſis erret ex præmiſſis deduci poteſt. Quemadmodum autem rectum Judicium intellectûs pariunt ſcientia, prudentia, opinio bona; ita corruptum vel non integrum, Ignorantia, imprudentia & opinio mala. *Quâ de cauſâ membrum præſens quatuor in partes diſtincturi ſumus.*

PRIMA PARS.

MEMBR. II.

DE IIS, QVÆ JUDICIUM SENSUUM CORRUMPUNT.

1. Senſus in Judicando variis modis decipiuntur. *Nam objecta ſenſuum varia ſunt, alia per ſe alia per accidens, & per ſe vel propria vel communia prout ſuprà docuimus. At de ſingulis diverſimodè ſenſus judicant.*

2. Error circa objecta per ſe contingit exinde, quòd ſenſus in recipiendis objectis non tantùm patiantur ſed & agant. *Nam ſuperius demonſtratum eſt, ſenſus recipiendo objecta non tantùm pati ſed agere, & inde fieri, quòd interdum homines concipiant & judicent ſe videre ſpectra, audire ſonos; cùm nullum extrinſecus ſit visûs vel auditûs objectum.*

3. Ju-

3 Judicium itaque ſenſuum circa objecta per ſe verſantium corrumpitur potiſſimum morbis & affectibus. *Nam cùm ſenſus recipiant objecta non ſolum patiendo ſed etiam agendo; hinc fit, ut humoribus in ſenſoriis ſeu organis ſenſuum corruptis ſenſus corruptè agant. Et hanc ob cauſſam febricitantes ſæpenumerò judicant, quid repræſentare figuram animalis; quod tamen lineamentorum quorundam ductus eſt aliam figuram habens. Sic in metu poſiti concipiunt ſe quid audire cùm nihil audiant; idque fit ob affectum metus excitantem ſenſus ad operandum quaſi circa objectum, ubi tamen nullum eſt. Patet itaque, quòd ſenſus non tantùm patiantur ſed etiam agant, cauſſam eſſe quare affectus & morbi Judicium ſenſuum corrumpant.*

4. Eſt & feſtinatio cauſſa, quòd ſenſus circa objecta per ſe verſantes corruptè judicent. *Nam judicium ſenſuum quandam deſiderare moram experientia teſtatur. Hinc enim fit, quòd ſoleant homines rectè judicaturi ſenſibus aliquam moram trahere ſive viſu ſive auditu ſive guſtu judicent.*

5. *Nolumus nunc ſeorſim enarrare cauſſas errorum circa ſingula objecta communia ſenſuum, motum nim. quietem, numerum, magnitudinem & figuram. De his enim, quod viſum concernit, optici latè tractant, & parum ad noſtrum propoſitum faciunt.*

6. In dijudicandis objectis per accidens ſeu iis quæ unà cum ſenſibus apprehenduntur erratur ſimilitudine & omiſſâ notatione differentiarum. *Nam errorum genitrix ſimilitudo eſt, eoſque rurſus diſpellunt differentiæ. Et hæc cauſſa eſt, quare communiter animalia plures uſurpent ſenſus in dijudicandis accidentalibus objectis, v. g. canes non modò viſu, ſed etiam odoratu ſuos dominos ab aliis ſecernunt & diſtinguunt ne errent in judicio faciendo.*

PARS SECUNDA
Hujus Membri
DE
CAUSSIS CORRUMPENTIBUS JUDICIUM INTELLECTUS THEORETICI.
ARTIC. I.
DE
IGNORANTIA ET HUJUS CAUSSIS.

1. Ignorantes ſeu ſcientiâ carentes duobus modis dicuntur, 1. qui ſcientiam ne quidem actu primo habent, i. e. qui omni ſcientiâ deſtituuntur. 2. quibus quidem ea ineſt actu primo non tamen actu ſecundo. *Ita v. g. qui geometriam nunquam didicit nec*

magnitudinum affectiones unquam ſpeculatus eſt ſcientiam nec actu primo habet. At qui ſcientiam geometricam didicit & nunc dormit vel furore corruptus eſt habet quidem eam actu primo non ſecundo. Nam dormientem nominamus geometram licet actu nunc non ſpeculetur. Quapropter utriusq; hujus ignorantiæ tradendæ nobis cauſſæ erunt. Priorem illam ignorantiam, quæ dicitur hominibus ineſſe, quando omni ſcientiâ deſtituuntur nec eam quidem actu primo habent, inſcitiam vocabimus.

2. Inſcitia vel puræ negationis eſt vel pravæ diſpoſitionis. Inſcitia puræ negationis oritur ex defectu eorum quæ ad cognitionem univerſalium requiruntur. *Nam ita comparatum eſt cum intellectu noſtro ut univerſalia ſine inductione & previâ ſingularium per ſenſus cognitione comprehendere nequeat. Qui enim non per ſingularia univerſalia cognoſcunt aut eadem recitant, quemadmodum pueri ſolent in ſcholis præcepta logica, ethica & phyſica recitare, ignorantes quid loquantur, vel uti olim pueri verſus Empedoclis, vel ſi in ſenſum penetrare ſtudent inania fingunt phantaſmata ſeu imagines rerum ſingularium ineptas. Indicio etiam eſt, quod tanta ſeſe noſtro intellectui offerat difficultas, quando in rebus à ſenſu longè remotis v. g. ad metaphyſicam pertinentibus verſatur; quas tamen itidem ſatis apprehendere nequit, niſi à ſingularibus inductio fiat. Præ cæteris autem nos docere poſſunt theoremata geometrica, quæ univerſaliter propoſita intellectus capere nequit, niſi fiat ἔκθεσις mediante ſchemate ſingulis figuræ partibus per literas denominatis. Unde quia moleſtia gignitur intellectui, ſi ſuo non ritè fungatur munere, nec univerſale propoſitum capere poſſit, ſolent nonnulli geometræ ſtatim enarrationi theorematis ἔκθεσιν immiſcere. Cujus rei inventorem deprehendi virum optimum & de ſtudiis mathematicis olim VVittebergæ benè meritum B. Jœſtelium, quem diſcipulus ipſius D. Ambroſius Rhodius imitatus Euclidæa elementa tali formâ & accuratiſſimâ brevitate edidit.*

3. Cauſſa inſcitiæ puræ negationis eſt 1. defectus ſenſuum. *Nam ſine ſenſibus ſingularia cognoſcere non poſſumus: deficiente autem ſingularium cognitione univerſalia aut ineptè aut planè non concipiuntur*

4. Secunda cauſſa eſt feritas i. e. defectus facultatis excitandi intellectum ad ratjocinandum. *Nam feritas & beſtialitas non propterea hominibus ineſſe videtur quod ſint nonnulli omni intellectu deſtituti non aliter ac beſtiæ: ſed quia intellectus humani ea eſt imbecillitas, ut ad ſpeculationem veritatis ſe habeat, quemadmodum veſpertilionum oculi ad lumen diei, adeò ut parum perficiant & exiguam partem inventis ad-*

dant qui ſe totos ſpeculationibus conſecrant: non eſt mirum in nonnullis hominibus contingere, ut penè per totam vitam nulla ſeſe exerat intellectûs operatio, ut ita vivant vitam beſtiæ ſimilem & propterea non immeritò beſtiales & feri homines dici mereantur.

5. Ineſt autem hominibus feritas ſeu beſtialitas vel naturâ vel conſvetudine ſeu aſſvefactione. *Nam nonnulli homines ita ſunt comparati, ut qualiscunq; tandem accedat diſciplina nihil intellectu aſſequi poſſint; alii à teneris aſſveſiunt vitæ ferinæ deſtituti omni diſciplinâ & ignorantes credenda & facienda, quales ſunt agreſtes homines, ſubulci, bubulci &c.*

6. Tertia cauſſa eſt corrupta phantaſia, quæ ineſt iis qui perpetuo furore laborant. *Nam intellectus ratiocinatur mediantibus phantaſmatibus: & proinde phantaſiâ ita corruptâ, ut nunquam reſtituatur, neceſſe eſt inſcitiâ hominem laborare.*

7. Quarta inſcitiæ cauſſa eſt defectus ætatis. *Hinc infantum ſcientia eſt nulla; juvenum & ætate profectiorum, imperfecta. Nam ad univerſalium cognitionem requiritur inductio ſeu collectio ex ſingularibus: at hæc nulli ineſt niſi experientiâ inſtructo. Hæc verò requirit tempus. Licet ergò Juvenes & pueri quoq; nonnunquam univerſalia recitent; fit tamen hoc ſine intellectu, ſolâ phantaſiâ operante: verba quippe memoriæ mandantur, & inde promuntur, quando recitanda ſunt.*

8. Quinta cauſſa eſt cujuslibet hominis negligentia. *Nam diſcere cum moleſtiâ conjunctum eſt, quam fugientes homines in inſcitiâ permanent.*

9. Sexta cauſſa eſt genus vitæ quod quisque hominum colit. *Nam dum huic vel illi rei intenti eſſe tenentur, alia coguntur negligere. Ita v.g. ruſtici & milites ſpeculari non poſſunt legum ſubtilitates.*

10. *Sequitur ut de ignorantiâ pravæ diſpoſitionis dicamus. Eſt verò hæc ignorantia quædam deceptio & error conſiſtens vel in propoſitionibus quæ velut primæ ſine cauſſis approbantur & veræ creduntur, vel in iis quæ ex aliis deducuntur: & hic poſterior error ſine alio errore non contingit. Nam error concluſionis in ſyllogiſmo præſupponit errorem in præmiſſis.*

ARTIC. II.
DE
IIS QUÆ ACTUM SECUNDUM SCIENTIÆ IMPEDIUNT.

1. *Scientiam, quam nobis acquiſivimus, non ſemper actu ſecundo habemus, ſed tunc tandem quando ſpeculamur. Dicimur verò nihilomi-*

nus ſcientes licet ſcientiam non actu ſecundo ſed primo tantum habeamus, modo eam, quando lubet, in actum ſecundum deducere poſſimus.

2. *Sunt autem nonnulla quæ faciunt, quo minus ſcientiam quam actu primo habemus in actum ſecundum deducere poſſimus.* Videnturque tria numero eſſe, ſomnus, morbus, ebrietas. *Nam ut facultas intelligens benè fungatur ſuo munere requiri videtur ſangvis tenuis, (experientia enim teſtatur aptiſſimos ad parandas ſcientias eſſe vimque intelligendi meliorem habere eos, quorum ſangvis tenuior eſt,) At ſomnus, ebrietas & nonnulli morbi ex evaporatione quadam alimenti provenientes, ſangvinem craſſum reddunt, & propterea vim intelligendi impediunt: quæ redit non prius quàm quando feculentus ſangvis à ſincero diſcretus eſt: quod fit quando concoctione abſolutâ homo expergiſcitur vel ebrietate morbove ceſſante ad ſe redit.*

PARS TERTIA.
Hujus Membri.
DE IMPRUDENTIA ET CAUSSIS CORRUMPENTIBUS JUDICIUM INTELLECTUS PRACTICI.

1. *Quò Judicium intellectus practici integrum ſit, ſuperius diximus, requiri 1. bonum propoſitum ſeu voluntatem quæ tendit ad id quod reverà bonum eſt. 2. conſultationem rectam. 3. cognitionem ſingularium non qualem vulgus habet, ſed quæ ad actiones ſecundum rectum conſilium inſtituendas requiritur.*

2. Voluntati rectæ inſervit ſcientia civilis. *Hæc namque, uti ſuperius demonſtravimus, eſt illa ſcientia, quæ quod reverà bonum eſt homini ſpeculatur. Voluntas verò eſt appetitus qui ab intellectu præparatur, & per conſequens recta ea quæ eſt appetitibus ex ſcientiâ boni naſcens.*

3. Voluntatem ea omnia reddunt non integram quæ faciunt, ut ſcientia boni in homine vel nulla adſit vel non actu ſecundo. *Nam in ſcientiâ boni concurrit intellectus theoreticus cujus beneficio ex cauſſis unumquodque ſpeculamur.*

4. Primò itaque voluntatem reddunt nullam in homine quæ faciunt, ut ne quidem actu primo ſcientia eidem inſit. Qualia ſunt ignorantiam puræ negationis gignentia, veluti defectus ſenſuum, feritas quæ hominibus ineſt vel naturâ vel aſſveſactione, furor perpetuus, defectus ætatis & negligentia cujusque hominis. *Nam*

Nam ubi mera eſt ignorantia, ibi voluntatem nullam eſſe neceſſe eſt. Diximus enim ſuperius appetitum præparari vel ſolâ phantaſiâ vel intellectu, illumq; vel iraſcibilem vel concupiſcibilem eſſe, hunc autem qui ab intellectu præparatur voluntatem eſſe. Et hinc feris hominibus, perpetuo furore laborantibus, infantibus nullam voluntatem ineſſe dicimus.

5. Secundò erroneam voluntatem cauſſatur ignorantia pravæ diſpoſitionis, quando ſcil. erratur vel in ſolis principiis vel in iis, quæ ex principiis deducuntur. *Nam tot generum eſſe ignorantiam pravæ diſpoſitionis paulò antè diximus. Voluntatem itaque erroneam habent, qui propoſitionem contradictoriam vel contrariam ſumunt, ei propoſitioni, quæ vel principium eſt ſcientiæ practicæ vel ex principio deducta, idque faciunt vel ſine medio probante vel per medium probans, qui poſterior error gravior eſt, quàm quando ſine medio quid ſumitur: conſiſtit etenim in pluribus propoſitionibus.*

6. Porrò quemadmodum actum ſecundum ſcientiæ impediunt ſomnus, morbus, ebrietas, ita & voluntatem, quo minus actu ſecundo adſit. *Nam voluntas appetitio eſt præparata ab intellectus judicio, quo ceſſante nec actu ſecundo exiſtente neceſſe eſt appetitionem hanc ceſſare.*

7. *Hæ ergò cauſſæ voluntatem nullam reddendes ſunt communes cum iis, quos ſuprà diximus Judicium intellectus theoretici etiam impedire, tollere vel facere, ut non adſit.* Eſt autem & cauſſa quæ ſpecialiter Judicium intellectus practici corrumpit, nim. Voluptas & moleſtia. *Nam ut quis ſtatuat triangulum, quod novit habere tres angulos æquales duobus rectis, habere tres angulos æquales quatuor rectis nullâ voluptate vel moleſtiâ adduci poteſt: at ut ſtatuat magiſtratum non eſſe honorandum, licet ſuggerantur cauſſæ, quare honorandus ſit voluptas, vel moleſtia efficere poſſunt. Unde apparet, Judicium intellectus practici voluptate & moleſtiâ corrumpi poſſe. Dicendum ergò eſt hic ſpecialiter de voluptatibus & moleſtiis, quàm variæ in homine ſint, quamque ſingulæ harum ſpecies vim habeant.*

ARTIC. I.
DE
VOLUPTATUM ET MOLESTIARUM SPECIEBUS HARUMQUE VI QUAM IN VOLUNTATEM HUMANAM EXERCENT.

1. Variæ inſunt hominibus voluptatum & moleſtiarum ſpecies. *Nam diximus ſuprà de voluptatibus & moleſtiis in genere*

(inſunt

(*inſunt enim omnibus animalibus*) *eas conſiſtere in perceptione operationum, quatenus naturæ ſubſtantiarum ſentientium vel congruæ ſunt vel non. Quia verò in homine diverſa ſunt facultates animæ operantes, & per conſequens diſſimiles operationes: neceſſe quoque eſt diſtinctas & diverſas in eodem gigni voluptates & moleſtias.*

2. Voluptates quibus afficitur homo alias communes cum beſtiis habet alias proprias & à beſtiarum voluptatibus ſejunctas; illas beſtiales vel corporis has humanas vel animi voluptates vocare poſſumus. *Nam ſuperius dictum, homini ineſſe facultatem animæ primò vegetativam & ſentientem ſecundumque ſenſus appetentem, ſecundò intelligentem eamque vel in rebus neceſſariis vel in iis quæ ſe aliter atq; aliter habent occupatam.*

3. Voluptates in hominibus non modò diverſæ ſed & pugnantes eſſe videntur. *Nam quælibet operatio humana ſuam ſibi propriam habet voluptatem à quâ perficitur: auget enim & amplificat voluptas unamquamque operationem, v. g. quisque in unaquâque diſciplinâ eò celerius proficit, quò majori ad eam percipiendam ducitur voluptate: hæc enim facit ut diſcens diligentius judicet & ſingula accuratius perſequatur. Hinc etiam fit, quòd non omnes æquales profectus ſentiant in omnibus diſciplinis & artibus: alii enim in arte muſicâ alii in architectonicâ alii in pugillatoriâ celeres habent profectus, quod fieri non poſſet, ſi una eſſet communis voluptas generaliter concurrens ad omnes operationes perficiendas. Patet itaque, ſingulis operationibus proprias voluptates à naturâ junctas eſſe vim perficiendi eaſdem habentes. Quin quod in hac operatione eſt voluptas & vim perficiendi habet in alterâ vim moleſtiæ exercet. Deprehendimus enim, eam operationem quæ plus jucunditatis affert deſtruere alteram. v. g. ſi jucundius ſit Titio converſari cum amaſia quàm contemplari res mathematicas, occupatus in rebus mathematicis ſi videat puellam quam amat, abjiciet diagrammata & inſerviet eidem: ſcilicet idem hîc operatur voluptas ex converſatione cum puellâ quod moleſtia cum quâ diſcere res mathematicas conjunctum eſt. Adeoque apparet, alienas voluptates propemodum idem operari quod moleſtia cujusque operationis propria.*

4. Quam maximè verò diverſæ ab invicem eſſe & inter ſe pugnare videntur voluptates corporis & animi. *Nam appetitus ſæpè repugnat Judicio intellectus ejusque operatio alia eſt ab eâ quæ ſecundum intellectus judicium inſtituenda eſt. Unde cùm contrariæ ſint operationes, etiam diverſæ & inter ſe pugnantes ſunt voluptates: unamquamque enim operationem ſuam propriam ſibi habere voluptatem, & propterea operationes contrarias & pugnantes etiam comitari pugnantes voluptates, ex præced. num. apparet.*

5. Vo-

5. Voluptatum corporis illecebris ducuntur homines ad res turpes & à Judicio intellectûs alienas faciendas; moleſtiarum verò corporearum aculeis ab honeſtis & judicio intellectûs conformibus abſtinentur. *Nam demonſtratum in præcedentibus eſt, voluptatem operationis unius habere vim in aliâ præſertim contrariâ quod moleſtia in eâdem. Unde ſequitur eum, cui magis jucunda eſt operatio appetitus difformis judicio intellectûs, abſtinere ab iis operationibus quas judicium intellectûs dictitat. Quemadmodum verò in voluptatibus, ita contrà in moleſtiis ſeſe habet. Cui ergò moleſta eſt operatio quam dictitat judicium intellectûs, ille eò ſectatur contrariam operationem. Habet enim ex naturâ contrariorum moleſtia hujus operationis in aliâ præſertim operatione contrariâ ſimilem vim, quam in illâ alterâ propria voluptas obtinet.*

6. Voluptates corporis faciunt, ut homo magis inclinatus ſit ad malè quàm benè vivendum. *Nam in præcedentibus dictum, voluptates augere & amplificare operationes. Scilicet ita comparatum eſt, ut, phantaſiâ aliquid jucundi objectante, concitentur ab animâ ſedem in corde habente calor ſpiritusq́, quibus ad operandum homo habilis redditur. Jam verò omnis homo à teneris etiam tunc, quando intellectus nondum operatur appetitûs ſentit operationes & particeps fit voluptatum, quæ has comitantur. Unde fit, ut voluptates hæ augeant & amplificent appetitûs operationes, ſupprimant verò eas, quæ à Judicio intellectus proveniunt. Cauſſa itaq́, quare homines magis ad malè quàm ab benè agendum ſint inclinati, eſt, quod voluptates corporis cum iis quaſi educatæ ſint, & ita ſimile quid circa operationes intellectûs proprias conficiant, quod moleſtiæ. Si ergò benè agere eſt judicio intellectûs conformiter operari nec admittere, ut appetitus tendat in infinitum, ſed refrenetur & ad mediocritatem ſervandam reducatur; malè agere verò, tendere eò quorſum ſine ratione fert appetitus: ſequitur, homines ad malè potius, quàm benè agendum à teneris proclives eſſe. Ex quibus colligimus, ſi manſiſſemus in ſtatu integritatis, à nativitate ſtatim intellectum per divinam gratiam ſuas edidiſſe operationes, & voluptatem ex hiſce perceptam ſuppreſſiſſe eas quæ cum judicio rationis pugnant. Verùm hæc theologiæ ſunt ſpeculari, quæ unà docet, non Numini omnis naturæ principio hoc adſcribendum eſſe, quod homo ita ſit comparatus. Hoc ſufficiat hic noſſe, voluptatem corporis eſſe paſſionem quandam, qua vita noſtra à teneris imbuitur, quamque propterea difficilè eſt abſtergere & eluere.*

7. Voluptates corporis ſunt regula quædam, quâ vulgus hominum ſuas dirigit actiones. *Nam vulgus intellectum non erigit, ſed ductu phantaſiæ ad eas concitatur operationes, quæ cum voluptate corporis*

pore conjunctæ ſunt, eas fugit, quas cum moleſtia videt conjunctas. Phantaſia etenim exhibens futuram operationem efficit, ut quaſi jam percipiatur voluptas quæ futura eſt, & hinc ſpiritus excitantur reddentes hominem ad operandum agilem.

9. Voluptates & moleſtiæ cauſſæ vitiorum hominibus exiſtunt. *Nam homines voluptatibus illecti crebrius facientes quæ cum judicio intellectûs non congruunt, & moleſtiis ab actionibus, quas jubet ratio edere, ſæpius deterriti tandem habitum ſibi parant, ut nil niſi ejusmodi voluptates ſectentur, omnesque contrà moleſtias fugiant. Ejusmodi autem habitus vitia ſunt, v. g. delectatus ſemel vel aliquoties lucris acquiſitis non à quo nec quibus mediis debebat, tandem habitum avaritiæ ſibi parat, ut judicio intellectûs corrupto ita argumentetur.*

Quocunque paratur mihi pecunia ſine labore non à quo nec quibus mediis juſtè acquiri ſolet illud faciendum.

Atqui ſi furtum facio paratur mihi pecunia ſine labore non à quo nec quibus mediis juſtis paratur.

Ergò furtum eſt faciendum.

9. Præbent etiam voluptates & moleſtiæ ſigna virtutum & vitiorum. *Nam voluptas gignitur ex perceptione operationis naturæ congruentis: & quia quod per aſſuefactionem nobis ineſt quaſi naturale eſt (conſuetudo enim altera eſt natura,) ſequitur eum, qui exinde, quod voluptatibus corporis abſtineat vel rebus gravibus & moleſtiam communiter afferentibus gerendis implicatus ſit, voluptatem percipit, pro virtuoſo; contrà hunc, qui moleſtiâ afficitur, quòd à corporis voluptatibus abſtinere vel res graves & moleſtas gerere teneatur, pro vitioſo habendum talemque dijudicandum eſſe.*

10. Voluptates vel corrumpunt voluntatem vel faciunt, ut licet in homine ſit recta ratio actu primo, non tamen in actum ſecundum deduci queat. *Nam voluptates quatenus cauſſæ vitiorum ſunt corrumpunt voluntatem, quatenus autem homo nondum redditus eſt vitioſus, nec dum tamen habitum virtutis ſibi paravit, ſed cum hiſce pugnat iisq; reſiſtere ſtudet, nonnunquam ab iisdem ſuperatur, dum non admittunt, ut voluntas ipſius recta in actum ſecundum deducatur.*

11. Voluptates & moleſtiæ voluntatem rectam impediunt, quò minùs actu ſecundo ſubſiſtat, eum in modum quo ebrietas, furor, ſomnus faciunt ne ſcientia actu ſecundo adſit, quam quis actu primo habet. *Nam phantaſia objiciens appetitui imaginem futuræ operationis efficit, ut voluptates & moleſtiæ eam comitantes, quaſi jam ſentiantur, quib. appetitus excitatus facit ut homo perſequatur vel fugiat à phantaſiâ objecta: idque cùm appetitus perficiat immutando ſanguinem circa*

circa cor & gignendo varios affectus, concitando itidem vel ſedando ſpiritus; turbatur inde ſanguis, ut intellectus officium facere nequeat. (Ad hoc enim ut intellectus benè ſuo munere fungatur requiritur ſanguis tenuis & ſincerus: cujus indicium eſt, quod tenuem & ſincerum ſanguinem habentes vim intelligendi bonam præ cæteris obtineant, quòdque ea in ſuo officio à ſanguine per vapores ex ebritate turbato impediatur,) Et quia voluntas eſt appetitus cum intellectu ſeu ratione; recta, cum rectâ ratione: ſequitur voluntatem rectam ceſſare ubi rectæ ratio actu ſecundo non adeſt, & per conſequens à voluptatibus æquè impediri quò minus in actum ſecundum deduci queat ac ſcientia ebritate vel ſomno.

12. Voluptates & moleſtiæ actum ſecundum voluntatis rectæ vel ratione univerſalium vel ratione ſingularium propoſitionum præpedire poſſunt. *Definivimus namque voluntatem, quòd ſit appetitus quem præparavit intellectus practicus: non poteſt verò aliter intellectus in præparando appetitu ſuum munus perficere, quàm ſyllogiſmo practico, qui quando fit in primâ figurâ majorem habet univerſalem minorem ſingularem: quæ enim appetimus ſingularia ſunt. Itaque quid poſſint voluptates & moleſtiæ circa utramque propoſitionem videndum erit.*

13. Voluptates & moleſtiæ efficiunt, ut homines ſcientes univerſales propoſitiones iisdem non utantur, aut ſi incidant, dum ductu voluptatum vivunt, eaſdem recitent non aliter ac pueri in ſcholis univerſalia ethica præcepta. *Nam experientia teſtatur, reperiri Chriſtianos, qui, quamdiu ſibi relicti nec hujus mundi voluptatibus accenſi, nec dolores & moleſtias percipiunt, hanc propoſitionem,* Chriſtianum omnem Chriſti vitam imitari decet, *ita intellectu ſuo impreſſam habeant, ut nullam aliam veriorem credant, mox ſubjecti cruciatibus & tormentis Servatoris ſui hujusque propoſitionis immemores declinandorum dolorum gratiâ faciant ea quæ ab iſtâ regulâ ſunt aliena, & ſi quando eadem illis in memoriam revocetur, cernas ipſos eandem itidem recitare, ſed ſine ſenſu quemadmodum pueri qui in univerſalia penetrare nequeunt, aut inebriati recitantes aliquam propoſitionem metaphyſicam: tantam namque vim habent moleſtiæ & voluptates corporis, affectusque, quos appetitus voluptatibus vel moleſtiis concitatus movet, ut non modò corpus immutent, ſed & hominem ita pervertant, quò dormienti vel inebriato ſimilis fiat.*

14. Cumprimis autem voluptates & moleſtiæ faciunt, ut ignoretur propoſitio ſingularis in ſyllogiſmo practico. *Id ex incontinentibus diſcimus, qui, licet iis in memoriam revocemus hanc propoſitionem,* quod reddit hominem viliſſimum & contemptiſſimum fugi-

fugiendum eſt, *adeo ut eam probè percipiant, tamen in ſtupro committendo progrediuntur, hanc ob cauſſam, quod concupiſcentia & præſentes voluptates ex re venereâ faciant eos actu ſecundo non habere cognitam propoſitionem hanc ſingularem*, ego ſtuprum committens reddor homo vilis & contemptus. *Nam fieri non poſſe videtur, ut idem unà delectetur ſtupro & meditetur hanc propoſitionem.*

15. Impeditur voluntas recta ne ſe exſerat potiſſimùm, quod cognitio propoſitionis ſingularis in ſyllogiſmo practico in uſum deduci nequeat. *Nam contingit quem facere aliud quàm quod vult, licet ſyllogiſmi practici majorem & utriusque propoſitionis in eodem proſyllogiſmos ſciat: hæc enim omnia ſalvo voluptatum præſentium imperio ſciri poſſunt. At ſingularis illa propoſitio præcipua eſt in rebus agendis: quæ proinde impedita ne in actum deduci poſſit & conſiderari, facit ut homo aliter quàm vult operetur.*

16. Cæterùm exſatiato appetitu hujus ſingularis propoſitionis notitia redit, gignitque facti pœnitentiam. *Nam in quibus voluntas corrupta eſt, nec majorem propoſitionem veram dijudicant: unde ſyllogiſmum practicum nunquam aliter formant, quàm prout vitia dictitant: at qui ita ſuperantur à voluptatibus, majorem propoſitionem ejusmodi veram ſtatuunt, quâ, qui rectam voluntatem habent, reguntur: tantummodo, quòd voluptates & affectus præpediant conſiderationem minoris, quamdiu durant. Quâ de cauſâ ceſſantibus impedimentis integer ſyllogiſmus, in quo voluntas recta poſita eſt, redit, quem homo intellectu verſans & facienda ſecundum rectam voluntatem cum factis conferens, ſemetipſum odiſſe & quæ facta ſunt deteſtari incipit. Id quod pœnitentiam vocare ſolemus. Verùm de his plura dicentur infrà, quando de conſcientiâ tractaturi ſumus.*

17. Quorum voluntas quidem recta eſt, ſed aut voluptates ſuperare nequeunt aut patiuntur ſe vinci & ſuperari moleſtiis, incontinentes vocantur & molles, non vitioſi. *Nam in improbis & vitioſis ne quidem ſalvum eſt principium, mens nimirum directrix; at in incontinentibus hoc principium adhuc integrum eſt, ad quod redeunt pœnitentiâ ducti. Facilè autem cum vitioſis confundi poſſunt, quia licet vitioſi non ſint, faciunt tamen eadem quæ vitioſi ſolent; quemadmodum qui non ſtulti ſunt eadem nonnunquam cum ſtultis faciunt. Quapropter & philoſophis incontinentia dicitur improbitas non perpetua.*

ARTIC.

ARTIC. II.
DE
PROÆRESI ET IIS QUÆ EANDEM VEL CORRUMPUNT VEL IMPEDIVNT NVLLAMQVE REDDVNT.

1. Proæreſin omnia ea vel corrumpunt vel nullam reddunt, quæ voluntatem. *Nam quemadmodum voluntas prærequirit ſcientiam boni & mali, quæ operatio intellectûs practici eſt; ita proæreſis conſultationem, quæ itidem intellectu practico abſolvitur.*

2. Minus ex proæreſi ergò operantur primò ſenſibus deſtituti & cumprimis auditu. *Nam conſultatio fieri nequit, niſi vel propriâ experientiâ vel relatu aliorum perceperimus quæ ad quemcunque finem obtinendum conducant. Quam plurimum autem ad prudentiam & conſultationem ritè inſtituendam facit auditus; quia præditi auditu quæ ſalutaria & conducentia ſunt ab aliis audire & informatione uti poſſunt: muti autem & ſurdi nullam rerum ſalutarium cognitionem habent niſi eam quam propriâ experientiâ ſibi pararunt. Cùm verò plus poſſit diſciplina comprehendens id quòd à perquam multis per plurima ſecula obſervatum fuit, quàm unius hominis experientia: ſequitur cæcos plerumque mutis & ſurdis prudentiores eſſe, & proinde mutos ſurdosque minus ex proæreſi operari, quàm cæcos. Quamvis nonnunquam contingat mutos ſurdosque cæcis prudentiâ præſtare propter naturalem, quæ iisdem ineſt, calliditatem.*

3. Secundò etiam minus ex proæreſi operantur homines feri & beſtiales. *Nam conſultatio eſt quædam intellectûs operatio, quæ in hominibus feris nulla cernitur. Et quanquam interdum videantur ex conſultatione agere: ſimiliter tamen ſe res habet ac in brutis animalibus, quæ ductu phantaſiæ operantur ſimilia iis quæ homines ex prudentiâ faciunt.*

4. Omni proæreſi tertiò reputantur deſtituti qui corruptam ex morbo habent phantaſiam. *Omnis enim intellectualis operatio, & proinde etiam conſultatio mediantibus fit phantaſmatibus; quibus corruptis neceſſe quoque eſt operationem intellectûs practici in conſultationibus ſe malè habere.*

5. Infantes quoque &, qui ultra infantiam ſunt, impuberes nihil proæreticum facere cenſentur: *Nam conſultatio proficiſcitur ab intellectu practico, qui ſuas operationes non niſi cum tempore edit, quia experientiam quandam prærequirit. Quamvis hæc facultas in nonnullis, quales ſunt qui naturâ callidi dicuntur, tam celeriter ſe exerat, ut etiam ante*

ante pubertatem calliditas in his deprehendatur. Quam ob cauſſam jura noſtra tradunt, malitiam nonnunquam ætatem prævenire.

6. Multi quoque negligentiâ quâdam vel genere vitæ quod amplectuntur impediuntur ex proæreſi operari. *Nam conſultare eſt quærere; hoc verò cum moleſtiâ quâdam conjunctum eſt, quam homines fugientes conſultare omittunt etiam tunc, quando neceſſarium eſt.*

7. Conſultationem etiam affectus impediunt. *Nam affectus apud nonnullos ſuâ celeritate apud alios acrimoniâ conſultationes impediunt. Ii enim qui acutâ bile laborant ob celeritatem affectuum conſultare impediuntur; at atrâ bile infecti ob vehementiam eorundem conſultare nequeunt; quia bilis atra facilè recipit ſpecies quas phantaſia offert.*

8. Tandem impeditur conſultatio defectu quodam naturali inveſtigandi media. *Quemadmodum enim nemo philoſophus evadere poteſt, niſi ſit inſtructus naturali facultate conjectandi cauſſas rerum, quamvis præcepta analytica perfectè noverit: ita quoque qui naturaliter non eſt inclinatus ad media propoſito fini inſervientia celeriter reperienda, nunquam prudens evadet.*

9. *Hactenus enarrata ſunt quæ impediunt proæreſin ratione conſultationis:* ſunt autem nonnulla quæ faciunt proæreſin ceſſare etiam deliberatione ſeu conſultatione factâ. *Nam multi deprehenduntur homines, qui benè conſultarunt de mediis ad felicitatem humanam ducentibus, ſed in deliberatis non ſubſiſtunt: v. g. multi conſultatione rectâ invenerunt, abſtinendum vino eſſe, quò felicem colant vitam: at in his appetendis non perſiſtunt ſed à conſtantiâ appetendi dimoventur voluptatibus & affectibus. Cum itaque proæreſis ſit appetitus ex conſultatione ſubortus; ſequitur, eam impediri affectibus & voluptatibus, quæ faciunt ut homo in deliberatis non permaneat.*

ARTIC. III.
DE ERRORE CIRCA SINGVLARIA IN QVIBVS PRVDENTIA OCCVPATA EST.

1. *Superius dictum eſt, prudentiam aliter verſari circa ſingularia judicando aliter ſenſus & phantaſian: Unde ſequitur, aliter contingere errores circa ſingularia quatenus in iis verſatur prudentia, aliter circa ea in quibus occupata eſt ſola phantaſia, v. g. ſolâ phantaſiâ cognoſcimus latronem, ſi acciderit nos ſpoliatos ab habente nigros capillos & torvam faciem, & ejuſmodi hominem nunc denuò nobis obviam venire: ſed prudentiâ latronem quem eſſe dijudicamus ex definitione latronis & ſignis*

gnis quæ ſingulas definitionis partes indicant. Quemadmodum enim mathematicus cognoſcit hanc figuram A B C eſſe triangulum quoddam non ex nigro, flavo &c. ſed quia videt eſſe ſpacium tribus lateribus clauſum: ita vir prudens non ex iis quæ objectis ſenſuum accidunt ſolâque phantaſiâ ſed definitione ſingularia cognoſcit & dijudicat, v.g. hunc Stichum furem cognoſcit prudens exinde, quòd deprehendat eum eſſe contrectatorem rei alienæ invito domino.

2. Contingit itaque error circa ſingularia quatenus objecta prudentiæ ſunt. 1. ob definitionem minus accuratè cognitam. *Nam ſi in definitione ſit aliquid omiſſum vel ſuperfluè inſertum, reputabitur v. g. fur qui non eſt & non fur qui eſt. Si definitionem furis conceperis, quòd ſit contrectator rei alienæ, omiſſâ hac parte definitionis* invito domino, *habebis pro fure Titium ſui amici, qui ultrò largiturus fuerat, panem apprehendentem & comedentem: ſin verò eum demum credas furem, qui rem alienam invito domino contrectat & inde locupletior redditur, reputabis Stichum, qui rem furtivam ſtatim iterum amiſit, furem non eſſe, cum tamen ſit: idque tibi continget propter definitionem ſuperfluam. Unde conſequitur, prudentis eſſe, definitiones accuratè noſſe.*

3. Secundus error contingit ob hoc quòd ſingulas partes definitionis non ſemper ſenſu deprehendamus ſingularibus ineſſe, ſed ex ſignis & conjecturis eaſdem colligere teneamur. *Ita enim comparati ſunt homines, ut flagitia ſua occultent, quò impunè peccare queant, & propterea ex multis ſignis ad ſingulas cujusque delinquentis definitionis partes ire cogamur. Verùm quia ſigna fallacia ſunt nec unius generis, quod infrà in materiâ de præſumptionibus tradetur, mirum in modum decipimur.*

4. Hæc ſingularium cognitio nonnunquam planè impoſſibilis eſt. *Nam in ſingularibus quæ extra nos poſita ſæpenumero contingit omnia ſigna ceſſare, v.g. emo à Titio equum; prudentia me ducit, ut circa hunc Titium inquiram, an ſit dominus: ſi enim à non domino quid emam, minus prudenter contraho in periculum amiſſionis me conjiciens. Deficientibus autem ſignis, ex quibus colligi poſſit Titium dominum non eſſe, contraho cum ipſo velut domino, cum dominus non ſit.*

5. Tertius error circa apprehenſionem ſingularium contingit ob affectus. *Nam affectus nos occœcant, quò minus ſingularia ita apprehendamus, prout in rei veritate ſe habent. Sic ejus, quem odio proſequimur, actiones omnes in malam partem interpretamur, comem & affabilem adulatorem pronunciamus; ſeria tractantem, auſterum & moroſum; contrà ejus, quem amamus, actiones velut ſigna virtutum arripimus; unde fit, ut ſcurram concipiamus hominem affabilem; moroſum, virum gravem.*

gravem. Cumprimis verò occæcat nos amor noſtri, ut ſemper de nobis optimè judicemus; quia quilibet ſe ipſum quam maximè amat. Uti verò in amore & odio, ita in cæteris affectibus ſe res habet.

PARS QUARTA.
Membri Secundi
DE
MALA OPINIONE.

1. Mala opinio eſt perverſum quoddam de rebus Judicium, ejusque cauſſa vel conſiſtit in electione principiorum dialecticorum vel in argumentatione. *Nam principia, ex quibus progreditur opinio, ſunt propoſitiones, quas enunciant ſeu ſtatuunt vel omnes homines vel plerique vel ſapientes aut prudentes, iiq; rurſus vel omnes vel plerique vel ſapientiſſimus aut prudentiſſimus quidam: unde neceſſe eſt malam opinionem conſiſtere vel in principiis erroneis (Quomodo omnis humana opinio, quæ fundata eſt in principiis ſeu propoſitionibus, quibus fidem tribuimus ob auctoritatem humanam, cum metu erroris conjuncta eſt. Quæ verò credimus ob auctoritatem divinam ſunt planè infallibilia & omni firmiſſimâ demonſtratione firmiora. Unde ſæpè dubitavi an deceat philoſophum Chriſtianum ita loqui: ſcio eſſe Deum non credo. Malo namque ego & ſcire & credere, quàm ſolummodo ſcire. Nam fides, quam in me excitat Spiritus S. ut credam eſſe Deum, me longè firmiorem reddit, quàm omnes philoſophicæ demonſtrationes. Quam proinde retinere tutius eſt, quàm ſolis fidere demonſtrationibus philoſophicis.) vel in pravis argumentationibus quæ ex principiis fortaſſe veris fiunt.*

2. Prima ergò cauſſa erroneæ opinionis eſt error in eligendis principiis dialecticis commiſſus. *Nam qui quod vulgus enunciat apprehendit & præfert ei quod prudentes & ſapientes tradunt erroneum conſequitur judicium ob principia erronea. Vulgus enim hominum plerumque à vero aberrat. Fit autem hoc vel contingenter & accidentariè, dum homo prudentes à vulgo diſtingvere nequit, vel propter voluptates & moleſtias; quia plerumque vulgus approbat quæ cum voluptate & rejicit quæ cum moleſtiâ ſunt conjuncta, contrà quam prudentes faciunt. Unde fit, ut vulgi propoſitiones avidius velut principia arripiantur, quàm prudentum & ſapientum. Quâ de re infrà plura dicenda erunt.*

3. Altera cauſſa eſt ignoratio argumentandi. *Hinc fallaciis Sophiſtarum miſerum vulgus in quaslibet opiniones deducitur & ita miſere ſeducitur.*

CAP.

CAP. V.

DE CAUSSIS ET PRINCIPIIS EX QUIBUS ETHICE ET SECUNDUM PHILOSOPHIAM MORALEM PROCEDENDO JUDICIUM FACIENDUM EST DE GRADIBUS MALITIÆ HUMANÆ.

1. Omnis operatio quæ in homine aliquo cernitur vel proficiſcitur ab ipſo homine quà tali vel à naturâ vel à neceſſitate vel tandem à fortunâ. *Nam* ſuprà cap. 1. *docuimus, hominem eſſe ſubſtantiam aliquam mobilem & propterea neceſſitati & caſibus ſubjectam. Unde fit ut quædam in hominibus operetur neceſſitas, quædam fortuna. Dictum quoque eſt* eod. cap. *ſubſtantiis mobilibus animatis plura ineſſe motuum principia quàm inanimatis, & ſic hominem præ cæteris omnibus animalibus quamplurimis motuum principiis inſtructum eſſe, quorum nonnulla ſunt communia cum reliquis rebus animatis, unicum verò ipſius proprium eſt, ſecundum quod ut homo operari dicitur nim. Judicium intellectus. Ex quibus ſequitur omnium operationum, quæ in homine deprehenduntur, principium vel intrinſecum vel extrinſecum eſſe; intrinſecum principium vel eſſe naturam vel id ſecundum quod homo dicitur nim. Judicium rationis extrinſecum vel neceſſitatem eſſe vel fortunam. (Quomodo verò caſus vel fortuna à neceſſitate differat,* ſuprà cap. 1. *dictum eſt.) Inde patet, omnem operationem quæ editur ab homine principium vel ipſum hominem vel naturam vel neceſſitatem vel fortunam habere.*

2. Principium operationis malæ ineſt homini, quando operatio talis eſt, ut requirat Judicium intellectus & homo cauſſa exiſtit ut vel perversè intellectus judicet, vel ut ejus Judicium rectum quieſcat nec ſeſe exerat. *Nam natura dedit homini intellectum, ut ſecundum hujus Judicium viveret quatenus homo eſt illudque conſulat. Quòd ſi perverſi judicii homo cauſſa eſt, aut aliàs facit, ut ſeſe exſerere judicium rectum & ſanum nequeat, operationis malæ exinde natæ cauſſa cenſetur.*

3. Duobus itaque modis contingit homini ineſſe principium ſuæ operationis, nim. vel ſi cauſſa ſibi exiſtit ut corruptè judicet vel ſi rectum habeat Judicium ſed admittat ut illud quieſcat. *Neque enim exiſtimandum eſt intellectum non hominem in cauſâ eſſe ut malè operetur; ſed dedit illi natura intellectum cujus præſcripto feliciter vivere poſſit, modo hoc agat, ut Judicium ejus integrum permaneat, & ſi integrum ſit ſeſe ſemper exerat nec voluptatibus quaſi in ſomnum conjiciatur.*

4. *Inde ergo petentes fundamentum noſtræ contemplationis dicturi ſumus primo loco de homine quà tali mala operante, propterea quod cauſſa exiſtat intellectûs corruptè judicantis.*

MEMBR. I.
DE HOMINE QVATENVS IPSE SIBI CAVSSA EXISTIT JVDICII CORRVPTI VITIIS SE INQVINANDO.

1. Primum illnd quo hominis Judicium corrumpitur ſunt vitia. *Nam vitiis laborantes tendunt ad mala tanquam, ad bonum, & judicant ita operandum eſſe quemadmodum operantur. Habitus enim facit ut aliter judicare nequeant,*

2. Peſſimi ſunt & pro perfectè malis habendi vitioſi. *Nam homo malè operatur vel quia principium operationum habet corruptum, vel quia adhuc integrum in ipſo eſt. At gravius delinquit, qui hoc agit ut principium ſuarum operationum corrumpatur quàm qui ita peccat, ut ſtudeat illud integrum conſervare. Vitioſus autem omnis volens hoc agit ut principium ipſius agendi corrumpatur. Dum namque ſæpius mala agit cauſſa vitii ſibi exiſtit. Nemo verò eſt qui ignoret ex crebris actionibus in quâq; re habitum gigni, præſertim hodiè quando in ſcholis non modò ſed & eccleſiâ publicè hæc docentur. Unde quivis vitioſus aſſveſiens vitio ſciens aſſveſit, principiumq; ſuarum actionum volens corrumpit. Ex hiſce liquet peſſimos peccantium eſſe vitioſos.*

3. Nec tamen vitioſi omnes eodem gradu habendi ſunt. *Nam vitia invicem collata ejusdem fœditatis & malitiæ non ſunt, ſed alterum altero fœdius magisq; malitioſum. Id quod vel commune hominum ſuffragium docet in prodigalitate & avaritiâ: nemo enim negabit avaritiam fœdius eſſe vitium prodigalitate.*

4. *Quapropter primò generaliter dicturi ſumus de cauſſis graduum malitiæ, deinde quatenus ſingulis vitiis eæ cauſſæ inſint ſubjiciemus: ita namque quantum malitiæ unumquodq; vitium contineat manifeſtum erit.*

ARTIC. I.
DE CAVSSIS GRADVVM MALITIÆ IN VITIIS.

1. Cauſſæ graduum malitiæ ab ipſâ vitii naturâ petendæ ſunt. *Nam vitium ſuâ naturâ quid malitioſum eſt.*

2. Eſt

2. Eſt autem Vitium habitus proæreticus quo læduntur bona humana dum à mediocritate abitur. *Eſt enim vitium contrarium virtuti, hanc autem eſſe habitum conſervantem bona humana mediocritate ſuâ latiſſimè demonſtravit Ariſtoteles in libris de moribus. Id quod noſtram confirmat definitionem.*

3. *Singulas ergò partes definitionis percurrentes conſiderabimus cauſſas graduum malitiæ, 1. quatenus vitium eſt habitus. 2. quatenus proæreticum quiddam eſt. 3. quatenus eſt quiddam lædens bona humana. 4. quatenus à mediocritate abit.*

4. *Vitium quatenus habitus eſt reddit hominem turpem & reprehendendum, quia ſpontè ſibi acquiſivit & cauſſa ejuſdem fuit obſequendo voluptatibus, per quas vitia ſubrepunt: unde ſequitur,* illud vitium magis reprehendendum eſſe cujus quis magis cauſſa ſibi exiſtit.

5. *Inde porrò deducitur,* illud vitium deterius eſſe quod quis magis voluntariè contrahit. *Nam quod magis voluntarium eſt ejus quoque magis cauſſa exiſtimus. Uti enim ejus quod invitum eſt & quò magis tale exiſtit eò minus cauſſa dicimur; ita contrà in voluntario ſe habet.*

6. Eſt & illud vitium fœdius & majori reprehenſione dignum, quod verſatur in eo circa quod virtutes paratu faciles ſunt. *Nam cujus contrarium facilè parari poteſt, id nobis magis ex voluntate ineſt: hujus autem magis cauſſa exiſtimus.*

7. *Habitus porrò eſt quiddam ſuâ naturâ firmiter inhærens. Unde ſequitur,* Vitium eò deterius eſſe quò firmius inhæret. *Nam quia vitium ſuâ naturâ eſt quiddam fœdum & reprehendendum abolendumq́;, etiam eò deterius erit quod magis naturam vitii habet; tale autem quid eſt habitus firmius inhærens. Quâ de cauſſâ vitium eò deteſtabilius erit, quò firmius inhæret quoque minus ſanabile eſt.*

8. *Hinc deducimus,* vitium quod cum ætate augetur magis deteſtandum eſſe. *Nam quod cum ætate augetur firmius inhæret minusq́; ſanabile eſt.*

9. Illud quoque pejus vitium eſt ad quod naturâ homines magis ſunt propenſi. *Nam quod magis naturale eſt minus expelli poteſt firmiusq́; inhæret.*

10. Vnde conſequitur, illud quoque deterius eſſe quod crebrius eſt. *Nam ad id cenſentur homines naturâ propenſi & proclives quod crebrius ab iiſdem fieri ſolet.*

11. Eſt & illud vitium deterius quod magis latet. *Nam quò morbus magis latet, eò minus corrigi poteſt: huic namque remediis ut corrigatur & emendetur occurrimus, quod adeſſe ſcimus.*

M 2 12. Quod

12. Quod itaque vitium ſpeciem virtutis habet majus eſt eo quod nihil virtutis præ ſe fert. *Nam quod ſpeciem virtutis præ ſe fert magis latet. Quod verò magis latet minus emendabile eſt.*

13. Cujus vitii effectus ſeu facta & operationes ex eo deſcendentes magis latent eſt deterius. *Nam vitia ex effectibus & operationibus cognoſcuntur. Unde conſequitur illud magis latere cujus opera magis latent, & per conſequens minus ſanabile eſſe.*

14. Eſt quoque vitium habitus proæreticus; unde fit, ut illud deterius ſit quod magis proæreticum exiſtit. *Nam cum vitium ſuâ naturâ fœdum ſit, eò fœdius magisq́ abominandum erit, quò plus de eſſentiâ participat.*

15. Inde porrò deducimus, eum hominem magis vitioſum eſſe qui cum majori ſubtilitate in mediis inveſtigandis vel majori cum artificio mali quid commiſit. *Nam hæc arguunt quiddam magis proæreticum. Quemadmodum contrà minus proæreticum cenſeri debet quod quis facit oblatâ & non quæſitâ occaſione, v. g. ſi furi patentes offerantur fores.*

16. Quod vitium magis inſidioſum eſt gravius exiſtit. *Nam magis inſidioſum etiam magis proæreticum eſt: multum quippe requiritur conſilii in inſidiis ſtruendis.*

17. Eandem ob cauſſam & is videtur magis vitioſus qui ex concupiſcentiâ quàm qui ex irâ operatur. *Nam concupiſcentia lentè irrepit & proinde magis proæretica eſt quàm ira, quæ ſubitò & cum vehementiâ movet hominem: adeoque in concupiſcentiâ magis conſilio locus eſt quàm in irâ. Pariter quod ex amaritudine fit magis vitioſum cenſetur quam quod ex iracundiâ: illud namque magis proæreticum eſt.*

18. Pejor quoque & ille cenſendus qui quid mali comminiſcitur & reperit, quàm qui id non facit. *Nam comminiſci proæreticum eſt.*

19. *Vitii naturam tertiò in hoc poſitam eſſe diximus, quòd lædat bona humana. Et quia omne bonum vel eſt honeſtum vel utile vel jucundum, it. vel publicum vel privatum, it. vel proprium ejus qui peccat vel alienum; neceſſe eſt varias vitiorum inde oriri differentias.*

20. Vitia quibus læditur bonum publicum longè deteriora ſunt iis quæ lædunt bonum privatum. *Nam quò præſtantius eſt bonum quod læditur eò gravius cenſendum quod læſionis principium & cauſſa exiſtit: at bonum publicum privato longè præferendum eſt.*

21. Eſt & hoc pejus quod damnoſum eſt aliis quàm cujus læſio in ipſo ſubſiſtit operante: *Nam quod damnoſum aliis eſt reddit odioſos, removendos, tollendos & cum injuſto particulari conjunctum eſt. Idque longè pejus eſt eo quod tale non eſt.*

22. Quod

22. Quod damnoſum eſt meritò pejus cenſendum eſt, ſi tollat bonum quod majoris æſtimationis eſt. *Damnoſum propriè eſt quod æſtimabile aliquod bonum tollit vel minuit; in his autem malum illud cenſetur gravius quod tollit bonum majoris precii vel æſtimationis.*

23. Quod lædit bonum jucundum naturâ & cum honeſtate conjunctum deterius eſt eo quod lædit jucundum minus naturale & nullam cum honeſtate communionem habens. *Nam jucundum naturale & cum honeſtate conjunctum præſtantius eſt eo quod nullius honeſtatis particeps eſt. ita v. g. naturâ & cum honeſtate jucundi ſunt liberi parentibus.*

24. *Qui bonum lædit proprium illudq; vel utile vel jucundum nec improbus nec deteſtandus cenſetur, ſed qui lædit bonum honeſtum.* Omne autem vitium, quo læditur peccantis honeſtas propria, vel eſt horrendum & abominandum, vel turpem vel vilem vel ſtolidum & vanum peccantem haberi efficit. *Et hoc ordine videntur ſe invicem conſequi qui ejuſmodi vitiis laborant.*

25. Quartò majorem vitioſitatem indicat major à mediocritate diſtantia. *Nam cùm vitii natura in hoc poſita ſit, quòd à mediocritate recedat, majus vitium neceſſariò erit quod à medio magis remotum eſt.*

26. *Tandem notandum eſt, quemadmodum virtus vera nulla ſola exiſtit, ſed reliquas virtutes ſibi comites habet; ita vitium quodque ſolere alia vitia ſecum trahere.* Vti ergò præſtantior eſt virtus quò plures alias ſibi comites habet; ita quoque vitium quò magis cum aliis conjunctum eſt eò fœdius habendum. *Sic v. g. Intemperantia Neronis ſecum trahebat comitem crudelitatem, ut occideret matrem & præceptorem.*

27. *His præmiſſis tradere poterimus quid cuique vitio malitiæ inſit, ſervato ordine quo Ariſtoteles virtutes in libris de moribus tractat & proponit.*

ARTIC. II.
DE
AVDACIA ET TIMIDITATE.

1. *Videamus primo loco quid malitiæ inſit audaciæ, initio facto ab eo quod habitum concernit.* *Eſt ergò audax in hoc malitioſus magis quàm timidus.* 1. quod habitum magis voluntariè ſibi paravit. *Nam audaculi hoc omnibus modis agunt ut fortes videantur, quemadmodum ſophiſtæ ut appareant ſapientes, licet non ſint: adeoque aliquâ voluptate,*

quæ ſcil. inde percipitur, quod fortes reputentur, ducuntur ad habitum parandum; quod indicat, habitum in iisdem magis voluntarium eſſe. Eſt ſecundò & audax minus ſanabilis. *Forti enim ſimilior eſt & ſub ſpecie hujus latet.*

2. Eſt porrò audax timido deterior quia magis lædit. *Nam non modò ſeipſum lædit, objiciendo ſe periculis quibus non debebat; ſed & alios; Et ita ad lædendum inclinat, præſertim ſi in malis verſatur.*

3. In eò audax timido videtur præſtare, quòd propior ſit medio, fortitudini nimirum. *Nam hoc agit audax ut forti ſimilis videatur. Ergò & ſtudet ea facere quæ fortis facere ſolet.*

4. Trahit quoque audacia ſecum alia vitia, nim. 1. arrogantiam. *Nam ſibi fortis viri laudem ſumit, non obſtante, quòd ſciat, ſe hac dignum reverâ non eſſe.* 2. ipſam timiditatem. *Nam audax in rebus formidoloſis ſe jactat, eas tamen non perfert: & hoc ipſo pejor eſt eo, qui ſimpliciter eſt timidus.*

5. Contrà timidus ratione habitûs minus malitioſus videtur. *Nam* 1. *peccat non confidendo ſed metuendo, deterreturq; ab actionibus fortibus moleſtiis: adeoque acquirit habitum ſuum magis coactè & violenter quàm ſponte. Idem etiam inde confirmatur, quia verſatur in eo quod rarum & non quotidianum & perconſequens tale exiſtit, in quo virtus paratu difficilis eſt. Difficile quippe eſt habitum ſibi parare in iis quæ raro occurrunt.* 2. *Magis quoque ſanabilis eſt hic habitus quoad hoc quod non facilè lateat ſed ſtatim prodatur; licet proptereà non poſſit facilè eradicari, quia naturalis magis eſt: ducitur enim quævis ſubſtantia naturaliter ad conſervationem ſui fugitq; terribilia.*

6. Habet & timiditas quoad hoc minus malitiæ; quia minus lædit quàm audacia. *Nam tendit hoc vitium ad conſervationem hominis, ne ſubſtantia ejus pereat. Sed ſi læſio quædam per hoc vitium contingit infertur ea omittendo. v. g. quando timidus pro patriâ non pugnat.*

7. Sed in hoc timiditas deterior eſt, quòd recedat magis à medio, fortitudine nim. *Et quoad hoc etiam vitium minus ſanabile eſt: difficilius enim à vitio longius diſtante ad medium devenitur.*

ARTIC. III.
DE INTEMPERANTIA.

1. Intemperans ratione habitûs ſui conſideratus multâ laborat malitiâ. *Nam* 1. *verſatur in concupiſcentiâ jucundi ſectando cupiditates, magisq; ſpontaneè quàm timidus ſibi habitum acquirit: timitus*

du etenim ducitur fugâ moleſtiarum, & habitum conſequitur, dum per moleſtias de ſuo ſtatu deturbatur: Intemperans verò nullas ſentit moleſtias, niſi quando voluptatibus frui nequit dumq́ in concupiſcentiâ verſatur. Improbior ergo intemperans timido eſt; quia ſingulas operationes ſponte edit, quibus habitum parat; cum timidi operationes ſingulæ propemodum violentæ ſint; utpote qui ad peccandum metu mortis adigitur 2. Verſatur timidus in concupiſcentiâ quæ non coërcita inexplebilis eſt; unde vitium circa hanc contractum tanquam in re inexſatiabili occupatum inſanabile redditur. 3. Eſt & hoc vitium naturale & creberrimum. Nam videmus pleroſque homines duci jucunditate cibi potus & rei venereæ. Quam ob cauſſam rurſus minus ſanabile exiſtit. 4. Verſatur & hoc vitium in rebus quotidianis & periculo omni vacantibus, in quibus virtus paratu facilis eſt; quia quotidie datur occaſio eam exercendi. Unde fit ut intemperans ſit improbior & flagitioſior timido: utpote cùm timidus verſetur circa periculoſa & non quotidiana, in quibus non facile eſt virtutem parare. 5. Auget etiam hujus habitûs malitiam, facitq́ ut inemendabilis ſit, quod ex hoc habitu operantes ſua flagitia occultare facilè queant: ſtupra enim ſcortationes adulteria pleriq́ celare norunt. 6. Sed quoad hoc intemperans quidem audaci fœdior, quòd non æquè ſub ſpecie virtutis ac audax latitare poſſit, non tamen æq́ inſanabilis. Nam vitium, quod ſub ſpecie virtutis latitare nequit, aptius eſt ad corrigendum & emendandum.

2. Ratione damni & læſionis videtur intemperans non æquè improbus ac audax. *Nam quà talis nulli alii intemperans quàm ſibi nocere videtur, & 1. quidem quoad rem familiarem quæ per intemperantiam exhauritur. 2. quoad honeſtatem & æſtimationem: eſt enim intemperantia vitium puerile; quia intemperans æq́ ac puer cupiditatem ſequitur ducem vitæ; & propterea pro vili meritò habetur caſtigandusq́ inſtar pueri eſt, ne vitium impunitate amplificetur & augeatur. Nonnunquam tamen & intemperantia honeſtatem publicam lædit, civitatemque totam quaſi abominandam reddit, quando ſcil. eò per intemperantiam homines delabuntur, ut non contenti amplius iis, quæ naturâ jucunda ſunt, quærant objecta voluptatis præter naturam, v. g. quando peccata ſodomitica committunt.*

3. Trahit hoc vitium ſecum alia, prodigalitatem nim. avaritiam, iracundiam erga eos qui prohibent, ut adeò ob hoc etiam plus malitiæ præ cæteris in ſe contineat. *Nam intemperantia facit, ut pecunia impendatur in res voluptuoſas ſeu eas in quas non debebat; abſumptâ pecuniâ, quò porrò luxuriam ſuam exercere queant, coguntur homines undiquaque rurſus pecuniam illicitis mediis & unde non debebant*

bant quærere. Ex quibus conſtat, quare intemperantiam comitentur prodigalitas & avaritia. Quare autem & Iracundia comitetur hoc vitium hæc cauſſa eſt, quia cupiditas omnis tendens ad voluptates conjuncta eſt cum moleſtiâ: & proinde omnes cupidi luxuriæ & rerum venerearum ad iram ſunt proni; quia, quod infra de præſumptionib. *tradetur, ad iram diſpoſiti ſunt ſentientes moleſtiam, præſertim ſi impediantur in eo ex cujus indigentiâ moleſtiam percipiunt. Teſtatur hoc ipſum quoque experientia, ad quam colligendam exemplum præbet præ cæteris Nero, qui in ipſam matrem propterea crudelitatem exercuit.*

ARTIC: IV.
DE
AVARITIA ET PRODIGALITATE.

1. *Avaritiam conſiderabimus primò ratione habitûs quatenus acquiritur.* Et 1. habitus hic magis ſpontaneus eſt quàm timiditas. *Oritur namque ex voluptate habendi, non ab aliquâ moleſtiâ vim quodammodo afferente. Item verſatur in quotidianis in quibus facilè eſt virtutem acquirere crebris exercitiis quæ ſeſe offerunt. Ex quibus deducitur, avaritiæ vitium magis voluntarium & timiditate quoad hoc deterius eſſe.* 2. Firmius inhæret quàm prodigalitas. *Nam augetur hoc vitium cum ætate; quia ſenes naturâ inclinati ſunt ad tenacitatem. Eſt quoque magis naturale & crebrius, quia plerique magis ſtudio pecuniæ ducuntur quàm ad largiendam proclives exiſtunt. Quoad hoc verò vitium avaritiæ magis emendabile eſt quàm prodigalitas, quòd non diu ſub ſpecie virtutis latere queat; quia liberalitati nullo modo ſimile eſt, niſi quod hodiè ſub prætextu frugalitatis & parſimoniæ nonnunquam ſoleat laudari.*

2. Eſt & ratione proæreſeos avaritiæ vitium deterius enarratis vitiis, quia magis proæreticum eſt. *Nam conſiſtit hoc vitium in concupiſcentiâ habendi & propterea inſidioſum eſt. Varias etenim ſtruunt inſidias qui pecuniam quærunt. Idque teſtantur artificia latronum & furum quibus pecuniæ parandæ gratiâ utuntur.*

3. Præ cæteris verò vitiis hoc avaritiæ ineſt quòd noceat & propterea omnibus exoſum ſit. *Nam vulgus omnia ex utilitate æſtimat: avarus autem bona utilia lædit. Unde fit, quòd vulgò omnis avarus exoſus ſit.*

4. Auget quoque hoc malitiam avaritiæ, quòd magis à virtute, liberalitate nim. recedat, quàm prodigalitas. *Nam cùm liberalitas magis in dando quàm accipiendo verſetur, prodigalitas ſimilior huic virtuti quàm avaritia eſt.*

5. Tan-

5. Tandem & vitium hoc plerumque cum injuſtitiâ particulari conjunctum eſt aliisque rebus turpibus quæ fœditatem hujus augent. *Nam avari peccant infra modum dando & ſupra modum accipiendo, cui utriq; plerumq; accidit injuſtum; quia injuſtum in inæqualitate conſiſtit, quæ oritur exinde, ſi plus quàm debebamus accipiamus, minus demus. Trahit etiam hoc vitium ſecum arrogantiam & adulationem. Nam multi pecuniæ acquirendæ gratiâ jactant ſibi majora ineſſe quàm inſunt, fiuntq; arrogantes: multi etiam nihil reprehendunt, ſed omnia in aliis laudant, fiuntq; adulatores.*

6. In ſpecie verò quia vitium, cujus malitiam ſpeculamur, conſiſtit vel in accipiendo ſupra vel in dando infra modum, illud deterius cenſetur quod in accipiendo quàm quod in dando conſiſtit. *Nam accipere eſt plerumq; cum majori turpitudine conjunctum, & eo fœdius quò plus turpitudinis accipientes ſubeunt. Ita v. g. avarorum deterrimi ſunt latrones & fures, qui turpis lucri gratiâ ſe in maxima pericula conjiciunt: hos excipiunt lenones, fœneratores, ſordida opificia tractantes; quibus exiguum lucrum magnâ mercede amiſſione ſcil. exiſtimationis conſtat. At minus vitioſi his ſunt qui in dando deficiunt, quales ſunt parci, tenaces, ſordidi. Nam hi aliena non appetunt minusque lædunt: ſæpenumero etiam ex bonâ intentione operantur, rerum nimirum turpium fugiendarum ſtudio, ne paupertate adacti prohibitas artes ſectari teneantur.*

7. Prodigalitas contrarium avaritiæ vitium eſt quidem habitus voluntarius; *quia in eo verſatur quod quotidianum eſt, nec tendenti ad liberalitatem deſunt unquam exercitia quibus paretur. Quam ob cauſſam etiam prodigus pejor timido videtur.* At habitus non eſt diuturnus. *(Quâ in parte prodigus minus malitiæ quàm vel avarus vel timidus habet.) Nam corrigitur hoc malum 1. ætate; quia ſenectus regulariter parcos tenacesque reddit. 2. defectu mediorum; quia prodigus ſemper dat, & propterea ſtatim deſtituitur facultatibus, cogiturq; ita ob carentiam mediorum, quæ ad exercendum hoc vitium requiruntur, ab eodem abſtinere. Poteſt etiam propterea facilè emendari, quia minus innatum minusq; crebrum eſt: plerumque enim homines ſua commoda quærunt, idque hac de cauſâ, quòd quilibet ſe quam maximè amet & vulgus amorem ſui in hoc poſitum exiſtimet ſi ſibi commoda pecuniaria quærat. Indiget itaque prodigus curatore tantùm, cujus ope facilè ad meliorem frugem redire poteſt; ſed hoc deſtitutus facilè in alia vitia prolabi poteſt, de quibus mox dicetur. Et quamvis emendationem impedire videatur, quòd hoc vitium ſub ſpecie liberalis latitet; (eſt enim prodigus ſimilior liberali quàm avarus) Id tamen non diu contingit; quia mox apparet profuſio.*

ante pubertatem calliditas in his deprehendatur. Quam ob cauſſam jura noſtra tradunt, malitiam nonnunquam ætatem prævenire.

6. Multi quoque negligentiâ quâdam vel genere vitæ quod amplectuntur impediuntur ex proæreſi operari. *Nam conſultare eſt quærere; hoc vero cum moleſtiâ quâdam conjunctum eſt, quam homines fugientes conſultare omittunt etiam tunc, quando neceſſarium eſt.*

7. Conſultationem etiam affectus impediunt. *Nam affectus apud nonnullos ſuâ celeritate apud alios acrimoniâ conſultationes impediunt. Ii enim qui acutâ bile laborant ob celeritatem affectuum conſultare impediuntur; at atrâ bile infecti ob vehementiam eorundem conſultare nequeunt; quia bilis atra facilè recipit ſpecies quas phantaſia offert.*

8. Tandem impeditur conſultatio defectu quodam naturali inveſtigandi media. *Quemadmodum enim nemo philoſophus evadere poteſt, niſi ſit inſtructus naturali facultate conjectandi cauſſas rerum, quamvis præcepta analytica perfectè noverit: ita quoque qui naturaliter non eſt inclinatus ad media propoſito fini inſervientia celeriter reperienda, nunquam prudens evadet.*

9. *Hactenus enarrata ſunt quæ impediunt proæreſin ratione conſultationis*: ſunt autem nonnulla quæ faciunt proæreſin ceſſare etiam deliberatione ſeu conſultatione factâ. *Nam multi deprehenduntur homines, qui benè conſultarunt de mediis ad felicitatem humanam ducentibus, ſed in deliberatis non ſubſiſtunt: v. g. multi conſultatione rectâ invenerunt, abſtinendum vino eſſe, quò felicem colant vitam: at in his appetendis non perſiſtunt ſed à conſtantiâ appetendi dimoventur voluptatibus & affectibus. Cum itaque proæreſis ſit appetitus ex conſultatione ſubortus; ſequitur, eam impediri affectibus & voluptatibus, quæ faciunt ut homo in deliberatis non permaneat.*

ARTIC. III.
DE
ERRORE CIRCA SINGVLARIA IN QVIBVS PRVDENTIA OCCVPATA EST.

1. *Superius dictum eſt, prudentiam aliter verſari circa ſingularia judicando aliter ſenſus & phantaſian: Unde ſequitur, aliter contingere errores circa ſingularia quatenus in iis verſatur prudentia, aliter circa ea in quibus occupata eſt ſola phantaſia, v. g. ſolâ phantaſiâ cognoſcimus latronem, ſi acciderit nos ſpoliatos ab habente nigros capillos & torvam faciem, & ejusmodi hominem nunc denuò nobis obviam venire: ſed prudentiâ latronem quem eſſe dijudicamus ex definitione latronis & ſignis*

gnis quæ ſingulas definitionis partes indicant. Quemadmodum enim mathematicus cognoſcit hanc figuram A B C eſſe triangulum quoddam non ex nigro, flavo &c. ſed quia videt eſſe ſpacium tribus lateribus clauſum: ita vir prudens non ex iis quæ objectis ſenſuum accidunt ſolâque phantaſiâ ſed definitione ſingularia cognoſcit & dijudicat, v.g. hunc Stichum furem cognoſcit prudens exinde, quòd deprehendat eum eſſe contrectatorem rei alienæ invito domino.

2. Contingit itaque error circa ſingularia quatenus objecta prudentiæ ſunt. 1. ob definitionem minus accuratè cognitam. *Nam ſi in definitione ſit aliquid omiſſum vel ſuperfluè inſertum, reputabitur v. g. fur qui non eſt & non fur qui eſt. Si definitionem furis conceperis, quòd ſit contrectator rei alienæ, omiſſâ hac parte definitionis* invito domino, *habebis pro fure Titium ſui amici, qui ultrò largiturus fuerat, panem apprehendentem & comedentem: ſin verò eum demum credas furem, qui rem alienam invito domino contrectat & inde locupletior redditur, reputabis Stichum, qui rem furtivam ſtatim iterum amiſit, furem non eſſe, cum tamen ſit: idque tibi continget propter definitionem ſuperfluam. Unde conſequitur, prudentis eſſe, definitiones accuratè noſſe.*

3. Secundus error contingit ob hoc quòd ſingulas partes definitionis non ſemper ſenſu deprehendamus ſingularibus ineſſe, ſed ex ſignis & conjecturis eaſdem colligere teneamur. *Ita enim comparati ſunt homines, ut flagitia ſua occultent, quò impunè peccare queant, & propterea ex multis ſignis ad ſingulas cujusque delinquentis definitionis partes ire cogamur. Verùm quia ſigna fallacia ſunt nec unius generis, quod infrà in materiâ de præſumptionibus tradetur, mirum in modum decipimur.*

4. Hæc ſingularium cognitio nonnunquam planè impoſſibilis eſt. *Nam in ſingularibus quæ extra nos poſita ſæpenumero contingit omnia ſigna ceſſare, v.g. emo à Titio equum; prudentia me ducit, ut circa hunc Titium inquiram, an ſit dominus: ſi enim à non domino quid emam, minus prudenter contraho in periculum amiſſionis me conjiciens. Deficientibus autem ſignis, ex quibus colligi poſſit Titium dominum non eſſe, contraho cum ipſo velut domino, cum dominus non ſit.*

5. Tertius error circa apprehenſionem ſingularium contingit ob affectus. *Nam affectus nos occæcant, quò minus ſingularia ita apprehendamus, prout in rei veritate ſe habent. Sic ejus, quem odio proſequimur, actiones omnes in malam partem interpretamur, comem & affabilem adulatorem pronunciamus; ſeria tractantem, auſterum & moroſum; contrà ejus, quem amamus, actiones velut ſigna virtutum arripimus; unde fit, ut ſcurram concipiamus hominem affabilem; moroſum, virum gravem.*

gravem. Cumprimis verò occœcat nos amor noſtri, ut ſemper de nobis optimè judicemus; quia quilibet ſe ipſum quam maximè amat. Uti verò in amore & odio, ita in cæteris affectibus ſe res habet.

PARS QUARTA.
Membri Secundi

DE MALA OPINIONE.

1. Mala opinio eſt perverſum quoddam de rebus Judicium, ejusque cauſſa vel conſiſtit in electione principiorum dialecticorum vel in argumentatione. *Nam principia, ex quibus progreditur opinio, ſunt propoſitiones, quas enunciant ſeu ſtatuunt vel omnes homines vel plerique vel ſapientes aut prudentes, iiq; rurſus vel omnes vel plerique vel ſapientiſſimus aut prudentiſſimus quidam: unde neceſſe eſt malam opinionem conſiſtere vel in principiis erroneis (Quomodo omnis humana opinio, quæ fundata eſt in principiis ſeu propoſitionibus, quibus fidem tribuimus ob auctoritatem humanam, cum metu erroris conjuncta eſt. Quæ verò credimus ob auctoritatem divinam ſunt planè infallibilia & omni firmiſſimâ demonſtratione firmiora. Unde ſæpè dubitavi an deceat philoſophum Chriſtianum ita loqui: ſcio eſſe Deum non credo. Malo namque ego & ſcire & credere, quàm ſolummodo ſcire. Nam fides, quam in me excitat Spiritus S. ut credam eſſe Deum, me longè firmiorem reddit, quàm omnes philoſophicæ demonſtrationes. Quam proinde retinere tutius eſt, quàm ſolis fidere demonſtrationibus philoſophicis.) vel in pravis argumentationibus quæ ex principiis fortaſſe veris fiunt.*

2. Prima ergò cauſſa erroneæ opinionis eſt error in eligendis principiis dialecticis commiſſus. *Nam qui quod vulgus enunciat apprehendit & præfert ei quod prudentes & ſapientes tradunt erroneum conſequitur judicium ob principia erronea. Vulgus enim hominum plerumque à vero aberrat. Fit autem hoc vel contingenter & accidentariè, dum homo prudentes à vulgo diſtingvere nequit, vel propter voluptates & moleſtias; quia plerumque vulgus approbat quæ cum voluptate & rejicit quæ cum moleſtiâ ſunt conjuncta, contrà quam prudentes faciunt. Unde fit, ut vulgi propoſitiones avidius velut principia arripiantur, quàm prudentum & ſapientum. Quâ de re infrà plura dicenda erunt.*

3. Altera cauſſa eſt ignoratio argumentandi. *Hinc fallaciis Sophiſtarum miſerum vulgus in quaslibet opiniones deducitur & ita miſere ſeducitur.*

CAP.

CAP. V.

DE CAUSSIS ET PRINCIPIIS EX QUIBUS ETHICE ET SECUNDUM PHILOSOPHIAM MORALEM PROCEDENDO JUDICIUM FACIENDUM EST DE GRADIBUS MALITIÆ HUMANÆ.

1. Omnis operatio quæ in homine aliquo cernitur vel proficiſcitur ab ipſo homine quà tali vel à naturâ vel à neceſſitate vel tandem à fortunâ. *Nam* ſuprà cap. 1. *docuimus, hominem eſſe ſubſtantiam aliquam mobilem & propterea neceſſitati & caſibus ſubjectam. Unde fit ut quædam in hominibus operetur neceſſitas, quædam fortuna. Dictum quoque eſt* eod. cap. *ſubſtantiis mobilibus animatis plura ineſſe motuum principia quàm inanimatis, & ſic hominem præ cæteris omnibus animalibus quamplurimis motuum principiis inſtructum eſſe, quorum nonnulla ſunt communia cum reliquis rebus animatis, unicum verò ipſius proprium eſt, ſecundum quod ut homo operari dicitur nim. Judicium intellectus. Ex quibus ſequitur omnium operationum, quæ in homine deprehenduntur, principium vel intrinſecum vel extrinſecum eſſe; intrinſecum principium vel eſſe naturam vel id ſecundum quod homo dicitur nim. Judicium rationis extrinſecum vel neceſſitatem eſſe vel fortunam. (Quomodo verò caſus vel fortuna à neceſſitate differat,* ſuprà cap. 1. *dictum eſt.) Inde patet, omnem operationem quæ editur ab homine principium vel ipſum hominem vel naturam vel neceſſitatem vel fortunam habere.*

2. Principium operationis malæ ineſt homini, quando operatio talis eſt, ut requirat Judicium intellectus & homo cauſſa exiſtit ut vel perversè intellectus judicet, vel ut ejus Judicium rectum quieſcat nec ſeſe exerat. *Nam natura dedit homini intellectum, ut ſecundum hujus Judicium viveret quatenus homo eſt illudque conſulat. Quòd ſi perverſi judicii homo cauſſa eſt, aut aliàs facit, ut ſeſe exſerere judicium rectum & ſanum nequeat, operationis malæ exinde natæ cauſſa cenſetur.*

3. Duobus itaque modis contingit homini ineſſe principium ſuæ operationis, nim. vel ſi cauſſa ſibi exiſtit ut corruptè judicet vel ſi rectum habeat Judicium ſed admittat ut illud quieſcat. *Neque enim exiſtimandum eſt intellectum non hominem in cauſâ eſſe ut malè operetur; ſed dedit illi natura intellectum cujus præſcripto feliciter vivere poſſit, modo hoc agat, ut Judicium ejus integrum permaneat, & ſi integrum ſit ſeſe ſemper exerat nec voluptatibus quaſi in ſomnum conjiciatur.*

4. *Inde ergo petentes fundamentum noſtræ contemplationis dicturi ſumus primo loco de homine quà tali mala operante, propterea quòd cauſſa exiſtat intellectûs corruptè judicantis.*

MEMBR. I.
DE HOMINE QVATENVS IPSE SIBI CAVSSA EXISTIT JVDICII CORRVPTI VITIIS SE INQVINANDO.

1. Primum illnd quo hominis Judicium corrumpitur ſunt vitia. *Nam vitiis laborantes tendunt ad mala tanquam, ad bonum, & judicant ita operandum eſſe quemadmodum operantur. Habitus enim facit ut aliter judicare nequeant,*

2. Peſſimi ſunt & pro perfectè malis habendi vitioſi. *Nam homo malè operatur vel quia principium operationum habet corruptum, vel quia adhuc integrum in ipſo eſt. At gravius delinquit, qui hoc agit ut principium ſuarum operationum corrumpatur quàm qui ita peccat, ut ſtudeat illud integrum conſervare. Vitioſus autem omnis volens hoc agit ut principium ipſius agendi corrumpatur. Dum namque ſæpius mala agit cauſſa vitii ſibi exiſtit. Nemo verò eſt qui ignoret ex crebris actionibus in quâq; re habitum gigni, præſertim hodiè quando in ſcholis non modò ſed & eccleſiâ publicè hæc docentur. Unde quivis vitioſus aſſveſiens vitio ſciens aſſveſit, principiumq; ſuarum actionum volens corrumpit. Ex hiſce liquet peſſimos peccantium eſſe vitioſos.*

3. Nec tamen vitioſi omnes eodem gradu habendi ſunt. *Nam vitia invicem collata ejusdem fœditatis & malitiæ non ſunt, ſed alterum altero fœdius magisq; malitioſum. Id quod vel commune hominum ſuffragium docet in prodigalitate & avaritiâ: nemo enim negabit avaritiam fœdius eſſe vitium prodigalitate.*

4. *Quapropter primò generaliter dicturi ſumus de cauſſis graduum malitiæ, deinde quatenus ſingulis vitiis eæ cauſſæ inſint ſubjiciemus: ita namque quantum malitiæ unumquodq; vitium contineat manifeſtum erit.*

ARTIC. I.
DE CAVSSIS GRADVVM MALITIÆ IN VITIIS.

1. Cauſſæ graduum malitiæ ab ipſâ vitii naturâ petendæ ſunt. *Nam vitium ſuâ naturâ quid malitioſum eſt.*

2. Eſt

2. Eſt autem Vitium habitus proæreticus quo læduntur bona humana dum à mediocritate abitur. *Eſt enim vitium contrarium virtuti, hanc autem eſſe habitum conſervantem bona humana mediocritate ſuâ latiſſimè demonſtravit Ariſtoteles in libris de moribus. Id quod noſtram confirmat definitionem.*

3. *Singulas ergò partes definitionis percurrentes conſiderabimus cauſſas graduum malitiæ, 1. quatenus vitium eſt habitus. 2. quatenus proæreticum quiddam eſt. 3. quatenus eſt quiddam lædens bona humana. 4. quatenus à mediocritate abit.*

4. *Vitium quatenus habitus eſt reddit hominem turpem & reprehendendum, quia ſpontè ſibi acquiſivit & cauſſa ejusdem fuit obſequendo voluptatibus, per quas vitia ſubrepunt: unde ſequitur,* illud vitium magis reprehendendum eſſe cujus quis magis cauſſa ſibi exiſtit.

5. *Inde porrò deducitur,* illud vitium deterius eſſe quod quis magis voluntariè contrahit. *Nam quod magis voluntarium eſt ejus quoque magis cauſſa exiſtimus. Uti enim ejus quod invitum eſt & quò magis tale exiſtit eò minus cauſſa dicimur; ita contrà in voluntario ſe habet.*

6. Eſt & illud vitium fœdius & majori reprehenſione dignum, quod verſatur in eo circa quod virtutes paratu faciles ſunt. *Nam cujus contrarium facilè parari poteſt, id nobis magis ex voluntate ineſt: hujus autem magis cauſſa exiſtimus.*

7. *Habitus porrò eſt quiddam ſuâ naturâ firmiter inhærens. Unde ſequitur,* Vitium eò deterius eſſe quò firmius inhæret. *Nam quia vitium ſuâ naturâ eſt quiddam fœdum & reprehendendum abolendumq́, etiam eò deterius erit quod magis naturam vitii habet; tale autem quid eſt habitus firmius inhærens. Quâ de cauſâ vitium eò deteſtabilius erit, quò firmius inhæret quoque minus ſanabile eſt.*

8. *Hinc deducimus,* vitium quod cum ætate augetur magis deteſtandum eſſe. *Nam quod cum ætate augetur firmius inhæret minusq́; ſanabile eſt.*

9. Illud quoque pejus vitium eſt ad quod naturâ homines magis ſunt propenſi. *Nam quod magis naturale eſt minus expelli poteſt firmiusq́; inhæret.*

10. Vnde conſequitur, illud quoque deterius eſſe quod crebrius eſt. *Nam ad id conſentur homines naturâ propenſi & proclives quod crebrius ab iisdem fieri ſolet.*

11. Eſt & illud vitium deterius quod magis latet. *Nam quò morbus magis latet, eò minus corrigi poteſt: huic namque remediis ut corrigatur & emendetur occurrimus, quod adeſſe ſcimus.*

12. Quod itaque vitium ſpeciem virtutis habet majus eſt eo quod nihil virtutis præ ſe fert. *Nam quod ſpeciem virtutis præ ſe fert magis latet. Quod verò magis latet minus emendabile eſt.*

13. Cujus vitii effectus ſeu facta & operationes ex eo deſcendentes magis latent eſt deterius. *Nam vitia ex effectibus & operationibus cognoſcuntur. Unde conſequitur illud magis latere cujus opera magis latent, & per conſequens minus ſanabile eſſe.*

14. Eſt quoque vitium habitus proæreticus; unde fit, ut illud deterius ſit quod magis proæreticum exiſtit. *Nam cum vitium ſuâ naturâ fœdum ſit, eò fœdius magisq́; abominandum erit, quò plus de eſſentiâ participat.*

15. Inde porrò deducimus, eum hominem magis vitioſum eſſe qui cum majori ſubtilitate in mediis inveſtigandis vel majori cum artificio mali quid commiſit. *Nam hæc arguunt quiddam magis proæreticum. Quemadmodum contrà minus proæreticum cenſeri debet quod quis facit oblatâ & non quæſitâ occaſione, v. g. ſi furi patentes offerantur fores.*

16. Quod vitium magis inſidioſum eſt gravius exiſtit. *Nam magis inſidioſum etiam magis proæreticum eſt: multum quippe requiritur conſilii in inſidiis ſtruendis.*

17. Eandem ob cauſſam & is videtur magis vitioſus qui ex concupiſcentiâ quàm qui ex irâ operatur. *Nam concupiſcentia lentè irrepit & proinde magis proæretica eſt quàm ira, quæ ſubitò & cum vehementiâ movet hominem: adeoque in concupiſcentiâ magis conſilio locus eſt quàm in irâ. Pariter quod ex amaritudine fit magis vitioſum cenſetur quàm quod ex iracundiâ: illud namque magis proæreticum eſt.*

18. Pejor quoque & ille cenſendus qui quid mali comminiſcitur & reperit, quàm qui id non facit. *Nam comminiſci proæreticum eſt.*

19. *Vitii naturam tertiò in hoc poſitam eſſe diximus, quòd lædat bona humana. Et quia omne bonum vel eſt honeſtum vel utile vel jucundum, it. vel publicum vel privatum, it. vel proprium ejus qui peccat vel alienum; neceſſe eſt varias vitiorum inde oriri differentias.*

20. Vitia quibus læditur bonum publicum longè deteriora ſunt iis quæ lædunt bonum privatum. *Nam quò præſtantius eſt bonum quod læditur eò gravius cenſendum quod læſionis principium & cauſſa exiſtit: at bonum publicum privato longè præferendum eſt.*

21. Eſt & hoc pejus quod damnoſum eſt aliis quàm cujus læſio in ipſo ſubſiſtit operante: *Nam quod damnoſum aliis eſt reddit odioſos, removendos, tollendos & cum injuſto particulari conjunctum eſt. Idque longè pejus eſt eo quod tale non eſt.*

22. Quod

22. Quod damnoſum eſt meritò pejus cenſendum eſt, ſi tollat bonum quod majoris æſtimationis eſt. *Damnoſum propriè eſt quod æſtimabile aliquod bonum tollit vel minuit; in his autem malum illud cenſetur gravius quod tollit bonum majoris precii vel æſtimationis.*

23. Quod lædit bonum jucundum naturâ & cum honeſtate conjunctum deterius eſt eo quod lædit jucundum minus naturale & nullam cum honeſtate communionem habens. *Nam jucundum naturale & cum honeſtate conjunctum præſtantius eſt eo quod nullius honeſtatis particeps eſt. ita v.g. naturâ & cum honeſtate jucundi ſunt liberi parentibus.*

24. *Qui bonum lædit proprium illudq́; vel utile vel jucundum nec improbus nec deteſtandus cenſetur, ſed qui lædit bonum honeſtum.* Omne autem vitium, quo læditur peccantis honeſtas propria, vel eſt horrendum & abominandum, vel turpem vel vilem vel ſtolidum & vanum peccantem haberi efficit. *Et hoc ordine videntur ſe invicem conſequi qui ejuſmodi vitiis laborant.*

25. Quartò majorem vitioſitatem indicat major à mediocritate diſtantia. *Nam cùm vitii natura in hoc poſita ſit, quòd à mediocritate recedat, majus vitium neceſſariò erit quod à medio magis remotum eſt.*

26. *Tandem notandum eſt, quemadmodum virtus vera nulla ſola exiſtit, ſed reliquas virtutes ſibi comites habet; ita vitium quodque ſolere alia vitia ſecum trahere.* Vti ergò præſtantior eſt virtus quò plures alias ſibi comites habet; ita quoque vitium quò magis cum aliis conjunctum eſt eò fœdius habendum. *Sic v.g. Intemperantia Neronis ſecum trahebat comitem crudelitatem, ut occideret matrem & præceptorem.*

27. *His præmiſſis tradere poterimus quid cuique vitio malitiæ inſit, ſervato ordine quo Ariſtoteles virtutes in libris de moribus tractat & proponit.*

ARTIC. II.
DE
AVDACIA ET TIMIDITATE.

1. *Videamus primo loco quid malitiæ inſit audaciæ, initio facto ab eo quod habitum concernit. Eſt ergò audax in hoc malitioſus magis quàm timidus.* 1. quod habitum magis voluntariè ſibi paravit. *Nam audaculi hoc omnibus modis agunt ut fortes videantur, quemadmodum ſophiſtæ ut appareant ſapientes, licet non ſint: adeoque aliquâ voluptate,*

quæ ſcil. inde percipitur, quod fortes reputentur, ducuntur ad habitum parandum; quod indicat, habitum in iisdem magis voluntarium eſſe. Eſt ſecundò & audax minus ſanabilis. *Forti enim ſimilior eſt & ſub ſpecie hujus latet.*

2. Eſt porrò audax timido deterior quia magis lædit. *Nam non modò ſeipſum lædit, objiciendo ſe periculis quibus non debebat; ſed & alios; Et ita ad lædendum inclinat, præſertim ſi in malis verſatur.*

3. In eò audax timido videtur præſtare, quòd propior ſit medio, fortitudini nimirum. *Nam hoc agit audax ut forti ſimilis videatur. Ergò & ſtudet ea facere quæ fortis facere ſolet.*

4. Trahit quoque audacia ſecum alia vitia, nim. 1. arrogantiam. *Nam ſibi fortis viri laudem ſumit, non obſtante, quòd ſciat, ſe hac dignum reverâ non eſſe.* 2. ipſam timiditatem. *Nam audax in rebus formidoloſis ſe jactat, eas tamen non perfert: & hoc ipſo pejor eſt eo, qui ſimpliciter eſt timidus.*

5. Contrà timidus ratione habitûs minus malitioſus videtur. *Nam* 1. *peccat non confidendo ſed metuendo, deterreturq́; ab actionibus fortibus moleſtiis: adeoque acquirit habitum ſuum magis coactè & violenter quàm ſponte. Idem etiam inde confirmatur, quia verſatur in eo quod rarum & non quotidianum & perconſequens tale exiſtit, in quo virtus paratu difficilis eſt. Difficile quippe eſt habitum ſibi parare in iis quæ raro occurrunt.* 2. *Magis quoque ſanabilis eſt hic habitus quoad hoc quod non facilè lateat ſed ſtatim prodatur; licet propterea non poſſit facilè eradicari, quia naturalis magis eſt: ducitur enim quævis ſubſtantia naturaliter ad conſervationem ſui fugitq́; terribilia.*

6. Habet & timiditas quoad hoc minus malitiæ; quia minus lædit quàm audacia. *Nam tendit hoc vitium ad conſervationem hominis, ne ſubſtantia ejus pereat. Sed ſi læſio quædam per hoc vitium contingit infertur ea omittendo. v. g. quando timidus pro patriâ non pugnat.*

7. Sed in hoc timiditas deterior eſt, quòd recedat magis à medio, fortitudine nim. *Et quoad hoc etiam vitium minus ſanabile eſt: difficilius enim à vitio longius diſtante ad medium devenitur.*

ARTIC. III.
DE
INTEMPERANTIA.

1. Intemperans ratione habitûs ſui conſideratus multâ laborat malitiâ. *Nam* 1. *verſatur in concupiſcentiâ jucundi ſectando cupiditates, magisq́; ſpontaneè quàm timidus ſibi habitum acquirit: timi-*

tus

dus etenim ducitur fugâ moleſtiarum, & habitum conſequitur, dum per moleſtias de ſuo ſtatu deturbatur: Intemperans verò nullas ſentit moleſtias, niſi quando voluptatibus frui nequit dumq; in concupiſcentiâ verſatur. Improbior ergo intemperans timido eſt; quia ſingulas operationes ſponte edit, quibus habitum parat; cum timidi operationes ſingulæ propemodum violentæ ſint; utpote qui ad peccandum metu mortis adigitur 2. Verſatur timidus in concupiſcentiâ quæ non coercita inexplebilis eſt; unde vitium circa hanc contractum tanquam in re inexſatiabili occupatum inſanabile redditur. 3. Eſt & hoc vitium naturale & creberrimum. Nam videmus pleroſque homines duci jucunditate cibi potus & rei venereæ. Quam ob cauſſam rurſus minus ſanabile exiſtit. 4. Verſatur & hoc vitium in rebus quotidianis & periculo omni vacantibus, in quibus virtus paratu facilis eſt; quia quotidie datur occaſio eam exercendi. Unde fit ut intemperans ſit improbior & flagitioſior timido: utpote cùm timidus verſetur circa periculoſa & non quotidiana, in quibus non facile eſt virtutem parare. 5. Auget etiam hujus habitûs malitiam, facitq; ut inemendabilis ſit, quod ex hoc habitu operantes ſua flagitia occultare facilè queant: ſtupra enim ſcortationes adulteria pleriq; celare norunt. 6. Sed quoad hoc intemperans quidem audaci fœdior, quòd non æquè ſub ſpecie virtutis ac audax latitare poſſit, non tamen æq; inſanabilis. Nam vitium, quod ſub ſpecie virtutis latitare nequit, aptius eſt ad corrigendum & emendandum.

2. Ratione damni & læſionis videtur intemperans non æquè improbus ac audax. *Nam quà alis nulli alii intemperans quàm ſibi nocere videtur, & 1. quidem quoad rem familiarem quæ per intemperantiam exhauritur. 2. quoad honeſtatem & æſtimationem: eſt enim intemperantia vitium puerile; quia intemperans æq; ac puer cupiditatem ſequitur ducem vitæ; & propterea pro vili meritò habetur caſtigandusq; inſtar pueri eſt, ne vitium impunitate amplificetur & augeatur. Nonnunquam tamen & intemperantia honeſtatem publicam lædit, civitatemque totam quaſi abominandam reddit, quando ſcil. eò per intemperantiam homines delabuntur, ut non contenti amplius iis, quæ naturâ jucunda ſunt, quærant objecta voluptatis præter naturam, v. g. quando peccata ſodomitica committunt.*

3. Trahit hoc vitium ſecum alia, prodigalitatem nim. avaritiam, iracundiam erga eos qui prohibent, ut adeò ob hoc etiam plus malitiæ præ cæteris in ſe contineat. *Nam intemperantia facit, ut pecunia impendatur in res voluptuoſas ſeu eas in quas non debebat; abſumptâ pecuniâ, quò porrò luxuriam ſuam exercere queant, coguntur homines undiquaque rurſus pecuniam illicitis mediis & unde non debebant*

bant

5. Tandem & vitium hoc plerumque cum injuſtitiâ particulari conjunctum eſt aliiſque rebus turpibus quæ fœditatem hujus augent. *Nam avari peccant infra modum dando & ſupra modum accipiendo, cui utriq; plerumq; accidit injuſtum; quia injuſtum in inæqualitate conſiſtit, quæ oritur exinde, ſi plus quàm debebamus accipiamus, minus demus. Trahit etiam hoc vitium ſecum arrogantiam & adulationem. Nam multi pecuniæ acquirendæ gratiâ jactant ſibi majora ineſſe quàm inſunt, fiuntq; arrogantes: multi etiam nihil reprehendunt, ſed omnia in aliis laudant, fiuntq; adulatores.*

6. In ſpecie verò quia vitium, cujus malitiam ſpeculamur. conſiſtit vel in accipiendo ſupra vel in dando infra modum, illud deterius cenſetur quod in accipiendo quàm quod in dando conſiſtit. *Nam accipere eſt plerumq; cum majori turpitudine conjunctum, & eò fœdius quò plus turpitudinis accipientes ſubeunt. Ita v. g. avarorum deterrimi ſunt latrones & fures, qui turpis lucri gratiâ ſe in maxima pericula conjiciunt: hos excipiunt lenones, fœneratores, ſordida opificia tractantes; quibus exiguum lucrum magnâ mercede amiſſione ſcil. exiſtimationis conſtat. At minus vitioſi his ſunt qui in dando deficiunt, quales ſunt parci, tenaces, ſordidi. Nam hi aliena non appetunt minusque lædunt: ſæpenumero etiam ex bonâ intentione operantur, rerum nimirum turpium fugiendarum ſtudio, ne paupertate adacti prohibitas artes ſectari teneantur.*

7. Prodigalitas contrarium avaritiæ vitium eſt quidem habitus voluntarius; *quia in eo verſatur quod quotidianum eſt, nec tendenti ad liberalitatem deſunt unquam exercitia quibus paretur. Quamob cauſſam etiam prodigus pejor timido videtur.* At habitus non eſt diuturnus. *(Quâ in parte prodigus minus malitiæ quàm vel avarus vel timidus habet.) Nam corrigitur hoc malum 1. ætate; quia ſenectus regulariter parcos tenacesque reddit. 2. defectu mediorum; quia prodigus ſemper dat, & propterea ſtatim deſtituitur facultatibus, cogiturq; ita ob carentiam mediorum, quæ ad exercendum hoc vitium requiruntur, ab eodem abſtinere. Poteſt etiam propterea facilè emendari, quia minus innatum minusq; crebrum eſt: plerumque enim homines ſua commoda quærunt, idque hac de cauſâ, quod quilibet ſe quam maximè amet & vulgus amorem ſui in hoc poſitum exiſtimet ſi ſibi commoda pecuniaria quærat. Indiget itaque prodigus curatore tantùm, cujus ope facilè ad meliorem frugem redire poteſt; ſed hoc deſtitutus facilè in alia vitia prolabi poteſt, de quibus mox dicemus. Et quamvis emendationem impedire videatur, quòd hoc vitium ſub ſpecie liberalis latitet; (eſt enim prodigus ſimilior liberali quàm avarus) Id tamen non diu contingit; quia mox apparet profuſio.*

8. Quod proæreſin concernit, eſt hoc vitium minus proæreticum quàm avaritia. *Concupiſcentia etenim dandi non eſt inſidioſa, ſed habendi concupiſcentia, quâ laborat avarus.*

9. Quoad hoc præ cæteris minimè malus videtur prodigus, quòd nemini damnum inferat, nec ullius alterius bonum lædat. *Nam aliis hominibus potius utilis quàm damnoſus exiſtit. Lædit tamen ſeipſum; non quidem ut abominandus, turpis aut vilis, ſed potius ſtolidus habeatur & miſericordiâ dignus.*

10. Propius quoque liberali accedit quàm avarus. *Nam huic inſunt quæ liberalem reddunt: in hoc tantùm differt, quòd donationes non faciat prout decet. Et hac in parte minus etiam malus eſt quàm timidus vel intemperans: hi enim virtuoſo nulla in re ſimiles ſunt.*

11. Prodigalitatis vitium comitantur plerumque 1. intemperantia. *Nam plerumq; prodigi impendunt pecuniam in res obſcœnas & ab intemperantiâ natas; cùm enim vitam honeſti regulâ non dirigant, pecuniam in res voluptuoſas impendunt.* 2. avaritia. *Deficientibus enim facultatibus homines profuſioni dediti plerumq; ſine religione honeſtiq; curâ corradunt & parant unde non debebant. Contingit etiam reſpectu certarum perſonarum prodigum avarum dici: uti enim in adulatores & voluptatum miniſtros largus, ita in probos, honeſtos & temperantes parcus exiſtit.*

ARTIC. V.
DE VITIO PUGNANTE CUM MAGNIFICENTIA.

1. Utrumque vitium cum magnificentiâ pugnans nihil malitiæ habere videtur. *Nam peccans contra magnificentiam vel in res parvas magnos vel in res magnas parvos facit ſumptus. Sed hæc nullam dedecoris vel turpitudinis merentur notam: præſertim cùm nemini damnum hiſce inferatur. Ad ſummum ergò ſtolidis annumerantur qui adverſus magnificentiam peccant.*

ARTIC. VI.
DE SUPERBIA ET DEMISSIONE ANIMI.

1. *Magnanimitati adverſatur primò ſuperbia.* Eſtque hoc vitium ſi habitum ſpectes magis voluntarium quàm timiditas. *Nam*

ducti

ducti concupiſcentiâ honorum & voluptatibus, quas ex iiſdem percipiunt, in hoc incidunt vitium; non per fugam & quaſi violentiam, quemadmodum timidi. Videtur verò habitus hic minus firmus. *Nam ſuperbus ſeipſum qualis ſit indicat & coarguit, dum quaſi dignus res amplas conatur & ſuſcipit, ſuasq; res ſecundas notas & manifeſtas reddere ſtudet, easdem deprædicando vel veſtitu, habitu, geſtuq; corporis oſtentando, quò inde honores adipiſcatur. Cumq; hoc pacto minus latitet ſuperbia, aptior eſt ad emendandum, quàm vel audacia vel intemperantia.*

2. Videtur etiam ſuperbia neminem æquè lædere ac audacia & avaritia, ſed, ſi qua ex hoc vitio fit læſio, in ipſum ſuperbum redundare. *Nam avaritiâ læditur bonum utile, at ſuperbiâ potius jucundum: dum namque ſe virtuoſis & magnis honoribus dignis ſeque ſuperioribus ſimilem paribusq; ſuperiorem reputat inferiores autem quos exiſtimat præ ſe contemnit, in omnibus creat moleſtiam, non modò aliorum iram odiumq; in ſe concitat, ſed etiam facit ut pro ſtolido à cunctis habeatur. Qui enim ſeipſum ignorat ſtolidus eſt.*

3. Quoad hoc tamen minus mala ſuperbia videtur, quòd ſit magnanimitati vicinior quàm demiſſio animi. *Nam magnanimitas in honoribus occupata eſt magnis fruendis: at demiſſio animi facit ut honores fugiantur.*

4. Contrà demiſſio animi firmius inhæret quàm ſuperbia minusque emendabilis eſt. *Nam 1. latitat hoc vitium ſub ſpecie modeſtiæ: ſolent enim communiter modeſti vocari qui honores non ambiunt: 2. videtur etiam magis naturale eſſe quàm ſuperbiæ vitium: plerumque enim homines ad pigritiam propenſiores ſunt, & ſub ſpecie contemptus honorum declinant à ſe operationes virtuoſas, & actiones honeſtas ſtudiaq; refugiunt, tanquam his indigni. 3. hoc quoque haud parum juvare videtur, ut minus emendetur; quia humiles & demiſſi aliis hominibus tolerabiliores ſunt quàm ſuperbi: horumq; actionibus propterea non æq; adverſantur homines.*

5. Læſio, quæ ex hoc ſuboritur vitio, itidem non ad alios ſed ad ipſos vitioſos pertingit, minorque eſt quàm quæ ex ſuperbiâ contingit. *Nam ſuperbi in odio ſunt & pro ſtolidis habentur: at qui demiſſi ſunt animi non quidem ſunt in odio ſed contemptu hominum; quia ſemetipſos nullis honoribus bonisq; dignos reputantes faciunt, ut & alii idem de his ſtatuant i. e. eos contemnant; nec ſtolidi ſed pigri potius reputantur. Nam vitium, quo laborant, iiſdem non ex ignorantiâ ſui, quemadmodum ſuperbis, contingere exiſtimatur: (quis enim hominum bona, ſi qua habet, ignorat?) unde potius pigri & ſegnes quàm ſtolidi vocantur. Hoc tamen negandum non eſt, hanc de indignitate ſui opinionem multas & præclaras*

in hominibus ſupprimere actiones, & eoſdem à virtutum ſtudio avertere, qua in re humiles ſuperbis deteriores videntur.

6. *Eſt verò & hoc magis reprehendendum in humilibus, quod longius à magnanimitate abſint quàm ſuperbi.*

ARTIC. VII.
DE
AMBITIONE ET HONORUM CONTEMPTU VITIIS MODESTIÆ OPPOSITIS.

1. Ambitionis vitium magis voluntarium eſt quàm timiditatis. *Nam cupiditate honorum, & voluptate, quam ex iiſdem percipit, ducit urqui crebris operationibus hunc habitum ſibi parat: cùm contrà timidus ex fugâ moleſtiæ impellatur.* Eſt & magis inſanabile quàm prodigalitatis, & quoad hoc ſimile intemperantiæ vitio. *Nam quemadmodum voluptatis ex cibo, potu & re venereâ; ita quoque honorum cupiditas in infinitum tendit, nec, ratione ſemel corruptâ, exſatiari poteſt.*

2. Eſt præterea & hoc vitium magis quàm vel prodigalitatis vel intemperantiæ vel timiditatis proæreticum. *Nam dum præ cæteris ambitioſus honores concupiſcit, varias inſidias ſtruere aliis cogitur: quod facit eum inſidioſum æquè ac avarus eſt.*

3. Eſt & ambitioſus aliis damnoſus. *Nam ſtudet aliorum honores ſupprimere, quò ipſe ſolus præemineat.*

4. Non idem apud omnes de ambitioſo judicium eſt, quod attinet ad deviationem à medio. *Nam interdum laudatur comparatus ſcil. ad vulgus: reſpectu hujus enim honeſtatis ſtudioſus & laudabilis videtur: at ſi referatur ad eos, qui reverà virtuoſi ſunt, reprehenſionem meretur, velut nimiâ honorum cupiditate flagrans.*

5. Ambitionem comitatur injuſtitia particularis. *Nam qui ſibi ratione honorum plus ſumit quàm debetur injuſtus eſt: id verò facit ambitioſus, dum ſtudet ſibi quidvis honorum parare aliis detrahere, non habitâ ratione dignitatis.*

6. Contrà honoris contemptor peccat potius omittendo minusque voluntariè habitum ſibi parat. *Nam nihil mali quærit, ſed bonum quærendum omittit.*

7. Nec præterea de eo ſatis conſtat in quantum à virtute abſit. *Interdum enim vituperatur tanquam ne ex honeſtis quidem rebus honoris impetrandi conſilium ſuſcipiens; nonnunquam verò laudatur velut modeſtus. Et ita dum cum ambitioſo de virtute certat honorum con-*

contemptor, non ſatis conſtat, quis horum ad mediocritatem magis accedat.

ARTIC. VIII.
DE
IRACUNDIA ET NIMIA LENITATE.

1. Habitus iracundiæ quodammodo voluntarius videtur magis quam timiditas. *Verſatur enim hic habitus in quotidianis & propterea talibus in quibus virtus paratu facilis eſt ob exercitia crebra quæ circa hanc acquirendam inſtitui poſſunt.* Eſt quoque hic habitus non facilè emendabilis. *Nam iracundia vitium frequentius eſt lenitate, & proinde magis naturale; quia uſitatum hominibus ad ultionem tendere, multum juvante temperamento cholerico.*

2. Proæreticum quoque vitium iracundiæ eſt præ prodigalitate, timiditate & ſimilibus. *Nam iracundi tendentes ad vindictam inſidioſi ſunt, præſertim amari, qui iram ſuam comprimunt & occultant non tamen quieſcunt, donec injuriam ulti fuerint: hi etenim varia ſtruunt conſilia ſuos adverſarios lædendi.*

3. Iracundia præ lenitate, intemperantiâ, timiditate, prodigalitate malitioſa eſt lædendo alios. *Nam ira omnis tendit ad vindictam, quæ in læſione quâdam poſita eſt. Præter læſionem autem quam inferunt iis, à quibus ad iram accenſi ſunt iracundi, aliis quoque hominibus etiam amicis ſunt moleſti, nec ad converſationem apti; quo ipſo & ſibi nocent.*

4. Eſt autem Iracundia etiam propterea lenitate nimiâ deterior, quia magis à mediocritate recedit. *Nam virtus in compeſcendâ & comprimendâ irâ conſiſtit. Quamvis iracundi nonnunquam ut virtuoſi laudentur, quia præ ſe ferunt animum virilem, fortem & ad imperandum natum: adeoque ſæpè hoc vitium ſub ſpecie fortitudinis latitat.*

5. Contrà lenitatis nimiæ habitus videtur emendabilis. *Nam hic habitus minus naturalis hominibus communiter exiſtit; quia propenſiores pleriq; ſunt ad vindictam quærendam. Quamvis hoc multum impediat emendationem, quòd lateat ſub ſpecie virtutis, &, ut paulò poſt dicetur, ad mediocritatem quamproximè accedat.*

6. Eſt præterea nimia lenitas vitium nulli alii nocens quàm hoc vitio laboranti. *Nam qui eſt propenſior ad ignoſcendum quàm vindicandum nemini nocet; facit tamen ut dum non ſuccenſet iis quibus debebat, non modò pro ſtolido ſed ſervili homine habeatur; quia contume-*

lias in ſe ſuosq́ pati ſervilis hominis eſt; neſcire autem quas ob cauſſas ſuccenſendum, ſtolidi.

7. Eſt porrò & hic habitus minus malus, quia mediocritati ſeu virtuti vicinior eſt. *Nam hoc laborans vitio videtur ab omni animi tumultu liber ac ſolutus eſſe, nec admittere ut à perturbatione trahatur.*

ARTIC. IX.
DE
ADULATIONE ET MOROSITATE.

1. Adulatorium vitium propterea minus emendabile eſt, quia latitat ſub ſpecie virtutis. *Nam adulator putat ſe eum, cum quo converſatur, nullo modo offendere debere: Virtuoſi autem hunc ſibi ſcopum propoſitum habent, ut potius delectent quàm offendant.*

2. Videntur etiam adulatores nullius bonum lædere ſed ſeipſos potiûs. *Nam præ ſe ferunt amicitiam; eſt enim adulator ſimilis amico in amicitiâ inæquali: unde nemini nocere videntur. Et quamvis principes multa ſæpenumero incommoda patiantur ex adulationibus; non tamen id faciunt adulatores quà tales; ſed ipſi principes in cauſâ ſunt ob credulitatem ſuam & quia his delectantur. Quà tales autem lædunt ſe ipſos: quia cum damno & turpitudine delectare ſtudent.*

3. Eſt quoque vitium adulatorium ſæpè conjunctum cum avaritiâ vel ambitione. *Nam permulti reperiuntur adulatores qui id faciunt lucri vel honoris gratiâ.*

4. Moroſitatis contrà vitium emendabile magis quàm adulatorium videtur. *Nam ſub nullius virtutis ſpecie latitat, & ubique offendit concitatq́ hominum iras: ut adeò quotidiè corrigatur ac emendetur.*

5. Nullum quoque bonum honeſtum hoc vitio læditur ſed jucundum. *Nam moroſi in omnibus contradicentes & adverſantes videntur ſimiles iis qui ſtudio honeſtatis alios candidè reprehendunt: bonum tamen jucundum lædunt, quia contradicere in omnibus moleſtiam creat.* Sibi ipſi verò potiſſimum damno eſt moroſus. *Nam concitat in ſe odia hominum, dum contradicit, dumq́ nihil curæ impendit, ne quem offendat, & ita præ ſe fert ſpeciem contemnentis.*

ARTIC. X.

DE
ARROGANTIA ET DISSIMULATIONE.

1. Arrogantiæ vitium videtur quidem emendabile, ſed rarò radicatum in hominibus iterum exſtirpatur. *Nam arrogans qui de ſe falſa loquitur vendicatq; ſibi res glorioſas quæ non inſunt, aut majores iis quæ inſunt, non diu latet, ſed ab omnibus prudentioribus riſu excipitur, ut adeò ſe corrigendum omnibus penè exhibeat. At ob nimium amorem ſui, quo quiſque hominum ſe ipſum proſequitur, correctione nullus arrogans ſe emendari patitur: hoc namq; quivis trahitur ad ſtatuendum longè majora ſibi ineſſe quàm reverà inſunt.*

2. Arrogantiæ vitium per ſe non eſt comparatum ad lædendum alios, ſed quilibet arrogans ſe quammaximè lædit. *Nam arrogans in hoc ſubſiſtit, quòd de ſe prædicet quæ novit ſibi non ineſſe. Unde fit ut quidem improbo ſimilis ſit, magis tamen habeatur nugator & homo levis. Dum enim de ſe majora prædicat quàm inſunt, ſe longè majoribus bonis dignum reputare & injuſto improboq; ſimilis videtur, ſed quia falſa apparent ſtatim, nugator habetur. Se autem quam maximè lædit, quia hominibus fit gravis & odioſus, fugiturq; ab iiſdem.*

3. Videtur porrò arrogans pejor diſſimulatore: *quia veraci magis opponitur quàm diſſimulator: unde & magis vituperari ſolet.*

4. Nonnunquam arrogantia concurrit cum avaritiâ, nonnunquam cum ſuperbiâ. *Nam omnes homines de ſe jactant inania vel pecuniæ vel inanis gloriæ cauſâ vel quia mendacio ipſo delectantur: qui vel gloriæ vel lucri gratiâ jactabundi ſunt arrogantiæ vitium cum ſuperbiâ vel avaritiâ conjunctum habent, & propterea improbiores reputantur: At qui inania jactant propterea, quòd mendaciis ipſis delectentur, magis vani ſtolidiq; reputantur. Hinc medici circumforanei, genethliaci, ſophiſtæ non modò ſtolidi ſed improbi reputantur: quia lucri gratiâ de ſe inania jactant.*

5. Contrà diſſimulatores videntur veracibus propiores minusque reprehendendi quàm arrogantes. *Nam veracitatis ſtudioſi videntur dum elationem jactantiamq; fugiunt, & glorioſa omnia de ſe negant: unde ſi latent, mores videntur habere politiores.*

6. Nonnunquam autem diſſimulatio ſecum trahit jactantiam contrarium ſibi vitium, & tunc fœdum eſt. *Sunt quippe nonnunquam veteratores qui res parvas & in promptu poſitas diſſimulant: hi namque dum talia diſſimulant ſibi honeſta arrogant: conſentur quippe & ea diſſimulare & ita habere quæ reverà non habent.*

ARTIC.

ARTIC. XI.
DE
SCURRILITATE ET INSULSITATE.

1. Scurrilitas plerumque inemendabile vitium eſt. *Nam homines ejuſmodi ſcurras rarò corrigunt, ſed ut viles & abjectos tolerant: niſi quod quandoq; dum alios offendunt iram in ſe concitent.*

2. Scurræ & ſe & alios lædunt ratione honeſtatis. *Nam ducuntur tali ridiculorum cupiditate, & eò prodeunt riſu movendo, ut nec ſibi nec aliis parcant. Hinc etiam quia majorem ridiculorum quàm honeſtatis curam habent contempti homines ſunt.*

3. Homines inſulſi & agreſtes non aliorum ope ad ſaniorem mentem redire poſſunt: adeoque non facilè emendantur, niſi ſeipſos corrigant. *Nam infenſi ſunt iis qui innocuos tractant jocos & propterea ad converſationem inepti: quâ de cauſâ & nemo eorum curam habet. Unde nec ab aliis facilè emendantur, ſed deprehendentes ſe ab omni converſatione hominum excludi nonnunquam ad ſaniorem mentem redeunt.*

ARTIC. XII.
DE
INJUSTITIA PARTICULARI.

1. Injuſtitiæ particularis vitium ſubtiliorem præ cæteris, quam malitiam in ſe habeat, meretur ſpeculationem. *Nam maxima legum pars tractat de his quæ ad hoc vitium ſpectant.*

2. Eſt autem alia ratio hoc vitium conſiderandi aliaque methodus, quàm quâ in præcedentibus uſi ſumus. *Nam juſtitia particularis aliter in medio poſita eſt, quàm cæteræ virtutes: conſiſtit etenim in æqualitate perſonarum & rerum ſeu bonorum fortunæ. Unde fit, ut injuſtitiæ particularis varii ſint gradus, quatenus nim. ab æqualitate longius abit. Primò itaq; injuſtitiam particularem contemplabimur conferendo eam cum cæteris vitiis, deinde reſpectu ſuorum graduum malitiæ quos habet.*

3. Primò itaque injuſtitia particularis regulariter conjuncta eſt cum damno aliorum hominum querelisque & motibus inde naſcentibus, eâque in re cætera vitia ſuâ malitiâ excedit. *Nam per hoc vitium videtur læſio à cæteris vitiis fieri. v.g. avaritia ſæpè in immodicâ parſimoniâ ſubſiſtit, per quam nemo læditur: at quando avarus progreditur ad bona aliorum auferenda, peccat mediante injuſtitiâ particulari.*

lari. Eſt enim injuſtitiæ eſſentia in hoc poſita, quòd lædat alios ratione bonorum fortunæ & querelas concitet. Sic intemperans rem habens cum ſcorto ſeu meretrice, quæ ſuum corpus venale habet, ex ſolâ peccat intemperantiâ, nec quenquam hominum lædit, ſed ſibi ipſi nocet ratione honeſtatis: at rem habens cum uxore alterius magis per injuſtitiam particularem peccat. Ex quibus patet ſingula vitia per acceſſionem hujus reddi deterrima, querelas, motus, turbasq; concitare, propterea, quòd totum hoc vitium in lædendis aliis hominibus occupatum, ejusque eſſentia in hoc poſita eſt, quòd ſit quiddam ad alterum relatum.

4. Secundò plerumque injuſtitiam particularem alia vitia comitantur. *Nam qui alterum lædunt quoad honores plerumq; ambitioſi, arrogantes, ſuperbi vel etiam puſillanimi ſunt; (puſillanimi enim clanculum aliorum famæ nocere ſtudent,) qui pecuniam & poſſeſſiones aliorum lædunt plerumq; unà avari ſunt, qui matrimonium alterius, intemperantes: rariſſime quippe committuntur adulteria hanc ſolam ob cauſſam quò in alterius familiam transferantur liberi alendi, ſed plerumq; libido & concupiſcentiâ homines trahit.*

5. Eſt tertiò vitium hoc maximè proæreticum. *Nam injuſti metuentes pœnam legibus præfinitam ſtudent homines clanculum lædere, quò impunè id facere queant: & ita maximè inſidioſi ſunt.*

6. Quòd verò concernit ipſum habitum, non ſemper eodem modo hic paratur, ut adeò nec eadem ſit omnium injuſtorum malitia. *Nam alii injuſta faciunt, quia inæqualitate delectantur, qui cum maximè ſponte habitum parent, etiam deterrimi exiſtunt: nonnullis neceſſitate magis quam paupertas imponit, qui proinde eâdem cum illis malitiâ non laborant.*

7. Cæterum, habet injuſtitia particularis varios gradus quatenus à medio vel æqualitate magis vel minus recedit. *Nam magis injuſtus videtur qui amicum lædit ratione vitæ aut famæ quàm peregrinum: it. qui lædit vitam, famam, pudicitiam, quàm qui pecuniam &c. De quibus vitii gradibus proinde nunc dicendum eſt.*

8. Redditur inæqualitas major, 1. quando malum majus infertur. Quantum autem unum quodque ſit malum æſtimari poteſt vel ex ipsâ mali & boni naturâ vel ex naturâ majoris & minoris.

9. Mali natura in hoc conſiſtit, quòd illud fugiant homines. *Quemadmodum enim cuique bonum eſt quod appetit: ita quoque malum quod fugit.*

10. Injuſtior itaque eſt qui infert quod communiter omnes fugiunt, quàm quod non omnes aut pauci tantùm. *Nam quod omnes omnino homines fugiunt ſimpliciter & abſolutè ſeu perfectè malum*

videtur. Hoc autem magis malum eſt quàm quod non ſimpliciter malum exiſtit.

11. Is etiam injuſtior eſt qui inſert quod hic magis fugit, vel hoc tempore vel hoc loco. *Nam actiones humanæ ſingulares ſunt & in ſingularibus occupatæ: itaque majus malum cenſetur illatum quod patiens magis fugit, vel quo tempore vel quo loco. v. g. qui in præſentiâ patronorum vel magnorum virorum, quos ille veretur, aliquem injuriâ afficit magis injuſtus eſt, quàm qui hoc facit in nullius conſpectu.*

12. Contra minus injuſtus eſt qui lædit non merè invitum. *Nam quod quis aut planè non fugit aut minus acriter, aut pro minori malo habet id reſpectu hujus minus malum eſt. Hinc qui adhibitâ vi fœminæ honeſtæ planè invitæ adimit pudicitiam gravius peccat, quàm qui id committit in non merè invitam.*

13. Ex hactenus dictis patet, gradus malitiæ ejus qui injuſtum committit peti poſſe à gradibus inviti. *Nam quo magis invita eſt injuſti illati perpeſſio eò magis fugitur à patiente. At quo magis ab unoquoque quid fugitur, eò etiam majus malum reſpectu illius eſt, quod eidem infertur.*

14. *Quia verò duobus modis quis invitus pati quid dicitur. 1. ſi vi quâdam neceſſitas imponitur. 2. Si ignorans malo afficitur: ſecundum utramque inviti ſpeciem gradus injuſti variant. Quales vero ſingulis inviti ſpeciebus inſint gradus infrà latius dicetur: hic ſufficit obiter eaſdem enarrare.*

15. Perfecta malitia ei ineſt, qui injuſtum committit vi ſimplicemq; neceſſitatem inferendo patienti. *Nam merè invitus patitur, cui nulla relinquitur electio.*

16. Minus perfecta malitia ineſt ei, qui malum gravius minitatur alteri ſi pati injuſtum nolit & hoc ipſo eundem ad patiendum adigit. *Nam cui relinquitur electio, is malum, quod eligit, quodammodo patitur ſub ratione boni: quod enim minus malum, ab aliquo reputatur, id appetit quò majus malum effugiat.* Hujus autem injuſti iterum quidam gradus ſunt. *Nam quò majus eſt malum quod quis minitatur, vel quò plus poteſtatis habet id alteri inferendi, vel imbecillior aut meticuloſior eſt perſona cui minæ fiunt, eò minus libera in altero eſt electio; eòque magis invitus patitur.*

17. *Sunt nonnulli, qui non quidem volunt nec tamen & nolunt damnum ſibi inferri. Tales ſunt, qui alios ad duella vel aleam aut alia quibus lædi poſſunt provocant. Et licet non velint damna; non tamen perfectum injuſtum patiuntur, quia quod ipſis infertur non nolunt, i. e. non planè fugiunt; ſed ſi ita fors ferat ſe ſubituros animum declarant. Huc referri*

referri poſſunt quoque ii, qui alterum provocant ad iram vel alium vehementem in eodem excitant affectum.

18. Non injuſtus eſt, qui in offerentem ſeſe quid ſtatuit, quod ſimpliciter malum eſt. *Nam cui perferendo quis ultro ſe offert, id reſpectu ejus malum non eſt: ceſſante autem malo in patiente ceſſat injuſtum particulare.*

19. Invitum per ignorantiam habet ſuos gradus à cauſsâ ignorantiæ. (*Quod infrà latius demonſtrabitur.*) *Nam aut ipſe lædens eſt cauſſa ignorantiæ in patiente, vel patiens ſibi ipſe vel ignorantia in patiente accidentalis eſt, cujus cauſſa nec in lædente nec in patiente exiſtit.* Vera malitia ineſt ei, qui alterum ut patiatur in errores & ignorantiam conjicit. *Nam hujus delictum eſt maximè proæreticum: appetit enim injuſtum ex præviâ conſultatione; quomodo enim in errorem conjiciat alterum, deliberat, antequam malum inferat.*

20. Eſt autem ignorantia vel puræ negationis vel pravæ diſpoſitionis, (*quod ſupra traditum à nobis eſt:*) Injuſtum commiſſum in eum qui patitur hoc ex ignorantiâ puræ negationis videtur quidem majus eſſe illo quod quis patitur per ignorantiam pravæ diſpoſitionis; malitia tamen in delinquente eadem eſt. *Nam qui seducitur per ignorantiam pravæ diſpoſitionis eſt magis ſibi ignorantiæ cauſſa: faciliùs namque ignorantiam pravæ diſpoſitionis quæ conſiſtit in vitioſis ratiocinationibus effugere poſſumus, quàm alteram. Sed malitia in lædente eadem nihilominus eſt; quia uterque æquè ex proæreſi agit.*

21. Qui ignorantes ſunt vel ob morbum furorem nim. vel ætatem infantiam ſcil. aut pueritiam injuſtum planè inviti patiuntur, & propterea qui ſcientes hos lædunt perfectè injuſti ſunt. *Nam hi omnes planè inviti patiuntur.*

22. Suæ ignorantiæ ſibi cauſſa non exiſtentes, licet nec ætate nec morbo impediantur, modò id ignorent quod nec ſcire poſſent omni diligentiâ adhibitâ itidem merè inviti injuſtum patiuntur. *Nam ſingularia nonnulla extra nos conſtituta ita comparata ſunt, ut, etiamſi exactiſſima adhibeatur diligentia, ſciri nequeant.*

23. Qui verò ignorantiæ ſibi cauſſa exiſtunt & per ignorantiam quid patiuntur non merè inviti pati videntur: unde & minus injuſtum eſt quod ferunt. *Nam ſcientes quodammodo patiuntur, qui ſcientes ignorantiam ſubſecutura eſſe damna nihilominus eam non ſtudent effugere. v. g. ſi puella ſciens, ſe inebriatam periculo amiſſionis pudicitiæ ſubjectam iri, & nihilominus ſe inebriari patitur.*

24. Eſt quoque de naturâ mali, quòd bonum deſtruat. *Nam malum bono contrarium eſt; contraria autem ſunt quæ ſe mutuò*

deſtruunt. Ex hac mali naturâ itidem gradus mali injuſtique peti poſſunt.

25. Quod infert malum bonum majus deſtruens injuſtum majus eſt. *Nam quò majus eſt malum eò majus eſt injuſtum. At malum majus eſt quod majus bonum deſtruit.*

26. Eſt quoque injuſtius id quo deſtruitur perfectius bonum. *Quò enim melius eſt quod evertitur eò pejus eſt quod evertit. Eſt autem melius quod perfectius eſt. Nam unumquodque magis tale eſt quando perfectum eſt. Hinc plus injuſti committit occîdens partum editum quàm fœtum in utero: ineſt enim illi vita perfectior quàm huic.*

27. Eſt etiam bonum præſtantius quod afficit vel perficit ſubjectum dignius vel honorabilius. *Hinc* injuſtum magis *eſt, quo deſtruitur bonum quod ſpectat ad dignius vel honorabilius ſubjectum. v.g. adimens vitam magiſtratui magis peccat, quàm qui vilem hominem occidit.*

28. Quò magis deſiderabile eſt bonum quod deſtruitur eò gravius injuſtum committitur. *Voco autem deſiderabile id, quod non habentes magis indigentiâ laborare dicimur. Deſiderabilius illud eſt, quo indigemus per totam vitam, quàm quod deſideramus hoc vel illo tempore tantùm; it. ſi deſtruitur bonum eo tempore, quo quàm maximè indigemus eodem.*

29. Ex naturâ majoris & minoris ſeu inæqualioris itidem quid magis vel minus injuſtum ſit deduci poteſt. *Nam quò majus eſt malum illatum, eò major ſuboritur inæqualitas: injuſti autem eſſentia in inæqualitate poſita eſt.*

30. Injuſtius eſt quod infert malum ex pluribus compoſitum. *Nam quo quid ex pluribus velut partibus conſtat eò majus eſt.*

31. Eſt & injuſtius illud quod ad plures pertingit. *Nam quò malum plures afficit eò quoque majus cenſendum eſt. Hinc malum quod non tantùm in patiente ſubſiſtit, ſed ad parentes, liberos, uxorem quoque ſe extendit patientis, majus eſt, redditque factum injuſtius.*

32. Eſt quoque injuſtius quod infert malum cum periculo multorum vel magnorum inde eventurorum malorum conjunctum. *Nam eo gravius malum eſt, quò majora mala ſecum trahit.*

33. Hanc ob cauſſam magis injuſtum habetur, ſi non modò aliquod bonum hominis ſed ipſa etiam lædatur amicitia. *v.g. Injuſtior cenſetur qui amicum quàm qui peregrinum fallit, occidit &c. quia unà violatur jus amicitiæ.*

34. Quò longius quid diſtat ab æqualitate eò magis inæquale eſt. *Hoc axiomate utentes dicimus,* illud magis injuſtum eſſe

quo

quo læditur is cui lædens defenſionem debebat. *Nam tunc tandem æquale datur, ſi ſolvitur quod debetur: longius ergò abitur ab inæquali, ſi præterquam quod debitum non ſolvitur malum infertur, quàm ſi inferatur malum ei cui nihil debetur.* Hinc injuſtiores cenſentur, qui de Republ. benè meritos lædunt; *quia pro beneficiis iisdem ſunt obligati. it.* qui fœminas, ægrotos, pueros, infantes, pauperes mendicantes lædunt. *Nam hiſce ex naturali miſericordiâ ſumus obligati ad defenſionem. it.* Tutores qui impuberes lædunt: *ſunt namq́; hi vi ſui officii obligati ad eoſdem defendendos & mala arcenda ab iisdem.*

35. *Quia etiam paullò antè diximus, malum id eſſe quod bonum deſtruit; ſequitur plus mali habendum id quod plus boni deſtruit.* Hinc *deducimus*, eò injuſtiorem quemque eſſe, quò plura bona deſtruit malum quod infertur. *Hinc inferens malum quo non modò honeſtum ſed & utile deſtruitur bonum injuſtior eſt eo qui quod tantùm honeſtum eſt lædit.*

36. Quo injuſto deſtruitur totum bonum gravius eſt eo quo pars tantum. *Nam totum majus ſuâ parte eſt. Hæc etiam cauſſa eſt, quare magis injuſtum ſit id quod bonum aliquod perire facit, quàm quod illud tantum minuit.*

37. Quantum ſit unumquodque bonum ipſius æſtimatio indicat. *Nam nummus omnia bona æſtimabilia æſtimat ſecundum proportionem bonitatis ſuæ. Hinc ſequentia deducuntur univerſalia.*

38. Injuſtiſſimus eſt qui bonum aliquod deſtruit inæſtimabile quod reſtitui nequit. *Nam injuſtum, quod corrigi nequit omnium peſſimum eſt; querelas enim immortales & perpetuas gignit: tum verò & illud bonum maximum eſt quod omnia bona æſtimabilia ſuperat, quale eſt vita, libertas, pudicitia &c.*

39. Quò majoris æſtimationis eſt bonum quod deſtruitur, eò majus inde oritur injuſtum. *Nam majoris æſtimationis bonum majus eſt, quo majus autem eſt bonum quod deſtruitur, eò majus quoq́; malum eſt, quod infertur.*

40. *Notandum verò hìc probè eſt, non omne malum illatum eſſe injuſtum, ſed id quod cum inæqualitate eſt conjunctum.* Quicquid ergò mali infertur ut pœna corrigendi animo, vel ex neceſſitate ſui Juris obtinendi vel ſui defendendi cauſsâ, velut in bello, injuſtum non eſt.

MEMBR: II.

DE HOMINE QUATENUS CAUSSA CORRUPTI JUDICII EXISTIT DUM REGITUR OPINIONIBUS.

1. Repetendum hîc rurſus eſt, quod ſuprà tradidimus, datum eſſe homini à naturâ intellectum, quò hujus ductu utatur & regatur, nec vel intellectum vel appetitum in cauſsâ eſſe, quòd peccetur, ſed hominem ipſum.] *Nam dum homo intellectum ad juſtum ab injuſto, honeſtum à turpi diſcernendum non excitat, ſed vel ſectando voluptates efficit, ut nato ex crebris actibus habitu judicium corrumpatur; vel à voluptatibus ſe ſuperari patitur, ne in conſilium adhibeat intellectus Judicium, ipſe cauſſa peccatorum omnisq; malitiæ exiſtit. Et quia hactenus diximus, quomodo homo aſſueſiens vitiis & per hac corrumpens Judicium intellectûs ipſe ſibi cauſſa peccatorum exiſtat, graviſſimeque peccet corrumpendo illud quo velut normâ uti debebat; & quantum malitiæ ſingulis vitiis inſit; meritò nunc ſubjicimus, quomodo homo ſibi exiſtat cauſſa malæ opinionis.*

2. Nonnulli homines ita ſunt comparati, ut ſcientiam boni & mali habere nequeant, ſed ex alienâ ſcientia & prudentiâ & ita ſecundum opinionem vivere cogantur. Idque ipſis contingit ratione ætatis, ſexûs, generis vitæ. *Nam juvenes non valentes penetrare in univerſalia propter defectum experientiæ nec cauſſas rerum cognoſcere poſſunt: & propterea alios audire tenentur & ſecundum prudentum placita vivere. Similiter ſe res habet circa mulieres. Ob genus vitæ ſecundum opinionem vivere tenentur ruſtici, & opifices, qui omne tempus ſuum laboribus corporis conſumere tenentur.*

3. Qui verò otio præditi & ingenio dare operam diſciplinis poſſunt malè faciunt aliorum opinionibus inhærentes, nec ſua peccata ob erroneas opiniones commiſſa excuſare poſſunt. *Nam dum ſcientiæ capaces malunt ſectari opinionem, imbecillioris Judicii, quo feruntur ad peccandum, ſibi cauſſa exiſtunt.*

4. Contrà qui ſecundum opinionem vivere tenentur judicii perverſi ſibi cauſſa exiſtentes vel creduli ſunt vel increduli. *Nam credulitas & incredulitas opinionis comites ſunt.*

5. Increduli ſunt, qui nulli fidem tribuentes quamcunque etiam bonam opinionem rejiciunt. *Reperiuntur enim homines refractarii, qui ſibi nihil perſvaderi patiuntur, quibus tandem erga eos dem utaris argumentis.* Hi omninò malitioſi ſunt, & ſi quid contra bonam opinionem faciant, inexcuſabiles. *Nam contumaciâ ſuâ judicium*

tium intellectus reſpuunt, nec parare ſibi volunt. Qui verò cauſſa ſunt ſibi, ut judicium vel corruptum vel nullum habeant, principium ſibimet mali exiſtunt inque iis malitia reſidet.

6. Creduli qui ſunt & aliorum ſententiis fidem tribuunt, vel ſemel approbatam ſententiam firmiter tenent vel inconſtantes ſunt & mutabiles in horas. Qui pertinaces ſunt in ſuâ ſemel receptâ opinione videntur interdum laude digni, interdum tamen extremè malitioſi. *Nam tenacem eſſe ſententiæ ſemel approbatæ proprium eſt eorum qui ſcientiâ gaudent. Reddit namque ſcientia immutabiles. Adeoque qui non patiuntur ſe dimoveri à ſemel receptâ ſententiâ ſpeciem quandam ſapientum præ ſe ferunt. Sed ſi nullam ſuæ ſententiæ rationem reddere valentes malunt ſemel receptæ ſententiæ inhærere lætantes ſe à nemine dimoveri poſſe, corrupto volentes vivunt judicio. Ejuſmodi ſunt homines agreſtes & indocti: hi namque ſemel inductam ſententiam nunquam mutant.*

7. Mutabiles & inconſtantes ſolent pro vanis haberi. *Nam vani homines ſunt qui nihil probè perpendentes quamcunque ſententiam vitæ ducem ſequuntur.*

8. Peccant itidem homines in ſententiis eligendis, dum alii malunt eam ſententiam alteri præferre, quæ cum majoribus voluptatibus vel minoribus moleſtiis conjuncta eſt, it. vulgi ſententiam ſententiæ prudentum. *Hi namque corrupti judicii ſibi cauſſa exiſtunt: notum enim eſt omnibus communiter prudentum ſententias vulgi opinionibus præferendas eſſe. Ad hanc claſſem referri poſſunt, qui leges rectas negligentes malunt vivere ſecundum communem conſvetudinem & obſervantiam.*

9. Qui verò ſeducti à ſophiſtis aliquid ſtatuunt & ſecundum illud judicant, præſertim, ſi naturâ ſint imbecillioris judicii malitioſi dici nequeunt. *Judicii namque incorrupti ſibi cauſſa non exiſtunt. Quis enim imbecillioris judicii homo non approbaret ſententiam eorum, qui aſpero vultu, intonſo capite, negligentiori barbâ, indicto nummis odio, vitia hominum corrigere & emendare ſtudent?*

MEMBR. III.

DE IIS QUI PECCANT QUOD SCIENTIAM QUAM HABENT IN ACTUM SECUNDUM DEDUCERE NEQUEANT.

1. *Hactenus declaratum eſt quantum malitiæ inſit iis qui vel vitium vel erroneam opinionem parantes judicium corruptum reddunt: ſequitur*

quitur, ut contemplemur, quid malitiæ inſit iis qui ſcientiam prudentiamq; habentes eam, quando opus eſt, in actum ſecundum deducere nequeunt. Dictum verò ſuperius fuit quod ſint quatuor numero facientia, ut ſcientia actu ſecundo adeſſe nequeat nim. morbum, ſomnum, ebrietatem voluptates item & moleſtias corporis.

ARTIC. I.

DE IIS QVI IMPEDIUNTUR A VOLUPTATIBUS ET MOLESTIIS QVO MINUS COGNITIONEM QVAM ACTU PRIMO HABENT IN ACTUM SECUNDUM DEDUCERE QVEANT, QVATENUS PECCENT VEL NON.

1. Initium contemplationis facturi ſumus à voluptatibus & moleſtiis impedientibus hominem quò minus cognitionem quam actu primo habet in actum ſecundum deducere queat. *Hi namque vehementius peccant, quàm qui ebrietate vel per ſomnum quid committunt.*

2. Voluptates moleſtiæque corporis efficiunt, ut ſcientia, quam quis actu primo habet, ceſſet actu ſecundo pari ratione ac in ebriis ſomnoque ſepultis. *Nam phantaſia repræſentans ſenſum quendam unà exhibet voluptatem & moleſtiam quæ illum ſenſum comitantur; hiſce in tantum ad perſecutionem vel fugam rapitur appetitus, ut præ vehementiâ ejusdem homo intellectum excitare nequeat ad pronunciandum id quod actu primo cognitum habet.*

3. Hac de cauſsâ incontinentes ſua peccata nec appetitui nec intellectui rectè adſcribunt. *Reperiuntur quidem diſceptantes, eum, qui ex incontinentiâ peccat, excuſandum eſſe, alii propterea, quòd appetitu ita per naturā præditus ſit, qui non admittat rationem; alii hanc ob cauſſam, quòd intellectus eorum quaſi ſocors non ſatis acriter imperet appetitui nec ipſum coërceat. Sed nec intellectus nec appetitus accuſandus eſt, verùm homo ipſe, qui intellectu ad gubernandum appetitum præditus ejusdem auxilio non utitur ſuperatus voluptatibus. Eſt namque homo qui patitur ſe regi affectibus, ſimilis artifici, qui, cùm artem norit, eâ non utitur opusq; propterea vitioſum producit.*

4. Peccans ſuperatus affectibus ſuis non eſt malitioſus vel improbus eo modo quo vitioſus. *Nam in eo, qui ſuperatus affectibus peccat, judicium intellectus adhuc ſalvum & integrum eſt, in vitioſo verò eſt corruptum. Peccantis enim non ex vitio ſed ex affectibus voluntas*

bona

bona eſt, deficit tantum in perficiendis iis quæ vult: & ita facit eadem quæ vitioſus vel injuſtus facere ſolet, ſed vitioſus vel injuſtus non eſt; quemadmodum qui non ſtultus eſt facit tamen nonnunquam ea quæ ſtolidi homines facere conſueverunt. Dum etenim incontinens & qui patitur ſe vinci voluptatibus peccat, ſimilis eſt ebrio, dormienti aut morbo comitiali laboranti. Eſt porrò peccatum incontinentis non proæreticum: nihil enim ex propoſito committit, quia non perſvaſum habet, ſibi ita vivendum eſſe, quomodo vivit; vitioſi verò peccata proæretica ſunt, & inde oriuntur, quod judicio ſuo corrupto decreverit ita vivendum eſſe. Tandem incontinens ad pœnitentiam eſt promptus, vitioſus non itidem: in incontinente enim judicium rationis integrum & ſalvum eſt, ad quod ſtatim finito peccato redit; unde naſcitur pœnitentia: at in vitioſo principium operandi corruptum eſt, nec emendatio facilè impetrari poteſt.

5. A judicio intellectûs ſano deturbantur homines vel voluptatibus vel moleſtiis; hi intolerantes vocantur illi incontinentes. *Id enim ſuperius docuimus. Videndum ergò eſt, quinam horum gravius peccent.*

6. Incontinentes magis peccant quàm intolerantes. *Nam incontinens peccat, quia patitur ſe vinci & ſuperari voluptatibus: intolerans, quòd moleſtias non vincat. Eſt autem difficilius ſuperare & vincere quàm ſe defendere & providere ne vincatur. Unde & magis condonandum eſt ei, qui non hoc agit ut vincat, quàm qui victum ſe tradit & ad ſerviendum ſe exponit. In ſummâ minus peccat qui à præclaris rebus peragendis moleſtiis deterretur, quàm qui obſequentem ſe in rebus turpibus & vilibus præbet.*

7. Ut porrò ritè contemplemur gradus peccatorum, quæ ab incontinentibus & intolerantibus committuntur, repetendum eſt, quod ſupra declaravimus, phantaſiam repræſentare voluptates & moleſtias & hiſce excitari appetitum vel ad perſecutionem vel ad fugam, & movere hominem mediantibus affectibus. Quam ob cauſſam primo loco jucunda & moleſta; ſecundo appetitum ipſum & certamen cum hoc ſuſcipiendum; tertiò affectus intuebimur, inquiſituri quàm variis modis incontinentes & intolerantes in his ſingulis peccent: ita namque facilè erit gradus peccatorum ab his commiſſorum inveſtigare.

8. Omnia jucunda vel naturalia ſunt vel præter & contra naturam vel interjecta inter ea quæ naturalia & præter naturam ſunt. Naturalia ſunt quæ animalibus per naturam jucunda ſunt, eaque vel ſimpliciter ſunt talia, qualia vivere & integræ valetudinis eſſe; (*hæc namque omnibus omninò animalibus jucunda ſunt,*) vel huic aut illi animantium generi, velut avena equo, carduus aſino &c.

9. Præter & contra naturam quæ jucunda ſunt homini vel ex vitio corporis, vel ex feritate vel ex conſvetudine talia ſunt. *Ex vitio corporis febricitantibus jucundus eſt potus aquæ; ex feritate nonnullis barbaris eſus carnium humanarum: id quod de Americanis narratur. Conſvetudo & vitioſa adſuefactio multa quoque reddit jucunda quæ per naturam non ſunt: Sic uſus venereus cum maſculis iis jucundus eſt qui à pueris id facere conſueverunt.*

10. Præ cæteris omnibus vituperabiles ſunt qui ſuperantur iis quæ præter naturam ex conſvetudine ſunt jucunda. *Nam ut hæc jucunda ipſis ſint, multis vitioſis actionibus effecerunt: & ita hujus mali ſibi cauſſa extiterunt: ut adeò propemodum vitioſis æquiparandi ſint, licet hiſce jucundis ducti quid faciant præter voluntatem.*

11. *Jucunda interjecta inter ea quæ naturalia ſunt & contra naturam ſunt lucrum, honor, victoria &c. quæ quando appetuntur neminem propterea reddunt vituperabilem, ſed quando ſuprà modum appetuntur.* Hiſce, uti & iis quæ naturaliter jucunda ſunt, qui aliquando ad peccandum alliciuntur minus delinquunt quàm jucundis, quæ contra naturam ſunt illecti. *Nam voluptatum quæ ex naturâ jucundis percipiuntur non æq; homines ſibi cauſſa ſunt, quàm earum quæ ex jucundis præter vel contra naturam oriuntur.*

12. Moleſtiæ vel tales ſunt quas plerique etiam non præparati tolerarent, vel quas non niſi mediocriter vel quas non niſi optimè præparati. Qui non tolerant eam moleſtiam quam quisque duceret ſuſtinendam molles dicuntur.

13. Vitioſo vicinissimus eſt homo mollis. *Nam homo mollis nihil planè virtutis habere poteſt: omnes namq; ſerias actiones moleſtas eſſe judicat, ludis, jocis & remiſſioni animi deditus. Non tamen æq; improbus eſt ac vitioſus: neque enim ita mala operatur, quàm quod à præclaris rebus & cum moleſtiâ conjunctis abſtineat.*

14. Deterior eſt mollis incontinenti quoad hoc quòd minus emendabilis exiſtat. *Nam eſt ſimilis ægro qui morbo laborans putat ſe optimè valere: dum enim miſerrimus eſt, feliciſſimum ſe, alios verò qui reverà felices ſunt infelices exiſtimat. Qui verò ita animatus eſt non facilè corrigi poteſt.*

15. Sunt tamen mollitiei iterum gradus. Nam alii molles ſunt non modò naturâ ſed quoque aſſvefactione & educatione, *quales erant olim liberi Regum Perſarum*, alii non conſvetudine ſed ſolâ naturâ; illi itidem his deteriores ſunt. *Nam quibus accedit educatio, in mollitie firmantur minusque emendabiles evadunt.*

16. Reliqui qui vincuntur à moleſtiis, quas non niſi præparati ſuperare poſſunt, non propriè molles ſunt nec incontinentibus deteriores, ſed potius minus peccantes. *Nam his propriè competit quod* ſuprà n. 6. h. cap. *tradidimus.*

17. *Voluptates & moleſtiæ excitant appetitum ad perſecutionem & fugam, dum phantaſia eaſdem repræſentat. Phantaſia motio ſenſuum eſt, & nonnunquam ex ſe ipsâ nonnunquam occaſione objecti cujusdam ſuas edit operationes.* Videtur autem haud levem peccati importare differentiam, an quis ipſe in ſe excitaverit phantaſiam, an occaſionem dederit aliquod objectum ſenſuum. *Nam cui phantaſia ultro imagines voluptatum repræſentat magis jam his aſſuetus videtur, quàm is cujus phantaſia aliquo objecto ſenſuum excitatur, v. g. minus peccat qui nudam conſpiciens puellam ſtuprum committit, quàm cui phantaſia ultro voluptates coitus repræſentat eumq; ad ſtuprum concitat. Huic accedit, quod objectum incurrens in ſenſus facit ut phantaſia magis exactè imaginem voluptuoſam repræſentet cupiditatemque majorem & graviorem reddat. Deterior autem eſt qui leviori, quàm qui graviori cupiditate ad peccandum allicitur.*

18. *Objectante phantaſiâ voluptates vel moleſtias appetitus incipit operari movendo hominem vel ad fugam vel ad perſecutionem. Prudentis autem eſt & viri boni maturè tunc conſultare de arripiendis mediis, quibus appetitui obviam eatur, ſi appareat eum quid operaturum eſſe quod rectæ rationi conforme non eſt.* Omnes ergò integro & non per vitia corrupto intellectûs judicio præditi animadvertentes phanthaſiam tale quid repræſentare, quod inordinatus appetitus conſequi ſolet, vel conſilio ad reſiſtendum eidem ſe præparare poſſunt vel non poſſunt; qui poſſunt vel id faciunt vel non. *De his ſingulis & quàm gravia eorum peccata ſint dicendum eſt.*

19. Præ reliquis peccant qui ſe non præparant nec Judicium rationis expergefaciunt ad deliberandum, quo pacto appetitus ſit ſedandus, quando ſentiunt eundem ab aliquâ voluptate irritari. *Horum enim voluntas nihil conſtantiæ habet in vero bono appetendo; & ita admodum vicini ſunt iis, quorum voluntas corrupta eſt.*

20. Hos excipiunt qui quidem deliberando ſe præparant ad reſiſtendum imminenti inordinato appetitui ſed in deliberatis non ſubſiſtunt. *Nam in his voluntas deprehenditur conſtantior, quàm in iis, de quibus* præced. num. *dictum eſt: operam quippe dant ne ab eâdem divertantur. Subtiliſſimè Ariſtoteles hos confert cum civitate quæ omnia quidem rectè decernit quæ decernenda ſunt & ſaluberrimas conſicit leges, ſed nullum habet civem qui ſecundum has vivat.*

 21. Ha-

21. Habent autem & qui in ſuſcepto conſilio non permanent rurſus ſuos gradus. *Nam vel nihil ſecundum ſuſceptum conſilium operantur, vel aliquandiu, prout ratio dictitat, reſiſtunt appetitui, tandem tamen remittunt & vel non vincunt vel ſe vinci patiuntur:* Illi his deteriores ſunt: *ineſt enim iisdem minor conſtantia, ſimilesque ſunt exercitui inſtructiſſimo qui viſo hoſte non pugnat ſed arma abjicit. Qui verò aliquandiu appetitui reſiſtunt & tandem ſe vinci patiuntur ab Ariſtotele comparantur cum iis qui riſum comprimere volentes univerſum profundunt.*

22. Qui deliberare nequeunt de reſiſtendo appetitui vel impediuntur ætate vel nimiâ feſtinatione & vehementiâ appetitus. *Quemadmodum enim duces bellici ſubitò & cum vehementiâ irruente hoſte deſtituuntur conſilio; ita quoque comparatum eſt circa eos quorum voluntatem rectam impugnat ſubitus & vehemens appetitus. Qui autem maturam ætatem nondum attigerunt & minorennes exiſtunt ſimiles habendi ducibus qui nullam rerum militarium experientiam habentes ignorant quibus mediis occurrendum ſit hoſti, cui facilè pares eſſe poſſent, ſed ab aliis petere & audire conſilia tenentur. Juvenes enim rerum experientiâ deſtituuntur. Quamvis nec eodem gradu peccare ſemper juvenes ſtatuendum ſit: alii enim ducem vitæ quærunt & non inveniunt, alii habent ſed non audiunt nec ſequuntur eundem.*

23. Omnes hi, qui apti non ſunt conſultare quomodo reſiſtendum ſit appetitui, minus peccant quàm qui deliberant ſed in decretis non perſiſtunt. *Nam peccata quæ ex feſtinatione & vehementiâ appetitus contingunt nonnunquam & virtuoſos incontinentes reddunt: quemadmodum accidit optimo duci, ut ſuperetur propter inſperatum adventum vehementiamque hoſtis. At vix fieri poteſt, ut virtuoſus cedat appetitui ſpacio deliberandi conceſſo. Semper enim etiam in actibus id locum habet, ut magis excuſetur qui peccavit imparatus, quàm is cui ſpacium conſultandi conceſſum fuit. Nam tela præviſa minus nocent. Suprà verò monitum eſt, vehementiam appetitûs oriri ab acrimoniâ bilis; celeritatem nimiam ab acutâ bile. Vexati acrimoniâ bilis ſimiles ſunt iis qui modico vino inebriantur; at acutâ bile laborantes iis qui ſubitò titillantur. Conveniunt autem quoad gradum peccati; quia uterque ſe præparare nequit.*

24. *Appetitus quem ſola excitat phantaſia vel iraſcibilis eſt vel concupiſcibilis.* Qui patitur ſe vinci ab appetitu concupiſcibili magis peccat, quàm quem ſuperat appetitus iraſcibilis.

25. Reſtat, ut de affectibus & peccatis, quæ ex hiſce committuntur, diſſeramus. *Nam appetitus in homine varios affectus concitat*

citat & hiſce eundem movet, ut agat quæ cum Judicio intellectûs non congruunt.

26. Suprà traditum eſt, affectus alios bonos alios malos eſſe. Affectibus bonis nonnunquam abuti poſſumus, ut & hiſce ducti peccemus. *Ita v. g. immatura miſericordia facit, ut facinoroſis remittamus pœnam; amor nimius erga liberos, ut ad mollitiem adſveſiant.*

27. Peccantes ex affectu malo, *invidiâ, v. g.* magis reprehendendi ſunt, quàm quos ad peccandum trahit affectus aliàs bonus. *Nam hi initium operandi faciunt à re magis licitâ quàm illi. Exorbitare autem præter intentionem in re licitâ minus reprehenſione dignum quàm in re merè illicitâ verſari.*

ARTIC. II.
DE PECCANTIBUS EX EBRIETATE.

1. *Superius diximus ebrietatem quoque efficere ut ſcientia quæ adeſt actu primo in actum ſecundum deduci nequeat, propterea quòd ebrii dormientibus quodammodo ſimiles ſint, ob evaporationes alimenti. (Id quod vel ex hoc ſigno cognoſci poteſt, quòd quæ ſomni etiam ebrietatis cauſſa eſſe ſoleant.)*

2. Sunt verò ebriorum gradus & differentiæ: in nonnullis enim deficit omnis ſcientia, *quales ſunt qui immodicè inebriati ſunt, quorum nec pes nec caput officium facere poteſt:* in nonnullis quiddam judicii ſupereſt, idque iterum vel plus vel minus ſecundum gradus; ſunt & tertiò qui corruptè judicant. *In hiſce enim cùm phantaſia ſit potens quemadmodum in dormientibus, contingit, ut non aliter ac dormientes ſomnia loquantur: unde fit ut videantur ex corrupto judicio operari.* Habent & quartò in inebriatis plus virium affectus qui ex calido humidoque proveniunt velut amor, ira, miſericordia: *eſt enim miſericordia ab humido fluente, ira à calido, amor ab humido & calido. Et hac de cauſſâ ebrii præ cæteris affectibus ejuſmodi laborant.*

3. Præcipua autem diſtinctio faciens ad diſcernendos gradus peccatorum hæc eſt, quòd alii inebriati ſint ſuæ ebrietatis cauſſa alii non ſint, & illi vel magis vel minus. *Neque enim ebrietas omnis etiam immodica ſomno æquiparanda eſt in gravitate peccati dijudicandâ. Somni namq; ordinarii cauſſa eſt natura, at ebrietatis plerumq; ipſe inebriatus.*

4. Qui ebrietatis ſuæ cauſſa eſt inſtar vitioſi propemodum improbus exiſtit. *Quemadmodum enim vitioſi propterea improbi & maliti-*

malitioſi dicuntur, quia crebris voluptuoſis actionibus ſibi habitum pararunt corruptumq́; ſuum judicium reddiderunt: ita quoque qui ſcientes vim vini immoderatè bibendo inebriantur & ex ebrietate peccant cauſſa & principium malefactorum exiſtunt & peccando propemodum vitioſis ſimiles. Ejusmodi ergò ebrietas videtur eſſe brevis & non perpetua improbitas: unde & à nonnullis legislatoribus iisdem ordinaria à nonnullis gravior pœna quaſi duplicis peccati ebrietatis ſcil. & quod ex ebrietate committitur cauſſa & principium exiſtentibus conſtituta eſt. Hodiè apud nos, quanpo ex conſvetudine Germanorum minus fœdum aut turpe habetur inebriari, non obſtante, quòd per ſe ſit actus intemperantiæ, mitius puniri ſolent & velut ex culpâ tantum quâdam peccantes.

5. Qui ebrietatis ſibi cauſſa non exiſtit, quod fit, quando vim potûs ignorans præter ſpem inebriatur, ſi extremè inebriatus quid fecerit, nihil malitioſè feciſſe dicendus eſt. *Nam in hocce nulla malitiæ cauſſa eſt: nec enim ſciens facit nec ignorantiæ ſibi principium exiſtens. Sed inter eos, qui volentes inebriantur & qui contra voluntatem, multi gradus interjecti ſunt, prout faciliùs ex conjecturis vim potûs colligere potuerunt vel non.*

6. In quibus ebrietas affectuum cauſſa eſt, ſi & ipſi cauſſa ebrietatis ſibi exiſtant, ſimiles ſunt iis incontinentibus qui nullo objecto moti ultrò phantaſiam de voluptate ſibi fecerunt, & propterea magis peccant, quàm qui ebrietatis cauſſa non exiſtunt.

ARTIC. III.
DE
SOMNO ET FURORE.

1. Somnus regulariter à peccato excuſat. *v. g. ſi dormiens vicinum manu percutit, non cenſetur percuſſiſſe. Nam ſomnus naturaliter in nobis impedit actum ſecundum ſcientiæ & ignorantibus nos ſimiles reddit. Cùm itaque natura ſit ſomni cauſſa & impoſſibile ſit dormientibus in auxilium vocare judicium intellectûs & ratione uti; nec commiſſi cauſſa quatenus homines ſunt dici poſſunt. Unde malitia in iisdem ceſſat. Hinc ſolemus dicere, improbos per dimidiam vitam à probis differre. Cogimur autem hîc monere, præſentem diſcurſum ultra forum ſoli non extendi: lectoremque, ſi ſcire exoptet quid de impiis ſtatuendum ſit, an etiam, dum dormiunt, in Deum peccent, ad Theologorum ſcripta nos remiſſum velle.*

2. Nonnunquam & dormientes peccant, quando dormiunt cùm vigilandum eſſet. *Sunt namque peccati cauſſa dum illiciti ſomni*

cauſſa

cauſſa exiſtunt. Ita v.g. miles ſtans in excubiis & admittens hoſtem non poteſt factum excuſare per ſomnum. Nam à ſomno debuiſſet abſtinere. Et ita, quia illicitis ſomni cauſſa eſt, fermè æq; peccat, ac ſi vigilans hoſtem invadere caſtellum paſſus fuiſſet.

3. Furor ab omni peccato excuſat & à pœnâ liberat. *Nam homo furioſus nullâ ratione cauſſa eſt, quare auxilium judicii ceſſet.*

ARTIC: IV.
DE
IIS QUI IGNORANTES PECCANT ET DE GRADIBUS PECCATORUM EX IGNORANTIA FLUENTIUM.

1. *Hactenus conſideravimus gradus peccatorum, quæ oriuntur vel ex corrupto Judicio vel ex auxilio judicii integri deficiente: ſequitur, ut contemplemur ea quæ ab ignorantibus fiunt.*

2. *Cenſemus autem hic dennò repetendum quod aliquoties inculcavimus, homini datum intellectum eſſe, ut in dirigendo appetitu utatur judicio ejusdem, eumq; quando hoc omittit ipſum ſibi cauſſam peccandi exiſtere.*

3. Qui in id quod ſcire poſſunt non inquirunt cauſſa ſibi peccati ſunt, non tamen æquè improbi videntur ac qui per multas vitioſas actiones ſibi vitia & unà cum his judicium corruptum pepererunt. *Quemadmodum enim in ſaniorem viam deducuntur facilius qui ignorantia puræ negationis laborant, quàm qui ex pravâ diſpoſitione ignorantes exiſtunt: ita quoq; magis emendabiles ſunt qui nondum quid bonum vel malum ſit cognoverunt, quàm qui de bono & malo judicium corruptum habent, idq; quod malum eſt pronunciant bonum. Qui verò emendabiliores ſunt minus mali exiſtunt.*

4. *Superius tradidimus, cauſſas ignorantiæ eſſe feritatem & dementiam, defectum ætatis, ſexum, furorem perpetuum, defectum ſenſuum & propriam cujusq; negligentiam. Quas cauſſas ordine percurremus tradituri quantum peccati quæq; pariat, vel etiam in quantum à peccato excuſet.*

5. Feritas & dementia non reddit homines improbos quemadmodum vitium ſed horrendos. *Nam vitioſi corruptum habent intellectûs judicium cujus cauſſa ſuis vitioſis actionibus ſibi exiſtunt, & propterea improbi & extremè malitioſi habentur. At feri homines omni intellectûs judicio, quæ præcipua pars hominis & dux vitæ ejusdem eſt, deſtituuntur. Quemadmodum ergò horror nos invadit, ſi hominem*

minem capite vel alio aliquo præcipuo corporis membro deſtitutum reperimus; ita quoque, ſi videmus eum omni rationis uſu carere. Quicquid enim à communi naturæ intentione abit horrendum eſt, & eò magis, quò magis abit. Quæ cauſſa facit, ut omnia monſtra horrenda ſint. Patet ergò homines feros non æq; improbos ac horrendos eſſe.

6. Quæ quis per ſexum vel ætatem ignorat in his nec improbus nec horrendus eſt, & immunis à peccato. *Nam ignorantia proveniens ab ætate vel ſexu naturæ conveniens eſt. Quicquid verò congruit cum naturâ horrendum non eſt. Nec etiam quod hi homines per ignorantiam ſibi naturâ propriam faciunt malitioſum habetur. Nam judicium, quod per naturam non habent vel habere nequeunt, in auxilium & conſilium vocare non poſſunt. Quando autem homo non in cauſſâ eſt quo minus judicium rationis conſulere queat; nec ut homo cenſeri poteſt agere & proinde nec peccare. Nam homo malitioſus habetur quatenus eſt ſubſtantia intellectualis. Infantes ergò & mulieres in iis cauſſis, quas per ſexum ignorant, ſiquid per ignorantiam ſuam naturalem faciunt, pro injuſtis & malitioſis non habentur.*

7. Furor perpetuus ſimiliter ab omni malitiâ excuſat. *Nam judicium rationis hominibus perpetuo furioſis denegat morbus. Quod autem per morbum non habent, id nec in conſilium adhibere poſſunt. Unde pro ſubſtantiis intellectualibus quibus juſtum & injuſtum, honeſtum & turpe ineſt reputari nequeunt. Et proinde inſtar beſtiarum immunes ſunt ab injuſtitiâ.*

8. *Defectus viſûs & auditûs præ cæteris ſenſibus cauſſa ignorantiæ ſunt in iis quæ hominem, ut vitet peccata, ſcire decet.* Cenſentur autem ſurdi & muti minus peccare quàm cœci. *Nam cæci diſciplinas & leges, quæ quod juſtum vel injuſtum eſt pronunciant, auditu percipere poſſunt: at qui naturâ muti & ſurdi ſunt omni diſciplinâ carent. Eatenus tamen peccare & malitiam exercere intelliguntur; quatenus aliquâ naturali calliditate præditi ſunt.*

9. *Omnis intellectualis cognitio cum labore conjuncta eſt, homines verò plerumq; proni ſunt ad otium & quietem. Quæ cauſſa eſt, quare multi hominum negligentes ſint in cognoſcendis iis ſine quorum cognitione peccari poteſt. Unde & negligentiam ſuprà retulimus inter cauſſas ignorantiæ.*

10. Negligentiæ gradus ſunt, ſecundum quos variant quoque peccata. *Nam negligit quis ſcire vel quod omnes homines ſciunt, vel quod ſciunt qui mediocriter prudentes ſunt vel quod norunt qui prudentiſſimi exiſtunt.*

11. Ne-

11. Negligentia cognoſcendi id, quod ſcitu neceſſarium, ut juſtè operemur, parit peccata quæ JCtis culpoſa vocantur. *Nam in culpâ eſt, ſi quis neſcit quod ſcire debebat, & hac ignorantiâ peccat.*

12. Peccata culpoſa gradus recipiunt à gradibus culpæ. *Nam quò major eſt negligentia eò majus eſt peccatum ejus qui ex ignorantiâ operatur & quid committit. Conſiſtunt enim peccata culpoſa in hoc, quod homo negligat judicium intellectûs adhibere ubi adhibendum eſt. Hinc JCtis Romanis nata eſt diſtinctio culpæ in latam levem & leviſſimam. Lata conſiſtit in ignorantiâ ejus quod homines communiter ſciunt; levis in ignorantiâ ejus quod mediocriter prudentes norunt; leviſſima in ignorantiâ illius quod prudentiſſimus aliquis ſciret.*

13. Ignorantia ratione eorum, quæ, qui in actionibus humanis verſari vult, ſcire tenetur, triplex eſt. Nam ignorantur 1. univerſalia, 2. ſingularia, 3. Modus univerſalia ad ſingularia applicandi. Ignorantia univerſalium oritur ex defectu vel ſcientiæ vel bonæ opinionis.

14. Defectus ſcientiæ nemini velut cauſſa cujusdam malitiæ objici poteſt. *Nam tanta eſt difficultas apprehendendi ſcientias etiam inventas, ut rariſſimè reperiantur harum cultores. Teſtantur hoc ipſum ſcripta Ariſtotelica quæ hodiè ab eruditis etiam perquam multis rejiciuntur velut δυσνοητὰ & in quibus fruſtrà tempus teras. Cùm tamen illæ ſcientiæ, quas nobis reliquit, aliâ ratione meliusve ſcribi non potuerint. Scil. difficillimum eſt quæ naturâ notiora ſunt univerſalia ſibi notiſſima reddere, & immediatè percurrendo ſingula ex ſuis cauſſis cognoſcere. Hinc plerique veritatem, quemadmodum deſides patresfam. rem ſuam domeſticam, qui fidem tribuunt ſuis prætoribus & procuratoribus nec ipſi ſupputant accepta & expenſa, tractant, dum temerè accipiunt quæ ab aliis traduntur. Hæc etiam eſt ratio, quare omnibus in civitatibus homines utantur legibus, & ſecundum præſcripta Legumlatorum vivant.*

15. At qui nec opinionem bonam de juſto & injuſto ſibi parare ſtudent meritò reprehenduntur. *Hi enim omne illud negligunt, quo juſtum ab injuſto, honeſtum à turpi diſcernendum eſt. Nam qui nec ſcientiam nec opinionem bonam juſti habent, omnibus univerſalibus deſtituuntur ex quibus judicium de juſto faciendum.*

16. Præ cæteris minus excuſantur qui juſtum, quod communiter apud omnes gentes in uſu eſt, ignorant. *Negligentiſſimi enim omnium ſunt qui non inquirunt in id quod communiter notum eſt.*

17. Jus civile ſeu poſitivum quod in civitatibus obtinet, vel recens latum & in vigore eſt, vel paulatim in deſvetudinem ire cœpit:

pit: illius ignorantia minus excuſat quàm hujus. *Nam ignorare quod in vigore eſt majorem arguit in ignorante negligentiam.*

18. Sunt nonnulli homines qui ob genus vitæ in Jura poſitiva inquirere non poſſunt, quos propterea ignorantia juris excuſat, quales ſunt milites, ruſtici &c. *Nam licet regulariter ignorantia juris non excuſet, quia jus continet propoſitiones finitas & non innumeras, quæ percurri intellectu poſſunt, ut adeo negligentiæ accuſari poſſit qui iisdem addiſcendis operam non dat: ſi tamen ſint qui genus vitæ aliquod colunt quo deſtitui Reſpubl. nequeat, & per hoc à cognoſcendo jure detineantur; hi non poſſunt ſuæ ignorantiæ cauſſa dici, quia nulla ipſis poteſt negligentia imputari.*

19. Ignorantia ſingularium, quæ JCtis Romanis Ignorantia facti vocatur, (*tradunt enim, aliam ignorantiam juris eſſe, aliam facti,*) non eſt eadem, ſed varia. *Nam qui circa ſingularia verſantur, dum agunt, dupliciter cognoſcunt eadem 1. ſenſu 2. quemadmodum prudentes, ſumendo hunc vel illum cum quo negotium intercedit eſſe arrogantem, ſuperbum, iracundum, avarum, furem, latronem &c.*

20. Cognitio ſingularium quæ ſenſibus hauritur deficit vel ob carentiam organi ſenſorii aut debilitatem ejus; vel ſi organon ſit integrum alias ob cauſſas. Deficientibus organis ſenſoriis & non integris exiſtentibus non immeritò in quovis ignorantia inde nata excuſatur. *Nam ſenſum nemo excitare poteſt niſi organis debitis ſit inſtructus. Unde nec cauſſa ignorantiæ ſibi exiſtere poteſt.* Tunc verò hi peccant, quando norunt ſe deſtitutos ſenſu ſine peccato perficere non poſſe quod gerendum ſuſcipiunt. *Nam hujus peccati cauſſa ſunt, dum non obſtante judicio intellectûs & dictitante eos peccaturos, id, in quo peccaturos ſe norunt, gerendum ſuſcipiunt.*

21. Senſoriis integris verſantibus circa objecta peccatur, ſi ex affectibus malè judicetur non ſi ex morbo. *Nam affectuum cauſſa homo ſibi eſt quando eos non compeſcit. Quâ de cauſſâ non prodeſt prætenſio ignorantiæ ei, qui ex irâ nimiâ obviam venientem hoſtem exiſtimat læditq;. Sed ſi ex morbo facit, non æq; ipſe ac natura cauſſa ignorantiæ exiſtit.*

22. Sic etiam eos non excuſat ignorantia, qui præ nimiâ feſtinatione non ritè judicant de eo quod ſenſu percipiunt. *Nam in culpâ ſunt quòd non debitâ ratione attendant. Hinc ſolent miniſtri à ſuis dominis caſtigari, quando non debitâ ratione aures erigunt, quo juſſa domini ritè exaudiant.*

23. Circa dijudicanda objecta per accidens variis modis peccatur, dum ſimilitudines & differentiæ non debitâ ratione notantur,

tantur, modò in his annotandis aliqua negligentia deprehendatur. *Nam prout ſe habet negligentia: ita & magis vel minus cauſſa malefacti cenſetur homo.*

24. Singularium, quatenus à prudente apprehenduntur, cognitio non eâdem laborat difficultate. *Nam circumſtantiæ prudenti cognoſcendæ ſunt;* Quis, quid, circa quid, quomodo, quo loco, quo tempore, quo inſtrumento, cujus gratiâ; *quæ vel ſunt in nobis vel extra nos. Quæ autem nobis magis inſunt latere nos non facilè poſſunt. v. g. circumſtantia* Quis agat. *Nemo enim niſi demens aut ſtolidus ſeipſum ignorat. At circumſtantia* Circa quid *quammaximè extra nos eſt. Unde quoq; fit, ut nonnunquam eadem planè cognoſci nequeat. Hinc nata eſt ſcholaſticis diſtinctio inter ignorantiam vincibilem, quæ datâ operâ ſuperari; & invincibilem, quam nec prudentiſſimus evitare poteſt.*

25. Ignorantia circumſtantiæ Circa quid ſolet peccata excuſare. *Nam illud, circa quod operando verſamur, planè extra nos eſt & ita comparatum, ut ex nullis quandoq; ſignis & conjecturis natura ejusdem inquiri poſſit v. g. Emimus rem à Titio. Titius eſt id, circa quem operando verſamur ſeu cum quo contrahimus. Quatenus autem contrahimus cum ipſo conſiderandum eſt an dominus ſit nec ne rei quam ab eodem emimus. Ea etenim emptio juſta eſt quæ initur cum domino rei venditæ, & ea injuſta quam facimus cum non domino. Aut ergò dantur ſigna & conjecturæ ex quibus colligere poſſumus Titium eſſe non dominum, & ignorantia, quâ ducti injuſtum contractum inimus, vincibilis exiſtit, exiſtimusq; quodammodo cauſſa injuſti contractus; quia per negligentiam, dum ex ſignis argumentando non progredimur, ignorantiæ nobis cauſſa exiſtimus. At nonnunquam deſtituimur omnibus conjecturis & ſignis, ex quibus procedentes cognoſcamus Titium non dominum: quo caſu ignorantia noſtra invincibilis eſt, excuſatq; nos ab omni peccato, nec contractus injuſtus eſt, niſi per accidens tantùm. Nam cauſſa & principium injuſti contractûs nullo modo in emente eſt. Ubi enim impoſſibile eſt judicium intellectûs in auxilium vocare, ibi quoque actio pro humana i. e. juſtâ vel injuſtâ, honeſtâ vel turpi haberi nequit.*

26. Ignorantia circumſtantiæ Cujus gratiâ etiam admittitur in excuſandis peccatis. *Nam operationes hominum velut ſubſtantiarum mobilium comitatur fortuna, quæ ſæpenumero facit, ut actiones humanæ alium longè conſequantur finem quàm cujus gratiâ ſunt inſtitutæ. At accidentia, in quibus fortuna poſita eſt, ſcire, excedit humanam conditionem. Quapropter fit, ut ignorantia circumſtantiæ* cujus gratiâ *plerumq; excuſet. Quâ de re dicetur infr. tract. de fortunâ.*

27. Circa cæteras circumſtantias conſideranda ſunt ſigna, an facilè an difficulter ex hiſce colligi potuerint, & inde judicium de culpâ faciendum eſt. *Nam in hiſce univerſaliter nihil determinari poteſt.*

28. Corrumpunt etiam cognitionem ſingularium ex ſignis dependentem affectus, & tunc ignorantia non excuſat. *Nam quem odio proſequimur, illius actiones omnes in malam; contrà ejus, quem amamus, actiones in bonam partem interpretamur. Sic hypocritam amantes, pium; & pium odio proſequentes hypocritam pronunciamus. At quando patimur noſtrum judicium affectibus corrumpi, principium erroris nobis exiſtimus.*

29. Ignorantia applicandi univerſalia ad ſingularia oritur ex ignorantiâ cauſſarum. *Nam ſi lateant rationes & cauſſæ, extenſio & reſtrictio univerſalium ritè fieri nequit.*

30. Ejusmodi ignorantes tunc peccant, quando JCtos non conſulunt. *Nam cùm hæc cognitio in vulgus hominum non cadat, receptum eſt in civitatibus praſtò habere JCtos qui de jure conſulentibus reſpondeant.*

31. Plerique ducti affectibus univerſalia extendunt vel limitant prout perſecutio voluptatum & fuga moleſtiarum dictitat, quos mala univerſalium applicatio excuſare à peccato non poteſt. *Sic Adamus in paradyſo præceptum Dei limitare volebat & defendere ſuam innocentiam dicendo, ſe à muliere ſibi à Deo aſſociatâ deceptum fuiſſe. Huc referri poſſunt omnes frivolæ exceptiones, quibus homines effugere pœnas peccatorum conantur.*

MEMBR. V.
DE NECESSITATE MALARUM ACTIONUM CAUSSA EXISTENTE.

1. *Homo velut ſubſtantia mobilis naturæ, neceſſitati & fortunæ ſubjectus eſt. Quare multarum operationum non ipſe cauſſa eſt, ſed vel natura vel fortuna vel neceſſitas. Primo ergò loco dicturi ſumus de neceſſitate, quatenus eadem à peccatis hominem excuſat vel non.*

2. *Suprà* cap. I. n. 14. *tradidimus, neceſſitatem differre à caſu & fortunâ per hoc, quòd neceſſitas ſit quiddam extrinſecum ipſum principium operationis in ſubſtantiis mobilibus impediens, fortuna verò non ipſum principium operandi impediat, ſed operationi à principio jam fluenti ſuperveniat. Nunc altius petentes naturam neceſſarii paulò ſubtilius in gradus ejusdem inquiremus.*

3. Ne-

3. Neceſſarium propriè eſt ens quod ſe aliter habere nequit. *Hinc dicimus, ſcientiam eſſe neceſſariorum: quæ namq. ſcimus aliter ſe habere nequeunt. v. g. triangulum planum habere tres angulos æquales duobus rectis, non contingit aliter ſe habere.*

4. Secundo neceſſarium etiam dicitur ſine quo quid non fit ſeu eſſe ſuum non habet: it. ſi eſſe habeat, ſine quo vivere & eſſe ſuum retinere nequit. *Sic potio medicata eſt neceſſaria ægrotanti; quia ſine hac ſanitas recuperari nequit, & aer neceſſarius eſt homini; quia ſine reſpiratione homo vivere nequit.*

5. Tertiò neceſſarium ſumitur pro violento. *Quæ ſignificatio eſt hujus loci propria. Nam violentum eſt quod naturalem impetum & in homine operationem ſecundam voluntatem impedit. Violentum itaq; habet naturam quodammodo neceſſarii propriè dicti: unde etiam neceſſarium vocatur. Nam vis tunc fieri dicitur, quando non contingit ſubſtantiæ mobili ſecundum naturalem ſuum impetum & in ſpecie homini ſecundum voluntatem moveri. Quid verò hoc aliud quàm non contingere aliter?*

6. Violentum itaque, quòd hîc in ſpecie neceſſarium vocamus, vel merè violentum eſt, quod nullam electionem nihilq; arbitrii homini relinquit, vel non merè violentum, quod aliquid relinquit arbitrio & voluntati hominis. *v. g. Si Titius, cui reſiſtere non vales, tuam apprehendens manum eâdem feriat alterum: ineſt tibi hic motus, ſed merè violenter; quemadmodum motus ſurſum lapidi. At ſi Titius minitetur mortem, ni abnegaveris Chriſtum; & tu id feceris, merè violentum non eſt quod agis. Nam relicta eſt tibi libertas arbitrii, ut ſubeundo mortem evitare abnegationem poſſis.*

7. Actio merè violenta ab omni peccato excuſat. *Nam in actione merè violentâ omne principium motus extra operantem eſt: ut proinde, cùm nihil conferat, nec pro parte ut cauſſa concurrere dici poſſit.*

8. Actiones non merè violentæ, quæ mixtæ vocari philoſophis ſolent, magis voluntariis quàm neceſſariis & violentis accenſendæ ſunt. *Nam operatio ipſa immediatè pendet ab electione illius cui vis infertur. Quicquid verò cauſſam immediatam & proximam habet electionem, magis pro voluntario quàm violento reputandum eſt: cùm enim in agentis poteſtate ſit operari vel non; etiam principium movendi corpus organicum ipſi operanti ineſt. Quamvis ergo ejuſmodi actiones ſimpliciter invitæ ſint, dum tamen aguntur ſunt ſpontaneæ.*

9. Qualitas actionum mixtarum & an iiſdem quid malitiæ inſit vel non inſit ex modo eligendi petenda eſt. *Nam cùm cauſſa proxima & immediata harum actionum ſit electio; ſequitur in hujus qualitate*

litate etiam poſitam eſſe qualitatem ipſius actionis ſeu operationis. Quod ſi ergò electio ſit bona & laudabilis, etiam ipſa operatio talis erit.

10. Omnis actio mixta quâdam reprehenſione digna eſt&aliquid peccati involvit quæ fugam moleſti ei quod pium, honeſtum vel juſtum eſt præponit. *Nam omnes moleſtiæ & cruciatus potius ferendæ quàm quicquam de pietate, honeſtate, juſtitiâ remittendum. Quò plures enim dolores & cruciatus pietatis, honeſtatis & juſtitiæ gratiâ ſubeuntur, eò præclariores redduntur hæ actiones.*

11. Nonnunquam cum difficultate conjunctum eſt dijudicare quidnam alteri ſit præferendum. *v. g. an potius perferenda mors quàm ſervitus, ſi ſub tyranno vivamus.*

12. Difficilius longè eſt in deliberatis & decretis ſubſiſtere, quàm de præferendo minori malo conſultare. *Nam plus operantur præſentes dolores quàm phantaſia futurorum dolorum, cum quâ conſultatio conjuncta eſt. Idq; teſtatur experientia, dum multi deprehenduntur de perferendis quibusvis doloribus decretum facere, pauci in deliberatis ſubſiſtere.*

13. Quâ de cauſsâ minus peccant qui in deliberatis non ſubſiſtunt, quàm ii qui quando deliberant ſolâ moleſtiarum phantaſiâ à præclaris actionibus terrentur. *Nam magis peccant qui quod facilius eſt omittunt, quàm qui in eo, quod difficilius eſt, perficiendo perſeverare nequeunt,*

14. Actiones mixtæ, quibus fuga moleſti ei, quod pium, honeſtum, juſtum eſt, præponitur, omnes quidem cum aliquo peccato ſunt conjunctæ, magis tamen vel minus veniam merentur, prout moleſtiæ majores vel minores ſunt, & quod injungitur faciendum impium, injuſtum, turpe magis vel minus tale exiſtit. *Nam ſunt nonnullæ moleſtiæ ita comparatæ, ut perferre easdem excedat vires humanas. Contrà ſunt etiam nonnulla adeò impia, ut potius homini aliàs intolerabiles cruciatus perferendi ſint, quàm ea peragenda ſuſcipiantur. Sic decet Chriſtianum omnes cruciatus etiam graviſſimos & qui videntur planè intolerabiles ſubire potius, quàm Chriſtum abnegare. Moleſtias intolerabiles gignunt fames, ſitis, frigus. Hinc ſi quis extremo frigore impulſus &, cum aliâ ratione ſalvus eſſe nequeat, furetur vel rapiat veſtimentum, non pœnâ furti vel rapinæ ordinariâ videtur afficiendus. Nam tantâ moleſtiâ affectus rapuit, cui vix humanæ vires valent reſiſtere: contrà, cui res ablata eſt, minus læſus videtur: debuiſſet enim naturali miſericordiâ ad ſuccurrendum ejusmodi miſero duci. Ex eodem fundamento judicium eſt faciendum, quando quæritur, an excuſandus ſit, qui imperio vim cogendi habentis quid facit. Nonnulla enim leviter turpia ſunt & meren-*

merentur veniam, nonnulla talia, in quibus nulli omninò graviſſima etiam minitanti parendum eſt.

15. Quod quis ex paupertate facit minus excuſare videtur tanquam ex neceſſitate factum. *Nam ad tolerandam æquo animo paupertatem quilibet homo, dum rebus ſecundis utitur, præparare ſe tenetur. Hinc qui paupertatem tolerare neſcientes quid committunt veniam non merentur. Extrema tamen paupertas, quæ cauſſa intolerabilis famis & ſitis eſt, excuſat; quia, prout* n. 14. *demonſtratum eſt, famis ſitisq; moleſtiæ propemodum intolerabiles ſunt.*

MEMBR: VI. DE FORTUNA.

1. Quod in rebus naturalibus eſt caſus, id in iis, quæ ab homine ex proæreſi fiunt, eſt fortuna. Nimirum fortuna eſt accidens quoddam operationi, quæ ab homine ex proæreſi fit, ſuperveniens, eamque ad alium finem, quàm cujus gratiâ ab homine ſuſcepta eſt, dirigens.

2. Quæ committuntur interveniente fortunâ caſualia JCtis vocantur peccata; nec unius generis ſunt, ſed alia ſunt caſualia de caſu improviſo alia de caſu fortuito. *Nam nonnunquam contingit accidentia illa immutatura operationem prævidere, & ſi hoc non fiat, non remanet peccatum merè caſuale, ſed fit quodammodo culpoſum. Similiter contingit quem ad accidens illud, in quo fortuna poſita eſt, conferre aliquid: & tunc iterum oritur peccatum quod non ſimpliciter caſuale eſt, ſed quodammodo culpoſum exiſtit. v.g. Miles ſtans in excubiis tenensq; haſtam longiorem terretur ſonitu tormenti forti exploſi, ut haſtam manu patiatur excidere, & hac ipsâ lethale vulnus infligatur puero proximè adſtanti. Dico hoc homicidium non merè caſuale eſſe. Decebat enim militem id animi habere, ne ſonitu tormenti pateretur haſtam de manu decideret & proinde quodammodo in culpâ eſt. Hæc & ſimilia peccata vocantur caſualia de caſu non proviſo, & ab omni pœnâ non liberant. At quæ accidentia prævideri planè nequeunt & ad quæ qui operatur nihil confert, merè caſualia peccata ſunt ſeu de caſu fortuito, quæ omninò excuſare videntur. Quia nihil cauſſæ homini operanti ineſt.*

3. Merè caſualia peccata non ſemper reprehenſione vacant. *Sunt enim nonnulla fortuita ita comparata, ut indicium præbeant Numinis irati erga hominem & propterea ſingularis in homine malitiæ. v.g. ſi quis caſu fortuito occiderit parentem vel ex liberis ſuis cariſſimum.*

4. Ma-

4. Magnam diverſitatem etiam inde capiunt caſualia peccata, quòd qui caſu peccat verſetur vel in re honeſtâ & bonâ vel mediâ & non illicitâ vel in re ex ſe & ſuâ naturâ turpi. *Nam profectò non aq; excuſari poteſt qui fortuitò peccat in re turpi occupatus, quàm qui in re honeſtâ verſatur. Illius enim intentio mala eſt & jam in peccato verſatur; hujus bona exiſtit. v. g. ſi quis ſtuprum commiſſurus prater intentionem cum matre inceſtum committat; aut occiſurus hoſtem, quem provocaverat, fortè fortuitò patrem enecet; hic profectò magis peccare videtur quàm qui ſtrenuè pro patriâ pugnans patrem hoſtẽ exiſtimans occidit.*

MEMBR. VII.
DE
NATURA IN HOMINE OPERANTE.

1. Quæ nullum intellectûs judicium in homine admittunt operationes & à naturâ fiunt, hominem nec bonum nec malum reddunt. *Sic nemo dicit hominem malum aut improbum propterea quòd ſit macilentus aut nimis longa vel brevioris ſtatura. Nam hujus cauſſa non eſt intellectus, ſed ſola natura. Ea quippe improbitati & malitia annumerantur qua ab homine quatenus eſt ſubſtantia intellectualis eduntur. Hactenus enim oſtendimus omnia peccata hominem malum vel reprehendendum & corrigendum reddentia inde venire, quòd vel homo judicium corruptum vel integrum quidem ſed non actu ſecundo habeat, vel ignorantia etiam ſibi cauſſa exiſtat. Ex quibus omnibus apparet, nos rectè uti hoc fundamento; hominem cenſeri eatenus peccare quatenus intellectualis quadam ſubſtantia eſt, & operationes intellectui conformes edere tenetur. In quibus ergò nihil poteſt intellectus, interim fiunt à quodam quod homini intrinſecum eſt, non humana ſed merè naturalia habenda.*

2. Natura cenſetur operari in omnibus, qui per ætatem, morbum & vitium corporis vel alia naturalia impedimenta judicio intellectûs uti nequeunt. *Id quomodo fiat, infrà dicendi locus erit.*

CAP.

LIB. II.

DE DELICTIS HORUMQUE POENIS.

1. *Actum à nobis eſt* præced. libr. *de principiis actionum humanarum quibus bonitas & malitia ineſt: ſequitur, ut de ipſis delictis dicamus, quatenus in civitatibus puniantur: ita enim debito modo abſoluta erunt quæ de injuſtitiâ univerſali dicere conſtituimus.*

2. Tractatum de delictis videmur rectè inchoare à contemplatione pœnarum. *Nam videtur delictum nil aliud eſſe quàm factum aliquod quod pœnam meretur. Et quia legiſlatores non modo pœnis deterrent homines à delictis, ſed etiam præmiis eosdem ad bona agenda alliciunt; nec omnibus vitiis conſtituunt pœnas; unà quoq; natura pœnarum perpendenda erit.*

CAP. I.

DE PRÆMIIS ET POENIS.

1. Videmur rectè pœnas dividere in naturales & civiles, & eodem quoque modo præmia in naturalia & civilia. *Nam non modò legiſlatores in civitatibus delicta puniunt; ſed etiam natura ipſa vitioſos coërcere videtur, dum his mala conſcientia angores & cruciatus creat.*

ARTIC. I.

DE PRÆMIIS POENISQUE IN GENERE ET IN SPECIE DE CIVILIBUS.

1. Cùm multæ intricatæ quæſtiones moveantur circa irrogationem pœnarum, noſtrum erit paulò diligentius in harum naturam inquirere. *Notum namq; eſt quid de pœnâ furum nonnulli theologorum, præſertim, qui à partibus Calvini ſtant, diſceptent; prætendentes nullam inter delictum & pœnam proportionem eſſe.*

2. Pœnæ vox æquivoca eſt. *Nam aliæ pœnæ eò directæ ſunt, ut aut vitioſos emendent aut à vitiis civitatem purgent; aliæ ut tollant querelas, ne cauſſam habeant ulterius conquerendi qui leſi ſunt. v. g. Fures duplici pœnâ affici poſſunt, vel enim hoc agitur, ut aut vitium avaritiæ*

quod iisdem ineſt emendetur, aut fur velut vitioſus è medio tollatur, vel hoc intenditur, ut ei qui à fure læſus eſt ratione ſecuritatis ſuæ ſatisfiat, ne amplius anſam conquerendi habeat: illud genus pœnæ hodiè habet locum quando fures ſuſpenduntur; hoc obtinebat apud Romanos, quando fur condemnabatur in duplum aut quadruplum ablati ſolvendum. Hæc genera pœnarum diverſiſſima ſunt nec confundenda.

3. Pœna corrigens vel tollens vitia criminalis jure Romano vocatur & ſimile quiddam eſt medicinæ. *Nam quod ſunt morbi in corpore, hoc ſunt vitia in animo. Quemadmodum ergò medicina eſt id quo morbi tolluntur, ita quoq; pœna criminalis Rempubl. à vitiis quibus laborat liberat.*

4. Pœna criminalis nihil aliud eſt quàm dolor vel moleſtia quædam. *Nam medicina eſt id quod cauſſam morbi removet & tollit, (ſublatâ enim morbi cauſâ remotus erit morbus ipſe) & regulariter eſt quiddam cauſſæ morbi contrarium. Nam ſuo contrario unumquodque naturaliter removetur & tollitur. Cùm ergò vitia ſint quaſi morbi animi totam civitatem corrumpentes; voluptates verò corporis morborum illorum cauſſæ; (præced. namque cap. oſtendimus quo pacto voluptates corporis judicium rationis vel corrumpant vel etiam impediant, ne in actum ſecundum deduci queat, & inde naſci pleraq; peccata) ſequitur voluptatibus corporis obviam eundum eſſe, ſi velis cauſſas vitiorum tollere & quidem adhibitis moleſtiis, utpote quæ voluptatibus contrariæ ſunt. Quemadmodum enim Medicus ſentiens morbum eſſe natum ex intemperie calidâ applicat medicamenta frigida, quò præternaturalis calor tollatur; ita fermè comparatum eſt circa Legislatorem: hic enim animadvertens voluptatibus corporis homines concitari ad vitioſas actiones edendas, conſtituit dolores quamlibet vitioſam actionem ſubſecuturos, quos perpendentes cives dum alliciuntur voluptatibus corporis ad mala agenda, eaſdem negligant potius, quàm ut has ſequendo in longè graviores dolores ſe præcipitent. v.g. voluptatibus, quæ percipiuntur ex tactu in re venereâ, alliciuntur homines ad committendum adulterium: at quando perpendunt, ſubſecuturam eſſe pœnam gladii, ducuntur ad obſiſtendum præſentibus corporis voluptatibus; quod dum faciunt ab adulterio deſiſtunt.*

5. Pœnæ criminales ſecundum nullam infliguntur proportionem. *Quemadmodum enim medici eſt augere gradus caloris eousq; donec calor ſufficiens deprehendatur ad intemperiem frigidam tollendam & evertendam: ita quoque legislatoris eſt in augendis doloribus progredi eousq;, donec appareat, eos ſufficientes eſſe ad reſiſtendum voluptatibus corporis: v.g. ſi voluptas ex callidis acquiſitionibus per furta & latrocinia percepta tanta communiter deprehendatur, ut pecuniariæ pœnæ non ſufficiant,*

ciant, procedendum eſt ad relegationem; ſi nec dolor ex hâc pœnâ deterreat homines ab amore furandi, ad fuſtigationem & tandem ad pœnam mortis. Hinc manifeſtum fit, quantum errent, qui pœnam patibuli in furibus injuſtam pronunciant, quòd non proportione facto reſpondeat. Nam eam nondum ſufficientem eſſe patibula cadaveribus punitorum ubivis repleta teſtantur.

6. Pœnæ criminales duorum ſunt generum, aliæ corrigunt eum cui infliguntur, aliæ eum non corrigunt, ſed planè è medio tollunt. *Sicuti enim in corpore humano, ſi cauſſa morbi alicui parti corporis inhærens medicamentis tolli poſſit, non ipſa pars corporis, ſed potius qualitas inhærens & cauſſa morbi exiſtens removetur; contrà ſi cauſſa morbi parti cuidam ita inhæreat, ut nulla ſpes ſit eam removendi, ne reliquas partes inficiat, reſecatur: ita quoque proceditur in civitatibus, quarum velut membra & partes quædam ſunt homines. Homo ergò laborans vitio emendabili pœnis quibus emendetur afficitur; ſin autem nulla ſpes emendationis ſuperſit, nec ulli dolores ſufficiant ad vitium inhærens corrigendum; ipſe quaſi putrida pars reſecatur, ne ſinceræ partes trahantur. Conducit tamen & hæc pœna ad aliorum correctionem, qui punitorum exemplo moniti impoſterum cautius mercari diſcunt.*

7. Ab hoc genere pœnarum diverſum eſt id quo ſatisfit læſis ut ceſſent querelæ, cui vindicativarum ſeu, more Romanorum, civilium nomen tribuere poſſumus. *Differentiam hoc exemplo facilè addiſcere poſſumus, v. g. apud Romanos pœna furti erat vindicativa ſeu civilis, quia ei, qui ex furto erat læſus, dabatur actio in duplum vel etiam quadruplum rei ablatæ à fure ſolvendum; hodiè verò pœna criminalis eſt, quia fures non in gratiam ejus, qui læſus eſt, quò ſatisfiat eidem & ne amplius habeat anſam conquerendi, ſuſpenduntur, ſed potius, ut vitioſi homines è medio tollantur.*

8. Eſt itaque pœna vindicativa ſeu civilis, quâ corrigitur injuſtum per invitas commutationes illatum & ſatisfit ei qui læſus eſt.

9. In pœnis vindicativis ſeu civilibus naturaliter obſervanda eſt proportio geometrica, quam *ſuprà p. 1. lib. 1. cap. 4.* in retributionibus obſervandam eſſe diximus. *Nam quò majus eſt bonum læſum, eò plus læſo retribuendum eſt.*

10. Quò pœnæ civili locus ſit, malum illatum tale eſſe debet, ut poſſit æſtimari. *Nam niſi tantum pecuniæ læſus conſequatur quod bonum ablatum æquet, injuſtum non ſatis erit correctum, nec ceſſabunt querelæ. Hinc fit, quòd nonnunquam pœna civilis ceſſet v. g. ſi plebejus principem percuſſerit: hoc enim caſu potius itur ad pœnam criminalem. Quod itidem tradidit Ariſtot. lib. 5. Eth. c. 8.*

11. Præ-

11. Præmii vox æquè ac vox pœnæ æquivoca eſt. *Aliud enim præmii genus correſpondet pœnæ crimanali, aliud civili.*

12. Præmium correſpondens pœnæ criminali eſt voluptas quædam conſequens virtuoſas actiones, quâ homines alliciuntur ad ſubeundas moleſtias cum quibus ſtudium virtutis conjunctum eſt. *Nam quemadmodum voluptatibus corporis alliciuntur homines ad mala agenda; ita moleſtiis à juſtis & præclaris actionibus deterrentur, v.g. moleſtum eſt mortem præſentem pro patriâ ſubire, it. penetrare in res obſcuras: ut homines haſce moleſtias non fugiant ſed ſubeant, conſtituta ſunt præmia conſiſtentia in voluptatibus ejusmodi quas homines perpendentes parvi faciunt moleſtias nec ſubire eaſdem verentur. Unde præmium in hac ſignificatione ſimile eſt medicinæ tollenti cauſſam peccatorum in omittendo conſiſtentium. (Moleſtiæ enim cauſſæ omiſſionis honeſtarum actionum exiſtunt.)*

13. Hoc genus præmii itidem nullam obſervat proportionem cum merito. *Nam quemadmodum pœnæ eousq; augendæ ſunt, donec ſufficientes ſint ad reſiſtendum corporis voluptatibus; ita præmia, donec homines perpendentes voluptates, in quibus præmia conſiſtunt, præſentes moleſtias virtutum gratiâ ſubeundas parvifaciant. Hoc pacto enim cauſſa peccati in omittendo conſiſtentis ſufficienter removebitur.*

14. Præmium correſpondens pœnæ vindicativæ eſt quid retribuendum in commutationibus iis quæ non ex pacto fiunt. *Nam non ſolemus id, quod in commutationibus ſpontaneis & in pactis conſiſtentibus v.g. emptione, venditione, locatione conductione retribuitur, præmium vocare. Quando verò quid retribuendum venit iis qui de patriâ benè meriti ſunt vel de amicis, hoc præmii nomine indigitatur. Ex quibus conſtat, nos præmium ritè definiviſſe.*

15. In hoc præmiorum genere quædam proportio communiter obſervatur. *Nam niſi in amicitiâ utili æqualium æqualia retribuantur, querelæ oriuntur. Quòd ſi intercedat inter nonnullos amicitia inæqualis & ſuperior inferiorem ita excedat, ut propemodum nulla remaneat proportio, præmii natura quodammodo exſpirat, diciturque quod retribuitur potius cultus, pietas, veneratio.*

16. *His ita præmiſſis nunc de gradibus pœnarum præmiorumque diſſeremus, quæq; vitia potius præmiis quæ potius pœnis ſint corrigenda.*

ARTIC.

ARTIC. II.

DE

PRÆMIIS ET POENIS QUÆ A NATURA TRIBUUNTUR ET IRROGANTUR BONIS MALISVE CONSCIENTIA NIM. BONA ET MALA.

1. Conſcientia in genere eſt ſyllogiſmus quem facit intellectus practicus appetitum in homine dirigens oſtendens alicujus facti pulchritudinem vel turpitudinem.

2. Conſcientia eſt vel ante facta vel poſt facta. Ante facta conſcientia conſiſtit in ſyllogiſmo practico, qui exhibet appetitui turpitudinem quandam eorum ad quæ inordinato motu tendit. *Nam dum hanc turpitudinem intellectus repræſentat homini, deterret eundem à peccato, non aliter ac legiſlator graviſſima in delinquentes minitans ſupplicia.*

3. Conſcientia ante facta in vitioſis nullam habet vim. *Nam in vitioſis hominibus per vitium adeo corruptum eſt intellectûs judicium, ut per hoc homo non aliter judicet, quàm vitioſè vivendum eſſe. Intemperantes enim judicant ex hac propoſitione: Quicquid auget voluptates corporis faciendum eſt, non obſtante quod ſit turpe.*

4. In iis qui nondum ſibi pararunt virtutes, nec dum tamen vitioſi ſunt, admodum debilis ſæpenumero eſt conſcientia ante facta. *Nam cùm ſuprà de incontinentibus ageremus, docebamus, ſæpè numero à nimio appetitu intellectum quaſi in ſomnum conjici, ut nullas vires præcipiendo edere poſſit: ſcientiam quippe incontinentium, dum appetitu ducti operantur, ibidem ſimilem eſſe diximus ſcientiæ quam geometra habet quando dormit.*

5. Conſcientia poſt facta vel bona vel mala eſt. Conſcientia mala eſt ſyllogiſmus practicus fœditatem commiſſorum ob oculos ponens.

6. Conſcientia mala peccatoribus loco pœnæ eſt. *Nam dum intellectus turpitudinem peccati repræſentat ſcinditur homo quaſi in partes & ratione ſui appetitûs inordinati ſeipſum odiſſe ſibique iraſci incipit. Unde oriuntur moleſtiæ. Nam moleſtia eſt perceptio malæ & naturæ non convenientis operationis. Talis autem perceptio oritur, quando quis malam habet conſcientiam. Eſt namq; diſconvenientia intellectûs & appetitûs præter naturam.*

7. Conſcientia mala in incontinentibus eſt quædam pœna corrigens & emendans peccantes. *Nam exſatiato in iis qui affecti-*

bus ſuperantur, appetitu, quaſi è ſomno excitati ad ſe redeunt & locum dant intellectûs judicio, quod apud eos adhuc integrum eſt. Unde ſtatim turpitudine facti perpensâ naſcitur pœnitentia.

8. Conſcientia mala in vitioſis tandem excitata plerumque eosdem ad ſui interitum & perniciem rarò ad pœnitentiam ducit, ſimilisque eſt pœnæ, quâ vitioſi homines è medio tolluntur & exemplum aliis præbent. *Nam vitioſi judicio utentes corrupto non ſtatim poſt facta tormenta conſcientiæ ſentiunt, ſed tunc demum, quando tota ipſorum ſubſtantia vitiis eſt corrupta, (quemadmodum enim virtutes, utpote in medio poſitæ & rationi conformiter operantes, ſubjecta ſua conſervant; ita vitia deſtruunt eadem) ipſiq; animadvertunt, ſe vivere in odio apud Deum & homines. Hæc conſcientia in vitioſis excitat cruciatus & tormenta intolerabilia hominem ad ſui internecionem concitantia. Pertinet huc quod habet Tacit. 6. annal. cap. 6. in fin. quando ait:* non fruſtrà præſtantiſſimus ſapientiâ *(Plato)* firmare ſolitus eſt: ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe adſpici laniatus & ictus; quando ut corpora verberibus, ita ſævitiâ, libidine, malis conſultis animus dilaceretur. *Et mox laudatus autor ſubjicit:* quippe Tiberium non fortuna non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris ſuasque ipſe pœnas fateretur. *Ex quibus ſatis apparet, quomodo conſcientia mala in peccatoribus naturaliter pœna quædam ſit.*

9. Contrà conſcientia bona præmium quoddam bonis exiſtit, eſtque ſyllogiſmus practicus oſtendens congruentiam appetitûs cum rectâ ratione. *Nam ſuprà diximus præmium eſſe quid jucundum excitans homines ad tolerandas moleſtias. Eſt verò conſcientia bona jucundiſſima. Conſiſtit etenim in perceptione operationis quæ quàm maximè cum naturâ hominis congruit. Eſt ergò conſcientia bona præmium illud quod natura bonis hac in vitâ tribuit.*

10. Eſt porrò conſcientia alia recta, alia erronea, alia dubia. *Prout enim ſe habet intellectus ſyllogiſmum practicum conficiens, ita quoq; conſcientia. Intellectus autem vel certus eſt de ſtatuendis vel dubius vel erroneus. Verùm ſubtiliores circa hæcce ſpeculationes cogimur Theologis relinquere.*

11. Ex hiſce patet, quæ in civitatibus circa pœnas præmiaque conſtituta ſunt naturam ipſam imitari. Quamvis propterea modus pœnarum præſertim criminalium ex jure naturæ deduci nequeat. *Nam pœnæ ſunt dolores: hi verò excitantur à privatione bonorum fortunæ quæ varia ſunt, nim. vita, valetudo, integritas partium corporis, libertas, honores, divitiæ conſiſtentes vel in rebus corporalibus vel in incorporalibus. Cujus autem boni privatio ob unumquodque vitium*

fieri

fieri debeat nulla ratione determinari poteſt. Legislatoris ergo arbitrio permittendum, pro modo dolorum infligendorum ſumere bona quibus privandi homines ſunt; quo in iisdem dolores concitent deterrentes homines à vitioſis actionibus.

CAP. II.

DE DELICTIS IN GENERE ET FUNDAMENTIS EX QUIBUS DE GRADIBUS POENARUM INFLIGI SOLITARUM JUDICIUM QUAM SUBTILISSIME FIERI POTEST.

1. Delictum in genere eſt omne factum quod meretur pœnam.

2. Omne delictum eſt vel privatum vel publicum; privatum eſt cui conſtituta eſt pœna vindicativa; publicum, cui criminalis. *Nam ita comparatum eſt in civitatibus, ut circa nonnulla delicta hoc magis agatur, quò læſis ſatisfiat & corrigatur injuſtum ex commutatione invitâ ſubortum; circa alia, ut magis emendetur & tollatur vitioſitas hominum.*

3. Quamvis verò omne delictum modò ut publicum modò ut privatum tractari queat: apud Romanos tamen quatuor hæc delicta erant privata, furtum, rapina, damnum injuriâ datum, & injuria. *Nam licet furtum & rapina ſint crimina deſcendentia ex vitio inemendabili, avaritiâ nim.; quia tamen in Republ. Romanâ, utpote bellicoſâ, hæc vitia incaſſum exſtirpabantur, civibus per bella continuè geſta rapinis furtisq; aſſvefactis & artem furandi latrocinandiq; liberalibus annumerantibus: maluerunt ſubſiſtere in pœnâ vindicativâ & injuſtum ex invitâ commutatione ſubortum corrigere condemnando fures & raptores in reſtitutionem dupli, tripli, quadrupli ei, cujus ſecuritas domi publiceq; læſa erat. Injuria & damnum injuriâ datum, quod ſatis perſpicuè in ſeqq. demonſtrabitur, ex injuſtitiâ particulari potiſſimum proveniunt, & non ex quodam alio vitio fœdo: ac proinde meritò, quod hæc concernit, ſubſiſtitur in aliquâ pœnâ quâ commutatio corrigitur.*

4. Tractatum de delictis privatis differentes ad eam partem noſtrorum elementorum, quâ de jure privato ex juſtitia correctivâ deſcendente dicturi ſumus, nunc fundamentis à naturâ cauſſarum petitis demonſtraturi ſumus rationes minuendi & augendi pœnas crimi-

criminales. *Quamvis enim nemo negaturus ſit, pœnas aggravandas minuendasve ſecundum gradus malitiæ: & de principiis, ex quibus judicium faciendum ſit de malitiæ humanæ gradibus, cap. 5. prac. libr. ſufficienter dictum ſit; ut adeoque ibi tradita ſunt ad gradus pœnarum dignoſcendos ſufficere poſſe videantur. Quò tamen eò magis in noſtrâ ſcientiâ firmemur deprehendentes, ex quibus tandem principiis procedamus, omnia quæ inde demonſtrantur, congruere; etiam ex naturâ & differentiis affectionibusq; cauſſarum ſpeculando procedentes rationes minuendi augendiq; pœnas oſtenſuri ſumus. Et hæc contemplatio magis juridica erit ſuperiori.*

5. Videtur autem ſtudioſo Juris cognitio generum cauſſarum neceſſaria. *Nam ſuprà part. 1. tradidimus quid injuſtum per ſe & per accidens ſit nulla aliâ ratione ſciri poſſe, niſi cognitum fuerit, quid cauſſa per ſe & per accidens ſit. Deinde dictum eſt cap. 1. huj. libr. pœnam criminalem eſſe quandam quaſi medicinam: quemadmodum ergò nullus medicus ritè medicinam applicat, niſi cauſâ morbi prius probè cognitâ, ita quoq; cauſſa cujusq; peccati probè prius explorari debet, antequam pœnæ irrogentur.*

6. **Omnis ergò cauſſa vel per ſe vel per accidens eſt cauſſa: hæc rurſus duobus modis dicitur, vel quia cauſſæ per ſe quid accidit cui cauſſatio adſcribitur, *v.g. quando muſico accidit geometram eſſe, dicimus geometram canere, quaſi geometra cauſſa cantûs exiſtat: cùm tamen muſicus exiſtat*: vel quia quid accidit cauſſato per ſe, *v.g. quando faber lignarius conficit ædificium poſtea combuſtum, dicimus eum feciſſe quid quod combuſtum eſt, quaſi hujus cauſſa exſtitiſſet, cùm ejus cauſſa per ſe ſit, cui accidit combuſtum eſſe. Verùm de hiſce dictum eſt part. 1.***

7. Omnis porrò cauſſa vel proxima eſt & immediata vel remota. Proxima eſt inter quam & cauſſatum nulla alia interjecta eſt: Remota, quæ cauſſæ cauſſa eſt. *i. e.* quæ cauſſa eſt, ut aliud quiddam cauſſa fiat. *v.g. Titius eo in loco, quo iter fit, poſitum quid habet, quod ventus dejicit in caput prætereuntis liberi hominis inde morientis. Non poſſumus dicere, Titium eſſe cauſſam mortis proximam, quia ventus dejiciens cauſſa proxima eſt; ſed remotam, quia ut ventus cauſſa dejectionis fieret Titius cauſſa fuit ponendo quid eo in loco, unde dejici in caput liberi hominis poterat.*

8. Cauſſarum genera quatuor ſunt: materia, forma, efficiens & finis. *Nam omne id quo reſpondetur quærenti quamobrem res ſit, in unum ex hiſce quatuor modis incidit. Et præterea quicquid eſt, vel ex aliquo eſt vel ab aliquo vel alicujus gratia. Ex quo autem unumquodq; eſt vel ſe habet ut ſubjectum, materia nim. quale quid ſunt elementa, partes,*

tes, ex quibus ſit totum, propoſitiones ex quibus ſit ratiocinatio; vel ut forma, totum nimirum, compoſitio, ſyllogiſmus. Id à quo unumquodque ſit eſt id unde eſt motûs & quietis principium vocaturq; efficiens, v.g. medicus ſanitatis, conſultator actionum humanarum. Id cujus gratiâ unumquodq; ſit finis vocatur, v.g. actiones humanæ felicitatis & boni ſive veri ſive apparentis gratiâ.

9. Cauſſa quæ in pœnis irrogandis attendenda venit eſt ea quæ vocatur efficiens. *Nam delinquere dicuntur homines quando operantur ſeu agunt: eſt autem omnis actio motus; isq; dicitur agere, cui motûs principium ineſt: efficientem autem vocamus eam cui ineſt motûs principium.*

10. Efficientium ea eſt proxima cauſſa, quæ ab hoc fine, ad quem præſens operatio tendit, eſt excitata; ea verò remota, quæ non à fine, quem tandem conſequitur operatio, excitata eſt ad operandum; ſed alteri cuidam rei tendenti ad illum finem, ut eum obtineat, ſeu illius cauſſa ſit, cauſſa eſt. *v.g. cujus cupiditas excitatur à lucro quod ſperatur, ut incipiat movere manum ad apprehendendam rem alterius, is injuſti hujus, quod ſuboritur dum dominus amittit rem ſuam, cauſa proxima eſt. Nam cupiditas ejus velut principium operationis excitabatur ab hoc injuſto lucro tanquam fine, in quo etiam præſens iſta operatio ſubſiſtebat. At ponamus Titium noſſe, Sempronium eſſe furem & , ut furtum facere poſſit, hoſpitium deſiderare, promittereq; ſuam ſororem inſtrumentum libidinis Titio recipienti in diverſorium: non erit Titius furtorum quæ à Sempronio committuntur cauſſa proxima ſed remota; quia non excitata eſt ad operandum cupiditas Titii à lucro injuſto quod Sempronius intendit, ſed à voluptate quæ ex coitu cum ſorore ejus percipitur, ut cauſſa exiſteret illius cauſſæ, à quâ tanquam proximâ injuſtum lucrum eſt cauſſatum, i. e. Sempronii furtum facientis.*

11. Cauſſa efficiens non eſt ſine potentiâ cùm activâ tum paſſivâ. *Niſi enim id, quod in efficiendo verſatur, potens ſit ad operandum; & objectum, circa quod actio verſatur, potens ad recipiendum; ad cauſſatum quod intenditur, non pervenietur.* Potentiam autem vocamus id ſecundnm quod unumquodque potens dicitur.

12. Potentia activa eſt principium motûs aut transmutationis in altero vel prout alterum eſt. *Nam illud potens dicimus quod in ſe habet principium movens vel transmutans aliquid alterum aut quatenus à transmutato alterum eſt. (Sic anima humana movetur unà cum corpore de loco ad locum, ipſa principium motûs exiſtens quatenus eſt à moto corpore alterum; ſic medicus ſanat ſeipſum, non ut medicum ſed ut ſanabilem, & quatenus à ſe ſanabili eſt quiddam alterum medicus nim.)*

Quia ergò potentia eſt id, ſecundum quod aliquid potens dicitur; & unumquodque eatenus potens agendo habetur, quatenus in ſe habet principium motûs; ſequitur potentiam activam tale quid eſſe.

13. Potentia paſſiva eſt diſpoſitio principium exiſtens ei, cui ineſt, ad patiendum, ſeu recipiendum id cujus potentia activa principium eſt. *Nam potens ad patiendum dicimus hoc quod diſpoſitum eſt ad patiendum ſeu in ſe aliquod principium paſſionis habet.*

14. Potentia activa alia rationalis alia irrationalis eſt; Rationalis quædam potentia in homine cernitur, eſtque principium ita valens movere & mutare, quemadmodum dictitatur ipſi à facultate ratiocinante.

15. Harum potentiarum diverſæ ſunt vires. *Nam potentia irrationalis neceſſariò operatur, quando eò appropinquat, ut activum in paſſivum operari valeat: ſed rationalis non neceſſariò operatur, licet appropinquaverit paſſivæ potentiæ, & ita productiva eſt contrariorum non quidem ſimul, ſed prout appetitus vel proæreſis ſuperat. Nam appetitus humanus eſt quidem aptus natus ad parendum rationi, valet autem & ad reſiſtendum & inordinatè operandum; prout libr. 1. hujus part. tradidimus.*

16. Potentia ergò activa, quâ mediante homo eſt cauſſa efficiens juſti & injuſti productiva contrariorum eſt, nec neceſſariò idem ſemper operatur quando appropinquat potentiæ paſſivæ, ſed id quod principaliter appetit, ſeu quod prævalet in excitando appetitu, ſive ſit honeſtum ſive præſentem pariens voluptatem. *Nam contraria ſimul producere nulla potentia poteſt, nec etiam diſtinctis temporibus modò hoc modò illud, ſi planè eadem ſit & eodem modo diſpoſita. Hinc prout appetitus humanus diſpoſitus eſt, quando paſſivo vel receptivo appropinquat, ita operatur: diſponitur autem à mente vel à voluptatibus & moleſtiis præſentibus.*

17. Potentia porrò alia eſt connata alia parata. Connata eſt quæ cuique à ſolâ naturâ tribuitur, & propterea à primo ortu ineſſe ſolet. *Ita v. g. potentia videndi, audiendi, olfaciendi cuilibet homini à primo ortu inſit velut à naturâ data.*

18. Potentia quæ non connata eſt paratur vel aſſvefactione vel doctrinâ, & pro hac parandâ convenit ea operari quæ hac inſtructi operantur. *Ita v. g. ars pugillatoria, quâ quis potens eſt ſuum corpus defendere vel etiam adverſarium ſuperare, eſt potentia quædam quæ partim doctrinâ partim adſvefactione paratur: & ut hanc artem adipiſcaris, oportet te facere ea, quæ arte pugillatoriâ inſtructi operantur: talia namq; ſæpè reiterando potentia hæc activa i. e. ars pugillatoria acquiritur.*

19. Po-

19. Potentia, quâ mediante homo juſtorum & injuſtorum, bonorum & malorum cauſſa efficiens exiſtit, paratur quidem adſvefactione & doctrinâ; ita tamen homo naturâ comparatus eſſe videtur, ut habilior ſit ad potentiam malorum & injuſtorum quàm juſtorum & bonorum adſvefactione acquirendam. *Virtutes enim quibus bona & juſta, vitiaq́, quibus mala & injuſta homines agere potentes ſunt, non à nativitate inſunt, ſed cum tempore & crebris actionibus parantur. Et quorſum pertingerent præmia & pœnæ omnesq́, leges in civitatibus, ſi à naturâ ineſſent? Imò videtur totum hoc, ut quis improbus aut bonus evadat, in adſvefactione & crebris operationibus quas quisq́, à teneris inſtituit, poſitum eſſe. Sed quia quemq́, hominem ſibi relictum tendere ad vitia adſvefaciendo ſeipſum, ad virtutes non niſi multo labore trahi deprehendimus; apparet quemq́, naturâ ad vitia magis propenſum eſſe. Unde verò hoc? natura enim nihil tale videtur ita producere, ut propendeat magis ad efficiendum id quod perniciofum eſt. Hìc jubet Plato quieſcere: ſcriptura autem ſacra hujus rei cauſſas exquiſitè tradit, quas interpretando docere ad Theologos ſpectat.*

20. Hæc ratio eſt, quare maxima hominum vita pugna quædam ſit, & juvenes ſatis potentiæ circa bona & juſta habere, ſi ſibi acquiſiverint potentiam reſiſtendi tantùm. *Nam nititur à teneris appetitus voluptatibus præſentibus ductus rectam rationem de ſede dejicere & ſibi imperium in eandem ſumere: ut adeò ſatis benè militare adverſus hunc videatur, qui potentiâ reſiſtendi inſtructus non patitur rationem vinci.*

21. Potentiæ quædam privatio eſt impotentia: & per conſequens tot modis dicitur, quot potentia.

CAP. III.

DE GRADIBUS POENARUM.

1. Omnes pœnæ vel ordinariæ ſunt vel extraordinariæ, & hæ vel ordinariis graviores vel leviores. *Id per experientiam & lectionem obſervationum à practicis, quorum in numero principem locum hodiè Benedictus Carpzovius obtinet, collectarum, addiſcere poſſumus. Et in hoc ſolent conſuli JCti, an pœna ordinaria augenda vel minuenda ſit.*

2. Pœnæ ordinariæ ſunt eæ quæ legibus conſtituuntur in homines qui cauſſa per ſe, efficiens, proxima ſeu immediata malo-

rum & injuſtorum mediante potentiâ horum activâ exiſtunt. *Nam qualis medicina malis adhibenda ſit primùm omnium circa perfectam cauſſam ſpectandum eſt. Quò verò cauſſa perfecta ſit, requiritur 1. ut ſit per ſe. Nam cauſſa per accidens ne quidem cauſſa eſt, cum ipſa nihil cauſſet, ſed accidens potius. 2. ut ſit proxima & immediata. Nam cauſſa remota cauſſatum non attingit, ſed cauſſæ cauſſati cauſſa eſt. Et quia in cauſſis malorum quæritur efficiens; hæc verò non cauſſat ſine potentiâ quâdam activâ, meritò ad perfectam injuſtorum & malorum cauſſam requiritur. 3. potentia quædam malorum activa.*

3. Potentia malorum & injuſtorum activa abſoluta & perfecta eſt vitioſitas. *Nam qui judicium intellectûs adhuc integrum habentes affectu quodam vincuntur nondum poſſunt dici potentiâ malorum activâ inſtructi: eſt enim judicium intellectûs apud eosdem adhuc integrum: hoc verò eſt quædam potentia bonorum activa. Quandò verò eò perventum eſt, ut nec judicium intellectûs practici amplius integrum exiſtat, quod contingit quando homo crebris malis actionibus ſibi habitum malum ſeu vitium paravit, (vitioſi enim quæ reverà mala ſunt bona judicant) hominem potentiâ malorum activâ inſtructum dicere poſſumus. Unde patet, potentiam activam, quâ homo inſtructus malorum & injuſtorum efficiens eſt, nihil aliud eſſe quàm animi vitioſitatem.*

MEMBR: I.
DE VITIIS QUÆ PUNIRI SOLENT IN CIVITATIBUS.

1. Sunt nonnulli vitioſi qui nullas publicas patiuntur pœnas, quales ſunt qui ſuis vitiis nec honeſtatem nec utilitatem ſeu publicam ſeu privatam lædunt. *Nam à quibus vitiis nihil mali ſentit ſocietas humana, adverſus eadem nec medicinam adhibere ſtudet: quemadmodum nec morborum partium corporis humani cura habetur, ſi nec totum corpus nec reliquas corporis partes malè afficiunt, nec operationes ipſarum impediunt.*

2. Prodigalitatis vitium non ſolet puniri. *Nam prodigus potius ſeipſum lædit & dum peccat, ſe punit, aliis non nocet imo utilis exiſtit. Hinc jura Romana eos potius miſericordiâ dignos eſſe cenſent, & ne ſuo vitio pereant, curatores iisdem addunt, donec cum ætate ad meliorem frugem redeant.*

3. Nec deprehendes, leges punire eos qui contra magnificentiam vel magnanimitatem peccant. *Nam & hi neminem lædunt,*

ſed.

ſed hoc tantùm agunt, ut pro ſtolidis habeantur, ſuperbus vero & odium hominum ſibi comparat, quod iisdem loco pœnæ ſufficere poteſt. Qui demiſſo animo eſt & contra magnanimitatem in defectu peccat ſatis per hoc punitur, quòd in contemptu hominum eſt.

4. Contra modeſtiam peccantes & quidem in exceſſu, ambitioſi nim. puniri ſolent, quatenus aliqua læſio ad Remp. ab iisdem pertingit, non itidem honorum contemptores. *Nam ambitioſi quò emergant, aliorum plerumq; digniorum honores ſupprimunt & jus eligendi habentes corrumpunt.*

5. Nimia lenitas, adulatio, moroſitas, arrogantia, diſſimulatio, ſcurrilitas, inſulſitas publicas nullas patiuntur pœnas. *Nam nimia lenitas ex ſe nemini nocet niſi ipſi habenti: fit enim homo ſervilis & contemptui ſubjectus. Adulatio itidem ſerviles reddit adulatores, quo fit, ut ſibi ipſis pœnæ ſint. Et quamvis in tyrannidibus ſæpè graviſſimis pœnis extincto tyranno afficiantur, fit tamen hoc non eâ propter adulationem, ſed propter falſi crimen quod ex injuſtitia particulari provenit, quando ut placerent tyranno commenti ſunt crimina in innocentes eosq; detulerunt. Moroſitate nullum præterquam jucundum bonum læditur; quia moroſi ſuis temerariis contradictionibus omnibus aliis moleſti ſunt, & hoc ipſo in ſeſe concitant hominum odia, quibus ſibi ipſis pœnas inferunt. Arrogantes hominib9 graves ſunt & intolerabiles, lædunt tantùm jucundum bonum habenturq; pronugatoribus. Diſſimulatores quàm proximè ad veracitatem accedere videntur nullius bonum lædendo. Scurræ ut aliis jucundi ſint, ſeipſos ratione honeſtatis lædunt. Inſulſi faciunt, ut nemo converſatione eosdem dignos judicet. Cùm ergò hi omnes nec quod publicè nec quod aliis privatim honeſtum aut utile eſt lædant, ſed ad ſummum moleſti ſint, nec publicâ aliquâ pœnâ afficiuntur. Ridiculum enim eſſet punire eum qui aliis jucundus non eſt; quia malum, quod in moleſtiâ ab hiſce vitioſis natâ conſiſtit, evitari poteſt fugiendo converſationem eorundem.*

6. Vitia quibus læditur honeſtas vel utilitas eaq; vel publica vel privata aliorum, aut gignuntur ex moleſtiis aut ex voluptatibus. (*Moleſtiæ pariunt vitia, dum homines eas fugientes à præclaris actionibus abſtinent; voluptates, dum homines alliciunt ad res turpes faciendas, prout hæc ſuprà fuſius declarata ſunt.*) Vitia, quæ gignuntur à moleſtiis, magis præmiis; quæ à voluptatibus, magis pœnis emendantur. *Nam & medicorum hæc regula eſt, contraria contrariis curari. Unde fit, ut qui moleſtiis conjiciuntur in vitia, excitentur præmiis ad moleſtias ſuperandas; voluptatibus illecti ad turpia facienda deterreantur doloribus ſeu pœnis. Quamvis non ſit abſurdum, ſi præmia nihil operentur, præmiis pœnas jungere, quò ita ſub metu majoris moleſtiæ minorem ſubire eli-*

gant cives unà præmium ob minorem moleſtiam perlatam expectantes. Hæc cauſſa eſt, quare non æq; in timidos ac avaros & intemperantes pœnæ, contrà non æq; liberalibus ac temperantibus quàm fortibus præmia ſtatuta ſint: quamvis nonnunquam timidis, gregariis v.g. militibus pœna dictiretur, patibuli nim. niſi ſteterint in acie: ut ita quod ſpes præmiorum perficere nequit metus, pœnæ operetur.

7. Iis vitiis, quæ honeſtatem vel utilitatem eamque vel publicam vel privatam aliorum hominum lædunt & gignuntur à voluptatibus, regulariter pœnæ publicæ infligi ſolent & debent, ſi legislatores benè ſuo munere fungi velint. *Nam ejusmodi vitia morbi quaſi ſunt, quibus infelix redditur omnis ſocietas humana, & quia cauſſæ horum morborum voluptates exiſtunt, meritò contrariis, doloribus nim. curantur.*

8. Intemperantes veluti ſcortatores, ſtupratores, adulteri, polygami, inceſtus vel etiam ſodomitica peccata committentes publicis pœnis & hi quidem graviſſimis meritò afficiuntur. *Nam ſcortatores, ſodomitæ, inceſtuoſi, & quidem duo poſteriores potiſſimùm, graviſſimè lædunt honeſtatem publicam; ſtupratores præter publicam etiam privatam, honeſtarum ſcil. fœminarum; adulteri non modò publicam & privatam honeſtatem, ſed & utilitatem lædunt, dum amorem inter conjuges minuendo matrimonium infelix reddunt aut etiam ſuos liberos in alienam familiam nutriendos transferunt. Polygamia adulterium includit, & ita pari ratione lædit. Meritò itaq; in ejusmodi vitioſos homines omnis respubl. pœnas conſtituit ratione graduum fœditatis & boni quod læditur.*

9. Avaritia conſiſtens in accipiendo unde non debebatur variis etiam affici pœnis ſolet. *Nam præ cæteris vitiis hoc ad aliorum utilitatibus nocendum comparatum & cum injuſtitiâ particulari conjunctum eſt. Hoc vitio laborant fœneratores pravitatem uſurariam exercentes, fures, raptores, ſacrilegi, latrones, aſſaſini, lenones, meretrices & nonnulli ex falſariis.*

10. Iracundis quoque variæ pœnæ determinari legibus ſolent. *Nam iracundia ſuâ naturâ vitium eſt ad lædendos alios comparatum, & hoc laborant homicidæ, venefici, damnum injuriâ inferentes, incendiarii, lædentes majeſtatem vel divinam vel humanam. Quamvis non negem nonnulla horum criminum nonnunquam ex aliis vitiis vel etiam malis affectibus provenire. De quibus in ſeqq. dicendi locus erit.*

11. Injuſtitiam particularem ſemper comitari debet aliqua pœna magis autem vindicativa ſeu civilis quàm criminalis, ſi cum nullo alio vitio conjuncta, nec læſio talis ſit quæ nullâ pecuniâ æſtimari

mari queat. *Quicquid enim fit ex injuſtitia particulari, cum læſione alicujus boni externi conjunctum eſt, utpote cùm in hac ejus natura ſit poſita; & per conſequens aliquam correctionem admittit. Sed quia injuſtum illud, quod in læſione alicujus boni externi conſiſtit, non poteſt corrigi, niſi malum illatum æſtimari queat, coguntur legislatores tunc ad pœnam criminalem progredi, v.g. ſi privatus privatum verberet injuria æſtimari & ſolutione pecuniæ læſo à lædente factâ corrigi poteſt: at ſi princeps à plebejo percuſſus fuerit, ignominioſum princeps foret pecuniâ injuriam æſtimare velle, ſed hoc caſu neceſſariò ad pœnam criminalem procedendum eſt.*

12. Vitia, quibus ſocietates humanæ graviter læduntur, quæque inemendabilia ſunt, morte meritò punienda veniunt. *Nam homines hiſce vitiis laborantes perpetuam quandam in ſe habent malorum cauſſam, quæ non niſi horum morte tolli poteſt.*

13. Quò major vitioſitas eſt eò ſeverior & crudelior pœna mortis eſſe debet. *Nam decet Rempubl. publicè oſtendere odium ſuum in vitioſos & omnibus modis hoc agere, quò deterreantur homines ab extremâ vitioſitate.*

MEMBR. II.
DE FUNDAMENTIS MITIGANDI POENAS PETITIS A CONTEMPLATIONE CAUSSÆ MALORUM.

1. Cauſſæ facientes, ut recedatur ab ordinariis pœnis & vel extraordinariæ infligantur vel in totum ceſſet omnis pœna, peti poſſunt ex definitione pœnæ ordinariæ *Pr. huj.* cap. *num.* 2. traditâ. *Nam ſi pœna ordinaria propriè ea eſt, quæ conſtituitur in eum, qui cauſſa efficiens per ſe proxima & immediata malorum & injuſtorum mediante potentiâ horum activâ exiſtit: ſequitur ordinarias pœnas ceſſare, ſi quis reus delicti arguitur deprehendatur non eſſe cauſſa per ſe, ſed tantum per accidens; aut non proxima ſed remota, aut non mediante eâ potentiâ quæ malorum activa exiſtit.*

ARTIC. I.
DE CAUSSA INJUSTI PER ACCIDENS.

1. Cauſſa injuſti per accidens dicitur homo, quando principium injuſti vel mali non ipſi ſed alii cuidam ineſt, quod homini acci-

11. Præmii vox æquè ac vox pœnæ æquivoca eſt. *Aliud enim præmii genus correſpondet pœnæ crimanali, aliud civili.*

12. Præmium correſpondens pœnæ criminali eſt voluptas quædam conſequens virtuoſas actiones, quâ homines alliciuntur ad ſubeundas moleſtias cum quibus ſtudium virtutis conjunctum eſt. *Nam quemadmodum voluptatibus corporis alliciuntur homines ad mala agenda; ita moleſtiis à juſtis & præclaris actionibus deterrentur, v.g. moleſtum eſt mortem præſentem pro patriâ ſubire, it. penetrare in res obſcuras: ut homines haſce moleſtias non fugiant ſed ſubeant, conſtituta ſunt præmia conſiſtentia in voluptatibus ejusmodi quas homines perpendentes parvi faciunt moleſtias nec ſubire eaſdem verentur. Unde præmium in hac ſignificatione ſimile eſt medicinæ tollenti cauſſam peccatorum in omittendo conſiſtentium. (Moleſtiæ enim cauſſæ omiſſionis honeſtarum actionum exiſtunt.)*

13. Hoc genus præmii itidem nullam obſervat proportionem cum merito. *Nam quemadmodum pœnæ eousq; augendæ ſunt, donec ſufficientes ſint ad reſiſtendum corporis voluptatibus; ita præmia, donec homines perpendentes voluptates, in quibus præmia conſiſtunt, præſentes moleſtias virtutum gratiâ ſubeundas parvifaciant. Hoc pacto enim cauſſa peccati in omittendo conſiſtentis ſufficienter removebitur.*

14. Præmium correſpondens pœnæ vindicativæ eſt quid retribuendum in commutationibus iis quæ non ex pacto fiunt. *Nam non ſolemus id, quod in commutationibus ſpontaneis & in pactis conſiſtentibus v.g. emptione, venditione, locatione conductione retribuitur, præmium vocare. Quando verò quid retribuendum venit iis qui de patriâ benè meriti ſunt vel de amicis, hoc præmii nomine indigitatur. Ex quibus conſtat, nos præmium ritè definiviſſe.*

15. In hoc præmiorum genere quædam proportio communiter obſervatur. *Nam niſi in amicitiâ utili æqualium æqualia retribuantur, querelæ oriuntur. Quòd ſi intercedat inter nonnullos amicitia inæqualis & ſuperior inferiorem ita excedat, ut propemodum nulla remaneat proportio, præmii natura quodammodo exſpirat, diciturque quod retribuitur potius cultus, pietas, veneratio.*

16. *His ita præmiſſis nunc de gradibus pœnarum præmiorumque differemus, quæq; vitia potius præmiis quæ potius pœnis ſint corrigenda.*

ARTIC.

ARTIC. II.

DE

PRÆMIIS ET POENIS QUÆ A NATURA TRIBUUNTUR ET IRROGANTUR BONIS MALISVE CONSCIENTIA NIM. BONA ET MALA.

1. Conſcientia in genere eſt ſyllogiſmus quem facit intellectus practicus appetitum in homine dirigens oſtendens alicujus facti pulchritudinem vel turpitudinem.

2. Conſcientia eſt vel ante facta vel poſt facta. Ante facta conſcientia conſiſtit in ſyllogiſmo practico, qui exhibet appetitui turpitudinem quandam eorum ad quæ inordinato motu tendit. *Nam dum hanc turpitudinem intellectus repræſentat homini, deterret eundem à peccato, non aliter ac legislator graviſſima in delinquentes minitans ſupplicia.*

3. Conſcientia ante facta in vitioſis nullam habet vim. *Nam in vitioſis hominibus per vitium adeò corruptum eſt intellectûs judicium, ut per hoc homo non aliter judicet, quàm vitioſè vivendum eſſe. Intemperantes enim judicant ex hac propoſitione: Quicquid auget voluptates corporis faciendum eſt, non obſtante quòd ſit turpe.*

4. In iis qui nondum ſibi pararunt virtutes, nec dum tamen vitioſi ſunt, admodum debilis ſæpenumero eſt conſcientia ante facta. *Nam cùm ſuprà de incontinentibus ageremus, docebamus, ſæpè numero à nimio appetitu intellectum quaſi in ſomnum conjici, ut nullas vires præcipiendo edere poſſit: ſcientiam quippe incontinentium, dum appetitu ducti operantur, ibidem ſimilem eſſe diximus ſcientiæ quam geometra habet quando dormit.*

5. Conſcientia poſt facta vel bona vel mala eſt. Conſcientia mala eſt ſyllogiſmus practicus fœditatem commiſſorum ob oculos ponens.

6. Conſcientia mala peccatoribus loco pœnæ eſt. *Nam dum intellectus turpitudinem peccati repræſentat ſcinditur homo quaſi in partes & ratione ſui appetitûs inordinati ſeipſum odiſſe ſibique iraſci incipit. Unde oriuntur moleſtiæ. Nam moleſtia eſt perceptio malæ & naturæ non convenientis operationis. Talis autem perceptio oritur, quando quis malam habet conſcientiam. Eſt namq; diſconvenientia intellectûs & appetitûs præter naturam.*

7. Conſcientia mala in incontinentibus eſt quædam pœna corrigens & emendans peccantes. *Nam exſatiato in iis qui affecti-*

bus ſuperantur, appetitu, quaſi è ſomno excitati ad ſe redeunt & locum da nt intellectûs judicio, quod apud eos adhuc integrum eſt. Unde ſtatim turpitudine facti perpensâ naſcitur pœnitentia.

8. Conſcientia mala in vitioſis tandem excitata plerumque eosdem ad ſui interitum & perniciem rarò ad pœnitentiam ducit, ſimilisque eſt pœnæ, quâ vitioſi homines è medio tolluntur & exemplum aliis præbent. *Nam vitioſi judicio utentes corrupto non ſtatim poſt facta tormenta conſcientiæ ſentiunt, ſed tunc demum, quando tota ipſorum ſubſtantia vitiis eſt corrupta, (quemadmodum enim virtutes, utpote in medio poſitæ & rationi conformiter operantes, ſubjecta ſua conſervant; ita vitia deſtruunt eadem) ipſiq; animadvertunt, ſe vivere in odio apud Deum & homines. Hæc conſcientia in vitioſis excitat cruciatus & tormenta intolerabilia hominem ad ſui internecionem concitantia. Pertinet húc quod habet Tacit. 6. annal. cap. 6. in fin. quando ait :* non fruſtrà præſtantiſſimus ſapientiâ *(Plato)* firmare ſolitus eſt: ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe adſpici laniatus & ictus; quando ut corpora verberibus, ita ſævitiâ, libidine, malis conſultis animus dilaceretur. *Et mox laudatus autor ſubjicit:* quippe Tiberium non fortuna non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris ſuasque ipſe pœnas fateretur. *Ex quibus ſatis apparet, quomodo conſcientia mala in peccatoribus naturaliter pœna quædam ſit.*

9. Contrà conſcientia bona præmium quoddam bonis exiſtit, eſtque ſyllogiſmus practicus oſtendens congruentiam appetitûs cum rectâ ratione. *Nam ſuprà diximus præmium eſſe quid jucundum excitans homines ad tolerandas moleſtias. Eſt verò conſcientia bona jucundiſſima. Conſiſtit etenim in perceptione operationis quæ quàm maximè cum naturâ hominis congruit. Eſt ergò conſcientia bona præmium illud quod natura bonis hac in vitâ tribuit.*

10. Eſt porrò conſcientia alia recta, alia erronea, alia dubia. *Prout enim ſe habet intellectus ſyllogiſmum practicum conficiens, ita quoq; conſcientia. Intellectus autem vel certus eſt de ſtatuendis vel dubius vel erroneus. Verùm ſubtiliores circa hacce ſpeculationes cogimur Theologis relinquere.*

11. Ex hiſce patet, quæ in civitatibus circa pœnas præmiaque conſtituta ſunt naturam ipſam imitari. Quamvis propterea modus pœnarum præſertim criminalium ex jure naturæ deduci nequeat. *Nam pœnæ ſunt dolores: hi verò excitantur à privatione bonorum fortunæ quæ varia ſunt, nim. vita, valetudo, integritas partium corporis, libertas, honores, divitiæ conſiſtentes vel in rebus corporalibus vel in incorporalibus. Cujus autem boni privatio ob unumquodque vitium*

fieri

fieri debeat nulla ratione determinari poteſt. Legiſlatoris ergo arbitrio permittendum, pro modo dolorum infligendorum ſumere bona quibus privandi homines ſunt; quo in iisdem dolores concitent deterrentes homines à vitioſis actionibus.

CAP. II.

DE DELICTIS IN GENERE ET FUNDAMENTIS EX QUIBUS DE GRADIBUS POENARUM INFLIGI SOLITARUM JUDICIUM QUAM SUBTILISSIME FIERI POTEST.

1. Delictum in genere eſt omne factum quod meretur pœnam.

2. Omne delictum eſt vel privatum vel publicum; privatum eſt cui conſtituta eſt pœna vindicativa; publicum, cui criminalis. *Nam ita comparatum eſt in civitatibus, ut circa nonnulla delicta hoc magis agatur, quò læſis ſatisfiat & corrigatur injuſtum ex commutatione invitâ ſubortum; circa alia, ut magis emendetur & tollatur vitioſitas hominum.*

3. Quamvis verò omne delictum modò ut publicum modò ut privatum tractari queat: apud Romanos tamen quatuor hæc delicta erant privata, furtum, rapina, damnum injuriâ datum, & injuria. *Nam licet furtum & rapina ſint crimina deſcendentia ex vitio inemendabili, avaritiâ nim.; quia tamen in Republ. Romanâ, utpote bellicosâ, hæc vitia incaſſum exſtirpabantur, civibus per bella continuè geſta rapinis furtisq́, aſſvefactis & artem furandi latrocinandiq́, liberalibus annumerantibus: maluerunt ſubſiſtere in pœnâ vindicativâ & injuſtum ex invitâ commutatione ſubortum corrigere condemnando fures & raptores in reſtitutionem dupli, tripli, quadrupli ei, cujus ſecuritas domi publiceq́, læſa erat. Injuria & damnum injuriâ datum, quod ſatis perſpicuè in ſeqq. demonſtrabitur, ex injuſtitiâ particulari potiſſimum proveniunt, & non ex quodam alio vitio fœdo: ac proinde meritò, quod hæc concernit, ſubſiſtitur in aliquâ pœnâ quâ commutatio corrigitur.*

4. Tractatum de delictis privatis differentes ad eam partem noſtrorum elementorum, quâ de jure privato ex juſtitia correctivâ deſcendente dicturi ſumus, nunc fundamentis à naturâ cauſſarum petitis demonſtraturi ſumus rationes minuendi & augendi pœnas crimi-

criminales. *Quamvis enim nemo negaturus ſit, pœnas aggravandas minuendaſve ſecundum gradus malitiæ: & de principiis, ex quibus judicium faciendum ſit de malitiæ humanæ gradibus, cap. 5. præc. libr. ſufficienter dictum ſit; ut adeoque ibi tradita ſunt ad gradus pœnarum dignoſcendos ſufficere poſſe videantur. Quò tamen eò magis in noſtrâ ſcientia firmemur deprehendentes, ex quibus tandem principiis procedamus, omnia quæ inde demonſtrantur, congruere; etiam ex naturâ & differentiis affectionibusq́; cauſſarum ſpeculando procedentes rationes minuendi augendiq́; pœnas oſtenſuri ſumus. Et hæc contemplatio magis juridica erit ſuperiori.*

5. Videtur autem ſtudioſo Juris cognitio generum cauſſarum neceſſaria. *Nam ſuprà part. 1. tradidimus quid injuſtum per ſe & per accidens ſit nulla aliâ ratione ſciri poſſe, niſi cognitum fuerit, quid cauſſa per ſe & per accidens ſit. Deinde dictum eſt cap. 1. huj. libr. pœnam criminalem eſſe quandam quaſi medicinam: quemadmodum ergò nullus medicus ritè medicinam applicat, niſi cauſſâ morbi prius probè cognitâ, ita quoq́; cauſſa cujusq́; peccati probè prius explorari debet, antequam pœnæ irrogentur.*

6. Omnis ergò cauſſa vel per ſe vel per accidens eſt cauſſa: hæc rurſus duobus modis dicitur, vel quia cauſſæ per ſe quid accidit cui cauſſatio adſcribitur, *v.g. quando muſico accidit geometram eſſe, dicimus geometram canere, quaſi geometra cauſſa cantûs exiſtat: cùm tamen muſicus exiſtat*: vel quia quid accidit cauſſato per ſe, *v.g. quando faber lignarius conficit ædificium poſtea combuſtum, dicimus eum feciſſe quid quod combuſtum eſt, quaſi hujus cauſſa extitiſſet, cùm ejus cauſſa per ſe ſit, cui accidit combuſtum eſſe. Verùm de hiſce dictum eſt part. 1.*

7. Omnis porrò cauſſa vel proxima eſt & immediata vel remota. Proxima eſt inter quam & cauſſatum nulla alia interjecta eſt: Remota, quæ cauſſæ cauſſa eſt. *i. e.* quæ cauſſa eſt, ut aliud quiddam cauſſa fiat. *v.g. Titius eo in loco, quo iter fit, poſitum quid habet, quod ventus dejicit in caput prætereuntis liberi hominis inde morientis. Non poſſumus dicere, Titium eſſe cauſſam mortis proximam, quia ventus dejiciens cauſſa proxima eſt; ſed remotam, quia ut ventus cauſſa dejectionis fieret Titius cauſſa fuit ponendo quid eo in loco, unde dejici in caput liberi hominis poterat.*

8. Cauſſarum genera quatuor ſunt: materia, forma, efficiens & finis. *Nam omne id quo reſpondetur quærenti quamobrem res ſit, in unum ex hiſce quatuor modis incidit. Et præterea quicquid eſt, vel ex aliquo eſt vel ab aliquo vel alicujus gratia. Ex quo autem unumquodq́; eſt vel ſe habet ut ſubjectum, materia nim. quale quid ſunt elementa, partes,*

tes, ex quibus fit totum, propoſitiones ex quibus fit ratiocinatio; vel ut forma, totum nimirum, compoſitio, ſyllogiſmus. Id à quo unumquodque fit eſt id unde eſt motûs & quietis principium vocaturq; efficiens, v.g. medicus ſanitatis, conſultator actionum humanarum. Id cujus gratiâ unumquodq; fit finis vocatur, v.g. actiones humanæ felicitatis & boni ſive veri ſive apparentis gratiâ.

9. Cauſſa quæ in pœnis irrogandis attendenda venit eſt ea quæ vocatur efficiens. *Nam delinquere dicuntur homines quando operantur ſeu agunt: eſt autem omnis actio motus; isq; dicitur agere, cui motûs principium ineſt: efficientem autem vocamus eam cui ineſt motûs principium.*

10. Efficientium ea eſt proxima cauſſa, quæ ab hoc fine, ad quem præſens operatio tendit, eſt excitata; ea verò remota, quæ non à fine, quem tandem conſequitur operatio, excitata eſt ad operandum; ſed alteri cuidam rei tendenti ad illum finem, ut eum obtineat, ſeu illius cauſſa ſit, cauſſa eſt. *v.g. cujus cupiditas excitatur à lucro quod ſperatur, ut incipiat movere manum ad apprehendendam rem alterius, is injuſti hujus, quod ſuboritur dum dominus amittit rem ſuam, cauſſa proxima eſt. Nam cupiditas ejus velut principium operationis excitabatur ab hoc injuſto lucro tanquam fine, in quo etiam præſens iſta operatio ſubſiſtebat. At ponamus Titium noſſe, Sempronium eſſe furem &, ut furtum facere poſſit, hoſpitium deſiderare, promittereq; ſuam ſororem inſtrumentum libidinis Titio recipienti in diverſorium: non erit Titius furtorum quæ à Sempronio committuntur cauſſa proxima ſed remota; quia non excitata eſt ad operandum cupiditas Titii à lucro injuſto quod Sempronius intendit, ſed à voluptate qua ex coitu cum ſorore ejus percipitur, ut cauſſa exiſteret illius cauſſæ, à quâ tanquam proximâ injuſtum lucrum eſt cauſſatum, i. e. Sempronii furtum facientis.*

11. Cauſſa efficiens non eſt ſine potentiâ cùm activâ tum paſſivâ. *Niſi enim id, quod in efficiendo verſatur, potens ſit ad operandum; & objectum, circa quod actio verſatur, potens ad recipiendum; ad cauſſatum quod intenditur, non pervenietur.* Potentiam autem vocamus id ſecundum quod unumquodque potens dicitur.

12. Potentia activa eſt principium motûs aut tranſmutationis in altero vel prout alterum eſt. *Nam illud potens dicimus quod in ſe habet principium movens vel tranſmutans aliquid alterum aut quatenus à tranſmutato alterum eſt. (Sic anima humana movetur unà cum corpore de loco ad locum, ipſa principium motûs exiſtens quatenus eſt à moto corpore alterum; ſic medicus ſanat ſeipſum, non ut medicum ſed ut ſanabilem, & quatenus à ſe ſanabili eſt quiddam alterum medicus nim.)*

S Quæ

Quia ergò potentia eſt id, ſecundum quod aliquid potens dicitur; & unumquodque eatenus potens agendo habetur, quatenus in ſe habet principium motûs; ſequitur potentiam activam tale quid eſſe.

13. Potentia paſſiva eſt diſpoſitio principium exiſtens ei, cui ineſt, ad patiendum, ſeu recipiendum id cujus potentia activa principium eſt. *Nam potens ad patiendum dicimus hoc quod diſpoſitum eſt ad patiendum ſeu in ſe aliquod principium paſſionis habet.*

14. Potentia activa alia rationalis alia irrationalis eſt; Rationalis quædam potentia in homine cernitur, eſtque principium ita valens movere & mutare, quemadmodum dictitatur ipſi à facultate ratiocinante.

15. Harum potentiarum diverſæ ſunt vires. *Nam potentia irrationalis neceſſariò operatur, quando eò appropinquat, ut activum in paſſivum operari valeat: ſed rationalis non neceſſariò operatur, licet appropinquaverit paſſivæ potentiæ, & ita productiva eſt contrariorum non quidem ſimul, ſed prout appetitus vel proæreſis ſuperat. Nam appetitus humanus eſt quidem aptus natus ad parendum rationi, valet autem & ad reſiſtendum & inordinatè operandum; prout libr. 1. hujus part. tradidimus.*

16. Potentia ergò activa, quâ mediante homo eſt cauſſa efficiens juſti & injuſti productiva contrariorum eſt, nec neceſſariò idem ſemper operatur quando appropinquat potentiæ paſſivæ, ſed id quod principaliter appetit, ſeu quod prævalet in excitando appetitu, ſive ſit honeſtum ſive præſentem pariens voluptatem. *Nam contraria ſimul producere nulla potentia poteſt, nec etiam diſtinctis temporibus modò hoc modò illud, ſi planè eadem ſit & eodem modo diſpoſita. Hinc prout appetitus humanus diſpoſitus eſt, quando paſſivo vel receptivo appropinquat, ita operatur: diſponitur autem à mente vel à voluptatibus & moleſtiis præſentibus.*

17. Potentia porrò alia eſt connata alia parata. Connata eſt quæ cuique à ſolâ naturâ tribuitur, & propterea à primo ortu ineſſe ſolet. *Ita v. g. potentia videndi, audiendi, olfaciendi cuilibet homini à primo ortu in ſt velut à naturâ data.*

18. Potentia quæ non connata eſt paratur vel aſſvefactione vel doctrinâ, & pro hac parandâ convenit ea operari quæ hac inſtructi operantur. *Ita v. g. ars pugillatoria, quâ quis potens eſt ſuum corpus defendere vel etiam adverſarium ſuperare, eſt potentia quædam quæ partim doctrinâ partim adſvefactione paratur: & ut hanc artem adipiſcaris, oportet te facere ea, quæ arte pugillatoriâ inſtructi operantur: talia namq; ſæpè reiterando potentia hæc activa i. e. ars pugillatoria acquiritur.*

19. Po-

19. Potentia, quâ mediante homo juſtorum & injuſtorum, bonorum & malorum cauſſa efficiens exiſtit, paratur quidem adſvefactione & doctrinâ; ita tamen homo naturâ comparatus eſſe videtur, ut habilior ſit ad potentiam malorum & injuſtorum quàm juſtorum & bonorum adſvefactione acquirendam. *Virtutes enim quibus bona & juſta, vitiaq́, quibus mala & injuſta homines agere potentes ſunt, non à nativitate inſunt, ſed cum tempore & crebris actionibus parantur. Et quorſum pertingerent præmia & pœnæ omnesq́, leges in civitatibus, ſi à naturâ ineſſent? Imò videtur totum hoc, ut quis improbus aut bonus evadat, in adſvefactione & crebris operationibus quas quisq́, à teneris inſtituit, poſitum eſſe. Sed quia quemq́, hominem ſibi relictum tendere ad vitia adſvefaciendo ſeipſum, ad virtutes non niſi multo labore trahi deprehendimus; apparet quemq́, naturâ ad vitia magis propenſum eſſe. Unde verò hoc? natura enim nihil tale videtur ita producere, ut propendeat magis ad efficiendum id quod pernicioſum eſt. Hic jubet Plato quieſcere: ſcriptura autem ſacra hujus rei cauſſas exquiſitè tradit, quas interpretando docere ad Theologos ſpectat.*

20. Hæc ratio eſt, quare maxima hominum vita pugna quædam ſit, & juvenes ſatis potentiæ circa bona & juſta habere, ſi ſibi acquiſiverint potentiam reſiſtendi tantùm. *Nam nititur à teneris appetitus voluptatibus præſentibus ductus rectam rationem de ſede dejicere & ſibi imperium in eandem ſumere: ut adeò ſatis benè militare adverſus hunc videatur, qui potentiâ reſiſtendi inſtructus non patitur rationem vinci.*

21. Potentiæ quædam privatio eſt impotentia: & per conſequens tot modis dicitur, quot potentia.

CAP. III.

DE GRADIBUS POENARUM.

1. Omnes pœnæ vel ordinariæ ſunt vel extraordinariæ, & hæ vel ordinariis graviores vel leviores. *Id per experientiam & lectionem obſervationum à practicis, quorum in numero principem locum hodiè Benedictus Carpzovius obtinet, collectarum, addiſcere poſſumus. Et in hoc ſolent conſuli JCti, an pœna ordinaria augenda vel minuenda ſit.*

2. Pœnæ ordinariæ ſunt eæ quæ legibus conſtituuntur in homines qui cauſſa per ſe, efficiens, proxima ſeu immediata malo-

rum & injuſtorum mediante potentiâ horum activâ exiſtunt. *Nam qualis medicina malis adhibenda ſit primùm omnium circa perfectam cauſſam ſpectandum eſt. Quo verò cauſſa perfecta ſit, requiritur* 1. *ut ſit per ſe. Nam cauſſa per accidens ne quidem cauſſa eſt, cum ipſa nihil cauſſet, ſed accidens potius.* 2. *ut ſit proxima & immediata. Nam cauſſa remota cauſſatum non attingit, ſed cauſſæ cauſſati cauſſa eſt. Et quia in cauſſis malorum quæritur efficiens; hæc verò non cauſſat ſine potentiâ quâdam activâ, meritò ad perfectam injuſtorum & malorum cauſſam requiritur.* 3. *potentia quædam malorum activa.*

3. Potentia malorum & injuſtorum activa abſoluta & perfecta eſt vitioſitas. *Nam qui judicium intellectûs adhuc integrum habentes affectu quodam vincuntur nondum poſſunt dici potentiâ malorum activâ inſtructi: eſt enim judicium intellectûs apud eosdem adhuc integrum: hoc verò eſt quædam potentia bonorum activa. Quandò verò eò perventum eſt, ut nec judicium intellectûs practici amplius integrùm exiſtat, quod contingit quando homo crebris malis actionibus ſibi habitum malum ſeu vitium paravit, (vitioſi enim quæ reverà mala ſunt bona judicant) hominem potentiâ malorum activâ inſtructum dicere poſſumus. Unde patet, potentiam activam, quâ homo inſtructus malorum & injuſtorum efficiens eſt, nihil aliud eſſe quàm animi vitioſitatem.*

MEMBR: I.
DE
VITIIS QUÆ PUNIRI SOLENT IN CIVITATIBUS.

1. Sunt nonnulli vitioſi qui nullas publicas patiuntur pœnas, quales ſunt qui ſuis vitiis nec honeſtatem nec utilitatem ſeu publicam ſeu privatam lædunt. *Nam à quibus vitiis nihil mali ſentit ſocietas humana, adverſus eadem nec medicinam adhibere ſtudet: quemadmodum nec morborum partium corporis humani cura habetur, ſi nec totum corpus nec reliquas corporis partes malè afficiunt, nec operationes ipſarum impediunt.*

2. Prodigalitatis vitium non ſolet puniri. *Nam prodigus potius ſeipſum lædit & dum peccat, ſe punit, aliis non nocet imo utilis exiſtit. Hinc jura Romana eos potius miſericordiâ dignos eſſe cenſent, & ne ſuo vitio pereant, curatores iisdem addunt, donec cum ætate ad meliorem frugem redeant.*

3. Nec deprehendes, leges punire eos qui contra magnificentiam vel magnanimitatem peccant. *Nam & hi neminem lædunt,*

ſed.

ſed hoc tantùm agunt, ut pro ſtolidis habeantur, ſuperbus verò & odium hominum ſibi comparat, quod iisdem loco pœnæ ſufficere poteſt. Qui demiſſo animo eſt & contra magnanimitatem in defectu peccat ſatis per hoc punitur, quòd in contemptu hominum eſt.

4. Contra modeſtiam peccantes & quidem in exceſſu, ambitioſi nim. puniri ſolent, quatenus aliqua læſio ad Remp. ab iisdem pertingit, non itidem honorum contemptores. *Nam ambitioſi quò emergant, aliorum plerumq; digniorum honores ſupprimunt & jus eligendi habentes corrumpunt.*

5. Nimia lenitas, adulatio, moroſitas, arrogantia, diſſimulatio, ſcurrilitas, inſulſitas publicas nullas patiuntur pœnas. *Nam nimia lenitas ex ſe nemini nocet niſi ipſi habenti: fit enim homo ſervilis & contemptui ſubjectus. Adulatio itidem ſerviles reddit adulatores, quo fit, ut ſibi ipſis pœnæ ſint. Et quamvis in tyrannidibus ſæpè graviſſimis pœnis extincto tyranno afficiantur, fit tamen hoc non eq; propter adulationem, ſed propter falſi crimen quod ex injuſtitia particulari provenit, quando ut placerent tyranno commenti ſunt crimina in innocentes eosq; detulerunt. Moroſitate nullum præterquam jucundum bonum læditur; quia moroſi ſuis temerariis contradictionibus omnibus aliis moleſti ſunt, & hoc ipſo in ſeſe concitant hominum odia, quibus ſibi ipſis pœnas inferunt. Arrogantes hominibꝯ graves ſunt & intolerabiles, lædunt tantùm jucundum bonum habenturq; pro nugatoribus. Diſſimulatores quàm proximè ad veracitatem accedere videntur nullius bonum lædendo. Scurræ ut aliis jucundi ſint, ſeipſos ratione honeſtatis lædunt. Inſulſi faciunt, ut nemo converſatione eosdem dignos judicet. Cùm ergò hi omnes nec quod publicè nec quod aliis privatim honeſtum aut utile eſt lædant, ſed ad ſummum moleſti ſint, nec publicâ aliquâ pœnâ afficiuntur. Ridiculum enim eſſet punire eum qui aliis jucundus non eſt; quia malum, quod in moleſtiâ ab hiſce vitioſis natâ conſiſtit, evitari poteſt fugiendo converſationem eorundem.*

6. Vitia quibus læditur honeſtas vel utilitas eaq; vel publica vel privata aliorum, aut gignuntur ex moleſtiis aut ex voluptatibus. (*Moleſtiæ pariunt vitia, dum homines eas fugientes à præclaris actionibus abſtinent; voluptates, dum homines alliciunt ad res turpes faciendas, prout hæc ſuprà fuſius declarata ſunt.*) Vitia, quæ gignuntur à moleſtiis, magis præmiis; quæ à voluptatibus, magis pœnis emendantur. *Nam & medicorum hæc regula eſt, contraria contrariis curari. Unde fit, ut qui moleſtiis conjiciuntur in vitia, excitentur præmiis ad moleſtias ſuperandas; voluptatibus illecti ad turpia facienda deterreantur doloribus ſeu pœnis. Quamvis non ſit abſurdum, ſi præmia nihil operentur, præmiis pœnas jungere, quò iti ſub metu majoris moleſtiæ minorem ſubire eli-*

mari queat. *Quicquid enim fit ex injuſtitia particulari, cum læſione alicujus boni externi conjunctum eſt, utpote cùm in hac ejus natura ſit poſita; & per conſequens aliquam correctionem admittit. Sed quia injuſtum illud, quod in læſione alicujus boni externi conſiſtit, non poteſt corrigi, niſi malum illatum æſtimari queat, coguntur legislatores tunc ad pœnam criminalem progredi, v. g. ſi privatus privatum verberet injuria æſtimari & ſolutione pecuniæ læſo à lædente factâ corrigi poteſt: at ſi princeps à plebejo percuſſus fuerit, ignominioſum principi foret pecuniâ injuriam æſtimare velle, ſed hoc caſu neceſſariò ad pœnam criminalem procedendum eſt.*

12. Vitia, quibus ſocietates humanæ graviter læduntur, quæque inemendabilia ſunt, morte meritò punienda veniunt. *Nam homines hiſce vitiis laborantes perpetuam quandam in ſe habent malorum cauſſam, quæ non niſi horum morte tolli poteſt.*

13. Quò major vitioſitas eſt eò ſeverior & crudelior pœna mortis eſſe debet. *Nam decet Rempubl. publicè oſtendere odium ſuum in vitioſos & omnibus modis hoc agere, quò deterreantur homines ab extremâ vitioſitate.*

MEMBR. II. DE FUNDAMENTIS MITIGANDI POENAS PETITIS A CONTEMPLATIONE CAUSSÆ MALORUM.

1. Cauſſæ facientes, ut recedatur ab ordinariis pœnis & vel extraordinariæ infligantur vel in totum ceſſet omnis pœna, peti poſſunt ex definitione pœnæ ordinariæ *Pr. huj.* cap. *num.* 2. traditâ. *Nam ſi pœna ordinaria propriè ea eſt, quæ conſtituitur in eum, qui cauſſa efficiens per ſe proxima & immediata malorum & injuſtorum mediante potentiâ horum activâ exiſtit: ſequitur ordinarias pœnas ceſſare, ſi qui reus delicti arguitur deprehendatur non eſſe cauſſa per ſe, ſed tantum per accidens; aut non proxima ſed remota, aut non mediante eâ potentiâ quæ malorum activa exiſtit.*

ARTIC. I. DE CAUSSA INJUSTI PER ACCIDENS.

1. Cauſſa injuſti per accidens dicitur homo, quando principium injuſti vel mali non ipſi ſed alii cuidam ineſt, quod homini acci-

accidit; vel ei, cujus cauſſa proxima homo eſt, quid contingit cujus nec cauſſa remota exiſtit. *Id enim manifeſtum fit ex iis quæ cap. 2. n. 6. huj. libr. diſſeruimus.*

2. Homo cauſſa injuſti per accidens ab omni planè pœna liber eſt. *Nam cauſſa per accidens non magis cauſſa eſt quàm domus combuſta eſt domus; cui enim nihil principii ineſt, is nullo modo cauſſa efficiens dici poteſt: conſiſtit quippe cauſſæ efficientis natura in hoc, quod in ſe contineat principium motûs.*

3. Cauſſam injuſti per accidens reddunt hominem ſimplex neceſſitas & infortunium. *Nam quò homo cauſſa per accidens dicatur, neceſſe eſt aut quid homini accidere vel hominem ei accidere quod cauſſa per ſe eſt, aut quid accidere ei quod ab homine per ſe cauſſatum eſt, cujus tamen accidentis cauſſa remota non exiſtat. Nihil autem accidere homini poteſt, quod ſolum principium motûs exiſtere poſſit, i. e. ita ut homo nihil conferat, quàm ſimplex neceſſitas & mera vis. Nam ubi non mera vis & abſoluta neceſſitas eſt, relinquitur aliquid homini cujus & is principium exiſtat, quo caſu homo tanquam cauſſa per ſe concurrit. v. g. ſi tyrannus præcipiat, moriendum eſſe aut turpiter vivendum, & cives præeligant turpem vitam: non eſt ſimplex neceſſitas, nec actionum turpium illi cauſſa per accidens dici poſſunt; ſed eligendo hoc faciunt, quando tyranno talia præcipienti velut principium concurrunt. Unde conſtat meram & ſimplicem requiri neceſſitatem, quò homo cauſſa per accidens alicujus injuſti dici mereatur. Quando ei, quod per ſe ab homine cauſſatum eſt, quid accidit, tunc id vel prævideri potuit ab homine vel non; ſi potuit prævideri homo cauſſa remota exiſtit: cauſſa namq; cauſſæ eſt. v. g. paterfam. parat ſibi focum prope horreum, in quo reconditum eſt ſtramen prævidens contingere poſſe, ut ventus aliquid ignis conjiciat in ſtramen & inde naſcatur incendium; hic incendii ſuborti non cauſſa per accidens ſed potius remota eſt. Nam dum prævidens tale quippiam, ignem nihilominus eo in loco præparat, exiſtit principium ejus quod in ſe habet potentiam paſſivam recipiendi motum à vento, exiſtitq; cauſſa ut ventus velut principium motûs cauſſetur incendium, & ita cauſſa cauſſæ ſeu cauſſa remota eſt. Unde patet quò homo mereatur dici cauſſa injuſti per accidens debere ipſius cauſſato quid accidere quod prævideri non potuit, i. e. per merum infortunium. Quâ de cauſâ etiam ſuperius diximus, non ab omni reprehenſione immunes eſſe, qui non ex ſimplici neceſſitate vel mero infortunio quid producunt quod injuſtum eſt.*

ARTIC.

ARTIC. II.

DE CAUSSA REMOTA INJUSTI.

1. Cauſſam remotam injuſti illum hominem dicimus, cui ineſt principium ejus, quod cauſſa injuſti eſt, non tamen excitatum ab eo quod cauſſa cauſſata cauſſat. *Nam ſi cauſſa cauſſæ excitata ſit ad operandum à cauſſatæ cauſſæ effectu, non eſt cauſſa efficiens remota ſed proxima. Id quod manifeſtum eſt ex tradd. cap. præc. 2. n. 10.*

2. Mandans delictum non cauſſa remota ſed proxima eſt & propterea æquè ac ipſe delinquens punitur. *Nam mandans, licet mandatarium conſtituat & ita cauſſa cauſſæ delinquentis adeoq; remota potius videatur, proxima tamen eſt, quia principium in mandante excitatum eſt ab eo quod mandatarius tanquam cauſſa cauſſata produxit. Unde nata eſt regula: Quod quis per alium facit ipſe feciſſe putatur.* Par eſt ratio in concurrente, & in ipſo delicto auxilium ferente; *quia & in eo eſt principium mali ab hoc excitatum & ad hoc tendens.*

3. Homo cauſſa remota injuſti non poteſt ordinariâ pœnâ affici. *Nam in infligendis ordinariis pœnis inſpicitur ſemper principium motûs quale ſit, & hoc cognoſcitur ex fine à quo excitatur ad movendum & operandum: cùm ergò principium motûs in cauſſâ remotâ non excitetur ab eo quod ultimo cauſſatum eſt, aliàs enim, ut modò dictum, cauſſa proxima exiſteret: neceſſe eſt in cauſſâ remotâ ſemper aliud eſſe principium motûs quàm in delictis quæ merentur ordinariam pœnam: & per conſequens aliam etiam nec ordinariam pœnam locum habere. v. g. dominus miniſtrum ſuum punire volens jubet eum eſurire, ſed miniſter fame concitatus furatur: dico dominum ordinariâ furti pœnâ affici non poſſe propterea, quòd non cauſſa furti proxima ſed remota ſit. Nam finis excitans in domino principium motûs non eſt lucrum ex re alterius, ſed emendatio ſervi: ſed dum operatur dominus tendendo ad ſuum finem cauſſa eſt cauſſæ furti: fames namq; quâ affligit miniſtrum, excitat in eodem potentiam mali activam, ut furetur rem alterius.*

4. Fit autem quid cauſſa remota vel cauſſa cauſſæ efficientis duobus modis, vel excitando in agente potentiam activam vel in patiente potentiam paſſivam. *v. g. ejiciens è feneſtrâ ſordes incidentes in caput alterius hujus facti vel proxima vel remota cauſſa eſt: proxima, ſi principium motûs in ipſo excitatur læſione capitis, quam fortaſſe ut vindictam appetit; remota, quando principium motûs excitatur ab hoc ut purgatum & nitidum ſit pavimentum: in nullo alioquin peccatum ejus conſiſtit, quàm, quòd in ſe habeat principium cauſſæ injuſti, dum in*

cauſa ſordibus nimirum excitat potentiam activam qua ſordes deorſum motæ in caput prætereuntis incidere poſſunt. Et ita patet quomodo homo fiat cauſſa remota injuſti faciendo ut potentia activa operetur. Quo pacto præparando potentiam paſſivam quis cauſſa remota exiſtat, ex ſequenti exemplo addiſci poteſt: Titius in alto quid repoſitum habet ita, ut vento in viam publicam dejici queat, quod & fit incidit q; dejectum in caput prætereuntis: dico, hunc cauſſam remotam injuſti eſſe: neque enim ut eo in loco rem reponeret motus fuit ab hoc fine, quò ſcil. incideret in caput prætereuntis, ſed fortaſſe, ut expoſitum ſoli areſieret: ſed dum hoc fecit, indidit ipſi potentiam paſſivam, ut vento agitari & dejici poſſet: & hoc pacto cauſſa cauſſæ exſtitit. Quare verò duobus hiſce modis quis cauſſa cauſſæ fiat, patet ex iis quæ diximus præced. cap. num. 11. cauſſam efficientem non eſſe ſine potentiâ activâ & paſſivâ.

5. Peccata, quorum cauſſa eſt negligentia & culpoſa delicta vocantur, ab homine velut cauſsâ remotâ proveniunt. *Nam inſtructum eſſe potentiâ agendi bona, negligere tamen & negligendo peccare, nihil aliud eſt quàm admittere ut quiddam mali cauſſa exiſtat & ita cauſſam cauſſæ eſſe.* Quâ de cauſsâ etiam peccata in omiſſione conſiſtentia mitius quàm peccata commiſsionis puniri ſolent. Et hæc porrò ratio eſt, quare homines peccata commiſsionis ſub ſpecie peccatorum omiſsionis perpetrare ſoleant, utpote exiſtimantes, ſe hoc pacto pœnam ordinariam effugere poſſe.

6. Cauſſæ peccatorum remotæ exiſtunt qui ex ebrietate nimiâ & omnem uſum rationis tollente delinquunt. *Nam hi ſcientes & prudentes inebriati ſuæ ebrietatis cauſſa ſunt, ebrietas malorum quæ committuntur ab iisdem ignorantibus.* Quâ ratione fit, ut pœna iis infligenda ſit, quatenus cauſſa exiſtunt ejus quod cauſſa malorum eſt. *Ceterùm, quia gradus ebrietatis ſunt, daturq; ebrietas quædam non privans hominem omni judicio intellectûs, ſed excitans tantummodo vehementiores affectus, quibus non æq; ac iis, quos ſobrii patiuntur homines, reſiſti poteſt: non quidem ejuſmodi ebrietas facit, ut homo pro cauſsâ remotâ habeatur: ipſe enim ſciens quid rerum agatur cauſſa proxima exiſtit eorum quæ fiunt: ſed aliud tunc eſt fundamentum aliquid de pœnâ remittendi, vehementia nim. affectûs & potentia mali activa imperfecta; utpote in ebrio tantùm non ſobrio deprehenſa.*

7. Cauſſis efficientibus delictorum remotis etiam annumerantur qui conſiliis & perſvaſionibus occaſionem delictis præbent. *v. g. qui indicant furibus loca rei auferendæ, non ut de furto participent, ſed alias ob cauſſas. Nam & hi cauſſa ſunt ut alii cauſſa injuſti per furtum exiſtant.*

8. Si-

8. Similiter & pro cauſſis remotis habendi qui poſt delictum concurrunt non pari cum delinquentibus intentione. *v. g. receptatores furum, quiq; res furtivas ſcientes emunt aut vendunt, aut fugientibus delinquentibus ſubveniunt. Nam ejusmodi homines cauſſa exiſtunt, ut fures & cæteri delinquentes ſuas vitioſas actiones porrò tractare valeant, à quibus aliàs abſtinere cogerentur.*

9. Quousque verò ab ordinariis pœnis in culpoſis delictis recedendum, difficile eſt determinare. *Nam & culparum gradus tres faciunt JCti dividentes culpam omnem in latam, levem, & leviſſimam, quarum terminos exactè noſſe difficile eſt & vix poſſibile videtur.* Omnes tamen pœnæ eò videntur tendere in culpoſis delictis, quò delinquentes impoſterum diſcant cautius in omnibus ſuis operationibus verſari, & ne cauſſæ ſint ut cauſſæ malorum exiſtant. *Nam principium peccatorum ejusmodi in hoc conſiſtit, quòd homines fugientes moleſtias, cum quibus id conjunctum eſt, non obſervent minimas etiam ſuarum operationum circumſtantias, nec ſatis examinent aut curent, quorum malorum cauſſæ eſſe queant. Unde gignitur quiddam vitioſitati ſimile, ſi adſuefactio accedat, nim.* incuria.

ARTIC. III.
DE IIS QUÆ FIUNT EX POTENTIA CONNATA.

1. *Diximus ſuprà, potentias quibus mediantibus homines cauſſæ efficientes exiſtunt variorum, quæ ab ipſis fiunt, alias connatas eſſe, alias paratas ſeu acquiſitas. Quapropter harum differentias ponderaturi initium à connatis faciemus.*

2. Potentiæ connatæ hominibus duorum generum eſſe videntur; aliæ juſti injuſtive productivæ, aliæ eorum, quibus nec juſtum nec injuſtum ineſt. *Nam facultas nutritiva & ſenſitiva quà talis nullius juſti vel injuſti effectiva eſt; ſed appetitiva, & quidem quatenus in homine apta nata eſt audire rationem vel eidem repugnare & à præſcriptis exorbitare, juſti injuſtive effectrix eſt.*

3. Quicquid ex potentiâ innatâ nullius injuſti productivâ provenit pœnis obnoxium eſſe nequit. *Nam ejusmodi potentia corrigendæ legiſlatores nullam curam impendunt, ſed ſi quid minus benè ab his fiat, quod emendabile exiſtat, medicis committunt. v. g. ſi ſtomachus non concoquat cibum vel epar generet vitioſum ſangvinem, id nullâ pœnâ emendari poteſt.*

 4. De

4. De potentiâ connatâ injuſtorum effectivâ dubitari poteſt an pœnis coërcenda ſit. *Dari namq́ talem potentiam vel exinde conſtat, quòd quemadmodum virtutum, ita & vitiorum igniculos & ſeminaria hominibus natura indere videatur: fortes quippe ex fortibus & bonis, ignavos ex ignavis creari deprehendimus. Quid ergo? an impuniti eſſe debent qui naturâ ad furta proclives furta faciunt an pœnis coercendi? Sanè ſolent ejuſmodi homines naturam accuſare opinantes magnam ſibi fieri injuriam, ſi pœnas dare cogantur ob hoc quod in iisdem natura operatur. Contrà ſi in hoſce non animadvertatur tota peribit civitas. Haud ergò facile exiſtimandum eſt hac in re quid determinare & ſtatuere. Nos in hac paulò ſubtilius inquiſituri ſumus.*

5. Duæ ſunt facultates ſeu potentiæ connatæ quibus accedens adſvefactio & diſciplina homines vitioſos vel virtuoſos reddit, nim. 1. propenſio vel inclinatio ad appetendum hoc vel illud, & 2. ſagacitas quædam ingenii hominem aptum reddens ad invenienda media ad ſcopum & propoſitum obtinendum conducentia. *Deprehendimus namque, homines à pueris ſtatim ex hiſce vel illis vitioſis operationibus delectationem ſeu voluptatem percipere: adeoq́ in iis quid eſſe quod ad talia vel talia agenda eos concitat: ex quibus autẽ unusquisq́ naturaliter voluptatem capit, ad ea etiam agenda naturaliter propendet. Nam diximus ſuperius voluptatem eſſe quiddam perficiens humanas operationes faciensq́, ut homines hiſce inhæreant, ex quibus naturâ ſuâ voluptatem percipiunt. Apparet & hoc, homines alios celeriter reperire poſſe media conducentia ad ſuum propoſitum, alios non item; illosq́ proinde ad agendum aptiores eſſe quàm hi ſunt: quemadmodum nonnulli homines naturali quâdam ſagacitate inſtructi ad conjiciendas cauſſas aptiores ad philoſophiam ſunt cæteris ejuſmodi ſagacitatem non habentibus.*

6. Propenſio ſeu inclinatio naturalis ſtatim ſe exſerit, & quamdiu ſola ita adeſt, nullam meretur pœnam publicam vel criminalem. *Nam hæc potentia, quamdiu ſola eſt, operatur in hominibus non aliter ac appetitus in beſtiis: ut adeò quæ ab hac potentiâ eduntur operationes pro humanis reputandæ non ſint & per conſequens nec juſti nec injuſti capaces exiſtant, niſi per accidens.*

7. Sed quando incipit ſeſe exſerere intellectus judiciumque de bono & malo, & homo cum ætate capax redditur diſciplinæ, alteraque potentia naturalis, nim. facultas eligendi media ad propoſitum finem conducentia; malitia & bonitas in homine incipit, conſequiturque inclinatio & propenſio plus virium ad operandum. *Nam exſerentibus ſe operationibus intellectûs, appetitus, quatenus*

nus humanus eſt, i. e. junctam rationem habet, operari incipit, fiuntq; operationes, quæ eduntur, humanæ, juſtiq; & injuſti capaces. Facultas autem, quâ media eliguntur ad propoſitum unumquodq; ducentia, vires tribuunt appetitui, ut unumquodq; quò tendit conſequi poſſit. Quò ipſo fit, ut homines propenſi ad mala ſed ſibi relicti nec diſciplinâ emendati deteriores ſint beſtiis. *Nam facultate ad invenienda media armati plus virium habent tendendi eò quò appetitus concupiſcibilis vel iraſcibilis ducit.*

8. Infantes ergò nullâ pœnâ criminali affici poſſunt, ſed beſtiarum in modum retrahendi ſunt ab appetendo eo quod non debebant. *Nam in infantibus nullum judicium de bono & malo deprehenditur, nec facultas eligendi media quicquam virium appetitui eorundem addit.*

9. Impuberes, qui pubertati proximi ſunt, regulariter quidem pœnis criminalibus non ſunt ſubjiciendi, ſed alio modo & quidem leviter caſtigandi: quamvis nonnunquam & pœnis criminalibus iisque ordinariis affici ſoleant. *Id quomodo & quâ de cauſſâ fiat, declarandum eſt nim. in impuberibus, quando pubertati proximi ſunt deprehenditur intellectus aliquid operari, ut quid bonum quid malum ſit ab aliis doceri queant; ſed quia hoc admodum debile eſt, & facultas inquirendi media ducentia ad propoſitum etiam parùm adhuc apparet, pro vitioſis hominibus haberi nequeunt. In nonnullis tamen ſed raro contingit, ut licet intelligant malum eſſe quod appetunt, nolint tamen abſtinere, ſed benè monentibus refractariè reſiſtant, & ad quælibet invenienda, quibus malum, quod intendunt, obtineant ſatis jam callidi deprehendantur. De hiſce non dubitandum eſt, quin, cùm nimis maturè vitium contraxerint, pœnis publicis ſubjici poſſint. Hæc cauſſa eſt, quare JCti dicant, in nonnullis impuberibus malitiam prævenire ætatem.*

10. Dementes nullis ordinariis publicisque pœnis affici debent. *Nam cùm in hiſce nullum judicium intellectûs nulla itidem calliditas quæ naturali inclinationi & propenſioni accedens virtuoſos vel vitioſos efficit, deprehendatur, infantibus ſimiles exiſtunt, & more beſtiarum operantur, taliq; proinde modo, quo beſtiæ vel infantes, coërcendi.*

11. Adoleſcentes puberes itidem aliquid naturale habent, ob quod remiſſio ordinariæ pœnæ fieri poteſt. *Nam intellectu jam operante & dictante vel per diſciplinam apprehendere valente, quid bonum, malum, juſtum, injuſtum ſit, contingit hominem vel contumaciter reſiſtere iis quæ ratio præcipit, & adhibitâ calliditate mala & injuſta operari, vel audire rationem: illud quando fit, ſtatim in adoleſcentiâ vitium contrahitur: & tunc ab ordinariis publicisq; pœnis non abeundum eſt. Quod ſi ve-*

ſi verò adoleſcens audiat rationem; tanta tamen naturaliter propter abundantiam coloris vehementia affectuum eſt, ut ſæpè numero impar exiſtat iisdem cohibendis. Quicquid ergò ex aliquo vehementi affectu fit, cui adoleſcens reſiſtere ſatis virium non habet, id ordinariam pœnam mereri nequit.

12. Potentia malorum activa naturalis varia eſt ratione temperamentorum. *Multum namq; virium habet in iis qui calore & ſpiritibus abundant: hiſce enim velut inſtrumentis appetitum impellere & corpus organicum movere ſuperius tradidimus.*

13. Quibus ineſt acris vel acuta bilis, iis meritò quid condonatur pro ratione acrimoniæ. *Nam hiſce vel feſtinatio nimia ineſt vel vehementia, ut adeò intellectu ſubvenire nequeant, & per conſequens magis ex connatâ potentiâ, quàm acquiſitâ & cujus ipſi cauſſa ſunt, operentur. Manet enim potentia in homine connata, cui homo intellectu ſubvenire nequit.* Hinc melancholicis parci ſolet pro gradibus melancholiæ.

ARTIC: IV.
DE
POTENTIA MALI ACTIVA IMPERFECTA.

1. Potentia mali imperfecta eſt ea, cui aliquid vitioſitatis deeſt. *Nam potentia mali activa eſt vitioſitas; imperfectum autem illud eſt, cui aliquid eſſentiæ deeſt. Quare imperfecta potentia mali erit cui aliquid quod de eſſentiâ vitioſitatis eſt deeſt.*

2. Imperfectam mali potentiam eam dicere poſſumus, quæ ineſt hominibus ex affectu quodam peccantibus. *Nam perfecta potentia eſt vitioſitas conſiſtens in corrupto intellectûs judicio: at qui ex affectu quodam peccant ſolent habere judicium intellectûs adhuc integrum: ſuperius namq; docuimus, hanc eſſe appetitûs vim, ut ſuis affectibus hominem quaſi in torporem conjicere valeat, ne ille intellectûs judicium, quod integrum adhuc habet, audire poſſit.*

3. Non tamen omnes ex affectu quodam operantes ſimiliter peccare videntur. *Nam ſuprà, cùm de affectibus humanis ageremus, tradidimus tria eſſe genera affectuum; alios nim. eſſe ſuâ naturâ bonos, alios malos, alios neutros, ſed ſuam bonitatem vel malitiam à non obſervatâ in his mediocritate conſequi.*

4. Eos, qui ex affectu ſuâ naturâ malo operantur, vix à perfectam mali potentiam habentibus diſtinxeris. *Nam affectus malus eſt principium perfectè malum, quod redditur imperfectum accedente emenda-*

emendatione quâdam quam facit judicium intellectûs: an autem in peccante ex malo affectu prius reſtiterit judicium intellectûs & ſuperatum ſit vel præventum feſtinatione quâdam, difficile oppidò eſt in peccantibus perſpicere.

5. Hinc deducimus, omne id quod ex malo affectu cum conſilio fit, æquè ordinariam mereri pœnam, ac quod fit ex vitioſitate. *v.g. qui ductus invidiâ vicini ædes incendit æq; ordinariâ pœnâ afficiendus, ac qui ex iracundiâ id committit. Nam in eo, qui malo affectui inhæret adhibens proæreſin & conſilium, potentia mali activa æq; perfecta eſt ac in vitioſo; & is inhærens affectui nec eidem judicio rationis reſiſtens ſed approbans hujus potentiæ ſibi cauſſa eſt æq; ac vitioſus ſui vitii. Gignitur enim potentia mali acquiſita, ſi inclinationi & propenſioni accedit calliditas ſeu facultas inveniendi media, judicio intellectûs non repugnante inclinationi prout in ſuperioribus dictum.*

6. Quod ex bono affectu peccatur non puniri poteſt quatenus ex affectu provenit, ſed quatenus peccatur judicio intellectûs vel corrupto vel imbecilli. *Nam quatenus quid bonum principium habet nullam meretur pœnam. Et quia ratione affectûs pœna irrogari nequit, aliud mali principium neceſſariò quærendum eſt, cui pœnâ aliquâ occurrendum, quod hîc neceſſariò in intellectu ſubſiſtet. Unde ſi intellectus à vitio quodam corruptus malè judicavit; ratione illius vitii, quod hîc principium mali, pœna irroganda venit. Quâ de cauſſâ ſuboritur ejusmodi in peccatis magna pœnarum varietas ratione ſcil. varietatis principiorum ex quibus procedit perverſum aut non ſatis bonum intellectûs judicium; ita tamen, ut pœnis, quibus aliàs ejusmodi principiis malorum occurritur, aliquid detrahatur ob admixtum bonum affectum; ne hoc non obſervato homines trahantur ad bonos affectus deponendos. v.g. miſericordia & ſtomachatio boni affectus ſunt, & in miſerentibus ſtomachantibusq; inclinatio & propenſio bona eſt: ſed ſi miſericors & ſtomachator peccant, faciunt id errore intellectûs non ſatis benè judicantis. Id quod ex definitionibus horum affectuum ſuprà traditis liquet. Eſt enim miſericordia affectus cum moleſtiâ conjunctus ob malum quod putamus alterum indignè pati: ponamus ergò præfectum carceris miſericordiâ ductum dimittere captivum; ſanè peccabit hic non ratione inclinationis & propenſionis, ſed ratione judicii: dum ſcil. malè judicat delinquentes impunè pati pœnas. Sic ſtomachatio affectus eſt gignens moleſtiam ob bonum quod alter indignus habet: & proinde ex hoc affectu quà tali nullum gignitur peccatum; quia hominum juſtorum proprius eſt; ſed tunc, quando intellectus malè judicat, eumq;, qui dignus eſt, indignum pronunciat. Inſpiciendum ergò in ejusmodi miſericorde & ſtomachatore; unde hoc perverſum*

verſum deſcendat judicium, an à vitio quodam, an aliunde à quâdam impotentiâ vel naturali vel acquiſitâ, & ita prudenter gradus pœnarum ſunt diſcernendi.

7. Si quid ex affectu neutro, qui omnem ſuam malitiam & bonitatem ab intellectu moderante & dirigente accipit, peccetur, intellectu integro, ſed quaſi in ſomnum ab affectu conjecto, ineſt peccanti potentia quædam mali, appetitus nim. reſiſtens dictamini rectæ rationis, ſed imperfecta. *Nam judicio intellectûs practici adhuc integro & nondum voluptatibus corrupto potentia mali activa nondum perfectè adeſt.* Unde & in peccatis ejusmodi non pœnæ peccantem è medio tollentes, ſed eundem emendantes & efficientes quò majori diligentiâ reſiſtere affectibus ſtudeat, adhibendæ ſunt. *Nam potentia mali imperfecta emendabilis eſt: & proinde legislatores in pœnis conſtituendis operam dare debent, ne homo ejusmodi emendabilem potentiam habens tollatur, ſed hoc agatur, quò eam deponat. Ita enim & prudentes medici procedunt, ut non ſtatim partem corporis malè affectam tollant, ſed omnibus modis ſtudeant cauſſam mali, ſi nondum ſatis firmiter irradicata ſit, in illâ parte corrigere.*

8. Multum pœnis detrahunt affectuum celeritas & vehementia. *Nam hominum hac in re magna eſt poſt ſtatum lapsûs imbecillitas, ut licet intellectum à naturâ ſibi datum habeant; eum tamen ob nimiam celeritatem aut vehementiam affectuum in conſilium vocare nequeant. Quâ de re etiam ſuperius tractavimus.*

9. Potentiam mali activam minus perfectam indicat pœnitentia. *Nam quibus perfecta potentia ineſt corruptum habent judicium & mala firmiter approbant: at qui pœnitentiâ ducuntur iis ineſt judicium adhuc integrum.*

10. Pœnitentia tunc quàm maximè prodeſt ad pœnam ordinariam mitigandam, quando unà læſio facta corrigitur. *Nam ejusmodi pœnitentia ſeria eſt, ea, quâ læſio non corrigitur, magis ſimulata. Pœna tali delicto accedens cujus læſio corrigi nequit nimis ſera eſt, arguitque in homine vitium & potentiam mali perfectam. Nam eum, qui procedit ad tale malum inferendum, quod ſcit corrigi non poſſe aut vitioſum aut vitio proximum eſſe oportet.*

11. Pœnitentia in ipſo actu peccandi ſuperveniens magis mitigare pœnam ordinariam debet, quàm quæ poſt factum tandem. *Nam ejusmodi pœnitentia arguit, potentiam mali activam valdè imperfectam eſſe. Unde talis tantummodo pœna tunc infligenda videtur, quæ moleſtias, quas gignit conſcientia turpitudinem facti ob oculos ponendo, augeat eousq; ut ſufficientes fiant ad omnem peccandi libidinem in delinquente*

quente

quente exſtirpandam. Sic enim ſolent & periti medici juvare naturam in ægrotis ad repellendum morbum ſeſe erigentem.

12. Hæc cauſſa facit, quare JCti conatum non ſoleant ordinariâ pœnâ regulariter afficere. *Nam dubitandum eſt, annon delinquens potuiſſet pœnitere antequam operationem malam ad finem perduceret. Ergò ejusmodi operatio, quæ in conatu ſubſiſtit, neminem vitioſum & perfectâ potentiâ malorum activâ inſtructum arguere poteſt. Unde nec ordinariæ pœnæ locus erit.*

13. In illis tamen delictis ab ordinariâ pœnâ conatus neminem liberare poteſt, quæ inchoata ſatis vitioſum hominem arguunt, quale eſt crimen læſæ Majeſtatis. *Nam nonnulla delicta tam horrenda ſunt, quæ nemo hominum, niſi ſit perfectè vitioſus, ſuſcipere audeat.*

14. Quandoq; ex delicto ſemel tantùm commiſſo vitioſitas & perfecta potentia colligi nequit, quod quando fit, ſolent LLatores reiteratis delictis ordinariam pœnam dictare. *Exemplum nobis exhibet conſtitutio Carol. in furto parvo, quod non niſi reiteratum pœnâ laquei afficitur; de quo infrà.*

15. Qui faciunt ſcientes & ebrii, quod ſobrii non feciſſent, his itidem mitiganda quandoque pœna videtur. *Nam cùm ſobrii id nunquam committant, quod ebrii faciunt, indicium eſt potentiam mali activam imperfectam eſſe. Sed dico hanc pœnæ mitigationem non ſemper & in omnibus delictis procedere debere: ſunt enim nonnulla, quæ nec ebrius ſciens committeret, niſi eſſet vitioſus, v. g. qualia ſunt homicidia, latrocinia, rapinæ, furta &c. Hæc namq; & in ebrio ſciente ſingula arguunt vitioſitatem & potentiam agendi mala perfectam.*

ARTIC. V.
DE IMPOTENTIA EX QUA EMERGUNT PECCATA.

1. Cauſſa efficiens alio modo cauſa dicitur, quando per potentiam activam cauſſa eſt, quàm quando dicitur cauſſa ob impotentiam, & proinde videndum, quatenus homo per impotentiam peccans puniendus ſit. *Nam impotentia quædam privatio potentiæ eſt: unde ſequitur eum qui per potentiam quandam operatur ex habitu agere; eum qui per impotentiam ex privatione, quæ æquivocè tantùm habitus vocatur. Nam privationem habere dicimur, ad imitationem habitûs.*

2. Hinc fit, quòd operationes humanæ provenientes ab aliquâ

V

quâ potentiâ malorum activâ ab iis, quæ ab impotentiâ exiſtente quâdam privatione potentiæ bonorum activæ producuntur, diverſæ ſint, & proinde non iisdem pœnis afficiendæ. *Quemadmodum enim deſtitutus potentiâ mala agendi non bonus dicitur & virtuoſus, v. g. caſtratus non temperans vocatur: ita contrà nec vitioſus ſtatim dicendus, qui potentiâ bonorum activâ, virtute nim. deſtituitur.*

4. Quot modis ex impotentiâ operari ea, quæ cum juſto & honeſto pugnant, contingat, ex naturâ virtutis perſpiciendum eſt. *Nam impotentia eſt quædam habitûs privatio. Virtus autem ille habitus eſt quo bona agimus.*

5. Eſt autem virtus moralis habitus proæreticus in mediocritate quoad nos relatâ poſitus, quam definit prudentia. *Hanc definitionem latè declarat Ariſtoteles in Ethicis, rationesq; ejus reddit, ut non ſit, quare huic explicandæ hîc immoremur: tantummodo itaq; eam ſumentes ſingularem ejusdem partium privationes in homine contemplabimur: ita namq; ſingulæ partes impotentiæ, quâ mediante homo à juſto & honeſto deflectit, ultrò ſeſe offerent.*

6. Definitio virtutis indicat, triplicem eſſe impotentiam, ex quâ quod injuſtum eſt gigni poſſit, nim. 1. infirmitatem voluntatis ſubſiſtendi in bono & abſtinendi à malo. 2. Imprudentiam. 3. Invaliditatem in moderandis affectibus & concupiſcentiâ. *Nam cum virtus 1. ſit habitus, conſiſtit ea in conſtanti quâdam voluntate boni juſtiq; & firmo propoſito à bono non recedendi. 2. cùm mediocritatem, in quâ poſita virtus eſt, præſcribat prudentia, neceſſe eſt hac potentiâ boni activâ ex imprudentiâ operantem deſtitui, & propterea quâdam impotentiâ laborare. 3. quia virtus in mediocritate poſita eſt, neceſſe eſt eum, qui concupiſcentiam divitiarum, honorum, affectuum moderare nequit, cum voluntatem moderandi habeat, impotentiâ quâdam laborare.*

ARTICULI HUJUS
Pars Prima.

DE VOLUNTATIS PERMANENDI IN BONO INFIRMITATE.

1. Omnes ii aliquâ impotentiâ laborant & aliquâ particulâ potentiæ bonorum & juſtorum activæ deſtituuntur, qui aliquâ vel moleſtiâ ſive præſenti ſive futurâ vel voluptate patiuntur ſe à propoſito agendi bona & fugiendi mala dimoveri. *Nam virtuoſorum tanquam habitu inſtructorum ea eſt firma voluntas, ut nullâ moleſtia aut volupta-*

voluptatum occaſio ſeſe exhibens eos dimovere à ſuo propoſito queat. Quapropter hac firmitudine non præditi aliquâ particulâ potentiæ bonorum activâ deſtituuntur.

2. Præſentibus moleſtiis à propoſito agendi bona & juſta fugiendiquè mala & injuſta divertuntur qui paupertate, fame, frigore & nuditate ducti peccant. *Nam cùm hiſce adacti ad delinquendum ea quæ committunt non perpetrarent ſed fugerent, ſi iiſdem deſtituerentur; manifeſtum eſt principium peccandi in aliquâ impotentiâ conſiſtere.*

3. Magis tamen à pœnis liberantur qui frigore gravi aut urgentiſsimâ fame ad peccandum trahuntur, quàm ii quos allicit paupertas. *Nam plerorumque hominum ea eſt impotentia ut ejuſmodi urgentiſſimis & graviſſimè impellentibus, qualia ſunt frigus & fames, vix reſiſtere queant, & raro etiam hæc occurrunt, ut adeò difficile ſit potentiam reſiſtendi ſibi acquirere. At paupertas diuturnum quid eſt, cui tolerando adſveſieri quis magis poteſt. Ac proinde impotentia reſiſtendi paupertati magis voluntaria eſt, & hominem ipſum eâ laborantem cauſſam habet. Unde quoque ex hac impotentiâ magis voluntariâ peccans magis puniendus eſt.*

4. Qui ex paupertate multoties peccat, ut tandem ſibi vitium acquirat non amplius cenſeri poteſt ex impotentiâ peccare, ac proinde ordinariam cogitur ſubire pœnam. *Nam huic perfecta malorum agendorum potentia ineſt; nec excuſatur quod vitio parando occaſionem aliqua impotentia neceſſitati reſiſtendi dederit. Quemlibet enim hominem oportet adverſus vitia ſeſe erigere.*

5. Nec etiam in Judicio de peccatis à pauperibus commiſſis faciendo ſemper exiſtimandum eſt, ea à quâdam impotentiâ profecta eſſe. *Nam nonnulla delicta ita ſunt comparata, ut nec pauperrimus ea committere poſſet, niſi eſſet vitioſus. Ita v. g. crimen læſæ Majeſt. à paupere commiſſum non debet cenſeri profectum à quâdam impotentiâ.*

6. Futuris moleſtiis à propoſito agendi bona & fugiendi mala deducuntur & ita ex quâdam impotentiâ peccant qui juſſu tyrannorum aut tyrannicè poteſtatem, quam habent, exercentium quid committunt. Horum autem peccatorum magna varietas eſt, pro ratione rei turpis & injuſtæ quæ ſubitur, & moleſtiarum quæ fugiuntur, ut adeò univerſaliter determinari nequeat, in quantum abeundum ſit à pœnâ ordinariâ. *Nam leves ob moleſtias effugiendas turpiſſimum aut injuſtiſſimum quiddam committens magis pro vitioſo quàm pro peccante ex quâdam impotentiâ habendus eſt. Contrà ſæpè contingit virtuoſos effugiendarum graviſſimarum moleſtiarum gratiâ aliquid quod leviter injuſtum aut turpe eſt committendum ſubire.*

7. Im-

7. Impotentiam quoque quandam arguit, ſi qui datâ aliquâ & fortè fortuitò oblatâ non quæſitâ ſingulari occaſione ad peccandum irritati ſint. *Quales ſunt qui ita ſe excuſant: quis poteſt tot ſcopulos ſine naufragio præterire? Nam tanta eſt hominum impotentia, ut irritati præſentibus voluptatibus, præſertim ſi meditentur, talem occaſionem fruendi iisdem non facilè iterum oblatum iri, patiantur ſe ſeduci.* In ejusmodi autem caſibus ſubtiliſſimum adhibendum eſt judicium. *Nam ſolent improbi nonnunquam occaſiones eſſe exoptatiſſimæ, quibus, quaſi hiſce illecti eſſent, ſeſe excuſare nituntur.*

8. Aliquando quæ videntur fortuita ab omni pœnâ liberantia principium habent impotentiam. *Nam quædam fortuita ita ſunt comparata, ut & adverſus eadem virtuoſi ſe muniant. v.g. fortes viros decet munitos eſſe adverſus improviſos bombardarum ſonitûs, ne territi arma quæ tenent è manibus procidere patiantur. Et omnino omnis vir prudens ſe præparat adverſus fortuita quæ conſiſtunt in accidentibus propinquis: ſunt enim gradus accidentium & alia aliis propinquiora ſeu res frequentius comitantia; (de quibus agetur tractatu de quinq; habitibus mentis.) Hinc JCti ſolent caſualia delicta diſtinguere in ea quæ ſunt de caſu fortuito, & ea, quæ ſunt de caſu improviſo.*

PARS SECUNDA.
Artic. 5.
DE HIS QUÆ PER IMPRUDENTIAM FIUNT.

1. Habitus prudentiæ deficit vel actu primo vel ſecundo. Impotentiam, quæ oritur ex abſentiâ actûs primi, imprudentiam vocamus.

2. Omnis imprudentiæ homo vel ſibi cauſſa eſt vel non eſt. Quicquid fit ex imprudentiâ, cujus quis ſibi cauſſa non exiſtit, abſolutionem à pœnâ; & contrà quicquid fit ex imprudentiâ, cujus quis ſibi cauſſa eſt, aliquam pœnam licet non ordinariam meretur. ***Nam quod per impotentiam, cujus quis cauſſa non eſt, alicui impoſſibile eſt, id ipſi ſimpliciter eſt impoſſibile. Quod ſimpliciter impoſſibile eſt id ſimpliciter neceſſe eſt non eſſe. Quod ſimpliciter neceſſarium eſt eſſe aut fieri vel non eſſe aut non fieri, neminem pœnæ ſubjicit; quia ſimplex neceſſitas ab omni pœnâ liberat, prout ſuperius demonſtravimus. At qui ſuâ impotentiæ ſibi cauſſa eſt pœnæ cuidam meritò ſubjiciendus eſt; quia quemadmodum vitioſus ob potentiam mali activam acquiſitam: ita imprudens***

ob impotentiam, cujus ipſe ſibi cauſſa eſt, licet non eâdem quâ vitioſus pœnâ puniendus venit.

3. Imprudentia infantum, impuberum, minorennium, mulierum, dementium & perpetuo furore affectorum â pœnis publicis eximit; infantum quidem & extremè dementium aut perpetuo furore laborantium ab omnibus; impuberum, minorennium, mulierum, ſenum, quousque hi per naturam prudentiâ privantur. *Nam hi omnes ſuam imprudentiam, quâ laborant, à naturâ habent, nec illius cauſſa ſibi exiſtunt; quia prudentia omnis experientiam requirit alia majorem alia minorem & præterea cognitionem univerſalium quorum gradus ſunt, dum alia aliis apprehenſu difficiliora exiſtunt. Quia ergò infantes & dementes naturâ ſunt inepti ad experientiam & cognitionem univerſalium habendam, omnis defectus prudentiæ in iisdem pro impotentiâ naturali habetur, & propterea nihil pœnæ merentur. In cæteris gradus prudentiæ perpendendi ſunt. Nam quædam prudentia tam exiguam deſiderat experientiam utiturq; univerſalibus ejusmodi, quorum & impubes qui infantiam exceſſit capax eſt; quædam cum tantâ ſui parandi difficultate eſt conjuncta, ut ejus nec minorennes nec mulieres capaces exiſtant, hæ quidem ob defectum naturalem Judicii, illi per defectum ætatis, quæ ad experientiam longam & penetrationem in univerſali obſcuriora requiritur. Unde patet, ſingulare judicis in pœnis mitigandis vel remittendis ratione hujus impotentiæ deſiderari judicium.*

4. Ex præmiſſis videtur inferendum, majorennes, qui dementes non ſunt, ſed uſu rationis pollent, regulariter cenſeri debere ſuæ imprudentiæ ſibi cauſſam exiſtere, & propterea eorum imprudentiam non debere impunem eſſe. *Nam qui uſu rationis præditi tantum ætatis habent, quantum ad experientiam, quâ vir prudens inſtructus eſſe debet, parandam requiritur, ii, ſi prudentiam nondum adepti ſunt, per ſuam negligentiam cauſſa ſibi illius eſſe videntur.*

5. Ut tamen perfecta in omnes cadat prudentia impoſſibile eſt. *Nam perfecta prudentia, prout ſuperius traditum eſt, conjuncta eſt cum ſcientiâ practicâ. Sed quotusquisq; vel eruditorum eſt, qui de ſcientiâ hac gloriari poſſit? Omnes propemodum vulgariter doctos dixerim regi opinionibus. Unde enim orirentur tot in omnibus facultatibus & diſciplinis diſſidia & contentiones, niſi ſinguli ſuis abundarent opinionibus? Vix ergo eſt, ut à vulgo deſideres, quod ne quidem in iis, qui vitam ſtudiis conſecrarunt, reperire licet. Quapropter part. 1. docuimus, virtutem ſubditorum à virtute imperantium differre quemadmodum opinio à prudentiâ perfecta. Unde fit, quod omnibus hominibus præter eos, qui*

 ſcien-

ſcientiam practicam ſibi pararunt, aliquid impotentiæ ratione prudentiæ ſit.

6. Vulgus hominum quamvis ſcientiam architectonicam, quâ prudentia perficitur, habere nequeat; nihilominus univerſalium eorum, quæ in vitâ benè gerendâ, & ne injuſtum quid committatur, requiruntur, opinionem ſibi parare poteſt. *Nam omnes idiotæ, qui in aliquâ civitate vivunt, leges rectas & præcepta prudentum vel ipſi legere vel eos, qui in hiſce verſati ſunt, conſulere poſſunt. Quæ etiam cauſſa eſt, quare leges ferantur in civitatibus & JCti gaudentes ſuis privilegiis foveantur, ſc. quò idiotæ habeant unde opinionem aliquam loco ſcientiæ ſibi parent.*

7. Ignorantia itaque juris à pœnâ criminum non excuſat. *Nam non inquirere in agenda, & ne quidem opinionem aliquam parare diſcendo ex legibus vel interpretibus legum quæ notanda ſint, ut rectè vivatur, & ne quis membrum vitioſum in ſocietate humanâ exiſtat, ſignum eſt hominis vitioſi.*

8. Ex dictis licet colligere quantum à pœnâ liberet ruſticitas. *Nam homines agreſtes & extra civitatem viventes nec preſtò habent quos conſulere queant nec quæ paulò ſubtiliora ſunt ab aliis præſcripta capiunt. Et quia hujus impotentiæ cauſſa eſt genus vitæ quod colunt ita comparatum, ut eodem Reſpubl. carere nequeat: hinc & ruſticitas quibusdam in peccatis remiſſionem pœnæ meretur.*

PARS TERTIA.

Artic. 5.

DE IMPOTENTIA HABITUM PRUDENTIÆ DEDUCENDI IN ACTUM SECUNDUM.

1. Impotentia deducendi actum primum ſeu habitum prudentiæ vel opinionis bonæ in actum ſecundum vel à naturâ oritur vel ab hominis culpâ, illam liberare à pœnis, hanc non item extra dubium eſt.

2. Impotentiæ naturali annumeramus ſomnum, furorem ſupervenientem, ſenectutem. *Nam ſenes prudentiam, quam mediâ pararunt vitâ actu primo retinere extra dubium eſt, ſed deliros & dementes eos fieri, cauſſa hæc eſt, quia deſtituuntur volubilitate ſenſuum ad exeundas intellectûs operationes requiſitâ.*

3. Im-

3. Impotentiæ eruendi prudentiam in actum ſecundum ſibi cauſſa ſunt qui affectibus cedunt. *De quibus quòd ex quâdam minus perfectâ potentiâ mala operentur paullò antè tradidimus.*

MEMBR: III.
DE
IIS QUÆ IPSI MALO ILLATO INSUNT POENAM MITIGANTIBUS VEL VENIAM PARIENTIBUS.

1. Hactenus contemplati ſumus, quomodo pœnæ velut medicina adverſus mala diverſimodè applicari debeant ratione cauſſæ morborum, quatenus ea non una eſt eademque ſed diverſa & varia: ſequitur ut morbum ipſum i. e. operationem ipſam malam conſideremus, quatenus reſpectu hujus medicina variet. *Nam quemadmodum in corpore humano ſæpè accidit quid videri morbum ſeu vitioſam corporis organici operationem, cum tamen non ſit: ita nonnunquam videtur quid mala & vitioſa operatio animi, quæ tamen talis non eſt, & per conſequens nec pœnas parit.*

2. Quæ ablatio boni aut illatio mali jure vel non injuſtè fit pro delicto haberi nequit merente pœnas. *Quod namq; juſtum vel non injuſtum eſt pro morbo civitatis vel Reipubl. haberi nequit, & proinde nec medicinali pœna affici poteſt. Illatio mali vel ablatio boni non injuſta contingit; ſi bellum geritur licitum; juſta ſi jure poteſtatis quid mali infertur. Quapropter occaſio ſeſe nobis exhibet diſſerendi de bello privato, quatenus illud licitum ſit.*

ARTIC. I.
DE
BELLO PRIVATO, QUATENUS A POENA LIBERET VEL ORDINARIAM MITIGET.

1. Olim, antequam conderentur civitates, nullæ contentiones & lites aliter decidi poterant quàm per bella, quemadmodum id hodiè contingit inter reges principes vel Reſp. nullum ſuperiorem agnoſcentes. Qui enormis quidam defectus erat. *Nam ſæpè injuſtiſſimi homines exiſtebant victores & injuſtum perpeſſi tendentes ad correctionem illius maximam nonnunquam patiebantur injuriam ab adverſariis victoribus omnibus bonis ſpoliati & in ſervitutem redacti.*

2. Jura

2. Jura civitatum ergò meritò omnia bella privatis prohibent, & ſi quæ ſuboriantur lites magiſtratibus & judicibus decidendas committunt, nec ullum bellum niſi in ſummâ neceſſitate admittunt. *Nam lites finiri commodius nequeunt, quàm ſi ſint conſtituti judices qui ſine affectibus & incorruptè judicent, quorumq́; ſententias partes litigantes pro veris & juſtis habeant. Sed nec hoc impetrabitur, niſi ſint magiſtratus auctoritate & armis, ſeu inſtrumentis ad impellendum aptis inſtructi, quò parere ſententia judicum nolentibus vim addant. Manet ergò ſalva omnis civitas per hoc, dum nulli privato conceditur bello privato ſua perſequi jura, ſed per judices & magiſtratus: ita namq́; lites mediante rectâ ratione deciduntur, nec infirmus robuſtiori contra jus & fas cedere tenetur. Unde conſequitur, omnia bella privata regulariter jure naturæ prohibita eſſe. Præterea nulla civitas manere una poteſt quæ non omnibus modis impedit bella: bellum enim diſſolutio quædam ſocietatis humanæ eſt, civitas verò ſocietas perfectiſſima, quam maximè unam permanere oportet, ſi velit conſiſtere. Quapropter partibus ejusdem nullum debet concedi bellum, niſi ſumma neceſſitate id exigente.*

3. Quandoq; ergò & quidem tunc bella privata non ſunt injuſta, quando ſc. Judicum operâ & magiſtratuum auctoritate patientib. injuſtum ſubveniri aut ab iisdem alio modo effugi malum nequit. *Nã cum nullus liberorum hominum ab altero temerè injuſtum pati teneatur; & tamen illud mediis, quibus utitur civitas, judicibus nim. & vi auctoritateq́; magiſtratuum, averti impediendo vel corrigendo vel alio modo effugi nequeat: nihil aliud reſtat, quàm ut patienti vel paſſuro injuſtum relinquatur poteſtas propriâ vi & bello privato illud repellere. Cicero orat. pro pro Milone id ita expreſſit*: Licitum eſt alterum occidere, ſi injuſta pœna ante luenda, quàm juſta repeti poſſit. *Et hæc poteſtas vim vi repellendi nulli privato à quoquam magiſtratu de jure adimi poteſt: ſervile namq́; eſt cogi temerè à quoquam pati injuſtum quod corrigi nequeat. Hinc ſolent Ddres dicere, defenſionem neceſſariam nec à Papâ nec ab Imperatore nec per conſvetudinem tolli poſſe, eamq́; juſtam eſſe etiam in foro conſcientiæ; adeò ut qui eam negligunt peccent non modò in ſe, propterea, quod videantur ſibi ipſis manus violentas inferre, ſed etiam in Rempubl. ſi viri ſint virtuoſi & patriæ proficui, dum patiuntur ſe Reipubl. ſubtrahi. Ex hiſce patet, quomodo intelligendum ſit hoc vulgatum*, vim vi repellere licet, *nim. ſenſus hic eſt: Cuilibet privato conceſſum eſſe debet ſui defendendi cauſâ bellum privatum ſuſcipere, quando auxilium judicis & magiſtratûs nullum eſt, & malum aliâ ratione effugi nequit.*

4. Omne ergò bellum privatum, quò non injuſtum ſit, præ-requirit offenſionem aliquam. *Offenſionem voco læſionem vel factam vel*

vel jam certò imminentem. Nam ubi nulla læſio metuenda eſt, defenſionis quidam potius prætextus quàm defenſio eſt. eſt enim privatum bellum non injuſtum mali cujuſdam propulſio; & proinde ubi nullum imminet, ne quidem belli nomen merere poteſt.

5. Secundò, quò privatum bellum non injuſtum ſit, requiritur ut malum imminens pertingat ad eum qui bellum privatum ſuſcipit. *v. g. ut vel ipſius vel parentum, liberorum, fratrum, ſororum, conjugis, vel ſimilium perſonarum, quarum malum ad nos pertingit, vita, valetudo &c. petatur. Nam quod nobis non imminet malum de eo non conqueri aut agere in judicio nedum bellum privatum ſubire juſtum eſt: tunc enim bella privata non injuſta eſſe diximus, quando malum infertur quod per magiſtratum & judicem corrigi vel averti nequit: ergò nec bellare licebit, niſi malum tale ſit, de quo illato nobis in judicio conqueri conceſſum ſit, ſeu ob quod actio aliqua nobis competat.*

6. Tertiò quoque requiri videtur, ne quis ſibi ipſi mali imminentis cauſſa exiſtat. *Nam conqueri quis nequit de malo cujus quis ipſe ſibi principium & cauſſa exiſtit. De quo autem juſtam querelam non habet, ob id propulſandum nec licitum bellum ab eodem ſuſcipitur.*

7. Quartò debet bellum privatum, quò licitum ſit, nihil aliud eſſe quàm neceſſaria quædam defenſio. *Nam nulla civitas bellum privatum admittere poteſt niſi in ſummâ neceſſitate. Quodcunq; autem bellum non cadit in neceſſariam defenſionem id omne tale eſt quod aliâ ratione poteſt effugi. Quapropter ſi quis bello privato ſuſcepto alterum læſit, accuſatus non alio modo ſeſe defendere valet quàm exceptione neceſſariæ defenſionis. Id quod noſtrorum Judiciorum conſuetudo dictitat.* Hinc non videtur licitum bellum privatum gerere is, qui, cùm fugâ ſibi conſulere poſſit, mavult bellum privatum ſubire. *Nam ejuſmodi bellum non poteſt dici neceſſaria quædam defenſio.* Nec tamen propterea ſimpliciter dicendum, debuiſſe eum qui ſe defendit potius fugere. *Nam interdum fuga cum majori periculo conjuncta eſt quàm defenſio: minus enim tutum eſt perſequentem hoſtem à tergo habere quàm eidem armis obſiſtere. Interdum & fugam, quæ ſimpliciter poſſibilis eſt, per honeſtatem impoſſibilis redditur: quod enim honeſtas non admittit, id nec fieri poſſe cenſendum eſt.*

8. Debet porrò malum imminens, quod bello privato avertitur, tale eſſe quod conſiſtit in ablatione boni inæſtimabilis & talis, quód ablatum reſtitui nequit, aut ſi bonum ablatum vel ipſum reſtitui vel pecuniâ æſtimante ſolutâ reſtitui poſſit; perſona talis eſſe quæ in jus citari nequeat. *Nam ſi bonum ablatum ſit æſtimabile & perſona auferens illud in jus citari queat occurri injuſto poteſt officio judicis &*

eis & magiſtratûs, & tunc bellum injuſtum eſt. Hinc cum latronibus & raptoribus conceſſum eſt bellum privatum ſuſcipere: *ſunt enim perſonæ incognitæ quæ in jus citari nequeunt. it.* impunè occidere licet eum, qui pudicitiam vel vitam violenter auferre aut membra mutilare nititur, non obſtante quòd notus ſit & in civitate degat, adeoque poſt factum in jus citari poſſit. *Nam hæc bona ſunt talia, quæ nec ipſa reſtitui poſſunt nec æſtimationem recipiunt, ut loco horum pecuniâ datâ ſatisfiat; & per conſequens injuſtum horum ablatione ſubortum tale, quod nullus judex imploratus corrigere valet.*

9. Poſtquam demonſtratum eſt & ſatis conſtat, quænam ſit belli privati ſuſcipiendi juſta cauſſa; etiam dicendum erit de modo bellandi, quinam licitus ſit: *fieri enim poteſt, ut, quamvis quis licitum bellum ſuſcipiat ſeſe defendendo, peccet tamen in modo defendendi. Hinc allegant i exceptionem neceſſariæ defenſionis regeri ſolet*, non obſervatum eſſe moderamen inculpatæ tutelæ.

10. Omne bellum privatum, quod ſine cæde geri poteſt, quamvis juſtam ob cauſſam & licitè ſuſceptum, illicitum tamen fit, ſi mediante cæde perficiatur. *v. g. ſi invaſori quis extorſerit gladium & inermem nihilominus occiderit, efficit bellum quod licitè ſuſceperat injuſtum fieri. Qui enim ſine cæde vitam ſuam defendere valet adverſarium ſine cauſſâ & per conſequens injuſtè occidit.*

11. In ſummâ quicquid quis, ſuſcepto quamvis licitè bello, magis ulciſcendi quàm defendendi animo facit injuſtum eſt. *Nam bellum privatum, quò licitum ſit, neceſſaria quædam defenſio eſſe debet. At quicquid magis ulciſcendi quàm defendendi animo fit neceſſaria defenſio non eſt:*

12. *Ex hiſce poſſumus judicium petere faciendum de iis, quæ Ddres tradunt circa moderamen inculpatæ tutelæ: dicunt nim. illud æſtimandum eſſe ex tribus,* cauſsâ *ſcil.* modo, & tempore. Circa cauſſam id notandum tradunt; allegantem neceſſariam defenſionem non debere eſſe ipſum auctorem rixæ. *Demonſtravimus enim, nim. n. 6. bellum illud privatum non eſſe licitum quod ſuſcipitur ob malum cujus quis cauſſa exiſtit.* Ratione etiam cauſſæ dicunt moderamen non obſervari, ſi quis mortem tantùm verbis minitantem occidat. *Nam adverſus ejuſmodi minitantes implorari officium judicis poteſt, quò adigantur ad præſtandam cautionem de non offendendo. At demonſtravimus n. 3. bellum privatum tunc licitum eſſe, quando officium judicis ceſſat & nihil ad malum avertendum prodeſt.* Exceſſui cauſſæ quoque annumerant ſi quis provocatus ad duellum compareat. *Ratio iterum ex dictis à nobis patet: provocatus enim poteſt injuriam quam à provocante*

vocante patitur ad magiſtratum deferre & per hunc vindicare; aut ſi provocans, ut fieri ſolet, minas addiderit, provocatum nuſpiam tutum eſſe debere ni comparuerit, petitione cautionis de non offendendo ſibi conſulere. Quicquid autem mali illati corrigi vel imminentis per judicem & magiſtratum averti poteſt, ob id illicitum ſuſcipitur bellum. n. 2. & 3. Exceſſus modi dicitur Ddribus, ſiquis adverſarium occiderit, cùm ſine cæde illius vim repellere potuiſſet. it. ſi defenſio non reſpondeat proportione offenſioni, ut ſi quis virgulâ aggredientem gladio excipiat & feriat. *Demonſtravimus enim num. 10. & 11. omne bellum, quamvis licitè ſuſceptum, illicitum tamen & injuſtum fieri, ſi ulterius procedatur quàm neceſſaria defenſio requirit. Hinc nonnulli Ddres eò progreſſi ſunt, ut in moderamine inculpatæ tutelæ requirerent paritatem armorum, quamvis ſine ſufficienti cauſâ, prout ex noſtris fundamentis apparet: ſi enim homo robuſtus & in arte pugillatoria exercitatus me infirmiorem & iſtius artis imperitum aggrediatur gladio, & ego aliâ ratione imminentem mortem effugere nequeam, non pecco adverſus moderamen inculpatæ tutelæ, ſi globo plumbeo eum trajiciam. Nam ſi mors potius ferenda, quàm in defectu parium armorum defenſio inſtituenda, nihil cauſæ eſt, quare non omnem defenſionem illicitam dicamus.* Tertiò ne exceſſus moderaminis committatur, voluntDdres temporis rationem habendam eſſe: & proinde ob exceſſum pœnam dictitant ei, qui ex intervallo & non incontinenti vim illatam repulit. Quantum autem temporis requiratur, ut quis dicatur non incontinenti ſuſcepiſſe defenſionem ambigunt. Nos verò ex demonſtratis & rationem reddere & tempus definire poſſumus. *Nam cùm bellum omne privatum non ulciſcendi ſed defendendi ſolùm animo ſuſcipi debeat quò licitum ſit, & tunc quando metuens malum opem magiſtratûs implorare nequit; ſequitur eum, qui ex intervallo temporis vim illatam repellit, non licitè bellare: intervallum enim temporis arguit, eum magis ulciſcendi quàm defendendi gratiâ & potius propriâ quàm magiſtratûs vi repellere vim niti. Quantum ergò temporis requiritur ad intervallum illud? tantum quantum ſufficit, ut miſſo invaſore vel lædere nitente magiſtratûs adiri ejusq; auxilium implorari poſſit.*

13. *Ex hiſce noſtris demonſtrationibus collatis cum Ddrum opinionibus eruimus belli privati liciti definitionem talem, quod ſit* bellum ſuſceptum injuſti illius, quod corrigi à magiſtratu nequit propellendi gratiâ, & ita geritur, ut nec vindicta nec lucrum ſed ſola defenſio bonorum quæ impetuntur intendatur.

ARTIC. II.

DE MALO QUOD QUIS ALTERI VI SUÆ POTESTATIS INFERT.

1. Qui vi ſuæ poteſtatis malum pro meritis hominibus infert non peccat. *Nam emendans & coercens vitia laude potius eſt dignus.*

2. Fit autem nonnunquam, ut poteſtatem quandam habentes eâdem abutantur & ulterius in infligendis pœnis progrediantur quàm debebant, ratione cujus abusûs pœnam merentur. *Nam quatenus faciunt id quod poteſtatem excedit injuſtè lædunt.*

ARTIC. III.

DE RELIQUIS MALI DEFECTIBUS MINUENTIBUS POENAM.

1. Non omnia vitia exſtirpari in Rebuspubl. quales communiter ſunt, poſſunt & proinde ſolet à puniendis vitioſis abſtineri quamdiu nullum ratione ſui vitii malum operati ſunt. *Quemadmodum enim medici cauſſas morbi non ſtudent expellere medicamentis, quamdiu non operantur ſeu morbos excitant: (v. g. licet cognitum ſit Titium in renibus habere calculum, ſi tamen hic non movetur ſed quieſcit; ſatius eſt nulla applicare medicamenta illum expellentia quàm eundem concitare & cum hoc Titio dolores) ita, quamdiu morbus ſeſe non perfectè exerit, cauſſam morbi ipſam JCti non adoriuntur. Difficile namq; eſt judicare, cauſſam morbi ſeu vitium animi radices in homine egiſſe, niſi perfactam aliquam & abſolutam operationem à vitio provenientem, id deprehenderis.*

2. Non autem cenſendum eſt cum vulgo, nihil mali pœnâ dignum factum eſſe, ſi nemini nocitum ſit quoad bona externa. *Nam non tantùm ea pro delictis habenda ſunt, quæ utile bonum tollunt vel imminuunt, ſed & quæ honeſtum; nec tantùm ea, quæ privatum alicujus, ſed & quæ publicum evertunt bonum v. g. quietem publicam.*

3. Cumprimis autem à pœnâ ordinariâ recedendum ob læſionem vel modicam vel nullam, ſi appareat, legislatores in irrogandis pœnis reſpexiſſe ad magnitudinem læſionis & inde vitium puniendum æſtimaſſe. *Nam quemadmodum nonnunquam ſit, ut homo morbum quendam non tanti æſtimet, ut propterea cauſſam morbi medicinâ*

adhibita

adhibitâ tollendam exiſtimet; ita & comparatum circa vitioſas hominum operationes, quæ morbi quidam Reipubl. ſunt. JCti itaq; eſt probè perpendere ob quam vitioſam operationem Llator vitium quodvis exſtirpatum voluerit. Hac enim ceſſante ab ordinariâ pœnâ recedendum eſt. Verùm hæc magis ad materiam de interpretatione ſpectant.

4. Quando Legiſlator in irrogatione pœnarum reſpexit ad injuſtum particulare, ordinaria pœna mitigatur vel tollitur, ſi appareat eum, qui læſus dicitur, non invitè perpeſſum eſſe, it. delinquentem læſo ſatisfeciſſe, it. læſum vindicaſſe aut propulſaſſe malum. it. læſum remiſiſſe. it. læſionem modicam admodum eſſe. *Nam hæc omnia injuſtum particulare ceſſare faciunt.*

MEMBR. IV.

DE ACCIDENTIBUS QUÆ IMPEDIUNT POENAS ORDINARIAS NON OBSTANTE, QUOD DOLO MALO ET SATIS VITIOSE DELICTUM SIT COMMISSUM.

1. Nonnunquam fit, quamvis appareat hominem vitioſum eam edidiſſe operationem, ob quam pœna conſtituta eſt, non tamen eam, quæ ordinaria eſt, infligi. *Nam quemadmodum medicus ordinaria medicamenta non applicat, ſi videat longè majora mala ſubortitura & hominem ipſum potius periturum eſſe quàm cauſſam morbi remotum iri: ita quoq; JCti eſt perpendere varia accidentia comitatura pœnam ordinariam; & ſi apparuerit v. g. plus mali Reipubl. vel aliis illatum iri ſublato per pœnam vitioſo quàm eo tolerato, aut alia longè graviora incommoda ortitura; potius remittenda quàm infligenda pœna erit.*

2. Prima circumſtantia perpendenda hæc eſt, an fortaſſe contingat hunc vel illum delinquentem gravius puniri cæteris communiter, ſi eidem infligatur ordinaria pœna. *Nam hic tunc communem tolerabit pœnam ſi paulo minorem ordinariâ ſentiet.* Contingit verò pœnam reddi majorem, quàm communiter eſt, ſi delinquens laborct morbo vel ſenio; aut ſi ob delictum ſine ſuâ culpâ diu in carcere detentus fuerit.

3. Secunda circumſtantia perpendenda hæc eſt, an fortaſſe pœna ad alios innocentes & à delinquente læſos magis quàm ipſum delinquentem vel æquè pertingat. *Nam non temerè ægrè faciendum eſt innocentibus hominibus: pœnæ namq; vitioſis irrogantur, ut his ſublatis benè ſit cæteris hominibus, qui occaſione commiſſi delicti læſi ſunt, non ut in ærumnas & miſerias graviores conjiciantur quàm perpeſſi ſunt.*

4. Tertia circumſtantia eſt dignitas perſonarum. *Nam in viro nobili tantum fortaſſe poteſt inſignium ademptio quantum in plebejo fuſtigatio: quemadmodum etiam medici leniora purgantia hominibus ſubtilioribus quam ruſticis propinare ſolent.* *Quamvis plerumq; LLatores hodiè ſine diſtinctione ſoleant pœnas delinquentibus dictitare, quod quando ſit interpretes legum ſibi limitandi poteſtatem non ſumunt.*

5. Quarta circumſtantia hæc eſt, an fortaſſe præditus ſit reus aliquo habitu, quo plus prodeſſe Reipubl. quàm ſuo vitio nocere queat. *Nam hoc in caſu is qui jura Majeſtatis habet prudentius agere videtur, ſi ejusmodi Reip. partem conſervat quàm ſi eam tollit.*

CAP. IV.

DE CRIMINIBUS IN SPECIE.

1. Hactenus contemplati ſumus principia conſtituendi, aggravandi & minuendi pœnas ordinarias delictorum: ſequitur, ut illa ad ſingula delicta applicando oſtendamus rationes & cauſſas eorum quæ communiter à LLbus & Ddribus circa hanc materiam docentur. *Hoc namq; ipſo tota de injuſtitiâ univerſali doctrina abſolvetur, & elementorum ſeu univerſalium à nobis propoſitorum uſus juris ſtudioſis oſtendetur.*

MEMBR: I.

DE HOMICIDIO VIOLENTO.

1. Homicidium ſeu delictum illud quo homo hominem vitâ privat vel fit clandeſtinis artibus vel vi quâdam apertâ, quod violentum vocatur. *Nam quicquid in invitum ſtatuitur vel committitur vi vel in ignorantem adhibitis artibus occultandi.*

2. Ab homicidio, quod vi fit, initium dicendi ſumemus. *Nam clandeſtinum tanquam ex vitio magis proæretico & inſidioſo profectum ſimplex homicidium jam excedere & pœnam plus quàm ordinariam mereri videtur.*

3. Homicidium merum & nudum illud eſt, cujus cauſſa efficiens à nullo alio fine quàm morte ad operandum excitata eſt. *Nam quæ homicidia committuntur cauſâ efficiente excitatâ à lucro, qualia ſunt latrocinium, aſſaſinium, veſpillonum crimen, ſimplicia homicidia non ſunt.* Unde patet homicidium ſimplex in ſolâ morte ſubſiſtere nec ulterius

ulterius tendere. *Nam omnis cauſſa efficiens ſuum finem, à quo excitata eſt, adepta quieſcit. Sed latro non ſubſiſtit operando, homine in viâ publicâ occiſo, ſed progreditur ad occupandam prædam, à quâ tanquam fine ſuo excitabatur ad operandum: at ſimplex homicida v. g. ex iracundiâ trucidans hominem ſubſiſtit hoſtis ſui mortem intuens.*

4. Potentia nudorum homicidiorum activa ſeu quâ inſtructa cauſſa efficiens operatur conſiſtit in vitiis & affectibus. Vitia ſunt iracundia & injuſtitia particularis; Affectus invidia, odium *&c. Sed hi affectus omnes injuſtitiam particularem habent comitem.*

5. Omni homicidio nudo & ſimplici ſapientiſſimum Numen conſtituit pœnam talionis, cujus præceptum nos Chriſtiani obſervantes gladii pœnam velut ordinariam homicidis dictamus. *Nam licet injuſtitia particularis regulariter talionem in pœnis vindicativis non admittat, ut pote cum in hiſce obſervanda ſit proportio quædam: uti enim eadem pœna vindicativa locum non habet ſi plebejus principem & ſi princeps plebejum verberaverit: ita nec videtur eadem pœna & nuda talio procedere ſi plebejus principem & ſi princeps plebejum occiderit. Verùm quia ſummum Numen pro omnibus ſimiliter vitam Filii ſui profundi voluit ſingulos æq; amando, omnium quoq; vitam pariter voluit vindicatam. Et quia legem hanc de talione peculiariter in homicidio ſimplici obſervandâ univerſo generi humano, quod poſt diluvium conſtitit in familiâ Noachi, promulgavit; omnes quoq; poſteros hac ipsâ voluit obligatos. Quapropter meritò nos Chriſtiani pœnam mortis ſimplicem, quæ mediante gladio fit, non eq; tanquam criminalem & medicinalem, quâ homines ab iracundiæ vitio deterreantur, ſed tanquam vindicativam, ut Deo ſatisfiat, obſervato ſingulariter jure talionis ſecundum voluntatem ejus infligimus.*

6. Hoc jure talionis non utuntur Leges Romanæ. *Nam quando obſervatur jus talionis & pœna quædam vindicativa, non irrogatur eadem niſi delicto perfecto, & ita hoc in delicto ademptâ demum vitâ: ſed lex Cornelia pro homicidis punit eos ordinariè qui hominis occidendi cauſſâ cum telo ambulant vel etiam occidendi animo vulnerant l. 1. pr. & §. 3. ff. ad L. Cornel. de ſicar. in talione nullus quoq; habetur perſonarum reſpectus: at hunc habendum eſſe jubet l. 3. §. penult. ff. eod.*

7. Hinc cum Lege Corneliâ dolus pro facto habeatur & magis dolus quàm eventus ſpectetur *l. 7. & 14. ff. eod.* nos hodiè cum animo eventum attendimus. *Nam quæ pœna ex jure talionis irrogatur ſpecies quædam vindicativæ eſt, quæ tunc regulariter obtinet, ſi eventus ſit ſecutus.* Hæc ratio eſt, quare omnem eum, qui apprehendit inſtrumentum ad cædem perpetrandam ſatis aptum, ſive per ſe ſit

ſe ſit tale ſive ratione partium, quæ eodem feriuntur, (*quemadmodum lethale ſit inſtrumentum illud, quo tempora percutiuntur, aut quo robuſtiſſimus homo, aut reiteratis vicibus quis utitur, licet aliàs communiter non ſit, ſi eo robore, quod communiter homines habent, utens alias partes minus periculoſas, aut ſemel tantùm feriat*) pœnæ gladii ſubjiciamus, ſi non aliæ circumſtantiæ accedant quæ eundem liberent. *Nam eo ipſo, dum hoc facit, ſumit ſibi plus i. e. poteſtatem alterum lethalibus inſtrumentis feriendi, & eventu ſecuto cauſſa efficiens eſt ad minimum injuſti cujuſdam ſecundum juſtitiam particularem, quod Deus jure talionis corrigi voluit.*

8. Gradus homicidiorum & pœnarum meritò petimus præcipuè à gradibus injuſtitiæ particularis, reliqua deſumimus ex iis quæ generaliter *præced. cap.* de minuentibus pœnas diſſeruimus. *Nam injuſtum particulare potiſſimum nos intueri in puniendis homicidiis modò dictum & demonſtratum eſt.*

9. Ne verò quicquam omittamus eorum, quæ variare gradus vitioſitatis hujus poſſunt, primum omnium conſiderabimus diverſitatem perſonarum, quibus vita adimi poteſt. *Nam ſuprà, cùm de gradibus injuſtitiæ particularis ageremus, haud pauca injuſtitiæ vitium aggravantia petivimus à perſonis injuſtum patientibus.*

PARS PRIMA.
Hujus Membri
DE
GRADIBUS VITIOSITATIS POENAM ORDINARIAM HOMICIDII AUGENTIBUS.

1. Pœnam homicidii ordinariam aggravantia ſunt ea quæ iracundiam & injuſtitiam majorem arguunt. *Nam ex hiſce duobus vitiis homicidia procreari oſtendimus.*

ARTIC. I.
DE
GRADIBUS INJUSTITIÆ QUI ORIUNTUR A DIVERSITATE PERSONARUM OCCISARUM.

1. Occidit quis vel ſeipſum vel alios. Semetipſum occidens ſeu ſibi ipſi manus violentas inferens primo intuitu non videtur injuſtus ſecundum injuſtitiam particularem. *Nam nemo ſeipſum volens præter voluntatem occidit: ei autem, qui quid volens patitur, injuria non fit.* Sed Chriſtiani ſolent cadaveri ejuſmodi hominis hone-

honeſtam & Chriſtianam denegare ſepulturam & jubere illud à carnifice projici in locum aliquem flagitioſorum hominum ſepulturæ deſtinatum. *Nam* 1. *neceſſe eſt ejuſmodi hominem eſſe vitioſum & ita hoc delictum committere ex perfectâ quâdam potentiâ malorum activâ: nullus enim niſi extremè vitioſus ita ſe odit, ut ne quidem ſeipſum vitâ dignetur.* 2. *ſubtrahit quoq; ſe ejuſmodi homo eccleſiæ ſeu civitati Dei & Reipubl. ſeu civitati humanæ. Deus ergò & Reſpubl. hoc quod contra ipſorum voluntatem fit meritò vindicant.*

2. Homicidia in alios committuntur vel in perſonas publicas vel privatas. Publicæ perſonæ vel gerunt munus ſeculare vel eccleſiaſticum. Mun9 ſeculare gerens vel eſt ſupremus magiſtratus & jura Majeſtatis habet vel inferior. Supremum magiſtratum & jura Majeſtatis habentem occidens committit crimen læſæ Majeſtatis, de quo inferius dicetur. *Nam quodlibet delictum pertingens ad detrimentum vitæ & dignitatis incidensq; vel in homicidium vel injuriam in privatis, crimen læſæ Majeſtatis eſt commiſſum in eum qui jura majeſtatis habet.*

3. Occidentes magiſtratum quendam inferiorem pro ratione dignitatis occiſi gravius puniuntur quàm nudi & ſimplices homicidæ ſolent. *Plerumq; enim pœnæ gladii hoc addi ſolet, ut ad ſupplicium trahâ ducantur. Nam injuſtum quod ita committitur majus eſt quàm nudi & ſimplicis homicidii; quia perpetratur in perſonam cui debetur reverentia & honor & civitati detrahitur quædam dignior pars.* Similis eſt ratio in miniſtris ſuum herum, vaſallis dominum occidentibus. *Nam & his reverentia debetur.*

4. Eccleſiaſtica perſona occiditur vel quando in ſuo officio vel quando extra illud verſatur. Occidens eccleſiaſticam perſonam eo ipſo tempore & loco, ubi & quando cultum divinum exercet, crimen læſæ Maj. divinæ committit, de quo infrà dicendum erit. *Nam læditur quaſi Deus per miniſtros ſuos.*

5. Extra cultum divinum verſantis perſonæ eccleſiaſticæ dignitas ſpectatur quæ delictum aggravat. Cumprimis verò attenditur an occiſus fortaſſe fuerit pœnitentiarius homicidæ. *Nam pœnitentiario ſuo quiſq; Chriſtianorum obligatus eſt ad exhibendam benevolentiam & amorem ſingularem: injuſtum verò eò majus eſt, quò plus amoris & benevolentiæ homicida occiſo debuit.*

6. Privatus qui occiditur vel ſe defendere poteſt vel non. Qui ſe defendere nequeunt occiſi aggravant pœnam homicidæ. *Nam qui ſe defendere nequeunt veluti infantes, ægroti &c. miſerabiles perſonæ ſunt, quibus ab aliis naturaliter debetur miſericordia & auxilium.*

7. Impotentiam quoque quandam arguit, ſi qui datâ aliquâ & fortè fortuitò oblatâ non quæſitâ ſingulari occaſione ad peccandum irritati ſint. *Quales ſunt qui ita ſe excuſant: quis poteſt tot ſcopulos ſine naufragio præterire? Nam tanta eſt hominum impotentia, ut irritati præſentibus voluptatibus, præſertim ſi meditentur, talem occaſionem fruendi iisdem non facilè iterum oblatum iri, patiantur ſe ſeduci.* In ejusmodi autem caſibus ſubtiliſſimum adhibendum eſt judicium. *Nam ſolent improbi nonnunquam occaſiones eſſe exoptatiſſima, quibus, quaſi hiſce illecti eſſent, ſeſe excuſare nituntur.*

8. Aliquando quæ videntur fortuita ab omni pœnâ liberantia principium habent impotentiam. *Nam quædam fortuita ita ſunt comparata, ut & adverſus eadem virtuoſi ſe muniant. v. g. fortes viros decet munitos eſſe adverſus improviſos bombardarum ſonitus, ne territi arma quæ tenent è manibus procidere patiantur. Et omnino omnis vir prudens ſe præparat adverſus fortuita quæ conſiſtunt in accidentibus propinquis: ſunt enim gradus accidentium & alia aliis propinquiora ſeu res frequentius comitantia; (de quibus agetur tractatu de quinq; habitibus mentis.) Hinc JCti ſolent caſualia delicta diſtinguere in ea quæ ſunt de caſu fortuito, & ea, quæ ſunt de caſu improviſo.*

PARS SECUNDA.

Artic. 5.

DE IIS QUÆ PER IMPRUDENTIAM FIUNT.

1. Habitus prudentiæ deficit vel actu primo vel ſecundo. Impotentiam, quæ oritur ex abſentiâ actûs primi, imprudentiam vocamus.

2. Omnis imprudentiæ homo vel ſibi cauſſa eſt vel non eſt. Quicquid fit ex imprudentiâ, cujus quis ſibi cauſa non exiſtit, abſolutionem à pœnâ; & contrà quicquid fit ex imprudentiâ, cujus quis ſibi cauſſa eſt, aliquam pœnam licet non ordinariam meretur. *Nam quod per impotentiam, cujus quis cauſſa non eſt, alicui impoſſibile eſt, id ipſi ſimpliciter eſt impoſſibile. Quod ſimpliciter impoſſibile eſt id ſimpliciter neceſſe eſt non eſſe. Quod ſimpliciter neceſſarium eſt eſſe aut fieri vel non eſſe aut non fieri, neminem pœnæ ſubjicit; quia ſimplex neceſſitas ab omni pœnâ liberat, prout ſuperius demonſtravimus. At qui ſua impotentiæ ſibi cauſſa eſt pœnæ cuidam meritò ſubjiciendus eſt; quia quemadmodum vitioſus ob potentiam mali activam acquiſitam: ita imprudens*

ob impotentiam, cujus ipſe ſibi cauſſa eſt, licet non eâdem quâ vitioſus pœnâ puniendus venit.

3. Imprudentia infantum, impuberum, minorennium, mulierum, dementium & perpetuo furore affectorum â pœnis publicis eximit; infantum quidem & extremè dementium aut perpetuo furore laborantium ab omnibus; impuberum, minorennium, mulierum, ſenum, quouſque hi per naturam prudentiâ privantur. *Nam hi omnes ſuam imprudentiam, quâ laborant, à naturâ habent, nec illius cauſſa ſibi exiſtunt; quia prudentia omnis experientiam requirit alia majorem alia minorem & præterea cognitionem univerſalium quorum gradus ſunt, dum alia aliis apprehenſu difficiliora exiſtunt. Quia ergò infantes & dementes naturâ ſunt inepti ad experientiam & cognitionem univerſalium habendam, omnis defectus prudentiæ in iisdem pro impotentiâ naturali habetur, & propterea nihil pœna meretur. In cæteris gradus prudentiæ perpendendi ſunt. Nam quædam prudentia tam exiguam deſiderat experientiam utiturq; univerſalibus ejusmodi, quorum & impubes qui infantiam exceſſit capax eſt; quædam cum tantâ ſui parandi difficultate eſt conjuncta, ut ejus nec minorennes nec mulieres capaces exiſtant, hæ quidem ob defectum naturalem Judicii, illi per defectum ætatis, quæ ad experientiam longam & penetrationem in univerſali obſcuriora requiritur. Unde patet, ſingulare judicis in pœnis mitigandis vel remittendis ratione hujus impotentiæ deſiderari judicium.*

4. Ex præmiſſis videtur inferendum, majorennes, qui dementes non ſunt, ſed uſu rationis pollent, regulariter cenſeri debere ſuæ imprudentiæ ſibi cauſſam exiſtere, & propterea eorum imprudentiam non debere impunem eſſe. *Nam qui uſu rationis præditi tantum ætatis habent, quantum ad experientiam, quâ vir prudens inſtructus eſſe debet, parandam requiritur, ii, ſi prudentiam nondum adepti ſunt, per ſuam negligentiam cauſſa ſibi illius eſſe videntur.*

5. Ut tamen perfecta in omnes cadat prudentia impoſſibile eſt. *Nam perfecta prudentia, prout ſuperius traditum eſt, conjuncta eſt cum ſcientiâ practicâ. Sed quotusquiſq; vel eruditorum eſt, qui de ſcientiâ hac gloriari poſſit? Omnes propemodum vulgariter doctos dixerim regi opinionibus. Unde enim orirentur tot in omnibus facultatibus & diſciplinis diſſidia & contentiones niſi ſinguli ſuis abundarent opinionibus? Vix ergò eſt, ut à vulgo deſideres, quod ne quidem in iis, qui vitam ſtudiis conſecrarunt, reperire licet. Quapropter part. 1. docuimus, virtutem ſubditorum à virtute imperantium differre quemadmodum opinio à prudentiâ perfectâ. Unde fit, quòd omnibus hominibus præter eos, qui ſcien-*

ſcientiam practicam ſibi pararunt, aliquid impotentiæ ratione pruden-tiiæ ſit.

6. Vulgus hominum quamvis ſcientiam architectonicam, quâ prudentia perficitur, habere nequeat; nihilominus univerſalium eorum, quæ in vitâ benè gerendâ, & ne injuſtum quid committatur, requiruntur, opinionem ſibi parare poteſt. *Nam omnes idiotæ, qui in aliquâ civitate vivunt, leges rectas & præcepta prudentum vel ipſi legere vel eos, qui in hiſce verſati ſunt, conſulere poſſunt. Quæ etiam cauſſa eſt, quare leges ferantur in civitatibus & JCti gaudentes ſuis privilegiis foveantur, ſc. quò idiotæ habeant unde opinionem aliquam loco ſcientiæ ſibi parent.*

7. Ignorantia itaque juris à pœnâ criminum non excuſat. *Nam non inquirere in agenda, & ne quidem opinionem aliquam parare diſcendo ex legibus vel interpretibus legum quæ notanda ſint, ut rectè vivatur, & ne quis membrum vitioſum in ſocietate humanâ exiſtat, ſignum eſt hominis vitioſi.*

8. Ex dictis licet colligere quantum à pœnâ liberet ruſticitas. *Nam homines agreſtes & extra civitatem viventes nec præſtò habent quos conſulere queant nec quæ paulò ſubtiliora ſunt ab aliis præſcripta capiunt. Et quia hujus impotentiæ cauſſa eſt genus vitæ quod colunt ita comparatum, ut eodem Reſpubl. carere nequeat: hinc & ruſticitas quibusdam in peccatis remiſſionem pœnæ meretur.*

PARS TERTIA.

Artic. 5.

DE IMPOTENTIA HABITUM PRUDENTIÆ DEDUCENDI IN ACTUM SECUNDUM.

1. Impotentia deducendi actum primum ſeu habitum prudentiæ vel opinionis bonæ in actum ſecundum vel à naturâ oritur vel ab hominis culpâ; illam liberare à pœnis, hanc non item extra dubium eſt.

2. Impotentiæ naturali annumeramus ſomnum, furorem ſupervenientem, ſenectutem. *Nam ſenes prudentiam, quam mediâ pararunt vitâ actu primo retinere extra dubium eſt, ſed deliros & dementes eos fieri, cauſſa hæc eſt, quia deſtituuntur volubilitate ſenſuum ad exercendas intellectûs operationes requiſitâ.*

3. Im-

3. Impotentiæ eruendi prudentiam in actum ſecundum ſibi cauſſa ſunt qui affectibus cedunt. *De quibus quòd ex quâdam minus perfectâ potentiâ mala operentur paullò antè tradidimus.*

MEMBR: III.
DE
IIS QUÆ IPSI MALO ILLATO INSUNT POENAM MITIGANTIBUS VEL VENIAM PARIENTIBUS.

1. Hactenus contemplati ſumus, quomodo pœnæ velut medicina adverſus mala diverſimodè applicari debeant ratione cauſſæ morborum, quatenus ea non una eſt eademque ſed diverſa & varia: ſequitur ut morbum ipſum i. e. operationem ipſam malam conſideremus, quatenus reſpectu hujus medicina variet. *Nam quemadmodum in corpore humano ſæpè accidit quid videri morbum ſeu vitioſam corporis organici operationem, cum tamen non ſit: ita nonnunquam videtur quid mala & vitioſa operatio animi, quæ tamen talis non eſt, & per conſequens nec pœnas parit.*

2. Quæ ablatio boni aut illatio mali jure vel non injuſtè fit pro delicto haberi nequit merente pœnas. *Quod namq; juſtum vel non injuſtum eſt pro morbo civitatis vel Reipubl. haberi nequit, & proinde nec medicinali pœna affici poteſt. Illatio mali vel ablatio boni non injuſta contingit; ſi bellum geritur licitum; juſta ſi jure poteſtatis quid mali infertur. Quapropter occaſio ſeſe nobis exhibet diſſerendi de bello privato, quatenus illud licitum ſit.*

ARTIC. I.
DE
BELLO PRIVATO, QUATENUS A POENA LIBERET VEL ORDINARIAM MITIGET.

1. Olim, antequam conderentur civitates, nullæ contentiones & lites aliter decidi poterant quàm per bella, quemadmodum id hodiè contingit inter reges principes vel Reſp. nullum ſuperiorem agnoſcentes. Qui enormis quidam defectus erat. *Nam ſæpè injuſtiſſimi homines exiſtebant victores & injuſtum perpeſſi tendentes ad correctionem illius maximam nonnunquam patiebantur injuriam ab adverſariis victoribus omnibus bonis ſpoliati & in ſervitutem redacti.*

2. Jura

2. Jura civitatum ergò meritò omnia bella privatis prohibent, & ſi quæ ſuboriantur lites magiſtratibus & judicibus decidendas committunt, nec ullum bellum niſi in ſummâ neceſſitate admittunt. *Nam lites finiri commodius nequeunt, quàm ſi ſint conſtituti judices qui ſine affectibus & incorruptè judicent, quorumq; ſententias partes litigantes pro veris & juſtis habeant. Sed nec hoc impetrabitur, niſi ſint magiſtratus auctoritate & armis, ſeu inſtrumentis ad impellendum aptis inſtructi, quò parere ſententiæ judicum nolentibus vim addant. Manet ergò ſalva omnis civitas per hoc, dum nulli privato conceditur bello privato ſua perſequi jura, ſed per judices & magiſtratus: ita namq; lites mediante rectâ ratione deciduntur, nec infirmus robuſtiori contra jus & fas cedere tenetur. Unde conſequitur, omnia bella privata regulariter jure naturæ prohibita eſſe. Præterea nulla civitas manere una poteſt quæ non omnibus modis impedit bella: bellum enim diſſolutio quædam ſocietatis humanæ eſt, civitas verò ſocietas perfectiſſima, quam maximè unam permanere oportet, ſi velit conſiſtere. Quapropter partibus ejusdem nullum debet concedi bellum, niſi ſumma neceſſitate id exigente.*

3. Quandoq; ergò & quidem tunc bella privata non ſunt injuſta, quando ſc. Judicum operâ & magiſtratuum auctoritate patientib. injuſtum ſubveniri aut ab iiſdem alio modo effugi malum nequit. *Nã cum nullus liberorum hominum ab altero temerè injuſtum pati teneatur; & tamen illud mediis, quibus utitur civitas, judicibus nim. & vi auctoritateq; magiſtratuum, averti impediendo vel corrigendo vel alio modo effugi nequeat: nihil aliud reſtat, quàm ut patienti vel paſſuro injuſtum relinquatur poteſtas propriâ vi & bello privato illud repellere. Cicero orat. pro pro Milone id ita expreſſit:* Licitum eſt alterum occidere, ſi injuſta pœna ante luenda, quàm juſta repeti poſſit. *Et hæc poteſtas vim vi repellendi nulli privato à quoquam magiſtratu de jure adimi poteſt: ſervile namq; eſt cogi temerè à quoquam pati injuſtum quod corrigi nequeat. Hinc ſolent Ddres dicere, defenſionem neceſſariam nec à Papâ nec ab Imperatore nec per conſvetudinem tolli poſſe, eamq; juſtam eſſe etiam in foro conſcientiæ; adeò ut qui eam negligunt peccent non modò in ſe, propterea, quod videantur ſibi ipſis manus violentas inferre, ſed etiam in Rempubl. ſi viri ſint virtuoſi & patriæ proficui, dum patiuntur ſe Reipubl. ſubtrahi. Ex hiſce patet, quomodo intelligendum ſit hoc vulgatum,* vim vi repellere licet, *nim. ſenſus hic eſt: Cuilibet privato conceſſum eſſe debet ſui defendendi cauſâ bellum privatum ſuſcipere, quando auxilium judicis & magiſtratûs nullum eſt, & malum aliâ ratione effugi nequit.*

4. Omne ergò bellum privatum, quò non injuſtum ſit, prærequirit offenſionem aliquam. *Offenſionem voco læſionem vel factam*

vel

vel jam certò imminentem. Nam ubi nulla læſio metuenda eſt, defenſionis quidam potius prætextus quàm defenſio eſt. eſt enim privatum bellum non injuſtum mali cujuſdam propulſio; & proinde ubi nullum imminet, ne quidem belli nomen mereri poteſt.

5. Secundò, quò privatum bellum non injuſtum ſit, requiritur ut malum imminens pertingat ad eum qui bellum privatum ſuſcipit. *v. g. ut vel ipſius vel parentum, liberorum, fratrum, ſororum, conjugis, vel ſimilium perſonarum, quarum malum ad nos pertingit, vita, valetudo &c. petatur. Nam quod nobis non imminet malum de eo non conqueri aut agere in judicio nedum bellum privatum ſubire juſtum eſt: tunc enim bella privata non injuſta eſſe diximus, quando malum infertur quod per magiſtratum & judicem corrigi vel averti nequit: ergò nec bellare licebit, niſi malum tale ſit, de quo illato nobis in judicio conqueri conceſſum ſit, ſeu ob quod actio aliqua nobis competat.*

6. Tertiò quoque requiri videtur, ne quis ſibi ipſi mali imminentis cauſſa exiſtat. *Nam conqueri quis nequit de malo cujus quis ipſe ſibi principium & cauſſa exiſtit. De quo autem juſtam querelam non habet, ob id propulſandum nec licitum bellum ab eodem ſuſcipitur.*

7. Quartò debet bellum privatum, quò licitum ſit, nihil aliud eſſe quàm neceſſaria quædam defenſio. *Nam nulla civitas bellum privatum admittere poteſt niſi in ſummâ neceſſitate. Quodcunq; autem bellum non cadit in neceſſariam defenſionem id omne tale eſt quod aliâ ratione poteſt effugi. Quapropter ſi quis bello privato ſuſcepto alterum læſit, accuſatus non alio modo ſeſe defendere valet quàm exceptione neceſſariæ defenſionis. Id quod noſtrorum Judiciorum conſuetudo dictitat.* Hinc non videtur licitum bellum privatum gerere is, qui, cùm fugâ ſibi conſulere poſſit, mavult bellum privatum ſubire. *Nam ejuſmodi bellum non poteſt dici neceſſaria quædam defenſio.* Nec tamen propterea ſimpliciter dicendum, debuiſſe eum qui ſe defendit potius fugere. *Nam interdum fuga cum majori periculo conjuncta eſt quàm defenſio: minus enim tutum eſt perſequentem hoſtem à tergo habere quàm eidem armis obſiſtere. Interdum & fugam, quæ ſimpliciter poſſibilis eſt, per honeſtatem impoſſibilis redditur: quod enim honeſtas non admittit, id nec fieri poſſe cenſendum eſt.*

8. Debet porrò malum imminens, quod bello privato avertitur, tale eſſe quod conſiſtit in ablatione boni inæſtimabilis & talis, quòd ablatum reſtitui nequit, aut ſi bonum ablatum vel ipſum reſtitui vel pecuniâ æſtimante ſolutâ reſtitui poſſit; perſona talis eſſe quæ in jus citari nequeat. *Nam ſi bonum ablatum ſit æſtimabile & perſona auferens illud in jus citari queat occurri injuſto poteſt officio judi-*

cis & magiſtratûs, & tunc bellum injuſtum eſt. Hinc cum latronibus & raptoribus conceſſum eſt bellum privatum ſuſcipere: *ſunt enim perſonæ incognitæ quæ in jus citari nequeunt*. *it*. impunè occidere licet eum, qui pudicitiam vel vitam violenter aufferre aut membra mutilare nititur, non obſtante quòd notus ſit & in civitate degat, adeoque poſt factum in jus citari poſſit. *Nam hæc bona ſunt talia, quæ nec ipſa reſtitui poſſunt nec æſtimationem recipiunt, ut loco horum pecuniâ datâ ſatisfiat; & per conſequens injuſtum horum ablatione ſubortum tale, quod nullus judex imploratus corrigere valet*.

9. Poſtquam demonſtratum eſt & ſatis conſtat, quænam ſit belli privati ſuſcipiendi juſta cauſſa; etiam dicendum erit de modo bellandi, quinam licitus ſit: *fieri enim poteſt, ut, quamvis quis licitum bellum ſuſcipiat ſeſe defendendo, peccet tamen in modo defendendi. Hinc allegantì exceptionem neceſſariæ defenſionis regeri ſolet*, non obſervatum eſſe moderamen inculpatæ tutelæ.

10. Omne bellum privatum, quod ſine cæde geri poteſt, quamvis juſtam ob cauſſam & licitè ſuſceptum, illicitum tamen fit, ſi mediante cæde perficiatur. *v. g. ſi invaſori quis extorſerit gladium & inermem nihilominus occiderit, efficit bellum quod licitè ſuſceperat injuſtum fieri. Qui enim ſine cæde vitam ſuam defendere valet adverſarium ſine cauſſâ & per conſequens injuſtè occidit*.

11. In ſummâ quicquid quis, ſuſcepto quamvis licitè bello, magis ulciſcendi quàm defendendi animo facit injuſtum eſt. *Nam bellum privatum, quò licitum ſit, neceſſaria quædam defenſio eſſe debet. At quicquid magis ulciſcendi quàm defendendi animo ſit neceſſaria defenſio non eſt*:

12. *Ex hiſce poſſumus judicium petere faciendum de iis, quæ Ddres tradunt circa moderamen inculpatæ tutelæ: dicunt nim. illud æſtimandum eſſe ex tribus*, cauſsâ *ſcil*. modo, & tempore. Circa cauſſam id notandum tradunt; allegantem neceſſariam defenſionem non debere eſſe ipſum auctorem rixæ. *Demonſtravimus enim, nim. n. 6. bellum illud privatum non eſſe licitum quod ſuſcipitur ob malum cujus quis cauſſa exiſtit*. Ratione etiam cauſſæ dicunt moderamen non obſervari, ſi quis mortem tantùm verbis minitantem occidat. *Nam adverſus ejusmodi minitantes implorari officium judicis poteſt, quò adigantur ad præſtandam cautionem de non offendendo. At demonſtravimus n. 3. bellum privatum tunc licitum eſſe, quando officium judicis ceſſat & nihil ad malum avertendum prodeſt*. Exceſſui cauſſæ quoque annumerant ſi quis provocatus ad duellum compareat. *Ratio iterum ex dictis à nobis patet: provocatus enim poteſt injuriam quam à provocante*

vocante patitur ad magiſtratum deferre & per hunc vindicare; aut ſi provocans, ut fieri ſolet, minas addiderit, provocatum nuſpiam tutum eſſe debere ni comparuerit, petitione cautionis de non offendendo ſibi conſulere. Quicquid autem mali illati corrigi vel imminentis per judicem & magiſtratum averti poteſt, ob id illicitum ſuſcipitur bellum. n. 2. & 3. Exceſſus modi dicitur Ddribus, ſiquis adverſarium occiderit, cùm ſine cæde illius vim repellere potuiſſet. it. ſi defenſio non reſpondeat proportione offenſioni, ut ſi quis virgulâ aggredientem gladio excipiat & feriat. *Demonſtravimus enim num. 10. & 11. omne bellum, quamvis licitè ſuſceptum, illicitum tamen & injuſtum fieri, ſi ulterius procedatur quàm neceſſaria defenſio requirit. Hinc nonnulli Ddres eò progreſſi ſunt, ut in moderamine inculpatæ tutelæ requirerent paritatem armorum, quamvis ſine ſufficienti cauſâ, prout ex noſtris fundamentis apparet: ſi enim homo robuſtus & in arte pugillatoria exercitatus me infirmiorem & iſtius artis imperitum aggrediatur gladio, & ego aliâ ratione imminentem mortem effugere nequeam, non pecco adverſus moderamen inculpatæ tutelæ, ſi globo plumbeo eum trajiciam. Nam ſi mors potius ferenda, quàm in defectu parium armorum defenſio inſtituenda, nihil cauſſæ eſt, quare non omnem defenſionem illicitam dicamus.* Tertiò ne exceſſus moderaminis committatur, voluntDdres temporis rationem habendam eſſe: & proinde ob exceſſum pœnam dictitant ei, qui ex intervallo & non incontinenti vim illatam repulit. Quantum autem temporis requiratur, ut quis dicatur non incontinenti ſuſcepiſſe defenſionem ambigunt. Nos verò ex demonſtratis & rationem reddere & tempus definire poſſumus. *Nam cùm bellum omne privatum non ulciſcendi ſed defendendi ſolùm animo ſuſcipi debeat quò licitum ſit, & tunc quando metuens malum opem magiſtratûs implorare nequit; ſequitur eum, qui ex intervallo temporis vim illatam repellit, non licitè bellare: intervallum enim temporis arguit, eum magis ulciſcendi quàm defendendi gratiâ & potius propriâ quàm magiſtratûs vi repellere vim niti. Quantum ergò temporis requiritur ad intervallum illud? tantum quantum ſufficit, ut miſſo invaſore vel lædere nitente magiſtratûs adiri ejusq; auxilium implorari poſſit.*

13. *Ex hiſce noſtris demonſtrationibus collatis cum Ddrum opinionibus eruimus belli privati liciti definitionem talem, quod ſit* bellum ſuſceptum injuſti illius, quod corrigi à magiſtratu nequit propellendi gratiâ, & ita geritur, ut nec vindicta nec lucrum ſed ſola defenſio bonorum quæ impetuntur intendatur.

ARTIC. II.
DE
MALO QUOD QUIS ALTERI VI SUÆ POTESTATIS INFERT.

1. Qui vi ſuæ poteſtatis malum pro meritis hominibus infert non peccat. *Nam emendans & coercens vitia laude potius eſt dignus.*

2. Fit autem nonnunquam, ut poteſtatem quandam habentes eâdem abutantur & ulterius in infligendis pœnis progrediantur quàm debebant, ratione cujus abusûs pœnam merentur. *Nam quatenus faciunt id quod poteſtatem excedit injuſtè lædunt.*

ARTIC. III.
DE
RELIQUIS MALI DEFECTIBUS MINUENTIBUS POENAM.

1. Non omnia vitia exſtirpari in Rebuspubl. quales communiter ſunt, poſſunt & proinde ſolet à puniendis vitioſis abſtineri quamdiu nullum ratione ſui vitii malum operati ſunt. *Quemadmodum enim medici cauſſas morbi non ſtudent expellere medicamentis, quamdiu non operantur ſeu morbos excitant: (v. g. licet cognitum ſit Titium in renibus habere calculum; ſi tamen hic non movetur ſed quieſcit; ſatius eſt nulla applicare medicamenta illum expellentia quàm eundem concitare & cum hoc Titio dolores) ita, quamdiu morbus ſeſe non perfectè exerit, cauſſam morbi ipſam JCti non adoriuntur. Difficile namq; eſt judicare, cauſſam morbi ſeu vitium animi radices in homine egiſſe, niſi perfectam aliquam & abſolutam operationem à vitio provenientem, id deprehenderis.*

2. Non autem cenſendum eſt cum vulgo, nihil mali pœnâ dignum factum eſſe, ſi nemini nocitum ſit quoad bona externa. *Nam non tantùm ea pro delictis habenda ſunt, quæ utile bonum tollunt vel imminuunt, ſed & quæ honeſtum; nec tantùm ea, quæ privatum alicujus, ſed & quæ publicum evertunt bonum v. g. quietem publicam.*

3. Cumprimis autem à pœnâ ordinariâ recedendum ob læſionem vel modicam vel nullam, ſi appareat, legislatores in irrogandis pœnis reſpexiſſe ad magnitudinem læſionis & inde vitium puniendum æſtimaſſe. *Nam quemadmodum nonnunquam fit, ut homo morbum quendam non tanti æſtimet, ut propterea cauſſam morbi medicinâ adhibitâ*

adhibitâ tollendam exiſtimet; ita & comparatum circa vitioſas hominum operationes, quæ morbi quidam Reipubl. ſunt. JCti itaq; eſt probè perpendere ob quam vitioſam operationem Llator vitium quodvis exſtirpatum voluerit. Hac enim ceſſante ab ordinariâ pœnâ recedendum eſt. Verùm hæc magis ad materiam de interpretatione ſpectant.

4. Quando Legiſlator in irrogatione pœnarum reſpexit ad injuſtum particulare, ordinaria pœna mitigatur vel tollitur, ſi appareat, eum, qui læſus dicitur, non invitè perpeſſum eſſe, it. delinquentem læſo ſatisfeciſſe, it. læſum vindicaſſe aut propulſaſſe malum. it. læſum remiſiſſe. it. læſionem modicam admodum eſſe. *Nam hæc omnia injuſtum particulare ceſſare faciunt.*

MEMBR. IV.

DE ACCIDENTIBUS QUÆ IMPEDIUNT POENAS ORDINARIAS NON OBSTANTE, QUOD DOLO MALO ET SATIS VITIOSE DELICTUM SIT COMMISSUM.

1. Nonnunquam fit, quamvis appareat hominem vitioſum eam edidiſſe operationem, ob quam pœna conſtituta eſt, non tamen eam, quæ ordinaria eſt, infligi. *Nam quemadmodum medicus ordinaria medicamenta non applicat, ſi videat longè majora mala ſuboritura & hominem ipſum potius periturum eſſe quàm cauſſam morbi remotum iri: ita quoq; JCti eſt perpendere varia accidentia comitatura pœnam ordinariam; & ſi apparuerit v. g. plus mali Reipubl. vel aliis illatum iri ſublato per pœnam vitioſo quàm eo tolerato, aut alia longè graviora incommoda oritura; potius remittenda quàm infligenda pœna erit.*

2. Prima circumſtantia perpendenda hæc eſt, an fortaſſe contingat hunc vel illum delinquentem gravius puniri cæteris communiter, ſi eidem infligatur ordinaria pœna. *Nam hic tunc communem tolerabit pœnam ſi paulo minorem ordinariâ ſentiet.* Contingit verò pœnam reddi majorem, quàm communiter eſt, ſi delinquens laboret morbo vel ſenio; aut ſi ob delictum ſine ſuâ culpâ diu in carcere detentus fuerit.

3. Secunda circumſtantia perpendenda hæc eſt, an fortaſſe pœna ad alios innocentes & à delinquente læſos magis quàm ipſum delinquentem vel æquè pertingat. *Nam non temere ægri faciendum eſt innocentibus hominibus: pœnæ namq; vitioſis irrogantur, ut his ſublatis benè ſit cæteris hominibus, qui occaſione commiſſi delicti læſi ſunt, non ut in ærumnas & miſerias graviores conjiciantur quàm perpeſſi ſunt.*

 4. Tertia

4. Tertia circumſtantia eſt dignitas perſonarum. *Nam in viro nobili tantum fortaſſe poteſt inſignium ademptio quantum in plebejo fuſtigatio: quemadmodum etiam medici leniora purgantia hominibus ſubtilioribus quam ruſticis propinare ſolent.* *Quamvis plerumq́, LLatores hodiè ſine diſtinctione ſoleant pœnas delinquentibus dictitare, quod quando fit interpretes legum ſibi limitandi poteſtatem non ſumunt.*

5. Quarta circumſtantia hæc eſt, an fortaſſe præditus ſit reus aliquo habitu, quo plus prodeſſe Reipubl. quàm ſuo vitio nocere queat. *Nam hoc in caſu is qui jura Majeſtatis habet prudentius agere videtur, ſi ejusmodi Reip. partem conſervat quàm ſi eam tollit.*

CAP. IV.

DE CRIMINIBUS IN SPECIE.

1. Hactenus contemplati ſumus principia conſtituendi, aggravandi & minuendi pœnas ordinarias delictorum: ſequitur, ut illa ad ſingula delicta applicando oſtendamus rationes & cauſſas eorum quæ communiter à LLbus & Ddribus circa hanc materiam docentur. *Hoc namq́, ipſo tota de injuſtitiâ univerſali doctrina abſolvetur, & elementorum ſeu univerſalium à nobis propoſitorum uſus juris ſtudioſis oſtendetur.*

MEMBR: I.

DE HOMICIDIO VIOLENTO.

1. Homicidium ſeu delictum illud quo homo hominem vitâ privat vel fit clandeſtinis artibus vel vi quâdam apertâ, quod violentum vocatur. *Nam quicquid in invitum ſtatuitur vel committitur vi vel in ignorantem adhibitis artibus occultandi.*

2. Ab homicidio, quod vi fit, initium dicendi ſumemus. *Nam clandeſtinum tanquam ex vitio magis proaretico & inſidioſo profectum ſimplex homicidium jam excedere & pœnam plus quàm ordinariam mereri videtur.*

3. Homicidium merum & nudum illud eſt, cujus cauſſa efficiens à nullo alio fine quàm morte ad operandum excitata eſt. *Nam quæ homicidia committuntur cauſâ efficiente excitatâ à lucro, qualia ſunt latrocinium, aſſaſinium, veſpillonum crimen, ſimplicia homicidia non ſunt.* Unde patet homicidium ſimplex in ſolâ morte ſubſiſtere nec ulterius

ulterius tendere. *Nam omnis cauſſa efficiens ſuum finem, à quo excitata eſt, adepta quieſcit. Sed latro non ſubſiſtit operando, homine in viâ publicâ occiſo, ſed progreditur ad occupandam prædam, à quâ tanquam fine ſuo excitabatur ad operandum: at ſimplex homicida v. g. ex iracundiâ trucidans hominem ſubſiſtit hoſtis ſui mortem intuens.*

4. Potentia nudorum homicidiorum activa ſeu quâ inſtructa cauſſa efficiens operatur conſiſtit in vitiis & affectibus. Vitia ſunt iracundia & injuſtitia particularis; Affectus invidia, odium *&c. Sed hi affectus omnes injuſtitiam particularem habent comitem.*

5. Omni homicidio nudo & ſimplici ſapientiſſimum Numen conſtituit pœnam talionis, cujus præceptum nos Chriſtiani obſervantes gladii pœnam velut ordinariam homicidis dictamus. *Nam licet injuſtitia particularis regulariter talionem in pœnis vindicativis non admittat, ut pote cum in hiſce obſervanda ſit proportio quædam: uti enim eadem pœna vindicativa locum non habet ſi plebejus principem & ſi princeps plebejum verberaverit: ita nec videtur eadem pœna & nuda talio procedere ſi plebejus principem & ſi princeps plebejum occiderit. Verùm quia ſummum Numen pro omnibus ſimiliter vitam Filii ſui profundi voluit ſingulos eq; amando, omnium quoq; vitam pariter voluit vindicatam. Et quia legem hanc de talione peculiariter in homicidio ſimplici obſervandâ univerſo generi humano, quod poſt diluvium conſtitit in familiâ Noachi, promulgavit; omnes quoq; poſteros hac ipſâ voluit obligatos. Quapropter meritò nos Chriſtiani pœnam mortis ſimplicem, quæ mediante gladio fit, non eq; tanquam criminalem & medicinalem, quâ homines ab iracundiæ vitio deterreantur, ſed tanquam vindicativam, ut Deo ſatisfiat, obſervato ſingulariter jure talionis ſecundum voluntatem ejus infligimus.*

6. Hoc jure talionis non utuntur Leges Romanæ. *Nam quando obſervatur jus talionis & pœna quædam vindicativa, non irrogatur eadem niſi delicto perfecto, & ita hoc in delicto ademptâ demum vitâ: ſed lex Cornelia pro homicidis punit eos ordinariè qui hominis occidendi cauſſâ cum telo ambulant vel etiam occidendi animo vulnerant l. 1. pr. & §. 3. ff. ad L. Cornel. de ſicar. in talione nullus quoq; habetur perſonarum reſpectus: at hunc habendum eſſe jubet l. 3. §. penult. ff. eod.*

7. Hinc cum Lege Corneliâ dolus pro facto habeatur & magis dolus quàm eventus ſpectetur *l. 7. & 14. ff. eod.* nos hodiè cum animo eventum attendimus. *Nam quæ pœna ex jure talionis irrogatur ſpecies quædam vindicativæ eſt, quæ tunc regulariter obtinet, ſi eventus ſit ſecutus.* Hæc ratio eſt, quare omnem eum, qui apprehendit inſtrumentum ad cædem perpetrandam ſatis aptum, ſive per

ſe ſit

honeſtam & Chriſtianam denegare ſepulturam & jubere illud à carnifice projici in locum aliquem flagitioſorum hominum ſepulturæ deſtinatum. *Nam 1. neceſſe eſt ejuſmodi hominem eſſe vitioſum & ita hoc delictum committere ex perfectâ quâdam potentiâ malorum activâ: nullus enim niſi extremè vitioſus ita ſe odit, ut ne quidem ſeipſum vitâ dignetur. 2. ſubtrahit quoq; ſe ejuſmodi homo eccleſiæ ſeu civitati Dei & Reipubl. ſeu civitati humanæ. Deus ergò & Reſpubl. hoc quod contra ipſorum voluntatem fit meritò vindicant.*

2. Homicidia in alios committuntur vel in perſonas publicas vel privatas. Publicæ perſonæ vel gerunt munus ſeculare vel eccleſiaſticum. Mun9 ſeculare gerens vel eſt ſupremus magiſtratus & jura Majeſtatis habet vel inferior. Supremum magiſtratum & jura Majeſtatis habentem occidens committit crimen læſæ Majeſtatis, de quo inferius dicetur. *Nam quodlibet delictum pertingens ad detrimentum vitæ & dignitatis incidensq; vel in homicidium vel injuriam in privatis, crimen læſæ Majeſtatis eſt commiſſum in eum qui jura majeſtatis habet.*

3. Occidentes magiſtratum quendam inferiorem pro ratione dignitatis occiſi gravius puniuntur quàm nudi & ſimplices homicidæ ſolent. *Plerumq; enim pœnæ gladii hoc addi ſolet, ut ad ſupplicium trahâ ducantur. Nam injuſtum quod ita committitur majus eſt quàm nudi & ſimplicis homicidii; quia perpetratur in perſonam cui debetur reverentia & honor & civitati detrahitur quædam dignior pars.* Similis eſt ratio in miniſtris ſuum herum, vaſallis dominum occidentibus. *Nam & his reverentia debetur.*

4. Eccleſiaſtica perſona occiditur vel quando in ſuo officio vel quando extra illud verſatur. Occidens eccleſiaſticam perſonam eo ipſo tempore & loco, ubi & quando cultum divinum exercet, crimen læſæ Maj. divinæ committit, de quo infrà dicendum erit. *Nam læditur quaſi Deus per miniſtros ſuos.*

5. Extra cultum divinum verſantis perſonæ eccleſiaſticæ dignitas ſpectatur quæ delictum aggravat. Cumprimis verò attenditur an occiſus fortaſſe fuerit pœnitentiarius homicidæ. *Nam pœnitentiario ſuo quiſq; Chriſtianorum obligatus eſt ad exhibendam benevolentiam & amorem ſingularem: injuſtum verò eò majus eſt, quò plus amoris & benevolentiæ homicida occiſo debuit.*

6. Privatus qui occiditur vel ſe defendere poteſt vel non. Qui ſe defendere nequeunt occiſi aggravant pœnam homicidæ. *Nam qui ſe defendere nequeunt veluti infantes, ægroti &c. miſerabiles perſonæ ſunt, quibus ab aliis naturaliter debetur miſericordia & auxilium.*

um. Cùm ergò hoſce lædens ipſis debeat naturaliter miſericordiam; eò magis injuſtum eſt homicidium in illos perpetratum. Quapropter ordinariam pœnam JCti aggravare ſolent; pœnæ gladii addentes, ut homicida trahæ impoſitus ad locum ſupplicii rapiatur, vel etiam ut cadaver rotæ imponatur. Si ex iracundiâ commiſſum ſit homicidium tale, arguitur etiam maxima in homicidâ vitioſitas, dum talis perſona miſerabilis ad tantam iracundiam non niſi extremè vitioſum provocare poſſe videtur.

7. Perſona porrò occiſa vel extranea eſt vel ſangvine aut affinitate homicidæ juncta. Quod in conjunctam perſonam committitur, translatâ voce à ſpecie ad genus ſignificandum, appellatur parricidium. Sangvine juncti vel ſunt aſcendentes vel deſcendentes vel collaterales. Circa aſcendentes quod fit eſt parricidium in ſpecie ſic dictum, velut quando quis patrem, matrem, avum, aviam &c. occidit. Pœna more Romanorum eſt, ut parricida virgis ſangvineis verberatus deinde culleo inſuatur cùm cane, gallo gallinaceo & viperâ & ſimiâ deinde in mare profundum jactetur; aut ſi mare proximum non ſit, beſtiis objiciatur. Quod nos hodiè imitantes deficiente aquâ ad pœnam rotæ delinquentes condemnare ſolemus. *Nam ſummè injuſtum eſt eos quibus vitam debemus noſtram vitâ privare. Quâ de cauſâ nec parcitur iis qui occidunt parentes ex quibus illicito coitu procreati ſunt: debet enim & ex meretrice natus matri ſuæ vitam.*

8. Homicidium circa deſcendentes committi poteſt vel in eos, qui jam nati vel eos qui nondum nati ſunt, ut quando mulier abortum facit. Pœna ordinaria abortûs, ſi partus vitalis ſit, hodiè eſt gladii. *Nam licet in fœtu qui adhuc in utero eſt nulla propemodum ſe exſerat facultas præterquam vegetativa quæ & plantis ineſt: animam tamen humanam adeſſe extra dubium eſt. Demonſtratum quippe ſuperius eſt, inferiores animæ facultates velut vegetativam & ſenſitivam aliter homini ineſſe aliter animalibus & plantis; ſimili petito à triangulo quod vel abſolutè eſt vel in quadrangulo.*

9. Liberi nati alii ſunt teneræ alii adultæ ætatis. Utrorumque cædes æquali pœnâ, parricidii nimirum, coërcetur, niſi quòd circa eos qui ſunt adultæ ætatis quandoque contingere poteſt, eam minus injuſtam fieri. *Nam adulti nonnunquam ſeſe indignos reddere poſſunt pietate patriâ committendo in parentes quæ liberos non decent: at ſi tale quippiam non fiat aut fieri nequeat, aggravatur injuſtum per hoc quod parentes qui naturâ ducuntur ad exhibendam liberis, quos norûnt ſecum idem eſſe, ſummam caritatem procedant ad cædem eorundem. Quæ cauſſa eſt, quare noſtri legislatores infanticidia parricidiis in ſpecie ſic dictis æquiparârint.*

10. Fra-

10. Fratricidia & homicidia in conſangvineos cæteros & affines ſolent pœnâ ordinariâ gladii nim. affici, addito tamen quodam eam augente v. g. ut delinquens trahæ impoſitus ad ſupplicium rapiatur. *Quamvis enim tantus inter has perſonas amor non ſit, quantus inter parentes & liberos: eſt tamen amor quidam naturaliter inhærens quem alter alteri debet. Nam ita comparatum eſt, ut naturaliter qui norunt ſe idem quiddam eſſe ſeſe ament. Unde cùm hic amor naturalis unà lædatur, injuſtum majus oritur: cùm enim natura inter omnes homines quandam cognationem conſtituerit, ne alter alterum lædat, tum verò magis peccatur majusq; injuſtum oritur, ſi alter alterum occidat, inter quos major quædam & arctior cognatio & conjunctio eſt.*

11. Mariticidium & Uxoricidium jure quidem civili ſimplicis homicidii pœnæ ſubjiciuntur *argt. l. 9. §. 1. ff. de L. Pompej. de Parricid.* Jure verò ſaxonico parricidio propriè dicto æquiparantur. *Nam cùm Deus ipſe ſocietatem conjugalem arctiſſimam & individuam mediante ſummâ caritate, quæ propagandi generis humani gratiâ implantata eſt, cohærentem voluerit; manifeſtum eſt hiſce delictis lædi aliquam caritatem & arctiſſimam conjunctionem à caritate parentum erga liberos non multum differentem. Sed apud Romanos ob crebra divortia, quæ fieri ſolebant, hæc ita non ſunt obſervata.*

ARTIC. II.
DE INJUSTITIA HOMICIDICII QUATENUS LOCO ET TEMPORE AUGETUR.

1. *Suprà, cùm de gradibus injuſtitiæ ageremus, docuimus injuſtum augeri, ſi inferatur malum privans bono quod magis deſideratur vel hoc loco hoc tempore. Quam ob cauſſam conſultum erit videre, quomodo injuſtum quod ineſt homicidiis augeatur circumſtantiis loci & temporis.*

2. Locus, quo cædes perpetratur, vel eſt publicus vel privatus & hic iterum vel proprius occiſi vel alterius. Videtur aggravari delictum, ſi quis occidatur in propriâ domo; ſoletque hodiè reus non modò ad gladium, ſed etiam ut cadaver ipſius rotæ imponatur, condemnari. *Nam qui occidit eo in loco, ubi hominibus plus ſecuritatis debetur, plus injuſti committit quàm occidens alibi. At plus ſecuritatis debetur cuilibet in ſuâ domo; quia domus cuivis tutiſſimum receptaculum eſſe debet. Quapropter cùm præter cædem illatam, ejusmodi delicto etiam læſa ſit ſecuritas domeſtica, perpetrantem hoc*

ipſum raptori Ddres equiparant. Sed notandum, hanc pœnam non dictari, niſi occidendi animo homicida domum alterius intrarit; ſi enim alio ſine intrârit domum & aliquandiu ibidem commoratus iráq; accenſus occiderit, pro ſimplici homicida reputatur. Nam tunc læſæ ſecuritatis cauſſa non per ſe, ſed tantùm per accidens vel remota eſt, ob incogitantiã.

3. Publicus locus eſt vel via publica vel alius quidam locus privilegiatus. Qui in viâ publicâ ex propoſito & expectans ibidem adverſarium adhibitis armis illum occidit incidit in crimen quod vocatur vis publica, de quo inferius; ſed forte fortunâ & dum inter obambulandum rixa oritur occidens ſimplex homicidium committit. *Nam ejus, quod ratione viæ publicæ committitur, tantùm cauſſa per accidens eſt: intentio quippe ejus eſt occidere, non in viâ publicâ; quippe quem locum adhoc non ſingulariter elegit.*

4. In loco privilegiato v.g. palatio principis occidens ſolet præviâ amputatione manûs gladio feriri. *Nam locus privilegiatus nihil aliud eſt quàm is, quo cuiq; præ cæteris locis debetur ſecuritas, quæ læſa unà cum vitâ occiſi reddit injuſtum majus. At ſi occidendi gratiâ palatium quis non intrârit, nonne etiam cauſſa per accidens illius læſæ ſecuritatis dicendus & propterea ſimplicis homicidii pœnâ afficiendus erit? Reſpondeo incogitantiam, quam qui prætendit vult reputari cauſſa per accidens læſæ ſecuritatis, arguere in ipſo graviſſimum iracundiæ vitium. Dum enim peccavit, ubi degit qui peccantibus terrori eſſe debebat, ſignum edidit extremi iracundiæ vitii, aggravantis pœnam eodem modo, ac ſi ex propoſito læſiſſet ſecuritatem.*

5. Gravius quàm ſimplex homicida peccat & is qui die aliquo feſto cultui divino vel honori principis vel etiam ipſius occiſi deſtinato occidere propoſuit. *Nam hiſce diebus cuiq; quam maximè debetur ſecuritas: unde gravius peccatur majusq; injuſtum committitur quàm alibi. Sed qui ſubitâ rixâ commotus ad iram hæc meditari non potuit, nullius niſi ſimplicis homicidii cauſſa per ſe exiſtit.*

ARTIC. III.
DE
GRADIBUS IRACUNDIÆ POENAM HOMICIDII AUGENTIBUS.

1. Qui adhibitâ quâdam crudelitate occidunt meritò gravius puniuntur quàm ſimplices homicidæ. *Nam vitium in eo majus eſt, qui non contentus morte alicujus ſævit etiam in corpus, illud multis vulneribus dilaniando, membra abſcindendo ut eò horribilius compareat.*

Et

Et proinde ſolent Ddres præter pœnam gladii etiam hoc addere, ut reus traha impoſitus ducatur ad ſupplicium.

PARS SECUNDA.
Hujus Membri.

DE

IIS QUÆ POENAM HOMICIDII ORDINARIAM MINUUNT VEL TOLLUNT.

1.* Pœnam ordinariam homicidii mitigantia vel planè omnem pœnam tollentia ſunt. 1. Incertitudo cauſſæ efficientis. 2. Si delinquens ſit tantùm cauſſa remota & non proxima, quod contingit in culpoſis homicidiis. 3. Si quis tantùm cauſſa per accidens mortis alterius exiſtat, quod contingit in caſualibus homicidiis. 4. Si cauſſa efficiens non operetur mediante potentiâ malorum activâ perfectâ. 5. Si mors non ſit injuſtè illata. 6. Si operationem mors non ſit ſecuta. 7. Si homicidium doloſum & conſummatum alia jubeant impune eſſe vel pœnam ejusdem mitigari. *Nam hæc omnia præced. cap. demonſtrata dedimus quòd ſint ea quibus pœna mitigatur vel planè tollitur.*

ARTIC. I.

DE

HOMICIDIIS CIRCA QUÆ DE CAUSSA EFFICIENTE DUBITATUR.

1. *Hactenus conſideravimus quomodo auctâ vitioſitate augeantur pœnæ homicidiorum: ſequitur, ut ordine perpendamus ea quæ pœnas minuunt ordinarias vel veniam pariunt.* Primum autem & principale minuens vel tollens pœnam ordinariam eſt dubitatio de cauſsâ efficiente. *Nam nemo puniri poteſt, niſi de quo compertum habetur quòd alicujus mali cauſſa efficiens exiſtat.*

2. Duobus verò modis gignitur dubitatio de cauſsâ efficiente, dum vel conſtat de operatione & ignoratur perſona vel ſcitur perſona & latet operatio, ex quâ cognoſcitur quod cauſſa efficiens fuerit. Latet perſona, quàndo plures vulnerarunt, de quibus, quòd conſpirârint in necem, aut quisnam horum vulnus inflixerit, non conſtat. *Nam ſi notum ſit conſpiraſſe eos & habuiſſe animum occidendi, omnes ordinariâ pœnâ plectuntur velut aliqua ſocietas quæ occidit. Quod*

itidem fit, ſi conſtet ſingulos lethaliter vulneraſſe adeoq́; cauſſas efficientes mortis exſtitiſſe. Nulli namq́; parcitur de quo compertum habetur quòd cauſſa efficiens exſtiterit. At ſi nulla praeceſſerit conſpiratio nec conſtet quisnam vulnerantium inflixerit vulnus lethale, omnes puniri gladio non poſſunt: plecterentur enim unà qui injuſtæ cædis cauſſæ efficientes non ſunt. Adeoq́; ne pœna tangat innocentem, omnibus extraordinaria pœna, carceris nim. vel relegationis dictatur.

3. Operatio latet, ſi non conſtet, an etiam eo motu cujus principium quis fuit mors illata ſit. Quo caſu ad pœnam ordinariam procedi nequit. *Nam ſi non conſtet eo motu, cujus principium quis exſtitit, illatam mortem eſſe, nec poterit is cauſſa efficiens mortis dici. v.g. Titius vulneravit Mævium, qui poſtea mortuus eſt. non poteſt Titio ordinaria pœna homicidii dictari, niſi ſciatur vulnus lethale eſſe. Nam ſi ignoretur an vulnus lethale ſit, Titius quidem motûs, quo vulnus inflictum eſt, principium exiſtit; incognitum tamen eſt, an etiam habendus ſit pro cauſſâ efficiente mortis: neq́; enim manifeſtum eſt, an & eo motu mors illata ſit. Quapropter ceſſabit hoc in caſu pœna ordinaria ſubſtitutâ paulo mitiori, prout cæteræ circumſtantiæ hoc ſvadent. Sic v.g. mulier quæ ex prohibito coitu concepit occultare volens ſuam impudicitiam, paritura inſidet latrinæ in eamq́; infantem immittit. Hoc in caſu quia dubium eſt, an infans vivus & hoc ipſo mulieris facto occiſus, an verò in utero materno jam mortuus editus fuerit, non audent Ddres ordinariam, cullei nimirum, pœnam dictitare ſed pro animo tam miſerè fœtum enecandi, quem mulierem habuiſſe deprehendunt in ſolâ gladii pœnâ ſubſiſtunt cautè ſatis, ne ſæviſſimam hanc pœnam inferant ei quæ cauſſa efficiens mortis non exſtitit; & ne, ſi mitior inferatur, flagitioſiſſimæ mulieres anſam arripiant pœnam mortis per hoc effugere.*

ARTIC. II.
DE
CULPOSIS HOMICIDIIS.

1. Culpoſa homicidia delinquentem cauſſam remotam habent, nec regulariter ordinariâ ſed mitiori quâdam pœnâ afficiuntur. *Nam demonſtravimus prec. cap. membr. 2. artic. 2. n. 3. hominem cauſſam remotam injuſti ordinariæ pœnæ non poſſe ſubjici. Hinc loco pœnæ gladii ſolent Ddres pro ratione circumſtantiarum & graduum culpæ modò fuſtigationem, modò relegationem, modò pœnam carceris vel pecuniariam dictitare.*

2. Cul-

2. Culpoſum homicidium non eſt quod mandans per alium committit. *Demonſtravimus enim cit. artic. 2. n. 2. eum, qui mandat delictum, non cauſſam remotam ſed proximam eſſe, & proinde ordinariam mereri pœnam.*

3. Sed qui conſiliis & perſvaſionibus occaſionem occidendi præbent cauſſæ remotæ ſunt homicidii & paullò mitiori quàm gladii fuſtigationis nim. vel relegationis pœnâ afficiendi. *Nam hi, dum conſilium ſuggerunt non excitati voluptate, quæ ex morte occiſi percipitur, ſed benevolentiâ ejus, cui conſilium ſuggerunt, vel alio fine quem intendunt, potentiam mali activam in operante excitant, nec tamen cauſſæ proximæ ſunt.* Difficile autem vulgò reputatur mandatum à conſilio dignoſcere, & Ddres hac in parte duo obſervant, quibus eadem diſcernant, nim. 1. cujus gratiâ homicidium ſit commiſſum: *ſi enim occidentis magis quàm mandantis gratiâ ſit, potius conſilium quàm mandatum eſſe judicant. v. g. Titius ſvaſu Sempronii Mævium, à quo læſus eſt, occidit: ſuæ vindictæ non Sempronii gratiâ facit; & proinde Sempronius conſultando potius quàm mandando peccaſſe videtur.* 2. an qui occidit idem facturus fuiſſet, licet is, qui pro mandante habetur, nihil dixerit; fortè ſi inimicitiæ capitales inter committentem homicidium & occiſum interceſſerint. *Ratio ex noſtris principiis patet; quia nemo poteſt concipi cauſſa proxima alicujus delicti, niſi excitetur à malo quod per illud infertur ad operandum vel per ſe vel per alios. At ſi ejus, qui pro mandante habetur, gratiâ operatio non ſit peracta nec aliàs is qui occidit id facturus fuiſſet; ſignum eſt, eum qui pro mandante habetur non excitatum fuiſſe ad delinquendum per alterum à malo quod per delictum infertur; & per conſequens nec cauſſam proximam mali exiſtere.*

4. In genere pro cauſsâ remotâ homicidii habetur qui quid facit quo excitatur potentia, ut res habilis fiat ad interimendum hominem, nec præcavet hoc, meritò propterea extraordinariâ pœnâ afficiendus *v. g. ſi putator, cùm ex arbore ramum dejiceret, non præclamaverit & prætereuntem occiderit. Nam cit. artic. 2. n. 4. demonſtravimus, fieri quem cauſſam remotam, ſi in quodam operante fuerit cauſſa excitandi potentiam activam.*

5. Deinde & is cauſſa remota eſt qui in enecato excitavit potentiam paſſivam i. e. reddidit eum habilem & diſpoſuit ad ferendam mortem. *Nam & hoc modo quem fieri cauſſam remotam cit. loc. oſtendimus.* Sic feriens alterum inſtrumento non lethali, aut infligens vulnus non lethale, ſi quid accedat mortem inferens, cauſſa remota eſt homicidii & modò fuſtigatur, modò relegatur modò in carcerem conjicitur pro ratione circumſtantiarum. *Nam diſponit*

homi-

hominem & habilem reddit ad patiendum & recipiendum id quo mors infertur. Sic mulier exponens infantem, qui expoſitus moritur, cauſſa remota mortis eſt. *Nam intentio ejus eſt hoc agere, ut lateat ſtuprum & alius quispiam inveniens infantem ex miſericordiâ eum nutriat: ſed quia expoſitio reddit infantem habilem ad recipiendum ea, quæ mortem inferunt, cauſſa remota mortis eſt: & proinde fuſtigatio eidem decerni ſolet.* Pari ratione mulier ſuffocans infantem in lecto cauſſa remota tantùm eſt mortis. *Nam dum infantem in lectum recepit ſomnum carptura, ipſa dormiens quidem mortis cauſſa proxima non eſt, niſi per accidens; ſed remota, quia in infante potentiam paſſivam in ſe activam preparavit: & ita cauſſa cauſſa exſtitit. Hinc ſi mulier cauſſa intempeſtivi ſomni fuit, forte quia ebrietas eum cauſſata eſt, vel relegatione vel fuſtigatione afficitur.* Eadem pœna dictatur mulieribus, quæ celandi ſtupri gratiâ hoc agunt, ut ſolæ pariant, unde impotentes redditæ abluere infantem nequeunt, ut ita ſordibus pereat. *Nam dum conſultò ſeſe abſcondunt, cauſſa exiſtunt, ut infans ablui nequeat.* Ita nec percutiens mulierem, ut abortum faciat, cauſſa proxima abortûs eſt ſed cauſſa cauſſæ, ſi hac intentione non percuſſit ut abortum faceret.

6. Prudentis autem judicis eſt probè attendere intentionem agentis. *Nam ſolent homines, quò ordinarias pœnas effugiant, ſimulare culpoſa delicta; quæ tamen, qualia ſint, intentio declarat: ſi enim excitatus morte ejus, qui periit, tale quid fecit, quò cauſſa remota videretur; nihilominus, tanquam cauſſa proxima eſſet, pœnâ ordinariâ afficitur. v. g. Mulier enixa infantem non abluit nec ablui curat optans ut ita pereat. Non eſt hæc propriè cauſſa remota, ſed quodammodo proxima; quia omiſſio ablutionis excitata eſt in eâdem ab hoc fine, quò infans periret. Interim tamen huic minus vitii ineſſe videtur quâm aliis quæ excitantur ad operandum infantum ſuorum mortem. Quapropter ſolent Ddres ejusmodi caſu non cullei ſed gladii pœnam dictare. Ita mulier exponens infantem in loco ſolitario, ubi mediâ perire cogitur, non habenda eſt pro cauſſâ remotâ mortis ſed proximâ: dum enim in loco ſolitario infantem expoſuit, videtur hoc ipſo ad expoſitionem excitata, quò infans periret. Unde nonnulli Ddres ipſi ordinariam, nonnulli gladii tantùm pœnam dictitant; ſine dubio hac de cauſſâ, quia in eâdem aliquid miſericordiæ & caritatis eſt faciens ne inſpicere mortem infantis queat, & proinde minor quàm in cæteris vitioſitas.*

ARTIC. III.
DE
CASUALIBUS HOMICIDIIS.

1. *Ex ſuperioribus conſtat, caſualia homicidia alia eſſe de caſu fortuito alia de caſu improviſo: unde de utrinq; ſeorſim tractandum erit.*

2. Caſualia de caſu fortuito liberant ab omni pœnâ. *Nam nihil cauſſæ homini ineſt, ſi quid fit vel à ſolâ fortunâ vel à ſimplici quâdam neceſſitate v. g. ſi venti vi de tecto dejectus inciderit in caput alterius: ineſt enim principium impellens ſoli vento. Similiter & hæc homicidia caſualia ſunt, ſi tonſor in ſuâ officinâ radens barbam feriatur lapide ut impulſum ipſius brachium gulam hominis abſcindat. it. ſi miles eo in loco, ubi exercitia militaria inſtituuntur, projiciat globum & inopinatò occurſantem feriat. Nam nullus horum cauſſa per ſe mortis dici poteſt; ſed tantùm per accidens.*

3. Caſualia de caſu improviſo aliquid culpæ admixtum habent & propterea levi aliquâ pœnâ ſunt digna. *Eſt enim hominis prudentis adverſus nonnulla fortuita ſe præparare; qualia ſunt quæ à propinquis proveniunt accidentibus. (ita enim Ariſtoteles ſubtiliſſimè accidentia, quæ fortuitorum principia ſunt, diſtingvit, dicendo; alia propinquiora alia remotiora eſſe; illa prævidere quodammodo & adverſus eadem ſeſe præmunire prudentem & multâ rerum experientiâ inſtructum decere) v. g. ſi miles tenens in manu haſtam ex ſonitu tormenti ita conſternatur, ut eam manu dimittat & hac concidente puer propè adſtans occidatur: eſt quidem hoc caſuale; ſed quia virum fortem hoc non decet, videtur miles ob defectum fortitudinis aliquid ad caſum conferre. Hinc fortaſſe non inconveniens eſt, hunc militem dimitti aut indictâ multâ puniri. Jure Saxonico qui ejusmodi caſualium homicidiorum reus deprehenditur ad VVehrigeldium condemnari ſolet.*

ARTIC. IV.
DE
COMMITTENTIBUS HOMICIDIA EX MERE NATURALI POTENTIA ET IMPOTENTIA.

1. Infantes & furioſi nullum ob homicidium pœnâ publicâ affici poſſunt. *Nam hos fati infelicitas, illos conſilii innocentia tuetur. Infantes quippe deſtituti omni calliditate ex merâ potentiâ naturali operantur;*

rantur; in furioſis verò cernitur quædam impotentia judicandi ex morbo quodam naturaliter proveniens.

ARTIC. V.
DE
HOMICIDIIS QUÆ PER POTENTIAM MALI ACTIVAM IMPERFECTAM COMMITTUNTUR.

1. *A potentiâ mali imperfectâ ſuperius diximus provenire peccata quæ ex affectu magis quàm ex vitio perpetrantur. Talia ſunt homicidia quæ fiunt ex calore iracundiæ. De quibus nunc dicendum eſt.*

2. Ira non facilè excuſat homicidia. *Eſt enim affectus hic naturâ neq; bonus neq; malus: & proinde bonitatem omnem & malitiam ſuam habet ab exceſſu & defectu, & facultate eundem moderandi: cum autem, qui irâ concitatur ad hominem occidendum, in exceſſu peccare extra dubium videtur.*

3. Nonnunquam tamen ira ab ordinariâ pœnâ liberat, ſi cauſſa ejusdem talis fuerit, quæ movere ſolet ejusmodi vehementiam iræ, cui homo non facilè reſiſtere valet. *Nimiam enim affectuum celeritatem & vehementiam ab ordinariis pœnis liberare ſuperius traditum eſt. v.g. ſi deprehendens aliquem uxori, filiæ, ſorori, matri ſtuprum inferentem eundem occidat, ſubjici ordinariæ pœnæ non poſſe videtur. Et hiſce in caſibus iterum decet prudentem judicem gradus affectuum ſpectare.*

4. Nonnunquam & metus cauſſa eſt homicidii, quando metuens malum movetur ad illud declinandum mediante homicidio. Sed ejusmodi affectus parum excuſat ab ordinariâ pœnâ, prçſertim ſi huic vitioſa actio cauſſam dederit. *Nam talis homo ſine dubio ex vitio injuſtitiæ particularis operatur, dum adimit vitam alteri evitandi mali imminentis gratiâ, cujus ipſe ſibi cauſſa exſtitit. v.g. Si raptor metuens proditionem pœnam rapinæ evitare ſtudeat occidendo eum quem olim ſpoliavit. it. ſi mulier metuens rigorem & ſeveritatem parentum infantem editum occidat. Quo in caſu mulieri non quidem culei, gladii tamen pœnam Ddres dictare ſolent. Nam licet vitioſa actio cauſſam metui dederit; quia tamen ceſſante metu illo fortaſſe ad tale facinus mulier progreſſa non fuiſſet; hinc non poteſt colligi in eâdem fuiſſe extrema vitioſitas, quâ cæteræ mulieres in ejusmodi metu non poſitæ infantes ſuos occidentes laborant. Unde meritò ſævitiâ pœnæ ſepoſitâ hic pœnam gladii inferri ſufficiens videtur.*

5. Me-

5. Melancholia inſignis & furori proxima itidem ab ordinariâ homicidii pœnâ liberat. *Nam ejusmodi melancholici affectibus laborant ſuâ vehementiâ nimis excedentibus. Hinc parci ſolet cadaveribus eorum qui notabili quâdam melacholiâ ducti violentas manus ſibi intulerunt.*

ARTIC. VI.
DE
HOMICIDIO EX IMPOTENTIA, CUJUS QVIS SIBI CAUSSA EST, PERPETRATO.

1. *Varia ſunt genera impotentiæ, de quibus præced. cap. egimus. Inter alia autem & impotentiæ annumeravimus hoc, ſi parens imperio potentioris injuſtum committat.*

2. De pœnâ eorum, qui juſſu ſuperiorum occidunt, nihil certi univerſaliter determinari poteſt. *Nam varii ſunt gradus imperantium ratione potentiæ & facultatis nocendi; ſunt etiam juſſus & minæ accedentes non unius generis.*

3. Ad minimum tamen qui juſſu aliorum, ſub quorum poteſtate ſunt, quid commiſerunt à ſævitiâ & crudelitate pœnæ immunes eſſe debere videntur. *Nam qui quid commiſit quod non commiſiſſet, niſi juſſus præceſſiſſet, nec videtur extremâ vitioſitate laborare. Unde & ſimplici pœnâ mortis, omiſſâ crudelitate afficiendus videtur. Ita v. g. mulieri, quæ juſſu parentum infanticidium perpetravit, ſolam gladii pœnam Ddres dictare ſolent.*

ARTIC. VII.
DE
MORTE VI OFFICII VEL POTESTATIS ILLATA.

1. *Non injuſta eſt cædes quæ vel vi officii & poteſtatis vel bello privato non injuſto infertur.*

2. Qui vi officii aut poteſtate aliquâ legibus conceſsâ (*v. g. ſi quis transfugam occidat. L. 3. §. ult. ff. ad l. Cornel. de ſicar.*) inferunt mortem hominibus, tantum abeſt ut reprehendendi vel puniendi, ut potius laudandi ſint. *Nam hi malis medicinam afferunt.*

3. Sæpius autem fit, ut aliquam poteſtatem habentes eâdem abutantur, & jus vitæ & necis non habentes illud ſibi arrogent, qui meritò, ſi aliæ circumſtantiæ id non diſſvadeant, pœnæ ordinariæ ſubjici poſſunt. *Nam dum poteſtate ſuâ abutuntur faciunt id quod vi poteſta-*

poteſtatis ſuæ facere nequeunt, & ita peccant quemadmodum homines communiter nullam poteſtatem habentes. Sic parentes qui ſuos liberos occidunt, licet hi pœnam mortis commeriti ſint, non immunes ſunt à pœnâ. Nam patria poteſtas in pietate debet, non atrocitate conſiſtere.

ARTIC. VIII.
De
DEFENSIONE NECESSARIA LIBERANTE A POENA HOMICIDII.

1. Utentes neceſſariâ defenſione nec moderamen inculpatæ tutelæ excedentes ab omni pœnâ immunes meritò ſunt. *Nam quod fit per bellum privatum licitè ſuſceptum & geſtum puniri nequit.*

2. Hinc virgo aut honeſta fœmina impunè occidit violentum ſtuprum inferre nitentem, ſi aliâ ratione imminens malum avertere nequeat. *Eſt namq́, pudicitia bonum, quod ſemel ablatum recuperari nequit, & proinde bello privato non injuſtè defendi poteſt.*

3. Viator reſiſtens latronibus & occidens eoſdem non punitur. *Nam cùm perſonæ latronum ſint incognitæ, ad magiſtratum deferri nequeunt.*

4. Eſt & à pœnâ abſolvendus qui furem nocturnum, quem nec cognoſcere nec clamoribus vocato auxilio à furto abſtinere nequit, occidit. *Nam hic gerit bellum privatum non injuſtum; quia aliâ ratione ſua bona tueri & damnum avertere nequit. Contrà qui non clamat, ſed ſtatim occidit, videtur potius vindictæ ſtudio quàm animo ſeſe defendendi id facere. Ut adeò non immeritò LL. XII. tabb. clamare juſſerint prius impunè occiſurum. Hodiè in eum, qui ita moderamen excedit, relegationis vel fuſtigationis pœna ſtatui ſolet.*

5. Par ratio in eo eſt, qui invaſus ab altero periculum mortis aliâ ratione, quàm invaſorem occidendo, effugere non potuit. *Nam hic nihil omiſit quod ad bellum privatum non injuſtum requiritur, & propterea meritò ab omni pœnâ liber eſt.*

6. Quemadmodum nec is pœnæ ſubjiciendus eſt qui ſui patris vitam non aliâ ratione, quàm occidendo aggreſſorem, defendere potuit. *Facit namq́, filius id ad quod naturaliter obligatus eſt.*

7. Contrà qui ſine bello privato vel in bello non injuſtè ſuſcepto ſine cæde malum avertere poterant moderamen inculpatæ tutelæ exceſſiſſe deprehenduntur, & propterea pœnæ cuidam extraordinariæ ſubjiciuntur. *Hinc provocati ad duellum ſine contumelioſis verbis adverſarium occidentes pœnâ fuſtigationis; contumeliis*

verò

verò irritati, ut comparerent, relegationis vel pecuniariâ pœnâ affici ſolent: modò auctores rixæ non exſtiterint.

8. Pœnam quoque extraordinariam declinare nequeunt, qui, cùm ſine periculo vitæ fugere poſſent, id non facere ſed invadentem occidere maluerunt. *Nam hi neceſſariam defenſionem & bellum privatum non injuſtum prætendere nequeunt. Sunt tamen gradus pœnarum conſtituendi: quia nonnulli fugam fœdam & turpem opinantur, velut milites & equeſtris ordinis homines, qui proinde mitius puniendi videntur.*

9. Pœnæ quoque ſubjiciuntur meritò qui poſtquam adverſario arma eripuerunt eundem occidunt. *Nam cùm potuerint in ſui defenſione ſubſiſtere jam ſatis ſecuri, vindictæ ſtudio ducti occidiſſe videntur.*

ARTIC. IX.
DE
ALIIS QVÆ VIDENTUR HOMICIDIUM REDDERE NON INJVSTVM.

1. Videtur quidem primo intuitu pœna homicidii ceſſare, ſi quæ circumſtantia accedat injuſtum particulare tollens, v. g. ſi occiſus mori optans ſibi mortem irrogaturus fuiſſet, *it.* ſi petierit mortem ſibi inferri, *it.* ſi aliàs moriturus fuiſſet, *it.* ſi homicida & mortem promeritus vel aliàs homo improbus & vitâ indignus fuerit; *it.* ſi vulneratus, antequam ex vulnere moreretur, delictum reo remiſerit. Sed non ita eſt, nec hæ circumſtantiæ homicidam juvant. *Licet enim pœna homicidii jure talionis inferatur & ita ad juſtum particulare pertinere, adeoq;, ſi ceſſet, injuſtum particulare ceſſare videatur: notandum tamen eſt, pœnam hanc vindicativam non, ut læſo, ſed ut Deo ſatis fiat talem pœnam paſcenti, dum ipſius creatura quam non niſi naturâ vel lege mori vult occiſa eſt. Omnis ergò homo ſumens ſibi facultatem occidendi alterum, cùm nec jure, nec à Deo eam conceſſam habeat, pœnam talionis meritò ferre tenetur.*

ARTIC. X.
DE
POENA CONATVS IN HOMICIDIO.

1. Olim apud Romanos etiam conatus ordinariâ pœnâ afficiebatur, hodiè non item. *Nam qui hominis occidendi cauſâ cum telo ambulat lege Cornel. de ſicar. tenetur. l. 1. pr. ff. ad L. Cornel. de ſicar.*

car. & Paulus in l. 7. cod. tradit: in lege Corneliâ dolum pro facto accipi. At hodie, quando nos Chriſtiani homicidis pœnam talionis ex voluntate divinâ dictamus, nemo homicidii pœnâ niſi, eo crimine perfecto, afficitur.

ARTIC. XI.
DE
IIS QVÆ SVADENT DOLOSIS HOMICIDIIS PARCI VEL ORDINARIAM HORUM POENAM IN EXTRAORDINARIAM MVTARI.

1. Si contingat homicidam ſine ſuâ culpâ diuturno afflictum fuiſſe carcere, non ordinaria ſed extraordinaria ipſi dictari pœna ſolet. *Nam ſi diuturno carceri pœna ordinaria ſubjiceretur contingeret eum gravius puniri quàm debebat.*

2. Jure Romano dignitas quoque perſonæ occidentis attenditur, apud nos Chriſtianos hodiè non item. *Nam l. 3. §. 5. ff. ad L. Cornel. de ſicar. diſtingvitur inter eos qui honeſtiori loco poſiti ſunt & inter humiliores. At quia ſummus Legislator Deus noſter nullam rationem dignitatis fecit, ſed talionem urſit, nec noſtrum eſt reſpectum dignitatis perſonarum habere.*

MEMBR. II.
DE
VENEFICIO.

1. *Cædes clandeſtinæ fiunt vel per venena præparata vel per magicas artes; & de his quidem diſſerere infrà locus erit; nunc tantùm de cædibus, quæ ſine artibus magicis adhibitis venenis perpetrantur, tractaturi ſumus.*

2. Venefici hodiè gravius quàm reliqui homicidæ puniuntur. *Nam Ordinat. Carol. artic. 130. conſtitutum, ut qui citra magicas artes potionibus & venenis aliquem occidit, ſi mas ſit, rotâ, ſi fœmina, ſuffocatione per aquam puniatur. Conſuetudo autem hodierna dictitat etiam fœminas pœnæ rotæ ſubjiciendas eſſe. Ratio eſt, quia vitioſitas pariens hoc delictum rarò eſt iracundia ſed plerumq; avaritia vel alia quædam vitioſitas iracundiâ deterior. Quâ de cauſâ etiam veneficia ratione pœnarum latrociniis itidem ex vitio avaritiæ provenientibus æquiparantur.*

PARS PRIMA.
Hujus Membri.
ARTIC. I.
DE
IIS QVÆ ORDINARIAM VENEFICII POENAM AVGENT.

1. Veneficii ordinaria pœna ſolet augeri, ſi crimen hoc reiteratum ſit. *Nam cùm vitioſitas gignens hoc delictum plerumq; ſit avaritia & latrocinio ſimile reputetur, prout modò diximus, reiteratio autem in latrocinio augeat pœnam, quod infrà demonſtrabitur: etiam quemadmodum latrocinii, ita & veneficii pœna ob reiterationem exaſperari debet: ut ſcil. ſi homines plures diſtinctis vicibus enecati ſint, delinquentes trahâ ducantur ad ſupplicium forcipibusq; candentibus prius urantur.*

PARS SECUNDA.
Hujus Membri
DE
MITIGANTIBUS ORDINARIAM VENEFICII POENAM.

ARTIC. I.
DE
DUBITATIONE CIRCA CAUSAM EFFICIENTEM VENEEICII.

1. Quod *artic. 4. præced. membr.* de homicidio violento tradidimus, pœnam mitigandam eſſe, quando incertum ſit, an reus mortis cauſſa exiſtat nec ne, id quàm maximè & in veneficio locum habet. *Nam licet venenum propinatum ſit, & mors fuerit ſecuta: incertum tamen eſt an venenum præbitum mortem operatum fuerit. Quapropter ſolent periti adhiberi medici, qui ex ſignis colligant, an extinctus veneno perierit nec ne. Quòd ſi verò medici certò aſſerere nequeant venenum propinatum mortem operatum fuiſſe; nec is qui propinavit cauſſa proxima mortis dici poteſt: unde fit, ut ordinaria pœna ceſſet & loco hujus dictetur extraordinaria.*

ARTIC. II.
DE
CULPOSO VENEFICIO.

1. Culpoſum veneficium eſſe videtur, ſi quis necaturo hominem

minem venenum vendit, interim tamen jure civili huic ordinaria veneficii pœna eſt conſtituta. *Nam qui vendit venena videtur principaliter ſuum lucrum intendere, cujus gratiâ operatur & à quo ad operandum excitatur; at propinans magis ab ipsâ morte obtinendâ: ut ita vendens venenum cauſſa cauſſæ venenationis eſſe videatur. Verùm quia pr. huj. membr. diximus, ſolere plerumq́, avaritiam veneficiis principium præbere & venena propinantes lucrum intendere; adeoq́, fœditatem veneficiorum conſiſtere in hoc, quòd turpis lucri gratiâ tam grande facinus ſuſcipiatur; quæ cauſſa etiam eſt, quare venefici eandem cum latronibus pœnam ſubire cogantur: hinc apparet non abſurdum eſſe, eum, qui ſciens emptorem necandi gratiâ ſibi venenum parare, illud nihilominus vendit, eâdem cum propinantibus pœnâ affici, præſertim quando pœna in propinantes non admodum ſevera conſtituta eſt, velut jure civili; eſt enim tantùm gladii. Quo jure & propinantibus æquiparantur qui temerariè cuilibet ementi vendunt, & ,cùm pharmacopolæ non ſint, quibus hoc in civitatibus permiſſum eſt, ad vendendum præparant. Patet ergò, ſi principium & vitioſitas, unde hoc delictum fluit, ponatur avaritia, eum qui turpi lucro ductus propinatum venenum vendidit parum ab hoc differre vitioſitate. Hodiè autem, quando pœna veneficiorum eadem eſt quæ latrociniorum, meritò mitior in diſtrahentes venena ſtatuenda eſt. Nam ratione mortis, quæ infertur, vendens tantùm, cauſſa remota eſt.*

2. Extraordinariâ & mitiori longè pænâ is plectendus videtur, qui cùm poſſet conjecturam capere, ementem propinandi gratiâ ſibi emere, & nihil minus vendit. *Hic namq́, tantùm per negligentiam aliquam inquirendi & ex ſignis conjiciendi cauſſa remota exiſtit, nec turpe lucrum, præbendo inſtrumenta facinori, quærit.*

3. Philtrum ſeu poculum amatorium præbens, unde homo moritur itidem non incidit in pœnam veneficii ordinariam ſed extraordinariam. *Nam dum ad potionem præbendam excitatur à voluptate, quam præbiturus eſt amor quem putatur effectura eſſe, interim novit aut facilè noſſe poteſt mortis etiam vel furoris cauſſam exiſtere poſſe, cauſſa remota ſubſecutæ mortis exiſtit: eſt enim cauſſa illius quod cauſſam mortis eſſe poſſe novit. Hinc philtrum præbentibus hodiè relegatio vel alia arbitraria pœna dictari ſolet.*

ARTIC. III.
DE
CASUALI VENEFICIO.

1. Datur & caſuale veneficium, ut ſi enecaturus mures glireſve in abſcondito aliquo loco venena appoſuerit & petulans puer

eum in locum, ubi poſitum eſt, venerit guſtans illud. Quo in caſu omnem ceſſare pœnam extra dubium eſt.

ARTIC. IV.
DE
VENEFICIO AB INFANTIBUS ET PUERIS COMMISSO.

1. Infantum veneficium, ignorantium quid agant quidve propinent, ſine dubio nulli pœnæ publicæ ſubjectum eſt. *Nam à merâ ignorantiâ provenit & à potentiâ mali activâ merè naturali.*

2. Eorum autem, qui pubertati proximi ſunt, eligentium venenum velut medium tollendi alterum è medio, tanta eſt malitia, ut prudens judex pro ratione circumſtantiarum ad pœnam mortis procedere queat. *Nam calliditas quæ colligitur ex electione hujus medii, arguit malitiam prævenisſe ætatem.*

ARTIC. V.
DE
CONATU.

1. Omittentes contemplari, an detur & veneficium non injuſtum, accedimus ad conſiderationem pœnæ circa conatum in hoc delicto infligendæ. *Nam neceſſaria defenſio vel poteſtas veneno extinguendi alterum hoc in delicto allegari nequit: neq; enim in bellis publicis ejusmodi media ſuſtollendi hoſtes admitti poſſe videntur, nedum in privatis: nec etiam magiſtratus in puniendis hominibus venena adhibere ſolent.*

2. Videtur autem ultimus conatus, *v. g. ſi venenum propinatum non ſatis potens fuit ad hominem enecandum, vel etiam vi veneni medicamentis maturè obviam itum ſit,* non abſolvere reum à pœnâ ordinariâ, ſi jus civile ſpectes. *Nam lege Corneliâ de ſicar. & venefic. dolus pro facto accipitur. Et quidni habendus eſt pro cauſâ efficiente veneficii qui omnem operationem abſolvit, quæ in hoc crimine perpetrando adhiberi conſueverunt.*

3. Solent tamen Ddres hodiè circa conatum etiam ultimum ad ſummum fuſtigationem cum perpetuâ relegatione dictare. *Nam ubi Legislator non expreſſè pœnam ordinariam ad conatum extendit, non audent interpretes id facere. Quæ in medio hic relinquo; quia ad elementa non pertinent.*

ARTIC. VI.

DE IIS QVÆ VIDENTUR, ETIAMSI DOLOSUM VENEFICIUM SIT, A POENA ORDINARIA LIBERARE.

1. In venefico non videtur attendendum ſingulare ejus artificium. *Nam vitium venefici tale eſt & tam periculoſum aliis hominibus, ut nullo inſigni artificio videatur penſari poſſe.*

MEMBR. III.

DE FURTO.

1. Vitioſitas gignens furta eſt avaritia & injuſtitia particularis. *Nam is fur eſt, qui excitatus à lucro è familiâ alterius in ſuam clandeſtinis artibus quid transfert. Id quod ſatis arguit, vitioſitatem, quâ mediante tanquam potentiâ mali activâ fur operatur, eſſe avaritiam & injuſtitiam; quatenus enim fur accipit unde & quod non debebat, avarus eſt, quatenus ſibi plus ſumit, alteri minus relinquit injuſtus.*

2. Cùm apud Romanos furtum regulariter eſſet delictum privatum, hodie publicum eſt ſuſpendii pœnam velut ordinariam promerens. *Nam apud Romanos furta pariebant regulariter actionem civilem tendentem ad pœnam pecuniariam ſolvendam ei qui ex furto læſus erat; manifeſtum quidem quadruplum; nec manifeſtum duplum rei ablatæ. Quamvis conceſſum eſſet etiam criminaliter agere, quod quando fieret, condemnabantur fures vel in pœnam pecuniariam fiſco applicandam vel ad fuſtigationem vel ad relegationem: nunquam tamen ad altimum perveniebatur ſupplicium. Hodiè partim ex Conſtitutione Friderici I. partim jure Saxonico confirmatis per Ordinat. Carol. furum ordinaria pœna eſt ſuſpendium. quæ Carolina conſtitutio ſingulariter circa fœminas pœnam ſuffocationis per aquam dictitat.* Hæc autem quamvis ſevera juſta tamen eſt pœna. *Nam avaritia vitium inemendabile eſt & furta gignens graviter lædit non modò privatos ſed etiam Reſpubl. ipſas ratione ſuorum bonorum. Ridicula eſt objectio, pœnam hanc delicto non eſſe proportionatam & propterea injuſtam: Superius quippe, cùm de pœnis in genere ageremus, oſtendimus pœnas criminales non infligi ſecundum proportionem, ſed eſſe dolores eousq; augendos, donec hiſce deterreantur homines à vitioſis actionibus. Pœna ergò furti tantum abeſt ut paulò ſeverior, ut longè mitior ſit quàm eſſe debebat. Id quod teſtantur patibula cadaveribus furum nondum tali pœnâ deterritorum referta.*

PARS

PARS PRIMA
Hujus Membri

DE GRADIBUS VITIOSITATIS POENAM FURTI ORDINARIAM AUGENTIBUS ET VARIANTIBUS.

1. Gradus vitioſitatis augentes vel minuentes pœnam ordinariam petuntur ab iis quæ avaritiam & injuſtitiam fœdiorem & vitioſiorem vel minus talem reddunt. *Nam has duas vitioſitates principia furtorum eſſe modò diximus.*

2. De ſingulis horum vitiorum gradibus ſeorſim diſſerere non poſſumus, ſed cogimur eorundem contemplationem conjungere. *Nam avaritia arctiſſimo nexu ſibi junctam injuſtitiam habet.*

ARTIC. I. DE FURTO CUM EFFRACTIONE VIOLENTA.

1. Effractio eſt ædium, unde quid auffertur, concluſarum apertio: eſtque duplex, atrox, violenta ſeu ſeditioſa & ſimplex.

2. Atrox violenta & ſeditioſa effractio eſt, per quam pax publica quodammodo turbatur. Læditur autem pax publica, quando armis adhibitâque tali vi, ex quâ facilè tumultus publicè oriri poteſt, effractio fit. *v. g. ſi domum benè munitam maximâ vi quis effregerit. it. Si armis vel inſtrumentis ad vim inferendam adhiberi ſolitis vel etiam cum telo ad furtum faciendum quis acceſſerit.*

3. Furtum cum effractione violentâ & ſeditioſâ commiſſum, quamvis ſit rei parvæ & modicæ, ſuſpendii pœnâ afficitur. *Id namq; introduxit Conſtit. Carol. artic. 159. propterea, quia vitioſior & magis avarus eſt, qui lucri cauſâ non modò ſecuritatem alicujus privati, ſed etiam pacem publicam lædit, vim armis inferendo. Quo namq; plus mali quis infert lucri adipiſcendi gratiâ eò vitioſior & avarior eſt. Unde meritò ejusmodi furibus indiſtinctè, licet injuſtum modicum & res exiguæ æſtimationis ablata ſit, pœna laquei infertur: quò enim injuſtum minus eſt ratione damni circa bona patrisfam. dati, eò fœdior eſt furis avaritia.*

4. Furto cum effractione violentâ commiſſô æquiparatur illud, quod committitur ſcalis admotis, ein Diebſtahl mit einſteigen. *Huic namq; ordinatio Carol. pœnam ſuſpendii ſine diſtinctione dictitat: fortaſſe ob hanc rationem, quia ejusmodi fur talia inſtrumenta adhibet,*

quibus in expugnandis caſtellis uti hoſtes ſolent, ut ita per hoc pacem publicam læſiſſe videatur. A quo tamen rigore practici in Electoratu Saxoniæ abeunt.

ARTIC. II.
DE
FURTO MAGNO.

1. Furtum quod fit ſine effractione violentâ ſolet dividi in magnum & parvum. *Nam circa furtum modicum noluere legiſlatores noſtri pœnam ſuſpendii decernere, ſed circa magnum. Definitur autem in Conſtit. Carol. furtum magnum, quod quinq; ſolidos i. e. aureos Hungaricos ſeu ducatos excedit.*

2. Furto magno dictitata eſt Conſtit. Carol. pœna ſuſpendii, licet ſit ſimplex & ſine violentâ effractione commiſſum. *Nam legiſlatores in determinandâ furti pœnâ etiam injuſti particularis rationem habere voluerunt. Unde tam ſeveram pœnam modico furto dictare veriti ſunt: neq; enim perfecte injuſtus videtur eſſe, qui in re modicâ quâdam lædit: hujus quippe vitii eſſentia in quâdam inæqualitate poſita eſt. Parvo ergo furto vel fuſtigationis vel relegationis tantum pœna pro ratione aliarum circumſtantiarum infligitur.*

3. Si à pluribus unum furtum magnum commiſſum ſit quod diviſum ſingulis affert lucrum æſtimationem furti magni non exæquans, pœnam ſuſpendii Ddres dictare non ſolent. *Cum enim noſtri legiſlatores in irrogandâ pœnâ laquei in ſimplici furto reſpexerint ad injuſtum particulare, & hoc conſiſtat in inæquali, ſi alter plus alter minus habeat; ſinguli verò fures modicum adepti ſint: nec hi perfectè injuſti ſecundum injuſtitiam particularem dici poſſe videntur. Et quamvis ſocii delicti injuſtum particulare inferentis ſinguli tantum habere videantur, quantum per horum delictum ei cui nocitum eſt abeſt; adeoq; ſinguli in ſolidum teneantur: Quia tamen mens noſtrorum LLtorum fuiſſe hæc videtur, tunc pro furto magno, quod hominem perfectè injuſtum arguit, delictum habendum, ſi fur ultra quinq; ſolidos per furtum lucratus ſit: meritò tutius procedunt Ddres in ejuſmodi caſu pœnam fuſtigationis dictitantes. Cenſetur autem quisq; furum in ſocietate lucratus tantum, quantum ipſi ex communi debetur.*

ARTIC. III.
DE
FURTO REITERATO.

1. Furtum etiam modicum reiteratum tertiâ vice, ex *conſtit. Carol. art.* 162. meretur pœnam ſuſpendii. *Nam reiteratio in fure arguit perfectam vitioſitatem ob propoſitum in hac malitiâ perſeverandi,*

&

& perfectam etiam injuſtitiam, ſi furta ſimul ſumpta quinq; ſolidos excedant, quo in caſu eò minus de pœnâ ſuſpendii irrogandâ dubitandum eſt. Unde quæſtio decidi poteſt Ddrum, an etiam is, qui pro duobus prioribus pœnam ſubiit, laquei pœnæ ſubjiciendus ſit. Sed hunc magis quàm eum, qui pœnam paſſus nondum eſt, laqueo enecandum eſſe, inde colligitur, quòd minùs emendabilis videatur, quàm is, qui hactenus nullam pœnam ſubiit: forteſſe enim ſentiens pœnam vitam emendaſſet.

2. Quærunt Ddres, ſi furtum quàm ſæpiſſimè fuerit reiteratum, annon ultra pœnam ſuſpendii procedendum ſit? *Utiq; non dubitarem pronunciare, ejuſmodi furem trahe illigatum ducendum eſſe ad patibulum vel etiam forcipibus candentibus uſtulandum. Nam ſuprà demonſtravimus, Reipublicæ intereſſe, ut, quàm major eſt vitioſitas, eò crudelior reddatur pœna, quò ſingulis vitioſis manifeſtum fiat odium Reipubl. ergà vitioſitatem, & eam omnibus modis fugere diſcant, etiam tum, quando jam habitum contraxerunt. Sed ſolent Ddres in dictandâ pœnâ laquei ſubſiſtere nec ulterius progredi. 1. quòd LLatores noſtri ne quidem tacitè hac de re voluntatem videantur expreſſiſſe. 2. quòd exiſtiment, ſuſpendii pœnam aliàs ſeveram & ſatis gravem eſſe. add. infrà membr. 15. p. 1. art. 1.*

ARTIC. IV.
DE FURTO PRÆVIA APERITIONE ÆDIUM ADHIBITIS CLAVIBUS ADULTERINIS ET ALIIS INSTRUMENTIS COMMISSO.

1. Quærunt Ddres, annon apertura ædium mediantibus clavibus adulterinis & inſtrumentis circa artem furandi ſingulariter confectis pariat vel in modico furto pœnam ſuſpendii. *Si ſola avaritia eſſet vitioſitas, ad quam in pœnis irrogandis noſtri LLatores reſpexerint; non dubitarem utiq; in ejuſmodi hominem, utpote perfectè vitioſum; ordinariam ſuſpendii pœnam ſtatuere: ſed quia ex ſuperioribus conſtat, noſtros LLatores in ordinariâ pœnâ determinandâ etiam rationem habuiſſe injuſtitiæ particularis, id quod indicat diſtinctio inter furtum magnum & parvum: non videtur facilè ea decernenda, niſi furtum magnum ſit. Confirmari tamen ex hiſce circumſtantiis judex poteſt, ne anſam habeat, ſi furtum magnum ſit, dubitandi, an pœna ordinaria infligenda ſit. Nam ejuſmodi præparatio ad furta facienda arguit delictum maximè proæreticum.*

ARTIC. V.

DE SACRILEGIO.

1. Sacrilegium furtum eſt rerum ſacrarum. Res ſacræ ſunt quæ Deo ritè conſecratæ ipſius propriæ eſſe cenſentur.

2. Provenit hoc delictum ab extremâ quâdam & avaritiâ & injuſtitiâ. *Nam auferre res quæ Dei propriæ cenſentur arguit ſummam avaritiam: extremè namq́ avarum oportet eſſe eum qui nec bonis Dei propriis parcit lucri captandi gratiâ, vultq́ Majeſtatem divinam lædere, modò quid lucretur.*

3. Quapropter etiam graviſſima ſupplicia in ſacrilegos ſtatui ſolent. *Quamvis enim & Conſtitutione Carol. & jure civili ſacrilegii pœna ſit arbitraria: pro ratione tamen circumſtantiarũ ad ſeviſſimas pœnas proceditur: teſtatur enim Ulpianus l. 6. ff. ad L. Jul. pecul. ſe ſcire, multos judices ad beſtias damnaſſe ſacrilegos, & Conſtit. Carol. artic. 172. is, qui monſtrantiam, cui ineſt panis conſecratus, furatur, vivus comburi jubetur. In foro verò Saxon. ordinaria ſacrilegii conſtituta eſt pœna, nim, ut membra eorundem rotâ contundantur.*

4. Ordinaria autem ſacrilegii pœna, quam jus Saxonicum conſtituit, ei inferenda eſt, qui res ſacras ex æde ſacrâ furatur. *Nam vel res ſacra ex loco profano vel res profana ex loco ſacro vel res ſacra ex loco ſacro auferri poteſt. Nullum horum æq́ proæreticum ſacrilegium eſt & perfectum quàm ultimum: reliqua minus perfecta ſunt: quâ de cauſſâ & in his Ddres ab ordinariâ pœnâ recedunt, & in ſimplici furti pœnâ dictandâ ſubſiſtunt, præſertim cùm ſimplicis furti pœna hodiè ſatis gravis ſit. Nam aliàs fatendum, hæc duo ſacrilegia eſſe perfecto ſacrilegio quidem minora, ſimplici tamen furto majora.*

5. In pœnis ſacrilegio irrogandis non videtur habenda ratio, an ſint magna vel modica, an facta ſint cum effractione violentâ vel ſine eâ, an ſemel facta an reiterata. *Nam crimen hoc ſuam fœditatem inde conſequitur, quòd homo avarus lucri captandi gratiâ etiam ipſam Majeſtatem divinam lædere audeat, nec eo in loco, ubi Deus colitur, facere furta vereatur: ubi parum ad rem facit, an in re majoris vel minoris æſtimationis id fecerit, an cum tumultu vel ſine tumultu. Adeoq́ rectè videntur procedere in foro Saxon. omnibus, qui perfectum ſacrilegium commiſerunt i. e. rem ſacram è loco ſacro abſtulerunt, eandem pœnam dictando. Quamvis ſecundùm conſtitutionem Carolinam, quâ arbitraria pœna dictitata eſt, & in determinandis pœnis circa furta reliqua æſtimationis rei ablatæ & effractionis ratio potiſſimùm habita fuit, unâ horum ratio haberi debere videatur.*

6. Con-

6. Contrà, quamvis in furtis reliquis concurrentes, v. g. in excubiis ſtantes vel alio modo auxilium præbentes, æquali cum furibus pœnâ afficiantur, quando de lucro participant, in ſacrilegiis tamẽ hoc pacto concurrentes mitiori pœnâ videntur afficiendi. *Nam in communib. furtis nulla deprehenditur vitioſitatis differentia; at in ſacrilegiis quædam: quia ſtans in excubiis ſi veniſſet ipſe in locum eum, ubi ſacramenta diſtribuuntur & homines remiſſionem peccatorum à Divinâ Majeſtate petunt, fortaſſe deterritus à tanto maleficio perpetrando fuiſſet: quod cùm non fecerit qui ſacrum locum intravit vitioſior videtur. Quapropter ſolent hodiè JCti Saxonici ſtantibus in excubiis non rotæ ſed gladii pœnam unà cum impoſitione in rotam dictare.*

ARTIC. VI.
DE
CRIMINE PECULATUS.

1. Crimen peculatus eſt furtum pecuniæ publicæ quæ vel fiſci eſt vel civitatis.

2. Eſtque hoc crimen ſimplici furto gravius. *Nam magis injuſtum eſt, ſi quis auffert ei cui augendo debebat ſtudere: ſunt enim omnes cives obligati ad conſervandam & augendam pecuniam publicam.*

ARTICUL. VII.
DE
FURTO IN LOCO ALIQUO PRIVILEGIATO FACTO.

1. Furtum in loco privilegiato v. g. in palatio principis commiſſum gravius eſt eo, quod perpetratur in loco privato. *Arguit enim in fure majorem avaritiam: qui enim non parcit locis privilegiatis, quò lucrum captet; deterior eſt eo, qui in privato aliquo loco furatur. Videtur etiam planè inemendabilis, qui non veretur in domicilio ejus, penes quem imperium merum eſt & augere pœnas poteſt, peccare. Unde & nonnulli Ddres exiſtimarunt, ejusmodi furi pœnam ſuſpendii etiam ob modicum furtum dictandam eſſe. Noſtri tamen practici pœnam in ejusmodi crimine non aggravant, & quidem, ſi ſpectes mentem noſtrorum LLatorum rectè; quia nuſpiam in tali vel ſimili caſu aggravandam pœnam eſſe innuerunt.*

ARTIC. VIII.
DE
FURTIS QUÆ COMMITTUNTUR IN PAUPERES

1. Fur-

1. Furta in pauperes commiſſa ſine dubio ſunt fœdiora quàm quæ in divites. *Nam ex majori & avaritiâ & injuſtitiâ proveniunt. Qui enim lucri cauſsâ privat eum bonis, cui ut parceret, naturaliter miſericordiâ duci deberet, avarior eſt eo, qui auffert invidiæ communiter ſubjecto: eſt autem pauper miſericordiâ dignus, dives invidiæ expoſitus. Et quia quod pauperi auffertur deſiderabilius eſt, quàm quod diviti, qui non æquè indiget; injuſtius quoque ejusmodi furtum eſt. Id quod & agnovit David 2. Reg. cap. 12. verſ. 2. 3. 4. Quapropter nonnulli Ddres ejusmodi furi etiam ob modicum furtum pœnam ſuſpendii, quæ aliàs in magno furto locum habet, dictare voluerunt.*

2. Ddres tamen plerique non diſtingvunt, an diviti vel pauperi quis abſtulerit. *Nam vident LLatores noſtros ſine diſtinctione perſonarum, quibus factum eſt, furti magnitudinem tantùm ab æſtimatione rei ablatæ petere. Quapropter nec ipſi quicquam præter mentem LLatorum introducere audent.*

ARTIC. IX.
DE
FVRTIS NOCTVRNIS.

1. Salutare eſſet Reipubl. ſi gravius ſupplicium inferretur furibus nocturnis quàm diurnis. *Nam fures nocturni magis latent quàm diurni; ſunt & injuſtiores; quia lædunt ſecuritatem patrumfam. eo tempore, quo magis egent, dum ſcil. dormiunt. Magis verò injuſtum eſt illud crimen, quo læditur bonum eo tempore, quo magis homines eo indigent. Et propterea etiam jus Saxonicum furem diurnum non ſuſpendii, ſed gladii tantum pœnæ ſubjicit.* Land-Recht *lib. 2. art. 39.*

2. Apud nos tamen hæc diſtinctio non attenditur. *Nam nec quod jure Saxon. præcipitur in obſervantiâ eſt.*

ARTIC. X.
DE
ARBORIBVS FVRTIM CÆSIS.

1. *Ne quid omittamus quod ad gradus furtorum cognoſcendos facit, perſequemur ſingulas rerum ſpecies, quæ furto auferri poſſunt. Quia verò furta ſunt rerum mobilium, harum diviſioni inhærendum eſt.*

2. Omnes res mobiles vel animatæ ſunt vel inanimatæ; & hæ iterum conſtant animâ vel vegetativâ vel ſentiente vel rationali.

3. Videntur furta rerum animâ vegetativâ præditarum injuſtiora furtis rerum inanimatarum. *Nam res quæ animam vegetativam*

tivam habent plerumq; non æq; facilè ac inanimata reparari poſſunt: multum quippe temporis requiritur ad hoc, ut arbor coaleſcat.

4. Quamvis ergò crimen arborum furtim cæſarum lucrandi animo ob modò dictam cauſſam graviori pœnâ videatur dignum; Ddres tamen communi furto æquiparare ſolent, ubi loci conſvetudo nihil aliud dictitat. *Nam conſtit. Carol. præcipit, cujusq; loci conſvetudinem obſervandam eſſe.*

ARTIC. XI.
DE
ABIGEATU.

1. Res quæ conſtant animâ ſentiente ſunt bruta, eaque vel fera vel manſveta.

2. Abigeatus eſt furtum quoddam manſvetarum beſtiarum; non tamen omne furtum manſvetarum beſtiarum pro abigeatu videtur habendum. *Nam jure civili definitur abigeatus* furtum pecorum ex paſcuis vel armentis.

3. Abigeatus, prout jure civili ſumitur, gravius crimen eſt quàm furtum ſimplex. *Nam furtum ſimplex committitur etiam ſine ſingulari artificio; abigei autem illi jure civili habentur qui abigendi ſtudium quaſi artem exercent, equos de gregibus vel boves de armentis abducentes. (Qui namq; boves aberrantes & non in paſcuis exiſtentes abducunt non abigei ſed fures hoc jure dicuntur.) Quod autẽ crimẽ ab arte aliquâ provenit fœdius eſt, tanquam à firmiori habitu & majori calliditate proveniens. Quâ de cauſſâ etiam cùm jure Romano furtum eſſet delictum privatum, abigeatus tanquam crimen extraordinarium gladio punitum eſt.*

4. Hodiernâ conſvetudine abigei cæteris furibus quoad pœnam æquiparari & ſuſpendi ſolent. *Nam ſi ſervaretur gladii pœna jure civili introducta, mitius punirentur quàm cæteri fures.*

ARTIC. XII.
DE
VENATIONE, PISCATIONE, AUCUPIO PROHIBITIS.

1. Ferarum in ſylvis, avium in aëre, piſcium in mari & fluminibus publicis nullum videtur dari furtum poſſe. *Nam feræ omnes in ſuâ libertate poſitæ nullius eſſe videntur; quæ res autem nullius ſunt nec cuiquam videntur per furtum auferri poſſe. Furti quippe eſſentia in hoc poſita eſſe videtur, quòd de familiâ alterius in delinquentis*

familiam quid transferatur: feræ autem, quamdiu in ſuâ libertate ſunt, nullius familiæ annumerari poſſunt.

2. Verùm tantum abeſt, ut à furto immunes ſint qui contra juſſa principum venantur, ut longè fœdiori quàm ſimplicis furti crimine ſe polluant. *Nam cùm principes Germaniæ ſuis in territoriis jura Majeſtatis habeant, liberum ipſis eſt de venationibus diſponere, à quibus & quomodo inſtituendæ; ne labores neceſſarii in agriculturâ, paſturâ, opificiis negligantur; ſub prætextu venationum rapinæ, & latrocinia exerceantur, ſpecies ferarum planè exſtingvantur, & ita totus principatus infelix reddatur. Et quia principibus bannum ferinum* die Wildbahn *ſeu jus venandi ab immemoriali tempore uſurpatum & ab Imperatoribus confirmatum eſt, adeò, ut inter regalia referatur: nemo dubitabit concedere, eos qui contra mandata principum venantur extremè vitioſos eſſe; utpote qui lucri turpis cauſſâ non verentur regalia principum violare; quæ violatio quantò gravior eſt violatione ſecuritatis privatorum, eò gravius etiam furto crimen eſt prohibita venatio.*

3. Quapropter in prohibitas venationes non modò quamlibet ſæviſſimam pœnã à principibus conſtitui, ſed &, ſi nullam peculiariter conſtituerint, bonâ conſcientiâ Ddres ad minimum fuſtigationem dictare poſſe non dubitandum eſt. *Omnibus namq; idiotis hodiè ſatis notum eſt, bannum ferinum principum proprium eſſe & nullis, niſi quibus id concedunt, competere; eos verò, qui contra voluntatem principum feras capiunt* Wildprats Diebe *vocari: cùm ergò delinquentes non lateat, ſe pro furibus haberi; quis dubitabit, ipſis injuriam fieri, ſi coguntur eam ſubire pœnam quæ in furtum modicum conſtituta eſt. Verùm quia pœnâ iſtâ homines flagitioſos nondum deterreri experientia teſtatur, poteſt ſalvâ principum conſcientiâ illa usq; ad mortis pœnam etiam ſævam & crudelem extendi. Hinc in Electoratu Saxoniæ qui ſpretâ Electoris auctoritate in banno ipſius ferino deprehenduntur furtim venari & quidem feras majores,* das hohe rothe und ſchwartze oder grobe Wild / *ſuſpendio puniuntur, ſi æſtimatio ferarum captarum, de quarum corpore ſatis conſtare debet, quinq; ducatos excedat.*

4. Cæterùm qui contra prohibitum piſcantur vel aucupantur longè mitius puniendi veniunt. *Nam aucupia & piſcationes non æquè ac venationes ipſi principes exercere ſibiq; reſervare ſolent. Quapropter in Electoratu Saxoniæ pœna arbitraria, relegationis, extenſionis membrorum, fuſtigationis, perpetui carceris, vel operarum perpetuarum pro ratione circumſtantiarum infligitur.*

ARTIC.

ARTIC. XIII.
DE
PLAGIO.

1. Plagium furtum hominis eſt. *Sunt enim homines alii liberè alii ſervi, & horum furtum committi poſſe non eſt dubium; quia ſervi in dominio ſunt. An & liberorum hominum detur furtum dubitari poteſt; quia rebus annumerari nequeunt. Sed quia contingit, liberum hominem clàm aufferri & in ſervitutem redigi, hoc caſu liber homo quaſi ſibi ipſi aut ſi in poteſtate eſt, ſuis parentibus ſubtrahitur, & ita circa eundem furtum committitur.*

2. Eſt autem plagium in liberum hominem commiſſum crimen furto ſimplici longè gravius & omnium furtorum graviſſimum quando liberi parentibꝰ ſubtrahuntur. *Nam qui lucri captandi gratiâ bonum ineſtimabile lædunt longè majus injuſtum committunt, quàm qui bona æſtimabilia intervertunt: eſt autem homo & libertas ejus quiddam ineſtimabile. Et proinde graviſſimum eſt furtum, quando liberi parentibus ſubtrahuntur & in ſervitutem rediguntur: quia parentes ſuis liberis & liberi ſuâ libertate privantur: quò verò plures & quò in majoribus bonis ex eodem delicto læduntur, eò gravius peccatur. Quâ de cauſâ cùm apud Romanos furtum regulariter pro delicto privato haberetur; crimen hoc publicum erat, & gladio puniebatur. l. ult. C. ad L. Fabiam de plagiar. Sic & jure divino, quamvis furta ſimplicia dupli, quadrupli vel quintupli reſtitutione punirentur, Exodi 22. v. 1. plagio tamen pœna mortis erat conſtituta, Deut. 24. v. 1. Quæ pœna & hodiè in foro Saxon. retinetur, fortaſſe, quia delictum non frequens eſt: alias enim ſuſpendio gravior eſſe deberet.*

ARTIC. XIV.
DE
FURTO ARATRORUM.

1. *Hactenus contemplati ſumus furta rerum animatarum; quatenus per has pœna ordinaria augetur: ſequitur ut conſideremus, quænam è numero rerum inanimatarum per furtum ablatæ pœnam aggravent.*

2. Furtum aratrorum non immeritò ſimplici furto gravius habetur. *Nam aratrum inſtrumentum ruſticum eſt, quo ablato non tantummodò damnum datur ratione æſtimationis ejusdem, ſed etiam agriculturâ, quàm ſtrennè exerceri Reipubl. intereſt, impeditur. Magis ergo avarus magisq; injuſtus eſt, qui lucri cauſâ alterum non tantum re aliquâ privat, ſed etiam in laboribus ruſticis exercendis impedit, ex quo impedimento multa damna oriuntur. Hinc nonnulli Ddres textum*

in Landrecht *lib. 2. artic. 13.* Alle Mörder und die den Pflug berauben *&c.* Die ſoll man radebrechen / *ita interpretantur, omnes aratrorum fures rotâ contundendos eſſe. Quem tamen textum accuratius perpendentes intelligunt tantùm de iis qui equos ex aratro violenter abducunt; fortaſſis rectius: quamvis enim furta aratrorum ſint graviora cæteris ſimplicibus; non tamen in tantum eſſe videntur, ut tam ſæviſſimam mereantur pœnam.*

PARS SECUNDA.
Hujus Membri.

DE IIS QVÆ POENAS FVRTORVM ORDINARIAS MITIGANT VEL OMNIMODAM VENIAM TRIBUUNT.

1. *Hactenus varias furtorum ſpecies enarravimus horumq́; pœnas ordinarias: ſequitur ut videamus, quænam minuant eaſdem vel illis planè liberent. Utemur autem ſimili methodo ac in homicidiis, & quam in omnibus delictis adhibendam eſſe cap. præced. 3. ſatis demonſtratum dedimus.*

ARTIC. I.

DE CAUSSA EFFICIENTE FURTORUM DUBIA.

1. Furti cauſſæ efficientes proximæ ſunt ii qui animo lucrandi res alienas contrectant ſeu de alienâ familiâ in ſuam transferre laborant; it. qui moti lucro concurrunt in delicto, nim. ſtando in excubiis, oſtium effringendo vel etiam res à fure contrectatas domum deferendo. it. qui furta mandant. *Nam his omnibus ineſt principium motûs à turpi lucro excitatum.*

2. Incertitudo cauſſæ efficientis efficere poteſt, ut loco pœnæ furti ordinariæ & in irrogandâ morte conſiſtentis arbitraria quædam infligatur, ſi reus delictum confeſſus ſit, de corpore autem delicti non conſtet. *Nam ſi reus, quòd contrectârit, aut contrectantibus concurrerit, aut mandarit, convictus aut confeſſus non ſit, ceſſat omnis pœna. Sed quia fieri poteſt, ut quis confiteatur delictum quod in rei veritate commiſſum non eſt; peccabit profectò, ſi fortaſſe per hoc mortem ſibi paraturo magiſtratus judicia exercens gratificatur: hinc judices providi, ſi delicta ſint facti permanentis, ſeu talis, quod oculis ſubjici poteſt quando commiſſum eſt, propterea, quòd ejusdem veſtigia relinquantur, (qualia ſunt homicidia, furta, rapinæ, latrocinia,) non facilè*

ad-

ad pœnam ordinariam tranſire ſolent, niſi appareat, delictum, quod confitetur reus, reverà commiſſum eſſe.

3. Non ergò ſuſpendii pœnæ ſubjicitur qui confeſſus eſt furtum, cùm nec de re ablatâ nec de perſonâ, cui ablatum eſt conſtet, ſed arbitraria eidem pœna infligitur. *Nam cùm confeſſum impunitum planè dimittere res temeraria ſit, ſcandalumq; præbeat publicum; pœnæ mortis verò in hac incertitudine eum ſubjicere ſit res periculi plena quæq; tormenta & cruciatûs conſcientiæ judici inferre poſſit; arbitrariâ quâdam pœnâ, omiſſo interea ultimo ſupplicio, confeſſum affici conſultiſſimum eſt. In Electoratu Saxon. introductum eſt, ut loco ſuſpendii fuſtigationis pœna dictetur.*

ARTIC. II.
DE FURTO CULPOSO.

1. Furtum culpoſum committunt qui concurrunt vel ante delictum vel poſt delictum; & concurrentes quidem ante delictum, qui furi conſilia ſuggerunt, de lucro quod is poſtea facit non participantes. *Nam cùm hi non excitentur ad operandum ab eo fine quem fur agendo conſequitur, nec ex illâ potentiâ mali activâ quâ fures operantur: unde nec pro furibus haberi poſſunt: ſed quia cauſſa ſunt, ut fures cauſſæ furti exiſtant: furtum culpoſum committere dici poſſunt. Hinc ejusmodi hominibus non ordinaria ſed quædam arbitraria pœna infligitur. Secus ſe res habet in iis, qui conſilium opem & auxilium ferunt, ut de lucro participent: hos enim fures eſſe non eſt dubitandum.*

2. Furtum culpoſum & ii poſſunt dici committere qui 1. fures receptant. 2. res furtivas vendunt, ut latere crimen poſſit. 3. ſcientes res furtivas emunt. 4. media fugæ furibus oſtendunt. *Nam hi videntur cauſſa exiſtere furibus, quò in propoſito furandi permanentes plura furta committant.*

3. Qui lucri cauſsâ fures occultant, opem & conſilium evadendi ferunt, res furtivas occultant & vendunt, quò fures latére & impunè peccare poſſint, admodum vicini furibus ſunt. *Nam itidem ex avaritiæ vitio peccant ac ipſi fures, qui lucri cauſsâ occultant eosdem & hoc agunt ne ad pœnam rapi poſſint. Unde & nonnulli Ddres exiſtimant ejusmodi receptatores eâdem quâ fures pœnâ eſſe afficiendos: horumq; ſententia confirmari videtur* Landrecht *lib. 2. artic. 13. Sed ab hac ſententiâ tanquam nimis rigoroſâ alii merito recedunt, & ad ſummum pro ratione circumſtantiarum ad fuſtigationem procedunt, communiter relegationis pœnam dictantes. Nam dubitandum non eſt quin cauſſæ remotæ tantum furtorum ſint.*

4. Qui ſimpliciter non occultandi cauſsâ receptant fures quò lucrum ab iisdem ſibi acquirant, minus peccant quàm qui id faciunt occultandi cauſsâ. *Nam hi lucri gratiâ in hoc peccant, quòd in hoſpitium ejusmodi homines recipiant, qui à nullo honeſto viro in domo tolerarentur: & ita minus avari ſunt, quàm qui fures occultant; quia factum ipſorum quod lucri cauſâ ſuſcipiunt tantùm turpe eſt; at occultantium non ſimpliciter turpe ſed immediatè in perniciem Reipubl. ſuſceptum. Quapropter etiam pœna ipſis dictatur vel relegationis vel carceris vel pecuniaria pro ratione cæterarum circumſtantiarum.*

5. Qui ſciens res furtivas emit cauſſa furtorum eſt remotiſſima. *Nam in eo peccat, quòd non perpendat, ſe occaſionem ulterius furandi hominibus flagitioſis præbere. Hinc arbitrio judicum vel mulctâ vel carceris vel ad ſummum relegationis pœnâ plectitur, & præterea condemnatur, ut rem furtivam vel, ſi eam conſumpſerit, ejus æſtimationem domino cui ablata eſt reſtituat.*

6. Furtorum quoque cauſſæ remotæ exiſtunt, qui cùm ſcire facilè poſſent fures in delicto verſari, hoc tamen non perpendentes ipſis auxilium ferunt res ablatas domum transferando vel etiam cuſtodiendo, & propterea quâdam arbitrariâ pœnâ pro ratione graduum negligentiæ ſunt afficiendi. *Nam hi ſuâ negligentiâ ſibi ipſis cauſſa ſunt, ut ignorantes furtum perficiant, & ita cauſſa ſunt illius cauſſæ quæ furtorum efficiens eſt.*

ARTIC. III.
DE
FURTIS CASUALIBUS.

1. Furta merè caſualia impunè fiunt, hisque annumeranda ſunt omnia facta quibus quis redditur non dominus, ſed tantùm bonæ fidei poſſeſſor rerum mobilium *Nam omnes qui res mobiles, quas putant pro derelicto habitas, occupant, vel easdem, præſertim ſi furtivæ ſint, à non dominis, quos dominos eſſe exiſtimant emunt, donatas, legatas vel in dotem datas accipiunt, vel inventas in hereditate, exiſtimantes defuncti eſſe, pro ſuis habent furtum caſuale committunt.. Nam his omnibus rebus poſſeſſis accidit, eſſe de familiâ domini inviti in familiam poſſeſſoris translatas, qui propterea meritò tantùm cauſſa per accidens furti habendus eſt.*

2. In furtis merè caſualibus nihil aliud ſtatui poteſt, quàm ut poſſeſſores res ſuis dominis reſtituant, aut, ſi eas conſumpſerint, id, in quantum ex conſumptione facti ſunt locupletiores. *Nam nec quod per accidens injuſtum eſt tolerandum in Republ. ſed corrigendum venit, ſine pœnâ tamen ejus, qui illius cauſſa per ſe non eſt, quia cauſſa per accidens reverà cauſſa non eſt.*

ARTIC. IV.
DE
FVRTIS INFANTVM.

1. Ex potentiâ vel impotentiâ merè naturali ſunt furta quæ ab infantibus committuntur. *Nam hiſce nulla doloſa & frauduloſa voluntas ineſſe poteſt ob defectum judicii: voluntas enim nulla cuiquam ineſt, qui judicio intellectûs omni deſtitutus eſt; utpote qui ex appetitu quem phantaſia ſola excitat non aliter ac beſtia quædam operatur.*

2. Nullus ergò infans, licet naturaliter inclinatus ad furta facienda, res aliis aufferens pœnâ publicâ affici poteſt. *Demonſtravimus enim cap. præced. neminem ex potentiâ merè naturali mala agentem pœnâ publicâ affici poſſe; ſed tantùm levi quodam dolore impreſſo monendum eſſe, quò impoſterum abſtineat, quemadmodum & jumenta caſtigare ſolemus.*

ARTIC. V.
DE
FVRTIS IMPVBERVM.

1. Impuberes regulariter non ſunt ordinariâ pœnâ afficiendi, licet vel magnum furtum committant. *Nam hiſce vitium avaritiæ & injuſtitiæ regulariter non ineſt propter defectum calliditatis & judicium intellectûs propemodum nullum.*

2. Judices raro ultrà pœnam carceris vel relegationis in puniendis furibus impuberibus progrediuntur: convenientiſſima autem horum pœna eſt, ut in carcere à miniſtro quodam publico & non à carnifice virgis cædantur, additâ quâdam comminatione gravioris pœnæ. *Nam impuberes regulariter non tanquam vitium aliquod habentes puniri poſſunt; utpote quorum judicium nondum voluptatibus corruptum eſt, adeoq; nec infamiæ pœnæ ſubjici. Infamia quippe eſt quiddam quod vitioſos comitatur: videtur enim nihil aliud eſſe quam opinio publica de homine aliquo quod vitioſus & fugiendus ſit. Quare pœna ejuſmodi infligenda eſt, quâ famæ parcitur.*

3. Interdum in impuberibus pubertati quàm proximis ad pœnam mortis proceditur, quando manifeſta malitia & ſufficiens doli capacitas ex circumſtantiis apparet. *Nam cap. præced. tradidimus nonnunquam calliditatem ante conſuetos annos ſeſe exſerere. Cujus indicium in fure impubere præbent hæ circumſtantiæ, ſi furtum ſit magnum, reiteratum, cum effracturâ &c.*

4. *Notandum hîc obiter eſt, Conſtitutionem Carolinam artic.* 164. *non*

non modo in maſculis ſed & fœminis impubertatem 14. annis determinare, cùm aliàs jure civili in maſculis 14. in fœminis 12. annis includatur.

ARTIC. VI.
DE
FVRTIS MINORENNIVM.

1. Minorennes, licet ex affectibus nimiis & laſciviâ magis quàm vitio peccare videantur, ab ordinariâ tamen furti pœnâ regulariter non ſunt immunes. *Nam qui ſciens & ſatis judicare valens committit crimen, cui tam horrendæ pœnæ conſtitutæ ſunt, eum fermè oportet hominem vitioſum eſſe: nulla enim laſcivia ſola quem facilè eò perducere poteſt. Quapropter etiam Conſtitutio Carol. ſolos impuberes à pœnâ mortis excipit.*

2. Mitigatur ordinaria pœna in minorennibus quandocunque circumſtantiæ facto inſunt, quæ manifeſtò oſtendunt, furtum magis ex affectu vel impotentiâ juvenilibus quàm vitio commiſſum eſſe. *Nam ſi accidat quem ſine vitio peccare ordinariæ pœnæ ceſſant. v. g. ſi appareat eos aliorum majorennium perſvaſionibus allectos aut juſſibus parentum adſtrictos furtum commiſiſſe. Loco enim pœnæ mortis fuſtigatio vel relegatio, loco fuſtigationis virgæ in carcere infliguntur.*

ARTIC. VII.
DE
FVRTVM FACIENTIBVS EX INORDINATO QVODAM AFFECTV VEL PRÆPOSTERA CONCVPISCENTIA RECTAM RATIONEM SVPERANTE.

1. *Quamvis furtum vix videatur hodiè, quando tam gravis pœna conſtituta eſt, ab alio quàm vitioſo homine committi poſſe, modò ejus ætatis ſit, quæ vitiorum capax eſt: nonnunquam tamen accidit ex quâdam concupiſcentiâ rationem rectam ſuperante id fieri. v. g. ſi quis delectetur carnibus caponum &, cùm diu nullum ederit, fortè fortunâ inveniat aſſatum eumq; arripiens abſumat paratus precium ſolvere, ſi dominus paratus eſſet accipere: eſt quidem hoc contrectatio frauduloſa rei invito domino facta & translatio ejusdem de familiâ in familiam, perfectum tamen furtum non eſt; quia non ex avaritiâ quâdam, ſed ex concupiſcentiâ rectam rationem ſuperante fluit, quam comitatur injuſtum quiddam, quod corrigere paratus nec avarus nec perfectè injuſtus dici poteſt.*

3. Re-

3. Referri hûc poſſunt qui fructus modicos ex alienis hortis decerpunt, & ſtatim in loco, ubi decerpunt, comedunt. *Hi namq́, quia ducti voluptate, quæ ex tactu cibi percipitur, & ſuperati id fecerunt; nullumq́, fermè injuſtum intulerunt, non ſolent puniri. Et hac in re ſolent JCti obſervare præceptum Dei Deut. 23. verſ. 24.*

ARTIC. VIII.
DE
FURIBUS QUI POENITENTIA DUCTI REM FURTIVAM RESTITUUNT.

1. Minus perfectam vitioſitatem indicat pœnitentia. *Nam ubi pœnitentia eſt ibi non in totum corruptum eſt judicium.*

2. Fur itaque pœnitentiâ ductus rem furtivam reſtituens vel alio modo ſatisfaciens ei, cui ablata eſt, arbitrariâ pœnâ, carceris nim. vel relegationis pro ratione circumſtantiarum afficitur communi hodiernâ conſvetudine; cùm jure Romano nemo tali peccato pœnitentiâ ſuâ nocens eſſe deſinat, teſtante Vlpiano. *l. 65. ff. de furt. Nam hodiernâ conſuetudine magis vitium punitur, quod cùm minus perfectum ſit in eo, qui mox pœnitentiâ ductus rem reſtituit (quo ipſo hodiè quoq́, domino ſatisfactum cenſetur, ut nihil injuſti particularis ſuperſit,) etiam tali caſu pœna ordinaria meritò mitigatur. At jure civili delictum eſt privatum & acquiritur pro læſa ſecuritate ei, cui furtum factum eſt, actio furti adverſus furem ſuo delicto obligatum ad duplum vel quadruplum ſolvendum. A quâ obligatione non nudâ pœnitentiâ fur liberari poteſt; cùm nullum obligatum pœnitentia ſola liberet. Id quod infrà tractat. de obligat. per cauſſas demonſtrabitur.*

3. Notandum autem eſt, pœnitentiam non nimis ſeram eſſe debere. *Nam ſi fur pœnitentiâ ducitur poſtquam in carcerem conjectus vel accuſatus eſt, ſimulata & extorta non ſeria pœnitentia eſt. Quamvis ex Conſtit. Carol. art. 160. practici ordinariam pœnam nihilominus mitigare ſoleant.*

4. Dubium moveri poteſt circa caſum, quando fur pœnitens nonnihil de re furtivâ abſumpſit & adeò inops eſt, ut ablatum reſtituere nequeat, an & tunc remittenda ordinaria pœna ſit. *Nam ſi non ſatisfactum eſt, manet injuſtum, & pœnitentia parũ operari poſſe videtur, quemadmodum in aliis delictis, quibus commiſſis injuſtum corrigi nequit, velut homicidio, ſtupratione, adulterio. Sed quia & fortuitò contingere poteſt, ut partem rei furtivæ fur amittat: puto diſtinguendum & attendendum, an fur abſumpſerit partem rei ablatæ ſponte an fortuitò amiſerit; hoc caſu loco ſuſpendii fuſtigatio dictari, illo ordinaria ſuſpendii*

pœna poteſt. Nam qui ſciens hoc facit quod corrigi nullâ pœnitentiâ poteſt, ejuſmodi vitio laborare videtur, cujus emendationem pœnitentia non excuſare valet. Quæ etiam cauſſa eſt, quare in homicidio, adulterio & ſimilibus delictis pœnitentia ad mitigationem pœnæ parum proſit.

ARTIC. IX.
DE
FURTIS QVÆ FAMES ET NUDITAS EXTORSIT.

1. *Hactenus conſideravimus furta, quorum cauſſæ homines ſunt mediante aliquâ potentiâ naturali vel minus perfectâ: conſequens eſt, ut de iis dicamus, quæ à quâdam impotentiâ proficiſcuntur, quorum in numero ſunt quibus cauſſam prebet fames, nuditas, frigus &c.*

2. Furta quæ fames extorquet ordinariæ pœnæ non ſubjacent. *Nam hujuſmodi furta non perpetrantur mediante aliquo vitio; ſed potius ex impotentiâ reſiſtendi allicientibus ad peccata: cùm enim verè virtuoſi ſit, nullâ fame dimoveri à virtuoſis actionibus; infirmitatis cujusdam eſt cedere fami.*

3. Pro ratione itaque famis ſolent Ddres mitigare pœnam ordinariam. *Alia namq; fames eſt urgentior, alia remiſſior: fame exiſtente remiſſiori & furto magno commiſſo, fuſtigationem dictitant; contrà fame exiſtente urgentiſſimâ & furto modico, quandoq; omnem pœnam remittunt. Quid enim ſi præſens mors immineat & vita aliâ ratione conſervari nequeat? An potius moriendum quàm immiſericordi proximo quid auferendum quò fames ſedari & conſervari vita poſſit? Sanè ſi dicas, moriendum potius eſſe quàm injuſtum faciendum: dico injuſtum hoc tale eſſe quod peperit impotentia, quam nec virtuoſiſſimus hominum alienam à ſe dicere poteſt. Ut adeò venia meritò ſit concedenda.*

4. Fami urgenti ſimilis eſt nuditas tempore hyberno, frigore graviſſimo inſtante. Quapropter in prætendentibus nuditatem eadem quæ in famelicis obſervantur.

ARTIC. X.
DE
FURTIS PECUNIÆ CONCREDITÆ.

1. Ex impotentiâ magis quàm vitio furantur, quibus ſeſe offert ſubita quædam & rara occaſio peccandi: *neq; enim hiſce malitioſus animus, ſed imbecillitas perſeverandi in bono ineſſe videtur. Hinc ſolemus dicere*: Gelegenheit macht Diebe.

2. Occa-

2. Occaſionem furandi oblatam habent quibus pecunia concredita eſt. *Quemadmodum enim mediocriter temperanti ſeſe offerens nuda puella eum ad peccandum irritare poteſt, ut in bono ſeu temperantiâ non perſeveret: ita concreditam habentes pecuniam quotidiano incitamento trahuntur ad deficiendum à bono propoſito non peccandi.*

3. Concreditam autem pecuniam habere dicimus eos, quorum vel adminiſtrationi vel cuſtodiæ aliena pecunia commiſſa eſt.

4. Qui ex officio adminiſtrandam pecuniam habentes eam doloſè avertunt & in ſuos uſus convertunt, furtum quidem videntur committere, non tamen ordinariâ pœnâ afficiendi. *Nam qui pecuniam ex familiâ domini in ſuam fraudulenter transferunt, ex pleno propoſito furandi & ita mediante potentiâ furtorum activâ peccant: unde circa hoſce nullum dubium eſt, quin ordinariam pœnam ſentire cogendi ſint. Sed in concreditâ pecuniâ ultrò ſeſe offert peccanti quod mediante potentiâ furandi accerſendum erat. Quapropter quemadmodum minus peccat qui puellam nudam ultrò in lecto accumbentem & irritantem ſtuprat, quàm qui eam diu inſectatus tandem ad conſentiendum in hoc delictum allicit: ita quoq; cum furtis comparatum eſt: itidem namq; hæc fiunt vel quæſitâ vel oblatâ occaſione. Quapropter & jure Saxon. propriè fures habentur qui rem ex poſſeſſione alterius in ſuam transferunt.* Landrecht *lib. 2. art. 29. verb.* Alldieweil er es nie dieblich noch räublich aus iener Gewehren bracht.

5. Itaque tutores, curatores, procuratores, inſtitores, factores, geſtores, quæſtores, præſides provinciarum &c. non ordinario furti ſupplicio puniuntur, quando pecuniam ſuæ adminiſtrationi commiſſam furantur. *Nam hi omnes irritati præſente pecuniâ videntur à bono propoſito deducti ad peccandum.*

6. Hûc pertinet crimen reſiduorum, quod apud Romanos dicebantur committere qui pecuniam publicam, delegatam in uſum aliquem, retinebant neque in eum conſumebant.

7. Circa quæſtorum furta in Electoratu Saxon. non obſtantibus his, quæ modò tradita ſunt, introductum eſt mortis ſupplicium, ſi nim. pecunia concredita fraudulenter perfidè & contra præſtitum juramentum ab iiſdem in uſus proprios converſa ſummam centum florenorum æquet vel ſuperet; ſi verò ſumma ſit infra 100. excedat tamen 50. flor. fuſtigentur; ſi ſumma ſit minor 50. florenis, exilio vel carcere puniuntur. *Nam licet hoſce homines alliciat occaſio peccandi, præſertim ſi principes aut ipſi aut horum conſiliarii & Camerarii non ſatis ſubtiliter & accuratè in illorum rationes inquirant: deberet tamen eos deterrere jusjurandum fidelitatis quod initio officii præ-*

ſtiterunt. Dum ergò lucri gratiâ perjuri fiunt, ſuam avaritiam fœdam ſatis produnt cæterorum furum avaritiæ parum cedentem.

8. Qui vi contractûs cuſtodiendas pecunias habent depoſitarii, commodatarii, mandatarii, locantes operam in transferendis pecuniis, quales ſunt nuncii, fraudulenter & doloſè convertentes easdem in ſuos uſus, licet furtum committant, ordinariam tamen furti pœnam non debent pati. *Nam læſus eo ipſo dum contraxit irritamenta peccandi obtulit; ejusq; fuiſſet prius probè in animum & mores ejus cum quo contraxit inquirere; unde fit, ut minus injuſtum patiatur. Quapropter cùm ejusmodi fures minus avari minusq; injuſti quàm cæteri communes, qui ex poſſeſſione alterius rem auferunt, eſſe videantur, etiam mitior in hosce dictanda pœna erit. Unde iisdem extraordinariam pœnam temporalis vel perpetuæ relegationis aut fuſtigationis, pro magnitudine furti dictitandam ratio ſuadere videtur. Intereſt enim multùm, an pecunia obſignata data ſit an numerata: hoc enim caſu magis genus cuſtodiendum datum videtur. Quamvis circa tabellarios ſpecialis Conſtitutio in Electoratu Saxon. facta ſit ſeverius paulò eos puniens, ſine dubio ob delicti frequentiam.*

ARTIC. XI.
DE INVENTORIBUS RERUM ALIENARUM EAS NON RESTITUENTIBUS.

1. Inventores rerum alienarum easdem dominis non reſtituentes ex impotentiâ magis peccant, quàm ex vitio mitiùsque quàm cæteri fures puniendi. *Nam oblata occaſio tantùm eos peccare facit.*

2. Sunt verò gradus peccandi, ſecundum quos pœnæ inventoribus diverſæ ſunt infligendæ. *Nam inventores aut id publicè ſignificari curant, quò res deperdita redire ad dominum poſſit, & hi non peccant; aut tacent, & in furti ſuſpicionem incidunt: horum tamen iterum gradus ſunt: tacentes enim vel dominum ſciunt vel ignorant, qui ſciunt eundem vel ſeſe non offerunt vel interrogati à domino negant ſe habere, & deprehenſi quòd habeant antequam reſtituant partem ſubtrahunt, dicentes ſe non totam inveniſſe.*

3. Qui interrogati, an rem invenerint, id negant, & deprehenſi habere partem aufferunt, vix à communibus furibus differunt. *Nam obſtinatus animus in retinendis rebus alienis indicat illos non longè à vitio perfecto, quod fures habent, abeſſe. Quapropter etiam relegationis vel fuſtigationis interdum pœna unà cum reſtitutione damni iisdem dictari ſolet.*

4. Qui

4. Qui tantùm occultaſſe deprehenditur mitius punitur, quàm qui interrogatus an invenerit, hoc ipſum negat. *Videtur namq; ex merâ quâdam imbecillitate peccaſſe dum irritamento peccandi non reſiſtit. Quapropter vel pecuniaria, vel carceris vel ad ſummum relegationis ad exiguum tempus pœna ipſi dictatur.*

5. Qui ignorans dominum non publicè per proclama curavit ſignificari iis in locis, ubi juſſus eſt hoc facere, furtum non videtur committere. *Quia nihil videtur ipſi imputari poſſe quàm negligentia ejus quod fieri debebat. Hinc & levis pœna pecuniaria eidem dictatur.*

6. Referri hûc quoque poſſunt inventores theſaurorum dominis fundi ubi invenerunt non ſignificantes. *Hi enim quamvis non furtum committant; quia rem nullius occupant: lucri tamen cupiditate ducti intervertentes omnem pecuniam inventam, ne partem debitam dominus fundi conſequi poſſit, ſimile quiddam faciunt quod fures. Unde & arbitrariâ pœnâ puniuntur.*

ARTIC. XII.
DE HIS QVI APERTAS DOMOS NOCTURNO TEMPORE REPERIENTES ALLICIUNTUR AD INTRANDUM.

1. Videntur & ex impotentiâ quâdam ſeu defectu virtutis potius quàm vitio peccare, qui apertam forte fortunâ domum invenientes trahuntur ad intrandum; ſed vix eſt, ut ab ordinariis pœnis liberari poſſint. *Nam licet fortaſſe per oblatam occaſionem inciderint in peccatum; quia tamen eo modo illud committunt, quo non facilè quis, niſi jam vitio furti inquinatus, illud committeret: non facile impetrabunt pœnæ mitigationem, niſi & aliæ circumſtantiæ acceſſerint. Negandum tamen non eſt, eos nondum habere vitium furum proprium & perfectum. Nam vitium ex quo operantur fures eſt avaritia & injuſtitia cum calliditate & clandeſtinis actibus alteri adimendi planè poſſeſſionem conjuncta.*

ARTIC. XIII.
DE FURTIS MINORIS INJVSTITIÆ ET IN SPECIE DE PARVO SEV MODICO.

1. Hactenus contemplati ſumus furta, quæ mediante quâdam potentiâ imperfectâ vel impotentiâ committuntur, & propte-

rea mitius puniuntur: ſequitur, ut conſideremus quænam furta vel minus injuſtitiæ habeant vel planè non injuſta ſint & propterea vel mitigationem vel omnimodam pœnæ remiſſionem mereantur. *Nam LLatores in inferendis furto pœnis reſpicere ſolent ad injuſtitiam particularem, quæ etiam cauſſa eſt, quare ordinatio Caroli V. diſtinctionem faciat inter furta magna & parva.*

2. Eſt autem injuſtum aut minus aut nullum, vel ſi res ſit modica aut nullius æſtimationis, vel ſi perſona nulla ſit ad quam injuſtum pertingat; aut ſi ſit, per furtum non patiatur injuſtum. *Nam nullum injuſtum poteſt committi, niſi ſit res, ratione cujus contingit læſio, & perſona ad quam pertingit.* Fit etiam, ut perſonæ alicui damnum inferatur non injuſtum *v. g. in bello non injuſto, aut ſi ab eo, qui poteſtatem in bona hominum transferenda habet, præcipiatur.* Contingit quoque tandem injuſtum, ſi quod illatum eſt, corrigi. *Ac proinde qualiter ſingulis hiſce caſibus pœnæ mitigandæ ſint contemplatio facienda eſt. Initium autem facturi ſumus à furto parvo & modico.*

3. Furtum parvum, quod valorem quinque ſolidorum ſeu 10. thalerorum non exceſſerit, non laquei ſupplicio, ſed aliâ mitiori arbitrariâ pœnâ puniri jubetur *ordinat. Carol. art. 157. & ſeqq.* Quod arbitrium judicis in foro Saxonico reſtringitur, ut ſcil. ſi furtum dimidium quinque ſolidorum excedat, fuſtigatio vel relegatio perpetua; ſi non excedat, relegatio, carcer vel pœna pecuniaria dictetur. *Voluerunt enim, uti ſæpius diximus, Legiſlatores noſtri in pœnis furto, irrogandis rationem habere graduum injuſtitiæ, ac proinde furtum modicum velut minus injuſtum hominem arguens mitius punire.*

ARTIC. XIV.
DE
FURTO RERUM, QVÆ SVB NVLLIVS DOMINIO VEL POSSESSIONE SVNT ET IN SPECIE DE CRIMINE EXPILATÆ HEREDITATIS.

1. Illarum rerum quæ nec ſub ullius dominio ſunt nec ad alicujus dominium ſpectant furtum non datur. *Nam ſi nulla perſona ſit, quæ lædi poſſit ex re ab aliquo apprehensâ, nec furtum nec injuſtum ullum concipi poterit. Dico notanter, ſi rei dominium ad nullum ſpectet; quia & furtum fieri poteſt illius rei, quæ nondum ſub dominio eſt, ita tamen eſt comparata, ut non niſi à certâ quâdam perſonâ occupari vel acquiri poſſit. v. g. feræ in ſylvis ſub dominio principum non ſunt, tanquam ab ipſis nondum occupatæ; interim tamen qui principibus invitis eaſdem in eorum banno ferino venatur & capit, furtum committit: quamdiu*

dium enim in horum banno ſunt, res ſunt, quæ à nemine niſi ipſis principibus, vel iis, quibus hoc concesſerunt, capi & acquiri poſſunt; & ita furtum harum fit quatenus ad dominium principum ſpectant.

2. Nimis ergò meticuloſi ſunt Ddres qui crimini expilatæ hereditatis, quod ita vocatur, quando ex defuncti hereditate nondum aditâ ab heredibus quid clandeſtinè auffertur, ordinariam pœnam dictitare verentur. Ego auſim aſſerere furtum hoc gravius quàm cætera puniendum eſſe, ſi committatur ab eo, qui jus ſucceſſionis non habet. *Nam quò magis familia aliqua hominibus flagitioſis ad nocendum expoſita eſt, eò graviori ſupplicio deterrendi ſunt, ne noceant. Quin jure civili hoc crimen pro atrociori furto habetur. l. 1. §. 1. ff. de effractoribus ipſa namq́, vox* expilare *aliquam atrocitatem denotat. Et præterea quando ordinatio Carol. art. 165. jubet hoc crimen mitius puniri, loquitur de eo quod committit, qui ipſe jus ſuccedendi habet. Sed his non obſtantibus practici mitiorem pœnam dictare ſolent, quaſi furtum rei poſſidendæ & nondum poſſeſſæ minus injuſtum eſſet. Quâ de cauſâ & hoc loco de crimine iſto tractari volui.*

3. Quæſtio moveri poteſt, quomodo puniendum ſit furtum, quod quis fecit circa rem quam putavit v. g. Titii eſſe, ab hoc tamen pro derelicto habita fuit. *Reſpondemus, ſuprà quidem nos monuiſſe, Rempubl. imitari medicos, & non facilè cauſſam morbi tollere, niſi morbus ſeſe exerat: cùm ergò hujus factum injuſtum non exiſtat, licet hominem injuſtum & avarum arguat, videri quidem impunitum dimittendum eſſe; at quia jam vitioſitas operando ſe exeruit, & quantum in ipſo fuit vitioſè & injuſtè egit, eiq́, quod ab ipſo actum eſt accidit tantùm non injuſtum eſſe, eum non impunitum permanere debere: intereſt enim Reipubl. vitioſos emendari. Videtur ergò & huic arbitraria pœna dictanda.*

ARTIC. XV.
DE SPOLIATIONE SEPULCHRORUM ET CADAVERUM.

1. Spoliationem cadaverum in ſepulchris etiam non ſuſpendii, ſed mitiori pœnâ fuſtigationis, relegationis vel carceris pro ratione aliarum circumſtantiarum puniri volunt. Quamvis non dubitem LLatori ſvadere, ut ſeveriorem quàm cæteris furtis ſimplicioribus pœnam huic crimini conſtituat. *Rationem reddunt Ddres, quod ſpoliatio cadaverum propriè nec ſpoliatio nec furtum ſit, utpote, cùm defuncti nihil poſſideant, adeoq́, meritò arbitrariè & ad ſum-*

mum fuſtigatione punienda ſit. Quorum ſententiam confirmat Conſtit. Elector. Saxon. 34. part. 4. Verùm licet cadavera nihil poſſideant, humana tamen illa ſunt, utpote quæ hominum vivorum fuêre corpora, quibusq; propterea jus aliquod adhuc competit: hinc debetur ipſis naturaliter ab omnibus hominibus adhuc viventibus miſericordia & ſepultura. Videntur ergò qui hæc ſpoliant duci lucro ad hoc, ut quid faciant contra miſericordiam ad quam quilibet homo vivus erga mortuum naturaliter trahitur. Hinc etiam ratione immiſericordiæ in ejusmodi flagitioſis hominibus deprehenſæ jus Saxonicum pœnam auget, iis, qui inſepulta defunctorum cadavera relinquunt, pœnam gladii dictitando.

2. Qui cadavera punitorum ſuſpenſa veſtibus ſpoliant videntur itidem graviorem pœnam quàm ſimplices fures mereri. *Nam licet hæc cadavera nullâ injuriâ fortaſſe afficiantur: videntur tamen graviſſimè & ſeverè puniendi horum ſpoliatores, utpote qui exigui lucri gratiâ Jdictionem haud leviter violant, ſcandalum haud minimum cadavera publicè denudando præbent; ſed & ſe laborare inemendabili vitio ſatis produnt, dum peccant eo in loco, quo quàm maximè à peccando deterreri debeant; poſitâ ob oculos pœnâ in ejusmodi flagitioſos. Conſtitutio Electoralis nudantibus cadavera fuſtigationem infligi jubet. Eos verò, qui non denudant corpora, ſed aliquid pecuniæ, ſi in veſtibus reperiant, adimunt, nullâ inre propemodum peccare manifeſtum eſt: neq; enim detrahunt cadaveribus quicquam quod retinere debebant. Quâ de cauſſâ eorum petulantia tantùm coercenda venit.*

ARTIC. XVI.
DE
FVRTIS DOMESTICIS.

1. Furtum domeſticum committentes in ſangvine nim. vel affinitate junctos mitius puniendi ſunt quàm qui extraneis quid auferunt. *Quamvis enim aliàs regulariter magis injuſtum videatur id, quo læduntur conjuncti vel ſangvine vel affinitate, propterea quòd plus inæqualitatis ſuboriatur, ſi ei, cujus bona augenda erant, auffertur: nihilominus tamen quia domeſticorum bona communia ſunt, contrectatio horum non valdè injuſta eſt.*

2. Quâ de cauſſâ ſi ſangvine vel aliàs arctiſſimâ ſocietate v. g. conjugali juncti quid clam aufferunt ordinariæ pœnæ non ſubjiciuntur; ſed liberi aut conjuges quid aufferentes carceris, vel pecuniariâ aut ad ſummum relegationis pœnâ afficiuntur, cæteri conſangvinei usque ad quartum gradum à pœnâ ſuſpendii jure Saxonico

nico immunes ſunt, & meritò. *Nam cùm dicere ſoleamus, amicorum omnia eſſe communia, & inter affines conſanguineosq́ intra quartum gradum, jure civili numerando, arctiſſima per naturam intercedat amicitia; contra jus amicitiæ faciunt qui furtum à tali conjunctâ perſonâ commiſſum nimiùm urgent. Quin ſi ſuſpendii pœna in ejuſmodi fures ſtatueretur, vergeret eadem in ignominiam eorum qui damnum paſſi ſunt. Id quod evitare prudentum LLatorum eſt.*

3. Miniſtri tamen & famulæ, licet perſonæ domeſticæ ſint, non ab ordinariâ pœnâ excuſantur. *Nam nulla inter famulos & dominos, qualis inter ſanguine junctos, amicitia intercedit faciens bona inter hoſce communia: adeoq́ nihil niſi occaſio furandi oblata videtur anſam mitigandi præbere. Quamvis quò magis propria virtus famulantium eſt fidelitas, eò magis infidelitatem in hiſce Reſpubl. punire & ab hoc vitio deterrere debeat. Quapropter non immeritò eâdem aut paullò majori, quàm quâ cæteri, ſeveritate puniendi famuli, officium fidelitatis ſeponentes & furta ſuis heris facientes.*

4. Contingit tamen furta famulorum minus injuſta fieri, ſi domini cibum, potum aut ſalarium, quò neceſſaria ad vitam parare poſſint, denegando illis quaſi neceſſitatem furandi imponant. *Sine dubio enim ejuſmodi dominus ſibi cauſſa mali exiſtens minus injuſtum patitur.*

ARTIC. XVII.

De

INJUSTO, QVOD FVRTO INEST, PER RECVPERATIONEM RERVM ABLATARVM VEL ALIAM SATISFACTIONEM CORRECTO.

1. Ddres tradunt re furto ablatâ recuperatâ à domino loco pœnæ ſuſpendii, in magnis furtis adhiberi ſolitæ, fuſtigationis pœnam infligendam eſſe, quod quidem in medio relinquimus, interim tamen aſſerimus, non peccari, ſi ordinaria ſuſpendii pœna non obſtante recuperatione rei furtivæ dictetur. *Ratio pro Ddrum ſententiâ militat hæc, LLatores reſpexiſſe ad injuſtum in infligendâ ordinariâ pœnâ: at ceſſare injuſtum, ſi dominus rem ſuam recuperarit. Si enim pœnas diſtinguunt furtum magnum & parvum, videtur nulla pœna infligenda, ſi nihil domino deſit, aut ad minimum mitior. Hac autem ratione Ddres moveri colligitur inde, quòd in furto cum violentâ effractione non mitigent pœnam, quamvis res furtiva recuperata ſit; quia nim. Ordinat. Carol. in hoc furto quantitatem non attendit.* Verùm, hac ratione non

obſtante, non dubitamus, ſalvá tamen Ddrum auctoritate, aſſerere, pœnam ſuſpendii furi, ſi ex accidenti tantùm dominus rem recuperârit, dictari poſſe. *Nam non ob damnum domino illarum, quaſi pro hoc eidem ſatisfieri debeat, ſuſpendii pœna irrogatur; ſed quia magnum furtum majorem injuſtitiam; modicum ſeu parvum minorem arguit. Hæc autem major injuſtitia in fure poſt commiſſum furtum manet, ſi non per ipſum pœnitentem ſed per accidens tantùm res furtiva ad dominum redierit. Quapropter ſoliti ſunt veteres Ddres hiſce caſibus ſemper ordinariam pœnam pronunciare & unà ſententiis annectere clauſulam hanc,* es wolte dan die hohe Obrigkeit / in Anſehung / das man die geſtohlene Sachen wieder bekommen / dem gefangenen Gnade erzeigen. *Nec constitutio Car. art. 160. his verb.* und wie ſchädlich der Diebſtall dem beſchädigten ſeyn mag / *hoc infert, ab ordinaria pœna abeundum eſſe, ſi damnum per furtum qua tale ſatis magnum ſit illatum, ex accidenti tantùm poſtea recuperatum; ſed in pœnis irrogandis ſemper inſpiciendum eſſe, quantum damni furando fur dederit, & inde injuſtitiam ejus eſſe æſtimandam. Si enim quævis accidentalis recuperatio rerum furtivarum mitigat pœnam, quivis fur locuples ſatisfaciens læſo vel tranſigens cum eodem liberare ſe nummis à pœnâ ſuſpendii poteſt. Id quod in bene conſtitutis Rebuspubl. non eſt admittendum.*

ARTIC. XVIII.
DE
FURTIS QVÆ FIUNT JUSSU EJUS QVI POTESTATEM JUBENDI EADEM HABET.

1. Quemadmodum carnifex juſſu legis & magiſtratûs adimens vitam non perpetrat crimen homicidii: ita juſſu ſuperioris vim jubendi habentis clam aufferens alteri in crimen furti non incidit. *Nam quod coërcendorum malorum gratiâ infligitur injuſtum non eſt, ſed ſummè juſtum & ſalutare hominibus. Hinc crimen furti non commiſerunt Iſraelitæ, qui juſſû Dei ſubtraxêre clanculum Ægyptiis bona. Exod. 11. v. 2. & cap. 12. v. 35. Quia faciebant hoc ipſum mandato Dei ſupremam poteſtatem in omnes homines exercentis.*

ARTICUL. XIX.
DE
FURTIS QVÆ FIUNT IN BELLO NON INJUSTO.

1. *Quicquid mali in bello non injuſto & quod non injuſtè geritur infertur non eſt injuſtum.* Unde, quando id, cujus gratiâ bellum ſuſce-

ſuſceptum eſt, aliâ ratione obtineri nequit, niſi mediante furto, non pro crimine aliquo hoc habendum eſt. *v. g. ſpoliatus in viâ publicâ videt aliquem ex raptoribus rem raptam abſcondere in aliquâ ſylvâ; ille ibi remanens usq; ad noctem clanculum res vi ablatas & abſconditas iterum auffert: non incidit hic in crimen furti puniendus. Nam aliâ ratione in ſylvâ quod ſuum eſt recuperare nequit ab eo cum quo bellum privatum licitè gerere poteſt.*

ARTIC. XX.
DE
FURTO QVOD NON FIT EX VITIO AVARITIÆ.

1. *Hactenus eas furti ſpecies perſecuti ſumus, in quibus ceſſat vitium injuſtitiæ, quibusq; minor injuſtitia ineſt; ſequitur, ut conſideremus furta, quæ non fiunt ex vitio avaritiæ & propterea nec ut furta propriè dicta punienda ſunt.*

2. Qui rem propriam auffert alteri in quâ is jus nullum habet, cujus poſſeſſionem hic ſtudet intervertere, non incidit in crimen furti propriè dicti. *Nam hic nullum lucrum intendens ex avaritiâ nihil committit.*

3. Pari ratione qui rem debitam â creditore conſequi nequit & eam clam auffert non ordinariâ aliquâ furti ſed aliâ quâdam arbitrariâ pœnâ puniendus eſt. *Nam nec videtur ex avaritiâ nec ex injuſtitiâ erga debitorem peccare; ſed tantùm quoad hoc, quod propriâ auctoritate occupet id, quod judicis officio conſequi debebat: Unde ſequitur, puniendum eum eſſe propter bellum privatum non ſatis licite ſuſceptum. Quapropter jus civile in hunc ſingularem pœnam conſtituit l. ſi quis in tantam. C. unde vi. ut ſcil. dominium rei vel jus debiti amittat. In foro Saxonico cogitur rem ablatam reſtituere cum mulctâ & emendâ,* er muß es mit Wette oder Buſſe wieder geben/ *& retinet actionem ſuam ſalvam. Emenda* die Buſſe *eſt 30. ſolidorum quæ ſolvenda eſt ei qui bello injuſto læſus eſt, multa* die Wette *datur judici.* Landrecht *lib. 3. artic.* 43.

ARTIC. XXI.
DE
FURTO ATTENTATO.

1. Solent Ddres diſtingvere furtum in conſummatum & attentatum. Vocatur autem attentatum quod in ſolo conatu ſubſiſtit. *v. g. ſi quis furandi cauſâ domum ingreſſus nihil apprehenderit.*

2. Furtum attentatum pœnâ ordinariâ affici nequit. *Nam cùm ceſſet lucrum & læſa tantùm ſit ſecuritas ejus, circa quem tentatum eſt; incidit in illud potius crimen quo læditur ſecuritas. Quâ de cauſâ hoc in caſu jus civile non actionem furti ſed injuriarum vel de vi tribuit. Deinde nec conatus furti perfectum avaritiæ aut injuſtitiæ vitium arguere poteſt, licet fur impeditus abſtinuerit. Nam fortaſſe, etſi non impeditus fuiſſet, pœnitentia accedere potuiſſet.*

3. Cenſetur autem in conatu eſſe qui rem nondum è poſſeſſione alterius amovit. *Nam furti eſſentia in hoc conſiſtit, quòd quis rem è poſſeſſione alterius clanculum in ſuam poſſeſſionem transferat. Unde tunc tandem cenſetur furtum conſummatum, quando fur rem cœpit poſſidere, ſeu actum dominicum circa eam exercere, v. g. transferre in alium locum cuſtodiæ gratiâ.*

4. Solet autem pœna ratione graduum conatûs infligi; adeò ut in conatu proximo loco laquei pœna fuſtigationis dictetur. *v. g. ſi res tot fur jam congeſſerit, quarum æſtimatio 10. thaleros excedit, & impediatur, quò minus de loco portare queat. Nam quò alterius quis in conatu progreditur, eò magis vitium ſuum prodit.*

ARTIC. XXII.
DE
CAUSSIS QUÆ MOVERE MAGISTRATUM POSSUNT, UT IMPUNITA RELINQUAT VEL MITIORI POENA AFFICIAT FURTA PERFECTE VITIOSA.

1. *Pœnas criminum mitigari quandoq; poſſe ob dignitatem perſonæ delinquentis ſuperius diximus. Unde & quatenus dignitas pœnam furti, quæ ſatis ignominioſa eſt, minuat, conſiderandum nobis eſt.* Videtur in nobilibus, clericis, ſtudioſis &c. meritò ſuſpendii pœna mitiganda. *Nam cùm ea ignominioſa nimis ſit vergatq; in ordinis dedecus, tum verò nobiles, clerici, ſtudioſi leviori quâdam pœnâ deterreri à tali crimine poſſunt: quapropter videtur in hiſce pœna mitior locum debere habere, ut ſcil. v. g. capite plectantur & ſepeliantur. Hinc licet LLatores noſtri nullam hujus mitigationis mentionem fecerint, ac proinde nec Ddres audeant ab ordinariâ pœnâ hiſce perſonis dictandâ recedere: videtur tamen principes decere hac in parte clementes ſeſe præbere.*

2. Interdum favor matrimonii movere magiſtratus ſolet, quò remittant pœnam mortis. *Quod nonnunquam & non ſine ratione fieri poteſt, ſi interſit Reipubl. in defectu hominum allici eos, qui in eâdem vivunt, ad procreationem.*

3. No-

3. Nolumus hîc quæſtionem *preced. cap.* reſolutam repetere an fur ſuſpenſus, rupto laqueo, denuò ſuſpendendus ſit, ſi adhuc vivat. *Nam paulò ante demonſtratum dedimus, per hoc non liberari quem à pœnâ mortis: intereſt enim Reipubl. flagitioſos homines è medio tolli. Nec excipere poteſt delinquens, ſe jam perpeſſum eſſe pœnam; quia vivit adhuc, cum deberet morte puniri. Non tamen nego dari hoc in caſu circumſtantias poſſe, ob quas fur dimittendus videatur v.g. ſi ſemel tantùm furatus ſit nec famoſus fur exſtiterit: videtur namq; gravius puniri quàm ſimplex furtum requirit, qui duabus vicibus angores ob mortem præſentem ſuſtinere tenetur.*

MEMBR. IV.

DE TERMINO MOTO.

1. Rerum immobilium furtum fieri poſſe non videtur. *Nam furtum eſt delictum, quod committunt qui clandeſtinis artibus de familiâ alterius in ſuam familiam & poſſeſſionem res transferunt. At res immobiles non æq; ex familiâ alterius in alterius familiam transferri poſſunt ac res mobiles; hæ namq; dominis ſuis adhærent velut partes, & per furtum ab iisdem ſeparantur: at res immobiles nobis non æq; tanquam partes adhærent, ſed faciunt, ut nos certo loco alligemur, ſi iisdem uti velimus.*

2. Nullum autem clandeſtinum artificium bonum immobile alteri adimendi & in ſe transferendi propius ad furtum accedit, quàm termini avulſio ſeu motio. *Nam committitur hoc, dum lapis vel aliud quippiam, quo termini agrorum deſignantur de loco in locum clam transfertur. Fitq; adeò circa ſignum terminans agrum, quod fur facit circa rem mobilem.*

3. Eſt ergò delictum termini moti quod committunt qui occupandorum agri alterius finium gratiâ terminos de loco in locum clandeſtiuis artibus transferunt.

5. Pœna jure Romano ex Conſtitutione Caji Cæſaris *l. ult. ff. de term. moto.* erat pecuniaria, ſed ab Hadriano *l. 2. ff. eod.* conſtituta eſt relegatio in tempus vel longum vel breve ratione ætatis delinquentium, mitiganda ex iisdem fundamentis ex quibus pœna furti. *Nam deſcendit hoc delictum itidem ex avaritiâ & injuſtitiâ tenditq; ad lucrum, & per conſequens eadem fundamenta habet pœnam mitigandi. Et cum jure Saxonico nulla certa pœna huic crimini dictata ſit, ea, quæ jure Romano conſtituta eſt, retineri poteſt.*

MEMBR. V.
DE
RAPINA.

1. Quemadmodum in furtis vitium, quod punitur, eſt avaritia & injuſtitia movens hominem, ut clandeſtinis artibus poſſeſſionem rerum quam alius quiſpiam habet intervertat & in ſeſe transferat: ita vitium raptorum eſt avaritia & injuſtitia movens eosdem, ut hoſtiliter invadant alios & cumprimis in viis publicis quò injuſtum lucrum faciant. *Nam vitium omne eſt quædam potentia quâ mediante homo fit cauſſa efficiens peccatorum: itaq; à vi movendi hominem ad mala petendæ ſunt ejusdem differentiæ, præſertim præſenti in materiâ, quando gradus pœnarum ſpeculamur.*

2. Abſolvetur autem præſens membrum itidem duabus partibus. *Dicemus enim primò de ipſâ vitioſitate, quàm varia eadem ſit; deinde de principiis rapinæ quæ à vitioſitate recedunt pœnamq; proptereà mitigant.*

PARS PRIMA
Membri Quinti
DE
GRADIBUS VITIOSITATIS VARIANTIBUS ORDINARIAM RAPINÆ POENAM.

1. Cùm rapina Romanis fuerit tantùm delictum privatum, apud nos ſatis ſevera in raptores ſtatuitur pœna, nim. ut gladio puniantur & eorum cadavera rotæ imponantur. *Nam Romani bellis adſveti vitium raptorum non pro fœdo habuerunt: quid enim bellum eſt aliud quam rapina quedam non injuſta? Quamvis nonnunquam in graſſatores, & tunc quidem ſi ferro homines aggreſſi fuerint & ſæpius atq; in itineribus ſpoliare inſtituerint, capitali pœna animadverterint l. capitalium 28. §. graſſatores. 10. ff. de pœn. Apud nos autem cùm Ordinat. Carol. tùm etiam jure Saxon.* Landrecht *lib. 2. art. 13. omnes raptores, qui homines vi aggrediuntur manuq; violentâ in viâ publicâ ſpoliant, gladio feriuntur, quibus conſtitionibus addit conſvetudo & conſtans obſervatia, ut cadavera rotæ imponantur, quo terrori ſint aliis flagitioſis hominibus.*

2. *Conſideremus nunc ea quæ videntur vitioſitatem augere.*

ARTIC. I.
DE
RAPINA REITERATA.

1. Apud Romanos in uſu fuit attendere an ſemel quis ra-

puerit

puerit an ſæpius. *Nam teſtatur Calliſtratus cit. l. 28. ff. 10. in inſtigendâ pœnâ capitali inſpiciendum eſſe, an ſæpius quis ſpoliaverit.*

2. Hodiè autem apud nos parum refert an quis ſemel an iterum rapuerit. *Nam noſtri LLatores jam perfectè vitioſum reputarunt eum qui avaritiâ ductus inſidias hominibus facit eosq; in viâ publicâ aggreditur nec veretur lædere ſecuritatẽ viarum publicarum quam tueri ad principum curam pertinet. Et quia de aggravandâ per reiterationem pœnâ nihil conſtitutum eſt, non audent Ddres pœnam, quæ ex ſe ſatis ſevera eſt, augere. Cui accedit hæc ratio, quòd legislatores noſtri in ſtatuendâ pœnâ reſpexerint ad terrorem, quem homines ejusmodi viatoribus incutiunt: contingere verò poteſt, ut quis ſemel rapiens plures terreat, quàm qui rapinam reiterat. Ut proinde non tutum videatur pœnam ordinariam ob reiterationem aggravare.*

ARTIC. II.
DE
RAPINA CUM VULNERATIONE.

1. Rapina fit mediantibus vel minis nudis vel verberibus vel vulneratione vel cæde. *Nam rapina eſt hoſtilis quædam invaſio ſpoliandi cauſâ ſuſcepta: hæc autem vel in verbis ſubſiſtit vel ad verbera, vulnera, cædem progreditur.*

2. Rapina cum cæde conjuncta ſpeciale delictum eſt & latrocinium vocatur, de quo *ſeq. membr.* dicendum erit. *Licet enim latronum & raptorum nomen ſæpiſſimè confundatur: propriè tamen loquendo latrones ſunt, quos germanicè* Mörder *vocamus, Gl. german.* Landrecht *lib. 2. artic. 13. quia horum delictum in cæde conſiſtit ſpoliandorum; raptores qui ſine cæde id perficiunt* Straſſenräuber / Puſchklöpffer *germanis dicti.*

3. Vulnera infliguntur vel animo occidendi vel ſine eo. Qui animo occidendi vulnerant ex nonnullorum Ddrum opinione latrocinii pœnæ ſubjici & ita longè ſeverius quàm raptores puniri poſſunt: quamvis plerique mitiorem viam ſequentes raptorum pœnam iisdem dictitent, præſertim ſi animus occidendi non comparuerit: non dubito autem, addi poſſe impoſitionem trahæ. *Nam parum videtur vitioſior qui vulnerat ac qui verberat vel hoſtiliter minatur.*

PARS SECUNDA
Membri Quinti.

DE MINUENTIBUS POENAM RAPINÆ.

1. *Conſideraturi ſumus quæ minuunt pœnam ordinariam rapinæ eâdem quâ in præcedd. delictis ſervatâ methodo.*

ARTIC. I. DE CAUSSA EFFICIENTE DUBIA.

1. Non dubium eſt, quin mandantes, auxilium ferentes ſpoliantibus, in excubiis ſtantes participandi ſpolii gratiâ pro cauſſis efficientibus rapinæ habendi ſint. *Nam mandans principium motus exiſtit, dum concitat mandatarium; auxiliantes & in excubiis ſtantes ſunt principia concurrentia & cauſſæ ſociæ. Sed hi tunc cenſentur cauſſæ, ſi moti lucro quod ex rapinâ ſperatur id fecerunt.*

2. Pro cauſſis efficientibus autem non videntur habendi qui actui rapinæ interſunt eamque approbant, ſed nec opem nec auxilium præbent nec de prædâ participare volunt. *Nam qui nihil conferunt in ſocietate raptorum ad finem obtinendum, nec ut cauſſæ ſociæ cum cæteris puniri poſſunt.* Itaque ſi dubium ſit & non ſatis conſtet, an is, qui in numero raptorum fuit, etiam ad rapinam faciendam quid contulerit, non tutum eſt ei ordinariam pœnam dictare, ſed potius in fuſtigatione ſubſiſtendum eſt.

3. Porrò quod ſuprà monuimus circa furta, ordinariæ pœnæ non eſſe locum, ſi quis confeſſus delictum ſit, & de corpore delicti non conſtet, idem & nunc hîc repetendum eſt. *Nam non cognitâ cauſâ efficiente, non tutò inferri ordinaria pœna poteſt. Interim tamen ſi confeſſus delictum impunitus dimittatur, gignitur ſcandalum: ſunt enim vitia, quæ manent impunita, ſimilia morbis contagioſis: ſtatim enim ſi homines videant nonnullos impunè peccare, in eaſdem vitioſas actiones ruunt & impunè peccantes imitantur, qui contactus vocatur ſcandalum.*

ARTIC. II. DE CULPOSIS RAPINIS.

1. Culpoſas rapinas committunt qui conſilia ſuppeditant vel ſvadendo inducunt nonnullos ad rapinam faciendam it. raptorum

rum receptatores & occultatores. *Nam cauſſæ ſunt cauſſarum efficientium rapinas.*

3. Puniuntur autem extraordinariè & arbitrariè ratione circumſtantiarum, eo modo, quem declaravimus *membr. 3. part. 2. art. 2.*

ARTIC. III.
DE
RAPINA CASUALI.

1. Rapinam caſualem & impunem exerceri contingit tempore belli: *eſt enim rapina in hoſtes commiſſa non injuſta nec illicita: unde fit, ut ſi quis hoſtem aliquem exiſtimans ignorantiâ quâdam invincibili ductus ſpoliet amicum, caſuale eſt delictum & extra pœnam.*

2. Cæterum ſi quis Titium ſpoliaturus ſpoliaverit Mœvium, ineſt quidem delicto caſus; ſed ordinariâ nihilominus pœnâ raptor afficitur. *Nam errans hic ex eâdem potentiâ operatur ex qua operatus fuiſſet, ſi non erraſſet: & proinde eandem meretur pœnam.*

ARTIC. IV.
DE
RAPINA QVÆ JVSSV SUPERIORVM FIT.

1. *Sequitur, ut contemplemur eos, qui magis ex quâdam impotentiâ quàm ex vitio raptorum proprio rapinam faciunt; quorum in numero ſunt, qui juſſu ſuperiorum ſub quorum vel poteſtate vel imperio ſunt peccant.*

2. Qui juſſu ſuperiorum ſpoliant homines vel de raptis participant vel non: qui partem raptorum capiunt meritò ordinariam coguntur ſubire pœnam, niſi aliæ circumſtantiæ liberantes accedant. *Nam dum prædæ partem accipiunt ſatis declarant, ſe lucri cauſâ & ex avaritiâ quâdam deliquiſſe & juſſum ſuperiorum tantùm prætendere.*

3. Iis verò qui ex rapinâ nullum quæſivêre lucrum, ſed tantùm hoc egêre, ut ſatisfacerent juſſibus ſuperiorum nulla ordinaria pœna infligi poteſt, ſed arbitraria pro gradibus impotentiæ, quâ ducti turpibus juſsibus obſequium præſtiterunt. *Nam hos non ex vitio avaritiæ & injuſtitiæ, ſed potius ex intentione fugiendi iram ſuperiorum peccaſſe ſatis manifeſtum eſt. Unde propterea tantùm puniendi ſunt, quòd non obſtantibus ſuperiorum minis in bono propoſito perſeveraverint. Hic caſus occurrit tempore belli, quando centuriones ſuos gregarios milites jubent homines ſpoliare.*

ARTIC. V.

DE RAPINA QVÆ URGENTE FAME VEL NUDITATE CORPORIS COMMITTITUR.

1. Raptor, qui ductus neceſsitate famis vel nuditatis delictum hoc committit, non ordinariâ ſed fuſtigationis vel relegationis pœnâ pro ratione circumſtantiarum puniri ſolet. *Nam ſi delinquens alias benè vixit, indicium eſt, eum magis ex impotentiâ quàm ex potentiâ mali activâ peccaſſe.*

ARTIC: VI.

DE RAPINA MINORIS VEL NULLIUS INJVSTITIÆ ET IN SPECIE DE EA QVÆ MINVS HOSTILIS EST.

1. *Varia ſunt quæ videntur injuſtitiam rapinæ minuere vel penitus tollere, de quibus hoc & ſeqq. articulis dicturi ſumus.*

2. Minus injuſta videtur eſſe rapina quæ fit ſine hoſtili terrore. *Nam injuſtum, quod perpenderant noſtri LLatores in conſtituendâ pœnâ ordinariâ conſiſtit præcipuè in terrore viatoribus hoſtiliter incuſſo, minus principiliter in bonis ablatis. Hinc etiam fuſtigationis pœnam dictare ſolent Ddres iis, qui prævie minis exiguis convenêre cum viatoribus, ut aliquid pecuniæ darent.*

3. Parum injuſti continet rapina quæ fit mediante permutatione. *Nam in hac ceſſat & terror hoſtilis, & retributio facit, ut injuſtum minus videatur ratione ablationis bonorum. Quapropter niſi appareat, delinquentem tantummodo prætextum quæſiviſſe & medium occultandæ nequitiæ, (id quod inde addiſci ſolet, ſi nulla inter res permutatas ſit proportio) ſolent Ddres in ejuſmodi caſu relegationem vel perpetuam vel temporalem dictare.*

ARTIC. VII.

DE RAPINA QVÆ NON IN VIA PVBLICA SED IN OPPIDO, PAGO VEL DOMO ALICVJVS COMMISSA EST.

1. Videtur injuſtum hujus delicti proprium conſiſtere in terrore hoſtili qui in viis publicis infertur. *Nam videntur LLatores irrogando pœnam tam gravem tendere potiſſimum voluiſſe ad conſervationem*

vationem ſecuritatis viarum publicarum. Cui accedit, quòd nuſpiam hoſtilis terror tam vehemens eſſe poſſit, ac in via publica.

2. Nihilominus tamen nolunt Ddres pœnam in rapinâ quæ in villâ, oppido vel domo commiſſa eſt mitigare. *Nam cernunt L Latores generaliter locutos Ordinat. Carol. art. 126. & Landrecht lib. 2. artic. 13.*

3. Vti verò omni rapinæ, quæ in oppidis aut villis fit, dictare ordinariam pœnam nimis durum puto, ita non nego, ſi armis fiat & magnâ quâdam cum violentiâ æqualem terrorem, ac in viis publicis, incutiens, eam ſine dubio locum habere. *Nam ubi eadem eſt vitioſitas & par injuſtum, ibi eandem pœnam adhiberi rationis eſt.*

ARTIC. VIII.
DE SPOLIATO SPOLIANTE.

1. Spoliatus rurſus ſpolians videtur minus injuſtus, non tamen immunis eſſe à peccato, niſi id faciat prætextu belli privati non injuſti. *Nam paria paribus referre minus injuſtum videtur: ſed quia nulli privato propria vindicta conceſſa eſt, niſi magiſtratûs auxilium omne ceſſet; ſequitur ſpoliantem per hoc, quòd ſpoliatus ſit, factum ſuum purgare non poſſe, niſi unà leges privati belli obſervaverit.*

2. Spoliatus ergò ſpolians vel id committit in eum, à quo ſpoliatus eſt, vel in alium quendam, & hunc rurſus vel ejusdem generis cum eo, à quo prius ſpoliatus eſt, vel diverſi. *v. g. ſi ſpoliatus à Polono alium quendam Polonum vel à milite alium militem ſpoliet, voco ſpoliationem commiſſam in alium ejusdem generis.*

3. Spolians eum, à quo prius ſpoliatus eſt vel auffert præcisè id aut tantum quantum ipſe ſpolii perpeſſus eſt vel plus. Qui tantum auffert quantum damni perpeſſus eſt ex ſpoliatione aut illud quod præcisè amiſit eo in loco, ubi magiſtratûs auxilio uti nequit, ſine dubio impunè id facit. *Nam hic obſervat ea quæ bella privata reddunt licita. prout cap. præced. demonſtravimus.*

4. Sed quid ſi ſpoliatus longo tempore poſt raptorem in viâ publicâ rurſus ſpoliet, annon limites neceſſariæ defenſionis excedet? Reſpondeo, ſi appareat reum nullâ in civitate hactenus potuiſſe raptorem offendere, & huic nihil ulterius vi auferre voluiſſe; quàm ſibi ablatum erat, ab omni pœnâ abſolvendum eſſe. *Nam quod Ddres tradunt, ad neceſſariam defenſionem requiri, ut in inſtanti fiat, hanc cauſſam habet, quia temporis intervallo interjecto, locus eſt vindictæ per magiſtratum faciendæ. Verùm quia raptores & graſſatores in ci-*

vitatibus raro aut nunquam deprehendi poſſunt: non dubito, eum, qui raptorem, à quo ſpoliatus eſt olim, in viâ publicâ offendit & rurſus hoſtiliter ipſi auffert tantum, quantum exæquat damnum ex præcedenti ſpoliatione illatum, veniâ dignum eſſe. At ſi quis plus rapuerit quàm ablatum eſt, etiamſi in continenti id faciat, peccat. *Nam lucri captandi gratiâ hunc prætextum quæſiviſſe videtur, & pari cum altero raptore vitio laborare.* Idem obtinet, ſi reus raptorem potuiſſet hactenus in aliquâ civitate convenire. *Nam belli privati ſuſcipiendi nullam cauſſam habet, & proinde rapinis ipſe gaudet.*

5. Spolians alios ejuſdem generis non excuſatur, niſi fortaſſe ruſticitate. *v. g. ſi ruſticus ſpoliatus à militibus alium quendam militem ſpoliet, argumentando, ſibi idem debere licere in milites, quod ipſe ab iiſdem experiri coactus eſt, præſertim quando tribunus militum ruſtico conquerenti noluit juſtitiam adminiſtrare. Sanè quia ſuprà demonſtravimus, erroneam aliquam opinionem ruſticum excuſare poſſe, videtur tali in caſu non ordinaria ſed paulò mitior pœna irroganda. Habet namq; ſpectato judicio ruſtici, factum ipſius aliquem juſtitiæ prætextum. Et proinde tali caſu nonnulli Ddres fuſtigationem dictârunt.*

ARTIC. IX.
DE SPOLIANTIBUS RAPTOREM.

1. Qui raptorem ſpoliant prætextum habere videntur alicujus juſtitiæ, non tamen ab ordinariâ pœnâ immunes ſunt, niſi aliæ circumſtantiæ accedant. *Nam licet raptor quæ aliis rapuit nullo jure poſſideat, adeoq; amiſſione rerum nullum damnum pati videatur: cum tamen hunc ſpoliantes non tendant ad correctionem injuſti ſed ad lucrum captandum, ſimili quo ſpoliatus vitio laborant, & tantummodo vitioſæ actioni prætextum quærunt.*

ARTIC. X.
DE RAPINA REI MODICÆ.

1. Mitior quidem pœna primo intuitu videtur irroganda iis, qui rem modicam abſtulerunt: ſed rectius ordinariam pœnam patiuntur. *Quemadmodum enim furto modico mitior pœna conſtituta eſt propterea, quod minus injuſtum ſit quàm magnum: ita & videtur circa rapinam procedendum. Verùm quia LLatores noſtri in pœnâ ordinariâ conſtituendâ reſpexerunt ad hoſtilem terrorem qui viatoribus incutitur, parum refert quantum illud ſit quod ablatum eſt. In furto autem LLatores magis id quod ablatum eſt attendere voluerunt. Nam læſi ex furto moleſtiam quam percipiunt ex ſolâ carentiâ rei ablatæ ſentiunt (modò furtum*

furtum fiat ſine effractione violentâ,) at qui in viâ publicâ ſpoliantur maximam plerumq; moleſtiam ex terrore patiuntur: verſantur quippe in metu mortis. Nonnunquam res modica arguit majorem in delinquente malitiam: *qui enim rei modicæ cauſſâ hoſtilem terrorem incutit hominibus, quid faciet ob rem majoris æſtimationis?*

ARTIC. XI.
DE RAPTORIBVS QVI POENITENTIA DVCTI RES RAPTAS RESTITVERVNT.

1. Raptores reſtituentes res ablatas ordinariam pœnam non effugiunt. *Licet enim fures pœnitentes &, antequam in carcerem conjiciantur, res ablatas reſtituentes mitius puniantur; quia nimirum injuſtum hôc ipſo quodammodo corrigitur: Id tamen in raptoribus non obtinet; quia læſio, in quâ injuſtum poſitum eſt, terror ille eſt hoſtilis, qui reſtitutione rerum non corrigitur.*

2. Si tamen quis ſemel rapuerit, & ductus ſeriâ pœnitentiâ ultrò reſtituerit res ablatas cum deprecatione, hunc potius caſtigandum & dimittendum, quàm ultimo ſupplicio afficiendum recta ratio ſvadet. *Nam ubi ſatis manifeſtò apparet, hominem emendabilem eſſe, ſvadet ratio, ut vitæ ipſius parcatur. Et hæc cauſſa eſt, quare Ddres pronunciantes talibus in caſibus ſoleant principum clementiæ remiſſionem ordinariæ pœnæ committere.*

ARTIC. XII.
DE RAPINA ATTENTATA

1. In conatu ſubſiſtunt qui vel à defenſoribus repulſi vel alio modo impediti ſunt, quò minus perficere rapinam potuerint: nulli horum ordinariâ pœnâ, ſed mitiori nim. fuſtigatione vel relegatione affici ſolent. *Quamvis enim repulſi à viatoribus videantur ſatis vitioſi, quòd non niſi vi pulſi abſtinuerint; videntur tamen aliquid pœnæ ob malefactum ſuum ſenſiſſe, dum bellum à viatoribus ſuſtinuerunt.*

ARTIC. XIII.
DE RAPINA COMMISSA AB IIS QVI IN ALIQVA DIGNITATE POSITI SUNT.

1. Quamvis ob generalitatem verborum Ordinat. Carol. *artic.* 126. Ddres non poſſint ſibi arrogare mitigationem pœnæ, ſi

nobiles rapinam fecerint; principum tamen videtur eſſe nobiles, ſi quando hoc delictum commiſerint mitius punire & ex ſingulari clementiâ pœnam mitigare. *Nam cùm ſtudium horum plerumq; ſit in bello poſitum, quod vitæ genus colentes rapinis facilè adſveſieri poſſunt magis quàm cæteri; tum etiam ſi horum cadavera rotæ imponuntur, pœna in innocentes ſeſe extendit, eos ſcil. qui ejusdem cum delinquente familiæ ſunt: mitius ergò procedendum videtur, ut ſcil. licet gladio feriantur, ſepulturâ tamen fruantur.*

MEMBR. VI.
DE CRIMINE CONCUSSIONIS.

1. Crimen concuſſionis admodum ſimile eſt Rapinæ: *Nam ſepè dubitant Ddres, an pro rapinâ an pro concuſſione delictum ſit habendum. v. g. ſi graſſatores è manibus viatorum nihil vi rapiant, ſed eos minis adigant ad offerendum quæ habent.*

2. Differt tamen crimen concuſſionis à rapinâ, quòd hæc in quodam terrore hoſtili ſeu tali quem hoſtis hoſti in bello incutere ſolet, armis nimirum; concusſio verò in quâdam minitatione alterius mali conſiſtat. *v. g. ſi quis ſimulet præſidis alicujus juſſum vel accuſationem de crimine & hoc ipſo pecuniam extorqueat: Si verò graſſator minis viatorem adigat ad tradenda quæ habet, rapina potius quam concuſſio eſt; quia eſt terror hoſtilis, licet in verbis ſubſiſtat.*

3. Concusſionis crimen arbitrariæ judicum pœnæ relictum eſt. *Nam ob varietatem metûs ex minis ſuborti (eſt enim metus nonnunquam vanus & inanis) nihil certi definiri poteſt.*

4. Interim crimen hoc notabilem quandam pœnam meretur; *quia deſcendit itidem ex vitio avaritiæ & injuſtitiæ; tantùm per hoc differt, quòd lucrum quærat non hoſtili terrore incuſſo.*

MEMBR. VII.
DE USURARIA PRAVITATE.

1. Videtur dubitandum, an pravitas uſuraria criminibus annumeranda ſit. *Nam nullus fœnerator graviores conſtituere poteſt uſuras & exigere ab eo, qui mutuam pecuniam accipit: conſtituuntur enim uſuræ pactionibus & ſtipulationibus. dicimus autem volenti non fieri injuriam.*

2. Verùm pro crimine habendum eſſe exercitium fœnoris improbi dubitandum non eſt. *Nam licet fœneratores avaritiam ſuam non vi quâdam ut raptores, nec clandeſtinis mediis, quemadmodum fures, quia paciſcuntur, exerceant: obſervant tamen indigentiam hominum*

num & denegando opem, niſi graviſſimas uſuras promittant, neceſſitatem quandam paciſcendi iisdem imponunt;& eos, quibus ducti naturali miſericordiâ ſuccurrere debebant, porrò in extremam paupertatem conjiciunt. Quo ipſo mali cujusdam auctores ſunt, quod integram aliquam civitatem vel rempublicam evertere poteſt. Id quod exemplo civitatis Romanæ addiſcere poſſumus: ita namq; Tacitus 6. annal. cap. 16. Sanè vetus urbi fœnebre malum & ſeditionum diſcordiarumque creberrima cauſſa: eoque cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus. Nam primò 12. tabb. ſanctum, ne quis unciario fœnore amplius exerceret (*ſumendo pro centum ſingulis annis unum*) cùm antea ex libidine locupletium agitaretur. Dein rogatione tribunitiâ ad ſemuncias redacta (*ut pro ducentis aureis quotannis unus acciperetur:*) poſtremò vetita verſura, multisque plebiſcitis obviam itum fraudibus, quæ toties repreſſæ miras per artes rurſum oriebantur. *Ex quo Taciti textu diſcimus, fænebre malum non modò ad everſionem integrarum Rerumpubl. & concitationem quàm plurimarum ſeditionum præbere occaſionem; ſed etiam ita ſemper irrepere, ut vix LLbus cohiberi poſsit.*

3. Vitium, ob quod fœneratores pravitatem uſurariam exercentes puniuntur, eſt avaritia cum injuſtitiâ conjuncta faciens, ut ſpe lucri ab hominibus miſeris & in neceſſitate quâdam & indigentiâ poſitis uſuras ſuprà modum exigant, eosque in majores neceſſitates & quandoque extremam paupertatem conjiciant.

4. Modus uſurarum varius à variis legislatoribus conſtitutus hodiè conſiſtit in uſuris quincuncibus. *Nam & textus Taciti modò citatus & conſtitutio Juſtiniani, quam de modo uſurarum fecit, ſatis id indicant. Hodierna verò conſvetudo paſsim per Germaniam celebrata quincunces admittit. Quâ de cauſſa pravitatis uſurariæ rei ſunt qui ultra quincunces uſuras in mutuo exigunt & hanc ſuam injuſtitiam callidis artificiis obtegunt.*

Receſſibus imperii hæc pœna ſtatuta eſt: primò jubentur omnes contractus uſurarii, quos fœneratores inire ſolent, eſſe irriti: ſecundò fœneratores quartâ parte ſortis mulctantur. *ſub Impp. Maximil. I. Carol. V. Rudolpho II.* Ex conſtit. Electorali Anno 1625. integram ſortem jubentur amittere. Sanctio D. Auguſti Electoris Anno 1583. pœnam adjecit arbitrariam carceris nim. vel relegationis. Jure Canonico *cap. 3. extr. de uſur.* jus teſtandi & præterea ſepultura iis denegatur.

6. Sunt autem uſurariorum variæ artes callidæ lucrum injuſtum mediantibus uſuris faciendi;& primò quidem eſt anatocismus: quan-

quando uſuras in ſortem redigunt & totius uſuras ſtipulantur. *Nam hoc ipſo miſeri debitores, dum uſuras ſolvere non valentes pro his iterum uſuras pendere coguntur, in extremam perniciem & manifeſtam rei familiaris amiſſionem conjiciuntur.*

7. Secundò hûc referri poteſt contractus antichreticus, quando fœneratores loco pignoris accipiunt rem fructuoſam & locò uſurarum ex eâdem ſine labore & impenſis percipiunt fructus, quorum precium legitimum uſurarum modum excedit.

8. *Dantur & plures modi quos hîc latius explicare ſuperfluum erit. v. g. ſi mutuo daturus ſimulat ſe emere pignus majoris precii, quàm pecunia numerata eſt cum lege commiſſoriâ, ut ſi intra certum tempus reluitio non ſit facta, res repeti nequeat. it. ſi pactum fiat, ut præter uſuras ſolvantur collectæ, quas aliàs creditoribus de pecuniâ fœnori datâ magiſtratui ſolvere incumbit. it. ſi uſuræ exigantur ultra alterum tantum. it. ſi loco pecuniæ mutuo dandæ porrigantur merces viliſſimæ, quas nemo aliàs empturus eſſet & pro his magnum precium exigitur.*

MEMBR. VIII.
DE LENOCINIO.

1. Lenocinium committunt qui delicta carnis in impudicitiâ conſiſtentia promovent lucri quærendi gratiâ. *v. g. qui fœminas ad actum venereum pelliciunt perſvaſionibus vel minis quò quæſtum inde faciant; & in ſummâ qui cauſſa remota ſcortationum, ſtuprorum, adulteriorum commodi pecuniarii gratiâ exiſtunt.*

2. Videtur ergò lenocinii crimen furto gravius. *Provenit enim lenocinium ex ejusmodi avaritiâ, quæ ducit hominem ad alios homines vitioſos reddendos, quò lucrum faciat. Id quod non furto ineſt.*

3. Pœna lenonum jure civili videtur eſſe ultimum ſupplicium: hodiè apud nos pro delicti qualitate vel exilio, vel fuſtigatione, vel aurium mutilatione vel pro numellis exhibitione coërcentur. *Ordinat. Carol. art.* 123. Quod etiam in foro Saxonico obſervari ſolet.

PARS PRIMA
Membri Octavi.
DE AUGENTIBUS POENAM ORDINARIAM.

1. *Cùm vitioſitas hujus delicti conſiſtat in avaritiâ alliciente hominem ad alios corrumpendos & vitioſos reddendos, quò ſeſe præbeant inſtrumenta libidinis: facilè apparet, quænam ſint cauſſæ augentes communem lenocinii pœnam.*

ARTIC. I.
DE
IIS QVI UXOREM ET LIBEROS VEL ALIOS PERSONAS SUÆ CURÆ COMMISSAS PRÆSTITUUNT.

1. Longè gravius peccare eos, qui uxorem aut liberos lucri cauſsâ proſtituunt, quàm qui aliquam extraneam fœminam, extra dubium eſt. *Nam extremè avarum oportet eſſe eum, qui nec uxori nec liberis, quorum pudicitiam ſervare caritas etiam naturalis & officium maritale paternumve imponit, parcere vult, modò lucrum adipiſcatur.*

2. Pœna jure civili *per Nov.* 14. Conſtitut. *Carol. art.* 122. confirmato eſt gladii. *Interpret. Matth. Stephan. ad art. cit.* Quam pœnam confirmat etiam D. Auguſtus Elector *p.* 4. *conſt.* 29.

3. Gravius autem ille pater vel maritus peccat qui filias vel uxorem allicit ad impudicitiam, quàm qui lucri cauſsâ ſciens tantùm patitur. *Minus enim malum non prohibere vitia, quàm ad peccandum allicere.*

4. Noſtri tamen legumlatores æquali pœnâ puniunt patientem ac allicientem. *Ordinat. Carol. art.* 122. *verb.* So iemand ſein Eheweib oder Kinder ümb einigerley genieß willen / wie der Nahmen hat / williglich zu unehrlichen / unkeuſchen und ſchändlichen wercken gebrauchen läſſet. *it. Conſtit. Christiani II. Electoris Anno* 1609. §. vors dritte / da ein Eheman *&c.*

5. Cæteri proſtituentes perſonas ſibi commiſſas, ut pudicitiam harum conſervent & cuſtodiant, gravius quidem peccant quàm alii lenones, & propterea earum pœna eſt augenda; non tamen æquiparandi ſunt maritis & parentibus. *Quia parentes & maritos etiam caritas erga liberos & propria ignominia deterrere debuiſſet.*

ARTIC. II.
DE
REITERATIONE HUJUS CRIMINIS.

1. Qui plures proſtituit fœminas gravius peccat, quàm qui unam & propterea graviorem quoque meretur pœnam. *Nam quemadmodum latro quò plures occidit, eo gravius punitur, additis forcipibus candentibus, uti ſeq. membr. tradetur: ita quoq; gravius videtur puniendus qui lucri cauſsâ plures fœminas proſtituit, quàm qui unam: uti enim latrocinium eſt homicidium lucri cauſsa factum, ita quoq; lenocinium proſtitutio pudicitiæ: cumq; multiplicatâ cauſsa pœna ipſa pœna augenda*

genda ſit & cauſſa pœnæ ſit proſtitutio pudicitiæ alicujus fœminæ: ſequitur quo plures leno corruperit fœminas, eo gravius eum puniendum eſſe.

2. Nunquam tamen Ddres in extraneis fœminis, licet pluribus proſtitutis, ultra fuſtigationem procedunt. *Nam legislatores noſtri in determinandis pœnis circa lenocinia in extraneas perſonas commiſſa in fuſtigatione ſubſiſtunt.*

ARTIC. III.
DE
LENONIBUS PROSTITUENTIBUS HONESTIORSE FOEMINAS AUT EAS QVIBUS REVERENTIAM DEBENT.

1. Non eſt dubitandum, gravius peccare eos, qui honeſtiores, quàm qui viliores proſtituunt. *Quò nam honeſtior eſt perſona, eò plus damni patitur amiſſâ pudicitiâ.*

2. Eſt & eorum delictum longè gravius quàm cæterorum, qui eas mulieres, quibus debent reverentiam & honorem, aut etiam uxores patronorum vel dominorum ſuorum proſtituunt. *Nam injuſtum longè majus eſt, ſi læduntur, quibus à lædente officia amicitiæ debentur. Non ergò dubito, judices in talibus caſibus quandoq; ad pœnam gladii procedere poſſe. Ponas, miniſtrum aut famulum proſtituere unicam filiam alicujus magni viri & de republ. optimè meriti, quiq; multa in eum collocavit beneficia.*

PARS SECUNDA
Membri Octavi.
DE
MINUENTIBUS POENAM LENOCINII.
ARTIC. I.
DE
IIS QVI EX PAUPERTATE COMMITTUNT LENOCINIUM.

1. Qui ex paupertate committunt lenocinium magis ex imbecillitate quàm avaritiæ vitio peccare videntur. *Nam ſpecies impotentiæ eſt, pati ſe trahi paupertate ad committendum, quod alias non commiſiſſet. Ac proinde etiam mitior aliqua pœna, nim. carceris infligi lenoni ex paupertate peccanti ſolet.*

ARTIC. II.
DE
PROSTITUENTE MERETRICES.

1. Recipiens meretrices corpus venale habentes minus pec-

peccare videtur, quàm qui honeſtas trahit ad impudicitiam: non puto tamen à judice propterea pœnam ſingulariter mitigandam. *Nam qui honeſtam fœminam proſtituit facit id plerumq; in gratiam jam corrupti adoleſcentis: at qui fovet meretrices cauſſa exiſtit corruptelæ adoleſcentibus. Quid autem intereſt adoleſcentes maſculos an fœminas corrumpere? niſi velis dicere pudicitiam in fœminis majus bonum eſſe. Id quod etiam admitto, & propterea leviter differre dico. Quando ergò honeſtam puellam corrumpenti fuſtigatio decernitur, poteſt meretricem alenti relegatio dictari.*

ARTIC. III.

DE

TRANSIGENTE SUPER ADULTERIO UXORIS SUÆ

1. Non videtur propriè leno dici poſſe, qui, adulterium uxoris improbans quidem, mavult tamen transigere & pecuniam accipere quàm adulterum accuſare. *Nam avarus quodammodo eſt, dum mavult accipere pecuniam, quàm hoc agere ut vitioſus homo puniatur, & per hoc cauſa ſed remotiſſima adulteriorum eſt: dum enim adulter deprehenſus videt, ſe hoc pacto impunè peccare poſſe, incitatur is ad plura adulteria committenda. Quam ob cauſſam nonnunquam in jure civili ejuſmodi transigens leno vocatur. Minus adhuc peccat, qui amore erga uxorem, liberosq; ſuos ne pœna matris ipſis ignominioſa ſit & non ſolâ pecuniâ allicitur. Et proinde vel ignominia & contemptus quem ejuſmodi homines contrahunt, loco pœnæ ipſi eſſe poteſt.*

ARTIC. IV.

DE

HIS QVI PROSTITVVNT FOEMINAS NON QVÆSTVS CAVSSA.

1. Videntur & minus propriè lenones dicendi qui, non ut caperent lucrum, ſed ex quâdam levitate uxorem aut liberos proſtituunt. *Nam deſtituuntur vitioſitate illâ quæ propriè hujus criminis principium eſt. Hinc etiam non ordinariâ gladii ſed fuſtigationis pœnâ plecti ſolent. ex Conſt. D. Auguſti p. 4. conſt. 29. §.* wo aber *Qui verò extraneas perſonas proſtituunt carcere vel relegatione puniuntur. cit. conſt. §. fin.*

ARTIC. V.

DE

PARENTIBUS ADMITTENTIBUS SCORTATIONEM FILIORUM.

1. Parentes, qui patiuntur filios ſcortari, vel etiam nutriendo

endo ancillas leves occaſionem ſcortandi ſcientes præbent mitius puniendi ſunt, quàm qui in filiabus id patiuntur. *Nam pudicitia, utpote fœminarum precipua virtus, debet quàm maximè in fœminis conſervari. Quapropter etiam relegationem temporalem tantùm Ddres dictare ejusmodi parentibus ſolent.*

ARTICUL. VI.

DE LENOCINIO ATTENTATO.

1. Conatum, quandò quis acceptâ pecuniâ uxorem aut filiam ſollicitat, nihil tamen impetrare valet, mitius punire ſolent. *Nam fortaſſe, licet conſenſiſſent, mox ductus pœnitentiâ noluiſſet admittere.*

2. Quærunt, an etiam pro conatu habendum, ſi maritus uxorem jam proſtituerit, ſed nondum acceperit pecuniam? Reſpondemus non dubitandum eſſe, quin lenocinium ſit conſummatum: *Eſt enim lenocinium proſtitutio vel corruptio pudicitiæ facta ex avaritiâ ſeu lucri cupiditate: ac proinde perfectum eſt lenocinium, licet leno nihil actu conſecutus ſit. Id quod etiam in latrocinio, de quo mox acturi ſumus, obtinet. Solent tamen interpretes juris Saxonici mitius quodammodo procedere & fuſtigationem dictare ob Conſtit. Electoral. cujus verba ſunt:* So ſoll der/ ſo ſich ſolches Gewinſt oder Nutzens gebrauchet / wegen dieſes *lenocinii* und Mißhandlung mit dem Schwerd geſtraffet werden.

MEMBR. IX.

DE LATROCINIO.

1. Latrocinium eſt homicidium lucri faciendi cauſâ commiſſum.

2. Deſcendit hoc crimen ex avaritiâ & longè fœdius eſt furto vel rapinâ. *Nam quò magis horrendum eſt quod lucri cauſâ perpetratur, eò gravius etiam eſt. Præterea eſt hoc crimen ex rapinâ & homicidio compoſitum & per conſequens ſimplici quovis majus.*

3. Pœna ordinaria apud nos eſſe ſolet rotæ ſupplicium, ut ſcil. membra contundantur & cadaver poſtea rotæ imponatur.

PARS PRIMA
Membri Noni
DE AUGENTIBUS POENAM ORDINARIAM.

1. Latrocinii reatus augetur, potiſſimum ratione homicidii.

dii. *Nam cum fœditas hujus criminis conſiſtat in hoc, quòd quis lucri cauſâ in ſe recipiat hominem occidere, ſequitur quò magis malitioſum eſt homicidium, eò majorem eſſe vitioſitatem, quæ hujus criminis principium eſt.*

ARTIC. I.
DE
LATROCINIO REITERATO.

1. Latrocinium reiteratum meritò graviorem parit pœnam. Dicitur autem reiteratum quando plura homicidia ſunt commiſſa. *Nam cùm vitioſitas hujus delicti propria poſita ſit in hoc, quòd lucri cauſâ quis ſuſcipiat hominem occidere; ſequitur tot eſſe latrocinia cenſenda quot homines occiſi ſunt: adeoq; licet vel unici lucri cauſâ quis multos occidat homines, cenſetur latrocinium reiteratum commiſiſſe.*

2. Latrocinii reiterati pœna apud nos eſſe ſolet, ut antequam rotæ pœnam patiantur delinquentes, forcipibus candentibus prehenſi urantur, & trahæ impoſiti rapiantur ad ſupplicium. *Ordinat. Carol. artic. 130. Licet enim hæc conſtitutio loquatur de Veneficio: quia tamen ſuprà demonſtravimus, veneficium ſolere ad imitationem latrocinii puniri; ſine dubio mens L. Latoris fuiſſe videtur, ut & idem in latrocinio obſervetur.*

3. Nec inconveniens eſt, tot vicibus latronem forcipibus candentibus prehendi, quoties delictum reiteravit. *Nam hoc pacto flagitioſi homines terreri poſſunt, ne nimium huic crimini perpetrando inhæreant. Solent tamen hic Ddres non in infinitum progredi, ne reus nimis frequentibus uſtulationibus enecetur antequam rotæ ſupplicium patiatur. Hinc ultra ſex vices uſtulationem non dictitant.*

4. Solet etiam diverſus modus obſervari in rotæ ſupplicio, ut ſcil. in reiterato delicto non ſtatim collum frangatur, ſed prius cætera membra contundantur.

ARTIC. II.
DE
RELIQVIS LATROCINII REATUM AUGENTIBUS.

1. Augenda eſt pœna latronibus, ſi occiderint perſonam illuſtrem, ſangvine junctam; vel etiam aliam cui reverentiam & amorem debent, v. g. ſi famulus ſuum dominum occiderit. *Nam cum latrocinii vitioſitas ſit avaritia alliciens ad homicidium; ſequitur eò majorem vitioſitatem eſſe quò fœdius eſt homicidium quod perpetratur. Suprà autem diximus, homicidium ſuum malitiæ augmentum capere à qualitate per-*

te perſonarum occiſarum. Hinc ejusmodi latrones ſolent trahâ duci ad ſupplicium rotæ.

2. Aggravat etiam pœnam accedens homicidio crudelitas; præſertim ſi & hæc lucri cauſsâ exerceatur. *v. g. quando mulieres gravidas diſſecant, quò ex fœtûs nondum nati membris lychnos conficere eosq; in furtis committendis adhibere poſſint. Quo in caſu ſolent Ddres itidem pœnæ ordinariæ addere, ut reus trahæ impoſitus ducatur ad ſupplicium.*

PARS SECUNDA *Hujus Membri* DE MINUENTIBUS POENAM LATROCINII.

ARTIC. I. DE CAUSSA EFFICIENTE DUBIA.

1. Videtur dubium an pro cauſſis efficientibus latrocinii habendi ſint qui in excubiis ſtant, aut alio modo auxilium præbent tantùm occidendo nihil ſpoliando, vel tantùm ſpoliando neminem occidendo, vel nec occidendo nec ſpoliando ſed tantùm numerum latronum complendo, ut terrori ſint: ſed non dubium eſt, quin hi omnes ordinariæ pœnæ tanquam cauſſæ latrocinii efficientes ſubjici poſſint. *Nam qui ut partes alicujus ſocietatis delinquentis operantur tendendo ad communem eumq; malum finem, etiam cum cæteris communem pœnam meritò ſentiunt: neq; enim mala ſocietas puniri poteſt, niſi in ſingulos animadvertatur.*

2. Verùm quod de cæteris delictis diximus, ſi ex confeſſione Rei tantùm conſtet de delicto, nondum autem appareat, an reverà ſit commiſſum, mitigandam eſſe pœnam, id quoque & in hoc obtinet. *Quamdiu enim dubius eſt judex, an reus reverà ſit cauſſa efficiens alicujus delicti, eum ordinariâ pœnâ afficere nequit. Quapropter, ſi latro aliquot latrocinia confeſſus fuerit, & de ſingulorum veritate non ſatis conſtet, non toties uſtulatur forcipibus candentibus quot delicta eſt confeſſus, ſed de quot in rei veritate commiſſis judici conſtat. Sic ſi unicum quis confeſſus latrocinium, de quo non conſtat, ad pœnam rotæ non itur.*

ARTIC. II. DE LATROCINIO CULPOSO.

1. Culpoſa latrocinia poſſunt dici committere qui latrones occul-

occultant, iiſque conſilium evadendi ſuggerunt. *Nam enim faciunt, ut hi homines tutò latrocinia exercere poſſint, cauſſa ſunt, quò hi cauſſa latrocinii exiſtant.*

2. Sunt verò quam proximi latronibus qui participantes de lucro eoſdem occultant. *Nam hi ducuntur avaritiâ ad fovendos homines tam horrenda crimina committentes: & ita propemodum pari vitio cum latronibus laborant. Quapropter jure civili cum latronibus eandem patiuntur pœnam, qui, cùm latrones apprehendere poſſent, pecuniâ acceptâ vel ſurreptorum parte dimiſerunt. l. 1. §. 1. ff. de Receptat. Verùm cùm ordinaria pœna in latrones admodum ſevera ſit, non immeritò extraordinaria quædam ipſis dictatur, prout membr. 3. p. 2. artic. 2. n. 3. declaravimus, ubi diximus, ejusmodi receptatores ad ſummum fuſtigationis pœnam in furtis hodie ſubire cogi. Hinc non dubitandum eſt, eò gravius puniendos eſſe latronum receptatores, quò fœdius furtis latrocinium crimen eſt; ut adeò non dubitem, quin judex pro ratione circumſtantiarum gladii pœnam dictare queat.*

ARTIC. III.
DE
LATROCINIO CASUALI.

1. Latrocinium caſuale committi poteſt tempore belli, quando quis ex ignorantiâ invincibili occidit & ſpoliat alium quendam hoſtem exiſtimans qui non eſt. *Huic enim facto accidit latrocinium; quia non hoſtem eſſe alicujus & tamen ab eo occidi & ſpoliari latrocinium eſt, & cùm per ſe ut miles operetur, exiſtimans ſe hoſtem occidere & ſpoliare, tantùm cauſſa per accidens latrocinii exiſtit, immunisque à pœnâ eſt.*

ARTIC. IV.
DE
LATROCINIIS MINORENNIUM.

1. Ætas minorennis ab ordinariâ latrocinii pœnâ, aliis circumſtantiis non accedentibus, liberare neminem valet. *Nam dum minorennis ad ejusmodi facinus perpetrandum progreditur, ſatis declarat ſe extremè vitioſum eſſe. Quamvis non diffitear, ſi minorennis juſſu patris vel variis perſvaſionibus aliorum latronum aut minis adactus in excubiis ſteterit, eum mitius paullò puniendum eſſe. Nam hæc arguunt aliquam impotentiam juvenilem.*

ARTIC.

ARTIC. V.

DE LATROCINIIS QVIBVS VIDETVR MINVS INJVSTVM INESSE.

1. Videntur latrocinia minus injuſta, quibus exiguam ſummam quis lucratus eſt; ſed tantùm abeſt, ut mitius punienda ſint, ut majorem pœnam mereri videantur. *Nam latrocinii injuſtitia magis conſiſtit in vitæ humanæ quàm pecuniæ ablatione. Deinde qui ſciens, ſe obtenturum parvum lucrum, nihilominus hominem occidit magis peccat, quàm qui magno lucro allectus id facit: eſt enim avarior quem parvum lucellum ad magnum facinus perpetrandum allicit.*

2. Vnde qui lucri cauſsâ occidens hominem nihil conſequitur ordinariam pœnam effugere nequit. *Sufficit namq; ſpe lucri eum occidiſſe hominem; quia definivimus initio huj. membr. Latrocinium, homicidium lucri faciendi gratiâ commiſſum: quæ definitio & ei applicari poteſt, qui ex accidenti nihil adeptus & ſpe ſuâ fraudatus eſt.*

ARTIC. VI.

DE LATROCINIIS QVÆ VIDENTVR NON EX AVARITIA FIERI.

1. Quæſtio moveri poteſt, an deperiens alterius uxorem eumq; occidens, quò cum ipſius viduâ matrimonium inire poſſit, latrocinium propriè committat. *Non deſunt magni nominis JCti hoc ſtatuentes, hac ratione moti, quod, licet conjux non ſit in patrimonio vel bonis, homicidium tamen commodi cauſâ committatur. Quapropter & tali in caſu pœnam ordinariam locum habere volunt. Verum tali in caſu mihi videntur hæ circumſtantiæ attendendæ, an nim. delinquens ſolo mulieris amore an verò conſequendæ dotis gratiâ homicidium perpetraverit; hunc ordinariæ pœnæ eximere non audeo; quia avaritiâ & ſpe lucri ductus occidit; illi autem pœnam rotæ non dictarem: neq; enim ex avaritiâ ſed ex amoris inordinati affectu peccat.*

2. Dubitari quoque poteſt, an qui furtum fecit, & metuens ne prodatur, alterum occidit, committat latrocinium. *Deprehendimus hic iterum magnos JCtos dictitaſſe pœnam latrocinii ordinariam, & quidem in tali caſu, cum fur ſocium criminis occiderat, ne ab ipſo furtum manifeſtaretur. Ego horum ſententiam non reprehendo, nec tamen audeo aſſerere hoc eſſe latrocinium proprè dictum. Nam ejuſmodi homo non poteſt probari habuiſſe avaritiam latronis propriam ſed tantùm furis,*

quâ

quâ allectus etiam furtum fecit; debuiſſet autem, quò latro dici poſſet, habere avaritiam latronum propriam i. e. eam, quæ allicit homines ad homicidia perpetranda lucri gratiâ. At hunc non induxit avaritia ad occidendum, ſed metus pœnæ quæ furibus infligi ſolet.

3. Hûc refero quoque quæſtionem, num pœnâ latrocinii teneatur, qui in furto deprehenſus ab aliquo eum occidit. *Iterum diſtingvendum videtur, an fur homicidium perpetraverit, quò furtum perficere poſſet an non; illo caſu non dubitandum eſt, quin ordinaria latrocinii pœna dictanda ſit; quia avaritia manifeſtò deprehenditur hunc ad homicidium perpetrandum traxiſſe: quòd ſi verò fur ſuæ defenſionis gratiâ, quòd prehenſus à patrefam. cùm videret ſe vitam aliter conſervare non poſſe, homicidium commiſit; latrocinii pœna dictitanda non erit: licet enim avaritia occaſionem homicidio perpetrando dederit; non tamen ex avaritiâ occidit. Quapropter puto eum partim ut injuſtum homicidam & præterea ut hominem avarum, (utpote cùm ſuâ avaritiâ bello privato occaſionem dederit) puniendum dictatâ gladii pœnâ cum impoſitione cadaveris in rotam.*

ARTIC. VII.
DE LATROCINIO ATTENTATO.

1. *Solent Ddres conatum dividere in primum, medium & ultimum, quos ſequentes ſpeculabimur, quo pacto ratione graduum iſtorum pœna mitigandæ ſint.*

2. Quamvis autem diſputari poſſet, conatum ultimum ſeu proximum ordinariâ pœnâ afficiendum; tutius tamen videtur, in conatu, quantumvis ad actum proximum fuerit deventum, ab ordinariâ pœnâ paululum recedere. *Nam conatum proximum eum vocamus, quando delinquens omnia perfecit, adeò ut nihil ſuperſit operationis addendæ. v. g. ſi latro hominem eo in loco corporis vulneravit, quo lethalia vulnera infligi ſolent & nullam reſpirationem in illo amplius animadvertens eundem ſpoliavit, confeſſusq; eſt, ſe, ſi ſciviſſet ſpoliatum nondum mortuum eſſe, occiſurum eundem fuiſſe; dicitur perveniſſe in conatu ad actum proximum: unde ſequitur, ſi delinquens in conatu ultimo ſubſtiterit, eum quantum in ipſo eſt & per ſe cauſſam efficientem delicti exſtitiſſe, & non-cauſſam ex accidenti tantùm eſſe: quemadmodum ergò cauſſa mali per accidens reverà non cauſſa eſt; ita qui tantùm per accidens non-cauſſa eſt cauſſa eſſe videtur: at iis, qui cauſſæ proximæ & immediatæ mediante potentiâ mali activâ ſunt, ordinaria pœna infligenda eſt: ita enim ſuperius ordinariam pœnam definivimus. Videtur ergo tali in caſu, quando latro*

hominem, quem exiſtimat à ſe enecatum eſſe, utpote cum omnia fecerit, quæ ad occidendum eum fieri debebant, ſpoliat, ordinariam pœnam dictandam eſſe; quia, quod in ſe fuit, cauſſa efficiens proxima & immediata, & quidem mediante perfectâ quâdam potentiâ mali activâ, avaritiâ nim. & cupiditate lucrandi, ad homicidium perpetrandum alliciente, exſtitit. Demonſtravimus etiam ſuperius, cùm de conatu in genere ageremus, eum propterea regulariter ab ordinariâ pœnâ liberare, quòd dubitari poſſit, annon in ipſo actu pœnitentiam delinquens acturus fuiſſet: at in tali conatu, qui ad actum ultimum pervenit, nulli pœnitentiæ amplius locus eſt. Tutius tamen exiſtimamus ab ordinariâ pœnâ recedere has ob rationes. 1. Quemadmodum enim in caſualibus delictis venia quidem datur & immunitas ab omni pœnâ criminali; interim tamen iratum Numen habere eâ committentem concipimus, ut propterea ſæpè integra civitas det operam expiationi: (quod etiam ethnicos feciſſe videmus) ita quoq; contrà colligimus, eum adhuc propitium habuiſſe Numen, cujus operationem ex accidenti & caſu non ſequitur malus effectus, quem intendit. Unde porrò præſumi poteſt, hominem eum non extremè vitioſum ſed emendabilem eſſe. 2. Videtur & civitas ad ſeviendum in vitioſos excitari à moleſtiis, quæ inferuntur ab ipſorum malis operationibus; quemadmodum ægrotus ad medicinam morbo adhibendam, doloribus corporis & moleſtiis à morbo creatis movetur, quam contrà negligit nullas aut exiguas moleſtias ſentiens. Ex his videtur tutius, præſertim in hoc, de quo nunc agimus, delicto, cui ſatis gravis pœna conſtituta eſt, ab ordinariâ recedere paulatim. His præmiſſis circa conatum latrocinii ſequentia tradimus.

3. In caſu, quando quis hominem animo occidendi adortus adeò vulneravit, ut putaret eum mortuum & ſpoliavit, non erratur, ſi pœna latrocinii ordinaria, nimirum rotæ, dictatur, non tamen inconſultum ſed magis tutum eſt, ſi pronuncietur, reum trahæ impoſitum rapiendum ad ſupplicium gladiique pœnâ cum impoſitione cadaveris in rotam afficiendum eſſe. *Nam cùm, quantum in ſe fuit, latro delictum conſummavit & ſatis declaravit ſuum vitium, nim. ſe eſſe hominem eâ avaritiâ laborantem, ob quam latrones pœnæ rotæ ſubjiciuntur, & ex hoc vitio, quantum in ſe fuit, ſatis operatum eſſe; ſine dubio pœnæ ordinariæ ſeſe reum fecit: ut adeò illam ſentiens nullâ afficiatur injuriâ. Qui namq; aliquo in territorio degit, liberâ ſuâ voluntate ſe ſubjicit omnibus pœnis in delicta conſtitutis ferendis ſi peccaverit, ut adeò, poſtquam peccatum aliquod perfecit, ſubjectus pœnæ in exemplũ aliis, conqueri de pœnâ nequeat. Sed qui tali in caſu mitiorem quandam pœnam dictitant etiam non errant propter rationes præced. num. allatas, modò inferatur pœna paulò major eâ quæ raptoribus dictitatur; quia raptores non aggrediun-*

grediuntur animo occidendi: ut adeò impoſitio in traham non immeritò adjici queat. Si licet adhuc ſubtilius procedere, diceremus circa conatum ultimum conſiderandum eſſe, an actus ille ultimus, ad quem delinquens proceſſit, damnum irrecuperabile valetudinis læſo intulerit adeò, ut veriſimile ſit eum citius, quàm fortaſſe aliàs, ſi retinuiſſet valetudinem, moriturum eſſe; an verò ejuſmodi damnum non ſit illatum; illo caſu ordinaria, hoc mitior pœna, cujus nunc mentionem fecimus, infligi poterit. Multum etiam proderit conſiderare, an quis ſemel tantùm tentarit latrocinium, an iteratò: hoc enim caſu ſine omni metu nimii rigoris pœna ordinaria dictari poteſt.

4. Quæri porrò poteſt, an etiam pro conatu habendum ſit, ſi quis hominem ſpoliandi gratiâ occiderit, mortuum tamen deſeruerit nec ſpoliaverit. *Videtur non dubitandum quin pro conſummato delicto habendum ſit. Nam latrocinium definivimus homicidium ex avaritiâ rapinæ faciendæ gratiâ commiſſum. Unde, licet quis nihil poſtea rapuerit, ſi tamen rapiendi gratiâ occiderit, videtur perfectum & conſummatum latrocinium perpetraſſe. Ut adeò non dubitandum, gradus conatûs non ratione rapinæ ſed homicidii hoc in delicto faciendos eſſe. Nec multum proderit reo allegare pœnitentiam; quia ſatis vitioſum ſe eſſe prodit, dum tale injuſtum committit quod corrigi nequit.*

MEMBR. X.
DE ASSASSINIO.

1. *Unde originem nomen Aſſaſſinii habeat iis inquirendum relinquimus, quibus vocabula curæ ſunt. Ex iis, quæ unanimi conſenſu omnium traduntur, addiſcimus*, aſſaſſinium eſſe homicidium ex pactione de dandâ & acceptandâ mercede commiſſum.

2. Eſt autem duplex: alterum committit conductus, alterum conducens. *Nam communiter ita receptum eſt, ut hujus criminis reus habeatur & is, qui mercede acceptâ locat operam in homine occidendo, & qui mercedem dans alios ad occidendum conducit. Ut tamen diſtinctio quædam ſit, conducentem aſſaſſinatorem, conductum & operam locantem aſſaſſinum vocare conſueverunt.*

3. Crimen aſſaſſini ſeu acceptâ mercede operam locantis ſimile latrocinio reputatur. *Nam utrumq; provenit ab avaritiâ; quia latro ſpe rapinæ, aſſaſſinus ſpe mercedis ductus occidit. Et hac ratio eſt, quare etiã de conſuetudine in aſſaſſinos, æq; ac in latrones, pœna rotæ ſtatui ſoleat.*

4. Aſſaſſinatores autem ſeu conducentes aſſaſſinos minus peccare videntur quàm aſſaſſini ipſi; magis tamen, quàm ſimplices

homicidæ. *Nam aſſaſſinator non ex avaritiâ regulariter peccat, ſed plerumq; ex odio vel iracundiâ; magis tamen quàm ſimplex homicida, quia non ipſe tantùm delictum committit, ſed præterea alterum quoq; turpi quæſtu corrumpit. Huic accedit, quòd crimen aſſaſſinatoris etiam magis proæreticum ſit quàm ſimplicis homicidæ: (quid enim inſidioſum magis eſſe poteſt, quàm homines in alterius necem conducere?) quod autem magis ex proæreſi ſit magis vitioſum eſt. Quapropter ſolet aſſaſſinatoribus pœna gladii cum cadaveris in rotam impoſitione dictari.*

PARS PRIMA
Membri Decimi
DE
AUGENTIBUS POENAM ASSASSINII.
ARTIC. I.
DE
AUGENTIBUS POENAM ASSASSINATORIS.

1. Aſſaſſinatoris delictum redditur gravius omnibus iis modis, quibus & homicidæ ſimplicis. *Nam aſſaſſinator in omnibus ſimilis eſt homicidæ ſimplici, & in ſpecie ei, qui homicidium mandavit; niſi quòd peccatum ejus quodammodo gravius eſt propterea, quia magis inſidioſum eſt, & cum corruptelâ aſſaſſini latrocinioq; culpoſo (aſſaſſinum enim latroni ſimilem pr. huj. membr. oſtendimus) conjunctum.*

2. Quapropter ſi aſſaſſinator conduxerit aſſaſſinum ad patrem, liberos, conjugem vel alias perſonas, circa quas parricidium committitur, occidendas, non ut communis aſſaſſinator, ſed ut parricida punitur. *Cùm enim aliàs ſit improbus homicida, tum multò magis parricidii pœnam, quàm cæteri, meretur.*

ARTIC. II.
DE
AUGENTIBUS POENAM ASSASSINI.

1. Pœnam Aſſaſſini eadem quæ latronum aggravant. *Nam aſſaſſinator latroni quoad pœnam exæquatur, ut modo demonſtratum dedimus.*

2. Aſſaſſinorum pœnam aggravat. 1. reiteratio. 2. perſonæ occiſæ dignitas. 3. accedens crudelitas. *Nam & hæc latrocinii pœnam aggravare ſuprà membr. 8. demonſtravimus.*

PARS SECUNDA
Membri Decimi.
DE
MINUENTIBUS POENAM ASSASSINI.

1. In aſſaſſinatore nihil fermè reperiri poterit pœnam minuens.

ens. *Dum enim aſſaſſinum conducit, nimis proæreticè & inſidiosè peccat, ut adeò nihil fermè ſit, quod à vitioſitate eum excuſare poſſit* : niſi fortaſſe ad ſimilitudinem eorum, quæ mandantem liberant, à commiſſi criminis pœnâ, quædam & aſſaſſinatori applicentur. *Nam licet aſſaſſinator conduxerit non mandaverit, liberum tamen ipſi eſt æq; contractum tanquam fœdum & legibus prohibitum revocare, quandocunq; libuerit: & ita mandanti ſimilis eſt.*

2\. Aſſaſſinorum autem pœnam mitigant ea quæ & latronum. *Sæpius enim diximus, hos ratione pœnæ æquiparari.*

ARTIC. I.
DE
ASSASSINATORE QVI CONDUXIT ASSASSINUM, UT VULNERARET.

1\. Videtur potius culpoſus quàm doloſus aſſaſſinator eſſe, à quo conductus tantùm ad vulnerandum occidit eum quem vulnerare debebat. *Cùm namq; delinquens non fuerit excitatus ad conducendum aſſaſſinum morte vulnerandi: nec poteſt illius mortis cauſſa efficiens proxima haberi: ſed quia conjicere poterat, facilè contingere poſſe, ut aſſaſſinus vulnerandum occideret, cauſſa quadam cauſſæ mortis extitit.*

2\. Nihilominus tamen qui conduxit aſſaſſinum, ut lethali inſtrumento vulneraret, mortuo ex vulnere læſo, pœnâ ſimplicis homicidæ, gladii nim. afficiendus eſt. *Nam quemadmodum animum habens tantùm vulnerandi & occidens aliquem lethali inſtrumento pœnam gladii nihilominus ſentire cogitur, propterea, quòd ſibi ſumpſerit poteſtatem ſtatuendi in occiſum id, ex quo perire poterat: (pœna enim homicidæ propterea infligitur, quòd ſibi ſumat poteſtatem occidendi, quam nec à Deo nec à legibus conceſſam habet) ita quoq; aſſaſſinator conducens alterum ad vulnerandum pœnæ gladii ſubjiciendus eſt, tanquam faciens per alterum quod is per ſe facit.*

3\. Cæterùm conducens aſſaſſinum, ut feriret tali inſtrumento, quod lethale non eſt, aſſaſſino occidente, non niſi arbitrariâ pœnâ affici poteſt. *Nam mortis cauſſa per accidens videtur, vulnerationis tantùm per ſe.*

4\. Sic nec ordinariæ pœnæ ſubjici poteſt qui mandatum revocavit. *Nam non ipſius voluntate perpetratum eſt homicidium, ſed ſimilis hic putandus eſt ei, qui pœnitentiâ ductus in conatu ſubſiſtit. Qui namq; conducit aſſaſſinum ſimilis eſt ei, qui ſicam apprehendit icturus, ſed ictum quem intendit revocat.*

ARTIC. II.
DE
IIS QVI NULLAM PROMISERE MERCEDEM ASSASSINIS.

1. Contingit nonnunquam, ut nullâ mercede datâ quidam alliciant aſſaſſinum ſpe prædæ, concedentes ipſi poteſtatem occiſum ſpoliandi, qui primo intuitu non videntur aſſaſſinatores, quòd nullam mercedem dederint; ſed nihilominus ſunt. *Nam quatenus mandant homicidium homicidæ ſunt; quatenus ſpe prædæ alliciunt aſſaſſinum, culpoſum unà latrocinium committunt: & ita æq; peccant ac qui mercedem promittunt & propemodum magis; manifeſtius namq; in iisdem culpoſum latrocinium deprehenditur.*

ARTIC. III.
DE
IIS QVÆ VITIUM ASSASSINI MINUERE VIDENTUR.

1. Videtur primo intuitu aſſaſſino pœna mitiganda ſi aut nullum lucrum adeptus eſt, aut parvum, aut de certo lucro non convenit; ſed nihilominus in hoc ordinaria pœna locum habet. *Eſt namq; aſſaſſinus ſimilis latroni, qui licet nihil lucri adeptus ſit, ſi tamen ſpe lucri hominem occidit, ordinariâ pœnâ afficitur: uti enim latrocinium eſt homicidium ſpe lucri commiſſum, ita aſſaſſinium: adeoq; ſufficit aliquem lucri cupiditate excitatum eſſe ad occidendum, quantumvis ex accidenti nihil conſecutus ſit. Quapropter, licet aſſaſſinus prætendat, ſe nihil lucratū eſſe, effugere tamen ordinariam pœnam non poterit; & longè minus, ſi dicat, ſe exiguum quiddam accepiſſe. Nam eò avarior eſt, quò minus accipit pro homicidio committendo.*

2. Quæſtio eſt, an etiam pro aſſaſſino habendus ſit qui non conductus id fecit, ſed illectus ab altero per promiſſum honorarium. *Nam videtur non ex avaritiâ, ſed ex amicitiâ delictum commiſiſſe. Verùm quia amicitia utilis hominum avarorum propria eſt, quam qui colunt, lucri gratiâ officia amicitiæ mutuò exhibent: non dubito quin æq; vitioſus ſit qui ſpe lucri captavit benevolentiam per homicidium, ac qui de lucro pactus homicidium perpetravit: parum namq; amicitia utilis à mercaturâ differt.*

ARTIC. IV.
DE
POENA CONATUS IN ASSASSINIO.

1. Conatus aſſaſſini vel conſiſtit in actu remotiori vel proximiori.

miori, Actum remotiorem voco, quando aſſaſſinus acceptâ mercede convênit de occidendo altero; proximiorem, quando aſſaſſinus devenit ad inſultationem & occidendum aggreſſus eſt.

2. De conatu ſubſiſtente in ſolâ conventione de occidendo, ex ordinationibus & conſtitutionibus, quas habemus, nihil certi determinari poteſt; non dubitarem tamen legislatori ſvadere, ut pœnam gladii conſtitueret. *Nam quamvis conſtitutio electoralis dictitet pœnam gladii iis*, welche ſich mit gelde oder in andere wege zu Mord oder brennen beſtellen und annehmen laſſen: *videtur tamen illa conſtitutio de iis loqui* welche Geld nehmen einen Mordbrand zuverüben. *Hos autem homines toti civitati æq; ſemper terrori eſſe ac diffidatores non eſt dubitandum, & per conſequens etiam æquali cum his pœnâ afficiendos. Id quod ſecus ſe habere videtur in conductis ad necem alicujus certi hominis. Non dubito tamen, quin & his pœna gladii à Legislatore conſtitui queat: non minor enim his ac furibus avaritia ineſt. Sed cum nihil ſtatutum ſit, ultra relegationis pœnam non auſim procedere.*

MEMBR. XI.
DE VESPILLONUM CRIMINE.

1. Veſpillonum crimen committunt qui deſtinati ad hoc, ut morbis contagioſis laborantibus auxilio ſint, eosdem occidunt lucri gratiâ. *Veſpillones enim ſunt, qui curâ habent lue aliquâ infectorũ.*

2. Hoc crimen ejusdem naturæ eſt cum latrocinio, aut paullò fœdius adhuc. *Nam eſt homicidium lucri gratiâ commiſſum, & propterea ejusdem eſſentiæ cum latrocinio; in hoc fœdius, quòd ſit perpetratum in eos, qui ad miſericordiam communiter homines movent, quorumq; curam ex officio habere delinquentes debebant. Hinc conſtitutio electoralis iisdem dictitat pœnam rotæ æq; ac latronibus.*

3. Veſpillonum crimen iisdem quibus & latrocinium aggravatur; nim. reiteratione, dignitate perſonæ occiſæ. &c. *Nam ejusdem eſſentiæ cum latrocinio eſt. Quapropter & veſpillones ob reiterationem forcipibus candentibus pungi ſolent in modum latronum.*

4. Videtur tamen alia ratio minuendi hoc delictum. *Nam licet latrones nihil rapuerint, modo occiderint, ordinariam coguntur ſentire pœnam. At conſtitutio Electoralis veſpillonibus occidentibus & non furantibus gladii tantùm pœnam dictitat; cujus ratio eſt, quia niſi veſpillones furtum commiſerint, ſciri nequit, quòd lucri cauſâ occiderint: fieri enim poteſt, ut ex impatientiâ, quòd moleſto ægroto noluerint amplius inſervire,*

ſervire, id fecerint. Secus autem eſt in iis, qui in viâ publicâ occidunt: hos enim lucri cauſſâ facere, licet nihil rapuerint conſtat.

5. Circa reliqua, ſi qua ſunt, quæ hoc crimen minuere poſſint, ad modum eorum, quæ de minuentibus latrocinium diximus, procedi poteſt. *Eſt namq; ut ſæpius diximus, hoc crimen ejusdem cum latrocinio eſſentiæ.*

MEMBR. XII.
DE
DAMNO INJURIA DATO.

1. Damnum injuriâ dat, qui res ſeu bona alterius corrumpit vel perire facit.

2. Videtur autem hoc delictum ſimpliciter ita conſideratum minus fœdum ac furtum vel rapina. *Nam licet is, qui occidit equum meum, videatur plus injuſti inferre, quàm qui eum furatur, propterea quod delictum furis ipſius rei reſtitutione; damnum injuriâ dantis non niſi ſolutione æſtimationis corrigi poſſit: minus tamen fœdum eſt; quia qui damnum injuriâ dat plerumq; ex iracundiâ vel invidiâ, ſæpè etiam ex laſciviâ, raro ex avaritiâ tunc ſcil. quando accepta mercede peccat.*

3. Quò verò in ſpecies damni injuriâ dati, quales & quot ſint, inquiramus, prius conſiderabimus media modumque peccandi, deinde & bona quæ lædi poſſunt. *Nam præter hæc duo nihil videtur reperiri poſſe quod ſpecies hujus delicti variet.*

4. Omne damnum injuriâ datur adhibitis mediis vel clandeſtinis vel violentis. Media clandeſtina voco ea, quorum operatio in oculos non incurrit; violenta contrà, quorum operationem oculis cernimus. *Ita medium clandeſtinum necandi jumentum eſt venenum, violentum gladius vel ſclopetum.*

5. Poſſunt autem media violenta rurſus vel clandeſtinè vel apertè applicari. *Nam qui clàm & nemine animadvertere valente, nocturno v. g. tempore gladio pungit meum equum, utitur quidem medio violento ſed clàm applicat, videturq; magis clandeſtinè quàm violenter & apertè delinquere.*

6. Quod res ſeu bona concernit, circa quæ hoc delictum verſatur, dicimus eſſe ea omnia inſtrumenta, quæ à naturâ producta ſunt, ut hominis vitæ inſervirent. *Nam omnia entia, quorum eſſentia in uſu poſita eſt, inſtrumenta quædam ſunt. Unde & omnia inſtrumenta, à materiâ & uſu, quem præbent, definiri ſolent. v. g. quid calceus? eſt ex corio quiddam confectum, quo tegimus pedes, ne offendamus. quid gladius?*

dius? Eſt ferrum quo cum adverſariis pugnamus defendendo & offendendo. quid culter? ferrum brevius quo dividuntur res robore, quod manibus hominum ineſt, ſecabiles &c. Ita quid ſunt res & bona hominum? Omnia ea, quæ natura produxit, ut humanæ vitæ inſervirent. Vita autem hominis nihil aliud eſt, quàm operatio facultatum animæ. Omnia itaq; ea, quibus velut inſtrumentis exercentur operationes humanæ, ſunt bona ſeu res illæ, circa quas lædendas vel perdendas damnum injuria datum verſatur.

7. Inſtrumenta homini à naturâ ad vitam data vel ſunt ei conjuncta vel ab eo ſeparata. *Conjuncta ſunt v. g. manus, pedes, & omnes partes corporis organici quod habet; ſeparata, v. g. animalia, arbores, fruges & omnia omninò, quæ non concurrunt ad corpus hominis organicum conſtituendum, ipſius tamen vitæ inſerviunt.*

8. Inſtrumenta ſeparata ſunt vel mobilia vel immobilia. Mobilia ſunt, quibus homo diverſis in locis uti poteſt; Immobilia, quæ hominem ad certum terræ locum quaſi alligant. *Ita arbor frugifera eſt bonum immobile, quia hominem eâ uti volentem adſtringit ad eum locum, ubi illa terræ ſuis radicibus adhæret.*

9. Omnia inſtrumenta porrò vitæ humanæ vel ſunt animata vel inanimata, & animata vel vegetativam velut arbores, herbæ terræ adhærentes, vel ſenſitivam velut beſtiæ, vel rationalem animam habentia, qualia ſunt ſervi.

10. *His ita præmiſſis oſtendemus, omnia delicta, quibus damnum bonis hominū datur vel ſingularia nomina conſequi & delictis publicis accenſeri criminaliterq; puniri,* vel generale damni injuriâ dati nomen retinere & magis eſſe ſpecies alicujus privati quàm publici delicti. *Nam iracundia, invidia, vel etiam laſcivia quâ quis excitatur ad nocendum alterius rebus tanti non eſſe videtur, ut pro emendando vitio vel affectu ſingularis pœna veniat conſtituenda; niſi alia majoris momenti læſionem illam concomitantia accedant. v.g. virtuoſo & aliàs iram temperanti contingere poteſt, ut animal alterius occidat. Ponas, gallum gallinaceum vicini mei deprehenſum à me in horto floribus nocentem occiſum. Nemo me iracundum hominem & iram temperare non valentem propterea nominabit. Quin Deus ipſe in dictanda homicidis pœnâ, obſervata pœna talionis non æq; iracundiæ quàm injuſtitiæ particularis rationem habuiſſe videtur. Omni enim homicidæ ſive ex iracundia ſive ex metu ſive ex aliquo alio affectu occidenti pœnam mortis retribui præcepit. Quapropter damnum injuriâ datum & nos, imitantes Romanos, magis pro privato quàm publico delicto habemus, hoc agentes ut læſo ſatisfiat pro damno illato. Et hæc etiam cauſſa eſt, quare lex Aquilia, quæ de damno injuriâ dato apud Romanos lata eſt, pariter puniat doloſa & culpoſa delicta; quaſi doloſa non ex aliquo magno vitio perpetrentur.*

11. *Percurrentes ergo bona humana videbimus, quænam damno injuriâ dato accedere poſſint, ut ſingularem aliquam ſpeciem delicti conſtituant & in delictum publicum abeant.* Cùm ergò omne damnum injuriâ datum vel committatur in inſtrumenta vitæ conjuncta vel ſeparata; videtur illud, quod in conjuncta i. e. membra corporis humani committitur, non in commune damuum injuriâ datum, quod pœnâ vindicativâ corrigitur, incidere. *Nam membra hominis ſunt inæſtimabilia, & proinde etiam læſio eorundem eſt inæſtimabilis: quæ autem inæſtimabilia ſunt correctionem, quæ fit mediante pœnâ vindicativâ, utpote proportionem quandam deſiderante, non admittunt. Quin, licet ſubtiliter dicere velis, non membra ipſa, ſed uſum membrorum ceſſantem æſtimari poſſe: nullus tamen vir honeſtus hanc æſtimationem admittet: ſed procedet in iis, qui acceptâ mercede locant operas laboribus corporis: hi enim patiuntur uſum inſtrumentorum vitæ conjunctorum æſtimari. Quâ de cauſâ convenientius eſt, mutilationem membrorum & vulnerationem peculiare delictum publicum ſtatuere. Et ob hoc peculiari membro de eodem tractaturi ſumus.*

12. *Porrò quia inſtrumenta vitæ ſeparata alia ſunt viventia & animâ habentia alia non viventia, & illa rurſus recipiunt ſuas diviſiones à facultatibus animæ; videbimus prius, an quod damnum corruptione boni alicujus rationalis, quale eſt ſervus, illatum eſt, aliquid peculiare habeat, ut criminaliter potius quàm civiliter puniendum ſit.* Omnis ergò ſervus vel deterior redditur ratione corporis vel ratione animæ. Corruptio corporis ſervilis incidit in commune damnum injuriâ datum. *Nam corpus ſervi æquiparatur corporibus jumentorum. Quapropter etiam lex Aquilia damnum ſervo datum damnis jumentorum æquiparat, (erant enim apud Romanos ſervi venales, quemadmodum apud nos jumenta.)*

13. Delictum, quo ratione animi i. e. facultatis illius, quæ hominum propria eſt, corrumpitur ſervus, vocatur ſervi alieni corruptio & excedit malitiâ illud, quod communiter appellatur damnum injuriâ datum. *Nam animus ſervi corruptus ſecum importat quàm plurima mala: eſt autem injuſtum eo majus, quò plura malum illatum mala alia ſecum infert. Quis autem ignorat animo ſervi corrupto multa imò reliqua omnia vitæ inſtrumenta, quibus ſervus tanquam inſtrumentum inſtrumentorum præfectus eſt, paſſura eſſe detrimentum? Quapropter noſtrum erit & de ſervo corrupto peculiariter dicere, non obſtante, quod jure Romano pro delicto publico & tali quod criminaliter puniendum ſit non habeatur.*

14. Bruta pereunt aut deteriora redduntur adhibitis me-

diis

diis vel clandeſtinis vel violentis. Clandeſtinis mediis annumeramus venenum: unde oritur veneficium animalium. Videtur autem hoc crimen ſingulariter puniendum & delictis publicis annumerandum. *Nam veneficium animalium præſertim eorum, quib9 veſcuntur homines maxima & ingentia damna ſecum trahere poteſt nim. mortem hominum iisdem veſcentium. Quâ de cauſâ de veneficio animalium velut crimine publico ſingulariter dicendum erit.*

15. Incendium omnium damnorum injuriâ datorum maximum & graviſſimum eſt. *Nam præterquam, quòd committatur medio violento clandeſtinè applicato, integris univerſitatibus terrorem incutit, pericula, damnaq; infert. Eſt ergò & de incendio velut delicto graviſſimo & ſeviſſimâ criminali pœnâ afficiendo tractandum. Quâ de cauſâ aliquot membris hæc genera damni injuriâ dati propoſituri ſumus.*

MEMBR. XIII.
DE
MUTILATIONE MEMBRORUM.

1. Mutilatio membrorum videtur eſſe ſpecies quædam injuriæ realis, ſi tamen rem probè inſpicimus, deprehendimus horum delictorum quandam differentiam. *Nam quamvis Ddres ſoleant vulnerationem referre ad injuriam realem & ſub titulo injuriæ de hac tractare; videtur tamen dari & vulneratio mutilatioq; membrorum, quæ injuria realis non eſt. Deſcendit enim injuria à contumeliâ, quæ, prout ſupr. cap. 3. membr. 4. diximus, ſpecies quædam eſt deſpecientiæ rarum in hominibus cauſſæ. Contingit autem quem vulnerare alterum non ex ſuperbo & contumelioſo animo, quò alter quid ignominioſum patiatur, ſed ex irâ quò ſentiat moleſtias & dolores ex læſione corporis, vel ex odio tendente ad interemptionem ſubſtantiæ alterius: odium namq; concitat homines, ut aliis malum inferant non propter aliud, ſed tantùm quia ferre circa ſe ſubſtantiam alterius hominis nequeunt, de quibus cit. membr. 4. egimus. Quia verò longè diverſa ſunt, ex odio vel irâ concitatum tendere ad vulnerationem ſeu læſionem corporis ipſam vel ad moleſtiam quæ ex ſenſu factæ læſionis oritur, & operari ex contumeliâ, quam vel ſuperbia vel laſcivia quædam excitat, ad hoc, ut alter ignominioſum quid patiatur: ſequitur mutilationem membrorum ſimpliciter loquendo eſſe quoddam damnum injuriâ datum; tunc verò in injuriam realem tranſire, quando finis delinquentis non eſt ipſum damnum, ſed ignominia quædam, quæ læſo inde ſuboritur.*

2. Non eſt autem difficile diſcernere, quando Legislator de mutilatione tanquam ſpecie damni injuriâ dati & quando de eâ-

dem tanquam injuriâ reali locutus ſit. *Nam v. g. jus Saxonicum conſtituens, ut vulnerato ſolvatur emenda & intereſſe, magis tanquam ſpeciem damni injuriâ dati mutilationem conſiderat: quod etiam inde patet, quia vulnera diſtinguit in* Fleiſch oder friſche Wunden / Kämpferwunden / Beinſchrötige wunden / lämbden; *quæ diviſio fit ratione tantum damni. Quod ſi vero vulnera tanquam gignentia injuriam conſiderantur, non ita poſſunt dividi, ſed petendæ ſunt ſpecies à partibus, ratione quarum homines majorem vel minorem ignominiam patiuntur. v. g. qui in ignominiam mutilat magis peccat, naſum, quàm aurem abſcindendo: eſt enim ignominia eò major quò magis ſemper eſt in conſpectu hominum.*

3. Cæterùm cum mutilationis ſint gradus ratione vulnerum inflictorum, nec eadem omni mutilationi pœna criminalis inferri poteſt. *Hinc jus Saxonicum in vulnerationem graviſſimam, quæ vocatur* eine lämbde / *pœnam conſtituit amputationem manûs vel fuſtigationem cum perpetuâ relegatione,* Landrecht *lib. 2. artic. 16. quoad reliquas leviores vulnerationes judicibus pœnam arbitrariam dictare liberum relinquit.*

4. Petendi autem ſunt gradus pœnarum partim à vulneribus ipſis partim à gradibus iræ vel odii. *Nam principia hujus delicti ſunt iracundia, odium, & injuſtitia particularis. Hinc v. g. qui ab altero ad iram gravi contumeliâ concitatus eſt mitius puniri debet, quàm cujus iræ levior quædam deſpicientia cauſſam dedit.*

MEMBR. XIV.
DE SERVI ALIENI CORRUPTIONE.

1. Servi alieni corruptio eſt, quando ſervus ratione animi deterior redditur.

2. Contingit corruptio animi ſervilis duobus modis: vel enim ſervus qui bonus eſt redditur malus, vel qui malus eſt redditur deterior & pejor: quapropter corrumpens ſervum vel ex virtuoſo reddit vitioſum, incontinentem aut intolerantem, vel ex incontinente & intolerante vitioſum, vel ex vitioſo vitioſiorem. *Sunt enim ſervorum quoq; virtutes, quemadmodum & jumentorum.*

3. Corrumpit ſervum qui facit, ut fiat laborum intolerans & otio deditus, intemperans luxuriis & voluptatibus corporis deditus, avarus ad furta committenda, laſcivus, contumax & dominum contemnens, vel domino inſidioſus. *Nam virtutes ſervorum propriæ ſunt tolerantia in laboribus corporis, temperantia quanta ſufficit*

ne-

ne negligat juſſa domini, abſtinentia à furtis; ulterius enim ſervus in liberalitate progredi nequit; promptitudo ad obſequia præſtanda, modeſtia, & omnium præcipua fidelitas. Hæ inquam ſunt virtutes ſervi propriæ; quia uniuscujusq; virtus eſt habitus ille quo ſuo munere pulchrè quis fungitur: enarratis autem habitibus inſtructus ſervus ſervilia munera pulchrè perficiet; unde hos habitus eſſe virtutes ſervorum proprias manifeſtum eſt. Quapropter & quando corrumpitur ſervus quatenus ſervus eſt, hoc modo corrumpitur. Poteſt autem & corrumpi non quatenus ſervus eſt v. g. ſi perſuadeatur, ut occidat alterum, vel ſeipſum &c. Quo caſu ſubtiliter loquendo non committitur hoc delictum, de quo nunc agimus; ſed tantummodo damnum injuriâ datur, dum dominus amittere ſervum ſuum ob commiſſum delictum tenetur.

4. Redduntur porrò ſervi boni vitioſi vel mali pejores duobus potiſſimum modis, perſvadendo nim. & peccantes occultando. *Dum namq; latitare poſſunt peccantes ad plura peccata committenda alliciuntur.*

5. Quod gradus attinet hujus delicti, petendi ii ſunt à gradibus vitiorum, quibus animus ſervi inquinari poteſt, & ita graviſſimè peccat, qui reddit ſervum domino inſidioſum. *Nam quemadmodum præcipua omnium virtutum ſervilium eſt fidelitas, ita vitium huic virtuti oppoſitum, omnium vitiorum ſervilium peſſimum eſt.*

MEMBR. XV.
DE VENEFICIO BRVTORVM.

1. Veneficium brutorum vocamus delictum quo quis beſtiam alterius veneno necat.

2. Deſcendit hoc delictum ex iracundiâ, invidiâ, odio & injuſtitiâ particulari hujusque pœna non eſt eadem. *Nam delictum hoc interdum ſubſiſtit in nudo damno quod dominus patitur amiſſione beſtiæ ſuæ; interdum verò ſeſe extendit ad homines, v. g. quando venenum præbetur beſtiæ quo veſcuntur homines, contingit eſu carnium & his noceri. Ex quo fundamentum graduum circa hoc delictum quærendorum hauriendum eſt.*

3. Venenum ergò præbetur vel bruto quo veſcimur vel quo non veſcimur; illo caſu incidit delictum in ſimplex damnum injuriâ datum. *Nam ſi canem vel equum veneno quis necat, nil aliud mali inde ſuboritur, quàm ut dominus ſuum animal amittat, eq; ac ſi ferro fuiſſet necatum.*

4. Qui venenum præbent brutis quibus veſcuntur homines vel id committunt circa bruta, quæ unius cujusdam domini ſunt, vel quæ ad integrum pagum, oppidum vel magnam partem alicujus civitatis ſpectant; hos longè gravius peccare quàm illos dubitandum non eſt. *Nam quò ad plures homines pertingit malum, eò gravius eſt injuſtum.*

5. Qui bruta certi cujusdam domini veneno necant gladio feriri ſolent tunc, quando ingens damnum datum eſt & pecora aliquot perierunt. *Nam ad hanc pœnam progrediuntur Ddres propterea, quòd damnum ſit magnum & cum magno hominum, eorum ſcil. qui in familiâ domini ſunt & his brutis veſcuntur, conjunctum periculo.*

6. Veneficium ad periculum vergens integrarum univerſitatum eſt venenatio paſcuorum, cui crimini, ſi hominibus inde nocitum ſit, jure Saxonico conſtituta hæc pœna eſt, ut delinquentes vivi comburantur, ſi non nocitum ſit, fuſtigatio dictari ſolet. *Hæc tam ſevera pœna meritò videtur conſtituta; quia extremè vitioſum oportet eſſe hominem qui ductus irâ, odio, invidiâ, vel etiam avaritiâ, (ſolent enim carnifices paſcua venenare, quò lucrum faciant ex coriis enecatorum pecorum) perpetrat malum ad quamplurimos innocentes homines ſeſe extendens.*

MEMBR. XVI.
DE
INCENDIO.

1. Potentia incendii activa non una in homine eſt. *Nam varia ſunt quibus homines redduntur cauſſæ efficientes incendii; alii ducti lucri cupiditate id faciunt, alii vindictæ ſtudio, alii ex invidiâ alii ex odio. Ducti lucri cupiditate duorum ſunt generum: alii enim locant operam acceptâ mercede, alii intendunt ſpoliationem & furta.*

2. Hinc incendium poſſumus diſpeſcere in incendium ſimplex & cum intentione furandi, ſpoliandi, occidendi conjunctum. *Nam qui furandi, ſpoliandi vel etiam occidendi animo incendium committunt delictum delicto cumulant: delicti enim alterius perpetrandi cauſâ delinquunt; ſed ducti odio, irâ, invidia ſubſiſtunt incendio perpetrato.*

3. Videtur etiam incendium dividi poſſe in violentum & clandeſtinum. *Quamvis enim in incendio adhibeatur medium violentum, cujus operatio ſatis occurrit in oculos; cauſſa efficiens tamen vel clandeſtinè vel violenter ignem applicare poteſt.*

4. Incendio ſimplici clandeſtino, quod hujus loci eſt (violentum enim ad vim publicam videtur referri debere) diverſæ

pœnæ

pœnæ ſunt dictatæ. Ea, quæ jure Romano comprehenditur, introducta eſt reſpectu habito ad damnum illatum. *Nam diſtingvit jus civile inter incendium in civitatibus commiſſum, l. ult. §. 1. ff. de incendio. & inter id quod circa caſas aut villas committitur, l. capitalium 28. §. incendiaris 12. ff. ad L. Cornel. de ſicar.* Conſtitutio verò Carolina rationem habuit terroris publici, qui hominibus incutitur non attento damno an magnum vel parvum eſſet. *Nam omnibus incendiariis pœnam dictitat hanc, ut vivi comburantur. Ordinat. art. 125. quæ pœna & in foro Saxonico de conſuetudine recepta eſt.*

PARS PRIMA
Hujus Membri
DE
HIS QVÆ DELICTUM INCENDII AGGRAVARE VIDENTUR QVATENUS AUGEANT POENAS VEL NON.

1. Incendio ſimplici graviora videntur, quæ committuntur à mercede conductis vel etiam furandi, ſpoliandi vel occidendi gratiâ, it. reiterata. *Nam reiteratio in nonnullis delictis auget pœnam, unde & quæri debet, an & in hoc delicto id operetur: intentio autem lucri facit delictum delicto cumulari, quod ſimplici fœdius haberi meritò debet.*

ARTIC. I.
DE
INCENDIO REITERATO.

1. Incendio reiterato graviorem pœnam non dictitant Ddres, cùm tamen in latrocinio, parricidio, veneficio id obſervent, ut vel trahæ imponi jubeant reum vel forcipibus candentibus uſtulari, imò, ſi reus præter incendium etiam latrocinium, vel parricidium commiſerit, ſoleant uſtulatione vel trahæ impoſitione pœnam ignis aggravare. *Rationem reddere oppidò difficile eſt. Si enim latrocinium vel veneficium junctum incendio facit præter pœnam ignis dictitandam impoſitionem trahæ uſtulationemq́; forcipum, quare non itidem incendium ſuperveniens incendio? Et quanquam reſpondeant Ddres, nullibi quicquam de exaſperatione hujus ſupplicii expreſsè conſtitutum reperiri: id tamen non videtur ſufficere: quia quæritur, annon id per interpretationem extenſivam, petitâ ſimilitudine à latrociniis, parricidiis, veneficiis fieri debeat. Videtur ergò aut ratio diſſimilitudinis dicenda aut ad ſimilitudinem procedendum. Si dicatur nec adulteris nec furibus*

aggra-

aggravari pœnam ob reiterationem, rurſus quæro, quare & non hiſce, & quæ eſt ratio differentiæ? Ut ex propriis hujus materiæ principiis progrediamur, dicimus, ſemper inſpiciendam eſſe cauſſam, quæ moverit quemq; Legiſlatorem ad dictandam pœnam criminalem & quidem gravem, hanc enim ſatis indicaturam eſſe, quando pœna ſit augenda vel minuenda. Itaq; quod attinet adulterium, notandum, in hoc puniendo haberi reſpectum intemperantiæ magis quàm læſionis: qui enim eò intemperantiæ pervenit, ut ſemel committat adulterium, ſatis vitioſus eſt & quidem adeò, ut nullam præterire occaſionem paſſurus ſit, quò minus peccet. Unde in hoc ex accidenti & caſu fit quòd ſæpius vel ſemel delinquat, cauſſâ pœnæ ſemper eâdem permanente. In furto dictata eſt pœna laquei furto magno ſeu decem thaleros excedenti, & in hac ſubſiſti jubetur quantacunq; ſit ſumma. Quâ de cauſſâ ſive quis uno furto 30. thaleros auferat, ſive duobus aut tribus, manet ipſum pœna laquei, quia cauſſa pœnæ manet una, exceſſus nim. decem thalerorum quantuscunq; tandem ille ſit. At latrocinii pœna illata eſt ob homicidium: cùm ergò in latrociniis pluribus ſint multæ cauſſæ, etiam multas pœnas ex mente L Latorum infligi neceſſe eſt. Unde patet, manente cauſſâ unâ, etiam pœnam manere unam, & multiplicatâ pœnæ cauſſâ, etiam eam multiplicandam eſſe. Quid ergò dicendum de incendio? Cauſſa pœnæ eſt terror publicus multorum hominum, non addito, quanta ea debeat eſſe multitudo, an civitatis vel opidi vel pagi: adeoq; ſive quis terruerit civitatem ſive pagum, igni ſubjicitur cremandus: itaq; in exaſperandâ pœnâ incendia numerari nequeunt: fortaſſe enim unâ in civitate tot terrentur homines, quot in quinquaginta pagis. Quapropter cùm territio multitudinis hominum indefinitæ ſit cauſſa pœnæ, multiplicatio incendii non multiplicat cauſſam pœnarum: & proinde nec pœnas. Hoc pacto dubitando & diſceptando videmur ad ſolidum & internum aliquod principium Ddribus in pronunciando non modo in præſenti, ſed & in omnibus delictis circa multiplicationem pœnæ in reiteratione obſervandum perveniſſe. Illa enim communia principia quibus Ddres utuntur hac in parte neminem ſatis certum reddere poſſunt.

ARTIC. II.
DE
HIS QUI SPOLIANDI NECANDIQVE GRATIA INCENDIA COMMITTUNT.

1. Non videmur aberrare, ſi incendium dividamus in ſimplex & cum latrocinio, rapinâ, furtove conjunctum. *Nam ſimplex*

[illegible]

unicum eſt & ſimplicem meretur pœnam: alterum verò non ſimplex eſt ex pluribus delictis compoſitum, & majori pœnâ videtur afficiendum.

2. Simplices incendiarii ſunt, qui ex odio, invidiâ, iracundiâ id faciunt, *ſolentq; germanis vocari* Brenner. At qui latrocinandi vel rapiendi cauſsâ incendunt, ſeditioſi vocantur incendiarii, *German.* Mordbrenner.

3. Quamvis verò jus Saxonicum differentiam hanc incendiariorum obſervârit & ſimplicibus incendiariis pœnam gladii; ſeditioſis denen Mordbrennern pœnam rotæ dictarit Landrecht. *lib.* 2. *artic.* 13. Ordinatio tamen Carolina omnibus incendiariis ſine diſtinctione pœnam ignis conſtituit. *Et hæc pœna, non obſervatâ diſpoſitione in* Landrecht *conſvetudine etiam in terris Saxonicis infligi ſolet.*

4. Incendium furandi cauſsâ & cum furto aut etiam acceptâ mercede commiſſum non graviori, quàm ſimplicis incendii ſupplicio, punitur. *Nam licet ejusmodi delictum ab avaritiâ proveniat, & deterius eſſe videatur eo, quod ex iracundiâ vel invidiâ perpetratur; quia tamen avaritiæ vitium tantum non eſt, ut majorem igne pœnam mereri poſſit, & legislatores noſtri reſpexerunt ad terrorem hominibus incuſſum in incendiis puniendis, non ad vitium, quo motus homo eum incuſſit: neglectâ conſideratione avaritiæ retinetur ſimplex incendii pœna.*

5. Quòd ſi puniendus ſit incendiarius, qui præter hoc delictum commiſerit latrocinia, veneficia, parricidia, decernunt ei Ddres præter pœnam ignis uſtulationem forcipum, trahæque impoſitionem. *Nam licet pœna ignis ſit ſatis horrida, non tamen à præſcriptâ in ordinatione Carolinâ forcipum uſtulatione recedendum eſt: quia conſtat & rotæ pœnam ſatis crudelem eſſe.* Quapropter ſi ſint incendiarii ſeditioſi, qui plura incendia perpetrârunt, & cum his homicidia rapiendi gratiâ; ſine dubio pro numero commiſſorum homicidiorum etiam prehenſiones forcipum dictandæ ipſis erunt.

PARS SECUNDA
Membri decimi ſexti.
DE
MINUENTIBUS POENAM INCENDII.
ARTIC. I.
DE
CAUSSA EFFICIENTE INCENDII NON SATIS MANIFESTA.

1. Non dubitandum eſt pro cauſsâ efficiente proximâ & immediatâ haberi mandantes incendium. *Ratio ſuprà tradita & aliquoties repetita eſt.*

2. Qui cum aliis de perpetrando incendio conveniunt, licet ignem non apponant, facto tamen præſentes ſunt, aut in excubiis ſtant nullá merentur veniam. *Nam ut partes ſocietatis totius incendii cauſâ ſuſceptæ puniendi ſunt. Si enim ſocietas eſt cauſſa efficiens alicujus delicti, etiam eadem punienda eſt.*

3. *Ex his apparet non facile poſſe emergere dubium de cauſâ efficiente, niſi confeſſus fuerit reus incendium de quo non conſtat. Quod quando fit, quomodo procedendum ſit jam circa praecedd. delicta declaratum eſt.*

ARTIC. II.
DE
INCENDIO CULPOSO.

1. Ddres nullo fermè in delicto æquè gradus culparum, an ſcil. ex latâ, levi vel leviſſimâ culpâ peccatum ſit, obſervant, quàm in hoc. *Habet namq; naturam damni injuriâ dati, in quo delicto præ cæteris gradus culpæ obſervari poſſunt; quia hi gradus hoc in delicto petuntur à gradibus prudentiæ & diligentiæ quam paterfam. circa bona externa adhibet; qui ſatis obvii ſunt.*

2. Eſt autem culpoſum delictum, ut patet ex dictis *præced. cap.* quod contingit operatione ejus, qui non ab incendio tanquam fine excitatus eſt ad operandum, hoc ipſo tamen, quo operatus eſt, ita vel ita cauſſa cauſſæ incendii exſtitit.

3. Exiſtit verò quis cauſſa cauſſæ, dum non obſervat inter operandum id quo, ne qua cauſſa incendii contingat, impeditur. Quique non obſervat quod omnes homines obſervarent culpam latam; qui omittit obſervare quod mediocriter diligentes patresfamiliâs non omitterent, culpam levem; qui omittit quod diligentiſſimi & prudentiſſimi patresfam. non negligerent, culpam leviſſimam commiſiſſe dicitur.

4. Quemadmodum verò cæterorum delictorum ea, quæ culpoſa ſunt non ordinariâ doloſi criminis pœnâ puniuntur; ita nec in hoc fieri debet. *Traditum enim eſt cap. præc. ordinariam pœnam infligi ei, qui eſt cauſſa efficiens proxima & immediata delicti, non ei, qui cauſſa remota ſeu cauſſa cauſſæ eſt.*

5. Culpoſi incendii pœna eſt arbitraria, augenda vel minuenda ratione graduum culpæ. *Nam culpoſis delictis talis pœna infligi ſolet, quæ doceat reum impoſterum cautius mercari & diligentius obſervare, ne quid agat quod cauſſa incendii comitetur. Quo autem homines negligentiores fuiſſe deprehenduntur, eo major dolor commonefaci-*

tiu

ens imprimi debere videtur. Hinc rectè Ddres procedunt dictando circa culpam levem & leviſſimam pœnam carceris & pecuniariam, circa latam relegationem vel etiam fuſtigationem pro ratione circumſtantiarum & prout damnum majus vel minus datum fuit.

ARTIC. III.
DE
INCENDIUM PERPETRANTIBUS
EX AFFECTU.

1. Nullus prætendens ſe ex invidiâ & odio commiſiſſe incendium ullam pœnæ mitigationem impetrare poteſt. *Sunt enim hi affectus ex ſe mali, nec feſtinatione aliquâ praeoccupant hominem, quo minus iis rationem rectam opponere poſſit. Quapropter quemadmodum vitiorum, ita & iſtorum affectuum ſibi homo cauſſa eſt, & mediante aliquo horum tanquam potentiâ mali activâ operatus vitioſo aequalis eſt. Unde & eos, qui ex invidiâ vel odio incendunt, ſimplicibus incendiariis & ordinariam pœnam merentibus annumeravimus.*

2. Nec calorem iracundiæ allegans ab ordinariâ pœnâ liberari poterit. *Nam qui concitatur irâ ad tale facinus perpetrandum, quod maximè proareticum eſt, non ex feſtinatione nimiâ affectûs praepediente judicium intellectûs peccat, ſed ex vitio iracundiæ.*

3. Quòd ſi ex metu factum ſit incendium, dubitari poteſt, annon ordinaria pœna mitiganda ſit. *Nam qui ex metu mortis peccant, praeſertim ſi videant, ſe aliter, quàm hoc peccatum ſuſcipiendo, malum imminens, mortem nim. effugere non poſſe, videntur ex tali affectu peccare, cui recta ratio non facile reſiſtere poteſt: metus namq; mortis adigit ſaepè virtuoſos homines ad committendum, quod aliàs nunquam facerent. Ponamus v.g. Titium in ſuis aedibus detinere rem Stichi, quâ poſſit probare, Stichum furtum commiſiſſe, ut adeo huic pœna laquei metuenda ſit, ni faciat, Titium illam rem, quâ in probatione uſurus eſt, amittere: cumq; multa quaerendo media nullum aliud reperire queat, quàm hoc, ſi domum Titii incendat, quo res detenta vel comburatur vel auferri poſſit, incendit ejuſdem aedes. Quaeritur quâ pœnâ hic afficiendus ſit? Sanè habuit Stichus animum & intentionem effugiendi pœnam mortis potius quàm nocendi; ut adeo non ex vitio damni injuriâ dati productivo ſed affectu praeventus operatus ſit. Quapropter non dubito tali in caſu pœnam mitigandam eſſe: deprehendo etiam à Ddribus id obſervatum, dictatâ hoc modo delinquenti gladii pœnâ.*

ARTIC. IV.
DE
INCENDIARIIS POENITENTIBUS.

1. Incendiarius vel in ipſo facto vel poſt factum pœnitet; & hic quidem à pœnâ ordinariâ non liberatur. *Nam & in perfectè vitioſos pœnitentia poſt factum cadit; quando enim anxii ſunt metuentes iram Dei vel pœnas publicas, optant interdum ſe non peccaſſe; à peccatis tamen datâ occaſione non abſtinent. His nihil poteſt pœnitentia prodeſſe. Satis autem perfectè vitioſum eſſe incendiarium indicat hoc, quòd ſuſcipit tale quid perpetrandum quod nullâ pœnitentiâ corrigi poteſt. Licet enim incendiarius paratus ſit damnum illatum reſtituere; terrorem tamen panicum per incendium ſubortum nullâ pecuniâ penſare poteſt.*

2. Qui in ipſo facto, antequam conſummatum ſit incendium, pœnitet, non videtur ordinariæ pœnæ ſubjiciendus. *Indicat enim hoc, delinquentem affectu magis prareptum, quàm ex vitioſo habitu peccaſſe. Afficiendus ergò eſt pœnâ cum emendante, quò impoſterum majorem operam det debellandis affectibus trahentibus ad mala agenda. Delicto enim nondum conſummato, ceſſat terror, ob quem ordinaria pœna conſtituta eſt.*

3. At ſi immediatè actum ultimum conſequatur pœnitentia, quid erit ſtatuendum? *v. g. ſi quando apponens ignem videat jam ardere domum & agnito malo cujus cauſſa efficiens fuit, ipſe convocet homines ad extingvendum ignem. Sanè quia terror jam excitatus eſt cauſſa pœnæ exiſtens, videtur hæc pœnitentia parum prodeſſe. Ita namq; ſolent homicidæ aſpicientes cadaver occiſi deflere factum; quod tamen ipſis nihil prodeſt. Verùm cum incendiariis conſtituta ſit pœna talis, qualis non niſi in vitioſiſſimos homines ſtatuenda eſt; ſuperveniens autem pœnitentia ſtatim in actu, quando malo remederi adhuc poteſt & ignis exſtingvi, arguit in delinquente extremam vitioſitatem non eſſe. Quapropter etiam Ddres meritò tali in caſu pœnam mitiorem dictare ſolent.*

ARTIC. V.
DE
COMMITTENTIBUS INCENDIUM EX IMBECILLITATE QVADAM.

1. Imbecillitas muliebris nihil prodeſt mulieri, pro impetrandâ mitigatione pœnæ, niſi præter imbecillitatem quâ communiter laborat ſexus fœmininus deprehendatur imbecillitas demen-

tiæ cuidam proxima. *Nam mulier progrediens ex vitio ad talem terrorem panicum excitandum & rem tam periculoſam ſuſcipiendam non imbecillitate quâdam muliebri laborat, ſed ultra ſexûs hujus impotentiam quid committit. Quia tamen nonnullæ circumſtantiæ arguere poſſunt, nimiâ muliebri imbecillitate delinquentem mulierem laboraſſe ut dementi ſimilis compareret: videtur ipſi quodammodo parcendum. Ponamus mulierem audientem, maritum in cauponâ ludere & magnam pecuniæ ſummam amiſſurum eſſe, ſi ludendo perrexerit, cùm non auderet eum revocare domum & ſciret monitum maritum non pariturum eſſe, hoc conſilii ſuſcipere, accendendã eſſe partem domûs eam, quæ accenſa non multum damni allatura ſit, quò ita ad extingvendum ignem veniens maritus deſerat cauponam. Eritne hæc mulier, non habitâ ratione imbecillitatis muliebris, ad ignem condemnanda? non puto. Quin ſi appareat, eam non ira concitatam feciſſe incendium, ſed ſolâ intentione revocandi domum maritum, ne amitteret pecuniam, ne quidem pœnam gladii ſed virgis in carcere cædendam eſſe dictarem. Nam parſimonia, quæ mulieribus naturalis eſt, reddidiſſe illam mulierem dementem videtur, ut non perpenderet, quàm periculoſum eſſet quod ſuſciperet.*

2. Peccant etiam ex imbecillitate quâdam minorennes, præſertim qui primùm pubertatem adepti nondum ſedecim annos complêrunt: hi non ſunt ordinariâ incendii pœnâ afficiendi. *Nam licet progredientes ad faciendum incendium vitium ſuum prodant: non tamen ejuſmodi homines extremè vitioſi dici poſſunt. Judicium enim rationis adhuc ipſis debile ineſt, magis, quàm crebris vitioſis actionibus corruptum: unde extremè vitioſi dici nequeunt, per ea, quæ præced. cap. demonſtravimus. Quia verò ordinaria incendii pœna tam ſevera eſt, ut non niſi vitioſiſſimis infligi poſſit: meritò ab ordinariâ pœnâ ſtatuendâ abſtinendum. Quare ſolent Ddres gladii pœnam dictare vel ad minimum magiſtratus arbitrio ordinariæ pœnæ mitigationem committere.* Porrò hiſce minorennibus ſimiles reputandi impuberes pubertati proximi, quorum ætatem deprehenditur malitia ſuppleviſſe.

ARTIC. V.
DE
INCENDIO MINUS INJUSTO.

1. Incendium vel ab initio ſtatim minus injuſtum videtur vel ex poſt facto ob correctionem injuſti factam mediante reſtitutione damni. *De quo utroq; nobis nunc dicendum erit.*

2. *Quò verò inveniamus præcipuos modos, quibus incendium videtur minus injuſtum reddi, ita progrediemur:* Omnis incendiarius

vel incendit proprias ædes vel alienas; & qvi proprias incendit vel id facit eâ intentione ut, igne latius ſerpente, aliis, vicinis nim. ſuis vel civitati toti noceat, vel nulli nociturus, peccans ex laſciviâ & petulantiâ fortè ſuas res temerè abſumendi. Qui ſuas ædes incendit, ut aliis per hoc noceat, ſine dubio ordinariæ pœnæ ſubjiciendus eſt. *Nam major hujus hominis eſt ira, invidia, odium quàm aliorum incendiariorum; qui enim propriis rebus non parcit, ut peccet, extremè vitioſus eſt. Et quamvis extincto igne, antequam ad vicinorum ædes perveniret, nemini damnum ſit datum, & ita, quatenus incendium eſt ſpecies damni injuriâ dati, pro conſummato delicto haberi nequeat: nihil tamen hoc incendiarium juvat; quia legislatores noſtri non rationem damni habuerunt legem de pœnâ incendii ferentes: ſed potius terroris illius excitati in aliquâ univerſitate ob periculum ruinæ toti urbi, oppido, pago &c. imminens.*

3. Qui autem non nocendi animo, ſed ex laſciviâ & petulantiâ ſuam domum incendit, videtur quidem minus peccare, quàm qui id facit animo aliis nocendi, & quidem ſi nemini nocitum ſit: non dubitatem tamen ipſi ordinariam dictare pœnam, niſi minorennitas vel alia accederet circumſtantia. *Nam legislatores ad qualitatem vitii gignentis incendium non reſpiciunt: ſed ad hoc, quòd incendium ſit cauſſa magni terroris. Et hoc ſingulare eſt in hoc delicto, quòd delinquens ob terrorem, cujus cauſſa remota magis quàm proxima videtur eſſe, tam ſeverè puniatur. Quare nihil intereſſe videtur, ſive invidia, ſive odio, ſive iracundia ductus quis terrorem incutiat. Unde nec excuſari poſſe videtur prætendendo laſciviam: non tamen diſſvaderem, ſi tanta fuerit hominis laſcivia, ut præ eâdem cogitare non potuerit terrorem qui comitaturus fuerit incendium, poſſe in eo ordinariam pœnam quodammodo mitigari.*

4. Incendens ædes alienas licet minimi momenti, aut ita, ut incendium parum damni intulerit, non eſt immunis ab ordinariâ pœnâ. *Nam ſæpius diximus, Legislatores noſtros nullum reſpectum damni dati habuiſſe in determinandâ pœnâ ordinariâ.*

5. Longè minus quicquam ab ordinariâ pœnâ remittetur ei, qui offert reſtitutionem damni illati. *Nam damno licet reſtituto, nihilominus manet terror ille ex periculo maximo, quod toti civitati vel univerſitati imminebat, natus.*

ARTIC. VI.
DE
POENIS ATTENTATI INCENDII.

1. Videntur legislatores noſtri etiam conatui ad actum ultimum

timum

timum pervenienti pœnam ordinariam dictare voluiſſe. *Nam conſtitutio Electoralis ordinariæ pœnæ ſubjecit eos, qui materiam appoſuerunt igni concipiendo aptam poſtea inflammatam, licet illa nullum habuerit effectum in ædibus accendendis. Tamdiu autem in conatu ſubſiſtit delictum, quamdiu effectus, cujus gratiâ cauſſa efficiens operata eſt, nondum obtentus eſt. Et Ddres de reliquis delictis tradunt, pro plenè conſummato eſſe habendum, licet delinquens, quantum in ſe fuit, omnia perfecerit, modò ex accidenti effectus ceſſaverit, ita v. g. ſi quis propinaverit venenum & operatio veneni in corpore necandi ceſſaverit: veneficus, licet omnia fecerit, tamen in conatu crimen conſiſtere & delinquentem ordinaria pœna non eſſe afficiendum. Item ſi latro aliquem ita vulneraverit, ut putet jam mortuum, eumq; ſpoliaverit, ordinariâ pœnâ non afficitur. Quare verò hoc in delicto etiam conatui pœna dictata eſt ordinaria? Scil. punitur incendium ob terrorem incuſſum: at hoc fit, ſi vel ſola materia appoſita accenſa ſit, licet ædificium non fuerit accenſum. Ratio autem quæ allegatur in Conſtitutione Electorali part. 4. Conſt. 17. his verbis,* dan an der Miſshändeler willen diſsfals nicht gemangelt / *nimis generalis eſt, nec ritè procederetur, ſi hæc ratio admitteretur aliis in delictis.*

MEMBR. XVII.
DE DELICTIS CARNIS ET IN SPECIE DE CONCUBINATU.

1. Delicta carnis voco ea, quæ committuntur ex concupiſcentiâ voluptatum, quas percipiunt homines ex tactu in cibo, potu & re venereâ.

2. Vitioſitas gignens delicta carnis eſt intemperantia. *Nam temperantia habitus eſt occupatus in moderandâ concupiſcentiâ voluptatum, quas percipiunt homines ex tactu in cibo potu & re venereâ. Proinde delicta ex concupiſcentiâ harum nata principium habebunt intemperantiam.*

3. Quapropter in inveſtigandis delictorum carnis ſpeciebus, paullò accuratius in naturam intemperantiæ inquirendum eſt. *Nam diverſa intemperantiæ vitioſitas parit quoq; diverſa delicta.*

4. Duo ergò ſunt delictorum carnis præcipua genera, quorum alterum verſatur in voluptatibus iis, quæ percipiuntur ex tactu in cibo potuque: alterum in iis, quæ ex tactu in re venereâ. *Nam hæc ſunt illa duo quæ intemperantem reddunt.*

5. O-

5. Omnis intemperantia vel verſatur circa objecta naturaliter in homine voluptatem creantia vel circa ea, quæ non naturaliter jucunda ſunt, ſed ex quibus intemperans præter naturam jucunditatem capit. *Ita v. g. qui delectatur eſu carnium bovinarum verſatur circa objectum quod naturaliter affert voluptatem homini veſcenti: at qui carnes bovinas & alias, quibus communiter veſcuntur homines, negligit tanquam vulgares, quæritq́; voluptatem ex carnibus glirium, murium, felium, occupatur circa ea, quæ naturaliter non ſunt jucunda & à quibus cæteri homines naturaliter abhorrent.*

6. Verſati in objectis naturaliter parientibus voluptatem, peccant deſiderando voluptates ſupra modum. *Nam quæ naturaliter jucunda ſunt licitè appetimus, & non peccamus niſi excedendo modum in iis appetendis.*

7. Qui voluptates concipiunt ex objectis naturaliter non jucundis horrendi ſunt & abominandi. *Nam hi videntur in appetendis voluptatibus omnem humanam naturam depoſuiſſe.*

8. Nullam intemperantiam Reſpubl. æque punire ſolent, quàm eam quæ peccat in concupiſcentiâ voluptatum, quæ percipiuntur ex tactu in re venereâ. *Nam qui peccat circa cibum & potum non æquè lædit Rempubl. ac qui circa rem veneream: res enim venerea concernit procreationem hominum; quam debito modo fieri Reipubl. intereſt.*

9. *His præmiſſis, ſpecies conſiderabimus delictorum carnis, quæ verſantur in re venereâ, procedentes hoc modo:* Omnis intemperans ratione rei venereæ peccat, vel quòd non obſervet modum in appetendis objectis naturalibus vel appetendo objecta non naturalia. *Voco autem objecta naturalia fœminas à quarum conſvetudine naturaliter non abhorremus.*

10. Modum non obſervans in voluptatibus ex objectis naturalibus appetendis omnis ille eſt, qui non propagandæ ſobolis & certæ familiæ parandæ gratiâ delectatur re venereâ, ſed ob hoc tantùm rem veneream tractat, quò appetitui tendenti ad voluptates tactum in re venereâ comitantes ſatisfaciat. *Nam qui verè temperans eſt ulterius non ducitur his voluptatibus, quàm quatenus res venerea prodeſt ad familiam & poſteros parandos. Quapropter Reip. intereſt videre, ne cives ſolius libidinis cauſſâ rem veneream exerceant, neve fœminis, quæ, ut ſint cauſſæ ſociæ in procreatione liberorum, à naturâ producta ſunt, utantur velut inſtrumentis ſuæ libidinis.*

11. Solius libidinis explendæ gratiâ conſvetudinem habens cùm fœminino ſexu vel certam aliquam eligit cum quâ ſemper converſatur vel vagas ſectatur libidines, paſſim ſibi quærendo inſtrumenta his in ſervientia.

12. Fœ-

12. Fœmina ad hoc electa, ut quis ſemper cum eadem rem habeat & illi ſoli adhæreat actus venereos exercendo concubina vocatur.

13. Concubinatus eſt ſocietas inter marem & fœminam inita in hunc finem, quò hæc præſtò ſit mari ad exercendos cùm eâ actus venereos, non propagandæ familiæ gratiâ.

14. Concubinatus jure civili non deprehenditur prohibitus. *Licet enim contra temperantiam peccet homo, qui ſolâ voluptate non propagandæ familiæ gratiâ ductus rem veneream tractat: vix tamen potuit hoc intemperantiæ genus apud Romanos ſine maximis inde emergentibus incommodis pœnis coerceri; notum quippe eſt, quàm horrenda crimina ſodomitica commiſerint cives Romani; quæ, prohibito concubinatu, ſine dubio multiplicata fuiſſent. Demonſtratum autem ſuprà eſt, Legiſlatorem inſtar boni medici ſæpè morbis medicinam non applicare, ſi videat longè graviora mala ſubſecutura eſſe.*

15. Nos Chriſtiani ſingula vitia exactius fugientes & edocti verbo divino omnem rem veneream extra matrimonium pro peccato habendam, concubinatum inhibemus, & ſimilem ſcortationi reputamus. *Jubet enim Paulus ad evitandam ſcortationem quemq; habere ſuam uxorem. Quin & jus naturæ dictitat; actus venereos ſolius voluptatis percipiendæ & non liberorum procreandorum gratiâ ſuſceptos jam in quandam incidere intemperantiam. Quemadmodum & eos contra temperantiam peccare dicimus, qui non nutriendi corporis, ſed ſolius voluptatis gratiâ edunt vel bibunt. Ac proinde Sereniſſimus Elector Mauritius Anno 1550. concubinas & eos qui has alunt arbitrariè puniri voluit.*

MEMBR. XVIII.

DE SCORTATIONE.

1. Scortatio ſeu fornicatio eſt concubitus alicujus ſoluti cum meretrice itidem ſolutâ, differtq; à ſtupro. *Nam ſtuprum cum honeſtâ perſonâ committitur, ſcortatio cum meretrice.*

2. Eſt verò meretrix quæ non ex amore uni adhæret, ſed paſſim venientes admittit: eſtque non unius generis. *Nam alia admittit ſcortatores quæſtûs, alia libidinis gratiâ.* Propriiſſimè loquendo meretrix eſt quæ quæſtûs gratiâ ſeſe præbet inſtrumentum libidinis aliis hominibus. *Hinc latini dictam volunt meretricem à merendo, quòd ſuâ impudicitiâ ſtipendia faciat.*

3. Scortatio ergò provenit partim ab avaritiâ in nonnullis meretricibus, partim ab intemperantiâ traducente hominem ad hoc, ut ſine diſcrimine cum quâvis perſonâ coeat, & ex varietate

voluptatem quærat. *Eſt namq; intemperantiæ quædam ſpecies in hoc poſita, quòd varietatem objectorum quærat: idq; luculenter videmus in altero genere intemperantiæ, quod circa cibum & potum eſt occupatum: ſolent enim qui in hoc genere intemperantes ſunt varietatem obſoniorum quærere.*

4. Delictum hoc jure civili impunè committi poteſt, cujus rationem *preced. membr. n.* 14. reddidimus, (*ſufficiebat enim olim apud Romanos, ſi mulieres nomen ſuum profiterentur & admitterent, ut albo inſcriberentur: ſatis enim pœnarum adverſum impudicas in ipsâ profeſſione flagitii credebant. Tacit. lib. 2. annal. cap.* 85.) ſed in Electoratu Saxoniæ, ex conſtitutione D. Auguſti, meretrices publicè venale corpus habentes relegantur, fornicatores carceris vel etiam pecuniariâ pœnâ plectuntur.

ARTIC. I.
DE
AUGENTIBUS POENAM SCORTATIONIS.

1. Pœnam meretricibus conſtitutam vix poteſt reiteratio augere: ſcortatores autem ob reiterationem gravius puniri poſſunt. *Nam meretrix, quæ venale corpus habet & ſeſe publicè proſtituit, toties peccat, quoties occaſio ſeſe offert, & cauſſa puniendi eſt avaritia & concupiſcentia mulieris, quæ in eadem perpetua eſt: ut adeò reiteratio concubitûs parum veniat inſpicienda. At ſcortator ob ſemel factam ſcortationem nondum vitioſus dici poteſt; quia fortaſſe ex incontinentia peccavit, unde & pecuniariâ vel carceris pœnâ afficitur: ſed ſi aliquoties reiteravit, ut videatur vitium intemperantiæ poſitum in vagis libidinibus quærendis acquiſiviſſe, ſine dubio pari cum meretricibus pœnâ, relegatione nimirum, plectendus erit.*

2. Gradus pœnæ in meretrice potiſſimum ab impudicitiâ peti poſſunt, ut, quò major ſit impudicitia, eò gravior exiſtat pœna. *Nam ſive ex intemperantiâ ſive ex avaritiâ meretrix peccet, ſemper eò majus eſt vitium ejus, quò magis impudicè peccat. Hinc ſi mulier nuda in conſpectu hominum coitum admittat, ſine dubio relegationis pœna, quæ ordinaria eſt, non ſufficiens erit & loco hujus dictanda gravior, fuſtigatio nim. Quò namq; pudicitia magis fœminas decet, eò gravius in iisdem impudicitiæ vitium puniendum eſt, auctis ſecundum gradus hujus vitii pœnis.*

ARTIC.

ARTIC. II.
DE
MINUENTIBUS SCORTATIONIS POENAM.

1. Paupertas quidem cauſſa delictis exiſtens minuere pœnas ſolet, ſed in meretricibus non videtur eſſe attendenda. *Nam licet pauperes ſint, non tamen propterea ex imbecillitate peccant, quemadmodum qui ducti paupertate furtum committunt: ſed fugientes labores corporis, quibus ſeſe honeſtè ſuſtentare poſſent, eligunt hoc vitæ genus otioſum & jucundum, & ita ex vitio peccant potius quàm ex imbecillitate. Electio namq; certi vitæ generis vitium arguit.*

2. Mitigatur autem pœna in eâ, quæ non publicè ſe proſtituit, ſed clàm meretricio modo vivit. *Nam ejusmodi meretrix ſuâ impudicitiâ non aq; ſcandalum præbet, nec tantam habet, quanta eſt in iis quæ publicè venale corpus habent. Cùm ergò meretrices peccent per impudicitiam ſuam, mitius puniri etiam debent quæ minus impudicæ ſunt. Hinc regulariter carceris pœna meretrici clàm meretricio more viventi in Electoratu Saxoniæ conſtituta eſt, quæ tamen pro ratione circumſtantiarum augeri poteſt.*

MEMBR. XIX.
DE
STUPRO SIMPLICI.

1. Stuprum eſt delictum carnis in fœminam honeſtam commiſſum: eſtque duplex: *aliud enim in planè invitam committitur, aliud in non diſſentientem. Hinc oritur diviſio ſtupri in ſimplex & violentum. Nam ſtuprum in ignorantem Ddres tractatui de ſimplici ſtupro immiſcent. Quos nos ſectabimur, cùm parum interſit: quo loco tractationem inſtituas.*

2. Oritur ſtuprum partim ex intemperantiâ, quâ quis tractus mulieri honeſtæ & hactenus non impudenti pudicitiam adimit i. e. concupiſcentiâ ſuâ facit, ut reddatur impudica & deponat virtutem, quæ quàm maximè mulieres decet; partim ex injuſtitiâ: *ſumit enim ſibi ſtuprator licentiam utendi velut inſtrumento libidinis fœminâ, quæ per honeſtatem hactenus digna erat, ut fieret materfam. & honeſto matrimonio jungeretur.*

3. Pœna ſtupratorum partim civilis eſt, quam nos ſolemus vindicativam appellare, partim criminalis. Pœna civilis introducta jure divino eſt, ut ſtuprator mulierem ſtupratam dotet & ducat. *Nam id vidimus præcipi Exodi 22. v. 16. & 17. Deut. 22. v. 28.* Hodiè communiter receptum, ut ſtuprator jubeatur eam aut ducere aut dotare.

dotare. Eſt autem hæc pœna civilis, *de qua infra, quando de delictis privatis acturi ſumus, plura dicentur,* ſapientiſſimè à Deo introducta. *Nam cùm injuſtum particulare, cum quo ſtuprum conjunctum eſt, in hoc poſitum ſit, quod, quæ per pudicitiam ſuam hactenus digna habita eſt, quæ fieret materfam. nunc velut inſtrumentum libidinis in uſum venereum aſſumpta ſit: non poteſt melius fieri correctio, quàm ut ſtuprator eam dotet & ita quod ſibi debetur pro oneribus matrimonii ipſe ſibi ſolvat eamq; ducat, quo hoc pacto reddita materfam. recuperet quicquid ablatum eſt. Ac proinde optandum eſſet, ut ſtrictè verbo divino inhærentes copulativè procederemus. Nam ſi liberum relinquitur ſtupratori ſtupratam ducere vel dotare; & ille eligit dotationem, nondum videtur injuſtum ſatis correctum: licet enim ratione dignitatis familiæ, ex qua oriunda eſt,* **ihres ſtandes und herkommens nach/** *ſatis dotata ſit: nullus tamen vir honeſtus eam dignam matrimonio reputabit: & ita injuſtum quod perpeſſa eſt, nondum ſatis eſt correctum.*

4. Pœna criminalis ſtupratori infligenda, quæ deberet eſſe gravis, pœnam carceris hodiè non ſolet excedere. *Nam adimens puellæ pudicitiam fermè æq; peccat ac homicida: ſatius enim videtur, eam mori quàm vitio impudicitiæ inquinatam eſſe. Nec obſtat, ſi ſtuprator ſeſe excuſet, eam non invitam ſtuprum perpeſſam eſſe: punitur enim & is ordinaria pœnâ qui volentem occidit; quia Resp. non vult amittere civem etiam volentem occidi. Adeoq; licet honeſta fœmina non invita ſtuprum perpeſſa ſit; quia tamen æq; propemodum grave eſt Reipubl. habere civem nullum ac habere vitioſum: meritò in eum qui vitioſam reddit aliquam puellam ſeveriter animadvertendum videtur. Verùm quia ſexus muliebris ſuâ imbecillitate laborat & facilè circumveniri poteſt: videtur juſtius imbecillitati ſexûs ſuccurrere corrigendo injuſtum & mitius ſtupratorē delinquentem puniendo: cùm alias nonnunquam ſoleat obſervari, ut pœnam criminalem ſubiens immunis ſit à pœnâ vindicativâ ſeu civili & contrà.*

5. Quæritur, an & ſtuprata pœnâ criminali ſit afficienda? Videtur id non ſtatuendum. *Nam & ipſa divina Majeſtas ſexûs fœmini miſerta magis hoc egit, ut recuperaret mulier quod amiſit, quàm ut pœnis criminalibus afficeretur. Et ſatis pœnæ ſubire videntur mulieres dolores partus ceteroſq; labores, quibus gravantur puerperæ, maximâ cum ignominiâ ſubeuntes. His tamen non obſtantibus, in Electoratu Saxon. Ordinat. eccleſiaſt. introductum, ut & fœminæ afficiantur pœnâ carceris. Pro hac pœnâ pugnare poteſt ratio iſta, quòd mulieres præſcientes omnia incommoda ſubſecutura, non tamen deterreantur. Unde cùm ad eaſdem deterrendas ea non ſuffecerint, videtur ad magiſtratûs officium pertinere pœnam addere. Sed ego mallem ſtatuere*

in rei-

in reiterata ſcortatione id circa fœminas ſtatuendum eſſe: plerumq; enim puellæ iſta incommoda non ſatis perpendere poſſunt.

PARS PRIMA
Membri Decimi noni.
DE
AUGENTIBUS POENAM STUPRI.

1. Augentia pœnam ſtupri alia à majori injuſtitiâ alia à majori intemperantiâ petuntur. *Nam hæc duo genera vitiorum principia ſtuprorum in homine ſunt. Quapropter diſtinctis articulis propoſituri ſumus cauſſas, ob quas augenda venit pœna, indicantes unà, quæ magis ab injuſtitiâ quæ magis ab intemperantiâ petitæ ſint.*

ARTIC. I.
DE
REITERATIONE STUPRI.

Reiteratio ſtupri ſingularem ob rationem, quam aliis in delictis non æquè cernere licet, auget pœnam. *Nam cum in cæteris delictis reiteratio indicet majorem vitioſitatẽ vel faciat cauſſam pœnæ multiplicari, & per hanc multiplicatam etiam pœnam ipſam; hoc in delicto aggravatur pœna propterea, quòd injuſtum particulare comitans illud ipſum corrigi nequeat. Ponamus Pamphilum duas aut plures fœminas ſtupraſſe: ſanè hic peccavit ſciens, ſe non omnes ducere uxores & per conſequens nec injuſtum ſufficienter corrigere poſſe. Quia verò pœna criminalis propterea legibus dictata levior eſt, quod ſtupratore ducente in matrimonium ſtupratã corrigi injuſtum queat: ſequitur, quando id fieri nequit, pœnam aggravandam eſſe. Nam ſemper gravius punitur qui committit crimen, inferens injuſtum quod corrigi nullâ ratione poteſt.*

ARTIC. II.
DE
STUPRO QVOD QVIS COMMITTIT IN FOEMINAM CUJUS PUDICITIAM CUSTODIRE DEBEBAT.

1. Stuprum ſemper injuſtius eſt, ſi commiſſum ſit ab eo, ad cujus officium pertinet hoc agere, ut ſtuprata retineat pudicitiam ſuam integram. *v. g. ſi Tutor finitâ jam tutelâ, puellam jam redditam viripotentem ſtupret. Nam aufferens bonum alteri, in quo illud cuſtodire debebat, majus injuſtum committit, quàm alius quiſpiam. Id quod*

lib. 1. cap. 5. artic. 12. huj. part. demonſtravimus. Debebat autem & tutor facere hoc etiam finitâ tutelâ. Quapropter jus civile eidem deportationem dictitat. l. unic. C. ſi quis eam, cujus tutor fuerit, corruperit.

ARTIC. III.
DE
STUPRO CIRCA FOEMINAM HONESTIOREM COMMISSO.

1. Stuprum in honeſtiorem fœminam commiſſum eò gravius puniri debet, quò major illius eſt dignitas. *Nam quò honeſtior eſt fœmina, eò plus damni patitur amiſſâ pudicitiâ Et hoc ipſum Conſtit. Elect. part. 4. Conſtit. 28. verb.* do aber auch. *admittit, tribuens judicibus poteſtatem augendi pœnam ad fuſtigationem usq;.*

ARTIC. IV.
DE
STVPRO IN FOEMINAM COMMISSO, CUI STUPRATOR REVERENTIAM DEBET.

1. Quò majorem reverentiam debet ſtuprator fœminæ, eò gravius delinquit. *Eſt namq; injuſtius, prout hoc demonſtratum dedimus l. 1. cap. 5. art. 12. h. p. ob hoc quòd inæquale longè majus eſt, quod ex delicto ſuboritur. Quapropter jus Romanum ſervum verberonem ſeſe commiſcentem cum dominâ ignibus tradi vult l. 1. C. de mulier. quæ ſerv. propr. ſe junxer.*

ARTIC. V.
DE
STUPRO IN DEMENTEM MULIEREM COMMISSO.

1. Stuprum in mulierem, quæ demens eſt, perpetratum gravius paulò eſt ſimplici ſtupro. *Nam committitur quodammodo in invitam: quippe cùm nullus homo quid volens feciſſe dici poſſit, qui judicio intellectus non præditus eſt: definivimus enim ſuprà voluntatem appetitionem cum judicio intellectûs conjunctam. Eſt autem omne injuſtum eò majus, quò quis magis invitus illud patitur. Hinc p. 4. conſtit. elector. 26. ejusmodi ſtupratori dictatur pœna fuſtigationis & alimentatio mulieris dementis.*

ARTIC.

ARTICUL. VI.

De

EO QVI MULIEREM INEBRIATAM COMPRESSIT.

1. Eſt quoque magis injuſtum inebriatam ſtuprare & quidem quò minus ſtuprata magis autem ſtuprator cauſſa inebriationis exſtitit, quoque magis inebriata mulier fuit, quæ ſtuprum perpeſſa eſt. *Nam quò magis invitæ mulieri pudicitia adimitur eò injuſtius eſt ſtuprum. Augetur autem invitum, ſi mulier ipſa ebrietatis cauſſa non exiſtat, ſique ſupra modum fuerit inebriata. Hinc videtur violento ſtupro propemodum æquandum, quod quis perpetrat in ſomno vinoq; ſepultam ſentire ſtuprationem non valentem: ut adeò judex quandoq; ad eandem pœnam, ac in ſtupro circa dementem conſtituta eſt, progredi valeat.*

ARTIC. VII.

De

COMMENTARIENSI STUPRANTE FOEMINAM SUÆ CUSTODIÆ A MAGISTRATU COMMISSAM.

1. *Hactenus vidimus, quo pacto ſtupri crimen ratione injuſti cum quo conjunctum eſt reddatur gravius & majori pœnâ dignum: ſequitur, ut contemplemur caſum inferentem graviorem pœnam ob nimiam peccantis concupiſcentiam.*

2. Videtur magis ob concupiſcentiam quàm injuſtitiam circa fœminam commiſſam peccare qui commentarienſis eſt, & mulierem quam accepit cuſtodiendam ſtuprat. *Nam non habitâ ratione, an fœmina honeſta nec ne fuerit, propter ſuam concupiſcentiam puniendus eſt; quæ gravior in hoc eſt quàm in cæteris ſtupratoribus; quia non habitâ ratione incommodorum, quæ conſequuntur inde, ſi captivata mulier impregnata ſit (contingere enim poteſt muliere gravidâ & non profeſsâ damnatâq; ad mortem unà fœtum necari; aut profeſsâ, pœnam ſuſpendi debere) nec loci, ubi factum committit, qui debuiſſet ipſi pœnam in memoriam revocare, peccavit. Quapropter in Electoratu Saxon. part. 4. conſtit. 25. in ejuſmodi ſtupratorem fuſtigatio cum perpetua relegatione dictata eſt.*

ARTIC. VIII.

De

AGGRAVANTIBUS POENAM FOEMINÆ STUPRATÆ.

1. Majori pœnâ videtur digna fœmina honeſta quæ cum ſervo

aut

aut aliâ vili perſonâ rem habet. *Nam quo vilior eſt perſona cui fœmina ſe proſtituit: eò major eſt ipſius impudicitia & intemperantia.*

PARS SECUNDA
Membri decimi noni.

DE MINUENTIBUS POENAM STUPRI.

ARTIC. I.

DE EO QVI CUM VITIATA REM HABUIT.

1. Amittit quodammodo naturam ſtupri quod committitur cum eâ quæ antea vitiata fuit. *Nam licet mulier non publicè profiteatur ſe meretricem; dum tamen vitiata denuò rem habet, non longè à meretrice abeſt: ac proinde delictum propius ad ſcortationem, quàm ad ſtuprum videtur accedere: eſt tamen & ſimplici ſcortatione gravius; quia delinquens transgreſſam terminos pudicitiæ magis impudicam reddit, id quod ſimplex ſcortator cum perfectè impudicâ rem habens non facit. Unde ſequitur, ejuſmodi ſcortatorem paulò graviorem debere ſentire pœnam, quàm ſimplex ſcortator: non tamen adigendum, ut mulierem vel dotet vel ducat: quia ſemel amiſſâ pudicitiâ mulier non amplius in numero fœminarum honeſtę matrimonio dignarum fuit.*

ARTIC. II.

DE EO QVI CUM DESPONSATA SIBI REM HABUIT.

1. Qui cum ſponſâ ſuâ concumbit ne quidem ſtuprator videtur dici poſſe. *Nam delictum originem capit à licito & matrimoniali amore, adeò ut mulier non videatur quicquam injuſtum pati: neq; enim redditur indigna matrimonio, dum ex conſenſu jam maritus eſt cum quo rem habet. Arguit tamen delictum hoc in utrâq; perſonâ aliquam intemperantiam, dum ante benedictionem ſacerdotalem, quam præmitti apud Chriſtianos moris eſt, concupiſcentiâ inſtigati coëunt. Nam temperans qui eſt obſervat omnes circumſtantias Quis, Quid, cum quo, Quo tempore &c. Cùm ergò propriè ſtuprum non ſit, quod deſponſati committunt, etiam in Electoratu leviſſimè puniuntur, nim. carcere ad 4. vel 5. dies.*

ARTIC.

ARTIC. III.

DE STUPRATORE SESE OFFERENTE, QVOD STUPRATAM DUCERE PARATUS SIT.

1. Qui ſeſe offert ad ineundum matrimonium etiam mitius puniri debet. *Nam cùm hoc ipſo ultrò nitatur corrigere injuſtum, quod ita corrigi poſſe non modò jus divinum injungens ſtupratori ut ſtupratam ducat, ſed & jus civile ſuâ fictione ſubſequens matrimonium retrotrahens ad tempus concubitus & omnem maculam purgans dictitat: meritò quemadmodum in aliis delictis, in quibus à delinquente ultrò injuſtum corrigitur, mitius cum hoc procedendum eſt.*

ARTIC. IV.

DE ORIUNDO EX NOBILI FAMILIA REM HABENTE CVM PVELLA PLEBEJA ET VILI.

1. Videtur ſtuprum, quod nobilis homo vili perſonæ infert, non ordinariâ pœnâ, ut ſcil. ſtuprator ſtupratam ducat vel dotet, afficiendum, ſed vel majori vel minori: Ddres tamen nobilitatem in pronunciando non attendunt. *Nam in vilibus perſonis videtur parum referre an pudicitiam habeant nec ne, cùm cæterarum virtutum itidem nullam curam habeant. Quin videtur jus civile nonnullas perſonas ob vitæ vilitatem ne quidem dignas obſervatione legum, quæ de pudicitiâ præcipiunt, habere. l. quæ adulterium. 29. C. ad Leg. Jul. de adul. ter. Tum etiam videtur pœna ſtupri jure divino dictata iis perſonis, inter quas connubia eſſe ſolent: jam verò inter nobiles & viles perſonas non ſunt. An ergo, quia jus divinum obſervari nequit, gravius puniendus nobilis erit circa plebejam peccans, quàm alius ſtuprator qui cum pari rem habuit? Verùm cùm deceat omnes fœminas ſui ſexus propriam virtutem, pudicitiam nimirum, ſervare, & cit. l. quæ adulterium &c. non loquatur de fœminis ratione familiæ vilibus, ſed de iis, quæ ratione generis vitæ tales exiſtunt. v. g. quæ meretricio more vivunt, nobilis autem habens animum nunquam ducendi uxorem, cum quâ rem habet, gravius peccet, quàm qui non eſt alieno animo à correctione injuſti per ſubſequens matrimonium faciendâ: meritò ordinariæ pœnæ quoq; ſubjiciendus videtur; ut ſcil. ſi ducere ſtupratam nolit, eam dotet & pœnam ordinariam carceris ſubeat.*

ARTIC. V.

DE POENA CARCERIS ORDINARIA REMITTENDA IIS QVI JAM ALIQVAM POENAM PERPESSI SVNT.

1. *Eſt nonnullis in locis receptum, ut ſtupratores publicè in templo deprecentur, & ita cenſuram patiantur eccleſiaſticam. Quod quando ſit, remittenda pœna carceris videtur, ne reus duplicem pœnam pati cogatur & graviorem, quàm legislator voluit.*

ARTIC. VI.

DE TOLLENTIBVS POENAM STVPRATARVM FOEMINARVM.

1. *Diximus ſuprà, fœminas ſtupratas in Electoratu Saxon. præter infamiam, quam ſubeunt, amiſsâ virtute, quæ hujus ſexus propria eſt, etiam carcere puniri: cùm alias loco pœnæ videatur ſufficere illa ignominia & infamia quâ notantur. Videndum ergò eſt, quænam ſint mitigantia pœnas ſtupratarum fœminarum.*

2. Primò itaque libera ab omni pœnâ eſt mulier, quæ merè violentum ſtuprum perpeſſa eſt. *Nam quod ex merâ neceſſitate fit neminem ad pœnam ullam obligare poteſt; quia principium eſt planè extra agentem. Unde & infamia tali in muliere ceſſat* l. *fœdiſſimam.* 20. C. *ad L. Jul. de adulter. Hinc quærunt DDres, an etiam violentum ſtuprum perpeſſa, ſertum, quod ſignum eſt ſervatæ virginitatis, deponere teneatur. Ratio dubitandi eſt, quia per accidens tantùm virginitatem amiſit, per ſe non: & quia in pœnam quandam hodiè non invitum ſtuprum perpeſſis dictari ſolet, ut coronam deponant adhibitâ executione, ſi nolint ipſæ deponere. Quod verò aliquam pœnam ſapit in neminem, qui per accidens & ex merâ neceſſitate quid feciſſe dicitur, ſtatui poteſt. Et meo quidem judicio, ſi deprehenderetur mulier ne quidem occaſionem dediſſe ſtupro violento, ſed omnia feciſſe quæ honeſtam fœminam ſervare decet, rectius ſertum eidem relinqueretur, ei verò, quæ aliquo modo in culpâ fuerit, dum per locum aliquem tenebricoſum vel per avia ſola exſpatiata cauſſa remota ſtupri violenti exſtitit, detraheretur. Sed noſtris in terris jubentur omnes ſertum deponere, propterea, quòd ſit ſignum virginitatis; virginitas autem in hoc cenſeatur poſita, quòd fœmina ab omni viro adhuc intacta ſit, ne decipiantur volentes ducere intactam puellam.*

3. Minus etiam peccat quæ inebriata ſtuprum patitur ab omni tamen peccato libera non eſt. *Nam ſi valdè inebriata ſit, culpoſum tantùm ipſius ſtuprum eſt: dum enim inebriatur cauſſa eſt, ut ſtuprator cauſſa ſtupri exiſtat.*

MEMBR. XX.

DE
STUPRO VIOLENTO.

1. Stuprum in invitam commiſſum dividi poteſt in clandeſtinum & violentum. *Nam quicquid in invitum committitur, id is patitur vel ignorans vel per vim.*

2. De ſtupro clandeſtino tractare Ddres non ſolent. *Nam videtur vix dari poſſe exemplum, ut mulier merè invita & ignorans ſtuprum patiatur; niſi ſit furioſa: quæ enim patitur ſe inebriari in tantum, ut non ſentiat concubitum, culpa eſt ſtupri, & tacitè conſentire videtur. Vix reſtat alius modus, quàm ut mulier ſanæ mentis medicamentis in profundum ſomnum conjiciatur: & tamen judex prætendente hoc muliere ſemper incertus eſſe cogitur, an non ſimulatus ſomnus fuerit. Aliàs non dubito, clandeſtinum ſtuprum violento planè æquale & iisdem pœnis plectendum eſſe, modò de hoc ſatis firmiter conſtare poſſit. Statuoq; eum, qui furioſam comprimit, gladio feriendum eſſe.*

3. Stuprum violentum eſt, quod committitur neceſſitate mulieri ad ferendum impoſitâ. Oriturque ex intemperantiâ ſeu ejusmodi inordinatâ concupiſcentiâ, quæ hominem adigit, ad neceſſitatem inferendam mulieri, quò actum venereum admittat.

4. Conſtitutio Carolina *artic.* 119. ratione pœnæ exæquat hoc delictum rapinæ, pœnamque gladii dictitat. Eandem pœnam ſtatuit jus Saxonicum **Landrecht.** *lib.* 2. *artic.* 13. *Conſtit. Elect. part.* 4. *conſt.* 31. *Et rectè: ſi enim raptor qui auffert res nonnullas mobiles adhibitâ vi & terrore hoſtili, feritur gladio, quanto magis qui id, quod honeſtiſſimis fœminis cariſſimum eſt & ineſtimabile vi auffert? Quamvis hoc fateri cogar, legislatores non æq; ad terrorem incuſſum, velut in rapinâ, reſpexiſſe, quàm ad ablationem pudicitiæ: neq; enim talis terror hoc in caſu incuſſus dici poteſt, qualis in rapinâ.*

PARS PRIMA
Membri viceſimi

DE
IIS QVÆ CRIMEN AUGENT.

1. Gravius eſt ſtuprum violentum quod in conjugatam à ſciente committitur, eo, quod in ſolutam. *Nam eò gravius delictum eſt, quò læſio ad plures pertingit: in adulterio enim præter mulierem læditur quoq; graviter maritus.*

2. Non tamen gravior pœna huic crimini propterea dictari ſolet, quàm illa communis gladii. *Moventur his rationibus Ddres, quod Ordinatio Carolina ſatis manifeſtè ſtupratoris & adulteri violenti*

nullam differentiam haberi voluerit verb. So iemand einer unberleumbdeten Ehefrauen Wittwen oder Jungfrauen. *Videtur autem & naturalis ratio ſuadere, pœnam hac in parte non aggravandam eſſe. Nam, quem concupiſcentia movet ad vim inferendam, is ita occœcatur, ut intellectum excitare non poſſit ad perpendendum, an ſolutæ an conjugata ſit, cum quâ rem haberevoluerit: adeoq; cùm par ſit vehementia concupiſcentiæ, unde fluit delictum quod punitur conjiciens hominem in ignorantiam (prout in magnis affectibus fieri ſuprà lib. 1. huj. part. docuimus) ut, dum in actu illicito verſatur, nullas circumſtantias perpendere poſſit: nulla videtur ratio eſſe, quare pœna augenda ſit. Sed quare non eadem pœna in ſtupro & adulterio ſimplicibus retinetur, ſed adulterium hodiè longè gravius punitur. Reſpondeo, in peccante non tantam eſſe vehementiam concupiſcentiæ, quæ non admittat, delinquentem perpendere differentiam objecti: adeoq; magis proareticè quàm quod violentum eſt committi.*

PARS SECUNDA Membri viceſimi.
DE MINVENTIBVS POENAM.
ARTIC. I.
DE CAVSSA EFFICIENTE STVPRI VIOLENTI MINVS CERTA.

1. Contingit nonnunquam ſtupratas negare ſe ſtuprum perpeſſas (*ſæpè enim pudore ductæ & quod nolint videri virginitatem amiſiſſe fœminæ diffitentur ſtuprum eſſe conſummatum*) contrà ſtupratores fateri. Quod quando fit, ambiguus redditur judex de cauſsâ efficiente, ſoletque tunc non gladii, ſed fuſtigationis pœnam dictare. *Nam ordinariam infligere pœnam prohibet incertitudo, impunitum dimittere ſcandalum, quia reus confeſſus eſt.*

2. Quæri hîc poteſt, an & is, qui opem & auxilium fert ſtupratori v. g. puellam vi prehendendo, quò perficere ſtuprum poſſit, ordinariâ pœnâ afficiendus ſit æquè ac in aliis delictis fieri ſolet. *Quæſtio hæc eſt, an opem ferens ſit cauſa efficiens proxima ſtupri; quâ ita propoſitâ, ſtatim cernimus, eum non proximam, ſed tantùm remotam cauſſam eſſe; quia non concupiſcentia excitata à voluptate in re venereâ hunc movet ad vim inferendam, ſed benevolentia amici. Quare cauſſa tantùm remota eſt, & propterea ad imitationem lenonis puniendus videtur.*

ARTIC.

ARTIC. II.

DE STVPRO VIOLENTO A MINORENNIBVS COMMISSO.

1. Videntur minorennes ſtuprum violentum committentes paulò mitius puniendi. *Nam ob caloris abundantiam tantam, & æqualiter in iis gignitur concupiſcentia, quanta non in hominibus maturæ ætatis: unde facilè fieri poteſt, ut quaſi occæcati & non valentes rectam rationem in auxilium vocare tale quippiam committant. In ſummâ videntur minorennes, quod hoc delictum concernit, magis ex incontinentiâ quàm intemperantiâ peccare, & per conſequens non ultimo ſupplicio, quod non niſi in vitioſos & inemendabiles ſtatuitur, puniendi.*

2. Interpretes tamen LL. non audent mitiorem minorennibus dictare pœnam. *Nam nuſpiam deprehenditur, noſtros legumlatores diſtingvere inter majorennes & minorennes. Cui accedit, quòd nec jure civili adulterii crimen, quod pubertate delinquitur, ætate excuſetur, l. ſi adulterium. 38. §. fratres. 4. ff. ad L. Jul. de adulter. Nec dubitandum eſt, quin Legiſlatori liberum ſit pœnam ob cam gravem minorennibus & majorennibus conſtituere, quò eo majorem operam diſcant minorennes impendere domandæ concupiſcentiæ: ut adeò propter ea, quæ præced. num. diximus, dicti pœna injuſta dici nequeat.*

ARTIC. III.

DE EO QVI MINIS PERTERRVIT MVLIEREM AD CONSENTIENDVM IN STVPRVM.

1. Non liberat ab ordinariâ pœnâ ſtupratorem conſenſus à muliere extortus. *Nam licet fœmina minis adducta ad conſenſum quodammodo peccet, (debuiſſet enim potius præſentem mortem ſubire, quàm conſentire) cùm ea, quæ ex ſimplici neceſſitate perpeſſa eſt ſtuprum, nihil peccaſſe dici poſſit: non tamen propterea ſtuprator minus peccavit: eſt enim eadem vitioſitas in eo, quem ducit concupiſcentia ad minas & terrorem injiciendum & ad ſimplicem neceſſitatem imponendam.*

ARTIC. IV.

DE EO QVI MERETRICI VIOLENTVM STVPRVM INTVLIT.

1. Minus injuſtum videtur eſſe ſtuprum violentum meretrici illatum. *Nam meretrix velut notoriè impudica mulier nihil pudici-*

tiæ amittit. Injuſtum autem, quod huic crimini ineſt, amiſſio eſt pudicitiæ contra voluntatem mulieris. Et ſi velimus ex jure Romano judicium facere, dicendum foret, hunc ſtupratorem ab omni pœnâ criminali liberum eſſe debere: dum enim mulier paſſim venale corpus proſtituit, huic verò denegavit, videtur hic ex juſtâ irâ ad violentiam proceſſiſſe. Sed apud nos Chriſtianos, quando meretrices non tolerantur, ejusmodi argumentatio admitti nequit: præmiſſa tamen ratio ſvadet, mitiorem pœnam dictandam eſſe violentum ſtuprum in meretricem committenti. Et videtur hoc ſvadere Ordinatio Carolina artic 119. *verb.* **So iemand einer unverleumbden Ehefrauen/ Wittwen oder Jungfrauen** *&c. Et quamvis objicias pœnam gladii ad imitationem rapinæ in Ordinat. Carol. ac proinde magis ob incuſſum terrorem, quàm ademptam pudicitiam conſtitutam eſſe. Dico tamen id fieri non poſſe, ut terror tam hoſtilis ſit in exercitura rem veneream, ac in facturo rapinam. Deinde ſi reſpectu terroris magis lata eſt pœna, quare non ordinaria pœna afficiunt eum, qui vi illatâ actum venereum abſolvere non potuit, æq; ac raptorem qui nihil ſpolii adeptus eſt? Sanè dubitandum non videtur pœnam paullò mitiorem eſſe debere.*

2. In foro tamen Saxonico æquè gladii pœna dictatur in eum, qui metricem, ac in eum, qui honeſtam fœminam violenter ſtupravit. *part. 4. conſtit. elect. 31. Ordinat. Eccleſiaſt.* **Von der Straffe der Vnzucht: §. da auch iemand** *verb:* **oder auch ein gemein Weib.** *Ratio, quæ movere legislatores potuit, fortaſſe hæc eſt, quòd contingat nonnunquam meretrices emendationem vitæ propoſitam habere & propterea amplius nolle ſtupratores admittere, quo in caſu, ſi ſtuprator hoc ſciat, æq; graviter peccat, ac qui in honeſtam fœminam crimen hoc committit, quod quando ſit, etiam judices eò ſtrictius pœnæ ordinariæ inhærere poſſunt.*

ARTIC. V.
DE EO CVI VIOLENTER STVPRATA DELICTVM REMISIT.

1. Si mulier pro ſtupratore violento intercedat eique nubere velit, remittitur ipſi, ſi matrimonium contrahat, pœna ordinaria & relegatur in perpetuum. *Nam ſi hoc in caſu nihilominus inferretur ordinaria pœna, majori afficeretur fœmina malo, quæ matrimonium in ſolatium violenter ablatæ pudicitiæ appetit. Quo in caſu abeundum eſſe ab ordinariâ pœnâ ſuperius demonſtravimus. Ne tamen ejusmodi ſtuprator in oculis hominum impunitus verſetur & ſcandalo ſit, meritò relegatur.*

2. Sed ordinariam pœnam effugere nequit qui paratus eſt injuſtum illatum corrigere ducendo ſtupratam in matrimonium. *Nam injuſtum corrigi nequit recuſante id muliere.*

ARTIC. VI.
DE
POENA CONATUS IN STUPRO VIOLENTO.

1. Conatus ſtupri violenti, quando ſtuprator aut vincere fœminam, aut impeditus ab accurrentibus perficere ſtuprum nequit, pœnâ extraordinariâ & plerumque fuſtigatione ac perpetuâ relegatione punitur. *Ordinat. Carol. artic. 119. verb.* **So ſich aber einer ſolches miſshandels** *&c. Nam, ut aliquoties monuimus, noſtri legislatores non eq; ad terrorem, ac ad ademptionem pudicitiæ reſpexerunt, ſecus atq; fecere in rapinâ. Unde incuſſus terror non facit delictum conſummatum.*

MEMBR. XXI.
DE
ADULTERIO.

1. Adulterium generaliter loquendo, delictum carnis eſt, quo læditur matrimonium.

2. Vitium, quod principium in homine hujus delicti eſt & potentia, quâ mediante ille id committit, eſt intemperantia movens eum, ut, licet habeat in promptu perſonam, cum quá honeſtè rem veneream exercere poſſit, prohibitos fœdosque coitus quæ:at, quibus matrimonium læditur.

3. Eſtque hoc delictum longè gravius ſtupro & ſcortatione. *Nam præter ea, quæ hiſce delictis inſunt, etiam continet læſionem matrimonii. Eſt autem matrimonium ſocietas familiæ regendæ & propagandæ gratiâ inita, quâ felici & integrâ domeſtica ſocietas ſalvâ eſt; omnibus autem domeſticis ſocietatibus benè ſeſe habentibus tota civitas, quæ ſocietas eſt ex multis domibus compoſita, quoq; felix exiſtit. Talem ſocietatem lædit adulterium quocunq; modo commiſſum; dum conjugum amicitiam diſſolvit & unà totam domum infelicem reddit; unde malum tandem ad ipſam civitatem pertingit.*

4. Magna eſt pœnarum circa hoc delictum varietas. *Nam alii legislatores magis ad naturam intemperantiæ vitii nimirum, unde hoc delictum deſcendit, alii magis ad damnum, quod infert, reſpexerunt.* Intemperantia puerile quoddam vitium eſt. *Nam qui hoc laborant*

ferun-

feruntur ſua concupiſcentiâ non aliter ac pueri. Uti enim hi quicquid vident cibi potuſq; edere bibereq; deſiderant, ita & intemperantes itidem in cibo potuq; & re venereâ ſe habent. Quapropter nonnulli legumlatores ludicras quasdam pœnas excogitarunt: v. g. ut adulter lanâ in judicio coronaretur, ut adulteræ capilli inciderentur & illa duceretur per civitatem veſtibus antè & retrò ſciſſis, ut alligatæ palo publicè riſui exponerentur, impoſitæ aſino circumducerentur, ut abſciſſis crinibus coram propinquis nudatæ à marito expellerentur &c. Contrà alii legumlatores reſpicientes ad damnum ſocietati conjugali & per hanc civili illatum ſeveriſſimam & quidem mortis etiam pœnam irrogarunt.

5. Nec poteſt una ſimplex & ordinaria pœna adulteriis conſtitui. *Nam adulteriorum varia ſunt genera diverſas pœnas merentia, prout ex ſeqq. patebit.*

PARS PRIMA
Hujus Membri
DE
VARIIS ADULTERII GENERIBUS ET HORUM POENIS.

1. Adulterii genera hac methodo inveſtigabimus: Omne matrimonium eſt vel perfectum vel minus perfectum. Perfectum nos Chriſtiani dicimus quod interveniente benedictione ſacerdotali celebratum ita ſubſiſtit, ut nulla ejus diſſolvendi cauſſa exiſtat.

2. Minus perfectum matrimonium ergò eſt quod vel benedictione ſacerdotali nondum firmatum eſt, quale exiſtit inter deſponſatos; vel cujus diſſolvendi aliqua cauſſa exiſtit. *v. g. ſi conjux conjugem malitioſè deſeruerit, adulterium commiſerit, impotens exſtiterit. Quemadmodum enim dominium tradendum ſeu in alterum transferendum, quale eſt, quod venditor habet in re venditâ tradendâ, eſt imperfectum dominiũ: ita matrimoniũ diſſolvendum imperfecta quadam ſocietas.*

3. Neceſſe ergò eſt omne adulteriũ committi vel ab eo, qui in perfecto aliquo matrimonio vivit vel ab eo qui matrimoniũ habet imperfectum. Quando perſona in perfecto matrimonio vivens, quam perfectè conjugatam ſemper nominabimus, delictũ aliquod carnis committit vel hoc facit cum eâ, quæ itidem conjugata eſt & in perfecto matrimonio, vel cum aliâ quâdam; ſi cum perfectè conjugatâ, adulterium vocatur duplicatum, germanis Oberhurerey. Eſtq; hoc omnium adulteriorum perfectiſſimum. *Nam huic nihil malitiæ damniq;, quod adulterio ineſſe poteſt, deficit, ut patebit, quando mox de ſingulis generibus dicturi ſumus. Id autem in ſuo genere eſt perfectiſſimum*

cui

cui nihil eorum deeſt quod cæteris ineſt. Quapropter etiam ab hoc tanquam perfectiſſimo initium contemplandi faciemus.

4. Perſona non perfectè conjugata, cum quâ perfectè conjugata rem habet, vel eſt in imperfecto matrimonio vel ſoluta; illa rurſus vel deſponſata vel in matrimonio, quod aliquam ob cauſſam diſſolubile vel nullum eſt. Deſponſata iterum non unius generis eſt; *quia ſponſalia itidem ac matrimonium alia perfecta alia minus perfecta ſunt*. Perfecta ſponſalia voco ea, quę ſunt de præſenti, & publica, nullamq; cauſſam diſſolvendi habent. Sponſalia de præſenti ſunt matrimonium civiliter per plenum conſenſum contractum, nondum tamen benedictione ſacerdotali confirmatum, **eine Verlobung biß auff des Prieſters Hand.** Cauſſæ diſſolvendi ſponſalia ſunt omnes eæ quæ gignere repudium dicuntur, *v.g. inimicitiæ capitales inter ſponſum & ſponſam intercedentes, homicidium à ſponſo doloſè commiſſum, morbus aliquis perpetuus & contagioſus vel etiam aliud ingens vitium corporis vel furor, qui videtur inemendabilis, poſt deſponſationem ſuperveniens, ſcortatio ſponſi vel ſponſæ. Ne verò quid nequitiæ inenarratum relinquamus, ſingula genera ſeorſim circa maritum & poſtea etiam circa maritatam recenſebimus. Tu lector benevole imitare in hiſce perlegendis Numinis noſtri patientiam, quod tam multa genera delictorum in innumeris fermè hominibus conſpiciens fulgura ſua continere poteſt.*

5. Maritus ergò ſeu perfectè conjugatus rem habet vel cum imperfectè maritatâ vel cum ſolutâ. Imperfectè maritata eſt mulier quę vel in matrimonio per cauſſam diſſolvendo vivit, vel deſponſata tantùm eſt. Eſt ergò ſingulare adulterii genus, quod committit perfectè conjugatus cum muliere, quæ vivit in matrimonio per cauſſam diſſolvendi jam labefactato. Quod rurſus ſuas ſpecies habet. *Nam cauſſa diſſolutionis non una eſt.* Hinc dicimus, perfectè conjugatum adulterium committere vel cum muliere, quæ ipſa cauſſam diſſolutionis præbuit *v.g.* quod jam ante aut adulterium, & hoc rurſus vel clanculum vel proſtituens ſeſe publicè velut meretrix, aut ante nuptias ſtuprum marito, cùm eam duceret, incognitum perpetravit; vel cum eâ cujus marito cauſſa diſſolvendi ineſt. Cauſſa quæ marito ineſt vel eſt vera vel putativa; vera, quia ipſe vel adulter, vel impotens tali impotentiâ quæ poteſt matrimonium diſſolvere, vel malitioſus deſertor eſt. Putativam cauſſam voco, quando mulier exiſtimat, ſeſe cauſſam ſufficientem habere diſſolvendi matrimonium, quòd poſt nuptias maritus impotens vel furioſus redditus ſit.

6. Adulterium, quod perfectè conjugatus cum deſponſatâ commiſit, accipit ſuas differentias à generibus deſponſatarum n.4. traditis. Adeoque præ cæteris in hac claſſe conſtitutis adulteris graviſſimè peccat qui cum perfectè deſponſatâ rem habet, *i.e. ea muliere quæ ſponſalia de præſenti & publica celebravit.* Hunc excipiunt qui cum ſponsá rem habent, quæ vel ipſa cauſſam repudii dedit vel in cujus ſponſo cauſſa hæret. *Cujus delicti tot iterum ſpecies ſunt, quot repudii cauſſæ, quarum num. 4. mentionem fecimus, quas enarrare ſupervacuum eſt.* In infimo malitiæ gradu videtur collocandus, qui cum ſponsá, quæ tantùm ſponſalia de futuro celebravit rem habuit. *Nam cum his alterâ parte invitâ renunciari poſſit, quod aliquando docebitur inferius, non plus malitia continere videtur, quàm adulterium cum ſolutâ commiſſum.*

7. Soluta cum quâ perfectè conjugatus delictum perpetravit vel eſt mulier honeſta vel meretrix. Qui proſtituit honeſtam gravius peccat, quàm qui meretricem. *Nam illud in ſtupro, hoc in ſcortatione conſiſtit.*

8. *Prout circa maritum, ita etiam fermè circa maritatam ſeu perfectè conjugatam procedere poſſumus.* Nimirum omnis perfectè conjugata vel rem habet cum imperfectè conjugato vel cum ſoluto. Imperfectè conjugatus vel deſponſatus eſt, vel vivit in matrimonio cum cauſsâ diſſolvendi conjuncto. Cauſſa diſſolvendi vel in ipſo adultero eſt, ſi is adulterium jam commiſerit, vel in ipſius uxore; & quæ ineſt uxori, vel eſt vera cauſſa, ſi ſcil. adultera ſit, vel inhabilis ad procreandum vel malitioſa deſertrix; vel putativa, ut ſi adulteri uxor reddita fuerit furioſa. &c.

9. Quæ perfectè conjugata cum deſponſato rem habuit, videtur ſimiles gignere differentias, ac antea circa maritum cùm deſponſatâ delinquentem fecimus; ſed parum refert eas enarrare. *Nam mox patebit, nihil has ſpecies ad gradus & diverſitatem pœnarum facere. Quapropter nunc conſiderabimus genera adulterii, quæ perpetrant imperfectè conjugati & conjugatæ: & quia imperfectè conjugati duorum ſunt generum, alii in matrimonio per cauſſam diſſolvendi jam labefactato, alii deſponſati; ab illis initium facturi ſumus.*

10. In hoc adulterii genere quod conjugatus & conjugata in matrimonio per cauſſam aliquam diſſolubili viventes committunt, ſummum gradum ponimus, ſi utraque perſona in ejusmodi vivat matrimonio. *Hoc pacto enim procedentes evitabimus hoc, ne eadem ſpecies in enarratione bis repetatur.*

11. Con-

11. Conjugatus matrimonio per cauſſam diſſolubili vel rem habet cum deſponſatâ vel cum ſolutâ: Deſponſata rurſus vel perfectè vel minus perfectè talis eſt, prout antea enarravimus; ſoluta iterum vel honeſta eſt vel meretrix. Porrò ejusmodi conjugatus vel ipſe cauſſam dedit vel non.

12. Conjugata matrimonio per cauſſam diſſolubili itidem vel cum deſponſato vel ſoluto rem habet.

13. In deſponſatorum & deſponſatarum adulterio rurſus ſupremum locum tribuimus iis, qui ab utrâque parte deſponſati ſunt. *Rationem reddidimus ꝟ. 10.*

14. Deinde procedentes dicimus, deſponſatum vel rem habere cum deſponſatâ, eâque vel perfectè vel minus perfectè, vel cum ſolutâ eâque iterum vel honeſtâ vel meretrice.

15. Sic & deſponſata vel cum deſponſato vel cum ſoluto rem habet.

16. *Hæc eſt illa adulteriorum diabolo & ipſius aſſeclis ſatis jucunda varietas; quâ perluſtratâ ſingula genera ſeorſim propoſituri ſumus methodo, quæ etiam Ddribus uſitata eſt, Nim.* Omne adulterium eſt vel ſimplex vel duplicatum. Simplex eſt quod perſona conjugata & ſoluta committunt; eſtque duplex: aliud ſoluti cum conjugatâ aliud conjugati cum ſolutâ: & in utroque conſiderari poteſt, an perfectè vel imperfectè conjugati fuerint.

17. Duplicatum adulterium rurſus vel eſt inter eos, qui ab utrâque parte perfectè; vel inter eos, qui ab utrâque imperfectè; vel inter eos, qui ab alterâ parte perfectè ab alterâ parte imperfectè copulati ſunt.

18. Initium à perfectis delictis faciendum, & videndum, quænam ſit malitia; quæ itidem pœnæ 1. adulterii duplicati inter utrosque perfectè conjugatos. 2. adulterii ſimplicis, quod ſolutus cum perfectè conjugatâ committit. 3. illius quod perfectè conjugatus cum ſolutâ. *Nam ab hiſce velut principalibus generibus petendæ ſunt cæterorum pœnæ.*

ARTIC. I.

DE ADULTERIO DUPLICATO INTER PERFECTE CONJUGATOS COMMISSO.

1. Adulterium duplicatum, quod inter perfectè conjugatos committitur, eſt omnium graviſſimum. *Nam quæ cæteris generibus particulatim, huic in ſummâ inſunt.*

 2. Com-

2. Committitur hoc delictum ex *ejusmodi intemperantia quæ movet hominem 1. ad amicitiam non in uno ſed duplici matrimonio diſſolvendam, nim. in ſuo & adultera: unde duplex ſocietas conjugalis infelix redditur*; quæ cauſſa eſt, quare duplicatum adulterium vocetur. 2. *ad maximam injuriam faciendam adulteræ marito, transferendo in ejus familiam ſuos ſpurios, & omnes ipſius poſteros conſpurcando, dum de eorum legitimâ nativitate dubitatur.*

3 Pœna, quam conſtituit Juſtinianus diverſa eſt in adulterio & in adulterâ. *Nov. 134. cap. 10. Nam adultero pœnam gladii infligi, adulteram virgis cædi & in monaſterium detrudi, ſiq; maritus intra biennium eam recipere nolit, vel antequam repeteret mortuus ſit, impoſito monaſtico habitu perpetuò detineri juſſit. Cauſſam conjicere non poſſum, quare mulieri mitiorem dictarit pœnam. An fortaſſe, quòd detruſa in monaſterium diſcere caſtitatem & ita in meliorem redire viam poſſit? At quare non itidem juſſit adulterum fieri monachum? An quia fœmina minus injuſta dici poteſt ratione liberorum in aliam familiam transportatorum? ipſa enim in partu & poſt partum matris officium facere circa liberos tenetur: at quod adulter praſtare circa ſuos liberos debebat id callidè transfert in alterum. Alia ratio ſupereſſe non videtur. Nam à pudicitiâ eam petere non poſſumus, quia ratione pudicitiæ gravius videntur puniendæ fœminæ quàm maſculi, utpote cùm pudicitia ſit propria earum virtus.*

4. Pœnam à Juſtiniano introductam retinet Conſtitutio Carol. quapropter & ea apud nos in uſu eſt, niſi quòd fœminæ loco manſionis in monaſterio dictetur fuſtigatio. *Nam Conſtit. Carol. artic. 120. remittit judices ad jus juſtinianeum.*

5. *Ex conſtitutione autem Electorali Ordinat. provinc. de Anno* 1543. *tit.* **von Straffe des Ehebruchs** confirmatâ *part. 4. conſtit. 19.* fœminæ quoque gladii pœna irrogatur. *Quæ ſanctio convenit cum jure divino Levit. 20. v. 10. Deut. 22. v. 22.*

ARTIC. II.
DE ADULTERIO SOLUTI CUM PERFECTE CONJUGATA.

1. Adulterium duplicatum proximè excipit ſimplex cum conjugatâ commiſſum. *Nam omnia ei mala inſunt quæ duplicato, niſi quòd unicum tantum violetur conjugium: transferuntur quippe in alienam familiam liberi alendi & ignominiam patiuntur omnes in eâ poſteri.*

2. Pœna

2. Pœna hujus delicti eadem eſt quæ duplicati adulterii, nim. ut in foro civili mulier fuſtigetur, adulter licet ſolutus gladio feriatur. *Nam fœminæ malitia planè eadem eſt in hoc, ac in duplicato adulterio: adulter autem, licet ſit ſolutus & proprium matrimonium non lædat, transfert tamen in alienam familiam ſuos ſpurios eamq́ & omnes in eâ poſteros ſuâ fœditate conſpurcat, dum facit, ut dubitetur, an legitimè nati ſint. Quæ cauſſa eſt ſeveræ illius pœnæ etiam in duplicato adulterio. l. inter liberas 6. §. 2. ff. ad L. Jul. de adulter. Et hæc pœna etiam approbata eſt p. 4. conſtit. 19. in fin. pr. &* §. **es ſoll aber.** *niſi quòd fœmina non fuſtigetur, ſed quoq́ gladio feriatur. Ordinat. eccleſiaſt. tit.* **von der Straffe der Unzucht und des Ehebruches.**

ARTIC. III.
DE SIMPLICI ADULTERIO INTER CONJUGATUM ET SOLUTAM.

1. Adulterium conjugati cum ſolutâ minimum malitiæ reſpectu cæterorum habet: quin, ſi velimus cum jure civili loqui, naturam propemodum adulterii amittit. *Nam adulterare eſt aliquid corrumpere vel corruptum producere; ita tamen ut appareat verum. Quâ in ſignificatione ſumitur, quando corrumpentes monetam appellamus adulteratores monetæ l. aut facta 16. §. penult. ff. de pœnis. it. teſtamentum adulterinum eſt illud, cui quid falſum eſt inſertum ſub ſpecie veri, l. ſi quis 6. pr. ff. ad L. Cornel. de falſ. ita dicitur quis adulterare mulierem l. 5. ff. ad L. Pompej. de parricid. i. e. facere ut producat in familiâ liberos falſos qui veri videntur. Hinc jus civile mulieribus denegat accuſationem de adulterio ſi de violato matrimonio queri velint. l. 1. C. ad L. Jul. de adult. & adulterium propriè in nuptam committi dicitur propter partum ex altero conceptum. l. 6. §. 1. ff. ad L. Jul. de adulter. nuſpiam etiam jus civile aliter videtur diſtingvere adulterium à ſtupro, quàm quòd adulterium in nuptam committatur l. inter. 101. pr. ff. de Verb. ſignif.*

2. Nec tamen maritus cum ſolutâ rem habens poteſt dici non magis peccare ac qui ſimplex ſtuprum committit. *Nam 1. magis intemperans eſt: dum enim habet objectum, cum quo honeſtè & licitè concumbere poſſit, ſectatur vagas libidines: quem profectò magis intemperantem eſſe neceſſe eſt, quâm qui nullum habens objectum aliquod quærit; hic enim ſimpliciter appetit voluptates, ille ſingulares. 2. Reddit infelix ſuum matrimonium diſſolvendo amicitiam, quæ in ſocietate conjugali ſumma & arctiſſima requiritur. 3. committit injuſtum quod corrigi eo modo quo jus divinum vult, nequit, quando cum honeſtâ rem habet: neque enim poteſt eam ducere uxorem.*

 3. Qua-

3. Quapropter Ddres pronunciantes de pœnâ hujus criminis fuſtigationem dictare ſolent. *Nam ob læſionem proprii matrimonii quem æquali pœnâ affici cum eo, qui alienam familiam conſpurcat, nulla ratio admittit. Cui accedit, quòd delictum conjugatæ cum ſoluto commiſſum longè gravius ſit, quàm conjugati cum ſolutâ. Nam conjugatus nullam maculam eq. ad poſteros tranſfert quàm conjugata; quippe quæ facit, ut de omnibus liberis dubitent homines, an ſint legitimè nati: decet ergò pœnam minorem eſſe.*

4. Conſtitutio autem Electoralis, non obſtantibus hiſce rationibus, marito cum ſolutâ rem habenti pœnam gladii decernit. *p. 4. conſtit. 19. verb.* **darüber aber.** *Procedit enim conſtitutio ex hoc fundamento, quòd & mulieri conjugatæ adulterium cum ſoluto committenti irrogetur pœna gladii. Quam rationem in medio relinquo, non tamen approbo: manifeſtum enim ſatis eſt, plus mali inferri ex adulterio conjugatæ cum ſoluto, quàm conjugati cum ſolutâ. Valde tamen hæc ſeveritas mitigatur per remiſſionem à conjuge factam, quæ quaſi temperat medicinam paullo rigidiorem.*

5. Videtur porrò in hoc adulterio facienda diſtinctio, utrum maritus cum fœminâ honeſtâ, utrum eum meretrice rem habuerit. *Nam gravius peccat qui præterquam quòd violet matrimonium, etiam pudicitiam adimit honeſtæ fœminæ. Huic accedit, quòd majorem diſſolutionem amicitiæ conjugalis gignat converſatio cum aliquâ honeſtâ, quàm cum meretrice, hæc enim mercede acceptâ admittit adulterum nec ejus amorem in ſe trahit: at quæ meretrix non eſt colit amicitiam ſimilem conjugali, facitq; ut adulter negligat uxorem & odio habeat. Non dubito ergo, quin Legiſlator horum rationem habere & in adulterio hoc ſimplici cum ſtupratione conjuncto paullò graviorem pœnam dictare poſſit adultero. Apud nos tamen, nullâ habitâ diſtinctione mulieris, cum quâ quis coiit, ſemper gladii pœna infertur. Nam nuſpiam legitur LLatorem diſtinxiſſe.*

6. Fœminæ ſolutæ cum conjugato rem habentes de conſvetudine communiter arbitrariam pœnam carceris nim. vel relegationis patiuntur. *Videtur conſvetudo nata ex hac DDrum ratione, quòd delictum fœminarum non niſi pro ſtupro vel ſcortatione haberi poſſit. Sed cogor iterum quid hic deſiderem monere.* Videtur mihi diſtinctio facienda, an mulier ſciens an ignorans maritum eſſe eum admittit; hoc enim caſu manet eam ſimplex ſcortationis vel ſtupri pœna. At quando mulier ſciens quem maritum eſſe cum ipſo rem habet gravius meritò punitur. *Nam ſcit, ſe concurrere in actu quo læditur matrimonium; & meretrix quidem in culpâ tantùm eſſe videtur læſi matrimonii:*

monii: ſi enim ſe non præberet inſtrumentum libidinis nec talem actum maritus exercere poſſet. At quæ meretrix non eſt & amorem alicujus ſibi conciliat, eum amorem, quem maritus debet uxori in ſe trahit, & ita cauſſa per ſe læſi conjugii exiſtit, meritòq; ſeverius quàm meretrix coercetur. Hæc profectò perpendenda ſunt iis, qui ſtatuunt cauſſam pœnæ infligendæ in adulteriis eſſe ſolam conjugii violationem. Quapropter optandum eſſet, LLatores, hiſce perpenſis, talibus in caſibus certi quiddam ratione pœnarum definire.

7. In Electoratu Saxoniæ rectiſſimè pœna fuſtigationis cum perpetuâ relegatione ejusmodi mulieri dictata eſt. *Nam quæ meretrix non eſt graviſſimè in matrimonium peccat in ſe derivando debita maritalia præſtanda uxori, prout num. præced. diximus; meretrici autem, quamvis quoad hoc minus peccet, nulla fit injuria, hac pœnâ eidem illatâ, ob vitam, quam profitetur, in Reipubl. aliàs non tolerandam; & ita deterrebitur, ne in admittendo maritos culpa ſit diſſolutionis matrimonii, diſcetq; diſtingvere quos admittat. Quapropter benè ſe habent, quæ circa pœnam definiuntur part. 4. conſtit. Elect. 19.*

ARTIC. IV.

DE MARITO HABENTE VXOREM QVÆ EVM MALITIOSE DESERVIT, CVM SOLVTA COMMITTENTE ADVLTERIVM.

1. *Maritus habens uxorem impotentem aut talem, quæ eum malitiosè deſeruit, vel adulteram minus perfectè conjugatus eſt, ut in præcedd. dictum, ſcil. quia matrimonium habet per id, quod cauſſa juſta diſſolvendi illud eſt, labefactatum. Quapropter meritò de pœnâ illius quæritur, & quia, ſi rem habeat cum muliere perfectè conjugatâ, ſine dubio ferre cogitur pœnam gladii; quam, etſi ſolutus eſſet, pateretur; ſin verò cum muliere deſponſatâ vel etiam eâ quæ maritum habet adulterum, impotentem vel malitioſum deſertorem, inquirendum eſt, quando de mulieribus minus perfectè conjugatis dicemus: nihil hîc reſtat perpendendum, quàm qualis pœna ſtatuenda ſit in eum, qui minus perfectè conjugatus & in matrimonio vivens reſcindendo cum aliquâ ſolutâ muliere rem habet.*

2. Vt verò ab eo, quem uxor malitioſè deſeruit, initium faciamus, notum eſt, malitioſam deſertionem cauſſam præbere diſſolvendi matrimonium. *Nam deſertus à conjuge vivit in eâ conditione, quam ſuſtinere non omnes valent, de quibus Apoſtolus dicit, melius eſſe nubere quàm uri. Cumq; hoc ipſo meritò moveatur magiſtratus ad diſſolven-*

ſolvendum matrimonium & ad dandum poteſtatem aliam ducendi uxorem; apparet deſertionem malitioſam cauſſam eſſe illius cauſſa, ob quam matrimonium diſſolvendum venit: ut adeò, quando in noſtrâ eccleſiâ ob malitioſam deſertionem diſſolvimus matrimonia, non peccemus in regulam Chriſti, quam tradit, Matth. 19. v. 9. nullam eſſe cauſſam diſſolvendi matrimonium præterquam fornicationem: quia loquitur ibi de cauſâ per ſe proximâ & immediatâ diſſolvendi matrimonium & quidem alterâ parte invitâ. Deſertio autem malitioſa vel cauſſa remota eſt, quando mulier novit, maritum diu ſine conſvetudine conjugali vivere non poſſe, cohabitare cum ipſo non vult; vel eſt cauſſa per accidens tantùm, quando mulier hæc non perpendens nec cogitare valens ex odio maritum deſerit: Interim tamen fit vitio partis deſerentis, eâq; non invitâ, ſed principium præbente, & initium ſeparationis faciente. Cùm enim malo, quod patitur maritus, aliâ ratione occurri nequeat, niſi concedendo ipſi poteſtatem aliam ducendi uxorem, ex accidenti fit ut diſſolutio matrimonii ſit facienda; quia idem duas uxores habere nequit. Adeoq; magiſtratus licitè ſeparat, ſeparatio tamen ob peccatum deſerentis injuſta eſt & contra legem Dei. Unde ſequitur, magiſtratum ſeparantem per accidens tantùm facere quod contra legem Dei eſt, partem deſerentem per ſe.

3. Malitioſè deſertus cum ſolutâ rem habens non ordinariâ adulterii pœnâ ſed perpetuâ relegatione ex mente Ddrum puniendus eſt. *Nam intemperantia ejus longè minus malitioſa eſt, quàm perfectè conjugati: neq; enim violat matrimonium diſſolvendo amicitiam, utpote quæ à malitioſâ deſertrice diſſoluta eſt, (Malitioſam enim deſertionem vocamus, quando conjux à conjuge præter omnem neceſſitatem, nullamq; juſtam cauſſam habens ad aliquod longum tempus diſcedit) nec ducitur tali intemperantiâ, quæ conſiſtit in concupiſcentiâ vagarum libidinum, quemadmodum perfectus conjugatus; ſed deſtitutus objecto, cum quo rem veneream habeat, non honeſtè aliquod ſibi quærit. Debuiſſet enim magiſtratum adire & curare, ut deſertrix citaretur, & ſi appareat, eam contumaciter abeſſe & comparere nolle, per ſententiam judicis matrimonium diſſolveretur: neq; enim deſertio ipſa tanquam cauſſa proxima matrimonium diſſolvit. Unde ſequitur, pœnam longè mitiorem debere eſſe eâ quæ perfectè conjugato infligitur. Videtur tamen & ejuſmodi maritus cum muliere, quæ meretrix non eſt, rem habens gravius coërcendus, quàm ſimplex ſtuprator. Nam quod membr. 19. p. 1. diximus, reiteratum ſtuprum gravius coërcendum, quàm ſimplex, propterea, quòd per ſubſequens matrimonium corrigi nequeat; id etiam hic videtur locum habere: quia dum adhuc in matrimonio vivens peccat, ſeſe indignum reddit ope magiſtratûs diſſolventis matrimonium & poteſtatem ineundi novum*

dantis

dantis: magiſtratus quippe ſi ſuccurreret, videretur factum ipſius malitioſum approbare. Prudenter ergò Ddres relegationem elegerunt. Hac cauſâ poſitâ, ſequitur mitiorem quodammodo pœnam dictandam eſſe ei, qui cum meretrice rem habuit, nim. temporalem relegationem: ita enim pœna paullò major eâ, quâ ſimplices puniuntur ſcortatores, paullò tamen minor illâ, quam modò diximus irrogari iis, qui cum honeſtis fœminis concubuerunt, exiſtet.

ARTIC. V.
DE
MARITO COMMITTENTE ADULTERIUM CUM SOLUTA PROPTER IMPOTENTIAM.

1. Impotentia præbens marito anſam adulterium committendi vel ineſt ipſi marito vel uxori. *Nam contingit maritum aliàs potentem ligaturâ quâdam magicâ impotentem reddi, ut ita cum aliis coire poſſit, cum uxore non item.*

2. Maritus magicis artibus impotens redditus cum vili perſonâ nullam rationem honeſtatis habente rem habens videtur mihi, ſalvâ Ddrum aliud ſtatuentium auctoritate, graviori quàm carceris pœnâ affici non poſſe. *Nam cùm in ipſo, dum init matrimonium, concupiſcentia excitata ſit, eaq; gravius excitetur ab objecto præſente, muliere nim. quò minus ad deſideratam voluptatem pervenire nequit; tanta tandem evadit, ut reſiſtere ipſi non poſſit; & quod in uxore conſequi non valet in aliâ appetat. Quod delictum ſine dubio magis ex imbecillitate quâdam quàm ex vitio intemperantiæ provenit. Non ergò in peccantem velut in vitioſum ſed tanquam in incontinentem videtur animadvertendum. Sed Ddres hac in parte viros uxoribus æquare & pœnam fuſtigationis vel perpetuæ relegationis dictare velle videntur. Quæ pœna paullò durior apparet etiam hac de cauſâ, quòd maritus factum erga uxorem excuſare melius poſſit, dum videtur amore erga eam integro & ſalvo, quaſi ex neceſſitate peccaſſe: ut adeò non æq; turbetur matrimonium, ac quando temerè, neglectâ uxore, vagi concubitus quæruntur. Cùm verò Ddres communiter, quando per ſtatutum alia pœna introducta non eſt, fuſtigationem dictitent ei, qui ex intemperantiâ uxorem deſerens alienas libidines ſectatur; videtur durum, idem in hunc ſtatuere velle, niſi honeſtas perſonæ ſtupratæ graviorem pœnam exigat. Nam peccatum tale eſt quod ſubſequenti matrimonio corrigi nequit.*

3. Impotentia quæ mulieri ineſt, vel adfuit ante nuptias vel poſt nuptias acceſſit. Impotentia, quæ ante nuptias adfuit red-

dit matrimonium nullum, adeò ut non à magiſtratu reſcindatur, ſed nullum declaretur. *Nam quæ perſona eſt inepta ad ſocietatem conjugalem ineundam, ſi eam iniit, nihil egit: eſt autem ad ſocietatem conjugalem inepta, quæ inſtrumentis ad procreationem neceſſariis deſtituta eſt; quia ſocietas conjugalis procreationis gratiâ eſt. Et ita rurſus manet, quod dixit Chriſtus, nihil diſſolvere matrimonium præter adulterium.*

4. Habens uxorem impotentem tali impotentiâ, quæ matrimonium nullum reddit, videtur minus peccare, quàm qui malitioſè deſertus ſcortatur. *Nam malitioſè deſertus reverà in matrimonio eſt uſq; eò, dum citatio ſit facta & appareat quædam contumacia indicans, mulierem rupiſſe, quantum in ſe eſt, matrimonium, & aliâ ratione malis inde emergentibus occurri non poſſe, niſi reſciſſo conjugio & poteſtate ducendi aliam conceſſâ. At mulier impotens tantùm quaſi in poſſeſſione conjugii eſt, donec nullum à Magiſtratu pronuncietur, in rei veritate conjux non eſt. Peccat ergò maritus ſcandalum præbendo, dum uxore putativâ adhuc in quaſi poſſeſſione conjugii exiſtente ſcortatur. Quapropter vel æquali cum malitioſè deſerto vel paullo minori pœnâ relegationis nim. temporalis afficiendus videtur.*

5. Impotentia ſuperveniens non reſcindit matrimonium. *Nam nulla eſt juſta cauſſa invitâ alterâ parte diſſolvendi matrimonium, præterquam adulterium. In deſertione enim vitium & voluntas deſerentis cauſſa eſt: maritus enim tamdiu uxorem in matrimonio retinere debet, quam diu illa vult, niſi adulterium ab eâdem commiſſum probare poſſit; nolentem autem ut retineat in ſocietate conjugali & quidem cum periculo peccatorum, quæ occaſione deſertionis committere poteſt, videtur imponi ipſi non poſſe: quomodo enim cum invitâ, repudiante aufugiente & omnem amicitiam diſſolvente ſocietatem colere poterit? At ſi mulieri ſuperveniat impotentia, ut ad procreationem inhabilis fiat, ipſa, quantum in ſe eſt, diſſolutionis cauſſam non præbet: unde & nihil eſt, ob quod reſciſſio fieri queat. Eſt ergò mariti, officia amicitiæ uxori præſtare, eam non deſerere, precibusq; & jejuniis concupiſcentiis ſuis obviam ire.*

6. Sed quâ pœnâ erit afficiendus qui uxore impotente cupiditatibus reſiſtere non valens adulterium committit? *Videtur minus peccare quàm ſimplex ſtuprator. Nam ſimplex ſtuprator peccat ex intemperantiâ, dum ducere uxorem & frui honeſtis voluptatibus valens mavult eligere inhoneſtas. At ejusmodi maritus ex imbecillitate quâdam peccat: neq; enim liberè & ex electione matrimoniales voluptates deſerit, ſed ex imbecillitate non valens reſiſtere concupiſcentiæ & affectibus, quos ſuperare neſcientes honeſtiſſimi viri matrimonium ineunt, nec votum caſtitatis præſtare audent.* Quapropter aut ſimili pœnâ erit affici-

afficiendus ac magicis artibus impotens redditus, aut paullò majore. *Nam magicâ ligaturâ impotens redditus à novâ nuptâ incitatur; augeturq; in illo concupiſcentia ſupra modum: id quod non contingit in eo, cujus mulier vitio corporis laborat. Sed haſce meas ſpeculationes cenſuræ practicorum ſubjicio.*

ARTIC. VI.
DE
COEUNTE CUM SOLUTA CUJUS UXOR ADULTERIUM COMMISIT.

1. Qui uxorem habet de adulterio convictam & confeſſam videtur mihi ſimilis ei, qui aliquam nuptiarum tempore impotentem habens adulterium committit. *Nam licet liberum habeat maritus adulteram deſerere, & dum ipſi delictum condonare non vult, ipſius maritus reverà non ſit; quamdiu tamen magiſtratus matrimonium non diſſolvit, tamdiu uxor ipſius adultera quaſi in poſſeſſione eſt conjugii, & proinde ſine ſcandalo non peccatur. Quapropter ſimiliter videtur huic pœna relegationis tempor alis dictanda.*

ARTIC. VII.
DE
DESPONSATO COMMITTENTE ADULTERIUM CUM SOLUTA.

1. Videamus quomodo deſponſatus committens adulterium cum muliere ſolutâ eâque vel honeſtâ vel meretrice ſit puniendus. Loquemur autem de eo, qui ſponſalia de præſenti celebravit. *Nam cùm liberum ſit à ſponſalibus de futuro recedere, pœna gravior eſſe nequit, quàm quæ eſt eorum qui ſimplex ſtuprum committunt: poteſt enim injuſtum per ſubſequens matrimonium corrigi.*

2. Vitium intemperantiæ, quo ſponſus movetur ad adulterium, quamproximè accedit ad illud, quo perfectè conjugatus peccat, paullò tamen minus eſt. *Nam ducitur ſuâ concupiſcentiâ ſponſus ad ſeponendum amorem quem ſponſæ debet, facitq; ut omnis diſſolvatur conjugalis amicitia; quam tamen ſanctè ſervare tenebatur æq; ac in conjugio benedictione ſacerdotali confirmato; quia ſponſalia de præſenti faciunt conjugium civile, quod itidem eſt ſocietas indiſſolubilis. In hoc tantum pejor eſt perfectè conjugatus, quod cùm præſentes habere voluptates cum uxore poſſit, malit eligere alienas libidines.*

3. De pœna ſponſi committentis adulterium cum ſolutâ quicquam determinare difficile eſt. *Nam jure communi Ddres vix*

certi quicquam circa perfectè conjugatum pronunciare poſſunt, fuſtigationem dictantes nullam aliam ob cauſſam, quàm quod delictum ſoluti cum conjugatâ gravius ſit, & proinde pœna gladii in leviori locum non habeat. An ergò quia ſponſi delictum levius eſt delicto perfectè conjugati ita gradatim ad pœnam relegationis perpetuæ deſcendendum erit? In foro autem Saxonico interpretes juris Saxonici & Electoralis colligunt, ſponſo infligendam eſſe fuſtigationem propterea, quòd & ſponſæ hac pœna dictata ſit. Ordinat. eccleſiaſt. ſub tit. Von der Straffe der Unzucht und des Ehebruchs *ſ.* würde aber. *Rationem reddunt quod in Conſtitut. Electoral: conjugatus cum ſolutâ, & conjugata cum ſoluto ratione pœnæ æquiparentur, utpote cum utriq; gladii pœna dictata ſit.*

4. Si ſponſalia diſſolvenda ſint, mitior pœna infligenda venit, relegatio nim. temporalis vel perpetua pro ratione circumſtantiarum. *Nam conſueverunt aliàs perſonæ deſponſatæ affici pœnâ pecuniariâ vel carcere, ſi propriâ auctoritate ſponſalia diſſolvunt, ut adeò gravius peccet, qui id facit jungens ſtuprum.*

ARTIC. VIII.
DE
MULIERE SOLUTA CUM IMPERFECTE CONJUGATIS REM HABENTE.

1. Fœminæ, quæ cum ſponſo rem habet, videtur meritò dictari relegatio poſſe, ſi ſciens ſponſum eſſe id faciat. *Nam ejusmodi fœmina concurrit in turbando amore conjugali & dum amorem, quem ſponſus ſponſæ debet, ſibi conciliare nititur, æq; graviter peccat ac quæ cum perfectè conjugato rem habet: cui Ddres fatentur deberi relegationem. In Electoratu autem Saxoniæ relegationem ejusmodi fœminæ debere dictitari Ddres inde colligunt, quòd, cùm pœna fuſtigationis in Electoratu ſtatuta ſit in mulierem ſolutam cum perfectè conjugato rem habentem, fornicatio verò cum ſponſo minus delictum ſit, etiam minori pœnâ eam puniendam eſſe. At mulieris ſolutæ rem habentis cum uxorato delictum à ſtupro non differt, niſi quòd fœmina cum marito rem habens concurrat in actu violante ſocietatem conjugalem per hoc, quòd amicitia inter conjuges diſſolvatur. Quo poſito, non video quæ differentia ſit facienda inter eam quæ cum ſponſo & eam quæ cum marito rem habet: æq; enim in deſponſatis ac in perfecto matrimonio viventibus decet amorem conjugalem ſervari.*

2. At ſtuprum patientes à marito malitiosè deſerto, vel eo, cujus uxor impotens aut adultera eſt, videntur æquiparandæ iis, quæ

quæ ſimplex ſtuprum patiuntur: *neq; enim amicitiam conjugalem violant aut matrimonium, quippe quod reſcindendum eſt. Solent tamen Ddres fœminæ, quæ cum marito tali, qui ipſe ſuo adulterio cauſſa diſſolvendi matrimonii exſtitit, rem habuit relegationem perpetuam dictare. Ratio eſt, quia per adulterium mariti matrimonium non eſt diſſolutum penitus; cùm liberum habeat uxor ei condonare & cohabitare. Unde fermè perfecto adulterio ſimile eſt.*

ARTIC. IX.
DE
MULIERE DESPONSATA REM CUM ALIIS HABENTE.

1. Sponſa gravius peccat adulterium committens quàm ſponſus. *Nam hujus adulterium plura mala quàm ſponſi comitantur: ſi enim contingat eam gravidam fieri, aut in ſponſi familiam transferentur ſpurii alendi, ſi lateat delictum; aut difficultas ſuborietur circa diſſolutionem matrimonii: neq; enim vir honeſtus ejusmodi mulierem ſibi conjugem retinebit. Hinc jura Romana tribuunt poteſtatem vindicandi adulterium in ſponsâ commiſſum, propterea quòd nec ſpem matrimonii violare permittatur l. ſi uxor. 13. §. Divi 3. ff. ad L. Jul. de Adulter. l. propter. 7. C. eod. Sed id intellectum volo de eâ quæ ſponſalia de præſenti celebravit, aut, ſi ſponſalia de futuro fuerint, nupſit deſponſato. (de quo caſu citati textus loquuntur) Nam ſi ſponſalia fuerint de futuro vel talia, qualia jure Romano intelliguntur, non inſecuto matrimonio, tantùm injuriarum actio ſponſo competit. l. item. 15. §. ſponſum 24. ff. de Injur.*

2. Quapropter meritò in Electoratu Saxonico *Conſtit. Eccleſiaſt. tit.* von der Straffe der Unzucht und Ehebruchs *ſ.* würde aber. dictata eſt fuſtigatio utrisq; perſonis & ſponſæ & adultero etiam ſoluto. *Nam non dubito, quin Sereniſſimus Elector ad pœnā ordinariā adulterii cum conjugatâ commiſſi, gladii ſcil. procedere potuerit; quippe cùm eadem fermè mala utriq; adulterio inſint, & ita non modò ſponſam ſed & cum hac adulterium committentem pœnâ gladii afficere; quia adulter non modò in alienam familiam transfert ſuos ſpurios confirmato per benedictionem matrimonio; ſed etiam loco virginis defloratam ſubſtituit ſponſo.*

3. His poſitis, in Electoratu Saxon. facile pronunciari poteſt de pœnâ adulterium cum deſponſatâ committentis. *Semper namq; afficiendus eſt pœnâ fuſtigationis, niſi violatio proprii, quod habet conjugii ſeveriorem deſideret. v. g. ſi adulter fuerit perfectè conjugatus.*

ARTIC. X.

DE ADULTERO CUM MULIERE MALITIOSE DESERTA ADULTERIUM COMMITTENTE, ET EO, QVI CUM HAC REM HABUIT.

1. *In matrimonio diſſolvendo vivit mulier deſerta, impotentem aut adulterum maritum habens. De quâ, ejusq; adultero, quam pœnam mereantur, quæſtio inſtitui poteſt.*

2. Mulieri malitiâ mariti deſertæ & cum ſoluto rem habenti Ddres relegationis pœnam dictare ſolent, adeoque marito deſerto æquiparant, quod nec improbandum videtur. *Nam non magis circa matrimonium delinquit ac maritus deſertus; in eo enim peccatum ipſius poſitum eſt, quod ſine concupiſcentiæ reſiſtere nequeat, & antequam curet maritum citari adhuc in matrimonio cum alio concumbat. In hoc uno videtur fœdius peccatum mulieris deſertæ quàm deſerti mariti, quod contingere poſſit, marito redeunte & matrimonium renovante difficultatem magnam oriri, ſi gravida facta fuerit.*

3. Eandem pœnam ſtatui volunt in ſolutum, qui cum ejusmodi muliere rem habuit. *Nam dum LLatores noſtri ſoluto cum perfectè conjugatâ itidem ac conjugatæ adulteræ gladii pœnam dictitarunt, delictum utriusq; æquale reputarunt.*

ARTICUL. XI.

DE MULIERE QVÆ IMPOTENTEM MARITUM HABENS COMMISIT ADULTERIUM ET EO QVI CVM HAC REM HABVIT.

1. Mulieri impotentem maritum habenti ſolent Ddres propter adulterium cum ſoluto commiſſum pœnam fuſtigationis cum perpetuâ relegatione dictare, additâ clauſulâ, niſi maritus condonare ipſi delictum paratus ſit, tunc enim virgis in carcere cædendam & dimittendam eſſe. *Videtur enim fuſtigationis pœna applicata omnibus in caſibus nimis ſevera medicina, ut adeò prudenter eam mediante clauſulâ temperarint. Nam ſi mulier habeat maritum naturaliter impotentem, cum quo matrimonium contractum in rei veritate nullum eſt, eritne fuſtiganda, cùm malitiosè deſerta delinquens tantùm relegetur? Sin autem impotentia mariti ea fuerit, quæ quidem matrimonium non ſolvit, nonne habenda erit ratio principii peccandi in muliere? videtur enim*

nim magis ex imbecillitate quàm ex vitio peccare: quoniam, dum maritus tentat fruſtrà coitum, in eâ concupiſcentiam accendit talem, quali reſiſtere difficile eſt. Sed, uti diximus, clauſula de remiſſione temperat quicquid in hoc medicamento excedit.

2. Si mulier impotentem maritum habens vel cum perfectè vel cum imperfectè conjugato concumbat, ſine dubio fuſtigatio dictari poterit. *Nam nec gravior erit pœna quàm eſſe debebat; quia Ddres eam non verentur dictare, ſi cum ſolutâ concubuerit; nec levior, quia jure communi perfectè conjugata non major infligitur.* Tantum hoc dubitari poteſt, an etiam addenda ſit clauſula remiſſionis. *Et quidem in foro, ubi jus commune viget, eam adjici poſſe hæc ratio ſuadet; quia ex Ddrum opinione remiſſio nihil operatur, niſi ſupremi judicis arbitrium accedat: ut adeò Ddres eam addendo non errent: præſertim cùm Juſtiniani conſtitutio Nov. 134. cap 10. plurimum tribuat remiſſioni mariti, dum permittit ipſi conjugem in monaſterium detruſam intra biennium recipere. In Electoratu autem Saxoniæ, ubi duplicatum adulterium preciſè capitaliter punitur, nec ulli remiſſioni locus habetur, difficultas ſeſe offert. Nam ſi duplicatio facit, quo minus in perfecto adulterio remiſſioni locus ſit, idem operabitur & in cæteris adulteriis minus perfectis. Inquirendum ergò eſt in cauſſam, quæ moverit LLatores Saxonicos, quod remiſſionem in duplicato adulterio noluerint admittere. Videtur nulla alia poſſe proferri, quàm hæc, quòd peccans in adulterio duplicato violet non modò ſuum, ſed etiam alterum matrimonium. Unde, licet per remiſſionem in uno conjugio malum ſit ſublatum, alterius tamen matrimonii violationi ſatisfieri nequeat: cùm verò, quando matrimonium vel in rei veritate nullum vel diſſolvendum eſt, neutrum horum dici poſſit violatum; ſequitur rationem ſeu cauſſam, quæ remiſſionem impedit, ceſſare, & proinde eidem locum eſſe. Huic accedit, quod melius ſit matrimonia integra ſervare quàm diſſolvere: at ſi remiſſione factâ mitigatur pœna, conjugia integra ſervantur, quæ reſcindenda vel nulla pronuncianda eſſent. Videtur itaq; non obſtante duplicatione clauſula de remiſſione addenda, ſi fuſtigatio dictetur in caſu quo ab utrâq; parte delinquentes habuerunt matrimonium, quod vel diſſolvendum vel nullum pronunciandum erat. Cæterum in Electoratu Saxoniæ, ſi mulier in matrimonio diſſolubili rem habuerit cum perfectè conjugato, nihil ipſi remiſſio prodeſt, quia violavit aliud perfectum conjugium, marito autem adultero videtur prodeſſe; quia alterum conjugium, utpote diſſolvendum vel nullum pronunciandum non violaſſe videtur.*

3. Cæterum adulteri pari cum muliere pœnâ videntur afficiendi. *Nam jus civile in adulterum cum perfectè conjugatâ rem habentem,*

bentem, licet ſolutus ſit, paullò majorem quàm in adulteram pœnam ſtatuit. Nov. 134. c. 10. Elector autem Saxon. pariter gladiis feriri voluit. Unde ſequitur, nos non errare, ſi iis, qui cum imperfectè conjugatis mulieribus rem habent, eandem quam mulieribus dictemus pœnam, ſive ſint ſoluti ſive conjugati, modò non ita conjugati ſint, ut ob proprium matrimonium violatum iis gravior pœna dictanda veniat. Licet enim ſolutus videatur ex majori concupiſcentià peccare quàm mulier; hæc enim ſi potentem maritum haberet, fortaſſe non delinqueret; ſolutus autem cùm ducere poſſet uxorem, pro implendà libidine adulterium mavult committere: ſciendum tamen, multum cauſſare interdum amorem occæcantem homines, ut huic magis quàm illi perſonæ inhæreant. Quapropter in puniendo eo, qui cum conjugatâ rem habet magis læſionem conjugii, quàm in cæteris adulterii ſpeciebus LLatores attendere videntur. Unde illa pœnarum paritas naſcitur.

ARTIC. XII.

DE MULIERE IN MATRIMONIO OB ADULTERIUM DISSOLVENDO REM HABENTE ET EJUSDEM ADULTERO.

1. Quando matrimonium mulieris ob adulterium diſſolvendum venit, contingit hoc ipſum vel quia ipſa vel quia maritus ejus adulterium commiſit.

2. Si maritus commiſit adulterium & mulier poſt eum, dictari huic ſolet à Ddribus perpetua relegatio, niſi adulter, cum quo rem habuit, ſit perfectè conjugatus, quo caſu ex Conſtit. Elector. fuſtigatio eidem decerni debet. *Nam & eandem pœnam dictitant ei, quæ à conjuge malitioſè deſerta eſt. In hac autem, cujus maritus adulterium commiſit, par ratio eſt.*

3. Inde ſimiliter quid in adulterum ſtatuendum ſit colligi poteſt. Nim. ut *præced. artic. n. fin.* diximus; ſervatur ſemper pœnæ æqualitas, niſi majorem ſvadeat delictum adulteri ob violationem proprii conjugii.

4. *Accedamus ad conſiderationem mulieris conjugatæ, quæ proprio adulterio dedit cauſſam diſſolvendo matrimonio:* & quidem huic ordinariam pœnam adulterii dictandam eſſe extra dubium eſt. *Nam licet poſterius delictum, ſoluto jam per adulterium matrimonio, propriè dictum adulterium non ſit, non tamen pœnam ex præced. adulterio debitam mitigat, ſed magis confirmat. Nec etiam mulierem excuſat, ſi dicat ſe meretriciam vitam profeſſam eſſe. Nam ſi ignorante marito fecit, multò magis peccavit. Sin autem ſciente, alia eſt ratio, de quâ inferius dicendum erit.*

5. De

5. De ejus, qui cum ejusmodi muliere rem habuit, pœnâ dubitant Ddres & diſceptant. *Nam l. ſi ea quæ. 22. C. ad L. Jul. de adulter. traditur, in eâ, quæ paſſim venalem formam exhibuit, ac proſtitutam meretricio more vulgò ſe præbuit, adulterii crimen ceſſare. Contrà Ulpianus l. ſi uxor. 13. §. ſed in eâ 2. ff. eod. ſtatuit etiam in eâ uxore poſſe maritum adulterium vindicare, quæ vulgaris fuerit.*

6. Videntur autem hoc caſu, quo quis cum meretrice conjugatâ rem habuit, circumſtantiarū iſtarum habenda eſſe ratio. *nim.* 1. an quis ſciens eam conjugatam an ignorans rem cum ipſâ habuerit. *Nam qui ignorans eam conjugatam eſſe cum eâ velut meretrice coit vel culpoſum vel tantùm caſuale committit adulterium; culpoſum, ſi ex ſignis id colligere potuiſſet; caſuale, ſi per ignorantiā invincibilem peccavit. Et de caſuali ſine dubio loquitur cit. l. ſi ea quæ. (ſi enim mulier formam venalem paſſim exhibet, aliter præſumere non poſſumus, quam quod meretrix ſit.) Nam caſuale adulterium reverà adulterium non eſt: unde rectè dicitur crimen adulterii in eâ non committi ſed ceſſare.* 2. an meretriciam vitam profeſſa ſit mulier marito ſciente vel ignorante. *Nam maritus ſciens minus læditur: & violatio thori minor minuere pœnam videtur. Contrà ſi maritus ignoraverit mulieris mores, & quis cum eâdem, ſciens eam maritatam eſſe, coierit, parum hujus crimen ab adulterio perfecto diſtat: in hoc tantum minus peccat, quod primus adulter adimendo pudicitiam hactenus ab eâdem ſervatā principiū exſtiterit impudicitiæ & diſſolutæ amicitiæ in muliere, hic verò tanquam poſterior jam cum corruptâ & impudicâ moreq; meretricio vitam colente rem habens, principium impudicitiæ & diſſolutæ amicitiæ non ſit, ſed tantummodo, quod & ille fecit, in alienam familiam ſuos liberos alendos transferat. Quamdiu enim maritus ignorans uxorem meretricem in matrimonio retinet, omnes liberi ex eâdem nati illius eſſe cenſentur. Et hoc caſu ex mente Ulpiani cit. l. ſi uxor. marito etiam in eâ uxore, quæ vulgaris fuerit, adulterium vindicandi poteſtas concedi debet.*

7. His præmiſſis dico, eum, qui ſciens meretricem uxorem eſſe, cum eâ rem habet, meritò fuſtigari, ſive marito ſciente ſive ignorante fecerit. *Mitius enim, quàm perfectum adulterum, puniri ſuadet hæc ratio, quia minus peccat; neq; enim ei principium ineſt amiſſæ in uxore pudicitiæ & diſſolutæ amicitiæ: id namq; ineſt ei, qui primus cum ipſâ rem habuit: ſed in hoc conſiſtit peccatum ipſius, quod vel vitium mulieris augeat vel quod ut cauſſa ſocia in operationibus, quas mediante ſuo vitio mulier edit, concurrat. Nec ei prodeſt, ſi mulier ſciente marito & lenocinium faciente meretriciam agat vitam. Nam quemadmodum nemo ſe alteri occidendum præbens liberat homicidam ab ordinariâ pœnâ;*

quia Reſpubl. non patitur ſibi civem adimi, ſæviendo in cadavera eorum qui ſeipſos occidunt; ita nec excuſabitur qui conſenſu mariti proſtituentis mulierem cum eâ adulterium committit: neq; enim Reſpubl impudicitiam & diſſolutionem amoris conjugalis patitur, etiamſi maritus tolerare ſit paratus. Hæc enim cauſſa eſt, quare in maritos proſtituentes ſuas uxores ſæviat. Quapropter non dubito Ddres rectè pœnam fuſtigationis dictare ei, qui ſciens meretricem uxorem eſſe cum eâdem rem habet. Quid de ignorante ſtatuendum ſit, dicetur infrà, quando de caſuali adulterio tractaturi ſumus.

8. Hæc mea ratio demonſtrat, quare adulter volens effugere ordinariam gladii pœnam, adulterium antea à muliere commiſſum non præcisè probare teneatur, ſed cenſeatur liberandus, licet tantummodò probaverit ea, quæ fœminam ſuſpectam reddunt & præſumptionem pariunt commiſſi adulterii. *v. g. ſi probaverit, mulierem, anteaquam coiret cum ipſâ, admiſiſſe aliorũ oſcula, tactum turpem, & arctiſſimos amplexus, ſeceſſiſſe clanculùm cum adoleſcentibus vel aliis ſuſpectis viris in cameram oſtio occluſo &c. Nam huic non ineſt principium impudicitiæ & diſſolutæ amicitiæ depoſitæq; fidelitatis conjugalis, quia licet fortaſſe mulier reverà cum aliis prioribus adulterium non commiſit; ex ejus tamen operationibus addiſci poteſt, eam ſatis impudicam maritoq; parum fidelem etiam ante adulterium perpetratum fuiſſe.*

ARTIC. XIII.
DE ADULTERIO COMMISSO A PERSONA QVÆ A CONJUGE SEPARATA EST QVOAD THORUM ET MENSAM.

1. Minus perfectis matrimoniis poſſumus annumerare quod conſiſtit inter eas perſonas, quæ ad thorum & menſam ſeparatæ ſunt. *Nam in caſu, quo totalis diſſolutio non procedit, v. g. quando conjux conjugis vitæ inſidias ſtruit, maritus in uxorem nimium ſævit tantumq; ſubortum eſt odium, ut conciliatio ſperari nequeat, parte lædente cautionem præſtare & redire in gratiam nolente, fit divortium quoad thorum & menſam, quo matrimonium non in totum reſcinditur, ſed ex neceſſitate quâdam fit ſeparatio quoad habitationem, quâ tentatur reconciliatio: Ira enim tempore leniri ſolet.*

2. Non ergò ei perſonæ, quæ ſeparationi ad thorum & menſam nullam dedit cauſſam ordinaria pœna videtur infligi poſſe. *Nam non peccat ex intemperantiâ quærente vagas libidines, nec lædit hac ſuâ impudicitiâ ſocietatem conjugalem, utpote quæ jam inimicitiis & odiis*

odiis propemodum tota diſſoluta eſt, & propterea Ddres huic perpetuam dictitant relegationem. Quæ pœna & adultero cum ſeparatâ fœminâ rem habenti infligenda. *Nam licet in aliam familiam non transferat liberos alendos, utpote, cùm tali caſu manifeſtum ſit, liberos ad maritum non ſpectare: nihilominus tamen committit id, quod ſubſequenti matrimonio corrigi nequit.*

ARTIC. XIV.
DE
ADULTERIO EJUS CUJUS CONJUX AD MORTEM CONDEMNATUS EST.

1. Matrimonio diſſolvendo annumerari poteſt hoc, ſi conjux ad mortem ſit condemnatus. Hinc ſi ante illatum ſupplicium perſona altera cum extraneo rem habeat, adulterium committitur ſimile iis quæ modò enarravimus. Unde Ddres perpetuam relegationem hoc in caſu dictare ſolent. *Cujus ratio ex precedd. manifeſta eſt.*

PARS SECUNDA
Hujus Membri
DE
IIS QVÆ ORDINARIAS POENAS AGGRAVANT.

1. *Hactenus in varia genera adulteriorum horumq; pœnas inquiſivimus: ſequitur, ut ſpeculemur ea quæ pœnas haſce aggravare videntur.*

ARTIC. I.
DE
ADULTERIO REITERATO.

1. Quæritur an reiteratio adulterii aggravet pœnam criminis ordinariam. *Videmus enim, in nonnullis aliis delictis ita comparatum eſſe, ut reiterata delinquentem in ſeveriorem pœnam conjiciant. l. capitalium. 28. §. ſolent 3. & 5. graſſatores 10. ff. de pœnis. Sed in præſenti delicto reiteratio hanc vim non habet. Nam Legiſlatores in puniendo hoc crimine non æq; ad damnum & injuſtum ac ad vitium hominis reſpexerunt: neq; enim in adulterio cum conjugatâ juſſerunt inquirere, an etiam gravida reddita fuerit nec ne; quemadmodum nec inquiri voluerunt, an matrimonium graviter læſum fuerit nec ne, v. g. an antequam adulter accederet, conjuges conſtantem foverint amorem, an in familiâ læſâ ſint liberi, de quorum legitimâ nativitate dubitari per hoc poſſit. Adeoq; ad*

vitium potius quàm læſionem ipſam reſpectu habito pœna adulterii conſtituta eſt. Unde ulterius nihil quæritur in puniendo hoc crimine, quàm an hominis intemperantia talis fuerit, quæ moverit eum ad violandum thorum proprium vel alienum: quantum damni hoc ipſo illatum ſit fruſtraneum eſt inveſtigare velle. Quapropter & qui ſemel adulterium commiſit & qui illud reiteravit pari paſſu ambulant: idem enim utriq; vitium ineſt, quo ducuntur ad peccandum quoties occaſio ſe offert. Et propterea ſolent Ddres dicere, adulterium eſſe delictum non momentaneum ſed ſucceſſivum.

PARS TERTIA
Hujus Membri
DE
MINUENTIBUS POENAS ADULTERIORUM ORDINARIAS.

I. *Speculabimur nunc cauſſas minuentes adulteriorum ordinarias pœnas, utentes conſuetâ nobis methodo, quam ſuggeſſit cap. 3. lib. 1. huj. part.*

ARTIC. I.
DE
CAUSSA EFFICIENTE DUBIA.

1. *Sæpiùs & propemodum circa omnia delicta monuimus, judices non ſolere infligere ordinarias pœnas, niſi de cauſâ efficiente certi ſint: procedere autem ad extraordinariam potius pœnam, ſi quid dubii ſeſe offerat. Id quomodo in adulterii crimine contingat conſiderandum erit.*

2. Si ergò altera perſona crimen ſit confeſſa, altera verò, cum quâ adulterium commiſſum dicitur, id neget vel præſens non ſit, ut interrogari queat: quæritur an pœnâ ordinariâ pars quæ confeſſa eſt puniri debeat? *Ratio, quare judex vel ob ſolam confeſſionem unius partis ad pœnam ordinariam progredi poſſit, videtur hæc eſſe, quòd adulterium aliàs ſit delictum maximè clandeſtinum, de quo vix aliter quàm ex confeſſione & præſumptionibus delinquentium conſtare poſſit. Unde videtur judex ſuam conſcientiam non lædere, ſi procedat ſecundùm illam certitudinem, quam habere de cauſâ efficiente in ſingulis delictis poſſibile eſt. Verùm hæc ratio potius contrarium probat, nim. Judicem non debere ad ordinariam pœnam facilè progredi alterius partis confeſſione deficiente. Si enim judicis eſt procedere, ſecundum eam certitudinem, quam habere de cauſâ efficiente in ſingulis delictis poteſt, non debet in unius confeſſione ſubſiſtere: ſemper namq; certior fieri adhuc poteſt alterius confeſſione, quemadmodum dubius hujus negatione.* Quâ de cauſâ rectè Ddres in

Ele-

Electoratu Saxoniæ, confeſſionem unius partis ad condemnationem non ſufficere in crimine adulterii, niſi alterius partis confeſſio concurrat, ſtatuunt. *Nam cùm confeſſiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non debeant, ſi nulla probatio religionem cognoſcentis inſtruat. l. 1. §. Divus 17. ff. de Quæſtionib. nihil autem ſit, quod præter præſumptiones judicem magis confirmare poſſit, quàm confeſſio utriusq; delinquentis negligi non debet; ſed quemadmodum in aliis delictis in corpus delicti inquiritur; ita in hoc confeſſionem adhibeat alterius partis, niſi confeſſioni Rei tàm claræ accedant præſumptiones, quæ indubium reddant judicem. Cujus rei fundamenta in materiâ præſumptionum tradenda ſunt. Idq; hodiè eò magis obſervandum, quò gravior apud nos eſt adulteriorum pœna.*

3. Deficientibus certiſſimis præſumptionibus & alterâ parte ſolent Ddres, ſi de illâ conſequendâ deſperetur parti confeſſæ loco gladii pœnam fuſtigationis vel relegationis dictare.

ARTIC. II.

DE ADULTERIO CULPOSO ET CASUALI.

1. Adulteria culpoſa & caſualia oriuntur potiſſimùm ex ignorantiâ circumſtantiarum quâ quis ductus adulterium committit. *Si enim hæc ignorantia eſt vincibilis, adulterium fit culpoſum; ſi invincibilis, caſuale.*

2. Adulterium caſuale quà tale ulteriorem pœnam quàm ſcortationis vel ſtupri non meretur: quamvis non errent Ddres pœnam relegationis loco carceris qui ſcortatoribus & ſtupratoribus dictari ſolet, decernentes. *Nam in pœnâ infligendâ non id, cujus quis cauſſa per accidens, ſed cujus cauſſa per ſe eſt inſpici debet: cauſa quippe per accidens in rei veritate non eſt cauſſa. Interim quia in ejusmodi caſum delinquens ſeipſum præcipitavit animo aliud delictum ex eodem vitio proveniens committendi, habitâ ratione ſcandali, quod publicè præbet, non injuriâ relegatur. Quemadmodum etiam ſi diuturno carcere detentus jam ſatis punitus videtur, ab ulteriori quidem pœnâ liberatur, ſed migrare & in alium locum ſe conferre jubetur. Intereſt namq; Reipubl. adulterum impunè peccantem à vulgo non conſpici, ne inde anſam arripiat, ſimulando ignorantiam, adulteriis ſeſe commaculandi. Flagitia namq; impunita facilè reperiunt auctores.*

3. Videtur autem difficile adulterium caſuale à culpoſo diſcernere. *Nam plerumq; ejusmodi adulteria committuntur ex ignorantiâ circumſtantiæ circa quid ſeu objecti, quæ præ cæteris invincibilis eſſe poteſt, quia verſatur in re ſingulari extra agentem poſita.*

4. Si tamen appareat quædam ſupina & craſſa ignorantia non dubito, quin pœna exaſperanda ſit. *v. g. nunciatur mulieri maritum ipſius mortuum eſſe, ea, non inſtitutâ ulteriori inquiſitione per concupiſcentiam ſuam credula reddita, admittit juvenem: non dubitandum eſt, ſeverius eſſe animadvertendum. Interdum ejusmodi ſupina ignorantia eum, qui hanc allegat, adeò ſuſpectum reddere poteſt, ut torturæ ſubjiciatur. Quâ de re in materiâ de proceſſu dicetur.*

5. Culpoſum adulterium committere videtur uxor denegans marito debitum conjugale. *Nam hoc ipſo, quod id facit, ſciens mariti concupiſcentiam, diſponit eum, ut fiat adulter, & ita cauſſa cauſſæ ſeu cauſſa remota exiſtit. Peccatq; hæc eò magis quò magis maritus proteſtatur ſuam incontinentiam fatendo. Par eſt ratio in marito recuſante debitum. Hinc Auguſtinus:* ſi tu abſtines ſine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam & peccatum illius tuæ imputabitur abſtinentiæ. *Par eſt ratio in conjuge diu & præter neceſſitatem abſente.*

ARTIC. III.
DE
ADVLTERIIS QVÆ VIDENTVR POTIVS EX IMBECILLITATE ET INCONTINENTIA QVADAM QVAM EX INTEMPERANTIA COMMISSA ET IN SPECIE DE EO QVOD COMMITTIT, CVI CONJVX DENEGAT DEBITVM CONJVGALE.

1. *Nonnullas ſpecies adulteriorum ex imbecillitate quâdam magis, quàm vitio commiſſorum incidenter in præcedd. diſcurſibus attigimus. v. g. ſi adulter habeat conjugem impotentem, ob cujus impotentiam matrimonium non eſt nullum; qualis eſt impotentia poſt nuptias ſuperveniens. Quapropter de reliquis, quæ ſupereſſe videntur, nonnulla hîc dicturi ſumus.*

2. Eſt autem impotenti conjugi ſimilis ea, quæ denegat debitum conjugale; niſi quòd impotens non æquè ſit culpa adulterii: unde eo caſu quo gladii pœna locum habet, fuſtigationem Ddres dictare ſolent. *Nam principium violatæ conjugalis amicitiæ magis mulier eſt quàm maritus adulter; ipſe verò peccat, quòd concupiſcentiæ reſiſtere nequeat, magisq; incontinens quàm intemperans eſt. Unde non dubito, quin pœna fuſtigationis in marito mitigari poſſit, ſi vel leves aliæ accedant circumſtantiæ.*

3. Sed ſi marito debitum conjugale non præſtante mulier adulterium commiſerit, quæri poteſt de pœnâ adulteri. *Videtur enim*

enim propterea ſoluto gladii pœna inferri, quòd tam graviter lædat maritum in familiam ejus clanculum transferendo liberos: id quod hoc in caſu eò magis eſt injuſtum, quò magis fit contra voluntatem mariti à procreandis liberis, abſtinentis. Nec hic adulter poteſt comparari ei, qui cum muliere virum impotentem habente concumbit: quia hic ſuos liberos non transfert clanculum in familiam alterius, utpote cùm de mariti impotentiâ conſtet.

ARTIC. IV.

DE ADVLTERIO QVOD COMMITTIT CONJVX ALTERO CONJVGE DIV ABSENTE.

1. Diuturna alicujus conjugum abſentiâ vel oritur ex cauſsâ neceſſariâ vel ex non neceſſariâ. Cujus ratio in pronunciando videtur habenda. *Nam quæ pars ſine neceſſitate diutius abeſt cauſſa remota adulterii exiſtit, adeoq; ſibi imputare debet, ſi lædatur à conjuge. Amicitia enim conjugum quotidianâ converſatione ſuſtentari vult. Quâ de cauſsâ pars, quæ ſine neceſſitate diutius abeſt, videtur adulterii, quod ab alterâ committitur, quodammodo cauſſa.*

2. Vtraque abſentia iterum vel eſt diuturna vel non; diuturna abſentia cum ſilentio, ut pars, quæ domi eſt, ignoret ubinam locorum conjux ſit, valde mitigat adulterii pœnam: ſolentque Ddi es relegationem perpetuam dictare. *Nam abſentium amicitia fovetur mutuo per literas alloquio: quâ de cauſsâ ſi conjux præter neceſſitatem diu abſit nullis datis literis, præſumitur quædam voluntaria & doloſa deſertio aut huic quid ſimile. Nam amicum negligere ſpecies quædam diſſolutionis amicitiæ eſt. Itaq; ſi conjux conjuge hoc modo abſente rem habeat, nec violat æq; conjugalem amicitiam nec æq; intemperans eſt, ac ſi præſens ſit, vel ex neceſſitate abſens & literis amicitiam foveat.*

3. Neceſſaria abſentia vel honeſta eſt vel minus honeſta, Honeſtam abſentiam voco, quando maritus Reipubl. cauſsâ abeſt quę uxorem ab ordinariâ pœnâ adulterii non excuſat. *Ita enim Imperator Nov.117.cap.11.ait.* jubemus, quantoscunque annos in expeditione manſerint, ſuſtinere eorum uxores, licet nec literas nec reſponſum aliquod à ſuis maritis acceperint. *Nam licet mulier hoc caſu magis ex imbecillitate & incontinentiâ, quàm intemperantiâ, videatur peccare: eſt tamen hæc tanta, quæ vitio æquiparari poſſit. Omnis enim honeſta fœmina ſe preparare debet ad reſiſtendum ejusmodi concupiſcentiæ ad exiguum aliquod tempus, & niſi hoc faciat, vitioſæ ſimilis meritò reputatur.*

4. Alia

4. Alia porrò abſentia contingit alterâ parte volente, alia alterâ parte invitâ. Quæ diſtinctio, uti patet, in irrogandis pœnis itidem quandoque attendenda eſt.

ARTIC. V.

DE

COMMITTENTE ADVLTERIVM CVJVS CONJVX FVRORE VEL ALIO MODO CONTAGIOSO ET INCVRABILI LABORAT.

1. Videtur conjux in perpetuum furorem correpta aut morbo incurabili & contagioſo affecta ſimilis ei, quæ poſt nuptias impotens reddita eſt. Quapropter in adultero talem conjugem habente pœnam valdè mitigandam puto. *Nam nemo negare poteſt ejusmodi hominem heroicâ quâdam indigere temperantiâ & tali, quali opus habent qui votum caſtitatis præbent Deo. Unde ſequitur illorum incontinentiam & imbecillitatem, non tali pœnâ coercendam, quâ vitioſos & flagitioſos punimus, qualis eſt fuſtigatio: niſi aliæ concurrant circumſtantiæ, quæ indicent hominē vitioſum, v. g. ſi pluribus ſeſe ſociaverit.*

ARTIC. VI.

DE

ADVLTERIIS EORVM QVI BLANDIMENTIS MVLIERVM CONJVGATARVM LASCIVIS ILLICIVNTVR.

1. Qui perſvaſionibns laſcivis mulierum alliciuntur meritò leviori pœnâ afficiuntur, præſertim ſi ſint minorennes. *Nam hos ex imbecillitate & incontinentiâ peccare ſatis manifeſtum eſt.*

2. Eſt autem pœna eò magis mitiganda, quò inſidioſior & laſcivior fuit mulier, quoque minus adverſus ejus inſidias ſe præparare & munire juvenis potuit. *Nam lib. 1. huj. part. cap. 5. membr. 3. art. 1. n. 22. & 23. demonſtravimus, eos, qui vel ob vehementiam vel ob feſtinationem concupiſcentiæ & affectibus reſiſtere nequeunt, minus peccare. Hinc quò magis laſcivæ ſunt mulieris perſvaſiones, quoq; magis inopinatæ inſidiæ, eò mitior debet eſſe pœna. Quapropter talibus in caſibus ſoluto cum conjugatâ loco gladii relegationis pœnam dictare ſolent.*

ARTIC. VII.

DE

ADVLTERIIS MINORENNIVM.

1. Sola minorennium ætas adulterii pœnam non mitigat. *Nam*

Nam licet hæc ætas variis affectibus ſit ſubjecta, quorum vehementiâ & feſtinatione facilè ſuperari poteſt: ſi tamen adoleſcens non illectus perſuaſionibus impudicæ mulieris (quo caſu per præced. artic. pœna mitiganda eſt) ſed aliàs ſuâ concupiſcentiâ ductus adulterium commiſerit, manifeſtum in eo eſt vitium intemperantiæ, cujus pœnæ meritò ſubjicitur.

ARTIC. VIII.
DE ADULTERIIS SENUM.

1. Senes à pœnâ adulterii non excuſantur ætate & eò minus, quò turpius eſt ipſorum flagitium. *Nam cùm in ſenibus calor incitans juvenes ad peccandum & vehementiam affectibus addens non ſit, patet, eos ex mero vitio intemperantiæ & non ſuperatos nimiis affectibus peccare. Hinc etiam fit, quòd amores ſeniles ſint fœdiores:*

Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.

Quis ergò affirmabit ſeni parcendum? niſi fortaſſe delirus ſit dementiâ adductus, quo caſu ut demens tractandus venit.

ARTIC. IX.
DE ADULTERIO ATTENTATO.

1. Conatum in adulterio mitius puniendum eſſe, vult Conſtitutio Carol. *artic.* 178. & quidem in adulterio cum conjugatâ, etiamſi propemodum ad actum ultimum perventum ſit, mitiganda pœna videtur. *v. g. ſi delinquens palpitaverit in circuitu, ut loquitur Gloſſa, & opus perficere non potuerit, ordinaria pœna non videtur infligenda. Nam licet, quantum in delinquente fuit, actus ſit conſummatus, qui ſufficiens eſt ad indicandum vitium hominis; quia tamen pœna ordinaria adulterio cũ conjugatâ commiſſo propterea conſtituta eſt à LLatorib⁹, quòd adulteri ſuâ intemperantiâ adulterinos partus in familias alienas transferant & omnibus illius familiæ poſteris aliquam parent maculam; hoc autem in attentato adulterio ceſſet: videtur meritò pœna mitiganda. Solent JCti Ddres pro ratione circumſtantiarum vel fuſtigationis vel relegationis pœnam dictare.*

2. Si conjugatus cum ſolutâ ita attentaverit adulterium, hoc in ipſo mitigat pœnam, quòd dubitari poſſit, annon conſcientiâ appetitum refrenante metumque incutiente, quo ſpiritus impediuntur facere ſuum officium, conſummare opus non potuerit. *Quo caſu videtur homo non vitioſius ſed integri adhuc judicii fuiſſe. Aliàs ſi*

reſpectus eſſet habendus violati thori, jam eq; videtur illa facta, ſive adulterium plenè conſummatum ſit, ſive non.

3. Pertinet etiam hoc ad conatum, ſi mulier exiſtimans ſuum maritum adhuc vivere, qui tamen reverà mortuus eſt, alium admittit. *Nam quantum in ſe eſt perpetravit adulterium, ex accidenti non. Et quia per ſe eſt adulterium ex accidenti tamen in rei veritate ſtuprum, ſolent Ddres pœnam ſtupri dictare, nim. carcerem. Ratio petenda eſt ex iis quæ ſuperius dixi, Rempubl. eſſe inſtar hominis non adhibentis medicinam pro tollendâ morbi cauſâ, ſi ex morbo nullas ſentiat moleſtias, aliis accidentibus operationes cauſſæ morbi effectricis impedientibus.*

ARTIC. X.
DE
CAUSSIS PARIENTIBVS REMISSIONEM POENÆ ADVLTERIIS PERFECTE MALITIOSIS.

1. *Tradidimus ſuprà contingere nonnunquam, ut ordinariæ pœnæ mitigandæ ſint, delictis perfectè commiſſis; idq; fieri quatuor potiſſimum ob cauſſas. cap. I. huj. libr. membr. 4. Quæ quomodo adulteriis applicari debeant videndum eſt.*

2. Et primò quidem ſi adulter diu in carcere fuerit detentus, nec ipſe hujus diuturni carceris cauſa fuerit, videtur, quemadmodum in cæteris delictis, ita etiam in hoc ordinaria pœna mitiganda.

3. Secunda circumſtantia eſt, ſi pœna pertingat ad alios innocentes ſatis graviter aliàs ex delicto læſos. Et hinc nata eſt mitigatio pœnæ ob remiſſionem à conjuge factam. *De quâ peculiari articulo dicturi ſumus.*

4. Tertia circumſtantia eſt dignitas. Quod autem monuimus *cit. c. I. membr.* 4. Interpretes juris dignitatis rationem non habere, ſi nullam diſtinctionem LLatores fecerint, id contingit quoque circa hoc delictum. *Eſt namq; pœna gladii ſine diſcrimine adulteris dictata l. quamvis 30. C. ad L. Jul. de adulter Nov. 134. c. 10. quam pœnam conſtitutio Carol. approbat. Quapropter nec nobilium nec clericorum dignitas à pœnâ ordinariâ excuſat: neq; enim, quod clericos concernit, in noſtrâ eccleſiâ jus canonicum obſervamus.*

5. Quarta circumſtantia eſt, ſi delinquens ſingularem artem calleat, quâ Reipubl. peculiarem utilitatem præbere poſſit. De quâ non dubito in hoc delicto liberum eſſe magiſtratui ſupremo remiſſionem facere, magis quàm in homicidio.

ARTIC.

ARTIC. XI.

DE REMISSIONE A CONJVGE FACTA.

1. Remiſſio conjugum meritò liberationem ab ordinariâ pœnâ facit. *Nam demonſtravimus cap. 1. membr. 4. huj. libr. pœnas ita infligi debere, ne magis ad læſos ex delicto, quàm ad delinquentes pertingant.*

2. Fundata eſt & remiſſio in jure civili. *Nam Nov. 134. c. 10. Imperator liberum relinquit marito uxorem intra biennium ex monaſterio repetere, quam Novellam confirmat Conſtitutio Carol. art.* 110.

3. In Electoratu Saxoniæ, ſi conjux pro conjuge intercedat ſtatuitur in partem nocentem relegatio, ita ut altera pars eam comitari teneatur. *part. 4. Conſtit. 19. §.* dietweil. *Nam ſi petitis conjugis non deferatur, præter malum quod ex adulterio perpeſſa eſt, majori affligitur, ſi privetur conjuge. Nec tamen & in Republ. tolerari poteſt, ut adulter impunitus in oculis hominum verſans aliis ſcandalum præbeat: ideoq́ nullum aliud medium eligi potuit effugiendi utrumq́ malum, quàm hoc, ſi delinquens jubeatur ire in exilium. Sed nonne fit injuria parti nocenti quæ interceſſit, dum jubetur unà ire? Reſpondetur, hanc conqueri non poſſe, dū libera ipſi relinquitur voluntas intercedendi vel non. Deinde nec hæc relegatur, ſed jubetur tantùm domicilium habere, ubi pars delinquens habet. Neq́ enim pars pro quâ intercedit tolerari poteſt, & ſi nolit eidem cohabitare, indicat parum incommodi ſibi ex pœnâ ordinariâ inferri. Quid enim intereſt an maritus ſit in exilio & perpetuò abſens an è medio plane ſublatus? Hinc colligimus remiſſionis, qualis in Electoratu Saxon. eſſe debet, definitionem:* quòd nimirum ſit declaratio voluntatis injuriam illatam conjugi delinquenti condonandi & ulterius cohabitandi.

4. In foro civili videtur remiſſio tantùm procedere, ſi uxor, non ſi maritꝰ delinquit: nec etiam in jam condemnatâ uxore locum habere, niſi maritus patiatur, eam prius in carcere virgis cædi. *Nam Imperator Nov. 134. c. 10. jubet mulierē virgis cædi & in monaſterium detrudi, quo facto liberum marito relinquit eam recipere. Sed fortaſſe rectè ab hujus obſervantiâ recedunt practici & non modò marito, ſed etiam uxori intercedendi poteſtatē tribuunt: nulla enim ratio naturalis admittit, ut marito relinquatur liberum intercedere, uxori non item: cùm fragilitas ſexûs contrarium ſvadeat. Gravius namq́ eſt mulierem privari marito quàm virum uxore: quia ſexûs imbecillitas deſiderat aliquod caput & defenſorem. Ex quo autem jure aliquid cum ratione pugnans emergit, ab eodem non immeritò receditur.*

5. Por-

5. *Porro quia definivimus remiſſionem declarationem voluntatis; contingit autem voluntatem declarari vel expreſſè, verbis nim. vel tacitè ſeu factis ex quibus velut ſignis colligitur: hinc & remiſſio alia erit tacita alia expreſſa.*

6. Tacita ſeu præſumpta remiſſio eſt, quando altera pars partem nocentem ſciens iterum admittit ad copulam carnalem. *Nam qui omne id facit quod aliquis ſe facturum promittens ſatis ſufficienter voluntatem verbis declaraſſe dicitur; is facto illo eq; voluntatem declarat, & multo magis, quia jam facit quod alter ſe facturum promittit.*

7. Præſumunt etiam Ddres remiſſionem conjuge mortuâ: & propterea tantummodo relegationis pœnam adultero poſt mortem conjugis condemnato dictitant. *Nam de conjuge, quæ fide in Chriſtum moritur, alia mens præſumi non poteſt, quàm, ſi circa articulum mortis ſciviſſet delictum commiſſum, ita remiſſionem conjugi facturam fuiſſe.*

8. Poſſumus etiam remiſſionem dividere in ſimplicem & conditionatam. *Nam nonnunquam ſub certis conditionibus remiſſionem faciunt v.g. quòd nolint comitari in exilium partem nocentem, vel ita, ſi redimi relegatio poſſit.* Quo caſu quæſtio ſuboriri poteſt, quid pronunciandum? *Reum ordinariæ pœnæ ſubjicere durum eſt, admittere, ut relegatio redimatur eſt contra conſtitutionem Electoralem & rationem illius: ita enim reus ſcandalo eſſet hominibus videntibus eum impunè peccaſſe. Prudentiſſimum ergò Scabinorum Lipſenſium eſt decretum, Remiſſionem tali in caſu pro purâ & ſimplici habendam, & non obſtante conditione adjectâ, partem intercedentem comitari alteram in exilium euntem debere.*

9. *Hiſce ita circa naturam & ſpecies remiſſionis traditis videndum porrò eſt, in quibus adulteriis qualemq; effectum habeat.* Et quidem in Electoratu Saxoniæ remiſſionis aliquis effectus eſt in adulterio ſimplici quod vel conjugatus cum ſolutâ vel ſolutus cum conjugatâ committit, non in duplicato. *Cauſſa nulla alia reddi poteſt, quàm quod Electori duplicatum adulterium nimis grave viſum fuerit. Quamvis non diffiteri poſſimus etiam nimis grave eſſe, duos homines cohabitare conjugibus volentes in luctu ob amiſſionem conjugum relinqui. Jure autem civili non videtur obſtare, quò minus remiſſio etiam in duplicato adulterio procedat: nuſpiam enim huic remiſſioni vim ademptam in jure civili legimus.*

10. Hinc quæſtio ſuboritur, an etiam remiſſio nullam vim habeat in adulteriis minus perfectis duplicatis. *v. g. ſi maritus cum aliquâ uxore deſertâ vel cum eâ quæ vel ipſa vel cujus maritus adulterium perpetravit, rem habuit. Solent autem hoc in paſſu Ddres conjugi-*

um

um diſſolvendum pro diſſoluto habere, & remiſſioni locum dare. Ratio eſt, quia matrimonium diſſolvendum non poteſt dici violatum.

11. Notandum autem hîc eſt, poſſe ſuperiorem judicem etiam in duplicato adulterio, ſi concurrant circumſtantiæ aliæ v. g. ſi perſona punienda quàmplurimos habeat liberos & conjugem perpetuâ adversâ valetudine laborantem intercedentes, ex ſingulari gratiâ remiſſioni locum dare. *Nam ſuperius diximus, pœnam criminalem eſſe quandam medicinam, eumq́, penes quem ſunt jura Majeſtatis, inſtar boni Medici procedere debere, qui non ſolet medicamenta applicare, ſi ſublato morbo in alterâ parte corporis plus mali alteri irrogetur.*

12. Effectus autem remiſſionis ad alteram partem ſe non extendit. *v. g. ſi juvenis cum Sempronii uxore rem habuerit, & à Sempronio huic remiſſio ſit facta, nullum hujus fructum quoad mitigationem pœnæ juvenis ſentit. Nam hac remiſſione non tollitur malum, quod per juvenem illatum eſt, præſertim cùm pars intercedens partem peccantem in exilium comitari teneatur.*

MEMBR. XXII.
DE POLYGAMIA.

1. Polygamia eſt adulterium cum illuſione publicâ conjugii, dum durante priori novum initur, perpetratum. *Omnis namq́, polygamus fit adulter, dum aliam conjugem priori addit. Ordinat. Carol. artic. 121. verb.* welche Ubelthat dan auch ein Ehebruch *&c. Et proinde gravius peccatum eſt quam adulterium. Nam illuditur unâ benedictioni divinæ.*

2. Hic quærunt Ddres, quomodo polygamia tam fœdum crimen ſit, cùm tamen homines præ cæteris Deo grati in Veteri Teſtamento deprehendantur plures duxiſſe uxores, Deo permittente, *Deut. 21. v. 15. 2. Samuel. 12. v. 8. Pertinet quidem hæc quæſtio ad Theologos & hujus loci non eſt: quia tamen video, Maximum illum Chemnitium, quem meritò alterum Lutherum vocare poſſumus, part. 2. Exam. Concilii Trident. liberum hac in re nobis reliquiſſe judicium, quando ait:* Quod de patribus quibusdam V. T. leguntur exempla polygamiæ, tribuatur ſanè illud vel diſpenſationi Dei, ſicut Auguſtinus diſputat de bono conjugali, propter ſemen benedictum, quod ex illâ gente naſci debebat; vel propter ſignificationem futuræ conjunctionis Judæorum & gentium in Eccleſiâ Chriſti; vel tribuatur tolerantiæ Dei. Neque enim omnibus vitiis liberi fuêre patres, & mul-

& multa in ſanctis ſuis tolerat. *Audeo eam hic proferre ſententiam, quæ videtur neutram earum quas modò ex Chemnitio narravimus improbare, ſed potius inter ſe componere & conciliare. Idq; facio propterea, ut Lector videat, quantum proſit ſcientificè & omnia per ſuas cauſſas ſpeculando progredi. Sumo verò rurſus, delicta carnis gigni ex vitio intemperantiæ, hoc autem conſiſtere in concupiſcentiâ voluptatum ex cibo potu & re venereâ. Itaq; vitioſum eſt & peccatis annumerandum quicquid fit ex concupiſcentiâ voluptatum in re venereâ, cibo, potuq; vel nimiâ vel talium, qui naturæ non congrue ſunt. v. g. ſit ille per intemperantiam horrendus, quæ relictis carnibus bovinis & aliis, quibus communiter veſcuntur homines, delectatur eſu glirium, murium, felium. At propterea non dicendum eſt, omnes eos, qui veſcuntur muribus intemperantes eſſe & vitioſos: laudamus quippe ſtrennos milites in defendendis urbibus munitis & caſtellis, qui ſuum corpus ejusmodi carnibus ſuſtentare malunt, quàm obſidenti hoſti ſeſe dedere. Scil. omnis vitioſa actio æſtimatur ab intentione operantis, & propterea inquit Ariſtoteles, ſæpè contingere, ut homines edant actiones quas vitioſi edere ſolent non tamen vitioſas. Polygamia, quæ tanquam vitioſa rejicitur, provenit ab intemperantiâ tali, quæ nihil aliud eſt, quàm concupiſcentia voluptatum, quæ percipiuntur ex varietate objectorum in re venereâ exercendâ, felicitatem & arctiſſimam amicitiam, quæ inter conjuges eſſe debebat, tollente. Quo ita poſito dico, patres & homines Deo acceptos in veteri teſtamento, ſi habuerint intentionem multiplicandi genus humanum & propagandi ſuam familiam innumeramq; relinquere poſteritatem, ſperantes fore ita, ut principes familiæ exiſtant, ex quâ Salvator naſciturus ſit, non poſſe eos intemperantes dici, nec ex vitio intemperantiæ polygamos. Et licet hoc ipſo aliquid arctiſſimæ amicitiæ, quam Deus ineſſe vult conjugali ſocietati (dum jubet duos eſſe in unâ carne) aliquid deceſſerit, quo ipſo vita patrum non congrua fuit voluntati divinæ; Id tamen Deum toleraſſe propter fidem ipſorum in Meſſiam & ſpem illam expectationemq; anxiam adventûs ipſius, dignitatemq; habendi eum natum ex ſuâ familiâ. Eſt hæc pia ſpeculatio, quam inſerere me juſſit quæſtio ardua, quo pacto polygamia tam fœdum crimen ſit, quòd mereatur ſupplicium ultimum, cùm tamen eadem à Deo in patribus V. T. non videatur reprehendi.*

3 Dicimus ergò polygamiam hodiè eſſe fœdiſſimum vitium & ultimo ſupplicio dignum, non obſtante, quòd patres V. T. polygami fuerint. *Nam hodiè aucto ſatis & multiplicato genere humano & Meſſiâ ex B. Virgine Mariâ nato, nulla ſupereſt cauſſa plures ducendi uxores, quàm cupido voluptatum, quæ ex varietate in re venereâ percipiuntur, gignens obſtinatum animum reſiſtendi mandato divino & diſſol-*

diſſolvendi tollendiq; amicitiam conjugalem, quam Deus inter marem & fœminam arctiſſimam initio creationis inſtituit, in Novo Teſtam. renovavit. Matth. 19. Marc. 10. 1. Cor. 7. neq; enim perfectiſſima amicitia in plures diſpergi poteſt. Quâ de re parte ſeq. quando amicitiam contemplabimur tractaturi ſumus. Patet ergò polygamiam eſſe adulterium quoddam ex intemperantiâ fœdiori, quàm ex quâ communia adulteria oriuntur natum.

4. Pœna polygamiæ ad minimum eſſe debet eadem cum pœnâ adulterii, aut hac ſeverior. *Nam polygamia nihil aliud eſt, quàm adulterium cum diſſolutione prioris & novi conjugii initione commiſſum & hoc ipſo malitiam adulterii communis excedens, dum matrimonio, quod Chriſtianis ſanctum eſſe debet, illuditur. Hinc jubet Imperator Nov. 117. cap. 11. verſ. ſi autem. verb. & ipſe. polygamos velut adulteros punire. Confirmat etiam hoc Ordinat. Carol. artic. 121. verb.* Welche Ubelthat dan auch ein Ehebruch/ und gröſſer denn daſſelbige laſter iſt. *Quapropter etiam Ordinatio illa tam in maſculos quàm fœminas eandem quam in adulteros pœnam conſtituit, nimirum ut hoc crimen, quamvis jure civili non mortis ſupplicio, hôc tamen hodiè in Imperio puniatur. In Electoratu Saxon. autem p. 4. conſtit. 20. pr. expreſſè gladii pœna in omnes polygamos tam maſculos, quàm fœminas conſtituta eſt.*

PARS PRIMA
Hujus Membri
DE
SPECIEBUS POLYGAMIÆ.

1. Species polygamiæ tot ſunt, quot adulterii. *Nam demonſtratum modò eſt, Polygamiam adulterium quoddam eſſe. Quemadmodum ergò principales ſpecies adulterii ſunt, conjugati cum conjugatâ, ſoluti cum conjugatâ, conjugati cum ſolutâ: ita & in polygamiâ ſe res habet. Præter has autem ſpecies principales, ſunt & aliæ petitæ ab imperfectis matrimoniis.*

ARTIC. I.
DE
POLYGAMIA DUARUM CONJUGATARUM PERSONARUM.

1. Graviſſimè peccant duæ conjugatæ perſonæ ineuntes matrimonium. *Nam utraq; lædit duplex matrimonium proprium nim. & illius cum quâ matrimonium contrahit. Quapropter etiam indubiè gladii pœna utriq; dictari poteſt.*

ARTIC.

ARTIC. II.

DE
POLYGAMIA SOLUTI CUM CONJUGATA.

1. Solutus ducens conjugatam æquè ac hæc gladii pœnâ feriri debet. *Nam licet ſolutus polygamus dici nequeat, ad minimum tamen adulterium committit cum eâ muliere, quæ alteri conjugata eſt, in eo malitiâ excedens adulterum, quòd fœdo ſuo crimini adhibeat benedictionem ſacerdotalem.*

ARTIC. III.

DE
POLYGAMIA CONJUGATI CUM SOLUTA.

1. Si conjugatus ſolutam ducit, videtur ſoli conjugato pœna gladii ex Ordinat. Carol. infligi poſſe. *Nam cum bigamum gladio feriri Conſt. Carol. art. 121. jubet, qui quæve vivente conjuge alium vel aliam ſibi ſumit conjugem. Quapropter puella, quæ ſciens marito nubit, videtur adultera magis quàm bigama dicenda. Unde ei pœna adulterii communis, fuſtigationis nim. dictanda erit.*

ARTIC. VI.

DE
POLYGAMIA EJUS QUI IN MATRIMONIO DISSOLVENDO VIVIT.

1. Polygamus in matrimonio diſſolvendo vivens publicum præbet ſcandalum & propterea pœnâ vel relegationis vel carceris puniri ſolet. *Nam actu ſecundo adhuc in matrimonio eſt, donec reſcindatur, licet hoc actu primo nullum ſit.*

PARS SECUNDA
Hujus Membri
DE
MINUENTIBUS POENAM POLYGAMIÆ.

ARTIC. I.

DE
POLYGAMIA CASUALI.

1. Caſuale fit hoc delictum ob ignorantiam, perſonam, cum

quâ

quâ initur conjugium, conjugatam eſſe. *Nam ignorantia objecti, circa quod agendo verſamur, tanquam ejus, quod extra nos poſitum eſt, invincibilis præ cæteris ignorantiæ ſpeciebus exiſtit. Quæ facit non niſi caſualiter & per accidens peccari.*

2. Notum autem eſt ex ſuperioribus, & non videtur amplius monendum, caſualem polygamiam nullam mereri pœnam. *Nam reſpectu cujus delictum caſuale eſt, non niſi cauſſa per accidens mali exiſtit.*

ARTIC. II.
DE
POLYGAMIA CULPOSA.

1. Culpoſa polygamia committitur ab ignorantibus, qui ſuæ ignorantiæ ſibi cauſſa exiſtunt. *Nam dum ignorantia in iisdem eſt cauſſa polygamiæ, hi vero ignorantiæ illius ſibi cauſſa ſunt, non debitâ ratione inquirendo, cauſſa remota exiſtunt & culpoſam polygamiam committere dicuntur.*

2. Errant autem polygami, dum vel ſe ſolutos vel perſonam, cum quâ contrahunt matrimonium ſolutam arbitrantur. Error quo ſe ſolutos exiſtimant oritur ex abſentiâ conjugis. *v. g ſi vir diu in militiâ fuerit, & mulier ex nonnullis indiciis collegerit eum mortuum eſſe.*

3. Uterque error parit culpoſam polygamiam, ſi contrahens matrimonium non inquiſivit eâ diligentiâ, quâ poterat, in ea quæ ignorabat.

4. Punitur ejusmodi culpoſa polygamia arbitrariâ pœnâ, quæ augeri vel minui poteſt ratione graduum culpæ. *Nam quo quis magis eſt in culpâ, eò magis eſt delicti cauſſa.*

ARTIC. III.
DE
POLYGAMIA NON PERFECTA VEL NONDUM CONSUMMATA.

1. Imperfecta & nondum conſummata polygamia tribus contingere modis videtur: nim. interdum ſolus concubitus, interdum ſola benedictio ſacerdotalis, interdum utrumque deeſt. *Nam polygamia eſt adulterium mediante novo conjugio commiſſum: neceſſe ergò eſt eam imperfectam eſſe, ſi vel concubitus deſit: qui perficit adulterium; vel benedictio, quæ perficit hodiè matrimonium; vel utrumq; horum.*

2. Qui ſciens ſe conjugatum cum perſonâ celebrat ſponſalia & concumbit antequam benedictio accedat itidem ac polygamus gladio feriri jubetur. *p. 4. conſtit. Elect. 20.* §. wir wollen auch. *Eſt*

 enim

enim adulterum cum illuſione conjugii, quæ hic contingit, quando ſponſalia publica ſunt celebrata, licet benedictio non acceſſerit: etenim celebrans publica ſponſalia æq; apertè propemodum illudit conjugio, ac qui etiam benedictionem addit. Hinc deficientibus ſponſalibus publicis, ſolent Ddres delictum ex mente Electoris pro adulterio magis quàm polygamiâ habere, quia publica conjugii illuſio in ſponſalibus clandeſtinis ceſſat. Unde remiſſioni conjugis locum dant; quod non fit in verâ polygamiâ.

3. Polygamia benedictone ſacerdotali perfecta, concubitu tamen nondum conſummata ordinariâ gladii pœnâ non punitur ſed aliâ arbitrariâ & mitiori. *Nam polygamia eſt adulterium cum illuſione conjugii, & quia pœna hujus non multum excedit pœnam adulterii; colligitur, ſi deſit adulterium, quod fit, quando concubitus non acceſſit, mitiorem aliquam pœnam inferendam eſſe, relegationis nim. perpetuæ vel temporalis.*

4. Sin & concubitus & benedictio deſint & delinquentes in ſolis ſponſalibus ſubſtiterint, jubet eos Elector. p. 4. conſtit. 20. §. **do aber das Beyſchlaffen** &c. carcere vel relegatione temporali puniri. *Nam ut levius praecedd. delictis, ita & mitius puniri debet.*

ARTICUL. VI.

DE REMISSIONE A CONJUGE FACTA.

1. Nuſpiam legitur, bigamo prodeſſe debere remiſſionem conjugis, imò *p. 4. conſt. Elect.* 20. tacitè rejici videtur *verb.* **Ordnen und ſetzen / das dieſelbe Straffe wieder die verbrechere in dem laſter der zweyfachen Ehe unnachläſſig / in unſern landen** *exequi* **ret und vollenſtrecket werden ſoll** *&c. quibus verbis uſus quoq; eſt Elector in dictandâ pœnâ duplicato adulterio, itidem remiſſionem non admittente. p. 4. conſtit. 19. in fin. Idq; eſt conveniens rationi naturali. Qui enim ita publicè illuſit ſancto matrimonio non dignus eſt qui diutius in eodem vivat, conjuge vel maximè id deſiderante. Ipſam namq; matrimonii ſanctitatem ejusmodi homo violare auſus eſt.*

MEMBR. XXIII.

DE DELICTO EORUM QUI BINA SPONSALIA CONTRAHUNT.

1. *Potuiſſem quidem praced. membr. in fin. part. 1. articulo peculiari de hoc delicto diſſerere. Verùm, quia habet ſuas ſpecies gradusq; quibus pœna ordinaria augetur vel minuitur, nec videtur æq; ex intemperantiâ quàm ex levitate animi provenire, ſed planè diverſi generis eſſe à polygamiâ: conſultum magis putavi eidem peculiare membrum adſignare.*

2. De-

2. Delictum binorum ſponſaliorum non videtur ſuâ naturâ involvere aliquam intemperantiam, quemadmodum polygamia, ſed magis injuſtitiam. *Nam deſiderans aliam ſponſam præter eam, quam habet, non poteſt, quatenus ſponſus, dici hoc facere ex concupiſcentiâ exercendi libidinem cum variis objectis (novit enim ſe à priori ſponsâ non admiſſum iri) nec ſatiatus ex coitu cum ipsâ facere; ſed potius peccat, quemadmodum ii, qui pacta conventa non ſervant: ſunt enim ſponſalia quiddam contractibus ſimile, majorem tamen quàm cæteri contractus omnes fidem contrahentium exigentes, quia ſunt conventio, quâ mediante ea ſocietas initur, quam Deus & natura indiſſolubilem volunt.*

3. Quapropter non eſt dubitandum, quin pœna polygamis dicta in Conſtit. Carol. ad bina ſponſalia contrahentes non ſit extendenda. *Nam polygamia, quæ ex Conſtit. Carol. gladio punitur, eſt quoddam delictum, quod intemperantia cum injuſtitiâ conjuncta parit: at hoc, niſi circumſtantiæ quædam accedant intemperantiam arguentes, ex injuſtitiâ particulari magis oriri videtur: ut modò demonſtratum dedimus. Cùm ergò principium malitiæ idem non ſit in utroq; delicto, nec pœnam eandem debere eſſe colligi poteſt.*

4. Celebrantibus bina ſponſalia ex Edicto prætoris jure Romano infamia irrogatur *l. 1. §. ult. in fin. ff. de his qui not. infam.* cui in Electoratu Saxon. carcer aliave pœna arbitraria accedit. Churfürſtl. Sächſ. Kirchenordnung *tit.* von Eheſachen. *Nam quemadmodum qui fidem fallunt in contractibus præſertim iis, qui ex ſingulari amicitiâ ineuntur v. g. ſocietatis, depoſiti, infamiâ notari ſolent; ita & is qui in contractu concernente individuam & indiſſolubilem ſocietatem frangit fidem infamiâ notari, & cùm gravius adhuc peccet, majori etiam pœnâ affici debet.*

5. Cùm verò ſponſalia apud nos alia ſint publica alia clandeſtina; ordinaria gignitur pœna, ſi ſponſalia publica de præſenti bina celebrata ſint. *Nam mediantibus publicis ſponſalibus cenſetur apud nos indiſſolubilis illa ſocietas inita, ut civiliter ſubſiſtat, confirmanda benedictione. Clandeſtina autem ſponſalia apud nos hanc vim non habent, ut hiſce dici poſſit ſocietas conjugalis contracta: unde ſola publica obligatoria* verbündliche Ehegelöbniſſe *vocare ſolemus: cumq; clandeſtina apud nos obligatoria non habeantur, nec fidem fefelliſſe ab iis recedens dicendus eſt.*

PRIMA PARS
Hujus Membri
DE
AGGRAVANTIBUS POENAM BINORUM SPONSALIORUM.

1. Aggravant pœnam, ſi copula carnalis acceſſerit vel circa priùs vel circa poſteriùs deſponſatam vel circa utramque it. ſi poſteriora ſponſalia benedictione firmata ſint. it. Reiteratio. it. ſi poſteriora contra prohibitum facta ſint. *Nam cùm vitioſitas hujus delicti conſiſtat in levitate animi impellente hominem, ut injuſtus fiat non ſervando fidem, meritò ab iis petuntur gradus delicti, quæ injuſtum augent vel minuunt. Hæc autem, quibus aggravari hoc delictum diximus; nihil aliud ſunt, quàm injuſtum augentia, ut ex articulis ſeqq. patebit.*

ARTIC. I.
DE
EO QVI POSTERIORA SPONSALIA MEDIANTE BENEDICTIONE SACERDOTALI VEL ETIAM CONCUBITU PERFECIT.

1. Qui non modò bina ſponſalia contrahit, ſed etiam cum poſteriori rem habet longè gravius delinquit, quàm in ſponſalibus ſubſiſtens. *Nam quò minus injuſtum corrigi poteſt, eò majus eſt: at tale injuſtum minus corrigi poteſt, ſi poſterioribus ſponſalibus accedit concubitus, quàm ſi in nudis ſponſalibus delinquens ſubſiſtit. Ignominiam namq; quam ex ſponſalibus, quæ ſervari non poſſunt, poſterior patitur, quemadmodum & aliæ communes injuriæ, æſtimari & ita parti læſæ quodammodo ſatisfieri poteſt. At ſi etiam poſteriori ſponſæ pudicitia adimatur, cum quâ tamen matrimonium iniri nequit (eſt enim non modò abſurdum ſed & impoſſibile priorẽ contractum ob poſteriorem invalidum, quippe cum in ſocietate conjugali vivens aliam inire nequeat, ſupervenientem reſcindere & nullum pronunciare velle;) oritur injuſtum quod corrigi nequit; quia per ſubſequens matrimonium quod ademptum eſt reddi non poteſt; & aliâ ratione correctio injuſti non procedit, quia adempta pudicitia bonum ineſtimabile eſt. Quâ de cauſâ Elector Auguſtus prudenter infamiam bina ſponſalia celebrantibus irrogari ſolitam auxit, conſtituendo, ut delinquens in publico loco ad Numellam ſiſtatur & in perpetuum relegetur. Quare autem SRmus Elector eandem pœnam dictare etiã deſponſatæ poſteriori, quæ ſtuprum perpeſſa eſt, voluerit, cùm tamen ſtuprum perpeſſis aliàs parcatur, aut ad minimum mitior pœna dictetur, nullam aliam quàm hanc reperio cauſſam, quòd ejuſmodi fœminæ ſoleant proſtituendo pudicitiã hoc*

agere,

agere, ut injuſtum, quod patitur præcedens ſponſa eò minus corrigi poſſit, exiſtimantes eam hoc modo ſponſum recuperare non poſſe. Deinde videmus & in ſimplici ſtupro à SRmo Electore carcerem ſtupratæ æq; ac ſtupratori dictatam eſſe.

2. Quòd ſi poſteriora ſponſalia etiam benedictione firmentur, non dubitarem ejusmodi delinquentibus in Electoratu Saxon. fuſtigationem dictare. *Nam gravius peccatur, dum unà violatur cultus divinus & quaſi ludibrio habetur; præſertim cùm ex Ordinat. eccleſiaſt. tit.* von Eheſachen *rubr.* von der Straffe der Unzucht und des Ehebruchs *§.* würde aber. *videatur ſponſo vel ob ſolum ſtuprum cum aliâ fœminâ commiſſum fuſtigatio infligi poſſe.*

ARTIC. II.

DE CELEBRANTE ALIA SPONSALIA POSTQVAM CUM PRIORI SPONSA CONCUBUIT.

1. Sponſus, qui cùm ſponsâ concubuit, nova contrahens ſponſalia minus peccare videtur quàm is, qui cum poſteriore ſponsâ rem habuit. *Nam licet ob ſocietatem, quam conatur reſcindere, per coitum arctiorem redditam, magis injuſtus videatur; eſt tamen injuſtum tale quod facilius corrigi poteſt, ſatisfaciendo ſcil. poſteriori pro injuriâ & redeundo ad priorem. Hoc autem aggravare delictum videtur, quòd non modò ex injuſtitiâ, ſed etiam ex intemperantiâ committatur: videtur enim quaſi per coitum jam exſatiatus delinquens novas quærere libidines. Interim tamen nec ob hoc gravius puniri poteſt, poſito quòd intemperantiam hanc ſuam cum poſteriori ſponsâ nondum exercuerit. Hæc me movent, ut ſtatuam, talem ſponſum, non obſtante, quòd prior eum recipere nolit, mitius puniendum eſſe quàm eum, qui cum poſteriori rem habuit.*

2. Contrà ſponſa, quæ cum priori ſponſo concubuit & cum alio ſponſalia celebrat magis peccat, quàm quæ cum poſteriori. *Nam ſtudet in familiam poſterioris ſponſi transferre liberos alienos: at quæ cum poſteriori rem habet facit, ut injuſtum, quod prior ſponſus perpeſſus eſt, non facilè corrigi poſſit. quis enim ſponſus in gratiam recipiet eam quæ alteri ſeſe proſtituit? niſi fortè appareat fœminam cum poſteriori tunc coiviſſe, cum audiret, ſe cum priori in gratiam debere redire, illius vexandi cauſâ.*

ARTIC. III.

DE EO QVI CUM UTRAQVE SPONSA REM HABUIT.

1. Videtur ei, qui cum utrâque ſponsâ rem habuit, haud minor

minor quàm fuſtigationis pœna dictari poſſe, niſi velis dicere, ob matrimonium cum priori per benedictionem perficiendum eam mitigandam, ut relegatio tantùm imponatur. *Nam præter injuſtum, quod committitur, etiam perpetratur adulterium & peccatur ex intemperantiâ: ut non dubitem, talem hominem fuſtigationem mereri.*

ARTIC. IV.

DE EO QVI PLURA QVAM DUO CELEBRAVIT SPONSALIA.

1. Gravius delinquit & ſeverius puniendus eſt, qui plura quàm duo celebravit ſponſalia. *Cùm enim hoc delictum, quale ſit, ex injuſtitiâ æſtimetur: eò autem majus injuſtum oriatur, quò plures læduntur fœminæ: ſequitur & pœnam ordinariam ob hoc aggravandam eſſe, & quidem eò magis, quò plures aliæ circumſtantiæ accedunt v. g. copula carnalis vel in omnibus vel in plerisq;.*

ARTIC. V.

DE EO QVI CONTRA PROHIBITUM BINA SPONSALIA CELEBRAT.

1. Qui ad inſtantiam prioris ſponſæ à magiſtratu prohibitus nova celebrat, hoc ipſo delictum aggravat. *Nam quò magis invitus quis patitur & quò magis contra jus, eò majus eſt injuſtum: at mulier implorans magiſtratum magis invita patitur, & magis contra jus, dum non tantùm univerſalis lex in ſuâ univerſalitate relicta, ſed à magiſtratu applicata eam lædi prohibet. Suprà n. lib. 1. cap. 5. membr. 1. artic. 12. diximus, injuſtitiæ gradus à jure, contra quod peccatur, petendos eſſe.*

PARS SECUNDA
Hujus Membri

DE MINUENTIBUS POENAM EJUS QVI BINA SPONSALIA CELEBRAVIT.

ARTIC. I.

DE EO QVI IGNORANS CUM PERSONA DESPONSATA SPONSALIA CELEBRAT.

1. Conſtitutio Electoralis agens de binis ſponſalibus excipit eos ab ordinariâ pœnâ, qui ignorantes cum deſponſatâ perſonâ celebrant ſponſalia, woſern ſie vom erſten Verlöbnüß Wiſſenſchafft gehabt.

Nullus

Nullus enim homo qui ignorans delinquit, cauſſa efficiens proxima delicti dici poteſt, prout hoc ipſum cap. 3. huj. libr. demonſtratum dedimus.

2. Quapropter, perſona ignorans ab omni pœnâ eſt immunis, (modò ignorantia non ſit nimium ſupina) aut ſi rem habuit mitiſſimè punitur, vel planè eidem venia datur. *Nam ſatis jam punita eſt, quæ decepta ſponſalibus & pudicitiam amiſit & officium maternum facere tenetur in pariendo & infante educando.*

ARTIC. II.
DE
SPONSA QVÆ DESERTA A SUO SPONSO CELEBRAVIT NOVA SPONSALIA.

1. Videtur libera ab omni pœnâ mulier, quæ deſerta nova ſponſalia contraxit. *Nam ei, qui facit principium diſſolvendæ ſocietatis nihil injuſti infertur aut parum, ſi altera perſona ſe pro ſolutâ habeat: videturq; nullam aliam ob cauſſam puniri poſſe, quàm quòd non expectato magiſtratûs officio ſeipſam ſolutam declaravit, aut poſteriorem ſponſum velut ignorantem decepit.*

ARTIC. III.
DE
REMISSIONE QVAM SPONSUS SPONSÆ VEL SPONSA SPONSO FACIT.

1. Impetrat veniam delinquens nec ſiſtitur pro numellis nec relegatur, cui pars læſa delictum remittit & per benedictionem ſacerdotalem matrimonium perficere parata eſt. *Nam hoc in delicto eò magis remiſſio procedit, quò magis ex injuſtitia particulari, quàm ex alio quodam vitio peccatur. Solam itaq; infamiam poſteriora ſponſalia celebrantibus tali in caſu Ordinat. eccleſiaſtica in Electoratu Saxon. reſervat; aut ſi cum ſtupro conjuncta ſint, pœnam carceris dictitat.*

2. Eſt autem hoc in remiſſione præſentis delicti ſingulare, quòd etiam proſit alteri parti nocenti, cùm tamen regulariter in adulterio id non procedat. *Ratio eſt, quia in adulterio remiſſio veniam pœnæ meretur propterea, quòd denegatâ eâ, pars innocens majori malo afficiatur quàm per delictum ipſum affecta eſt: at delictum, de quo hic agimus in injuſtitiâ poſitum eſt: circa quod remiſſio facta arguit minus injuſtum. Ubi verò minus injuſtum eſt, ibi & pœna eſt mitiganda. Hinc ſi prior ſponſa remiſſionem faciat, poſterior quæ cum ſponſo rem habuit non pro numellis exhibetur & relegatur, ſed ſolent Ddres eidem carcerem ad 14. dies dictare.*

3. Efficit porrò remiſſio, ut licet poſteriora ſponſalia benedictione ſacerdotali conſummata ſint & liberi procreati fuerint, cogatur

cogatur perſona, derelictâ poſteriore conjuge ad eam, cum quâ priora ſponſalia publica & de præſenti celebravit, redire. *Nam nullus magiſtratus poteſt poſteriora ſponſalia juſta pronunciare; quia nulli in conjugali ſocietate viventi concedi poteſt aliam quærere uxorem: ſed ſi quis hoc facit, in perpetuo vivit adulterio, & liberi procreati ſpurii ſunt.*

MEMBR. XXIV.
DE
DESERTIONE MALITIOSA.

1. Delictum deſertionis malitioſæ ex injuſtitiâ proficiſcitur particulari, in quam quis incidit vel ex levitate animi, vel ſuperveniente odio, vel tædio ferendi onera matrimonialia. *Nam vi ſocietatis conjugalis initæ obligatur conjux conjugi ad cohabitationem: neutra enim pars ſine alterâ præſente & concurrente in laboribus domeſticis, procreatione & educatione liberorum, officium perficere poteſt. Quapropter ſi conjux ſine cauſâ juſtâ abſit & contumaciter cohabitationem deneget, injuriam alteri facit, & peccat propriè ex injuſtitiâ particulari: huic enim vitio annumerandum quicquid ab altero alteri præſtandum denegatur: inæquale enim eſt alterâ parte ſubeunte conjugium ab alterâ non conſequi quod propterea debetur.*

2. Deſertor malitioſus nemo dici poteſt, niſi longo tempore ſine probabili cauſsâ abfuerit & citatus non comparuerit. *Nam deſertor malitioſus eſt ſimilis debitori moroſo, qui id, ad quod obligatus eſt, præſtare non vult, conſiſtitq́; ejus vitium in ſpecie quâdam injuſtitiæ particularis, quæ contumacia vocatur; (De quâ inferius dicendi locus eſt) eſtq́; nihil aliud quàm propoſitum non præſtandi ad quod quis obligatus eſt. Ejuſmodi autem propoſitum colligitur ex temporis diuturnitate & interpellatione. Quapropter, ut quis pro malitioſo deſertore haberi poſſit, ſolent Ddres tempus abſentiæ tantum requirere, quantum ſufficiens videtur ad arguendum, conjugem propterea abeſſe, quòd nolit cohabitare amplius cum conjuge domi relictâ, & ad hoc triennium, quadriennium, quinquennium ſufficere putant, prout prudentia judicis habitâ ratione circumſtantiarum petendarum ab iis, quæ abſens conjux, antequam abiit fecit, quomodo vixerit, conjugemq́; tractaverit, definit. Hinc, ut conſtet de abſentis contumaciâ, citatio facienda eſt, quò abſens compareat & legitima impedimenta alleget, quæ ſi allegare nequit, aut ad ea proponenda non comparet, pro malitioſo deſertore haberi poteſt. De quibus uberius dicendum eſt in materiâ de proceſſu judiciario.*

3. Pœna malitioſæ deſertionis in Electoratu Saxoniæ eſt fuſtigatio. *Ordinat. Eccleſiaſt. ſub tit.* von den Ehegatten/ ſo einander böſlich verlaſſen. *Hanc tam ſeveram pœnam Auguſtus Elector propterea ſtatu-*

ſtatuit, quòd deſertor malitioſus contumaciter diſſolvat ſocietatem, quam Deus indiſſolubilem tam ſeverè vult. Mitigatur tamen pœna ordinaria in carceris pœnam, ſi pars deſerens & deſerta redeant in gratiam.

MEMBR. XXV.

DE INCESTU.

1. Sequitur, ut de inceſtu & ſodomiâ dicamus, quæ duo delicta matrem habent vitium intemperantiæ, & graviſſima omnium criminum ſunt, quæ circa rem veneream committi poſſunt, maximèque horrenda. *Notandum enim eſt, quod ſuprà ex ſcientiâ morum docuimus, intemperantiæ vitium conſiſtere in concupiſcentiâ voluptatum, quæ percipiuntur ex tactu in cibo, potu & re venereâ, & dupliciter peccare*: vel enim intemperans concupiſcit voluptates ex objectis naturaliter voluptatem gignentibus, vel ex iis, quæ non naturaliter jucunda ſunt. *Nam natura jucunditate & nauſeâ voluit non modò hominem, ſed & omnia animalia ducere ad appetenda objecta cuiq; congruentia. Hinc fit, quòd alia animalia jucunditatem percipiant ex veſcendis carnibus aliæ abhorreant.* Circa objecta naturalia peccat intemperans ſupra modum concupiſcendo voluptates ex iisdem: unde oritur prima ſpecies intemperantiæ gignens delicta circa rem veneream, de quibus hactenus diſſeruimus. Altera intemperantiæ ſpecies conſiſtit in concupiſcentiâ objectorum naturaliter non jucunditatem ſed horrorem gignentium, quæ horrendum vitium eſt. *Nam homines, quod cibum concernit, appetunt quidem carnes & ex eſu harum, non tamen omnium, voluptatem percipiunt. Abhorrent enim non modò communiter homines à carnibus glirium, murium, canum; ſed & ducuntur horrore, ſi alios ejusmodi carnibus veſci conſpiciant. Quapropter horrendi & abominandi ſunt qui in concupiſcentiâ voluptatum eò delabuntur, ut jucunditatem objectorum naturalium non amplius ſectantes quærent voluptatem ex objectis non naturalibus.* Sunt ergò quemadmodum in cibo & potu, ita & in re venereâ objecta alia naturaliter jucunditatem parientia alia horrorem quendam. Hic autem horror oritur 1. ex identitate. *Uti enim ab eſu carnium humanarum abſtinemus, quòd ſentiamus eſſe idem quiddam cum noſtrâ carne: ita & horrore quodam ducimur, ſi res venerea nobis exercenda ſit cum perſonâ quæ idem nobiſcum eſt. v. g. pater, quia idem eſt cum filiâ, utpote ſciens ſe hujus principium, ducitur horrore, ſi cum eâdem coire debeat. Quænam autem cauſſa ſit, quare hominibus identitatem ſentientibus indiderit natura horrorem, qui eos ab incundâ conjugali ſocietate abſtineat, tradetur part. ſeq. quæ tractatum de amicitiâ comprehendet.* 2. ex in-

habilitate objecti ad procreandū aliquid nobis ſimile. *Nam ne confuſio ſpecierū oriatur, aut fruſtrà emittatur ſemen, quod naturaliter principium eſt excitans in fœminâ potentiam, ut ſc. fiat homo id quod in eâdem poteſt eſſe, & ita mares deſinant procreare: voluit natura indere omnibus animalibus horrorem, quo abſtineantur ab inutili emiſſione ſeminis & immiſſione illius in vaſa, in quibus excitetur aliquid à ſpecie eorundem diverſum. Ex hiſce nunc patet, quodnam ſit vitium inceſtûs & Sodomiæ, queq; ſit cauſſa, quare hæc delicta tam horrenda & abominanda ſint. nim.* Identitas parit inceſtum; Inhabilitas objecti ad procreandum ſodomiam, graviſſima & horrenda circa rem veneream crimina ob concupiſcentiam voluptatum ex objectis non naturaliter jucundis, ſed communiter horrorem gignentibus.

2. Inceſtus ergò nobis definitur delictum carnis commiſſum actu rei venereæ à quo communiter homines propter identitatem ducti horrore abſtinent.

3. Eſtque inceſtus duplex, conſangvineorum & affinium. *Nam natura horrorem indidit hominibus abſtinendi non modò ab iis perſonis, quas norunt ſecum idem eſſe, ſed etiam quas norunt actum venereum exercuiſſe cum iis, qui idem ſecum exiſtunt; v. g. quia novi, matrem eſſe idem quiddam mecum, abhorreo à coitu cum eâdem: it. quia novi cum hac muliere patrem meum coiviſſe, hic autem idem quiddam mecum eſt, horror me detinet, quò minus cum eâdem rem habeam. Cauſſa autem, cujus gratiâ natura hoc facit, parte ſeq. tradetur.*

4. Inceſtus conſangvineorum rurſus duplex eſt, alius inter aſcendentes & deſcendentes, alius inter collaterales. *Nam aſcendentes, pater & filius, avus & nepos, proavus & pronepos norunt ſe eſſe idem; quia pater filii, avus nepotis pronepotis principium exiſtunt: collaterales verò norunt ſe idem eſſe, quia in uno principio conveniunt, v. g. frater & ſoror norunt ſe eſſe idem, quia patrem vel matrem idem ſui principium habent.*

5. *Rectè ergò procedemus, ſi præſens membrum dividentes in tres partes, dicamus 1. de tribus ſpeciebus inceſtûs 2. de augentibus pœnas omnium ſpecierum. 3. de minuentibus eaſdem.*

PARS PRIMA
Membri viceſimi quinti
DE SPECIEBUS INCESTUS.
ARTIC: I.
DE INCESTU ASCENDENTIUM ET DESCENDENTIUM.

1. Inceſtus aſcendentium & deſcendentium magis horrendus

dus eſt, quàm collateralium. *Nam cùm identitas ſit cauſſa horroris; eò majo erit horror, quò major eſt identitas, & quò major eſt horror, quem perciperemus ſi ipſi faceremus, eò magis horrendum putamus, ſi ab alio fieri videmus. Eſt verò identitas aſcendentium & deſcendentium major quàm collateralium; quia in aſcendentibus & deſcendentibus alter principium alter principiatum; in collateralibus ſunt duo ejusdem principii principiata.*

2. Inceſtum inter aſcendentes & deſcendentes Deus in ſuâ Republ. igni coërcere juſſit *Levit.* 20. *v.* 14. hodiè gladio puniendum eſſe Ddres communiter ſtatuunt, & hæc pœna quoque in Electoratu Saxonico approbata eſt. *p.* 4. *conſtit.* 22. *Quemadmodum enim aliàs quòd horrendum eſt ab oculis removemus, ne amplius in conſpectum veniat: ita meritò ejusmodi homo è numero viventium tollitur, ne velut horrendus amplius conſpiciatur.*

3. Nihil autem quoad inceſtum inter aſcendentes & deſcendentes intereſt, utrum deſcendentes ex legitimo an ex prohibito coitu ſint: pari pœnâ afficiuntur liberi etiam ex fornicatione nati cum parentibus rem habentes. *Nam ſemper adeſt ſenſus identitatis, quocunq; modo alter ab altero procreatus ſit. Idq; expreſſit Conſtitutio Elector. Saxon. p.* 4. *conſtit.* 22. *verb.* So in auff und niederſteigenden Linien einander Bluts halber verwand. *&c.*

APPENDIX.
DE
DELICTIS QVÆ SIMILITUDINEM INCESTUS INTER ASCENDENTES ET DESCENDENTES COMMISSI HABENT.

1. Inceſtui ſimilis eſt ſcortatio cum nutrice. *Nam nutrix matris quodammodo loco eſt, præſertim ſi ſuo lacte nutrierit eum, cum quo rem habuit. Sed quia ceſſat ſenſus identitatis, pro inceſtu propriè dicto haberi nequit. Solent tamen Ddres pœnam ſcortationis in ejusmodi perſonis aggravare.*

2. Similiter nec propriè inceſtus eſt, quando pater adoptivus cum filiâ adoptivâ rem habet. *Nam nullus eſt identitatis ſenſus: interim tamen quia paterno affectu pater illam proſequens non abſtinet à coitu, gravius longè peccat, quàm qui ſimplex ſtuprum committit: cumq; matrimonium cum eâdem contrahere legibus prohibeatur: meritò graviori aliquâ pœnâ, quàm ſtupri eſt, afficitur.*

3. Pariter nec is propriè inceſtum dici poteſt committere, qui concubuit cum filiâ ſpirituali quam ex ſacro baptiſmate levavit. *Ceſſat enim & hic Identitas ſanguinis & horror, qui inde naſci ſolet. Gravius tamen ob hoc peccatur, quòd pater ſpiritualis memor baptiſmatis*


ſmatus eſſe & ab inhoneſtis rebus filiam ſpiritualem dehortari debuiſſet: Unde ſolent Ddres relegationem temporalem eidem dictare.

ARTIC. II.

DE INCESTU INTER COLLATERALES.

1. Inceſtus collateralium non eſt unius generis. *Nam prout variat ſenſus identitatis, ita quoq́, ſeſe habent gradus & genera inceſtûs. Senſus autem identitatis collateralium eò major eſt, quò propius ad principium accedunt: quâ de cauſâ in numero collateralium maximè ſentiunt identitatem frater & ſoror: hi enim quamproximè ad principium accedunt.*

2. Habet inceſtus collateralium ſuos terminos nec progreditur in infinitum. *Nam ſenſus identitatis in hominibus ſe non ulterius extendit, quàm quatenus per ſpacium vitæ datum eſt collateralibus noſſe ſuum principium ratione cujus idem ſunt. Hinc optimâ ratione terminatur collateralium inceſtus in Conſobrinis: ita ut conſobrini non poſſint coire ſine inceſtu, quemadmodum nec conſobrinus cum ſui conſobrini filiâ, nepte, pronepte &c. Nam plerumq́, vita hominum eò ſe extendit, ut avum vel aviam ſive ex patre ſive ex matre viſu cognitos habeant. Quod ipſum facit identitatem ſentiri. Quapropter rectius procederent legislatores in numerandis gradibus lineæ collateralis pro diſtinctione inceſtuum, ſi eo gradu perſonas collaterales diſtare dicerent, quoto gradu diſtat à ſtipite qui proximus eidem eſt; ſecus ac jus civile vel canonicum facit: Ita namq́, non modò unicâ regulâ quousq́, prohibiti ſint coitus collateralium comprehendi poſſet, fieretq́, unica lex:* Omnis coitus collateralium ad ſecundum gradum incluſivè eſto prohibitus tanquam inceſtuoſus. *Pro intellectu horum eſto ſchema continens perſonas A. B. C. D. E. F. G.*



Eſto

Eſto perſona B quæ commiſit inceſtum cum D vel etiam cum E, F aut G, ſi gradus numerarentur ſecundum diſtantiam ejus, qui ſtipiti proximus exiſtit, ſtatim pateret, coitum eſſe inceſtuoſum, quem perſona B ſive cum E, ſive cum F ſive cum G habuit. Nam diceremus, commiſſum eſſe inter eos, qui in primo gradu ſunt. Si porro perſona A coierit cum E vel F vel G ſtatim diceremus, inceſtum inter perſonas ſecundo gradu commiſſum & perſonam A tali vel tali pœnâ, quæ eadem hic ſemper eſt, afficiendam. Nam ex ſenſu identitatis inceſtum metimur; ſenſum autem hunc ex diſtantiâ perſonæ à principio generationis, quod ſtipitem vocant. Hæc obiter appono, non ut reprehendam LLatores aliter numerantes; parum enim refert quomodo gradus pronunciemus; ſed tantùm ut oſtendam, quid commodius videatur. Hinc Conſtitutio Electoralis retentâ ratione numerandi Canonicâ, jus tamen naturæ probè obſervans pronunciat coitum collateralium inceſtuoſum usq; ad tertium gradum inæqualem v. g. inter A & F quia Canonicâ numeratione F tanquam perſona à ſtipite remotior tribus gradibus diſtat. Et ita voluit hæc conſtitutio in rei veritate, ſi numeratio fieret, quemadmodum nos optaremus pro meliore captu ſtudioſorum fieri, pro inceſtuoſo haberi omnem coitum, qui fit inter eos, qui ſunt ſecundi gradûs. Nam mens Legislatoris non fuit ab inceſtuoſo coitu abſolutum eum quem habet perſona A cum perſonâ G, licet ſint in quarto gradu lineæ inæqualis.

PARS PRIMA
Articuli ſecundi

DE INCESTV FRATRIS CVM SORORE.

1\. Omnis coitus fratris & ſororis vel fratris ſororisve cum ſororis aut fratris liberis in infinitum eſt inceſtuoſus. *Eſto in præmiſſo ſchemate frater B. ſoror D. dico horum coitum eſſe inceſtuoſum, & eum quem frater B exercet cum ſororis D filia E vel cum ejus nepte F vel cum ejus pronepte G &c. eſſe inceſtuoſum, & mereri eandem pœnam. Nam B novit, ſe cum D, E, F, G idem in patre C qui ſenſus identitatis ob proximitatem B cum C unus eſt.*

2\. Inceſtui inter fratrem & ſororem dictata eſt in Electoratu Saxon. fuſtigatio cum perpetuâ relegatione. *Ordinat. Eccleſ. tit.* von Eheſachen *rubr.* welchen Perſonen ſich in Ehegelöbniſſen *&c.*

3\. Quæſtio movetur, an & liberi Adami inceſtum commiſerint? *Ex noſtris principiis procedendo facile eſt reſpondere, quod non. Nam inceſtus eſt delictum quod committitur ex intemperantiâ poſitâ in electione objecti, à quo ut abſtineamus naturaliter horrorem percipimus. At liberi Adami inierant invicem matrimonia non ex tali electione; ſed quia mundus aliter propagari non potuit. Quemadmodum ergò intem-*

 perans

perans non eſt qui neceſſitatis tempore, quando vivit in urbe obſeſſâ, veſcitur muribus, ſed qui alios cibos naturæ convenientes habens mures eligit, quia putat, ſe plus voluptatis ex hiſce quàm communibus cibis percepturum eſſe, extremè intemperans eſt: ita nec is ex vitio intemperantiæ peccat, qui videns aliâ ratione humanum genus non propagari poſſe, Deo ita ordinante, cum ſorore conjugalem ſocietatem init. Ex qualitate namq; principii operantis & fine, quo excitatur illud ad operandum, omnis actio æſtimari debet, an bona vel mala ſit.

PARS SECUNDA
Articuli ſecundi

DE INCESTU CONSOBRINORUM.

1. Conſobrinus & conſobrina inceſtum committentes mitius puniendi ſunt, quàm frater & ſoror. *Nam inceſtus horum minor eſt, cùm longius diſtent à ſtipite ſeu principio generationis, reſpectu cujus idem ſunt, ut adeò ſenſus identitatis ſit minor. Quapropter nec lege Moſaicâ nec jure civili conſobrinorum nuptiæ pro inceſtuoſis habentur. Hinc ordinatio Eccleſ. tit.* von Eheſachen *rubr.* welchen Perſonen ſich in Ehegelöbniß miteinander ein zu laſſen verbothen ꝛc. *relegationem perpetuam dictitat.*

PARS TERTIA
Articuli ſecundi

DE INCESTU COLLATERALIUM LINEÆ INÆQVALIS.

1. In lineâ collaterali inæquali videntur mihi pœnæ minus convenientes à LLatoribus communiter adſignari. *Solent quippe plerumq; eandem in utriſq; ſtatuere pœnam; cùm tamen qui propioris gradus ſunt majorem mereri videantur, utpote qui plus ſensûs identitatis habeant. Videtur autem ſupputatio graduum Canonica in cauſâ; quia ſecundum hanc à remotiori fit graduum denominatio.*

2. Sic inceſtum inter collaterales in ſecundo gradu lineæ inæqualis fuſtigatione puniunt æquè ac inter fratres & ſorores. *Ordinat. Eccleſiaſt. tit.* von Eheſachen. *Eſto in ſchemate patruelis B habens rem cum ſororis D filia E, punitur hæc filia E eq; ac B patruelis vel D mater, i. e. fuſtigatione. Videtur autem perſona E minus peccare quàm mater D, minus namq; filia E ſentire identitatem poteſt, quàm mater D, unde & minus peccat. Quâ de cauſâ deberet B fuſtigari ſed E conſobrinorum pœnâ, nim. relegatione, affici. Verùm parum fortaſſe refert: conceſſum eſt enim LLatori pœnas criminales conſtituere & aggravare, prout videt eaſdem ſufficere vel non ad exſtirpanda vitia.*

3. Omni-

3. Omnibus, qui in gradu tertio lineæ inæqualis ſecundum ſupputationem canonicam ſunt, videtur pœna relegationis dictari. *Ordinat. Eccleſ. tit.* von Eheſachen *rubr.* welchen Perſonen ſich in ein Ehegelöbniß mit einander einzulaſſen verbothen/ *§.* die Perſohnen / welche ſeithalben/ *verſ.* würden ſich aber/ *verb.* da ſich auch. Quod mihi multos movet ſcrupulos. *Eſto F diſtans tribus gradibus à ſtipite C; hæc perſona F ſi rem habeat ſeu cum A ſeu cum B æquali cum perſonis A & B pœna afficitur: cùm tamen pœna perſonæ B major eſſe debeat, quàm A; & perſonæ A major, quàm F. Quin contingit, perſonam F cum aliâ ab eodem principio C deſcendente rem habentem v.g. cum H inceſtum non committere nec ut inceſtuoſam perſonam puniri. Unde moti Ddres nonnulli, quod de relegatione circa perſonam F tertio gradu à ſtipite diſtantem præcipitur, id interpretari ita voluerunt, quaſi non perpetua ſed temporalis eſſet ſubintelligenda, ne perſona F eandem cum conſobrinis pœnam ſuſtinere teneatur; contrà quàm manifeſtus textus admittit. Alii inceſtui, quem committit tertiò gradu à ſtipite diſtans F cum eo, qui eſt in primo gradu B relegationem perpetuam; ei verò qui committitur ab F & A relegationem temporalem dictitant, exiſtimantes, hanc veriſimiliter mentem L Latoris, relegationis pœnam omnibus in tertio gradu inæquali poſitis dictantis, fuiſſe.*

4. Cùm etiam inceſtus terminetur in ordinat. Eccleſiaſt. tertio gradu lineæ inæqualis; quæritur ſi coëat qui quarto gradu à ſtipite diſtat cum perſonâ quæ alterâ parte diſtat primo gradu, an impunitum debeat eſſe delictum, & non pro inceſtu habendum? *Et ſanè ſi ſecundum ſupputationem canonicam procedendo in lineâ tertiâ inæquali ſubſiſtendum, ceſſabit omnis pœna. Sin autem videtur non admittendum, ut qui uno tantùm gradu à ſtipite diſtat, v.g. B. rem habeat cum alio quoquam ex alterâ lineâ D E F G; erit dicendum, etiam id ut inceſtum puniendum quod in lineâ collaterali inæquali quarto gradu commiſſum eſt. Hinc SRmus Elector coactus fuit quoad eas perſonas, quæ quarto gradu à ſtipite abſunt & cum proavi fratre diſtante unico à ſtipite gradu rem habent, peculiater relegationem perpetuam dictare. Ex quibus patet, ſupputationem graduum Canonicam non leviter turbare etiam prudentiſſimos L Latores. Quòd ſi ergò ductum naturæ ſequi vellemus, meliori ratione non poſſemus procedere, quàm ſimpliciter perſonis, quatenus à ſtipite diſtant pœnam determinando; v.g. diſtanti primo gradu D fuſtigationem; ſecundo gradu, E relegationem perpetuam; tertio gradu, F ſi cum aliquo eorum, qui primo vel ſecundo gradu B vel A diſtant coiret, relegationem temporalem; quarto gradu G, ſi cum B vel A, carcerem. Verùm hæc obiter me theoria monere fecit, non quòd ſtatuam, pœnas noſtrâ in re-*

gione

gione receptas injuſtas eſſe;liberum enim eſt LLatori dolores vitioſis hominib. infligere,quoad videat,illos ſufficientes ad deterrendos homines à vitioſis actionibus: (Neq; enim, ut vulgò concipiunt, in hoc pœnarum genere ulla attenditur proportio. Id quod ſuprà ſatis perſpicuè docuimus.) Sed tantùm ut oſtenderē, quantum turbarum det ſupputatio Canonica, quam, ſi Pontifex in gradib9 quoad cauſſas matrimoniales determinandis abire à jure civili voluiſſet, rectius inſtituere potuiſſet,numerando gradus perſonæ ad ſtipitem proximè accedentis.

ARTIC. III.
DE
INCESTU AFFINIUM.

1. Inceſtûs affinium malitia fundata itidem eſt in vitio intemperantiæ ducentis hominem ad appetendum objectum in re venereâ, à quo ut abſtineat horror naturaliter inditus monet. *Nam ſentit in ſe homo horrorem, quo abſtinetur à perſonâ, cum quâ illa coiit, quam novit ſecum idem eſſe. Hac eſt ratio, quare Affinitas ſit inter maritum & conſangvineos uxoris & inter uxorem & conſangvineos mariti, non inter uxoris & mariti conſangvineos. Eſto in adjecto ſchemate*

| C | — | A | — | B | — | D |

A maritus, B uxor; mariti A frater C; uxoris B ſoror D. Dico C & B it. A. & D. eſſe affines, non C & D. Nam C ſciens A fratrem ſecum idem quid exiſtentem coiviſſe cum fœminâ B abhorret ab actu venereo cum eâdem exercendo, & ita pariter D ſoror fœminæ B ab actu venereo cum marito ejusdem A. At inter C & D nulla cauſſa horroris naturalis eſt. Patet ergo quare conſangvinei uxoris ſint affines mariti & contrà conſangvinei mariti affines uxoris, non conſangvinei uxoris & mariti inter ſe. Deducimus & inde definitionem Affinitatis, *quatenus hic in materiâ delictorum facienda,* quòd ſit conjunctio perſonarum, quarum altera eſt idem quiddam ſangvine cum eâ perſonâ cum quâ altera rem habuit, ſeu actum venereum exercuit.

2. Ne verò quid omittamus quod ad contemplationem hujus delicti facere poſſit, præmittendum eſt, tria numerari affinitatis genera. *Primum genus vocant conjunctionem, quæ fit mediante uno matrimonio; ſecundū, quæ fit mediantib. duobus matrimoniis; tertium, quæ fit mediantibus tribus matrimoniis. Sunto in adjecto ſchemate A mari-*

| C | — | A | — *I* — | B | — *II* — | D | — *III* — | E |

tus uxoris B, & frater mariti A, eſto C qui affinis eſt mulieris B in primo

genere.

genere, propterea quòd hæc conjunctio fit unico inter A & B matrimonio. Ponatur A mori, B vidua nubere alii marito D: erit hic D prioris mariti A fratri C affinis in ſecundo genere affinitatis; quia mediantibus duobus matrimoniis ipſi conjungitur. Rurſus autem moriente B & viduo D ducente aliam uxorem E, reddetur hæc affinis perſonæ C in tertio genere; quia tria matrimonia interveniunt, ut fiat conjunctio.

3. Sed primùm omnium ſpeculabimur affinitatem in primo gradu; *hæc enim propriè affinitas eſt & naturalem aliquam cauſſam inceſtûs in ſe habet ſenſum nimirum identitatis: v.g. quia C frater mariti A ſentiens cum A identitatem, reſpuit actum venereum cum B uxore ſui fratris.*

PARS PRIMA

Articuli tertii

DE INCESTU AFFINIUM PRIMI GENERIS ET IN SPECIE DE EO QVI COMMISSUS EST INTER ASCENDENTES ET DESCENDENTES.


1. Solent plerumque LLatores cousque in affinitate primi generis coitum pro inceſtuoſo habere, quousque in conſangvinitate. *Nam ex præcedd. patet, affinitatem æq; ac conſangvinitatem in identitate ſangvinis fundatam eſſe, non quidem affinium, ſed illius perſonæ cum quâ res venerea exercetur à perſonâ, quæ per hoc affinis redditur v.g. frater mariti fit affinis uxoris, non quòd huic ſangvine jungatur, ſed quòd marito ejusdem Unde ſequitur, in affinitate non aliter gradus ac in conſangvinitate numerari. Eſto in ſchemate adjecto A maritus, B uxor, mariti A frater C hujusq; filius D & nepos ejus E. Dico ſecundum ſupputationem canonicam C eſſe fœminæ B affinem in primo gradu; quia ſcil. ejusdem marito A primo gradu ſangvine junctus eſt, utpote cùm uterq; uno gradu à ſtipite F diſtet; D filium ipſius eſſe junctum mulieri B ſecundo & E nepotem eidem tertio gradu. Nam tot gradibus hi à ſtipite F, unde B uxoris maritus A itidem deſcendit, diſtant.*




2. Differentiæ quoque pœnarum meritò ab hiſce gradibus affinitatis petuntur. *Nam quò major eſt identitas ſangvinis inter duas perſo-*

perſonas, eò magis altera ab alterius conjuge ratione rei venereæ abhorret.

3. Inceſtus inter aſcendentes & deſcendentes fuſtigatione ſolet puniri; quam pœnam confirmavit conſtitutio Electoralis *p. 4. conſtit. 24. & Ordinat. eccl. tit.* von Eheſachen. *Nam cùm inter aſcendentes & deſcendentes ſit maxima identitas, etiam affinitatem mediante hac conjunctione arctiſſimam fieri neceſſe eſt. Nemo ergò rem habens vel cum perſonâ ex poſteris ſuæ uxoris vel cum eâ, quæ uni ex poſteris ipſius connubio juncta fuit, pœnam fuſtigationis effugere poteſt. Eſto in præſenti ſchemate A viduus mulieris B, cujus filius eſt C, ex quo nata eſt mulier D. Dico, ſi A rem habeat cum D, fuſtigationẽ ipſi dictandam eſſe. Nam eſt una ex poſteris mulieris B.*



Sic in altero Schemate eſto perſona A habens filiam B & ex hac natum nepotem C cujus defuncti vidua eſt D. Dico, ſi cum D rem habeat, committi inceſtum fuſtigatione puniendum. D enim fuit uni ex poſteris ipſius nupta.



PARS SECUNDA
Articuli tertii
DE
INCESTU AFFINIUM IN LINEA COLLATERALI.

1. Inceſtus affinium primo gradu lineæ æqualis, quando frater cum fratris viduâ vel viduus cum defunctæ uxoris ſorore rem habet, æquè graviter punitur ac inceſtus fratrum & ſororum vel affinium in lineâ aſcendente & deſcendente, fuſtigatione nimirum. *p. 4. conſtit. 24. & Ordinat. eccl. Rationem hujus ſeveritatis, cùm pœna relegationis ſufficere videatur, reperire non poſſum.*

2. Cæteri affines ad tertium gradum inæqualem incluſivè inceſtum committentes pœnâ relegationis afficiuntur. *Ordinat. eccleſiaſt. Quæ pœna paulò ſeverior eſt in eos, qui ſunt in ſecundo gradu æquali, quia conſangvineis ejusdem gradûs non major dictata eſt pœna, iis qui à ſtipite tertio gradu diſtant. Quâ de re paullò ante diſſerui.*

PARS TERTIA

Articuli tertii

DE

AFFINIBVS SECUNDI ET TERTII GENERIS.

1. Inceſtui noſtris in Eccleſiis annumeramus coitum vitrici cum privigni ſui viduâ; inter quas perſonas affinitas eſt ſecundi generis. *Junguntur enim duobus matrimoniis. Cauſſa quare inceſtui annumeretur, redditur, quòd & jure civili inter has perſonas matrimonium prohibitum ſit. l. uxorem 15. ff. de Ritu nupt. & quòd vitricus reſpectu viduæ privigni patrem repræſentet. Et quia nulla certa pœna conſtituta eſt, ſolent Ddres vel carcerem vel temporalem relegationem dictare. Nos nihil hic addere poſſumus, quàm hoc liberum eſſe LLatoribus ſuos cives exercendi in temperantiâ & ulterius quid præcipiendi ſervandum, quod jus naturæ præciſè non exigit.*

2. Tertio in genere affinitatis nullum inceſtum committi LLatores noſtri tradunt. *Et reverà etiam nullus eſt, utpote omni ſenſu identitatis ceſſante.*

PARS SECUNDA

Membri viceſimi quinti

DE

IIS QVÆ VIDENTUR POENAM INCESTUS AUGERE.

ARTIC. I.

DE

INCESTV PER ADULTERIUM COMMISSO.

1. Videtur inceſtus cum adulterio conjunctus graviſſimum mereri ſupplicium, ſed Ddres ſolent ſemper vel adulterii vel inceſtûs dictare pœnam, eam ſcil. quæ gravior eſt. *Nam in pœnâ hiſce delictis inferendâ non æq; læſio inſpicitur, ac ipſa vitioſitas lædens: unde ſecundum majorem vitioſitatem infertur pœna. Hinc v.g. ſi mulier ſoluta adulterium committit cum patre marito, non punitur ob adulterium ſed propter inceſtum p. 4. conſtit. Elector. 23.*

PARS TERTIA.

Membri viceſimi quinti

DE

MINUENTIBUS POENAM INCESTUS.

ARTIC. I.

DE CAUSSA EFFICIENTE DVBIA.

1. Minuit pœnam inceſtûs ordinariam, ſi altera pars, cum

 quâ

quá inceſtus dicitur commiſſus, delictum confeſſa non ſit. *Nam ſæpius diximus, judicem non procedere debere ad pœnam ordinariam, ſi adhuc reddere dubium eum quid poſſit de cauſâ efficiente. Nam ſi executione factâ altera pars delictum ſtrenuè neget, videbitur injuſtè judicaſſe.*

ARTIC. II.

DE INCESTV CVLPOSO ET CASVALI.

1. Ignorantia delinquentium parit inceſtum vel culpoſum vel caſualem. *Nam ſi delinquentes ignorantes & ſcire non valentes ſe conſangvineos eſſe vel affines actum venereum exercent, inceſtus oritur caſualis: ſin verò inquiſitione factâ id ſcire potuiſſent, inceſtus ſit culpoſus, majorq́ȝ ineſt culpa, quò facilius ſcire potuiſſent. Solent autem Ddres in caſu, quo aliàs fuſtigatio dictanda erat, reum, qui prætendit ignorantiam, ſi eam juramento probare poſſit, communi ſtupri pœnâ afficiendum pronunciare.*

ARTIC. III.

DE INCESTV MINORENNIVM.

1. Minuit pœnam hujus delicti minorennis ætas. *Ita enim juſſit D. Auguſtus Elector p. 4. conſt. 22. perſonam in lineâ aſcendente & deſcendente, quæ mortis pœnam regulariter meretur, fuſtigari. Ratio eſt quia minorennes ob abundantiam caloris præ cæteris laborant concupiſcentiâ carnis & nonnunquam perſvaſionibus trahuntur ad appetenda objecta rei venereæ minus naturalia: ut adeò quoad hoc delictum magis ex quâdam infirmitate naturali, quàm ex vitio videantur peccare. Quapropter pro ratione circumſtantiarum pœna eouſq́ȝ mitigari poteſt, ut in carcere virgis cædantur & relegentur, in caſu ſc. quo pœna gladii ſubeunda erat; in quo autem fuſtigatio inferenda, relegatio perpetua ſubſtituatur.*

ARTIC. IV.

DE INCESTV EORVM QVI NON UTROQVE PARENTE, SED VNO TANTVM CONJVNCTI SVNT.

1. Opinari quis poſſet, inceſtum mitius puniendum, ſi conjunctio oriatur ab uno parente: at hoc pœnam non mitigat. *Nam licet inceſtus ſit fœdus propter ſangvinis conjunctionem, videaturq́ȝ delictum minus conjunctione minori exiſtente; nihilominus tamen hoc diſtinctionem nullam infert; quia ſufficit adeſſe ſenſum identitatis; hunc enim tam ſubtiliter quoad horrorem in hominibus natura non implantavit, ut aliqua horroris diſtinctio animadverti queat.*

ARTIC.

ARTIC. V.

DE

INCESTU EORUM QUI NON PER LEGITIMUM MATRIMONIUM CONJUNCTI SUNT

1. Non deſunt Ddres, qui putant, pœnam inceſtus ad minimum inter affines mitigandam, ſi conjunctio non conſiſtat in legitimo matrimonio. *Rationem reddunt, quòd afffinitas meretricia tantum non mereatur, ut ob eam neglectam vel fuſtigatio vel relegatio infligi debeat.*

2. Sed ordinariam pœnam retinendam etiam in minus legitimis conjunctionibus demonſtratur ex verâ cauſsâ inceſtus. *Neq; enim reverentia, quam quis debet conjunctioni, cauſſa peccati in inceſtu eſt, ſed ſangvinis identitas & conjunctio; quæ æq; ineſt per fornicationem vel ſtuprum, ac per legitimum matrimonium conjunctis.*

ARTIC. VI.

DE

INCESTU CUM MERETRICE COMMISSO.

1. Dubitare quis poſſet, annon inceſtus cum meretrice commiſſus mitiget pœnam. *Etenim in meretrice, quæ venale habet corpus, nulla amplius ratio ſangvinis videtur habenda eſſe; nec cum eâ coitur, ut procreentur liberi aut conjugalis colatur amicitia, cujus diſtingvendæ gratiâ natura hominibus horrorem indidiſſe videtur, prout part. ſeq. demonſtrabimus. Quin Deus, quando prohibet inceſtum Levitic.* 18. *univerſaliter ita præcipit: verſ.* 6. Nullus homo ad proximam ſangvinis ſui accedet, ut revelet turpitudinem ejus.

2. Sed nihil prodeſt ad mitigandam pœnam inceſtus, licet conſiſtat in nudâ ſcortatione. *Nam horror ob identitatem carnis manet. Quâ ratione utitur & Deus ipſe Levit.* 18. *verſ.* 12. *&* 13. *dicendo: turpitudinem ſororis patris tui non diſcooperies*, quia caro eſt patris tui *it. verſ.* 13. quia eſt caro matris tuæ.

ARTIC. VII.

DE

INCESTU PER MATRIMONIUM COMMISSO.

1. Pœnæ inceſtus ordinariæ ſolent quoque infligi non modò iis, qui ſtupro vel fornicatione, ſed etiam his, qui per matrimonium eum commiſerunt. *Nam, uti ſæpius diximus, peccatum inceſtûs fundatum eſt in appetitione coitûs cum perſonâ ob identitatem quandam ſangvinis fugiendâ: at hæc appetitio ineſt etiam iis, qui legitimum matrimonium ineunt. Quapropter ordinatio Eccleſ. tit.* von Eheſachen/

ſecutâ copulatione carnali, eos, qui matrimonium inierunt, eq; punire jubet, ac cæteros.

2. Quandoque tamen, præſertim in hominibus potentibus matrimonium excuſare inceſtum poteſt. *Ponas, dari regem, cujus ſtatus aliâ ratione conſervari nequit, niſi conſobrinam uxorem ducat: non dubito, eum à fœditate inceſtûs liberum pronunciandum. Nam dum non ex inordinatâ concupiſcentiâ, & aliâ in promptu exiſtente matreſam. hanc ſibi ob conſervationem imperii & ſubditorum ſalutem eligit uxorem, à quâ extra hunc caſum abſtineret, intemperans & inceſtuoſus dici nequit.*

MEMBR. XXVI.

DE

SODOMIA.

1. Sodomia ab extremâ & fœdiſſimâ gignitur intemperantiâ, quæ ducit homines ad concupiſcendum actum venereum cum naturâ planè pugnantem & humani generis propagationem impedientem, cauſſantemque interdum monſtrorum horrendorum procreationem. *Eſt hoc delictum ita appellatum à ſodomitis, quos Deus immiſſo igne & ſulphure ob crimen hoc delevit.*

2. Peccati ſodomitici ſpecies fermè ſequenti ratione inveſtigari poſſunt: actum nim. venereum præter naturalem omnis homo exercere poteſt vel ſecum vel cum alio homine vel cum bruto; & homo cum homine iterum tripliciter, ſcil. ut vel maſculus cum maſculo, vel fœmina cum fœminâ, vel maſculus cum fœminâ rem habeat.

3. *Quapropter has ſpecies earumq; pœnas enarraturi primo loco ſumus, ſubjicientes poſteà, quomodo augeantur vel minuantur.*

PARS PRIMA

Membri viceſimi ſexti.

DE

VARIIS SODOMIÆ SPECIEBUS HARUMQUE POENIS.

ARTIC. I.

DE

MASTUPRATIONE.

1. Crimen maſtuprationis eſt delictum carnis, quo quis ipſe ſolus ſecum actum venereum exercet, manibus vel inſtrumento alio titillationes excitando.

2. Quærunt Ddres, an hoc peccatum ſit ſodomiticis peccatis annumerandum? Ego diſtingverem, an ſcil. emiſſio ſeminis manufacta oriatur ex nimiâ abundantiâ, ob quam natura ipſa illud noctur-

nocturno tempore quandoque ejicere ſolet; an verò ex conſvetudine; illo caſu peccatum non quidem pro ſodomitico habendum; interim tamen, quia à LLatoribus nulla pœna in hoc conſtituta eſt, carcere puniendum. *Nam cùm natura ipſa in nimiâ abundantiâ ſeminis operetur ejaculationem ipſius: non videtur peccatum hoc impugnare naturam, quemadmodum ſodomia: interim tamen, quia ſuperveniens ultronea titillatio viam quandam ad ſodomiam ſternit, non planè impune eſſe debere exiſtimo.* Quando verò jam ex conſvetudine titillationes ejusmodi ſibi quis excitat, ſodomita habendus, & vel relegatione vel etiam fuſtigatione pro ratione circumſtantiarum puniendus videtur. *Nam hoc delictum ex vitio intemperantiæ provenit quærente voluptatem ex actu venereo præter naturali & impediente procreationem ſobolis, detinenteq; cives à matrimoniis.*

ARTIC. II.
DE SODOMIA QVAM HOMO CUM HOMINE COMMITTIT.

1. Paulò gravius præcedenti eſt delictum carnis quod homo cum homine perpetrat. *Nam hoc poſitum eſt in electione objecti alicujus præternaturalis, quod itidem vitiatur & impudicum redditur, cùm delictum, de quo præced. artic. tractavimus, eò non progrediatur.*

2. Eſt autem pœna ignis, quam conſtituit in hoc ordinatio Carol. *artic.* 116. nimium gravis. *Nam ſodomiæ cum brutis æquari nequit, utpote quæ cum periculo generationis alicujus monſtroſi partus conjuncta non eſt. Hinc etiam apud nos de conſvetudine recepta eſt gladii pœna. Nolo ſpecies hujus delicti perſequi: quia nec proſunt ad variandam pœnam & nefariæ ſunt, potiusq; ignorandæ quàm ad cognoſcendum proponendæ.*

ARTIC. III.
DE SODOMIA CUM BRUTIS.

1. Sodomia cum brutis eſt, quando vel maſculus immittit ſemen in vulvam beſtiæ, vel fœmina admittit beſtiam; eſtque omnium criminum maximè horrendum, meritò pœnâ ignis coërcendum. *Nam dum maſculus ſemen immittit, quà id quod potentiâ beſtia eſt excitatur, principium fit generationis alicujus beſtiæ vel monſtri; fœmina verò, dum in ſe habet id, quod poteſt eſſe homo, & patitur immitti ſemen à beſtiâ excitante hanc potentiam & corrumpente eandem, peccatum maximè execrabile committit. Et proinde ſatis prudenter LLatores talem ſodomitam vivum comburunt, ne veſtigium illius maneat reliquum.*

Eſt & hæc conſvetudo ſalutaris, quâ ſimul brutum animal, cum quo ſodomia peracta fuit, in cineres redigitur; utpote & rectæ rationi, jubenti omnem memoriam tam nefariorum criminum abolere, & juri divino. Lev. 20. verſ. 15. congrua.

PARS SECUNDA
Membri viceſimi ſexti.

DE

IIS QVÆ VIDENTUR AUGERE POENAM SODOMIÆ ORDINARIAM.

1. Licet reiteratio in nonnullis delictis pœnam augeat, non tamen id facit circa Sodomiam. *Nam non ad effecta ipſa reſpexêre LLatores pœnam conſtituentes, ſed ad horrendum vitium, quod facta indicant, punientes delinquentem non ob id quod factum eſt, ſed quia ex mali vitio fecit: cumq; hoc ex reiteratione gradus non capiat, nec pœna ob hanc augenda videtur.*

PARS TERTIA
Membri viceſimi ſexti.

DE

MINUENTIBUS POENAM SODOMIÆ.

ARTIC. I.

DE

CAUSSA EFFICIENTE DUBIA ET NON SATIS COGNITA.

1. Videtur judex hoc in delicto Rei confeſſione contentus eſſe debere, & pœnam infligere, licet de corpore delicti non conſtet. *Nam eſt hoc delictum facti tranſeuntis & non permanentis.*

2. Et quidem in Sodomiâ hominis cum homine melius ſibi judex conſulere poteſt quàm in commiſsâ cum bruto. *Nam loco corporis delicti ſufficere poteſt alterius quoq; Rei confeſſio.*

3. In Sodomiâ verò cum brutis uti convenit præſumptionibus corpus delicti indicantibus. *v. g. ſi reus in ipſo opere deprehenſus ſit.*

ARTIC. II.

DE

POENA SODOMIÆ ATTENTATÆ.

1. Conatus etiam ultimus pœnâ mitiori punitur. Conatum ultimum hîc voco v. g. ſi quis nondum emiſerit ſemen, aut incipiens immittere id non abſolverit. *Nam immiſſo in vas ſodomiticum ſemine, delictum pro perfectè conſummato habetur. Solent verò Ddres pœnam fuſtigationis conatui dictare. Nam antequam emittatur ſemen*

pœniten-

pœnitentiæ locus eſt indicanti potius incontinentiam, quàm intemperantiam.

APPENDIX DE DELICTIS SODOMIÆ SIMILIBUS.

1. Sodomiæ ſimile habetur, ſi Judæus cum Chriſtianâ aut Chriſtianus cum Judæâ concumbit. *Cujus ratio ſine dubio hæc eſt; quia natum ex Chriſtianis benedictum à Deo eſt: ex Judæis verò, rejectum & Deo abominandum. Maſculus ergò cum Judæâ concumbens peccat principium exiſtendo excitandoq́; in Judæâ potentiam ad eſſe quid Deo abominabile: fœmina verò Chriſtiana, dum patitur in ſe excitari potentiam ad eſſe quid Deo gratum, ab eo qui principium fœtûs Deo abominabilis eſt.* Solent Ddres hoc crimen committenti pœnam fuſtigationis dictare. *Moventur hac ratione, quòd l. ne quis Chriſtianam 6. C. de Judæis. dicatur adulterii commiſſi vicem obtinere, ſi perſonæ Chriſtiana & Judæa matrimonium ineant.*

2. Sodomiæ quoque ſimile reputo, ſi quis cum fœminâ impubere rem habet. *Nam cùm ejuſmodi objectum non ſit habile ad procreationem, eligens hoc ipſum ſimilis eſt ei, qui aliud inhabile eligit, v. g. maſculum: non tamen æq; peccat: quia proximâ potentiâ habile objectum impubes fœmina eſt. Pœna hujus criminis eſt gladii: niſi fœmina impubes ſciens conſenſerit, quo caſu mitigatur, & fuſtigatio infligitur. p. 4. Conſtit. Elect. 31. Hinc quia infans nullus conſentire valet, omnis concubitus cum infante meritò gladio puniendus eſt.*

MEMBR. XXVII.
DE LUXURIA.

1. Luxuria in civitatibus meritò punienda eſt. Voco autem Luxuriam intemperantiam quâ motus homo voluptates ex tactu in cibo & potu, ita quærit, ut ſuum patrimonium profundat. *Hoc autem non debere eſſe impune hæc ſuadent: licet enim dicere quis poſſet, ceſſaturam eſſe luxuriam abſumptis omnibus bonis, aut dandum luxurioſo velut prodigo curatorem. Non inutile tamen puto futurum civitatibus, ſi & in luxurioſos habeant ſtatutam aliquam pœnam, quâ eò citius ad emendationem per duci poſſint: ſatius enim eſt ante abſumpta bona redire ad meliorem frugem. Et ita finimus quæ de delictis carnis dicenda habuimus.*

MEMBR. XXVIII.
DE INJURIIS.

1. Injuria delictum eſt, quo quis lædere ſtudet alterius exiſtimationem. Eſt autem exiſtimatio communis hominum opinio

 de

de aliquo, quod bonus ſit, aut ad minimum non malus. Hinc injuria, *ſi malis penitius naturam ejus inſpicere*, eſt delictum, quo quis hoc agit, ut alter apud homines vel pro turpi & inhoneſtâ vel pro vili & abjectâ perſonâ habeatur.

2. Vitium, ob quod delinquens punitur, eſt potiſſimùm injuſtitia particularis. *Nam an ex invidiâ, an ex ſuperbiâ & contemptu exiſtimationem alterius quis læſerit, non attenditur, ſufficit quem ſibi ſumpſiſſe & arrogaſſe hoc, ut læderet. Et ſanè cætera præter injuſtitiam particularem vitia in hoc delicto puniendo attendi non potuerunt: quia ſolent puſillanimi non audentes in faciem contradicere hominibus, eorum famam à tergo ſugillare: quorũ vitium in puniendâ injuriâ attendi nequit.*

3. Eſt autem omnis injuria vel realis vel verbalis. *Nam injuria delictum eſt, quo quis coram hominibus alterum turpem aut vilem eſſe declarat: hoc autem vel verbis vel factis contingit: factis, ſi quis in alterum tale quid ſtatuit, quod non niſi in hominem turpem & abjectum ſtatui poteſt.*

4. Injuria verbalis eſt, quâ quis malam opinionem de altero contemptumque ſuum verbis declarat.

5. Eſtque hæc duplex, vel in ſcriptis vel ſine ſcriptis. *Nam verba vel ore vel mediante ſcripturâ proferuntur & aliis hominibus exhibentur.*

6. Injuria ſcripta continetur ſcripturâ quæ vel publicatur, vel privatim communicatur. Scriptura publicatur vel ſuppreſſo vel adjecto nomine auctoris: Hæc vocatur libellus famoſus: illa generali injuriæ verbalis nomine venit.

PARS PRIMA

Membri viceſimi octavi.

DE SINGULIS INJURIARUM SPECIEBUS.

ARTIC: I.

DE INJURIA VERBALI.

1. *Injuria verbalis omnis hìc ea vocatur, quæ facta eſt vel verbis ore prolatis vel in ſcripturam, quæ libellus famoſus non eſt, redactis.*

2. Quamvis autem injuria ſcripta eidem ſpeciei cum eâ, quæ ore prolata tantùm ſine ſcriptis facta eſt, annumeretur: eſt tamen injuria ſcripta gravior. *Nam ſcriptura non modò diutius durat, ſed etiam indicat delictum magis proæreticum: ſæpè namq; ex incogitantiâ & præcipitantiâ volat irrevocabile verbum; quod verò ſcribitur magis præmeditatum eſt. Quò autem delictum magis proæreticum eſt, quove diutius durat malum inde illatum, eò injuſtius exiſtit.*

3. Com-

3. Committitur autem omnis verbalis injuria verbis aliquem vel turpem & vitioſum hominem vel vilem declarantibus. *Nam in hiſce duobus poſitam eſſe omnem injuriam, init. huj. membri tradidimus.* Hinc non modò injuria eſt, ſi quis alicui vitia animi, ſed & ſi vitia corporis objicit. *v. g. qui aliquem nebulonem, ſcortatorem, furem, raptorem, falſarium nominat: his enim denotatur vitioſus homo. it. qui infantem aut Judæum quem vocat: vox enim infantis per metaphoram ſignificat imprudentem; Judæi, uſurarium. it. qui mendacii aliquem arguit, dicendo, tu mentiris. Item, ſi quis vitia & defectus naturæ alicui exprobret, vocando aliquem moneculum, luſcum, gibboſum. Hæc enim verba declarant contemptum in dicente & quod alterum pro vili homine & contemnendo habeat. it. ſi quis aliquem vocet cornutum vel ſpurium: deſignant enim hæc verba vilem hominem.*

4. Pœna huic delicto ordinaria imponi nequit: *habet enim ſibi principium injuſtitiam particularem: unde fit, ut ratione majoris vel minoris inæqualitatis perpetuò pœna varianda ſit.* Hæc eſt cauſſa, quare jure communi pœna extraordinaria & arbitraria ſit impoſita.

5. Hodiernâ conſvetudine ſolet conventus de crimine injuriæ condemnari ad palinodiam ſeu recantationem in loco publico faciendam, additâ inſuper pœnâ pecuniariâ, carceris, relegationis vel etiam fuſtigationis, pro ratione circumſtantiarum, perſonæ, loci, temporis &c. Quam conſvetudinem confirmat D. Auguſtus Elect. *p. 4. Conſtit. 42. §.* nach dem wir *&c. Quare autem conſvetudo confirmata Imperatoriâ Conſtit. in Ordinat. Camer. p. 2. tit. 28. §.* und ſonderlich ſetzen. *per univerſam germaniam introduxerit palinodiam* einen Wiederruff/ *alii aliam proferunt cauſſam: nonnulli tradunt, juſtum eſſe, ut quod injuriato ablatum eſt reſtituatur; contrà alii diſputant per injuriam nemini quicquam honoris adimi: uti enim exiſtimationi illius, qui laudatur à vilibus hominibus nihil accedit, ita nec vilium vituperium honeſto viro quicquam detrahit. His moti alii dixêre, palinodiam eſſe introductam in vindictam, ut læſo ſatisfiat. Unde porrò nata eſt quæſtio, quare hæc in delicto criminalis & vindicativa pœna cumulentur; cùm aliàs obſervari ſoleat, ut ſubiens criminalem pœnam à vindicativâ liberetur: quemadmodum & jure Romano circa hoc delictum obſervatum eſt, ut conventus actione injuriarum criminali, civili conveniri nequeat, & contrà. Dico ergò palinodiam nec pœnæ vindicativæ nec criminali annumerandam, non magis quàm ſi fur ablatam pecuniam jubetur domino reſtituere; nec tamen etiam propterea introductam eſſe, quaſi viri boni honeſtati aliquid detractum reverà ſit quod reſtituendum eſt. Sed definivimus ſuprà injuriam delictum, quo quis hoc agit, ut alterius exiſtimati-*

onem lædat; exiſtimationem verò, quòd ſit opinio hominum de aliquo quòd bonus aut ad minimum non malus ſit. Licet ergò injurians honeſtati viri boni nihil reverà detrahere valeat: ita tamen vulgus comparatum eſt, ut facilè ſiniſtram de aliquo opinionem concipere poſſit non attendendo, quis auctor ſit eorum quæ ſparguntur, quam tamen & honeſti viri evitare ſtudent: hinc quicquid ex injuriâ ſiniſtræ opinionis ſubortum eſſe poteſt, meritò primùm omnium tollendum eſt; quod aliâ ratione fieri nequit, niſi injurians ſeipſum publicè mendacii arguat, quò hoc ipſum ad notitiam vulgi perveniat. Cùm verò ſeipſum mendacii reum publicè fateri, ſit res maximo cum pudore conjuncta: pudor autem ſit affectus magnam moleſtiam creans: hinc videtur eſſe pœna quædam (eſt enim pœna moleſtia, quam quis ob commiſſum delictum ſuſtinere tenetur.) Hæc cauſſa eſt, quare nonnulli videntes palinodiam inferre recantanti moleſtiam, fieriq; læſi gratiâ, pœnam quandam vindicativam dixerunt: cùm tamen nulla ſit pœna niſi per accidens ob concomitantem pudoris moleſtiam, nec etiam ut pœna ſit dictatur.

6. Ex hiſce cognoſcimus, cuinam palinodia ſit dictanda, nemini ſcilicet, niſi qui dolo malo ſeu ex propoſito hoc egit, ut opinio communiter mala, ac ſi vitioſus homo ſit, de aliquo concipiatur. *Nam dum quis confitetur, ſe mentitum, famoſus eſt, quia ipſe de ſe prædicat, quòd dolo malo falſum dixerit ad injuriam alterius pertingens: dumq; hæc publica confeſſio imponitur, non fruſtrà fieri debet, ſed ob hoc, quòd opinionem communiter malam ſuo mendacio de altero gignere hominibus voluerit.*

7. Hinc in locum palinodiæ, ſi dolus ſugillandi famam & exiſtimationem ex facto non compareat, ſubſtitui ſolet deprecatio, eine Chriſtliche Abbitte und Erklärung. *Nam quando contingit, aliquem ex irâ quid in alterum turpe dicere, non animo famam ſugillandi & exiſtimationem, ſeu non eâ intentione, ut mala de altero concipiatur opinio, peccatur in nullâ re, quàm quòd alter ad juſtam aliquam iram commotus ſit: eſt enim contumelia cauſſa iram concitans. Unde moleſtia, quam in læſo gignit juſta ira, adimenda eſt deprecatione & declaratione: quia deprecatio medium eſt deliniendi iram. Quapropter, ſi appareat, injuriam nihil fermè aliud, quàm juſtam iram in læſo operatam eſſe, etiam in deprecatione ſubſiſtendum eſt. Id quod contingit, quando injurians objectavit aliquod corporis vitium, aut aliud, quod vitium animi notabile non arguit. Hinc etiam fit, quòd quando deprecatio dictatur, nulla ſeverior quàm carceris aut relegationis pœna reo imponi ſoleat.*

8. Deprecatio aggravatur, ſi vitium animi objectatum ſit, in hunc modum: So iſt beklagter ihme eine Abbitte und Erklärung/

daß

daß Er an denen wieder Ihm ausgegoſſenen injurien allenthalben zu viel und unrecht gehandelt / zu thuen ſchuldig.

9. Deprecatio & non palinodia imponi ſolet ei, qui vilem hominem injuriâ affecit. *Nam qui non eſt in ore hominum, ejus nec exiſtimatio apud eosdem lædi poteſt: unde nec opus habet palinodiâ.*

ARTIC. II.

DE

FAMOSO LIBELLO.

1. Famoſus libellus eſt ſcriptura crimina alteri objectans ſuppreſſo nomine auctoris publicata. *Hodiè communiter paſquillus vocatur. Ad famoſi autem libelli eſſentiam puto pertinere ſuppreſſionem nominis auctoris. Nam Ordinat. Carol. art.* 110. *ita definitur: & inde reddi cauſſa poteſt, quare famoſus libellus ſingularem pœnam mereatur: quia nimirum eſt delictum latens & clandeſtinum & præ cæteris ad nocendum aptum: utpote cum læſus in judicio per ſententiam innocens declarari nequeat. Quò magis autem delictum ex injuſtitiâ particulari commiſſum nocet, eò gravius eſt & magis puniendum.*

2. Pœna jure civili eſt ultimum ſupplicium *l. un. C. de famoſ. libell.* Ex ordinatione Carol. eſt talio. *artic.* 110. *Quam ordinationem confirmavit D. Auguſtus Elector p. 4. conſtit.* 44.

ARTIC. III.

DE

INJURIA REALI.

1. Injuria realis eſt omne factum erga alterum, quod non niſi in turpes aut viles perſonas committitur. *Tale namq; factum vergit in ignominiam patientis, in qua poſita eſt eſſentia injuriæ. v. g. ſi quis manu aut baculo aliquem percuſſerit: ita enim ſervos tractare ſolemus. it. ſi quis barbâ quem apprehenderit, faciem aut os deformaverit: ita enim dementes tractamus. it. ſi quis aliquem ſine juſtâ cauſâ in jus vocaverit, vel etiam contra voluntatem ipſius domum intraverit: talia enim facimus erga eos, quos nihili pendimus.*

2. Pœna arbitraria planè eſt hoc in delicto. *Magna enim eſt hujus varietas.*

PARS SECUNDA

Membri viceſimi octavi.

DE

AUGENTIBUS POENAS INJURIARUM.

1. Pro inquirendis hoc delictum augentibus pœnamque ejusdem, adhiberi poſſunt quæ de gradibus injuſtitiæ particularis tradidimus. *lib. 1. huj. p. cap. 5. artic. 12. Nam vitioſitas, unde fluit* hoc

hoc delictum fermè unicè eſt injuſtitia particularis: id quod vel exinde diſcimus, quòd calor iracundiæ excuſet magis quàm augeat. Quò enim quis magis ſine irâ, odio vel alio affectu aut vitio injuriam infert, eò gravius cenſetur peccare. Cujus nulla alia ratio eſt, quàm quòd tunc magis appareat, eum ex injuſtitiâ particulari peccaſſe: i. e. honores & exiſtimationem alteri voluiſſe detrahere obtinendi hujus gratiâ, quò alter minus, ipſe plus haberet. Hæc etiam cauſſa eſt, quare hoc delictum retineat generale nomen injuriæ.

2. Eò major ergò injuria eſt, quò magis bonæ famæ ſtudet qui injuriâ eſt affectus. *Nam quod malum homines magis fugiunt, quodq; magis inviti patiuntur injuſtius eſt.*

3. Injuria, quam nullus pateretur, gravior eſt eâ, quam quidam paterentur. *Eſt namq; malum majus quod communiter omnes fugiunt.*

4. Injuria eo tempore illata, quo quis celebrat ſponſalia, nuptias, magiſtratum vel alium honorem ſubit, gravior eſt, quàm quæ aliis temporibus infertur. *Nam malum eo tempore illatum, quo quis magis illud fugit gravius eſt.*

5. Injuria in foro, palatio principis, curiâ &c. illata gravior eſt quàm quæ alibi. *Eò majus enim malum eſt, quod in eo loco quis patitur, in quo id magis fugit; & ubi etiam ab eo magis ſecurus eſſe debebat.*

6. Injuria in eum, qui in majori exiſtimatione eſt, commiſſa major eſt. *Nam quò majus bonum eſt, quod deſtruitur, eò gravius eſt malum & injuſtum quod infertur.*

7. Injuria parentibus, uxori, liberis, conſangvineis, illata major eſt quàm alia. *Nam eò magis quis injuſtus eſt, quò magis obligatus eſt ad bonum alterius conſervandum quod in eo deſtruit.*

8. Injuria magiſtratibus, viriſque magnanimis & magnificis illata major eſt, quàm ea quæ aliis. *Nam quò dignius eſt ſubjectum, eò majus etiam bonum eſt quod illud afficit: Lædens ergò exiſtimationem viri magni majus lædit bonum.*

9. Quò ex pluribus injuriis injuria eſt compoſita eò major eſt. *Nam quò ex pluribus malis malum eſt compoſitum, eò majus eſt.*

10. Quæ injuria non ſubſiſtit in unâ perſonâ ſed ad plures pertingit major eſt. *v. g. Injuria liberorum ad parentes quoq; ſpectat. Ita ſi quis generalibus verbis uſus fuerit, dicendo in ignominiam Titii, qui procurator alicujus provinciæ eſt, omnes provinciarum procuratores ſunt nebulones.*

11. Quæ

11. Quæ injuria affert injuriato alia incommoda v. g. ut in collegio opificum non toleretur, nec artem mechanicam tractare poſſit, quâ ſe honeſtè ſuſtentet, major eſt. *Nam quod malum cum periculo magnorum & eventuriorum malorum conjunctum eſt majus eſt.*

12. Tandem & generaliter injuria eò major eſt, quò magis abitur ab æqualitate proportionis: i. e. quò ſuperior & honeſtior eſt injuriatus & vilior injuriam inferens. *v. g. ſi homo plebejus effuderit contumelioſas voces in Cancellarios, Conſiliarios vel alios, qui à latere principum ſunt; idiota in doctos &c. Nam juſtum in æqualitate proportionum poſitum eſt, & proinde quò magis ab æqualitate receditur, eò injuſtius eſt quod committitur.*

13. *Ex hiſce procedens judex prudenter pœnas injuriæ augere & aggravare poteſt, & eò magis quò plura quæ injuſtum majus arguunt concurrunt.* Graviſſimæ autem quæ ſint injuriæ, ex modò dictis quoq; cognoſcere poſſumus. nim. eæ, quæ inferuntur magiſtratibus à ſubditis, parentibus à liberis, dominis à miniſtris & famulis. *Nam his ineſt maxima inæqualitas, & per conſequens maximè injuſtum: hujus enim eſſentia in inæqualitate conſiſtit. Quapropter etiam his injuriis peculiares ſolent adſignari pœnæ, quas proinde ſeorſim duobus articulis comprehendemus.*

ARTIC. I.
DE
INJURIIS MAGISTRATIBUS ILLATIS.

1. Injuriæ magiſtratibus ſuperioribꝰ, vel iis, quorum conſiliis magiſtratus ſuperiores utuntur, illatæ, ſi verbales ſint, relegatione vel temporali vel perpetuâ pro ratione aliarum circumſtantiarum puniri ſolent. *Id enim teſtantur reſponſa facultatum juridicarum & ſcabinatuum. Et rectè. Nam non tantùm nimia inæqualitas huic delicto ineſt ratione perſonarum, ſed alia concurrunt aggravantia, nim. injuria magiſtratuum pertingit ad totam civitatem, conſiliariorum ad principem; major etiam eſt horum exiſtimatio quæ læditur, quàm aliorum hominum; his itidem debebat injurians reverentiam.*

2. Injuria realis in magiſtratum commiſſa arbitrariâ pœnâ punitur, & quidem ita, ut ad capitale ſupplicium judex ſuo arbitrio progredi poſſit. *Idq; etiam in Electoratu Saxon. obſervatur p. 4. Conſtit. Elect. 43 quâ jubetur, ut relegatione, amputatione manus, fuſtigatione, gladio ejuſmodi delictum puniatur.*

ARTIC. II.

DE

INJURIIS QVÆ PARENTIBUS INFERUNTUR.

1. Graviſſima quoque eſt injuria quam liberi parentibus inferunt. *Nam ob beneficium maximum, quòd ſcil. ab hiſce vitam habeant, ſummam liberi parentib. poſt Deum & magiſtratum debent reverentiã. Hinc jus divinum immorigeros liberos morte puniri vult. Deut. 21. v. 19.*

2. Hodiè ob atrociſſimas reales injurias vel amputatio manûs vel fuſtigatio; ob leviores, relegatio vel carcer dictari ſolet. *p. 4. Conſtit. Elect. 43.*

PARS TERTIA.

Membri viceſimi octavi

DE

MINUENTIBUS POENAS INJURIARUM.

1. *Minuentia pœnas conſiderabimus procedentes eâ methodo, quam ſuggerit cap. 3. huj. libr. Cùmq; conſtare debeat primùm omnium, an reus ſit cauſſa efficiens proxima delicti; à conſideratione hujus initium faciemus.*

ARTIC. I.

DE

EO QVI NON VIDETUR ESSE CAUSSA EFFICIENS PROXIMA INJURIÆ.

1. Dubium circa cauſſam efficientem injuriæ oriri poteſt in injuriâ ſcriptâ, & potiſſimùm eâ, quæ famoſus libellus vocatur. *Nam in famoſo libello multi diverſimodè ad injuriam inferendam concurrere poſſunt: eſt enim. 1. Inventor contentorum in carmine vel ſcripto injurioſo. 2. is qui oratione vel ſolutâ vel ligatâ illud concipit. 3. qui deſcribit. 4. qui publicat i. e. in publico loco affigit. 5. qui libellum publicatum reperiens divulgat & aliis oſtendit, ut contenta ejus ad notitiam hominum perveniant.*

2. Quæritur ergò circa famoſum libellum, an qui eundem ab altero conceptum deſcribit, aut nihil addit quàm ut eum publicet, aut inventum in loco publico divulgat ordinariâ pœnâ afficĩ debeat? *Et compoſitoribus quidem tantùm nonnulli Ddres pœnam ordinariam infligi volunt. ob Conſtitut. Carol. artic. 110. verb.* durch ſeine böſe unwarhafftige Läſterſchrifft hat bringen wollen *&c. quibus verbis videtur innui, compoſitorem ordinariâ pœnâ puniendum eſſe, non eum qui propalavit. Contrà alii ſentiunt, etiam publicantem vel dolo malo facientem, ut publicetur, vel ſcribentem afficiendum eſſe ordinariâ pœnâ l. lex Cornelia. 5. §. ſi quis 9. ff. de Injur. Et quamvis iiſdem non mortis*

pœna.

pœna ſed hæc tantùm, quòd jubeatur delinquens eſſe inteſtabilis, infligatur: apparet tamen ex eo textu, componentem, ſcribentem, edentem æquiparari. Magis perſpicuus eſt textus l. un. C. de famoſ. libell. Sed quia nonnunquam contingit, levioribus pœnis exiſtentibus, æquiparari eos, qui, quando pœnæ atroces ſunt ſubtiliter ab invicem diſtingui ſolent: relinquitur dubium, quid hâc in quæſtione ſtatuendum ſit. Verùm ſi ſolida adhibeamus fundamenta, non ignorare aut dubitare quid ſtatuendum ſit amplius poterimus. Quæſtio eſt, quisnam habendus ſit pro cauſâ efficiente proximâ delicti hujus, quod punitur talione ex Conſtit. Carol. Nam quærere quisnam ordinariâ pœnâ ſit afficiendus eſt quærere, quisnam ſit cauſſa efficiens proxima. cap. 3. pr. n. 2. huj. libr. Hanc ut ſciamus, videndum eſt, quisnam ſit ille finis excitans hominem ad delinquendum mediante famoſo libello. nim. delictum iſtud committentium hic finis eſt, ut quod ad infamiam alterius pertingens apertè dicere & probare nequeunt, omnibus cognitum reddant, ita tamen ut lateant, nec judicium propterea ſubire teneantur. Ex hiſce patet, an ordinariâ pœnâ afficiendi ſint qui famoſum libellum ſcripſerunt, propalarunt, repertum non ſuppreſſerunt ſed aliis publicârunt, generaliter definiri non poſſe. Nam alii ſcribunt vel publicant lucelli gratiâ, alii ut à compoſitore velut amico mereantur benevolentiam: illi profectò non puniri debent ordinariâ famoſi libelli pœnâ: neq; enim delicti hujus cauſſa efficiens proxima exiſtunt, utpote non excitati ad operandum à fine, quem intendunt libelli famoſi compoſitores; verùm à lucro. Unde infligenda his eſt pœna propter avaritiam, quâ ducuntur ad miniſterium in re tam turpi & injuſtâ præbendum. Cæterùm ſi appareat, ſcribentes & propalantes eodem fine quo compoſitorem excitatos ad operandum eſſe, non dubitandum eſt, quin velut cauſſæ efficientes proximæ pœnæ ordinariæ ſubjici debeant. Verùm quid ſtatuendum de eo, qui famoſum libellum reperiens non ſupprimit ſed aliis oſtendit? Sanè hunc tendere ad eundem finem, ad quem compoſitor libelli, non eſt dubitandum: adeoq; propemodum æq; graviter, peccare. Quamvis enim non æq; latere ſtudeat, putat tamen ſe poſſe impunè diffamare, cùm non auctor libelli ſit, & ita ſpe impunitatis idem committit quod is qui compoſuit. Videtur tamen mitius puniendus, quia minus proæreticè peccat quàm auctor, cujus eſt, famoſi libelli contenta excogitare & componere: compoſitum autem repertens & propalans ex oblatâ occaſione peccat: neq; enim ſi non reperiſſet libellum, unquam diffamaſſet alterum: ut adeò magis infirmitas quàm vitium huic inſit, dum non poteſt reſiſtere cupiditati diffamandi per inventionem paſquilli excitata, quâ infirmitate communiter homines laborare ſolent. Quapropter rectè Ddres procedunt qui repertori & propalanti paſquillum nolunt ordinariam pœnam dictare, perpendentes verba Conſtitut. Carol. art.

110. durch ſeine böſe unwarhafftige läſterſchrifft hat bringen wollen *&c. ſupra citata.*

ARTIC. II.
DE
CASUALI INJURIA.

1. Caſuales injuriæ variis modis fiunt, ſive ſint reales ſive verbales & vel in ſcriptis vel ſine ſcriptis. *Reales contingunt ita, ſi quis v. g. famulum verberaturus præter opinionem adventantem amicum pulſet; verbales, ſi quis exiſtimans, ſe à Titio injuriatū retorquendi animo injurioſa in eum verba conjicit, cùm non Titius ſed Mævius injurians fuerit. In ſcriptis autem frequentiſſimè contingit, quem committere caſualem injuriam; id quod noſtri typographi & bibliopolæ nos docent: quando enim typographus excudit aut bibliopola diſtrahit famoſum libellum alicujus eruditi & honeſti viri, de quo ne quidem cogitari poterat, eum innocentem hominem diffamaturum eſſe; nihil quicquam ei imputari poteſt, ob ignorantiam illius invincibilem. Hæc cauſſa eſt, quare in civitatibus conſtitui ſoleant inſpectores & cenſores ſcriptorum imprimendorum, quorum cenſuram typographi negligentes & clàm prælo ſubjicientes ſcripta famoſa meritò puniuntur.*

ARTIC. III.
DE
INJURIIS CULPOSIS.

1. Injuriam culpoſam committunt, qui acceptâ pecuniâ libellos famoſos ſcribunt, typis excudunt, diſtrahunt incognitorum auctorum. *Dum enim non inquirunt, ſuæ ignorantiæ cauſſa ſibi ſunt, ex quâ peccant, & ita ob culpam puniendi.*

2. Culpæ reos hocce in delicto & eos dicere poſſumus, qui rogati ab amicis componentibus famoſum libellum conſilia ſuasque inventiones ſuggerunt. *Hi enim non excitati à fine, quem intendunt compoſitores, ſed ut ſuum ingenium inventionibus oſtentent, aut ut benevolentiam captent cauſſa ſunt cauſſæ famoſorum libellorum: ac proinde non ordinariâ, ſed quâdam extraordinariâ pœnâ afficiendi.*

ARTIC. IV.
DE
INJURIIS PER EBRIETATEM COMMISSIS.

1. Ebrietas eſt duplex, altera planè immodica, quæ nullum judicio intellectus relinquit locum, altera quæ nondum mentem omnem planè evertit, illa ab omni pœnâ & palinodiâ liberat, hæc non item. *Nam famam & exiſtimationem lædere nequit alterius, qui*

ſine

ſine judicio intellectûs loquitur: nemo etenim ejusmodi hominis ſermones attendit. At quibus non planè immodica ineſt ebrietas intellectum in conſilium vocare poſſunt, ſint ſimiles iis, qui nimiis affectibus occupati peccant: cùm tamen ſciant quid loquantur, non negligitur ab auſcultantibus ſermo eorum, & propterea ſatis efficax eſt ad exiſtimationem lædendam. Quamobrem etiam à palinodiâ ejusmodi ebrietas non excuſat.

ARTIC. V.
DE
INJURIIS EX CALORE IRACUNDIÆ COMMISSIS.

1. In dictandâ pœnâ reo injuriarum alleganti calorem iracundiæ prudentis judicis eſt attendere cauſſam iræ. *Nam interdum cauſſa iræ talis eſt, ut excitet iram, quam nec homo aliàs lenis facilè ſedare queat, in rabiem quaſi conjectus; interdum verò cauſſa iræ levis exiſtit: illo caſu putem etiam palinodiæ remiſſionem eſſe faciendam. Nam homines rabiem irati videntes non facilè ducuntur ad fidem dictis tribuendam: unde videtur potius Chriſtiana deprecatio decernenda, vel nuda declaratio.*

ARTICUL. VI.
DE
IIS QVI INJURIAS IN SCRIPTIS REPERTAS ALIIS OSTENDUNT VEL AUDITAS REFERUNT.

1. *Eorum, qui famoſos inveniunt libellos eosq; non ſupprimunt, ſed aliis oſtendunt, mentionem fecimus artic. 1. n. 2. ubi demonſtravimus, illos magis ex imbecillitate quàm vitio peccare. Quâ de cauſſâ ratione ordinis hunc in locum, ubi agimus de iis, qui ex imbecillitate peccant, referendi ſunt.* Uti verò in his ſeſe res habet, ita & in iis qui aliqvam injuriam ſcriptam circumferunt vel etiam injurias auditas aliis narrant. *Nam hi non aeq; peccant ac qui injurias excogitant, tantùm videntur eâ eſſe imbellitate, ut cupiditati ad propalandam alterius ignominiam reſiſtere nequeant.*

2. Sed quæritur an qui auditas injurias (welche ihren Wehrmann haben/) referunt & auctorem laudare poſſunt à palinodia ſint liberandi? *Videtur non ſimpliciter affirmando vel negando reſponderi poſſe. Nam qui audita refert vel addit, ſe audita referre vel non; ille vel generaliter tantùm hoc dicit v. g.* die Leute ſagen/ *vel in ſpecie certum nominat. De hoc, qui, quando injuriam narrat, certum auctorem unà allegat, dubitari poteſt an palinodiâ onerandus ſit nec ne. Nam dum allegavit auctorem ipſe nihil aſſeruit, ſed dubitativè dixit: unde nec ad revocationem condemnari poteſt: qui enim nihil aſſeruit, nec poteſt dicere ſe mentitum:*

aliud enim eſt mentiri aliud mendacium dicere & narrare. Videtur tamen & qui injuriam evomens addit, ſe hoc audiviſſe ab illo vel illo, vel ab hominibus communiter id aſſerentibus, interdum confirmandi illud quod dicit & fidem conciliandi gratiâ hoc facere: quo caſu omninò certò aliquid ponere videtur. Eò itaq; delabimur, ut diſtingvamus, an audita narrans addat, ſe audita referre, & nihil certò aſſerere; an verò aſſerat quod dicit & auctorem alleget confirmandi illius gratiâ quod dicit; huic non dubitarem palinodiam dictare, illi non auderem. Quomodo enim ſeſe mendacem ipſe dicere poteſt, qui nihil aſſeruit, ſed dubium audientem reliquit? Leviter hic caſtigandus videtur, quòd eum, cui narravit, reddiderit de exiſtimatione alterius dubium. Is enim verè injurioſus eſt, qui hoc agit, ut loco opinionis, quam de bonitate alicujus homines habent, aliam & quidem contrariam concipiant, eum nim. vitioſum eſſe; non qui dubiũ quodammodo aliquem reddit & in opinione bonâ, quam de altero habet, minus conſtantem. Ex his, quæ diſſeruimus, apparet, eum qui audita refert, magis ex imbecillitate quàm vitio injuſtitiæ particularis peccare, adeoq; mitius puniendum eſſe.

ARTIC. VII.
DE
INJURIA QVAM PARIT IMBECILLITAS EX VITIO PROVENIENS.

1. Cogor hîc tractare quod ſuprà *cap. 3. huj. libr.* docendum fuerat. *Dum namq; in hac materiâ occupatus meditor, quæ cauſa ſit, quare homines ad palinodiam conventi ſoleant excipere, ſe ex jactantiâ, lucri cupiditate, ſcurrilitate, nimiâ iracundiâ effudiſſe verba injurioſa, non tamen injuriandi animo; quare itidem diſputari ſoleat à Ddribus, annon his in caſibus pœna mitiganda ſit & quomq;; incido in contemplationem imbecillitatis noſtri intellectûs, ut eum comparem pigro cuidam famulo non promptè ſed vi quaſi attracto & non niſi ſummâ neceſſitate, exigente domino, ſuas operas exhibenti. Cùm in cit. c. 3. verſarer, omnia ita diſponebam, ut nihil prætermittere poſſe viderer eorum, quæ de principiis actionum vitioſarum dici poterant. Nunc fluctibus ignorantiæ immerſus & anxius de elabendo, dum quæro cauſſam, quare homines vitia ſua prætendentes effugere injuriarum pœnam nitantur, intellectumq; meum probè fatigo, offert tandem ſeſe piger: ut adeò hoc in loco proponere cogar quod ſuprà debueram.*

2. *Tradidimus quidem lib. 1. huj. part. Vitium nullum eſſe ſolum, ſed plerumq; alia ſecum trahere adeò, ut quemadmodum nemo perfectè virtuoſus in unâ virtute eſſe poteſt, ita & nemo unum vitium perfectè habere queat ſine aliis. Non tamen nunc incidit (quanta imbecillitas!) vitium*

tium unum gignere quandam impotentiam in virtutibus omnibus, ut nullam virtutem firmiter & perfectè exercere poſſimus, ſed ſæpè ex imbecillitate peccemus. Quæ cauſſa eſt, quare vitium unicum, ſi adſit, alia vitia ſecum inducat: dum enim facit, ut nullam virtutem firmiter habere poſſimus & ſæpè ex imbecillitate peccemus, in alia vitia nos conjicit.

3. Pro inquirendis ergò cauſſis ex quibus demonſtrandum eſt, quod hîc conſiderandum ſumpſimus, dicimus, vitium aliquod efficere poſſe, ut edamus actionem alterius vitii propriam non ex illo vitio, ſed ex imbecillitate quâdam ſeu impotentiâ. *v.g. Eſto Sempronius homo nullâ in re injuſtus, ſed à teneris adſuefactus ut cuiq; tribuat quod ſuum eſt, nec cuiquam quicquam ſeu pecuniæ ſeu honoris detrahat, propoſitum etiam habens firmum nunquam id faciendi; extremè tamen iracundus. Hic motus ad iram & compeſcere illam non valens præpeditur, quò minus intellectum dictitaturum, neminem ratione exiſtimationis lædendum, & ſi Mævium, cujus intempeſtivo joco irritatus eſt, ſceleſtum nominaverit, illius exiſtimationem valde læſum iri, in conſilium vocare poſſit. Dico hunc injuriam inferre non ex vitio hujus delicti proprio nim. injuſtitiâ particulari; quia ſemper alias ſibi cavet, ne quenquam ratione bonorum externorum lædat; ſed ex imbecillitate, in quam conjicitur à vitio iracundiæ. Unde ſequitur, eum pœnâ aliâ puniendum eſſe, quàm quâ afficitur qui ſine cauſâ & propterea, quia ita adſuetus eſt, hoc agit, ut aliorum exiſtimationi detrahat.*

4. In delictis ergò, quæ non ex vitio horum proprio, ſed ex alieno pariente imbecillitatem committuntur, prudentis LLatoris eſt, vitium intueri quale illud ſit, qualiſque ſit imbecillitas ex quâ peccatur. *Nam boni LLatoris eſt in cauſſas & principia morbi probè inquirere, quò debita medicamenta applicare queat.*

5. *Hâc contemplatione præmiſſâ, videmur nunc poſſe ex cauſſis differere de variis injuriarum generibus, quorum alia ex jactantiâ, alia ex iracundiâ, alia ex avaritiâ, alia ex intemperantiâ, alia ex ſcurrilitate inferuntur.*

6. Ex jactantiâ injuriam inferunt qui gloriantur, ſe cum conjuge alterius vel aliquâ aliâ honeſtâ fœminâ rem habuiſſe, de quibus quærunt Ddres, an etiam injuriarum teneantur. *Rationem dubitandi reddunt, quod hi non videantur habere animum injuriandi, ſed tantùm oſtentandi, ſe hos eſſe, quos mulieres ita deperiunt. Et ſanè nemo negare poteſt, ejuſmodi homines animum injuriandi non habere, dum ſeipſos criminis illius reos deprædicant, quò alterum diffament. Dico ergò verba illa injurioſa non ex vitio injuſtitiæ particularis nec animo injuriandi, ſed tantùm ex imbecillitate & quaſi incontinentiâ injuriandi provenisse.*

niſſe. Ergone qui ita peccat mitius puniendus & à palinodiâ abſolvendus eſt? nequaquam: cùm enim hæc imbecillitas oriatur ex vitio aliquo; perpendendum, quale hoc vitium ſit; attendendum etiam an reverâ aliquid exiſtimationi honeſtæ fœminæ ſit detractum, & inde faciendum judicium de palinodiâ & reliquâ pœnâ. Quod ergò concernit vitium, ex quo peccatum hoc in caſu eſt, jactantiam ſcilicet; non ſolet in civitatibus huic eſſe pœna conſtituta: eſt enim ſtolidum & non facilè alii quàm habenti nocet; id quod cap. 3. membr. 1. n. 5. docuimus. Quia tamen in homine eousq; procedente, ut nec ſuæ nec aliorum famæ parcat, modò habeat, ut glorari poſſit, jactantia unà arguit, eum vel omnibus vitiis immerſum vel nullius virtutis curã habere, (extremè enim vitioſus videtur qui de vitiis gloriatur) meritò præter ſolitum gravi pœnæ ſubjiciendus eſt. Quapropter etiam Sereniſſimus Elector Saxon. p. 4. conſtit. 45. arbitrariam pœnam, nim. carceris, relegationis vel etiam pro ratione circumſtantiarum fuſtigationis ejusmodi delinquenti infligi voluit. Quod palinodiam concernit, quia talis jactator ſuo vitio facit, ut homines ſiniſtram opinionem de honeſtâ fœminâ concipiant, tribuentes fidem confitenti unà delictum ſuum; meritò ad palinodiam condemnandus eſt. Idq; ſimiliter ita SRmus Elector introduxit.

7. Ex avaritiâ variis modis injuriæ inferuntur. *v.g. quando bibliopolæ ſcientes excuſos libellos famoſos vendunt, quos arbitrariâ & gravi pœnâ affici debere nullum dubium eſt. it. quando mulieres pecuniam extorquere volentes juvenes divites deferunt, quaſi ab his ſtuprum perpeſſæ ſint; quibus Dares eam pœnam, quam SRmus Elector p. 4. conſtit. 45. in jactabundos juvenes ſtatui voluit, dictare ſolent.*

8. Ex intemperantiâ gignitur injuria, quando in præſentiâ honeſtarum fœminarum obſcœnis quis utitur verbis. *Intemperantes enim ſolent concupiſcentiam in ſeſe impudicis ſermonibus excitare & fovere. Hiſce quidem non palinodia, ſed potius deprecatio dictatur. Nam muliere honeſtâ ad animum ſtatim revocante voces obſcœnas, exiſtimatio ejus lædi non poteſt. Ergò ob juſtam iram in eâdem concitatam deprecatione injuſtum illatum corrigi debet.*

9. Qui ex iracundiâ injurias inferunt non ſolent diſtingvi ab iis, qui ex calore iracundiæ i. e. ex vehementiâ affectûs & iræ incontinentiâ id faciunt: non dubitandum tamen eſt, ob vitium iracundiæ pœnam exaſperari poſſe. *Nam in injuriis per imbecillitatem ab aliis vitiis creatam commiſſis vitiorum habendam rationem eſſe paulò antè diximus. Solent tamen injuriæ verbales, quas creavit iracundia, mitius puniri, præſertim, ſi in aliquâ maledicentiâ ſubſiſtant: eſt enim & maledicentia injuria, quia is cui maledicitur homo vilis reputatur: ſed parci-*

parcitur huic, quia ex iracundiâ peccat, nec valdè exiſtimationem lædit.

10. Reperiuntur ſcurræ, qui, ut placeant ſuâ ſcurrilitate hominibus, nec ſuæ nec aliorum exiſtimationi parcunt, quibus ſine dubio pro ratione circumſtantiarum arbitraria pœna cùm deprecatione imponi poteſt.

ARTIC. VIII.
DE IIS QVI POENITENTIA DUCTI INJURIAM REVOCANT.

1. Non dubitandum eſt, ob pœnitentiam injuriarum pœnam remittendam aut mitigandam eſſe, prout citius vel tardius ſupervenit. *Nam pœnitentia injuſtum hoc delicto illatum corrigit: dum enim homines pœnitentiam injuriantis & ultroneam revocationem vident, de ſiniſtrâ opinione ſtatim remittunt. Huic accedit, quòd perſecutio injuriarum apud Chriſtianos aliàs odioſa ſit: horum enim eſt, ſeſe promptos ad veniam exhibere deprecantibus. Hinc in Curiâ Elector. Saxon. introductum, ut conventus ſuper injuriis à palinodiâ ſe liberare poſſit, ſi propriâ ſponte coram judice profiteatur, ſe de actore nil niſi bonum ſentire, ſcire ac loqui poſſe. Jubet quoq; SRmus Elector cauſſas injuriarum ſine ambagibus & ſtrepitu judicii componere. Proceſſ. Judic. de Anno 1622. tit. 1. §.* beſonders aber. *Cujus nulla alia eſt cauſſa, quàm quòd actio injuriarum odioſa ſit.*

2. Multò magis autem pœnitentiæ locus datur, quando nocitum nondum eſt. *v. g. ſi quis libellum famoſum affigens pœnitentiâ ductus, antequam quiſquam contenta ipſius legerat, refixit. Nam cùm hic non ex vitio peccaſſe nec læſiſſe deprehendatur, remittendum ipſi erit.*

ARTIC. IX.
DE EO QVOD FIT A PROVOCATO ET JURE RETORSIONIS.

1. Jus retorſionis ſpecies quædam belli privati eſt, vel adminimum cùm bello privato non injuſto iiſdem fundamentis innititur. *Id enim indicant ſingula requiſita retorſionis, quæ obſervari Ddres volunt, quò juſta ſit.*

2. Primò autem circa retorſionem quæritur, quare, cùm bella privata non niſi in ſummâ neceſſitate, & quando omne judicis auxilium deficit, admittantur; retorſio conceſſa ſit, cum tamen qualiſcunque injuria verbalis per magiſtratum ſatis vindicari poſſit. *Nam licet injurians fugiat judicium, proceditur tamen adverſus abſentem & contumacem, pronunciaturq; idem quod in præſentem, imò jure Saxon.*

xon. contumax pro confeſſo habetur. Cumq́; pro defendendâ exiſtimatione injuriato ſufficere poſſit, ſi reus ad palinodiam condemnetur, licet abſens ſit nec eam præſtet: injuriato per judicia ſatis conſultum eſt, ut non opus habeat privatâ defenſione. Verùm cùm defenſio, quæ mediante retorſione fit, in ſolis conſiſtat verbis, ut inde graviores tumultus non ſint metuendi, & præterea injuria verbalis in præſentiâ multorum objecta melius corrigatur, retorſione impediente famam, quàm ſi cum ſilentio audita deferatur ad judicem: voluerunt jura privatis concedere, ut ſine ſtrepitu judicii ſuam exiſtimationem defendere poſſent, ne fortaſſe præſentibus peregrinis propaletur injuria objecta ſilentio excepta, & judicialis defenſio poſtea ſufficiens non exiſtat ad malum inde illatum corrigendum.

3. Quò verò retorſio non injuſta ſit, prærequiritur vera aliqua injuria. *Nam ceſſante injuriâ, retorſio eſt tantùm prætextus ſub quo quis alteri ſtudet impunè injuriam inferre. Quemadmodum nec defenſio dici poteſt quod ſine offenſione prævia ſit.*

4. Neceſſe quoque eſt, ut injuria pertingat ad retorquentem. *v. g. ut vel ipſius vel parentum, liberorum, fratrum, ſororum, conjugis vel ſimilium perſonarum, quarum læſio ad nos pertingere ſolet, honor & exiſtimatio petatur. Nam de quâ injuriâ non conqueri in judicio poſſumus, eam nec retorſione propellere conceſſum eſt.*

5. Tertiò requiri videtur, ne retorſione uſurus prius ſuâ injuriâ alterum provocaverit. *Nam qui efficacem actionem non habet ſuper injuriâ; multò minus privatam defenſionem licitam habere poterit: at qui alterum ſuis injuriis provocavit, efficaciter in judicio ſuper injuriis agere nequit: excipiet enim alter, ſe prius injuriatum ſeu injuriis provocatum eſſe. Hæc eſt ratio regulæ, quam tradunt Ddres,* Retorſionis non dari retorſionem.

6. **Quartò puto, ad retorſionem, ut non injuſta ſit ſed licita,** requiri neceſſitatem quandam: voco autem neceſſitatem, quando injuriatus exiſtimationem ſuam aliter quàm retorquendo vel in judicio agendo ſalvam retinere non poteſt. *Quemadmodum enim judices, antequam admittant litigantes ad judicium, ſolent omnibus modis tentare amicabilem compoſitionem: ita & multò magis qui loco judicii privatâ utitur defenſione & injuriæ propulſione, dare operam debet, an aliter quàm retorquendo exiſtimationem ſuam tueri valeat. Obtinere verò hoc poteſt amicè interrogando injuriantem, an hæc ſit mens ipſius in quâ conſtans perſeveraturus ſit, an verò verba ſua aliter interpretari aut quod dixit revocare paratus ſit. Hoc enim facto, ſatis apparet injuriatum aliter, quàm retorquendo vel judicium ſuſcipiendo, ſalvam exiſtimationem retinere non potuiſſe.*

7. Per

7. Per hoc verò non redditur injuſta retorſio, quòd injuriatus reum in judicium provocare & ibidem cauſſam peragere potuerit. *Cauſſam num. 2. reddidimus, ſcil. quòd jura civilia faciliora ſint in hac defenſione concedendâ, licet judicio locus ſit, propterea quod in ſolis verbis ſubſiſtat, nec cum metu turbarum & ſeditionum conjuncta ſit, quod ſecus eſt in reali defenſione & ea quæ armis fit.*

8. Addunt Ddres, retorſionem debere fieri in continenti, petitâ ſimilitudine ab eâ defenſione, quæ armis fit. Nos quamvis id non negemus, ſed, ut in continenti fiat, requiramus: id tamen argumento Ddrum à ſimilitudine petito firmiter inferri negamus. *Nam quòd durante offenſione & adhuc imminente periculo repulſio armis fieri debeat, hæc cauſſa eſt; quia ceſſante periculo dataq; copiâ perſonam lædentem in jus vocandi locus eſt judiciis, & ita privatum bellum ceſſat. Sed modò demonſtratum eſt, non obſtante, quòd per judicium injuria propelli poſſit, jus retorquendi dari. Quâ de cauſſâ alia quærenda eſt ratio, nim. quòd non in continenti retorquens videatur juri retorſionis tacitè renunciare, id quod avidè à LLbus arripitur; quia publica vindicta privatâ favorabilior eſt. Et ſi fervente irâ judicium intellectûs dictavit, à retorſione abſtinendum; videtur mutatio conſilii à meditatione vindictæ profectum eſſe.* Quâ de cauſsâ, quid ſit in continenti fieri, aliter in retorſione quàm in defenſione, quæ armis fit, definiri debet. *Nam qui non amplius in ipsâ concertatione & ardenti pugnâ alterum lædit non poteſt legitimam defenſionem prætendere. At retorſio dicitur in continenti fieri, quando quis percipiens injurias vel reſciſcens ſibi abſenti injuriam eſſe factam, ſtatim vel ipſe, ſi præſens eſt, retorquet, vel per nuncios aut literas retorſionem ſignificat. Quod profectò regulariter in defenſione, quæ armis fit, non procedit, ut quis arma vel auxiliatores quærere & ad pugnam ire poſſit, niſi ſingularis ratio aliquando id ſuadeat. Quâ de re ad materiam de poſſeſſionibus dicendi locus erit.*

9. *Ita vidimus, quæ faciant, ut retorſio illicita non ſit; ſequitur, ut de modo retorquendi diſſeramus.* Notandum autem eſt, licet licita ſit retorſio, eum tamen, qui retorquet, peccare poſſe in modo retorquendi. *Omnis enim de jure conceſſa defenſio hoc modo fieri debet, ne aliquam ſapiat vindictam.* Hinc ſi quis ejusmodi verbis utatur in retorſione, quæ non ſolius defenſionis gratiâ prolata apparent; ſtatim moderamen inculpatæ tutelæ exceſſum eſt.

10. *Ex hiſce, quomodo retorſio legitima definienda ſit, addiſcimus. Nim.* Retorſio legitima eſt, quâ injuriam aliquam ad nos pertingentem, quamque in judicio vindicare poſſumus, adverſus perſiſtentem in eâdem in continenti propellimus dicendo, eum, qui

protulit injuriam, mentiri. *Hinc ſolent hodiè retorſionem, quam per ſchedulam aut libellum faciunt, ita concipere: commemorant v.g. ſibi à Sempronio injuriam verbalem per calumniam illatam, dum dixit &c. ſe proinde honoris ſui defendendi gratiâ hoc dicere, Sempronium convitiatorem hanc injuriam inferendo mentitum eſſe ut ſceleſtum hominem: Qui enim dicit Tu furcifer, tu ſcelerate homo mentiris, defenſioni annectit vindictam & moderamen retorſionis excedit: aliud namq; eſt aliquem nominare furem; aliud dicere, eum ut furem mentiri. Multò minus novum crimen objiciendum eſt, dicendo injuriantem eſſe mendacem & adulterum* du Ehebrecher leugeſt. *Nam qui crimen objectat probare illud tenetur, nec retorſione ſeſe excuſare poteſt.*

11. Provocatus injuriis ob ſuas injurias relatas ita puniri debet quemadmodum is, qui excedit moderamen inculpatæ tutelæ. *Nam provocatus juſtam habet cauſſam ſui defendendi, ſed dum rurſus injurias in alterum conjicit, moderamen defenſionis excedit.*

ARTIC. X.

DE EO QVI VI OFFICII VEL POTESTATIS FECIT QVOD ALTERI IGNOMINIOSUM VEL INJURIOSUM VIDETUR.

1. Præcedenti articulo cœpimus dicere de iis, quæ injuriam reddunt non injuſtam, & oſtendimus, impunè aliquem in ignominiam alterius quid dicere, ſi provocatus injuriâ maneat in terminis retorſionis: ſequitur, ut dicamus de iis, qui vi officii vel poteſtatis ignominioſum quiddam in aliquem ſtatuunt. *Nam cap. 3. membr. 3. huj. libr. Illationem mali non injuſtam contingere bello privato; juſtam, vi poteſtatis & officii, demonſtravimus. Itaq; quomodo impune vi officii vel poteſtatis quid ignominioſum in alterum ſtatui poſſit, dicendum eſt.*

2. Injuriam non faciunt qui poteſtatem corrigendi & emendandi habentes quid ignominioſum alterius corrigendi gratiâ dicunt. *v.g. ſi magiſtratus aut parentes vitia iis, quibus præſunt, exaggerant, deformitatem ob oculos ponendo, quod ſine ignominiâ fieri nequit. Nam correctio verbalis fit excitando in delinquente pudorem, cujus moleſtiis fatigatus abſtineat à peccando: pudor autem aliâ ratione excitari non poteſt, quàm in præſentiâ honeſtorum virorum aliquid turpe & ignominioſum objectando, ut patet ex lib. 1. cap. 3. membr. 4. art. 4. n. 1. huj. p.*

3. Sunt quoque à pœnâ injuriæ immunes qui convitium dicunt propterea, quòd expediat Reip. illud revelare. *v.g. qui alicui objiciunt, quòd ſit latro, fur, raptor, morbo contagioſo laboret. Nam ad*

cujus-

cujuslibet civis officium pertinet quod ſalutare eſt Reipubl. & civitati promovere, quodq́; pernicioſum ſtudere impedire. At intereſt Reipubl. noſſe homines vitioſos & contagioſos.

ARTIC. XI.
DE
RELIQVIS IGNOMINIAM REDDENTIBUS MINUS INJUSTAM.

1. Omnia quæ faciunt ceſſare injuſtum particulare vel minuunt pœnam injuriæ vel planè veniam pariunt. *Nam circa pœnam ob injuriam inferendam ratio injuſti particularis habetur; quia diximus vitium gignens injurias eſſe particularem injuſtitiam.*

2. *Injuſtum particulare tollunt. 1. quæ faciunt alterum reverà læſum non eſſe, aut ſi læſus ſit, 2. levem eſſe injuriam, vel 3. læſo ſatisfactum eſſe, vel 4. remiſſam eſſe injuriam.*

3. Veritas convitii videtur facere, ut læſio omnis ceſſet, non tamen ab omni pœnâ liberat. *Quamvis enim ſoleant homines exiſtimare, ſe nemini injuriam facere, ſi probare poſſint illud turpe, quod de aliquo effati ſunt; non tamen ab omni pœnâ liberantur. Ordinatio enim Carolina artic.* 110. *vult, ut probantes injuriam non ab omni ordinariâ pœnâ immunes ſint. verb.* und ob ſich auch gleichwohl die auffgelegte Schmach der zugemaſten That in der warheit erfinde/ ſoll dennoch der Außruffer ſolcher Schmach nach vermögen der Rechte und ermeſſigung des Richters geſtraffet werden. *Ratio eſt, quia injuria injuſtum non eq; in mendacio quam in contumeliâ & læſione exiſtimationis conſiſtit. Lædit autem exiſtimationem non modo is qui quid turpe de aliquo prædicat quod non ineſt, ſed & qui quod reverà ineſt coram hominibus honeſtis objectat aut divulgat. Nam aliud eſt eſſe vitioſum aliud ab hominibus omnibus pro vitioſo turpi & vili homine haberi & reputari. Qui ergò veritatem convitiando dicit injuſtus nihilominus eſt, quando hoc agit propterea, ut homines eum, qui vitio laborat, actu pro vili homine habeant i.e. contemnant: actus enim opinionis, quam de vitioſo habemus eſt ex turpitudine alicujus nata vilipenſio. Quod autem de actu opinionis hîc dico declaratum eſt ſuprà libr. 1. cùm de ſcientiâ in actu primo & ſecundo ageremus; quemadmodum enim ſcientia ita & opinio hominibus ineſt duobus modis, actu nim. primo & ſecundo; actu primo ineſt hominib. opinio ea in quâ læſio exiſtimationis alicujus conſiſtit, quando quidem opinionem habent de perſonâ quod turpis ſit, nemo tamen actu hoc cogitat. v. g. Berta olim concubina Titii nunc à decem annis uxor ipſius in opinione eſt ſiniſtrâ, quod aliquando fuerit turpis ac vilis perſona, ſed nemo de eadem nunc actu cogitat. Qui ei nunc objectat turpitudinem concubinatûs, licet verum*

 dicat,

dicat, injuria illam afficit. Nam quæ mala exiſtimatio actu tantum primò & quaſi ſepulta erat, eam excitat, ut actu ſecundo ſubſiſtat; & per conſequens mulierem ratione exiſtimationis lædit. Ex hiſce patet, quare qui objectat crimen alteri & ad legitimè probandum ſeſe offert, quò delictum commiſſum puniatur, injuriæ crimen non committat, quia intentio ipſius non eſt exiſtimationem alicujus lædere, ſed conſulere Reipubl. ut puniantur vitia; contrà verò qui famoſum libellum conficit, licet probet poſtea delictum quod objecit extraordinariâ pœnâ afficiendus ſit. Nam cùm debuiſſet ſeſe in judicio ad accuſandum offerre, maluit eligere modum clandeſtinè detrahendi exiſtimationi alterius, quod vitium injuriandi in eodem pœnâ dignum eſt. Patet etiam, quare qui probat convitium verum eſſe, licet extra ordinem puniatur, non tamen ad palinodiam condemnetur, quomodo enim ei, qui probavit ſe vera dixiſſe, injungi poterit, ut cum ſui ignominiâ dicat, ſe mentitum?

4. Non poteſt etiam dici injuſtè læſus is, cui non vera ſed apparens tantùm injuria eſt illata. *Nam quod injuſtum apparens tantùm eſt verum non eſt, quòd autem verum non eſt id planè non eſt; quia illud non verum dicimus quod non eſt. Oritur autem apparens injuria verbalis vel quando verba generalia ſunt & ad nullum directa & alter ſe ſubſumendo illa ſibi malè applicat, vel quando verba ſunt ſpecialia & ad alterum directa ſed ambiguum habent ſenſum recipiuntq; aliam atq; aliam interpretationem, ut de injuriâ certus eſſe nequeas, niſi aliunde tibi conſtet de voluntate injuriantis. Ita v.g. ſæpè magiſtratus, præceptores, amici, ſuperiores, miniſtri eccleſiæ utuntur verbis ignominioſis quæ magis injuriandi quàm corrigendi animo dicta videntur, abutentes ſuâ poteſtate: ſic etiam ſodales, cùm innocuos deberent tractare jocos ejiciunt verba quæ apparent injurioſa. Quia verò quod apparet tale habetur, donec veritas elucescat: ſolent Dres in ejuſmodi apparentibus injuriis i. e. quando verba præ ſe ferunt aliquid contumelioſum & in ignominiam alterius vergens, ſtatuere & quidem rectè, ſi accuſatus de injuriis mediantibus indiciis & præſumptionibus probare velit, ſe non animo injuriandi dixiſſe, eum audiendum eſſe. Nam ſæpe ex indiciis alia voluntas hominis colligitur quàm verba ipſius præ ſe ferunt. Et tunc ſi quod antea apparuit injuria nunc demonſtratum fuerit in rei veritate non eſſe, omninò reus abſolvendus erit. Quin nonnunquam ſi ex indiciis de mente accuſati non ſatis firmiter conſtet, & is conſtanter aſſeveret, ſe alio animo quàm injuriandi dixiſſe, ſolet judex purgatorium deferre juramentum, quo præſtito abſolvitur ab injuriarum actione. Idq; etiam in Camerâ Imperiali ita obſervari teſtatur Gail. lib. 2. obſ. 106. Nam licet vel pejeret accuſatus, nihil injuſtè injuriatus patitur: tantum enim pro exiſtimatione ejus facit ejuſmodi juramentum quantum fortaſſe prodeſt palinodia.*

5. Mi-

5. Minuitur præterea pœna, ſi injuria ſit levis. *Nam quò minus eſt injuſtum, eò mitior debet eſſe pœna, quæ ob injuſtum illatum infligitur. Fit autem levior injuria vel ex ſe, ſi contumelia ſit minor & non tanta, ob quam in aliquem rurſus aliquid ignominioſum ſit ſtatuendum; vel ex proportione perſonarum: quò enim ſuperior & dignior eſt injurians quoq; vilior injuriatus, eò levior injuria eſt.*

6. Satisfit læſo duobus modis, vel ſi lædens ultrò revocat injuriam & fatetur ſe nil niſi honeſtum de altero ſentire; vel ſi injuria injuriâ compenſetur. Prius pro ſatisfactione habere Chriſtianos decet, utpote quos promptos deprecantibus Chriſtus eſſe voluit. *Quâ de re jam diximus ſuprà artic. 8. Nunc hoc in loco agendum erit de compenſatione, qualiter ea faciat pœnam injuriæ ceſſare. Notum enim eſt compenſione id quod injuſtum eſt tolli v. g. ſi Titius debet 10. Mævio & Mævius Titio rurſus 10. compenſatione facta ceſſat omne injuſtum.* Non tamen quælibet injuriæ compenſari poſſunt. *Nam aliæ injuriæ ſunt reales, aliæ verbales: quemadmodum autem in delictis diverſarum ſpecierum v. g. ſi Titius debeat Mævio equum, Mævius Titio bovem, compenſatio non tollit injuſtum, debet enim rerum compenſandarum manifeſta eſſe æqualitas; ita quoq; ubi diverſæ genere ſunt injuriæ, ſingulæ manent puniendæ ſecundum ſibi proprias & convenientes pœnas. Quin nec ſpecie eædem injuriæ compenſationem ſemper admittunt. Nam 1. inæqualitas perſonarum facit injurias non eaſdem, v. g. ſi ruſticus ſuo nobili infligit alapam, hic rurſus ruſtico, & ruſticus compenſationem prætendat; ea non admittitur; quia licet ab utrâq; parte verbera intervenerint, non tamen injuriæ ſunt eædem, utpote cùm injuria ſuperiori illata gravior ſit. 2. licet etiam æquales ſint perſonæ & verba eadem, non tamen injuriæ æquales reputandæ ſunt. Nam initium injuriandi faciens magis ex proæreſi & conſilio peccat, provocatus magis ex affectu. Quapropter tunc videtur compenſatio procedere, quando injuriæ ſunt eædem, nec apparet, uter injuriantium alterum injuriis provocarit. Extra hunc caſum reciprocantes injurias à ſuſtinendis mutuis actionibus injuriarum non liberi ſunt & ſinguli pro ſuo merito pœnis afficiuntur.*

7. Tandem & Remiſſio facit, pœnam injuriæ ceſſare. *Cùm enim ob ſolum injuſtum particulare inferatur pœna, neceſſe eſt, hoc ceſſante eam ceſſare: tollitur autem omne injuſtum remiſſione.* Eſtque remiſſio alia expreſſa alia tacita; & hæc quidem conſiſtit in facto amicitiam renovatam indicante. *v. g. in conjunctione dexterarum, familiari converſatione &c. extra caſum neceſſitatis factis. Quâ de re fuſius differendum eſt in materiâ de præſumptionibus. Notandum tamen eſt, poſſe nonnunquam magiſtratum, etiamſi remiſſio ſit facta, injuriantem punire, ſi*

in eodem appareat notabilis injuriandi vitioſitas, quia & injuſtitia particularis vitium eſt & pars univerſalis injuſtitiæ. Unde & injuriantes, correcto quamvis injuſto, puniri poſſunt.

ARTIC. XII.

DE ACCIDENTIBUS INJURIAM LICET SATIS VITIOSAM IMPUNEM REDDENTIBUS.

1. Dubitatur à nonnullis, an etiam Nobiles & Clerici, ſi fortaſſe illi plebejum, hi laicum injuriâ affecerint verbali, ignominioſam palinodiam ſubire cogendi ſint. *Non nimis durum videtur alicujus plebeji gratiâ integram familiam nobilem, vel alicujus laici cauſâ totum miniſterium affici ignominiâ debere. Verùm cùm nullus plebejus alicujus nobilis familiæ gratiâ teneatur ratione ſuæ exiſtimationis periclitari, nec miniſterium verbi exigere poſſit, ut injuſtum maneat incorrectum; meritò & ipſis, quemadmodum aliis injuriantibus, palinodia injungenda eſt. Nobilium contrà & clericorum eſt ita ſe gerere, ne quid faciant quod in ignominiam ſuæ familiæ aut officii, quod habent, vergat: nobilitas enim & clericatus non hoc inducunt, ut impunè flagitioſi ſint; ſed ut omni modo flagitia fugiant, ne aliis dedecori ſint.*

MEMBR. XXXI.

DE CRIMINE FALSI.

1. Criminis falſi naturam inveſtigare oppidò difficile videtur. *Nam doctores in hoc definiendo planè non conveniunt, dum alii hoc definiunt fraudulosam veritatis immutationem in alterius præjudicium vel damnum; alii verò, delictum quod L. Cornelia de falſ. coërcetur, voluntq́ ut nemo ob factum aliquod incidat in hoc crimen, niſi quem Lex Cornelia vel SCtum Libonianum, quod in ſupplementum L. Corneliæ latum eſt, aliæq́ conſtitutiones ac Reſponſa JCtorum, quæ eam legem interpretantur, diſertè notant. Verùm circa utramq́ ſententiam non deeſt, quod deſideres. Nam, quod poſteriorem concernit, non eſt novum, aliquando unâ lege coërceri quæ ad unum genus delicti non ſpectant, & omnes caſus qui ad crimen falſi ſpectant eſſe enarratos tit. de L. Cornel. de falſ. nullis rationibus doceri poteſt: ut adeò, ſi hanc ſequamur ſententiam, cogamur metuere, ne multa huic delicto annumeremus quæ non annumeranda ſunt, multaq́ ab hoc excludamus, quæ ad hoc referri debebant. Priori ſententiæ tutò adhærere itidem non poſſumus: quàm multa enim ſunt, quibus fraudulosè immutatur veritas in alterius præjudicium, quæ tamen crimini falſi accenſenda non ſunt? Exemplum nobis exhibet Paulus l.*

Quid

Quid ſit 23. *ff. ad L. Cornel. de Falſ. quando ait*: Quid ſit falſum, quæritur, & videtur id eſſe, ſi quis alienum chirographum imitetur, aut libellum vel rationes intercidat, vel deſcribat, non qui aliàs in computatione vel in ratione mentiuntur. *Nonne enim fraudulosè immutant veritatem in alterius præjudicium qui in computatione vel ratione mentiuntur? crimen tamen falſi committere negantur. Reſponderi quidem poteſt, in crimine falſi requiri talem veritatis immutationem, quæ non appareat l. inſtrumentorum 6. §. 2. verb. ut verum. In caſu autem quo negat Paulus cit. l. 23. crimen falſi committi, veritatem non ita eſſe immutatam, ut non appareat. At huic differentiæ non fidendum arguit, l. eos: 27. §. 2. cit. tit. Eſt namq; hæc mira quædam differentia crimen falſi à cæteris mendaciis diſtingvens. Sunt autem & nonnulla facta, quæ huic crimini adnumerantur, definitionem iſtam non admittentia. Unicum afferemus ex l. qui duobus 21. ff. ad L. Cornel. de falſ. quo in textu traditur, eum, qui duobus in ſolidum eandem rem diverſis contractibus vendidit, pœnâ falſi coerceri: huic nihil ineſt eſſentiæ in cit. definit. comprehenſæ.*

2. Sunt etiam hujus delicti ſpecies obſcuræ. *Nam alii Ddres tradunt, committi hoc crimen quinq; modis*, conſenſu, verbis, ſcripto, abuſu, ſilentio; *alii duobus modis*, perſonâ & re, *alii quatuor modis*, perſonâ, verbis, ſcripto, abuſu.

3. *Repetitis ergò iis quæ hactenus contemplati ſumus, quæq; ſuprà de vitiis in Republ. puniendis cap. 3. membr. 1. tradidimus, videmur ſequenti modo in naturam hujus delicti planè obſcuram & intricatam penetrare poſſe. Demonſtravimus citat. c. 3. membr. 1. vitia quatuor numero eſſe, quæ pœnis publicis in civitatibus coerceri ſolent, intemperantiam, avaritiam, iracundiam & injuſtitiam particularem; id quod etiam hactenus cum praxi congruere vidimus; nim. homicidia ex iracundiâ potiſſimum, furta, rapinas, latrocinia, lenocinia velut ex avaritiâ; delicta carnis ex intemperantiâ; injurias ex injuſtitiâ particulari provenire oſtendimus. Quodnam verò erit vitium falſariorum? licet reliqua quoq; vitia præter hæc, quæ puniri diximus, percurras, nullum reperies, ad quod, velut principium ſuum, crimen falſi referre poſſis, præterquam ad injuſtitiam particularem. Si dicas avaritiam ſtatui poſſe principium, propterea, quòd nonnulli Ddres hoc crimen vocent ſubdolum & occultum aliquod furandi genus: obſtabit, aliquando & ſine avaritiâ hoc crimen committi, v. g. ſi quis nobilem ſe mentitus deceperit pulchram & nobilem puellam ut ſibi nuptam acciperet.* Concludimus itaque potentiam criminis falſi activam ſeu vitium quo, mediante falſarii delinquunt, eſſe injuſtitiam particularem.

4. Co-

4. Cognito, poſitoque, vitium, quo mediante falſarii operantur, eſſe injuſtitiam particularem, quæritur porrò quomodo ab injuriâ differat. *Nam & injuriarum crimen potiſſimum ſuum principium injuſtitiam particularem habet. Inventâ ergò utriusq; differentiâ, fortaſſe manifeſta redditur criminis, de quo hîc agimus, eſſentia. Cùm itaq; injuria lædat exiſtimationem, fortaſſe falſi crimen erit, quo læduntur cetera bona externa. Verùm non dubium eſt, quin crimine falſi non certa quædam bona externa, ſed omnia ea, in quibus verſatur injuſtitia particularis, lædi poſſint. Itaq; quærendum ulterius eſt, quodnam illud ſit, in quo crimen hoc profectum ab injuſtitiâ particulari poſitum eſt.*

5. His ita perpenſis incidimus in definitionem falſi, quòd ſit crimen falſum pro vero ſubſtituens in iis, quibus veris non exiſtentibus, neceſſe eſt oriri injuſtum particulare proficiens delinquenti ad conſequendum quod ipſi non debetur.

6. At quænam ſunt illa, quibus non veris exiſtentibus oritur injuſtum particulare? *Id patebit, ſi repetamus quæ part. 1. de naturâ juſtitiæ particularis diſſeruimus; nim. Juſtitia particularis tam diſtributiva quàm retributiva conſiſtit in æqualitate proportionis perſonarum & rerum. Proportio perſonarum petitur à dignitate, quam ſingulæ perſonæ vel in communione vel in commutatione conſequuntur ſive naturâ ſive lege. (Sumimus autem dignitatis vocem hîc generaliter pro omni eo, quod perſonam aliquam habilem reddit ad participandum de juſto.) Rerum proportio petitur à qualitate & quantitate earundem: quantitas rerum à numero, pondere menſurâ.*

7. Ex hiſce colligimus, crimen falſi quatuor modis committi, *nim.* 1. ſupponendo falſam perſonam i. e. quæ capax alicujus juſti non eſt, quaſi ſit ea ipſa, quæ habilis eſt ad participandum de illo juſto. 2. ſupponendo falſam rem. 3. ſupponendo loco veri aliquod falſum in eo, unde petitur dignitas perſonarum ſeu jus ipſis competens. 4. ſupponendo aliquod falſum in eo, quo res metimur. Plures modos dari non poſſe inde colligimus: *cùm enim juſtum poſitum ſit in proportione perſonarum & rerum: neceſſe eſt dari quiddam quod perſonas quodq; res metitur, ſeu quod perſonarum dignitatem rerumq; quantitatem indicat; & hiſce conſtat & abſolvitur omne juſtum particulare, quo uno ex horum numero falſo, neceſſe eſt injuſtum oriri. Hi ſunt eſſentiales modi quibus crimen falſi committitur; qui communiter enarrantur, accidentales ſunt eſſentiam hujus delicti non attingentes.*

PARS PRIMA
Membri viceſimi noni.

DE SPECIEBUS CRIMINIS FALSI PETITIS A MODIS FALSUM COMMITTENDI.

ARTIC. I.

DE SUPPOSITIONE FALSÆ PERSONÆ.

1. Perſona falſa ſupponitur, dum fingitur eſſe ea, cui quid debetur vel quia pars alicujus ſocietatis eſt vel quia contraxit, vel quia privilegium aliquod habet, vel aliam aliquam ob cauſſam. *Nam inde homines dignitatem ſeu habilitatem participandi de jure aliquo conſequuntur. Hinc oriuntur ſuppoſitio alieni partûs & alia huic ſimilia delicta.*

2. Suppoſitio alieni partûs crimen falſi eſt, & jure civili capitali ſupplicio punitur i. e. deportatione *l. 1. C. & l. 1. §. pœna falſi 13. ff. de L. Cornel. de falſ.* in cujus locum apud nos fuſtigatio ſubſtitui ſolet. Idque ita obtinet, ſi ſui commodi cauſsâ id delinquens fecerit. *Nam ſolent mulieres, quò matres habeantur, cùm non ſint, & iis juribus matrum fruendo commodum & id, quod ſibi in rei veritate non debetur, percipiant, falſos partus ſubſtituere. Par eſt ratio, ſi mulier dicens ſe à juvene imprægnatam, quò extorqueat pecuniam & pro imprægnatâ habeatur, ſubſtituat partum alienum. In his enim omnibus caſibus ſupponitur perſona falſa, ut inde injuſtum eriatur & mater conſequatur quod non debetur.*

3. Quando quis ſuam perſonam loco alterius ſupponit, quò jus conſequatur, & accipiat id, quod ſibi non debetur, ſeu ſit honor ſeu pecunia, itidem falſum committit & arbitrariè, fuſtigatione, vel relegatione punitur. *Id enim ex ſuprà traditâ definitione ſatis apparet. Contingit autem duobus modis, ut quis ſuam perſonam loco alterius ſupponat, vel decipiendo homines ſimilitudine vel ſibi tribuendo titulos aut cognomina. Similitudine contingit, ſi quoad faciem alteri ſimilis, ut decerni vix poſſit, ſimulat illius mores & aſſerit, ſe illum eſſe. Inſigne exemplum eſt Arnoldi de Tillâ, Martinum Guerram repræſentantis, ut ejus uxorem deciperet. De quo latè Coraſius. Tribuendo ſibi titulos aut cognomen, quod non habet, peccat, qui ſubiens contractum aliud ſibi fingit nomen; it. qui ſe fert nobilem vel Ddrem vel aliam perſonam certo privilegio gaudentem, actus nobilium vel Ddrum vel privilegiatarum perſonarum proprios edendo; v. g. ſi quis prætendens ſe comitem palatinum creet*

notarios. Nam creati injuſtum patiuntur, dum reverà non fiunt & pecuniam temere profundunt, creans ex hoc injuſto conſequitur lucrum. it. ſi quis ſe pro milite gerit vel illicitis inſignibus utitur, vel falſo diplomate vias commeat. l. eos 27. §. ult. ff. de L. Cornel. de falſ. Referri & huc poſſunt mendicantes, qui morbos vel defectus naturæ ſimulant aut ſe jacturam ab igne paſſos prætendunt: ſuam enim perſonam falſam ſubſtituunt, ut habeantur in numero eorum, quibus homines officia miſericordiæ exhibent, quò ita conſequantur quod ſibi non debetur. Quibus pœna fuſtigationis dictari ſolet.

4. Falſum etiam committit qui ſupponit innocentem quaſi deliquerit. *v. g. ſi imitetur ſcripturam ipſius & literas exaret ad hoſtem; quaſi proditurus is ſit patriam.*

ARTIC. II.
DE
SUPPOSITIONE FALSÆ REI.

1. Speciei criminis falſi in ſuppoſitione falſæ rei conſiſtenti annumerari poteſt adulteratio aromatum vel corruptio omnis generis rerum venalium, quando v. g. piperi, croco miſcent ſimilitudinem quandam cum his habentia; *it.* quando medici circumforanei loco precioſorum ungventorum vendunt olea vilia. *Hoc enim pro crimine falſi habendum & extraordinariâ pœnâ afficiendum dictitat Ordinat. Carol. art.* 113. Landrecht. *lib. 2. art. 13. quæ ad fuſtigationem usq; augeri poteſt, prout plus injuſti hominibus à delinquente illatum eſt.*

ARTIC. III.
DE
SUBSTITUENTIBUS FALSUM JUS VEL FALSAM LEGEM.

1. Falſi juris ſubſtitutio variis modis contingit. *Nam lex alia eſt privata, alia publica; & vel quæ nulla eſt eſſe fingitur, vel quæ fertur aut lata eſt corrumpitur. Lex publica rurſus vel univerſalis vel ſingularis eſt. Singulari annumero privilegia it. ſententiam judicis: quia quod Judex publicè in judicio per ſententiam ſuam pronunciat, litigantibus lex eſt. Ex hiſce patebit, quàm variis modis falſum jus ſubſtitui poſſit, ut ita oriatur injuſtum particulare afferens falſario commodum.*

2. *Ne ergò ſpeciem aliquam criminis falſi prætermittamus, quomodo circa legem, quæ publicè fertur, falſum committatur primo loco dicturi ſumus. Lex ergò publica (voco hic omnem eam publicam, quæ vel lata eſt ab eo qui jura Majeſtatis habet, vel dicta à magiſtratu aut judice) aut quicquid publicè pronunciatum vim juris habet vel communiter o-*

mnia

omnes obligat vel ſingulare eſt. Circa jus univerſale falſum committit qui utitur falſis conſtitutionibus nullo auctore habito. *l. ult. ff. de L. Cornel. de falſ. it.* qui edicta prætoris in albo propoſita corrumpit. *l. hodie 32. pr. ff. eod. Nam ex edicto jus dicebant prætores, quod corruptum falſum jus creabat. l. qui nomine 25. ff. eod. Jus ſingulare vel privilegium eſt, quod certæ perſonæ competit:* Itaque crimen falſi committit qui falſis utitur privilegiis. *Vel eſt ſententia, quam fert judex decidendo controverſiam; quia ſententia eſt jus publicè pronunciatum legis inſtar obligans partes litigantes.* Omnis ergò falſum commodi ſui cauſsâ ſubſtituens, ut injuſta dicatur ſententia crimen falſi committit. *Nam ſententia tranſiens in rem judicatam eſt jus æternam auctoritatem habens; unde eò magis peccat qui falſum ſubſtituendo injuſtæ ſententiæ cauſſa eſt, quàm qui circa aliud jus hoc tentat, quod tantæ auctoritatis non eſt. Falſam ſententiam vel quis ipſe dicit, vel ut judex dicat facit.* Judex falſam ſententiam dicens, quam novit contra jus eſſe ſui commodi cauſsâ itidem hoc crimen committit. *l. 1. §. ſed etſi. 3. ff. eod. Pœna eſt arbitraria, ſed communiter hodiè pronunciare ſolent, ut ab officio judex deponatur & in exilium mittatur. Porrò faciens, ut judex falſam dicat ſententiã, vel ipſum judicem, vel id ex quo judicando procedit corrumpit.* Qui ipſum corrumpit judicem itidem in hoc crimen incidit. *l. 1. §. 2. eod. Punitur tamen mitius quàm communiter falſarii, nimirum relegatur ad tempus non amiſſis bonis; cùm aliàs falſariis jure civili dictetur deportatio publicatis bonis eorundem. l. qui duobus 21. fin. ff. eod. Corrumpentes id, ex quo judex judicando procedit, ſunt* 1. Falſum teſtimonium dicentes ſui commodi cauſsâ, vel malitiosè tacentes, *qui, cumprimis ſi magna ſit horum impudentia, deportatione jure civili puniuntur i. e. hodiè fuſtigatione l. 27. §. 1. & 2. l. 1. pr. l. 9. §. 3. ff. eod* 2. qui falſas cauſſas acceptâ pecuniâ inſtruunt advocatione *l.* 20. *ff. eod. Referendumq; huc crimen advocatorum qui dolo malo clientum ſuorum cauſſam produnt, diverſam partem adjuvant, proprias probationes diſſimulant, falſas exceptiones &c. admittunt eosq; in lite ſuperiores eſſe faciunt quos vincere poterant.* 3. Qui falſa inſtrumenta conficiunt, quibus probent, aut falſis confectis utuntur eadem producendo, *l. 8. C. eod. Quos ab unoquoq; judice arbitrariâ pœnâ afficiendos dictitat l. Divus 31. ff. eod.* His ſimiles ſunt qui ſigilla adulterina pro conficiendis falſis inſtrumentis conſtruunt. *Ordinat. crim. artic.* 112. Wer falſche Siegel machet. *&c. Ita patet, quomodo puniantur jus, quod publicè fertur, corrumpentes.*

3. *Leges privatorum jus facientes ſunt conventiones vim obligandi habentes. it. teſtamenta. (Ita enim ait Imperator Nov. 22. cap. 2.*

Diſponat itaq, unuſquiſq, ſuper ſuis, ut dignum eſt : & ſit lex ejus voluntas.) Ratione contractuum committitur crimen falſi, ſi *v.g.* quis eandem rem duobus diverſis contractibus vendit *l. 21. ff. eod. Nam leges ſequentis contractûs injuſtas reddit contractus à falſario prius initus. Quæ continentur contractibus ſolent probandi cauſâ inſtrumentis comprehendi, circa quæ, quomodo crimen falſi committatur, modò dictum eſt. Itaq, reſtat dicendum de teſtamentis. Committunt ergò falſum qui teſtamentum conficiunt de alterius bonis quaſi ipſe fecerit, & quia teſtamentum aliud fit in ſcriptis, aliud eſt nuncupativum.* Conficiendo teſtamentum in ſcriptis committitur crimen falſi, ſi quis convocatis iiſque corruptis ut ſubſcriberent ſeptem teſtibus teſtamento ſe heredem nominat, aut alio herede conſtituto ſibi multa legata relinquit. *Ejuſmodi teſtamentum eſt, quod Valerius Fabianus Domitii Balbi nomine confecit, propterea unà cum teſtibus adhibitis L. Corneliâ damnatus, referente Tacito lib.* 14. *annal. cap.* 40. Nuncupativum teſtamentum mediante crimine falſi committitur, ſi quis fingens ſe teſtatorem ſeptem vocatis teſtibus inſtituit heredem: *it.* ſi quis aliquem ut hoc ſimulet ſubornat. *Id enim aliquando contigiſſe Julius Clarus ſcribit, ut quædam mulier maritum, qui jam mortuus erat, ſubitò ſeponeret, ſubſtituto alio, qui diſcumbens lecto fingeret ſe maritum, & ne noſceretur obvolutum caput habens illam heredem nominaret in præſentiâ ad id convocatorum teſtium.* Idem crimen committunt teſtes qui falſum teſtamentum ſcientes ſubſcribunt & ſubſignant. *l. 2. ff. eod. verb. ſignaverit. it.* Qui teſtamentum juſſi ſcribere ſibi ipſis legata adſcribunt. *l. Divus. 15. pr. ff. eod. l. 6. pr* §. 1. *&* 2. Circa teſtamentum jam ritè confectum crimen falſi committunt qui illud amovent, eripiunt, delent, interlinunt, reſignant, mutant &c. *l. 2. ff. eod. l. 14. C. eod.*

ARTIC. IV.

DE HIS QVI FALSIS PONDERIBUS MENSURISVE UTUNTUR.

1. Crimen falſi committunt tandem & ii qui falſis ponderibus, menſuriſve utuntur. *Nam rerum proportio quoad quantitatem mediantibus ponderibus & menſuris inquiritur: ut adeò qui hiſce corruptis utitur ſui commodi cauſâ, majoribus in emendo, minoribus in vendendo, evertat tollatq, proportionem rerum pro juſto obtinendo ſervandam. Id quod crimen falſi eſſe ex noſtrâ definitione conſtat. Ejuſmodi falſarii in duplum quanti res eſt condemnantur & præterea in inſulam relegantur. l. penult. §. 1. ff. eod.*

2. He

2. *Hæ ſunt fermè ſpecies criminis falſi, quas conſulto tàm prolixè enarravimus, ut nimir. oſtenderemus, noſtra principia non modò exactè cum LLbus convenire, ſed etiam ita easdem illuſtrare, ut quod hactenus tenebris obvolutum nunc quaſi diſcuſſis iis ſatis clarum perſpicuumq́; cunctis penetrare nitentibus appareat.*

3. Appendicis loco annecto quæſtionem, an etiam crimini falſi ſit annumerandum, ſi quis literas alterius clàm reſignaverit & inſpexerit? *Ddres ſolent hoc pro crimine falſi habere ducti argumento, quòd & qui reſignat teſtamentum falſarius annumeretur. l. 2. ff. de L. Cornel. de falſ. Verùm reſignatio teſtamenti non propterea crimini falſi accenſetur, quòd alter auſus fuerit arcana teſtamenti inſpicere; ſed quia hoc ipſo corrumpitur jus dependens à voluntate teſtatoris circa ſucceſſionem & legata. Inſpectio verò epiſtolarum conſignatarum in crimen injuriæ potius incidit: quemadmodum enim injuriarum tenetur, qui invito domino in ædes ipſius intrat & ſingula perluſtrat; ita quoq́; qui literas alterius invito eo inſpicit rimans arcana ejusdem: deſpicientia enim eſt & factum cum contumeliâ alterius conjunctum. Quapropter pœna huic delicto non criminis falſi ſed injuriæ & quidem realis dictanda eſt.*

PARS SECUNDA

Membri viceſimi noni.

DE

AUGENTIBUS POENAM CRIMINIS FALSI.

1. Crimen falſi eò graviorem meretur pœnam, quò majus eſt bonum quod per injuſtum ex falſo illatum adimitur vel deterius malum quod infertur. *v. g. falſum quo aufferetur vita, fama, libertas; majus crimen eſt, quàm quo pecunia. Nam quò majus eſt malum illatum vel bonum ablatum, eo majus injuſtum eſt, ut cap. 5. membr. 1. artic. 12. lib. 1. demonſtravimus; ut adeò ad pœnam gladii judex tali in crimine procedere poſſit & jus talionis ſtatuere, quemadmodum in famoſo libello. Caſus talis eſto: Titius nocturno tempore occiditur, Sempronius obambulans deprehendit præter Titium occiſum in viâ publicâ jacentem Mævium vino ſomnoq́; ſepultum, cujus cultrum manus veſtesq́; ſanguine Titii commaculat, indicando vigilibus, ſe in viâ deprehendiſſe Titium occiſum, ducensq́; illos ad viſendum eum eâ via progreditur, quâ unà Mævium offendant, quò is velut reus cædis periculum vitæ ſubeat. Dico hoc falſi crimen graviſſimum eſſe, & judicem ſalvâ conſcientiâ pœnam gladii Sempronio dictare poſſe, licet condemnatio Mævii ſecuta non ſit. Nam Ordinat. Carol. liberum reliquit judici pro ratione circumſtantiarum ad gladii pœnam procedere: art. 113. verb.* und es möchte ſolcher falſch als offt

größlich und boßhafftig geſchehen / das der Thäter zum Tode geſtraffet werden ſoll: *at circumſtantiæ hoc in caſu ſatis graves ſunt; quia, quantum in falſario eſt, omnia fecit quæ ad vitam injuſtè adimendam Mævio mediante crimine falſi agi oportebat.* Longè adhuc gravius peccat qui crimen falſi committit, ut adimat vitam magiſtratui vel alii honorato viro. *Quò enim ſubjectum eſt dignius, eò præſtantius eſt bonum quod illud afficit, & eò etiam gravius eſt crimen. Sic falſificator monetæ longè gravius peccat, quàm alius quispiam falſarius ob malum, quod per hunc infertur, majus; quia ad quamplurimos ſe extendit.*

2. Ad aggravandum hoc crimen facit Reiteratio. *Quò plura enim injuſta quis commiſit, eò injuſtior eſt. Injuſtitia quippe particularis in inæqualitate poſita eſt, & eo quod quis ſibi plus ſumit; id quò pluries quis facit, eò injuſtior eſt.*

PARS TERTIA

Membri viceſimi noni.

DE MINUENTIBUS POENAM CRIMINIS FALSI.

ARTIC. I.

DE EO QVI MINUS PROPRIE CAUSSA EFFICIENS FALSI VIDETUR DICI.

1. Non videtur æquè puniri poſſe qui falſo inſtrumento utitur, non tamen illud confecit, ac qui ipſe auctor inſtrumenti eſt. *Præterquam enim quod l. falſi 13. §. 1. ff. h. qui non fecit falſum inſtrumentum, ſed tantùm recitavit à pœnâ L. Corneliæ abſolvatur, ſuadet etiam hoc ratio à naturâ cauſſæ efficientis petita. Quò enim infligi alicui pœna poſſit, requiſivimus ſuprà, ut ſit cauſſa efficiens delicti. i. e. ut in eo, deprehendatur principium ſeu illud primum unde delictum manat. Sed principium falſi ineſt ei potius, qui inſtrumentum falſum conficit, quàm qui illo utitur; huic enim ineſt principium illius injuſti, quod mediante falſo, cujus alter cauſſa eſt, obtinetur. Eſt autem propriè cauſſa efficiens criminis falſi is, cui ineſt principium à commodo, quod mediante injuſto obtinetur, excitatum ad falſum illius injuſti cauſſam operandum.*

ARTIC. II.

DE CRIMINE FALSI CULPOSO ET CASUALI.

1. Quemadmodum in cæteris criminibus, ita & in hoc error & ignorantia excuſat ab ordinariâ pœnâ. *v. g. ignoſcitur ei, qui per errorem falſa inſtrumenta produxit in judicio. l. penult. ff. de L. Cornel.*

nel. de falſ. Sic quoq; ignoſcendum dicitur fœminæ, quæ dictante matre ſuâ per ignorantiam juris legatum ſibi ſcripſerat; l. Divus. 15. §. idem 5. ff. eod. cum aliàs legatum ſibi ſcribens incidat in pœnam L. Cornel. Hæc cauſſa eſt, quare convenienti aliquem de hoc crimine dolum probare tenentur.

ARTIC. III.

DE EO QVI CRIMEN FALSI EX IMBECILLITATE COMMITTIT.

1. Ex imbecillitate peccat, qui v. g. minorennis eſt & juſſu ejus, in cujus poteſtate eſt &c. falſum committit. *v. g. ſi minorennis juſſu patris ſibi quid in teſtamento adſcripſerit. l. Senatus 5. ff. de L. Cornel. de falſ.*

ARTIC. IV.

DE EO QVI IN CRIMINE FALSI OCCUPATUS POENITENTIA DUCITUR.

1. Pœnitentia multum prodeſt hoc in delicto ad veniam conſequendam, prælertim ſi nondum perfecto delicto ſupervenerit. *Rationem, quare pœnitentia vel mitiget pœnam vel ab eâdem planè liberet, reddidimus in ſuperioribus. Quod verò & hoc in delicto veniam operetur, teſtatur cit. l. 5. & l. qui falſam 29. eod.*

ARTIC. V.

DE POENA ATTENTATI CRIMINIS FALSI.

1. Conatus, licet ad actum proximum pervenerit, mitius modernâ Ddrum conſvetudine punitur, quàm ſi effectus ſecutus ſit. *Nam hodiè communiter in praxi obſervatur, ut etiamſi ad actum proximum perventum ſit, mitior & non ordinaria pœna inferatur. Cujus cauſſam quoad delicta ex cæteris vitiis deſcendentia in præcedd. oſtendimus. Id autem circa delicta ex injuſtitiâ particulari venientia multò magis obſervandum eſſe ſuadet hæc ratio, quòd virtus, cui injuſtitia particularis hujus delicti genitrix opponitur, non in animi quâdam mediocritate, ſed eâ, quæ extrà & in rebus perſoniſq; conſiſtit, poſita eſt, ſubtiliter id docente Ariſtotele. Quâ de cauſsâ, quò injuſtum ordinariâ pœna puniatur, quandam inæqualitatem dari neceſſe eſt; quæ non eſt, niſi delictum effectum ſit conſecutum. Hinc qui ſe Nobilem vel Ddrem jactat, nihil tamen injuſti effectu infert, non hac pœnâ afficiendus, quâ illi qui injuſtum effectu his nominib. adſumptis commiſêre. Et hæc faciunt pro hodiernâ praxi circa conatum. Non eſt autem dubitandum, quin & L. Lator conatum, qui ad a-*

ctum

ſtum proximum pervénit ordinaria pœnâ punire poſſit; quia, quantum in delinquente, delictum abſolutum eſt. Quapropter jure Romano tenetur pœnâ L. Corneliæ qui legatum ſibi adſcripſit, quamvis legatum inutile ſit, quemadmodum & is, qui in teſtamento invalido vel poſtea infirmato ſibi quid adſcripſit. l. ſi quis 6. pr. ff. de L. Corn. de falſ. it. qui codicillos falſos compoſuit, licet iisdem non ſit uſus. l. ſi falſos. 8. C. eod.

MEMBR: XXX.
DE
CRIMINE REPETUNDARUM.

1. Criminibus injuriæ & falſi ſubjicimus meritò ſequentia, Repetundarum, Ambitûs, Calumniæ, Prævaricationis, Tergiverſationis, Fraudationis annonæ publicæ, & ſtellionatûs. *Nam hæc omnia crimina vel naturam injuriæ & falſi habent vel ad eam quam proximè accedunt, prout ex ſeqq. patebit.*

2. Crimen repetundarum dicitur, ſi, qui in officio aliquo, munere, miniſteriove publico eſt, pecuniam ob judicandum vel decernendum vel quò magis aut minus quid ex officio ſuo faceret acceperit. *l. 1. pr. & l. 3. & 4. ff. ad L. Jul. Repet.*

3. Eſtque hoc crimen ſimile illi falſi crimini, quod judex corruptus malè judicans committit. *Nam uti judex corruptus ſui commodi cauſâ ſubſtituit falſum jus, quo nocetur privatis litigantibus; ita magiſtratus, horum conſiliarii & miniſtri loco ejus quod ad ſalutem publicam pertinet, ſubſtituunt quid perniciosum acceptâ pecuniâ. Hinc crimen repetundarum committunt magiſtratus majores ſeu cum Imperio pecuniam ſumentes ne judicem dent, vel mutent, (dabant enim apud Romanos magiſtratus ſuperiores judices pedaneos præſcriptâ formulâ. Quâ de re infrà in materiâ de proceſſu.) ut hominem in vincula publica conjicere vel ex vinculis dimittere jubeant, ut eum condemnent vel abſolvant; it. ut ſententiam talem vel talem in ſenatu dicant. l. 6. §. ult. & l. ſeq. ff. ad L. Jul. Repetund. Et in ſummâ omnes qui munus publicè mandatum acceptâ pecuniâ ruperunt crimine repetundarum poſtulantur. l. ult. ff. eod.*

4. Videtur tamen hoc crimen magis ex avaritiâ eſſe & reſpectu ad avaritiam habito puniri. *Nam ad pœnam ſufficit, magiſtratum accepiſſe pecuniam & officium venale habuiſſe, licet nihil injuſti cuiquam intulerit officio malè adminiſtrato, quia & ſi pecuniam officii benè gerendi gratiâ acceperit, repetundarum tenetur.* Itaque vitium quod principium hujus delicti exiſtit eſt avaritia eò ducens magiſtratus, ut ea, quæ vi officii præſtare tenentur venalia habeant, & quaſi cum hiſce mercaturam exerceant. *Elegans hac de re eſt l. 3. C. eod. cujus verba hæc ſunt:* Omnes cognitores & judices à pecuniis atque patrimoniis

moniis manus abſtineant, neque alienum jurgium putent ſuam prædam. Etenim privatarum quoque litium cognitor idemque mercator, ſtatutam LLbus cogetur ſubire jacturam. *Ex quo textu apparet, etiam repetundarum conveniri poſſe judicem, qui ut judicaret ſeu malè ſeu benè accepit pecuniam, licet falſum judicium ſecutum non fuerit. Quia ſufficit ad hoc crimen, ex avaritiâ pecuniam acceptam & venale officium habitum eſſe.*

5. Crimen ergò repetundarum committit qui ductus avaritiâ gerenda ex officio publico venalia habet & pro datâ pecuniâ benè vel malè gerit.

6. Pœna jure civili extraordinaria eſt ſeu arbitraria exilii nimirum vel gravior interdum prout admiſerint. *l. 8. ſ. ult. ff. eod.*

7. Ejusdem cum crimine repetundarum eſſentiæ eſt quod committit teſtis accipiens pecuniam, ut veritatem dicat. *Nam eq̃ ac magiſtratus, qui repetundarum tenetur, peccat teſtis venale ſuum officium faciens, quod ultrò ſine mercede præſtare debebat. Pœna, quam Ddres dictare ſolent, eſt carcer vel relegatio temporalis.*

MEMBR. XXXI.

DE

CRIMINE AMBITUS.

1. Crimen ambitûs committitur ab iis, qui corrumpunt eos, penes quos jus eſt eligendi magiſtratus, quò, licet minus idonei ſint, ab iisdem eligantur & muneribus publicis præficiantur; habetque naturam vel ſimilitudinem criminis falſi. *Nam ambitûs crimen perpetrantes æq̃ peccant, ac qui judicem corrumpunt, ut malè judicet: utriq̃ enim pecuniâ ſuâ & largitionibus faciunt, ut malè judicent, judices quidem de cauſâ, electores de perſonâ muneri præficiendâ.*

2. Erat hoc crimen frequens apud Romanos. *Nam cùm penes populum eſſet jus creandi magiſtratus, dabant operam candidati, ut corrumperent plebejos, & vota ab iisdem mercarentur.*

MEMBR. XXXII.

DE

CALUMNIANTIBUS, PRÆVARICANTIBUS ET TERGIVERSANTIBUS.

ARTIC. I.

DE

NATURA HORUM DELICTORUM.

1. Calumniari eſt alteri dolo malo faceſſere negotia in judiciis. *Nam & calumniari dicitur qui in judicio de cauſâ civili inſtituto alteri ſciens faceſſit negotia.* Hîc autem, quatenus in crimen incidit,

cidit, calumniari nil aliud eſt, quàm falſa crimina intendere. *Falſa verò crimina intendere eſt hoc agere, ut aliquis innocens condemnetur, vel accuſando adhibitis falſis teſtibus vel ſubſtituendo accuſatorem vel delatorem ſuggeſtis probationibus.* Pœna jure civili eſt ſimilitudo ſupplicii quod calumniator innocenti ſtruebat. *l. ult. C. de Calumniat.*

2. Prævaricari hìc eſt colludere cum reo & translatitiè munere accuſandi defungi, quò nocens à pœnâ criminis abſolvatur. *Eſt autem translatitiè munere accuſandi fungi probationes diſſimulare, falſas verò exceptiones Rei admittere l. 1. §. prævaricatorem. 6. ff. ad SCt. Turpit.*

3. Tergiverſari eſt ab accuſatione deſiſtere citra abolitionem criminis. *l. 1. §. ſi quis 7. ff. eod. Abolitionem criminis [illegible] Romano impetrat, qui oſtendere poteſt, ſe non fallaciter per temeritatem, calorem, errorem ad accuſationem proſiluiſſe, non qui à reo corruptus vel deceptus eam poſtulat l. abolitio 2. C. de abolit.*

ARTIC. II.

DE

MITIGANTIBUS POENAM CALUMNIANTIUM.

1. A pœnâ calumniæ liber eſt qui ex inconſulto calore vel caritate naturali proſiluit ad falſum crimen intendendum. *l. 1. §. quæri poteſt 5. ff. ad SCt. Turpil. l. mater 2. C. de Calumn. l. calumniæ. 4. C. eod. Nam hic magis ex imbecillitate quàm dolo peccat.*

2. It. qui in minis calumniandi ſubſiſtit, pœnæ, quam SCtum Turpil. introduxit, non ſubjicitur. *l. Quæſitum eſt 5. ff. eod.*

MEMBR. XXXIII.

DE

FRAUDATORIBUS ANNONÆ PVBLICÆ.

1. Fraudator annonæ dicitur qui ſui lucri gratiâ hoc egit, quò annona carior fieret: Eſtque ſimilis falſario. *Nam hoc agere, ut omnia carius vendantur eſt multorum iniquorum contractuum auctorem eſſe. Et proinde in eo ſimilis eſt falſario fraudator annonæ, quòd uterq; injuſti particularis principium & cauſſa ob ſuum commodum exiſtit.*

MEMBR. XXXIV.

DE

CRIMINE STELLIONATVS.

1. Delictis, quæ quam proximè ad crimen falſi accedunt, annumero crimen Stellionatus. *Parum namq; ab hoc videtur differre, & quantum ex LLbus & Ddribus colligere poſſum, non niſi gradu calliditatis. Videtur enim crimen hoc nomen habere à ſtellione animali, quo cum*

cum nullum fraudulentius homini invideat, ſtellionum nomen in maledictum translatum fertur. Plin. lib. 30. cap. 10.

2. Videtur autem Stellionatûs crimen poſitum in ſophiſticâ quâdam ratione injuſtum committendi. *Quæ ratio convenientiæ eſt cum crimine falſi. Nam hoc ſubſtituit ſimpliciter falſum, quo injuſtum obtineatur; at ſtellionatus aliquid adhibet ſophiſticum. Unde nonnulla quæ crimini falſi annumerantur ſtellionatui etiam accenſentur.*

3. Plerumque ſtellionatûs crimen admittitur interveniente contractu. *Nam dum ſtelliones ſophiſticè delinquunt, hoc agunt, ut commutationes juſtæ videantur quæ ſunt injuſtæ; & ita ſub ſpecie commutationum voluntariarum peragunt invitas. Ita v. g. ſtellionatus eſt, quando diſſimulatâ obligatione res pignorata alii venditur. l. 4. ff. de crim. ſtellionat. it. ſi quis rem diverſis temporibus pluribus donat: poſterior enim donatione decipitur, ut beneficia ſtellioni fruſtrà exhibeat. it. ſi quis frumenta vendentibus in foro plus precii offert, non emendi animo, ſed ut annonæ caritatem augeat. Habet quidem hoc naturam criminis falſi ſed, ob adhibitam fallaciam, ſtellionatus reputatur. it. Qui commodatâ pecuniâ & oſtentatâ hoc agunt, ut mutuam accipiant pecuniam decepturi creditorem. it. ſi quis in capſulâ res precioſas oſtentans & mox obſignans, illasq́; pignori ſe daturum ſimulans, aliam capſulam ſubſtituit acceptâ mutuâ pecuniâ. it. Qui triſte vel lætum afferunt nuncium, ut alter conſentiat, cùm nunquam aliàs conſenſurus fuiſſet. His fermè modis committitur ſtellionatus.*

4. Pœna hujus delicti eſt arbitraria. *Nam injuſtum particulare, quod ſophiſticis artibus infertur, non unius generis eſt, ſed varium ratione læſionis.*

MEMBR. XXXV.
DE CRIMINE LÆSÆ MAJESTATIS HUMANÆ.

1. Crimen læſæ Majeſtat. duplex eſt: vel enim læditur Majeſtas humana vel divina.

2. *Humanam majeſtatem definiunt Ddres.* ſummam & perpetuam legibusque ſolutam poteſtatem: *adeoq́; genus ponunt poteſtatem, differentiam autem in tribus collocant.* 1. quod ſit ſumma ſeu nullum ſuperiorem niſi Deum recognoſcens. 2. quòd ſit perpetua: *ſumunt enim poteſtatem magiſtratuum ſupremorum tempore reſtrictam, qualis erat Dictatorum, CSS. Prætorum apud Romanos Majeſtatem dicendam non eſſe, ſecus ac jura civilia faciunt, quæ Majeſtatis CSS. prætorum toties quoties mentionem faciunt, retentâ conſuetudine loquendi*

in liberâ Republ. uſitatâ. 3. quòd ſit legibus ſoluta: *eum enim, qui LLbus ſubjectus eſt, ſummum haud dici poſſe putant: cùm videatur contradictio, ſummum eſſe & legem velut ducem & ſuperiorem agnoſcere. Hanc definitionem in medio relinquimus velut conſtantem differentiis ab accidentibus quibusdam ejus, qui majeſtatem habet, petitis, pro ratione inſtituti noſtri naturam Majeſtatis ſequenti modo inveſtigantes & deſcribentes.*

3. Videtur Majeſtas in regibus & Imperatoribus eſſe quiddam ſimile exiſtimationi privatorum. *Nam iisdem videtur modis lædi Majeſtas, quibus exiſtimatio: quemadmodum enim injuria alia realis alia verbalis eſt; ita quoq; Majeſtas vel verbis vel re lædi videtur; ut ita crimen læſæ Majeſtatis ſit injuria regi, imperatori vel Reip. ſupremæ illata. Hinc quemadmodum injuriam privati patiuntur vel per ſe vel per alios, liberos nimir. vel uxores: ita quoq; crimen hoc committitur vel in ipſas regum perſonas vel in conſiliarios & legatos horum perſonam repræſentantes.* Uti ergò exiſtimatio conſiſtit in opinione, quam homines de aliquo habent, quòd ſit virtuoſus aut ad minimum non malus: ita etiam Majeſtas conſiſtit in ſubditorum firmâ opinione imperantem ſummis honoribûs dignum, eique tanquam inviolabili omne obſequium omnemque reverentiam exhiberi debere.

4. Videtur etiam habere Majeſtas ſimilitudinem quandam cùm auctoritate. *Nam auctoritas iisdem videtur conſiſtere in opinione inferiorum, quam de aliquo velut ſuperiori habent, ejus ſententiæ & decreto parendum ſtandumq; eſſe. Sic dicimus, Titii magnam apud vulgus auctoritatem eſſe, quando videmus, vulgus firmiter opinari conſiliis & decretis illius parendum eſſe.*

5. Ex hiſce patet, ſi id, in quo conveniunt exiſtimatio, auctoritas & Majeſtas, & ea in quibus differunt, inquiramus, Majeſtatis definitionem nos obtenturos eſſe. *Nam naturam rei tunc ſufficienter à nobis inquiſitam cenſendum eſt, quando id, in quo cum aliis convenit, & ea quibus ab iisdem differt, cognita habemus: neq; enim in inveſtigandâ naturâ rei differentias ejus ab omnibus ſpeculari neceſſe eſt; ſed ſufficit illas in congenereis cognitas habere.*

6. Videtur autem aliter nominari exiſtimatio, aliter auctoritas & Majeſtas: *ita enim in relatis comparatum eſt, ut modò ab hoc modò ab altero relatorum quid denominetur: v. g. obligationis vox petita ab eo, qui obſtringitur, denotat etiam jus quod quis erga obſtrictum ſibi competens habet. Similiter exiſtimatio denotat aliquid, de quo eſt bona opinio, quodq; meretur eam; propriè tamen ipſa bona opinio eſt: contrà auctoritas & Majeſtas propriè id ſignificat, quod ineſt ei, de quo bona opinio eſt;*

eſt, quodq́; eam meretur. Hoc autem aliter quàm dignitatem, voce hac generaliter ſumptâ, nominare non poſſumus.

7. Majeſtas ergò auctoritas & exiſtimatio paſſivè ſumpta videntur genus habere dignitatem, voce hac generaliter acceptâ. *Sunt namq́; id, quod habent ii, de quibus bona opinio eſt.*

8. Poſito, quòd genus Majeſtatis ſit quædam dignitas, inquirendum erit porrò, quomodo ab auctoritate differat. *Nam auctoritas quàm proximè ad Majeſtatem accedit: in iis autem, quæ quam maximè ſimilia ſunt, danda potiſſimum opera eſt, ut differentias obtineamus.*

9. *Majeſtas & auctoritas tanquam dignitates eorum, qui ſuperiores ſunt quà tales, aliter quàm gradibus ſuperioritatis differre nequeant. Itaq́; ſi, quæ dignitas in ſummo aliquo poſita ſit, inveſtigaverimus, natura Majeſtatis erit data. Cumq́; tres ſint partes civitatis, in quibus tota Reſpublica conſiſtat, magiſtratus, judicia & Senatus; tum in unaquâq́; civitate ſuperiorem non agnoſcente ſumma eſt Senatus deliberans de bello, pace, fœderibus, muniendâ regione, exportandis, importandis, vitâ & nece civium, & de legibus. Id quòd part. 4. uberius declarabitur.*

10. Definimus ergò Majeſtatem, quòd ſit dignitas, quâ mediante firmum ratumque eſt quicquid in imperio vel civitate ſuperiorem non agnoſcente imperatur, judicatur & ſenatu deliberante de pace, bello, fœderibus, muniendâ regione, exportandis, importandis vitâ & necè civium, deque legibus decernitur, quâque totumque imperium vel civitas tota ſalva eſt.

11. *Ex hac definitione progredi ad naturam Criminis, quod nunc contemplamur, poſſumus; modo ſpectemus, in quonam poſita ſit dignitas iſta, ſeu quo mediante firmum ratumq́; quicquid imperatur judicatur ſenatu decernitur; quoq́; ſalva tota civitas vel univerſum imperium redditur.* Poſita verò dignitas hæc eſt in duobus 1. ut omnes, qui in civitate vel ſub imperio ſunt, habeant firmam opinionem ſubmiſſâ reverentiâ obſequium ei, qui majeſtatem habet, ut maximè honorando, venerando præſtandum eſſe, & ex hac natum conſtans propoſitum id faciendi. 2. ut is, qui dignitatem hanc habet, ſit ſanctus & inviolabilis. *Quæ duo omne imperium omnemq́; civitatem ſalva reddunt.*

12. Crimen itaque læſæ Majeſtatis eſt delictum lædens id, in quo poſita eſt dignitas, quâ ſalvâ eſt tota civitas vel totum imperium.

13. Circa ſupplicium huic delicto inferendum multa ſingularia introducta ſunt; nimirum ut præter pœnam mortis arma ſeu inſi-

gnia delinquentis deleantur ac deſtruantur, domus ipſius usque ad fundamenta diruatur, omnibus bonis privetur, ipſiusque liberi egeant. *Quæ partim conſuetudine partim LLbus introducta ſunt. l. ult. ff. & l. quisquis pr. & §. 1. & l. 6. pr. C. ad L. Jul. Majeſt. Nam cùm cætera crimina partem aliquam civitatis lædant, hoc deſtruit univerſæ civitatis bonum & communem omnium ſalutem.*

PARS PRIMA

Membri trigeſimi quinti.

DE CRIMINIS LÆSÆ MAJESTATIS SPECIEBUS.

1. Species criminis læſæ Majeſtatis peti poſſunt, 1. à duobus illis in quibus poſita eſt dignitas, 2. à ſpeciebus Rerumpubl. *Nam ratione diverſarum formarum Reipubl. dignitas, in quâ Majeſtas conſiſtit, diverſa eſt.*

2. Quod ergò prius ſpecierum fundamentum concernit, dicimus crimen læſæ Maj. committi vel hoſtilia tentando in Rempubl. ſeu id quod jura Majeſtatis habet, vel debitum honorem detrahendo, aut loco hujus ignominiam inferendo; illud crimen perduellionis vocatur.

ARTIC: I.

DE CRIMINE PERDUELLIONIS.

1. Crimen perduellionis committit qui hoſtili animo erga Rempubl animatus eſt. *l. ult. ff. ad L. Jul. Maj.*

2. Hoc crimen propriè illud eſt, in quod Reſpubl. ita ſævit, non modò mortem delinquenti inferendo, ſed etiam bona ejus fiſco addicendo, liberosque omnibus facultatibus & honoribus privando. *l. quisquis 5. pr. & §. 7. C. eod. Nam hoſtilia tentans in Rempubl. non conqueri poteſt, ſi ut hoſtis tractetur & in totam ipſius familiam ſæviatur. Liberis autem propterea nulla fit injuria, quia, ſi his relinquantur bona paterna, cogitur Reſp. hereditarium ab iisdem metuere malum. Satius verò eſt unum vel alterum ferre paupertatem, quàm totam civitatem vel totum imperium verſari in perpetuo periculo.*

3. Hoſtilis autem animus erga Rempubl. declaratur vel ipſos cives concitando adverſus Rempubl. vel externis hoſtibus favendo.

4. Qui ergò cœtus & conventus faciunt hominesque ad ſeditionem convocant, vel etiam conſilium & operam adhibent, quò quis contra Rempubl. arma ſumat, incidunt in crimen læſæ Majeſtatis, *l. 1. §. 1. ff. eod.*

5. Pro-

5. Propriiſſimè loquendo criminis perduellionis reus eſt, qui externis hoſtibus favet: qualis eſt, 1. Qui externos concitat populos. *l. 3. ff eod.* doloqne malo facit, ut ex amicis Reipubl. fiant hoſtes. *l. 4. eod.* 2. qui hoſtibus nuncium literasve mittit vel ſignum dat, ut occaſiones obſervare poſſint. *l. 1. §. 1. ff. eod.* vel omninò patriam prodit; in quem ſeveriſſima pœna conſtituta eſt *Ordinat. Car. artic.* 124. ut nim. proſtratus in terram ad locum ſupplicii raptetur, ignitis forcipibus laceretur & in partes quatuor ſecetur. 3. Cujus operâ dolove malo hoſtes populi Rom. commeatu, armis, telis, equis, pecuniâ aliâve re adjuvantur. *d. l.* 4. 4. Qui ſe hoſtibus ſociat. *l.* [illegible] vel aliis perſuadet ut hoc faciant, *d. l.* 4. 5. Cujus dolo malo exercitus hoſti traditur vel etiam civis aliquis, *l. 4. & 3. ff. eod.* 6. Cujus dolo malo fit, quò minus hoſtes in poteſtatem Reipubl. perveniant, *d. l.* 4. qualis eſt, qui fugientem occultat. *l. Methrodorum 40. ff. de pœn.* 7. Qui in bellis cedit, arcemque aut caſtra defendenda hoſti tradit. *d. l.* 4. *Hi inquam omnes perduellionis Rei ſunt, favore erga hoſtes declarando hoſtilem in Rempubl. animum. Non tamen omnes æquali pœnâ, ſed pro ratione circumſtantiarum mitiori, quàm ordinaria eſt, quandoq; afficiuntur. Sic relegationis pœna dictatur hoſtem Reipubl. occultanti d. l. Methrodorum.*

ARTIC. II.
DE
HIS QVI MAJESTATEM HABENTI DETRAHVNT DEBITVM HONOREM VEL EVM IGNOMINIA AFFICIVNT.

1. Crimen detrahentium honori ejus, qui jura Majeſtatis habet, vel ignominiâ eum afficientium in Monarchiis propriè locum habet. *Nam quicquid in privatis injuria eſt, id commiſſum in Monarcham ſolet haberi pro crimine læſæ Majeſtatis.*

2. Huic ſpeciei annumerandum, ſi quis ſtatuas vel alia honori monarchæ dedicata lædit. *l. 6. ff. eod.* *Nam hoc ipſo ille petitur honor, qui monarchæ ut monarchæ exhibetur, & ita crimen læſæ Majeſtatis committitur: ſolent quippe principes illas injurias, quæ ad ſe magis, quatenus privati ſunt, pertingunt, negligere.*

3. Pertingit & hoc in ignominiam Majeſtatem habentis, ſi quis ejusdem jura ſibi arroget. *Nam & in privatis obtinet, ut arrogans ſibi poteſtatem circa rem alterius inviti & prohibentis injuriarum conveniri poſſit. v. g. ſi quis invito domino intret ædes vel fundum illius. Quod autem injuria eſt in privatis id fit crimen læſæ Majeſtatis in jura Majeſtatis habentem commiſſum. Id enim manifeſtum eſt ex iis, quæ de naturâ*

naturâ hujus delicti diſſeruimus. Hinc 1. qui injuſſu principis bellum gerit, dilectum habet, exercitum comparat, criminis læſæ Majeſtatis reus eſt. *d. l. 3.* 2. qui injuſſu Majeſtatem habentis furcas erigit, privatum carcerem exercet, torturæ aliquem ſubjicit. *Nam hi omnes arrogando ſibi Majeſtatis jura inferunt ei injuriam, cui competunt. Quamvis qui carcerem vel torturam in aliquem exerceant non ordinariâ criminis læſæ Majeſt. pœnâ, ſed fuſtigationis, relegationis vel pecuniariâ de conſuetudine affici ſoleant.*

ARTIC. III.
DE SPECIEBUS CRIMINIS LÆSÆ MAJESTATIS PETITIS A DIVERSIS FORMIS RERUMPUBL.

1. Quò conſtet, quàm variæ ſint ſpecies Criminis læſæ Majeſtatis ratione diverſarum Reipubl. formarum, obiter, & quatenus ad præſentem materiam conducit, monemus, Reſpubl. alias ſimplices eſſe alias mixtas; ſimplices ſunt monarchia, oligarchia, democratia; id quod cuivis, modò leviter attigerit diſciplinam politicam cognitum eſt. Mixtus ſtatus eſt varius pro varietate & diverſitate miſcendi.

2. Aliter ergò committitur crimen læſæ Majeſtatis in Monarchiâ, aliter in Oligarchiâ, aliter in Democratiâ, aliter in mixtis formis. *Nam in democratiâ conſiſtit hoc crimen in læſione ſalutis & ſecuritatis totius populi. Quæ cauſſa eſt, quare apud Romanos in liberâ Republ. definiretur crimen adverſus populum Romanum vel ſecuritatem ejuſdem commiſſum. Quam ita, ut ſolet, Ulpianus in introducto ſtatu monarchico retinuit. l. 1. §. 1. ff. ad L. Jul. Maj. in Oligarchiis perpetratur in Magiſtratus ſuperiores. Voco autem ſuperiores, inter quos τὸ κύριον ſeu ſumma poteſtas diviſa eſt. Ita v. g. exactis Romæ regibus dividebatur regium imperium in Conſules, Cenſores, prætores, ædiles curules, qui ſinguli particulam ejus habebant, & propterea magiſtratus majores vocabantur. In monarchiis crimen hoc frequentiſſimum eſt; quia quævis injuria in Monarcham redundans pro crimine læſæ Majeſtatis habetur. In mixtis formis dupliciter committitur, partim in populum partim in magiſtratum. Sic apud Romanos, libera adhuc Republ. ſtatus mixtus erat; quia merum imperium erat penes populum, mixtum penes magiſtratus, v. g. Prætor habebat ſummam poteſtatem exercendi Judicia civilia quæ vocabatur Idictio cum mixto imperio. Et hinc crimen læſæ Majeſtatis committebatur vel in populum lædendo ſecuritatem ejus cit. l. 1. §. 1. vel in magiſtratus, v. g. ſi quis dolo malo conſilium iniret, quà magiſtratus quiſpiam*

quiſpiam P.R. qui imperium poteſtatemve habebat occideretur. cit. l. 1. §. 1. verb. cujusve operâ &c. *it. ſi privatus pro poteſtate magiſtratuve quid ſciens dolo malo gereret. l. 3. fin. d. t.*

ARTIC. IV.

DE CRIMINE LÆSÆ MAJESTATIS IN IMPERIO COMMISSO.

1. Videtur aliter crimen læſæ Majeſtatis perpetrari in civitate, quæ ſuprema eſt ſibique vivit & nullius imperio eſt ſubjecta; aliter in Imperio, cujus caput eſt vel princeps aliquis vel civitas: unde hodiè imperia ſolent dividi in principatus & Reſpubl.

2. In Rebuspubl. Majeſtas læditur, vel ſi quis ipſam urbem i. e. civitatem, quæ caput imperii eſt, aggrediatur, aut dolo malo faciat, ut in eâ ſint homines cum telis lapidibusque. *d. l. 1. §. 1. verb. quò armati. it.* ſi quis muros ejusdem violaverit. *l. ult. ff. de Rer. diviſ.* vel ſi quis provincias Reipubl. ſubjectas vel reges earum concitaverit, ne pareant. *l. 4. d. t.*

ARTIC. V.

DE CRIMINE LÆSÆ MAJESTATIS, QVATENUS ILLUD HODIE IN NOSTRO IMPERIO GERMANICO COMMITTITUR.

1. Noſtro in imperio committitur primùm crimen læſæ Majeſtatis in Imperatorem. *Nam in hujus dignitate poſita eſt ſalus totius imperii.*

2. Deinde committitur etiam in Electores. *Aurea Bulla tit. 24. verſ.* So iemand mit Fürſten. *Ratio hujus redditur in quodam Decreto Rudolphi II. in quo hæc verba habentur.* Das der Churfürſten Hoheit und Autorität mit eines Römiſchen Kayſers Gewalt und Hoheit/ dahero ſie auch fleuſt/ dermaſſen verbunden/ daß eine ohne die andere nicht verſchmälert werden/ auch ohne die andere nicht beſtehen kan.

3. De reliquis principibus, comitibus & baronibus ſtatibus imperii dubitari quidem poteſt, videtur tamen magis dicendum, & in his locū habere crimen læſæ Majeſtatis. *Nam licet principes imperii ſuas provincias jure ſibi proprio habere & velut partes imperii Imperatorem tanquā ſuperiorem & caput ſuum agnoſcere videantur, & præterea in Aureâ Bullâ cit. tit. per hoc, quòd ſpecialiter in Electores crimen hoc committi dicatur, principes videantur excludi: nihilominus etiam in principes Imperii crimen læſæ Majeſtatis committi ſtatuendum eſt: quia principes in ſuis ſibi propriis provinciis imperantes imperatorem repræſentant.*

Unde ortum, quod hiſce in ſuis territoriis æqualis ac ipſi Imperatori reverentia exhibeatur. Quâ de re alibi dicendi locus eſt. Utuntur Ddres etiam hoc argumento, quòd Status Imperii dimidiam partem ſummæ poteſtatis cum Imperatore habeant: verùm hoc non videtur inferre, in ſingulos crimen læſæ Majeſtatis committi; ſed in univerſos & conjunctim ſumptos, quatenus ſtatus ſunt.

ARTICUL. VI.

DE

IGNOMINIA QVAM MAJESTATEM HABENTES PER SUOS LEGATOS VEL CONSILIARIOS PATIUNTUR.

1. Quemadmodum privati injuriam vel per ſe vel per ſuos liberos, uxores &c. patiuntur: ita & contingit lædi eum, qui Majeſtatem habet vel per ſe vel per legatos & conſiliarios ſuos, qui eundem in ſuo munere repræſentant. *l. quisquis. 5. pr. C. d. t.*

2. Solent autem Ddres ultra gladii ſupplicium non procedere, ſi non in ipſum Imperatorem immediatè, ſed in conſiliarios peccatum ſit.

PARS SECUNDA

Membri trigeſimi quinti.

DE

AGGRAVANTIBUS POENAM CRIMINIS LÆSÆ MAJESTATIS.

1. Quò major eſt ignominia, quove major eſt hoſtilitas erga Imperatorem regem vel principem, eò gravius eſt delictum. *Nam in hiſce duobus hujus natura & eſſentia eſt poſita.*

2. Aggravatur etiam, ſi committitur ab iis, qui Imperantibus præ cæteris fidelitatem debent. *v. g. à militibus. Nam quò plus fidelitatis quis debet, eò major fit læſio illata. Id quod ſuprà lib. 1. huj. part. circa juſtitiam particularem demonſtravimus: unde reliqua aggravantia hoc delictum peti poſſunt: quæ enim faciunt ut injuria atrocior ſit, ea etiam hujus delicti atrocitatem augent.*

PARS TERTIA

Membri trigeſimi quinti

DE

IIS QVÆ POENAM HUJUS CRIMINIS MINUUNT.

ARTIC. I.

DE

EO QVI VIDETVR NON DICENDVS CAVSSA EFFICIENS.

1. Non dubitandum eſt, conſcios & ſatellites perduellium, licet

licet principales tantùm videantur cauſſa efficiens criminis exiſtere, ordinariâ pœnâ afficiendos eſſe. *l. 5. §. 6. C. d. t. Nam conſciis & ſatellitibus idem ac ductoribus ineſt principium mali excitatum ad operandum ab eodem fine. Unde pariter ac principales & ductores pro cauſſis efficientibus haberi debent.*

2. Sed de hoc quæritur, quo jure ad liberos delinquentium pertingant pœnæ, ſi ut ſocii criminis non concurrant, nec quicquam conferant? *Eſt enim injuſtum, eum puniri ſive vindicativâ ſive criminali pœnâ, qui cauſſa efficiens mali non eſt; quomodo enim non injuſtè detrahetur ei, qui plus non habet, aut quid proderunt in eo dolores, cui nihil vitii ineſt? An fortaſſe illud Taciti,* habet in ſe aliquid injuſti omne grave exemplum, quod utilitate publicâ rependitur, *hîc allegandum erit? Et ſanè hûc optimè quadrat. Nam cùm Reſpubl. in liberis delinquentium facultatem id faciendi habentibus malum parentum velut hereditarium metuendum habeat, vult ea pro declinando metu iſto liberos paupertate affligere: & quamvis liberi, ſi innocentes ſint, aliquid injuſti pati videantur: id tamen utilitate publicâ rependitur. Quin nec paupertas, quam quis in ſalutem Reipubl. patitur, rebus injuſtis eſt annumeranda: utpote cùm omnia, quæ habemus Reipubl. per quam tuti à periculis vivimus, debeamus.*

ARTIC. II.
DE
IIS QVI INCONSVLTE ET PER INCOGITANTIAM IN IMPERATOREM PECCANT.

1. Quod inconſultè & per incogitantiam fit, in eo remittendo faciles ſeſe Imperatores exhibere debent. *Nam cùm aliàs quæ ex imbecillitate fiunt aliquam pœnæ mitigationem mereantur, tùm quammaximè decet Imperatorem ſubditis ſuam in hiſce Clementiam oſtentare: præſertim cùm per hanc interdum plus quam per nimiam ſeveritatem obtineatur. Hûc pertinet l. 2. C. d. t.*

ARTIC. III.
DE
HIS QVI POENITENTIA DUCTI PRODVNT FACTIONEM SEDITIOSAM.

1. Licet pœnitentia in hoc crimine nullam veniam mereri debere videatur, parcendum tamen eſt pœnitentibus & factionem prodentibus. *Nam crimen læſæ Majeſtatis tam atrox eſt, ut ſatis vitioſus eſſe videatur nec vitâ amplius dignus, qui vel cogitat & proponit hoc ipſum committere, licet nunquam perpetret. Interim tamen, quia in-*

tereſt Reſpubl. factiones prodi, quò maturè occurri iisdem poſſit, non modò pœnitentes & prodentes à pœnâ immunes reddendi, ſed etiam præmiis ad id faciendum alliciendi ſunt. Nam ſalus Reip, præcipua lex eſt. l. quisquis 5. §. ult. C. d. t.

ARTIC. IV.
DE
POENA CONATUS.

1. Singulare videtur hoc in delicto, quòd conatus etiam pœnâ ordinariâ dicatur affici: ſi tamen rem rectè perpendimus, tanta ſingularitas non eſt, quanta vulgò concipitur. *Certum quidem eſt, crimen hoc puniri, licet nihil effectûs ſecutum ſit: ait enim Imperator d. l. quisquis pr.* eâdem ſeveritate voluntatem ſceleris, quâ effectum jura puniri voluerunt. *Sed hæc voluntas pro ſolo conatu in crimine perduellionis haberi non debet. Nam committit hoc crimen qui hoſtis Imperatoris vel Reipubl. eſt: at non tantùm is eſt, qui læſit hoſtiliter, ſed qui hoſtilia egit & ad lædendum ſe præparavit: quemadmodum non is demum pro publico hoſte habetur, qui nos occidit, ſed de quo conſtat, quòd arma ſumpſerit vel exercitum conduxerit, ut nos debellaret. Quapropter non puto ab hac regulâ,* nullus conatus ordinariâ pœnâ afficitur, *peculiariter excipiendum eſſe crimen perduellionis: cùm enim hoc crimen conſiſtat in hoſtili animo erga Rempubl, conatus ne quidem fingi vel cogitari poteſt. Nam voluntas ſceleris ipſum crimen eſt quod punitur. Quapropter quod de ordinariâ pœnâ circa conatum tradunt DD. res videtur ſolùm in crimine perduellionis, non in cæteris criminis læſæ Maj. ſpeciebus locum habere.*

ARTIC. V.
DE
MALEDICENTIA IN PRINCIPEM.

1. Videtur crimini læſæ Majeſtatis non annumerandum, ſi quis principi maledicat. *Nam licet maledicere involvat aliquem contemptum & odium; quia tamen perfecta quædam injuria non eſt vergens in Imperatorem quatenus Majeſtatem habet, nec ſatis etiam hoſtilem animum indicet & arguat: rectius faciunt imperatores ſi maledicentiam punire negligant. Initio tamen tyrannidis Romanæ nonnulli Imperatores etiam verba in ſe impia pœnâ criminis læſæ Majeſtatis affecerunt: poſtea modeſtiores, ut viderentur alieno à præcedentibus tyrannis animo, maledicta in principem impunita voluerunt; adeò ut etiam injurioſis verbis remiſſionem pollicerentur. l. un. C. ſi quis Imperat. maledix. magis tamen in ſpeciem quàm in rei veritate; quia Imperator in d. l. unic. ſuo arbitrio pœnam reſervat. Duo namq; ſunt tyrannorum genera: alii enim ſolâ vi imperant, alii ſimulando regium imperium; hi occultiores quidem ſunt*

non

non tamen illis meliores. Quod ipſum non ſatis perpendentes Ddres inanes circa d. l. unic. interpretationem diſceptationes inſtituunt.

2. Hæc fermè ſunt quæ pœnam hoc in delicto mitigant. Reliqua quæ in nonnullis aliis criminibus veniam pariunt, velut dignitas, item inſigne artificium, nullam vel mitigationem vel liberationem à pœnâ pariunt. *Nam quomodo poterit meritis in Rempubl. penſari delictum, quod in everſione Reipubl. poſitum eſt? adeoq; nullum artificium tantum eſſe poteſt, ut à pœnâ liberet. Nullam autem dignitatem à pœnâ delinquentem eximere hac ratio eſt, quia frequentius in dignitate poſiti, utpote aliquâ potentiâ inſtructi ſeditiones & tumultus faciunt; quibus ſi parceretur, magis inſtigarentur ad peccandum. Hinc neminem privilegium dignitatis ab inquiſitione defendere debet. l. ſi quis 3. C. ad L. Jul. Maj.*

MEMBR. XXXVI.
DE FALSIFICATIONE MONETÆ.

1. Falſificatio monetæ eſt crimen ex crimine falſi & læſæ Majeſtatis quaſi compoſitum. *Nam quatenus moneta adulteratur, crimen falſi eſt; quatenus privatus ſibi ſumit poteſtatem cudendi, quæ nemini niſi imperatori, vel ei, cui id ſpecialiter ab imperatore conceſſum eſt, competit, crimen læſæ Majeſtatis eſt. l. ſi quis. 2. C. de falsâ monet.*

2. Committitur ergò falſificatio monetæ ex vitio injuſtitiæ particularis. *Nam & falſi & læſæ Majeſtatis crimen principium in homine habent injuſtitiam particularem.*

3. Pœna ordinaria eſt ſupplicium ignis, ut delinquentes vivi comburantur. *d. l. 2. in fin. Ordinat. Crim. Carol. artic.* 111.

4. Pœnam ordinariam propriè merentur qui ex vitioſâ materiâ monetam cudunt & fallendi cauſsâ expendunt. *Nam hi perfectum crimen, cui nihil deeſt, committunt & cauſſa efficiens proxima & immediata hujus ſunt: ſi quis enim tantùm cudat non expendat, vel expendat non cudat, de eo dubitari poteſt, an cauſſa efficiens proxima & immediata criminis falſi & læſæ Majeſtatis ſit. Quâ de re paulò poſt dicetur.*

PARS PRIMA
Membri triceſimi ſexti,
DE VARIIS MODIS QVIBUS CRIMEN FALSIFICATIONIS MONETÆ COMMITTITUR.

1. Modi delinquendi circa monetam, eam falſificando, à naturâ bonæ & juſtæ monetæ petendi videntur. *Nam cognito bono & juſto, facilè inveſtigari poteſt falſum, quod bonum & juſtum deſtruit.*

 2. Bo-

2. Bonitas monetæ conſiſtit in qualitate & quantitate debitâ, quam indicat ſignum impreſſum ab eo, qui jus publicè ſignandi habet. *Nam ad monetam adhibetur aurum vel etiam argentum, interdum etiam in penuriâ argenti vel auri cuprum, quæ metalla ſuâ quantitate, quam pondus deſignat, omnes res commutandas metiuntur. Et vetuſtiſſimis quidem temporibus adhibita pondere æs appenderunt: poſtea verò, ne opus eſſet pondere & ne ratione qualitatis materiæ homines decipi poſſent, ſignum imprimi cœpit indicans & qualitatem & quantitatem materiæ. Cujus imprimendi poteſtatem conditis civitatibus ſibi plerumq; reſervarunt jura majeſtatis habentes. Unde natum hoc, quòd falſificatores monetæ incidant in Majeſtatis læſæ crimen.*

3. Committitur itaque hoc crimen vel falſam monetam cudendo vel benè cuſam corrumpendo. Qui cudit monetam falſam eamque expendit graviſſimè peccat & ordinariâ ignis ſcil. pœnâ afficitur. *Nam hic & falſum committit & crimen læſæ majeſtatis, cui utriq; nihil malitiæ deeſt: prout diximus num. ult. princ. huj. membr.*

4. Cuſam monetam corrumpunt qui vel aliud metallum obducunt, ut appareat precioſior quàm eſt, vel eam radunt; qui utrique ordinariâ ignis pœnâ non ſolent affici. *Nam cùm cuſione lædatur Majeſtas, dum cudens ſibi ſignandi poteſtatem ſumit: apparet hæc delicta in ſolum falſi crimen incidere.*

5. Qui cupream vel argenteam monetam auro tingunt ſeu tincturâ faciunt, ut cuprea aurea vel argentea, & argentea quæ eſt aurea appareat, arbitrariâ pœnâ afficiuntur. *Nam hos ſolùm falſi crimen committere, modò dictum eſt: falſi autem crimen arbitrariâ pœnâ punitur.*

6. Similiter meritò puniuntur, qui monetam auream vel argenteam radunt. *Ita enim habetur Ordinat. Carol. artic.* 111. welcher aber der Münze ihre rechte ſchwere gefährlicher weyſe benimbt ꝛc. Der ſoll gefänglich eingeleget/ und nach Recht am Leibe oder Guth/ nach geſtalt der Sachen geſtrafft werden. *Nam itidem in merum falſi crimen hoc incidit, quod arbitrariè puniendum eſt.*

PARS SECUNDA
Membri triceſimi ſexti

DE AUGENTIBUS MALITIAM CRIMINIS FALSIFICATIONIS MONETÆ.

1. Pœna falſificationis monetæ non augetur, licet ex reiteratione delicti & ex quantitate pecuniæ cuſæ ſingularis quædam malitia maximumque injuſtum arguatur. *Nam ſupplicium ignis aliàs*

liàs

lias ſatis ſeverum & crudele eſt. Unde reiteratio nihil hoc in delicto operatur, quàm ut ordinariam pœnam confirmet; aut tunc augeat, ſi delictum tale ſit, quod pœna ignis regulariter non coërcetur. Quemadmodum in foro Saxon. expendens monetam falſam regulariter fuſtigatur & reiteratione accedente, tandem pœnâ capitali afficitur. Gloſſa ad Landrecht *libr. 2. artic. 26. lit. A.*

PARS TERTIA
Membri trigeſimi ſexti
DE
MINUENTIBUS POENAM FALSIFICATIONIS MONETÆ.
ARTIC. I.
DE
HIS QVI NON VIDENTUR PROPRIE DICI POSSE CAUSSA EFFICIENS DELICTI.

1. Non dubitandum eſt, eos, qui cum cudentibus falſam monetam concurrunt hiſce ferendo opem & auxilium, dum ignem ſufflant vel in excubiis ſtant &c. ordinariâ pœnâ afficiendos eſſe. *Nam cauſſa efficiens proxima delicti ſunt; quia eodem fine, quo ipſe cudens, excitati operando in ſe habentes principium motûs concurrunt. Quia tamen in excubiis ſtans non æquè principalis cauſſa efficiens ac cudens eſſe videtur: ſolent quandoque Ddres, præſertim ſi aliæ circumſtantiæ minuentes delictum accedant, ſententiæ hanc inſerere clauſulam.* Man wolte Jhm dan in anſehung / daß Er die falſche Müntze nicht ſelbſt gemacht / Gnade erzeigen / auff dem fall möchte er mit dem Schwerd von leben zum Todte geſtrafft werden.

2. Eum verò, qui monetam non cudit ſed cuſam tantùm expendit, minus propriè cauſſam efficientem eſſe non dubitandum eſt. *Quemadmodum enim qui falſum inſtrumentum non fecit ſed tantummodo recitavit, à pœnâ L. Corneliæ abſolvitur, l. falſi 13. §. 1. ff. de L. Cornel. de falſ. ita & qui non ipſe monetam falſam cudit ſed tantùm expendit. Nam cudenti propriè ineſt principium unde deſcendit operatio, quâ læditur Majeſtas & falſum committitur. Expendens verò monetam cuſam nec crimen læſæ majeſtatis committit, nec propriè criminis falſi principium exiſtit. Quâ de cauſſâ licet Ordinat. Carol. artic. 111. etiam pœnæ ignis ſubiicientur* die falſche Müntze uffwechſeln oder ſonſt zu ſich bringen und wiederumb gefährlich und boßhafftiglich dem Nechſten zu nachtheil wiſſentlich ausgeben. *Rectè tamen Scabini Lipſenſes rigorem hujus Sanctionis agnoſcentes SRmo Electori, quod exiſtimarent pœnam mitigandam eſſe & vel ſolam gladii vel fuſtigationis dictandam, ſignificarunt; quorum ſenten-*

ſententia non improbata fuit: ut adeò hodiè in Electoratu Saxon. erogantes falſam monetam non graviùs quàm fuſtigatione vel relegatione puniantur.

ARTIC. II.

DE EO QVI CAUSSA REMOTA FALSIFICATIONIS MONETÆ EXISTIT.

1. Cauſſa remota falſificationis monetæ eſt qui conſcius criminis eſt, nec illud defert. *Nam hic ſilentio ſuo facit, ut alter falſæ monetæ cauſſa exiſtat, & ita cauſſa cauſſæ eſt. Et quamvis qui ſolummodo conſcius eſt videatur remotiſſima quædam delicti hujus cauſſa, in ipſum tamen ordinaria pœna conſtituitur l. 1. C. de falsâ mon. Scil. liberum eſt LLatoribus interdum, ſi exiſtiment, aliam pœnam non ſufficere, dictare graviſſimam: aliàs ſanè dubium non eſt, quin is, qui cauſſa remota exiſtit, mitiùs puniendus veniat, quàm qui cauſſa efficiens proxima eſt.*

2. Eſt & is cauſſa remota in cujus domo moneta falſa cuditur. *Nam dum non inquirit, quid rerum in ſuâ domo geratur, ſuâ negligentiâ cauſſa cauſſæ falſificationis monetæ exiſtit. Pœna jure civili ſtatuitur in hunc, ut domus ipſius in quâ cuſa eſt moneta fiſco vindicetur. d. l. 1. C. de falsâ mon. Quam tamen pœnam Ordinat Carol. cit. artic. 111. tunc demum locum habere vult, ſi dominus ſciens paſſus fuerit in ſuâ domo monetam cudi. verb:* Die ihre Häuſſer dazu wiſſentlich leihen / dieſelben Häuſſer ſollen ſie damit verwircket haben. *Ceterum hæc extraordinaria pœna adhibetur tunc, ſi dominus de monetâ non participet. Nam ſi ex conceſſione ſperet lucrum, non ex negligentiâ indicandi delictum, ſed ex avaritiâ peccat: adeoq; graviùs puniendus venit. Unde tali in caſu amiſſioni domûs relegationem Ddres addere ſolent.*

ARTIC. III.

DE HIS QVI IGNORANTES EXPENDUNT FALSAM MONETAM.

1. Qui ignorantes expendunt falſam monetam vel id faciunt ex ignorantiâ vincibili vel ex ignorantiâ invincibili; illi cauſſa remota exiſtunt falſi, hi ex accidenti tantùm & caſualiter peccant immunesque ſunt ab omni pœnâ. *Nam qui ex invincibili ignorantiâ utuntur falsâ monetâ, hi per ſe non committunt falſum ſed per accidens tantùm, & proinde immunes ſunt ab omni pœnâ: at qui ex ignorantiâ, quam evitare poterant, peccant, cauſſa cauſſæ peccandi & per conſequens cauſſa remota exiſtunt: ignorantia quippe eſt cauſſa peccati; hi autem ignorantiæ.*

ARTIC.

ARTIC. IV.

DE

FALSIFICATIONE MONETÆ A MINORENNIBUS COMMISSA.

1. Minorennes, licet cuderint & expenderint falſam monetam, non tamen ignis ordinariâ ſed extraordinariâ gladii nim. pœnâ affici ſolent. *Nam ſæpius dictum eſt, in atrociſſimis ſuppliciis parci minorennibus, propterea, quòd atrocitas pœnæ in vitioſiſſimos ſtatuatur homines, quales minorennes regulariter non ſunt; quia, ut vitium aliquod extremum alicui inſit, requiritur tempus longum: ſine longâ enim conſuetudine firmiſſimas radices vitium agere nequit. Hinc Ddres vel gladii vel fuſtigationis pœnam dictare ſolent.*

ARTIC. V.

DE

HIS QVI DUCTI PAUPERTATE FALSAM MONETAM CUDUNT.

1. Videtur iis, qui paupertate ducti extremâ falſam eamque modicam monetam cuderunt, quò emerent vitæ neceſſaria, pœna mitiganda. *Nam magis ex infirmitate quàm ex vitio peccarent. Hinc pro ratione aliarum circumſtantiarum accedentium vel ſola relegatio iis dictari poteſt.*

ARTIC. VI.

DE

IIS QVI POENITENTIA DUCTI FALSIFICATIONEM NON PERFECERUNT.

1. Ducti pœnitentiâ dum cudunt, adeò, ut ne quidem penitus forment monetam, meritò abſolvuntur. *l. qui falſam 19. ff. de L. Cornel. de falſ. Nam eos non peccaſſe ex vitio ſatis arguit pœnitentia in ipſo actu ſuperveniens.*

ARTIC. VII.

DE

MINUENTIBUS INJUSTITIAM FALSIFICATIONIS MONETÆ, QVATENUS HÆC INCIDIT IN CRIMEN LÆSÆ MAJESTATIS.

1. Videtur primo intuitu mitius puniendum delictum eorum, qui principum ſtatuumque Imperii monetam falſificant: ſed non dubitandum eſt, quin & circa hanc monetam lædatur Majeſtas. *Quamvis l. 2. C. de falsâ monetâ, de eâ monetâ ſolâ quâ Imperator cudi curat loquatur; & Majeſtas non niſi in eo lædi poſſe videatur, qui ſuperiorem non agnoſcit: demonſtravimus tamen membr. præced. p. 1. art. 5. etiam in principes crimen læſæ Majeſtatis committi, utpote qui ipſum imperatorem in ſuis territoriis repræſentent, qualiter olim præſides provinciarum*

apud Romanos; ut adeò non dubitandum ſit, quin in cudendâ monetâ Imperatorem repræſentent. Quapropter nec permittuntur jus, quod habent, alteri locare. Edict. monetar. Ferdinandi I. de anno 1559. §. Ferner als ſich auch erfinden thut *&c. Eſt ergò moneta principum ac ſtatuum imperii pro monetâ Imperatoris Romani reputanda; & proinde circa eam æq; ac ipſius imperatoris monetam crimen læſæ majeſtatis committi ſtatuendum eſt. Quin licet hoc non ita ſe haberet, tamen falſificans monetam læderet majeſtatem, ſumendo ſibi poteſtatem, quam quis non niſi ex ſpeciali conceſſione Imperatoris habere poteſt.*

2. A crimine autem læſæ Majeſtatis abſolvunt quidem nonnulli Ddres eum, qui non Imperatoris aut ſtatuum imperii ſed extranei cujusdam Regis v. g. Galliæ, Angliæ &c. monetam falſificat, non ignis ſed gladii pœnam propterea dictantes: videtur tamen in rei veritate etiam monetâ extranei regis falſificatâ crimen læſæ Majeſtatis committi. *Nam licet falſificator ſub juriſdictione illius non ſit, cujus ſignum imitatur: peccat tamen læditq; Majeſtatem, dum ſibi ſumit poteſtatem in Imperio peregrinam monetam cudendi: neq; enim in imitatione monetæ imperatoriæ crimen læſæ Majeſtatis conſiſtit; ſed in arrogatione poteſtatis, quæ ſolius Imperatoris propria eſt. Qualecunq; ergo ſignum quis imponat, modò ſibi arroget poteſtatem in imperio ſine conſenſu Imperatoris cudendi monetam, in crimen læſæ Majeſtatis incidit. Nam poteſtatem ſibi arrogare eam quæ propria eſt imperatoris, eâq; uti ſine conceſſione illius eſt crimen læſæ Majeſtatis. Quapropter Conſtitutio Carolina generaliter præcipiens, falſificatores monetæ,* welche falſche Müntze machen/ *ignis ſupplicio puniri, non temerè limitanda & reſtringenda eſt in eum caſum, quo quis non Imperatoris ſed alio ſigno utitur. Quamvis ob ſupplicii nimiam ſeveritatem nollem reprehendere Ddres loco ignis gladii pœnam hoc in caſu dictantes, præſertim, ſi appareat, delinquentem ex metu & reverentiâ erga Imperatorem & principes imperii abſtinuiſſe ab horum ſignis imprimendis.*

ARTIC. VIII.
DE MINUENTIBUS INJUSTITIAM FALSIFICATIONIS MONETÆ, QVATENUS HÆC INCIDIT IN CRIMEN FALSI.

1. Minus injuſtus eſt, qui numos minimi valoris Zweyer und Pfennige cudit & ſparſim nec in magnâ ſummâ expendit. *Nam præterquam quòd jus ejusmodi numos cudendi minimis quandoq; opidis ab imperatore conceſſum deprehendamus, etiam ſingulis, quibus hæc pecunia non in magnâ ſummâ datur, minus damni inferri videmus. Solent ergò*

Ddres

DDres hæc perpendentes pœnam gladii fuſtigationis vel relegationis in caſu, quo quis ſemel aut bis exiguam ſummam expendit, dictare, ad pœnam ignis tunc procedentes, quando apparet, erogationem in magnâ ſummâ aut longo tempore & ſæpiſſimè factam eſſe.

2. Eſt etiam ille minus injuſtus, qui pecuniam falſam in ludo expendit. *Nam nihil injuſti patiuntur aleatores pecuniâ falsâ circumventi, utpote cùm omne illorum lucrum ſit injuſtum. Hinc ſi quis non ipſe excudit, minuſq; reus criminis læſæ Majeſtatis ob hoc exiſtit, ſolâ relegationis pœnâ affici ſolet.*

3. Deeſt quoque quoad falſum injuſtitia, ſi quis privilegio cudendi deſtitutus fabricet monetam juſti ponderis & valoris. *Hic cùm tantummodo peccet in arrogando quod ſibi non debetur: arbitrariâ pœnâ affici jubetur. Ordinat. Crimin. artic. 111. verb.* oder auch ohne habende Freyheit müntzet/ der ſoll gefänglich eingeleget werden/ und nach Recht am Leib oder Guth/ nach geſtalt der Sachen geſtrafft werden.

4. Videntur quidem & minus injuſti qui monetam pondus debitum excedentem radunt: ſed reverà contra juſtitiam particularem peccant. *Nam hi ſibi ſumunt quod ſaluti publicæ debetur, detrahuntq; principi laudem, quam hac monetâ pondus excedente ſibi quærit. Hinc DDres vel carceris vel relegationis pœnam pro ratione aliarum circumſtantiarum delinquenti dictare ſolent.*

ARTIC: IX.

DE POENA CONATUS.

1. In conatu ſubſiſtit qui monetam fabricat, non tamen expendit, & huic hodie gladii pœnam dictare ſolent. *Quamvis enim hi crimen læſæ Majeſtatis reverà committant, quippe quod in arrogatione facultatis cudendi poſitum eſt; & Imperator in l. 2. C. de falsâ mon. cuſores pœnæ ignis ſubjiciat non habitâ ratione, an expenderint: quia tamen Ordinatio Carol. artic. 111. non ſolùm criminis læſæ Majeſtatis ſed & falſi damniq; inde dati in pœnâ infligendâ rationem haberi vult. verb.* Dem Nechſten zum nachtheil: *Deinde etiam arbitrariæ pœnæ eum ſubjicit, qui monetam juſti valoris cudit, verb. artic. præced. num. 3. citatis; non aliam ob cauſſam, quàm quòd quidem læſæ Majeſtatis, non tamen falſi crimen committatur: meritò à rigore ordinariæ pœnæ receditur & ſola gladii pœna velut reo criminis læſæ Majeſtatis dictatur.*

MEMBR. XXXVII.

DE

CRIMINE LÆSÆ MAJESTATIS DIVINÆ ET IN SPECIE DE BLASPHEMIA.

1. *Ad ſimilitudinem læſæ Majeſtatis humanæ crimen læſæ divinæ Ma-*

na Majeſtatis conſiderantes, ſpecies ejuſdem ſequenti modo inveſtigare nitimur. Ponamus, quod eſt Rex in civitate, hoc Deum eſſe in ſuâ Eccleſiâ; ſtatim dabuntur ſpecies criminis læſæ Majeſtatis. *Nam, quemadmodum lęditur regia Majeſtas ſi vel hoſtilia tentantur, vel honor debitus Regi detrahitur, aut loco illius ignominia infertur: ita quoq; Divina lęditur Majeſtas, quando vel hoſtilia adverſus ipſum aut eccleſiam ejus ſuſcipiuntur, vel Deo honor detrahitur aut ignominioſum quiddam in eum fit aut dicitur. Hoſtilia tentantur in monarchicis Rebuspubl. vel quando favore erga hoſtes & pactionibus cum his initis declaratur hoſtilis animus adverſus Rempubl., vel quando in civitate excitantur ſeditiones & turbantur leges: ſic & hoſtilia tentando fiunt Rei criminis lęſę Majeſtatis Divinę vel magi, qui pactionem cum hoſte Dei & Eccleſię diabolo nim. ineunt vel hæretici qui falſis blaſphemiisq; in Deum opinionibus Eccleſiam turbant & commovent. Ignominioſum quid in Deum committunt blaſphemi & perjuri; hi nomine Dei abutendo, illi Deum contemnendo. Singulas haſce criminis lęſę Majeſtatis Divinę ſpecies ſeorſim diſtinctis membris proponemus initium facientes à crimine blaſphemię.*

2. Blaſphemia eſt delictum, quo quid fit aut dicitur in contumeliam Dei.

PARS PRIMA
Membri trigeſimi ſeptimi.

DE SPECIEBUS BLASPHEMIÆ.

1. Blaſphemia in Deum committitur vel mediatè vel immediatè; mediatè, quando contumelioſum quiddam in ejus miniſtros, dum ſuo officio funguntur, vel ſacramenta vel imaginem Salvatoris noſtri ſtatuitur vel dicto vel facto; immediatè, quando contumelia in ipſum Deum directa eſt.

ARTICUL. I.

DE BLASPHEMIA QVÆ IMMEDIATE IN DEUM COMMITTITUR.

1. Maximè horrendum crimen eſt blaſphemia immediatè in Deum commiſſa, oriturque ex impietate, vitio, quod ſecum trahit omnia reliqua. *Nam qui Deum non timet ad quælibet flagitia eſt paratus.*

2. Pœna blaſphemiæ immediatè in Deum commiſſæ hodiè apud nos eſt gladius. *Nam & jus divinum Levitic. 24. v. 13. & 14. & civile Novell. 77. c. 1. §. præcipimus 2. ſupplicium mortis præcipiunt, & in Receſſ. Auguſt. de anno 1548. ſub tit.* von den Gotteslåſterungen/ *pœna mor-*

mortis vel mutilatio membrorum injungitur verb: der ſoll am leben oder mit benehmung etzlicher Glieder/ wie ſich nach gelegenheit der Perſohnen und geübter Gottes-läſterung/ auch Ordnung der Rechten eignet und gebühret/ peinlich geſtrafft werden. *Quam Sanctionem ſpecialiter approbavit D. Mauritius Elector Ordinat. Provinc. de anno 1550. tit.* Von Gotteslaͤſtern/ fluchen und ſchweren. *Et D. Auguſtus part. 4. conſtit. 1. qui ea, quæ Receſſ. imper. de mutilatione membrorum præcipiuntur, ad lingvam reſtrinxit: verb.* Jedoch mit dieſer Erkläͤhrung/ daß die wörter/ oder benehmung etzlicher Glieder/ auff die Zunge/ damit ſolche läſterung verwircket/ zuverſtehen seyn.

3. Conſiſtit autem blaſphemia omnis vel in dicto vel in facto tendente in Dei contemptum. Dicto peccatur, vel quando quis obſcœna & turpia de Deo loquitur, vel quando quis adverſus eundem maledictis aut imprecationibus utitur. *Nam maledicta & blaſphemiæ æquiparantur. Levit. 24. v. 16. Licet enim maledicens privato pro injuriante communiter non habeatur: aliter tamen ſe habet in ſummo Ente, cujus Majeſtas omnibus tremenda eſſe debet.*

ARTIC. II.
DE
BLASPHEMIA MEDIATE IN DEUM COMMISSA.

1. Mediatè blaſphemat qui quid contumelioſum committis circa Sacramenta, vulnera vel paſſionem Chriſti, miniſtros verbi cultum divinum exercentes, it. circa Salvatoris noſtri imaginem.

2. Sacramenta contumelioſè tractantur vel verbis vel facto; verbis, ſi quis per Sacramenta alii maledicat. *In hunc apud nos conſtituta pœna eſt; ut non modò præ foribus templi, curiæ vel tabernæ publicè conſpiciendus præbeatur, ſed etiam, ut pœna pecuniariâ vel carcere puniatur, aut; ſi nulla emendatio ſit, relegetur. part. 4. Conſtit. Elect. 1. Receſſibus Imperii primâ vice blaſphemus admonetur, ut à ſuis blaſphemiis abſtineat; & ſi parére nolit, vel carcere vel pœnâ pecuniariâ punitur.*

3. Facto contumelioſè tractantur Sacramenta, quando inter compotationes luſus jocique gratiâ recitantur verba cœnæ vel cœna adminiſtratur porrectione panis aut calicis. *Cui delicto à Ddribus pœna relegationis dictari ſolet, tanquam arbitraria.*

4. Imaginem Salvatoris contumelioſè tractantes arbitrariâ itidem pœnâ tanquam Rei criminis læſæ Majeſtatis Divinæ puniuntur. *Nam quemadmodum in principis imaginem contumelioſus exiſtens punitur, ita, imò multò magis qui Salvatoris noſtri imaginem dehoneſtat.*

5. Mediatè tandem committunt crimen læſæ majeſtatis divinæ & blasphemi ſunt aut his æquiparandi, qui publicè in Eccleſiâ contradicunt concionatoribus, & contumelioſè eosdem tractando ſacra turbant, pœnâ fuſtigationis relegationis vel etiam pecuniariâ pro ratione circumſtantiarum affici ſoliti. *Circumſtantiæ variantes hoc delictum ſunt perſona, locus, tempus, turbatio cultûs: Hinc volunt Ddres quandoq; ad gladii pœnam progredi judicem poſſe, ſi omnia hæc concurrant, nim; læſam eſſe perſonam eccleſiaſticam, in loco ubi cultum divinum exercet, eo tempore, quo res divinas tractat & inde cultum divinum turbatum eſſe.*

6. Hûc referre poſſumus blasphemiam quæ in Deum committitur ratione ſanctorum cumprimis autem B. virginis Mariæ Dei genetricis. *Nam quemadmodum contumelia vergit in DEum, ſi miniſtri ipſius ignominioſè tractentur, ita quoq; ſi ſancti ejus: ſunt enim præ cæteris Deo cari. Hinc ignominioſa locuti de B. virgine Mariâ meritò pœnâ arbitrariâ afficiuntur.*

PARS SECUNDA
Membri trigeſimi ſeptimi.
DE
AGGRAVANTIBUS DELICTUM BLASPHEMIÆ.

1. Aggravatur blasphemia 1. quò magis vergit in contumeliam Dei: fit autem hoc, quò magis obſcœnum eſt dictum aut factum quo blasphematur.

2. Deinde & Reiteratio malitiam majorem indicat. *Nam ſemel commiſſa blasphemia ex incogitantiâ vel aliquo affectu vehementiori orta eſſe poteſt: reiteratio autem arguit hominis Impietatem ſeu perfectum vitium, unde hoc crimen fluit. Ad minimum ergò facit reiteratio, ut judex pœnæ mortis ſtrictè inhæreat, aut etiam eam augeat praviâ linguæ abſciſſione.*

PARS TERTIA
Membri trigeſimi ſeptimi.
DE
MITIGANTIBUS POENAM BLASPHEMIÆ.

1. *Circa pœnam blasphemiæ irrogandam habendam eſſe rationem circumſtantiarum & nonnunquam loco gladii pœnam fuſtigationis vel relegationis aut etiam carceris &c. infligendam Receſſus imperii & Conſtitut. Carol. articul. 106. monent. Quapropter in circumſtantias minuantes inquirendum eſt.*

ARTIC.

ARTIC. I.

DE

CAUSSA REMOTA BLASPHEMIÆ.

1. Cauſſa remota blaſphemiæ ſunt partim privati eam non denunciantes; partim magiſtratus non punientes. *Nam hi faciunt, ut homines impii blaſphemando pergant & ita cauſſa cauſſæ exiſtunt. Quapropter imperator ſuam indignationem minitatur magiſtratibus vindictam in delinquentes non inferentibus. Nov. 77. cap. 1. §. ult. in fin. & Receſſus imperii de anno 1548. tit.* von Gottes-läſterungen. *& Ordinat. polit. Francof. de anno 1577. eod. penam indicunt non denunciantibus nec detegentibus vel effugientes blaſphematores recipientibus.*

ARTIC. II.

DE

BLASPHEMIA EX IMBECILLITATE COMMISSA.

1. Ex imbecillitate magis quàm vitio impietatis videtur committi blaſphemia, quam gignit calor iracundiæ, & propterea mitius punienda, quàm ea, quæ ex impietate eſt. *Nam licet qui per iracundiam blaſphemat ex vitio peccet, non tamen id facit ex vitio hujus delicti proprie. Quapropter pœna gladii in eum qui irâ commotus lubrico linguæ blaſphemat non ſtatuitur, ſed mitior, quò ira fuit vehementior. Idq; introduxit Maximilianus I. Receſſib. VVormat. de anno 1495. ſub tit.* Die Poen derer ſo aus Hitze oder Zorn ſchweren.

2. Imbecillitati quoque annumerandum eſt quod fit ex incogitantiâ. *Nam in ſermonibus contingit homines non ſemper in conſilium vocare rationem. Unde dicere ſolemus, linguam præcurrere mentem. Quapropter non dubitandum eſt, quin qui ex incogitantiâ blaſphemavit paulo mitius puniendus ſit.*

3. Ebrietas quoque aliquam arguit infirmitatem, præſertim ſi enormis ſit. *Id namq; lib. 1. huj. part. demonſtratum dedimus. Et attendendam hanc eſſe cit. Receſſ. VVormat. de anno 1495. monent tit.* die Poen deren/ ſo aus Hitze oder Zorn ſchweren. *verb.* wo ſolches aus bewegter Hitze des Zorns/ aus Trunckenheit/ oder dergleichen zufäll unbedacht geſchehe *&c.*

4. Nonnulli Ddres & ruſticitatem admittunt hoc in delicto velut cauſſam mitigandi pœnam: id quod tamen admittendum non videtur. *Nam tolerandum in Chriſtianâ Eccleſiâ non eſt, ut quis alleget ignorantiam, dicatq; ſe ex ruſticitate ignoraſſe, Deum eſſe ens ſummum & maximè colendum. Hæc enim ignorantia ſummam hominis arguit impietatem & merito ordinariâ pœnâ coërcenda: id quod itidem lib. 1. huj. part. demonſtratum dedimus.*

5. Si-

5. Mediatè tandem committunt crimen læſæ majeſtatis divinæ & blaſphemi ſunt aut his æquiparandi, qui publicè in Eccleſiâ contradicunt concionatoribus, & contumelioſè eosdem tractando ſacra turbant, pœnâ fuſtigationis relegationis vel etiam pecuniariâ pro ratione circumſtantiarum affici ſoliti. *Circumſtantiæ variantes hoc delictum ſunt perſona, locus, tempus, turbatio cultûs: Hinc volunt Ddres quandoq; ad gladii pœnam progredi judicem poſſe, ſi omnia hæc concurrant, nim; læſam eſſe perſonam eccleſiaſticam, in loco ubi cultum divinum exercet, eo tempore, quo res divinas tractat & inde cultum divinum turbatum eſſe.*

6. Hûc referre poſſumus blaſphemiam quæ in Deum committitur ratione ſanctorum cumprimis autem B. virginis Mariæ Dei genetricis. *Nam quemadmodum contumelia vergit in DEum, ſi miniſtri ipſius ignominioſè tractentur, ita quoq;, ſi ſancti ejus: ſunt enim præ cæteris Deo cari. Hinc ignominioſa locuti de B. virgine Mariâ meritò pœnâ arbitrariâ afficiuntur.*

PARS SECUNDA
Membri trigeſimi ſeptimi.
DE
AGGRAVANTIBUS DELICTUM BLASPHEMIÆ.

1. Aggravatur blaſphemia 1. quò magis vergit in contumeliam Dei: fit autem hoc, quò magis obſcœnum eſt dictum aut factum quo blaſphematur.

2. Deinde & Reiteratio malitiam majorem indicat. *Nam ſemel commiſſa blaſphemia ex incogitantiâ vel aliquo affectu vehementiori orta eſſe poteſt: reiteratio autem arguit hominis impietatem ſeu perfectum vitium, unde hoc crimen fluit. Ad minimum ergò facit reiteratio, ut judex pœnæ mortis ſtrictè inhæreat, aut etiam eam augeat praviâ linguæ abſciſſione.*

PARS TERTIA
Membri trigeſimi ſeptimi,
DE
MITIGANTIBUS POENAM BLASPHEMIÆ.

1. *Circa pœnam blaſphemiæ irrogandam habendam eſſe rationem circumſtantiarum & nonnunquam loco gladii pœnam fuſtigationis vel relegationis aut etiam carceris &c. infligendam Receſſus imperii & Conſtitut. Carol. articul. 106. monent. Quapropter in circumſtantias minuentes inquirendum eſt.*

ARTIC.

ARTIC. I.

DE

CAUSSA REMOTA BLASPHEMIÆ.

1. Cauſſa remota blasphemiæ ſunt partim privati eam non denunciantes; partim magiſtratus non punientes. *Nam hi faciunt, ut homines impii blasphemando pergant & ita cauſſa cauſſæ exiſtunt. Quapropter imperator ſuam indignationem minitatur magiſtratibus vindictam in delinquentes non inferentibus. Nov. 77. cap. 1. §. ult. in fin. & Receſſus imperii de anno 1548. tit.* von Gottes-läſterungen. *& Ordinat. polit. Francof. de anno 1577. eod. pœnam indicant non denunciantibus nec detegentibus vel effugientes blasphematores recipientibus.*

ARTIC. II.

DE

BLASPHEMIA EX IMBECILLITATE COMMISSA.

1. Ex imbecillitate magis quàm vitio impietatis videtur committi blasphemia, quam gignit calor iracundiæ, & propterea mitius punienda, quàm ea, quæ ex impietate eſt. *Nam licet qui per iracundiam blasphemat ex vitio peccet, non tamen id facit ex vitio hujus delicti proprio. Quapropter pœna gladii in eum qui irâ commotus lubrico linguæ blasphemat non ſtatuitur, ſed mitior, quò ira fuit vehementior. Idq́ introduxit Maximilianus I. Receſſib. VVormat. de anno 1495. ſub tit.* Die Poen derer ſo aus Hitze oder Zorn ſchweren.

2. Imbecillitati quoque annumerandum eſt quod fit ex incogitantiâ. *Nam in ſermonibus contingit homines non ſemper in conſilium vocare rationem. Unde dicere ſolemus, linguam præcurrere mentem. Quapropter non dubitandum eſt, quin qui ex incogitantiâ blasphemavit paulo mitius puniendus ſit.*

3. Ebrietas quoque aliquam arguit infirmitatem, præſertim ſi enormis ſit. *Id namq́ lib. 1. huj. part. demonſtratum dedimus. Et attendendam hanc eſſe cit. Receſſ. VVormat. de anno 1495. monent tit.* die Poen deren/ ſo aus Hitze oder Zorn ſchweren. *verb.* wo ſolches aus bewegter Hitze des Zorns/ aus Trunckenheit/ oder dergleichen zufäll unbedacht geſchehe *&c.*

4. Nonnulli Ddres & ruſticitatem admittunt hoc in delicto velut cauſſam mitigandi pœnam: id quod tamen admittendum non videtur. *Nam tolerandum in Chriſtianâ Eccleſiâ non eſt, ut quis alleget ignorantiam, dicatq́ ſe ex ruſticitate ignoraſſe, Deum eſſe ens ſummum & maximè colendum. Hæc enim ignorantia ſummam hominis arguit impietatem & meritò ordinariâ pœnâ coërcenda: id quod itidem lib. 1. huj. part. demonſtratum dedimus.*

5. Si-

5. Signum infirmitatis eſt ſtatim in ipſo facto concomitans pœnitentia, quæ proinde quoque pœnam mitigat. *Nam ſuperius demonſtravimus, ex imbecillitate magis quàm vitio peccare eum, in quo ſana mens ſtatim rediens malum commiſſum ob oculos ponit. Quo in caſu ſolent Ddres ita reſpondere:* Es wolte dan die hohe Obrigkeit dem gefangenen/ dahero das Jhme angeregte Gotteslaͤſterliche reden/ alsbald leid geweſen/ Gnade erzeigen ꝛc.

ARTIC. III.

DE

BLASPHEMIA JUDÆORUM IN MESSIAM NOSTRUM.

1. Blaſphemiam in Salvatorem noſtrum Judæi ſolent excuſare tanquam minus injuſtam. Quæ cauſſa eſt, quare de eâdem hoc loco tractemus. *Dicunt enim, ſe non agnoſcere eum verum Deum & proinde nec blaſphemare; quemadmodum enim crimen læſæ Majeſtatis non committit, qui contumelioſum quid ſtatuit in regem, cujus Jdictioni ſubjectus non eſt; ita nec ſe divinam Majeſtatem lædere in noſtrum Salvatorem contumelioſas voces evomendo.*

2. Sed non dubitandum eſt, quin ordinariæ pœnæ ſubjiciendi ſint. *Quemadmodum enim prætendens, ſe regem, quem læſit, non agnoſcere, non liberatur ab ordinariâ pœnâ; ſi reverâ ſub regis Jdictione ſit: ita quoq; Judæos nullo modo hoc excuſabit, ſi dicant noſtrum Meſſiam non eſſe verum Deum; quia eſt.*

MEMBR. XXXVIII.

DE

PERJURIO.

1. Perjurium eſt delictum, quo quis agit id, ob quod, ſi à ſe fieret, Numinis iram ſibi precatus eſt. *Nam juramentum nihil aliud eſt quàm invocatio æterni Numinis, ut omnem gratiam avertat, iram autem ſuam exerceat in jurantem, ſi agenda, ob quæ jurat, non egerit.*

2. Perjuri non videntur, quatenus tales, pœnæ ſubjiciendi. *Nam perjurium ſatis habet Deum ultorem, ut loquitur Imperator l. 2. C. de Reb. credit. definivimus enim perjurium qui id egit, ob quod, ſi ageret, Numinis iram ſibi precatus eſt: qui autem ita invocat Deum uſurpat nomen ipſius ad hoc, ut ſibi fides tribuatur, quam non ſervans vanè uſurpat. Minatur verò Deus ſe non impunitum relicturum eſſe eum, qui hoc fecerit. Exod. 20. v. 17. ut adeò rectè videatur dixiſſe Cicero lib. 2. de LL.* perjurii pœna divina exitium, humana dedecus violati Jurisjurandi eſto. *Cùm ergo ſatis punitus ſit qui iram Divinam & maledictionem in ſuam domum concitavit Zachar. 5. verſ. 4. ſuperflua videtur omnis reliqua pœna.*

3. Per-

3. Perjuri ergò ſi puniuntur, non ob perjurium, ſed ob læſionem, quæ perjurium comitatur, pœnam patiuntur. *Sunt namq; multi homines impii pœnam æterni Numinis & futuros cruciatus infernales parvi facientes, modò defraudare alios poſſint. Quapropter horum nequitiæ occurrendum, inflictâ pœnâ, ſi mediante perjurio alios læſerint.*

4. Pœna ordinaria in eos, qui ſuo perjurio alios læſerunt, eſt amputatio digitorum. *Ordinat. Carol. art. 107. verb.* Welcher vor Richter oder gerichte einen gelehrten Meineyd ſchweret/ ſo derſelbige Eyd zeitlich Guth antrifft/ das in des/ der alſo fälſchlich geſchworen hat/ Nutz kommen/ der iſt zuförderſt ſchuldig/ wo er das vermag/ ſolch fälſchlich abgeſchworen Guth dem verletzten wieder zukehren/ ſoll auch dazu verleumbd/ und aller Ehren entſetzt ſeyn/ Und nach dem im heiligen Reiche ein gemeiner Gebrauch iſt/ ſolchen falſchen Schwerern die zweene Finger/ damit ſie geſchworen haben/ abzuhawen/ dieſelbe gemeine gewöhnliche Leibesſtraffe wollen wir auch nicht ändern. ꝛc.

5. Eadem pœna irrogatur quoque iis, qui cautionem juratam de non redeundo in territorium, unde relegati ſunt, aut de non ulciſcendo pœnam, quam germanicè Urphede appellamus, ruperunt. *Et hoc fit propterea, quia unà lædunt Majeſtatem ejus cujus Jdictio eſt. Verba Ordinat. Carol. art. 108. hæc ſunt:* So aber einer ein Urphede mit Sachen/ darumb er das Leben nicht verwircket hat/ fürſetzlich und freventlich verbreche/ der ſoll als ein Meineydiger mit abhauung der Hand oder Finger und andern/ wie in nechſt obgemelten Articul berühret/ geſtrafft werden. *Hanc ordinationem confirmat Auguſtus Elector p. 4. conſtit. 48. pr. his verbis:* Die ſo uff einen geſchwornen Eyd verweiſet/ und doch wiſſentlich wiederkommen/ ſollen mit abhauung der zwey förder Finger/ damit ſie geſchworen/ anderweit verweiſet werden. *Quæ verba Ddres Saxonici ita interpretantur, ut priores duorum digitorum articuli tantum reſecandi ſint, & ſi relegatio fuerit temporalis, ea in tot annos repetatur in quot antea irrogata erat. Solentq; ita pronunciare:* So wird Er wegen ſolches begangenen meineyds mit abhauung der förderglieder der beyden Finger/ damit Er geſchworen/ billich geſtrafft/ und des Landes wiederumb auff drey Jahr lang verwieſen.

PARS PRIMA

Membri trigeſimi octavi

DE AUGENTIBUS POENAM PERJURII ORDINARIAM.

1. Auget pœnam perjurii reiteratio, dum iis, qui ex provinciâ relegati contra juratoriam cautionem bis præſtitam ſecundâ

vice deprehenduntur, fuſtigationis pœna cum comminatione gladii, ſi tertiâ vice redierint; iis, qui tertiâ vice deprehenduntur, gladii pœna infertur. *part. 4. conſtit. 48.*

PARS SECUNDA
Membri trigeſimi octavi

DE MITIGANTIBUS POENAM PERJURII.

ARTIC. I.

DE PERJURIO QVOD EX IMBECILLITATE COMMITTITUR.

1. Multum prodeſt ad minuendam pœnam, ſi non ex vitio ſed magis ex imbecillitate perjurium ſit commiſſum. *Nam in hos propriè ordinaria pœna conſtituta eſt, qui dolo malo & ex propoſito contra juramentum redeuntes Jdictionem violant.*

2. Liberatur ergò ab ordinariâ pœnâ, qui, ut debita exigeret, rediit in territorium, unde relegatus eſt. *Nam hic magis ex imbecillitate peccavit amore obtinendi debita ſua, quàm animo violandi Jdictionem principis. Hinc pœna amputationis digitorum pro eâ vice ipſi remittitur, cum comminatione tamen, ſi redierit, in eum pœnam fuſtigationis tanquam ſecundâ vice peccantem ſtatutum iri.*

3. Pariter remittitur ordinaria pœna, quando ob pericula latronum relegatus per territorium prohibitum tranſit. *Nam peccat ex imbecillitate reſiſtendi neceſſitati. Dum mavult ſervare vitam quàm fidem juratam.*

4. Attendere etiam in remiſſione ordinariæ pœnæ paupertatem Ddres ſolent, ſi nimir. nullam aliam ob cauſſam relegatus redierit, quàm ut ſe ſuosque ſuſtentare poſſet, deficientibus alimentis in exteris regionibus. *Nam & in hoc magis imbecillitas, quàm vitium principium peccandi exiſtit.*

5. Simplicitas quoque perjurum excuſat, ſi v. g. ob non ſatis intellectam vim juramenti relegatus redierit. *Nam imbecillitati & potentiæ malorum activæ imperfectæ annumeravimus ſuprà imprudentiam & ſimplicitatem.*

ARTIC. II.

DE PERJURIO SINE INJUSTA LÆSIONE COMMISSO.

1. Perjuro, qui ſuo perjurio neminem læſit, meritò remittenda eſt pœna. *Nam demonſtravimus initio huj. membr. perjuria, quà talia, habere Deum ultorem, temporalibus autem à LLbus pœnis affici propter læſionem injuſtam, cum quâ conjuncta ſunt.*

2. Me-

2. Meritò itaque parcitur ei, qui minus ſecundum ſtatuta relegatus rediit. *Nam ſi relegatio non eſt facta ſecundum ſtatuta, minus injuſtus eſt reditus relegati. Hinc ſi Reus ſine præviâ informatione & ſententiâ JCtorum, quibus de jure reſpondendi poteſtas data eſt, præſtitâ cautione relegatus fuerit, non ipſi à Ddribus Saxonicis pœna abſciſſionis digitorum dictatur. Nam D. Auguſtus p. 4. conſtit. 47. pr. jubet pœnam relegationis ex conſilio prudentum infligi. verb:* daß Jhme mit oder ohne Staupenſchlagen / die ewige / oder zeitliche Landesverweiſung durch unſere Schöppenſtüle zugeſprochen wird / ꝛc.

ARTIC. III.
DE RELEGATO QVI NONDUM ABIIT.

1. Videtur etiam ei pœna amputationis digitorum infligi non poſſe, qui ultra tempus in provinciâ, è quâ relegatus fuerat, commoratus eſt. *Nam p. 4. conſtit. elector. 48. pœna hæc ſolùm in eos ſtatuta deprehenditur, qui contra præſtitum juramentum redeunt. Hoc enim indicant verba Rubricæ,* und ein oder mehrmals wiederkommen / *repetita in textu, verb:* und doch wiſſentlich wiederkommen. *Unde Ddres moti loco pœnæ ſtatuunt in eos, qui ultra tempus commorantur, ut habeantur pro iis, qui primâ vice redierunt, quo fit ut iterum redeuntes virgis cedantur.*

ARTIC. IV.
DE EO QVI DIGITOS AMPUTANDOS NON HABET.

1. Ex accidenti liberatur à ferendâ pœnâ qui articulos digitorum amputandos non habet. *Nam cùm LLatores præceperint, ut illi ipſi digiti, quibus juratum eſt præſcinderentur, non audent Ddres defectu horum alios amputandos dictare.*

MEMBR. XXXIX.
DE CRIMINE HÆRESEOS.

1. Crimen hæreſeos videtur ſimile ei, quod committunt, qui movendo ſeditiones præſentem ſtatum Reipubl. evertere nituntur & propterea Rei fiunt criminis læſæ Majeſtatis humanæ. *Videmur enim ſingulas ſpecies criminis læſæ Majeſt. Divinæ petere poſſe à ſpeciebus læſæ Majeſtatis humanæ. Dictum verò eſt, quod hoſtilia tententur adverſus Majeſtatem humanam duobus modis, vel concitando adverſus eam ſeditiones in civitate vel hoſtibus externis favendo, & ſeſe iisdem aſſociando. Similiter Majeſtatem divinam hoſtiliter impugnare quis poteſt, dum vel hoſti Dei & Eccleſiæ ſeſe aſſociat, & cum eo pactiones init;*

vel homines à cultu divino detinet, & ut nomen Dei veri profanent, aliosq́; Deos quærant eosdem inſtigat. Hoc poſterius qui facit propriè hæreticus eſt.

2. Definimus ergò hæreticum, qui dolo malo & ex vitio impietatis Eccleſiam Dei membrum illius exiſtens turbat, perſvaſionibus ſuis homines à vero cultu avertendo & ad faciendum omne id, quod ex impietate provenit, ducendo. *Nam quod eſt ſeditioſus homo in Republ. hoc eſt hæreticus in Eccleſiâ: at nemo dicitur ſeditioſus, niſi qui, cùm civis ſit, civitatem turbat & concitat cæteros cives, ut præſentem ſtatum vel eum, penes quem eſt Majeſtas, impugnent. Conveniunt hæc cum ſententiâ noſtrorum Ddrum, qui tradunt Hæreticum non eſſe habendum eum, qui Mahumetanus, Ethnicus vel Judæus eſt & nunquam indigena vel civis Eccleſiæ fuit; nec eum, qui errat circa interpretationem Scripturæ Sacræ, in puncto non concernente articulos fidei; nec eum qui ſine pertinaciâ, blaſphemiâ & ſeditione hoc facit. Ita namq́; Lutherus Tom. 4. Jenenſ. germ. fol. 408. ait:* Man ſoll ja einen jeden glauben laſſen/ was Er wolle: Glaubt Er unrecht / ſo hat Er gnung Straffe an ewigen Feuer in der Hölle/ warumb will man ſie dan zeitlich martern/ ſo fern ſie am Glauben irren/ und nicht darneben aufrühriſch oder ſonſt der Obrigkeit wiederſtreben. Mit der Schrifft und Gottes Wort ſol man Ihnen wehren und wiederſtreben/ mit Feuer wird man wenig außrichten. *Quapropter hæreticus pœnæ cuidam crudeli à magiſtratu ſubjiciendus non eſt, niſi ex vitio Impietatis & dolo malo Eccleſiam Dei membrum ipſius exiſtens ſeditioſè turbet, homines, qui in Eccleſiâ ſunt, à vero Dei cultu avertendo & ad impietatem omnem ſeducendo.*

3. Pœna in ejusmodi hæreticos jure Saxonico eſt, ut vivi comburantur. Landrecht. *libr. 2. artic. 13. Qui textus etiam conſuetudine eſt approbatus. Et ſanè ſi in blaſphemos pœna gladii ſtatuitur, longè gravior in hæreticos introducenda fuit: utpote cùm gravius peccet qui ſuis blaſphemiis totam eccleſiam turbat, quàm qui ipſe tantùm blaſphemat. Deinde ſi æq́; peccat qui in civitate movet ſeditiones & tumultus, ac qui hoſti ſeſe jungit; uterq́; enim perduellionis reus jure Romano habetur: etiam is qui homines in Eccleſiâ à Deo avertit, & ut opera diaboli faciant, callidè ſeducit æq́; puniendus eſt, ac qui cum diabolo pactum init & ex diabolo operatur. Cui pœnam ignis de conſvetudine dictari notum eſt.*

4. *Hæc eſt hæreſis propriè dicta ejusq́; pœna. Verùm cum magna ſit noſtri intellectûs imbecillitas, etiam in naturalibus, nedum divinis cognoſcendis: fit, ut multa oriatur opinionum diverſitas in credendis: cumq́; nemo æq́; veritatem quàm gloriam & oſtentationem ingenii in quâdã novâ opinione introducendâ eâq́; defendendâ quærat: etiam mutua eaq́; æterna & inextin-*

extingvibiles odia inter homines excitantur, ut pro defendendis ſuis opinionibus ferarum in modum concurrant, cædibusq; ſeſe abſumant. Hinc perſecutiones illæ graviſſimæ inter eos, qui Chriſti nomen profitentur. Pudor! Cùm omnes deberent eſſe unum corpus in Chriſto & per caritatem mutuam oſtendere ſe Chriſtianos eſſe; opera diaboli faciunt, errantes fratres cruciatibus & crudeliſſimis ſuppliciis ſubjicientes. Si operatio & vita omnis Chriſtianorum conſiſtit in exercitio mutuæ caritatis: nemo autem volens honeſtam amicitiam eam diſſolvit, niſi videat, amicum eſſe inemendabilem; imò diſſolutâ amicitiâ ipſi nihilominus benè vult. Quid dicendum erit de amicitiâ & caritate Chriſtianorum fundatâ in Chriſto? Audite ò Chriſtiani, quid Ariſtoteles Ethnicus tradat lib. 9. Nicomach. cap. 3 Sed ſi eum in amicitiam receperit, ut virum bonum: malus autem evaſerit, aut evaſiſſe videatur: utrum etiam nunc amandus eſt? an hoc fieri non poteſt? ſiquidem non omnis res amabilis eſt, ſed ea demum, quæ bona eſt. Neque verò quiſquam vitioſus eſt diligendus neque diligi debet. Non enim oportet rerum malarum ſtudio atque amore teneri; neque improbi hominis ſimilem effici. Suprà autem dictum eſt, ſimili ſimile amicum eſſe. Vtrum igitur ſtatim diſcindendæ ſunt amicitiæ? Annon cum omnibus, ſed cum iis, quorum improbitas inſanabilis eſt? iis autem, qui corrigi poſſunt, auxilium ferendum eſt, multò magis ad mores quàm ad fortunas & facultates; quanto hoc melius amicitiæque convenientius eſt? Videatur autem is, qui ſeſe à tali amico disjungit, nihil abſurdi facere. Non enim huic aut tali amicus erat. Quoniam igitur eum immutatum reſtituere ac ſervare non poteſt, ſeſe ab eo ſemovet ac ſegregat. *Nos, qui in Chriſtum baptizati ſumus, omnes ſumus in Chriſto unum & ex Chriſto opera caritatis invicem exercere debemus. Deſinit quis ex numero fratrum noſtrorum eſſe amabilis opinionem fovens, quæ cum fide in Chriſtum pugnat. Quid faciendum? diſcindenda non modò ſtatim erit Chriſtiana amicitia, ſed diabolica odia erunt fovenda, cruciatus ingerendi, quos ne quidem Nero vel Domitianus in Chriſtianos exercuit? Nequaquam ò Chriſtiani reſpondet Ethnicus: iis, qui corrigi poſſunt, ferendum eſt auxilium; inſanabiles qui deprehenduntur ſunt deſerendi, & ab his ſegregatio facienda, qui immutati reſtitui ac ſervari non poſſunt.* Quòd ſi ergò vel ex ſolo lumine naturæ procedentes utimur Chriſti doctrinâ velut hypotheſi quâdam; cernere poſſumus, eos, qui non ſunt blaſphemi nec hoſtes Chriſti, ſed erroneas tantùm fovent opiniones circa interpretationem Scripturæ Sacræ & credenda, prius placidè admonendos eſſe: quòd ſi non reſipuerint, vitandos & excommunicandos, ne bonos inficiant, ſed verecundiæ pudore ſuffu-

ſi reſipiſcant, & ad membra, à quibus ſejuncti ſunt, redeant. *Adeoq; ut noſtrorum Theologorum Gerhardi in Loc. de Magiſtrat. politic. num. 317. & ſeqq. Balduini in diſputat. de hæretic. ferendis non aufferendis & cumprimis B. Lutheri citat. tom. 4. Jenenſ. german. doctrinæ inhæream vel me Philoſophia ducit. Ut maximè mirer, homines Chriſtianos legentes illud Pauli ad Tit. 3. verſ.* 10. Hæreticum hominem, poſt unam & alteram correptionem devita, ſciens, quia ſubverſus eſt, qui ejusmodi eſt, & delinquit, cùm ſit proprio judicio condemnatus, *ſi audiant quem ſecedere ab opinione, quam illi de fide habent, ſtatim clamitent, ure, ſeca, tolle!*

5. Ex hiſce diſcimus, duo eſſe hæreticorum genera, quorum alterum tendit ad omnem pietatem tollendam ad blasphemandum & tumultus in Eccleſiâ Chriſti adverſus Caput Chriſtum & unionem in Chriſto concitandos; alterum verò deviare in interpretatione Scripturæ S. faciendâ, prava dogmata in occulto fovere, & ſine blasphemiâ aut manifeſtâ malitiâ aliter quàm in particulari Eccleſiâ docetur, credere. Hoc corrigendum, aut ſi in emendabile ſit, devitandum; illud tanquam blasphemum & hoſtile in Deum & Eccleſiam pœnæ ignis vel gladii à magiſtratu ſubjiciendum eſſe.

MEMBR. XL.

DE CRIMINE SORTILEGII.

1. *Sortilegi & malefici dicuntur, qui adhibitâ diabolicâ ope quod præter curſum naturæ eſt perficere ſtudent.*

PARS PRIMA Membri quadrageſimi

DE VARIIS GENERIBUS MALEFICORUM.

1. Varia genera maleficorum tradi ſolent à Doctoribus. *Alios enim vocant incantatores & exorciſtas, qui adhibitis carminibus & imprecationibus vel etiam characteribus quid efficere conantur; alios præſtigiatores, qui hominibus illudunt ponendo ob oculos conſpicienda quæ non ſunt; alios haruſpices, qui adhibitâ arte diabolicâ hominibus futura prædicunt; it. veneficos, qui pharmacis diabolicâ arte preparatis hominibus beſtiisq; nocent; it. Lamias, ſagas, Striges, quæ variis modis ope diabolicâ nocent hominibus, libidinemq; cum eo exercent. &c.*

2. *Nos, intuitu pœnarum, quatenus hæ diverſimodè infligendæ ſunt, ſpecies hujus delicti conſiderabimus, ita procedendo.* Omnis qui ſe ſociat diabolo vel ſe totum illi dedit vel ope & auxilio illius ſine deditione factâ utitur. Qui ſe totum diabolo mancipat id facit mediante conventione vel expreſsâ vel tacitâ. 3. Qui

3. Qui mediante pactione ſeſe diabolo mancipat rurſus id facit vel nocendi animo vel non nocendi. Qui præviâ pactione cum diabolo hominibus nocet, pœnæ ignis ſine dubio ſubjiciendus eſt. *Nam hic velut Dei hominumq́ & communis ſalutis hoſtis meritò adhibito crudeliſſimo ſupplicio è medio tolli debet. Hinc Ordinat. Carol. art. 109. ita ſtatuit:* **So iemand den leuthen durch Zauberey ſchaden oder nachtheil zugefüget/ ſoll man ihn ſtraffen von leben zum todte/ und man ſoll ſolche Straffe mit den Feuer thuen.** *Hanc ignis pœnam jubet SRmus Elector Auguſtus part. 4. conſtit. 2. omni ei infligi, qui pactione initâ cum diabolo commercium cum eodem habet & converſatur, licet hactenus nemini nocuerit: verba enim dictæ conſtitutionis hæc ſunt:* **So iemand in vergeſſung ſeines Chriſtlichen Glaubens mit dem Teuffel Verbündniß auffrichtet / umbgehet/ oder zu ſchaffen hat / das dieſelbe Perſohn / ob ſie gleich mit Zauberey niemand ſchaden zu gefüget/ mit dem Feuer vom Leben zum Todte gerichtet und geſtraffet werden ſoll.** *Et id quidem non ſine cauſâ. Nam fœditas hujus delicti, ob quod in delinquentem ſæviendum eſt, non æq́ in animo nocendi hominibus, quàm in hoc conſiſtit, quòd quis diabolo ſeſe mancipans fiat hoſtis Dei & ſalutis humanæ, & ita crimen læſæ Majeſtatis Divinæ in extremo gradu horrendum committat. Quemadmodum ergo perduellis, licet nondum cuiquam civium nocuerit, pariter ac is, qui nocuit, punitur; ita quoq́ qui ineundo fœdus cum Dei hominumq́ hoſte infenſiſſimo ſeq́ illi mancipando ſuum animum hoſtilem declarat, licet ex accidenti nondum nocuerit, graviſſimâ illâ ignis pœnâ nihil ominus afficiendus eſt.*

4. Tacitè ſeſe mancipat & dedit diabolo perſona, quæ nefandam cum eo libidinem exercet, ac propterea, licet expreſſum pactum cum diabolo non præceſſerit, ignis pœnæ ſubjicitur. *Nam præterquam, quod hoc ipſum ſpecies quædam ſodomiæ eſt, etiam tale eſt factum, quod ſatis indicat, delinquentem ſeſe dedidiſſe & mancipaſſe diabolo: corpus enim ſuum præbet huic immundo ſpiritui inſtrumentum libidinis.*

5. Qui ſeſe diabolo mediante pactione non mancipârunt, utuntur tamen artibus diabolicis, hi vel converſantur cum eo vel non converſantur. Vtrique has artes tractant vel nocendi vel non nocendi gratiâ.

6. Qui ergò ſeſe diabolo mediante pactione non quidem dedidit, artibus tamen diabolicis, quas vel ab ipſo dæmone vel ab alio mago didicit, damnum infert, gladio feriri jubetur ab Electore. *p. 4. conſtit. 2. §. 2. verb.* **Do aber auſſerhalb ſolcher Verbündniß iemand mit Zauberey ſchaden thut/ derſelbe ſey groß oder geringe / ſo ſoll der**

Zauber-

Zauberer Mann oder Weibesperſon mit dem Schwerd geſtrafft werden. *Nam jus civile & in eos, qui malis artibus Elementa turbant, aut vitam inſontium labefactant, aut diris & devotionibus inimicos ſuos conficiunt, capitalem pœnam ſtatuere videtur, quando Imperator l. multi 6. C. de Maleficis & Mathemat. dicit: hos feralis peſtis abſumat. Quamvis autem Conſtitutio Carol. artic.* 109. *omnes, qui artibus diabolicis nocent hominibus,* ſo den Leuthen durch Zauberey ſchaden oder nachtheil zugefüget / *jubeat vivos comburi: quia tamen pœna ordinaria infertur crimini propriè dicto & perfecto; id de ſortilegio perfecto intelligendum eſt, quale eſt quod committit, qui pactionem cum diabolo fecit.*

7. Qui non nocendi gratiâ nec præviâ cum diabolo pactione artes diabolicas tractat vel id facit converſando & colloquendo cum diabolo vel ſine converſatione cum ipſo. Converſantes cum diabolo pœnâ gladii affici ſolent. *part. 4. conſtit. 2. §. fin. verb.* daß auch die / ſo ſich unterſtehen aus des Teuffelskunſt war zu ſagen / oder mit dem Teuffel durch Criſtallen oder andere wege Geſpräche / oder dergleichen Gemeinſchafft zu halten / und ſich von ihme beſchehener oder zukünfftiger dinge Bericht und Erforſchung zu erholen / mit dem Schwerd vom leben ſollen gerichtet und geſtraffet werden. *Nam quemadmodum cum hoſte Reipubl. converſatus & amicitiam colens hoſtis & perduellis habetur; ita & erga Deum hoſtili animo cenſetur eſſe qui cum diabolo hoſte Dei & hominum converſatur & colloquia miſcet. Quin ipſe Deus omnes hariolos & incantatores abominatur jubetq; eos, in quibus divinationis fuerit ſpiritus, lapidibus obrui Levit. 20. verſ. 27. Deuter 18. v. 10. & ſeq. Jus quoq; civile idem videtur ſtatuere l. nemo 5. C. de Malef. & Mathemat.*

8. Qui ſine converſatione cum diabolo tractant artes diabolicas vel ut futura prædicendo, aut morbos curando aut fures indicando quid lucrentur, vel ut theſauros inveniant, videntur à pœnâ abſolvi *l. eorum 4. verb. nullis verò C. de Maleſic.* hodiè verò apud nos arbitrariâ carceris relegationis vel fuſtigationis puniuntur. *Hic etiam adjicere ſolent Ddres, ut antequam relegentur vel in carcerem conjiciantur tradantur miniſtris Eccleſiæ informandi & commonefaciendi, quò à ſuperſtitionibus ſuis deſiſtant.*

PARS SECUNDA
Membri quadrageſimi

DE

AUGENTIBUS POENAM MALEFICORUM.

1. Nihil videtur eſſe quod pœnas ſingulis ſpeciebus determinatas augeat. *Nam reiteratio & magnitudo damni illati in hoc delicto non attenduntur, quia malefici non aq; quatenus nocuerunt puniuntur.*

tur, quàm quatenus vel diabolo ſeſe dediderunt vel cum ipſo converſati ſunt nocendi vel non nocendi gratiâ. Quemadmodum nec in pœnâ perduellionis ad damnum illatum, ſed ad hoſtilem animum reſpicitur.

PARS TERTIA
Membri quadrageſimi

DE
MINUENTIBUS POENAM MALEFICORUM.
ARTIC. I.
DE
CAUSSA EFFICIENTE DUBIA.

1. Videtur dubitandum, an ulla ſaga pœnâ ignis affici debeat, ſi ponas, eas tandem igne puniendas, quæ vel nocuerunt vel Sathanicam ſodomiam commiſerunt, vel in monte Bructero aut alibi cum diabolo converſatæ ſunt. *Nam quod attinet converſationem in Bructero & venereos congreſſus, videntur hæc omnia conſiſtere in phantaſiâ à diabolo excitatâ ad repræſentandum homini velut per ſomnium ejuſmodi actus. Imagines enim diabolus ſagis imprimendo eas decipit. Quemadmodum ergò ſomnians, ſe cum jumento rem habere, non poteſt dici cauſſa efficiens peccati ſodomitici: ita nec in quo diabolus excitat phantaſiam, ut imaginem coitus cum ipſo repræſentet. Videntur etiam vermiculi non ex coitu diaboli nati, quos ſaga ſe generare concipiunt, ſed itidem falſa entia gignentia falſos conceptus in phantaſiâ: quemadmodum febricitans vermem concipit, qui non eſt. Nullius porrò damni quod magicis artibus infertur ſagæ videntur eſſe cauſſæ efficientes. Nam inſtrumenta, quibus utuntur ſunt vel ſubſtantiæ immobiles ſeu entia mathematica, characteres nim., quæ nec ad motum excitari poſſunt nec habilia ſunt ad movendum alia; vel tales ſubſtantiæ quibus vis movendi ea, quæ producuntur, non ineſt: plerumque enim cum re motâ non ſimul ſunt; at nihil movet naturaliter aliud, niſi quod cum re motâ ſimul eſt. Ut adeò omne motûs principium diabolo, nullum ipſis ſagis ineſſe videatur.*

2. Verùm, licet nonnulli ſint, qui his argumentis vel etiam levioribus & non ſatis eruditis ducti feriò perſvaſum habeant, ſagis parcendum eſſe: re tamen penitius inſpectâ ſagæ reverà hominibus nocent ſuis artibus &, quantum in ipſis, etiam converſantur cum dæmone ſodomiticumque peccatum committunt. *Nam ponas diabolum reverà non exercere actum venereum cum ſagis, aut eas reverà non ducere in Bructerum? De quâ re nemo niſi ſtolide philoſophabitur: nec enim ſapientem decet luſus & ineptias diabolicas ſpeculari & in cauſſas earum inquirere, cùm ſit ſpiritus longâ quidem experientiâ inſtructus, ſed inſipientiſſimus, & callidus quidem, ſed imprudentiſſimus: id quod ex conver-*

verſatione. quam cum ſagis tractat, ſufficienter apparet) per ſe tamen, & quantum in ipſis, cum diabolo converſantur & congreſſus venereos patiuntur: & ita per ſe cauſſæ efficientes hujus delicti ſunt, ex accidenti non: (Poſito, non tamen conceſſo, mera eſſe phantaſmata meroſq; luſus.) Hoc verò ridiculum eſt, negare, lamias eſſe cauſſas efficientes damnorum propterea, quòd utantur inſtrumentis ad movendum ineptis. (v. g. ſi ſub limine domûs, cujus habitator lædendus eſt, ſepeliant characteres vel etiam crines, aut etiamſi utantur certis carminibus.) Nam quis negabit mandantem, licet nihil operetur, quàm quòd mandet & conſentiat in delictum, reverà pro cauſſâ efficiente delicti habendum: cùm inſit ei principium excitans mandatarium ad motum? At nonne par eſt ratio, ſi ſagæ pactionem ineunt cum dæmone? cùm enim dæmon ſine ſagarum conſenſu damna ejuſmodi, quæ volentibus & conſentientibus his poteſt, hominibus ipſis vel bonis eorundem inferre nequeat: (jamdudum enim univerſum periiſſet genus humanum, ſi ſine ſpeciali Dei vel etiam hominum voluntate pro ſuo lubitu nocere dæmon poſſet; quia imprudens eſt ſpiritus ad nihil tendens quod ſalutare eſt: callidus tamen & ad media nocendi invenienda ſagaciſſimus, ſi lædere permiſſum ſit) quis non videt, ſagas paciſcentes cum dæmone & conſentientes, imò quantum in ſe eſt, ridiculè tamen, ut ludibrio diabolo ſint, operando & incaſſum ſeſe macerantes pro effectu producendo, cauſſas efficientes malorum eſſe? Hinc teſtatur experientia, quam ſuggerit confeſſio ſagarum, diabolos anxiè modò blanditiis & perſuaſionibus, promiſſiſq;, modò minis niti conſenſum earum impetrare. Quibus probè perpenſis, ſatis perſpicuè apparet, ſagas principium nocendi ſuo conſenſu diabolo exiſtere & cauſſam efficientem proximam & immediatam eſſe: excitantur quippe à damno ad conſenſum diabolo præbendum ut noceat, & ad concurrendum operando, quantum in ipſis eſt.

3. Cùm ergò conſentiendo dæmoni & ipſi quaſi nocendi poteſtatem tribuendo, lamiæ peccent, hoc verò obſcurum ſit, cùm talia clandeſtinè fiant, judici difficile redditur in cauſſam efficientem inquirere. *Quomodo enim de corpore delicti i. e. de pactione cum diabolo & de coitu cum eodem commiſſo, vel converſatione cum ipſo habitâ conſtabit? An ſingulare erit in crimine maleficorum, ut ex ſolâ ſuâ confeſſione ſint puniendi? Sed hoc admodum periculoſum eſt in pœnâ tam horrendâ infligendâ. Sanè prudentis judicis eſt omnes circumſtantias probè perpendere, omniaq; ſigna in ſummam colligere, ut ad proprium, quod cum ſagâ ſimpliciter convertitur, perveniat. Hoc pacto enim firmiſſimas præſumptiones nos conſequi, demonſtrabitur infrà in materia præſumptionum. v. g. ſi Reus cum aliis magis ſemper converſatus ſit, hoc ſignum eſt eum eſſe maleficum: pares enim cum paribus facilimè congregantur;*

tur: ſed non eſt firmum, quia non eſt proprium: neq; enim ſimpliciter cum malefico convertitur, ut poſſis dicere, omnem eum, qui converſatur cum magis eſſe magum: plura ergò ejuſmodi ſigna colligenda in ſummam ſunt, donec venias ad proprium malefici, ſeu id quod cum eo ſimpliciter convertitur. v. g. repertam eſſe in arcâ ipſius obligationem ſeu chirographum, quo ſeſe obſtrinxerit diabolo reus: eum eſſe hactenus converſatum cum maleficis & mathematicis: edidiſſe operationes, quas homo ſibi relictus & ſine ope ſpiritûs maligni perficere nequit: lachrymari non poſſe: recitaſſe carmina & imprecationes: omnes, cum quibus rixatus hactenus eſt, cruciatibus dæmoniacis ſubjectos fuiſſe: deprehenſum fuiſſe in angulo colloqui & cum quo loqueretur neminem viſum; confeſſionem ipſius congruere cum aliis, quas malefici & ſagæ edere ſolent. Hæc inquam ſi ſimul ſumas, accipies proprium, quod nulli alii quàm malefico ineſt & propterea ſimpliciter & univerſaliter cum eo convertitur. Verùm hæc hujus loci propriè non ſunt: obiter tamen tradenda fuêre, ut ſciretur, quomodo judex de cauſâ efficiente hoc delicto certior reddi poſſit, licet de corpore delicti non conſtet. Ne fortaſſe hîc incidamus in opinionem: mitigandam in hoc crimine ſemper eſſe pœnam, cùm de corpore delicti nullus judex ſatis certus exiſtere queat.

ARTIC. II.

DE HIS QVI EX INFIRMITATE QVADAM MALEFICI REDDUNTUR.

1. Sunt nonnulli, qui ducti intempeſtivâ erga ſexum fœmininum miſericordiâ, putant, vetulis deceptis à dæmone pœnam mitigandam eſſe. *Cùm enim ſexus fœmininus aliàs dolis ſit expoſitus & facilè circumveniri poſſit futura non ſatis perpendens: tum vel maximè inhabem eſſe ad reſiſtendum calliditati mali dæmonis. Verùm quia diabolus in hominem nihil vi tentare poteſt, ſed cogitur expectare conſensũ illius & pactionem: neceſſe eſt mulierem, quæ tentata à diabolo vel à ſagis id miniſtris verbi divini non indicat, nec conſilium occurrendi tentationibus diabolicis petit, extremè malitioſam eſſe, nec ex infirmitate, ſed ex impietate audaciam congrediendi cum diabolo pluſquam virilem addente peccare.*

2. Ex infirmitate autem peccant impuberes ſeducti à parentibus. *Nam hi tantum prudentiæ non habent, ut de pactionis cum diabolo ſive expreſſæ ſive tacitæ fœditate judicium facere poſſint. Quapropter in hiſce tentatur potius converſio, ut puerorum more caſtigati ad ſaniorem mentem redeant.*

ARTIC. III.

DE MALEFICIS POENITENTIBUS.

1. Raró contingit, maleficos & ſagas ultró, & antequam in eos inquiritur, pœnitentiam agere. *Nam cùm extremâ impietate laborent & in diaboli ſint poteſtate: difficile eſt elabi.*

2. Quapropter iis, qui Miniſtris verbi divini delictum fatentur, & conſilium redeundi in viam, pactoque cum diabolo inito renunciandi petunt, parcendum videtur. *Nam cùm non intervenientibus totius Eccleſiæ precibus vix detur facultas elabendi: ſequitur, ſi hæ ſine metu pœnæ publicæ ſubeundæ impetrari nequeant, multos in delicto permanſuros, quam veniam quæſituros eſſe. Quapropter ſuaderem, ut ne quidem pœna corporis afflictiva inferatur pœnitentib9, ſi nondum hominib. nocuerint, & damnorum illatorum multitudo non exegerit aliquod ſupplicium. Quòd ſi verò privatim ſaga auſa ſit renunciare diabolo, licet nocuerit hominibus, non tamen ignis ſed gladii tantùm pœnam Ddres eidem dictitant.*

MEMBR. XLI.

DE VI PUBLICA ET PRIVATA.

1. Crimen vis publicæ privatæque conſiſtit in hoſtilitate quam quis in alterum ſtatuit. Quam ob cauſſam hunc in locum tractatum hujus delicti differre volui. *Nam uti crimen læſæ Majeſtatis divinæ & humanæ conſiſtit in hoſtilitate erga Deum & Imperatorem: ita vis publica & privata in hoſtilitate erga quemcunq; alium.*

2. *Poſito quòd eſſentia hujus criminis conſiſtat in actione quâdam hoſtili erga alterum, in inveſtigandis hujus delicti ſpeciebus facilè erit progredi.*

PARS PRIMA
Membri quadrageſimi primi

DE SPECIEBUS HUJUS CRIMINIS.

1. Hoſtiliter erga alterum agit vel qui id in alterum ſtatuit quod hoſtis ſolet, vel qui non modò hoc agit, ſed etiam ſe hoſtem alterius declarat pacique renunciat. *Nam poteſt quis in alterum ſtatuere hoſtilia ex affectu quodam & ſubitò commotus, licet in ſtatu illo, in quo qui hoſtes ſunt verſantur, eſſe nolit.*

2. Qui ſe hoſtem alterius declarat; & negotium, quod coram magiſtratu transigendum erat ſuſcipit bello privato finire, incidit in crimen fractæ pacis publicæ.

3. Qui verò ſe hoſtem alterius non declarat, nec in eo ſtat u cum eo eſſe cupit, in quo ſunt qui bella publica gerunt, interim tamen tale quippiã agit erga alterum, quod hoſtis erga hoſtem in bello, vim dicitur committere, eamque vel publicam, ſi mediantibus armis id facit; vel privatam, ſi ſine armis.

ARTIC. I.
DE
VI PUBLICA.

1. Vis publica dicitur id, quod mediantibus armis hoſtiliter in alterum ſtatuitur.

2. Quapropter tot ſunt genera vis publicæ, quot & quam varia ſunt quæ hoſtis in hoſtem ſtatuit. *v.g. hoſtis adverſus hoſtem, 1. bellum meditatur, 2. colligit homines, 3. ſe armat, 4. aggreditur hoſtem vel apertè vel per inſidias, 5. obſidet eum, 6. Caſtellum ejus expugnat, muros tranſcendit, 7. invadit civitatem vel regionem ejus & homines ſpoliat. 8. de poſſeſſione ejicit victos, 9. incendiis perſequitur, 10. occidit, 11. occiſis vel aliàs mortuis hoſtibus ſepulturam denegat. 12. victos non occiſos captivos ducit, vincit, carceribus includit, 13. Virgines, puerosq; rapit, violenter ſtuprat, 14. vectigalibus & tributis miſeros onerat, 15. ad pacta iniqua ineunda eos cogit, & ut patiantur fieri quod contra jus & fas eſt. Hæc ſi privatis applicaverimus, quàm varia ſint genera vis publicæ, facilè perſpicere poterimus.*

3. Primò diximus hoſtile eſſe meditari bellum: unde colligimus, privatum, qui bellum meditatur, & armis repoſcit quod per judicem repoſcere debebat, vim publicam committere. *Sic etiam qui dolo malo facit, quò minus judicia tutò exerceantur, dicitur vim facere. l. 10. pr. ff. ad L. Jul. de vi publ.*

4. Committit 2. vim publicam, qui homines vis faciendæ gratiâ congregat. *l. 3. pr. ff. eod. l. ult. C. eod. Nam quoad hoc imitatur hoſtem exercitum conſcribentem.*

5. Qui arma, tela domi ſuæ agrove in villâ præter uſum venationis vel itineris vel navigationis cogit itidem vim publicam committere dicitur. *l. 1. ff. eod. Nam qui nullam cauſſam allegare poteſt, quare tot arma habeat, privatum aliquod bellum in alterum parat, facitq; aliquid hoſtile. Nam hoſtes ſibi arma parant & hiſce ſeſe accingunt.* Vnde & quivis, qui in publico arma non tuendæ ſalutis ſuæ cauſsâ tenet, reus habetur hujus criminis. *l. in eadem 3. §. eadem 2. & l. Qui dolo 10. pr. verb. item qui l. penult. §. ult: ff. eod. Arma autem nil aliud ſunt, quàm inſtrumenta adhoc, ut hominib. vi noceatur, compara-*

ta. Qui de cauſâ armatus dicitur non tantum qui tela habet, ſed etiam quid aliud, quod nocere poteſt. l. armatos. 9. & l. penult. §. 1. ff. eod.

6. Quartò vim publicam committit qui alterum telo vel ſclopeto aggreditur aut viam obſidet. Hinc deſcendit crimen obſeſſionis itinerum, der verwegelagerung. *Si quis viam vel angiportum aut alium ad invadendos prætereuntes oportunum locum in urbe obſidet, ut quem adoriatur, verberet aut pulſet. Hoc autem crimen ad vim pertinet, quia ſolet omnis hoſtis ſuum hoſtem vel armis apertè aggredi vel per inſidias. Pœna obſeſſionis viarum ex Conſtitut. Electorali part. 4. conſtit. 13. hæc eſt, ut, ſi obſeſſor quem leviter vulneraverit, carcere puniatur vel ad tempus relegetur; ſin verò graviter vulneraverit, manus ipſi amputetur vel fuſtigetur.*

7. Quintò vis publica eſt, quando quis congregatis armatis aliquem in ſuâ domo aut villâ obſidet. *Hoc enim actus quidam eſt, quem hoſtis in hoſtem exercet.*

8. Sextò, ſi quis villas expugnat adhibitis armatis hominibus vim publicam exercere dicitur. *l. 3. §. in eadem 2. ff. eod. Et in hunc ſtatuitur jure civili pœna, ut capite plectatur. l. penult. pr. ff. eod. Nam expugnatio ejus, in quo quis ſecurus degere nititur, actus maximè hoſtilis eſt. Huc referri poteſt & is, qui muros hoſtiliter tranſcendit; hic enim in urbe, quæ caput eſt imperii, crimen læſæ Majeſtatis, in opidis & municipiis vim publicam committit.*

9. Septimò vi publicæ annumeratur, ſi quis cum telis & armis invadens alterius domum bona ipſius rapiat. *d. l. 3. §. in eadem 2. fin.*

10. Octavò L. Juliâ de vi publicâ tenetur, qui hominibus armatis poſſeſſorem domo agrove ſuo, aut navi ſuâ dejicit. *l. 3. §. ult. ff. eod. Nam hoſtilis actus eſt alterum de poſſeſſione armis dejicere.*

11. Nonò qui congregatis hominibus incendium facit vis publicæ reus eſt. *l. qui cœtu 5. pr. ff. eod. item*, qui ex incendio quid rapit. *l. 3. §. 3. ff. eod. it.* qui in incendio cum gladio aut telo rapiendi cauſâ eſt, vel prohibendi dominum res ſuas ſervare. *d. l. 3. §. ſed & qui 5.*

12. Decimò de vi tenetur, qui alteri infert certamen in quo homo occiditur. *Hunc capitali ſupplicio afficiendum vult Conſtantinus l. Quoniam 6. C. h.*

13. Vis publica undecimò eſt, ſi quis fecerit quo minus ſepeliatur, quò magis funus diripiatur, diſtrahatur. *l. 5. pr. ff. eod. Nam actus maximè hoſtilis eſt ſepulturam denegare.*

14. *Duo-*

14. *Duodecimò de vi publicâ tenetur qui hominem includit, in carcere vinculiſq; detinet. d. l. 5. pr. l. 8. ff. eod. l. 3. C. eod.*

15. Vis publicæ ſpecies quoque eſt crimen Raptûs, ſi quis fœminam honeſtam libidinis ſatiandæ cauſsâ rapiat, abducat. *l. 3. C. eod.* Cujus pœna eſt ſupplicium capitis. *l. 5. ff. 2. ff. eod. Prohibet quoq; imperator l. unic. C. de Raptu virg. raptori nubere: neq; enim ullo modo illi favendum eſt, qui hoſtili more in Republ. matrimonium ſtudet ſibi conjungere. Hùc etiam referri poteſt omnis violenta ſtupratio l. 3. §. praeterea 4. ff. eod. Nam & hic actus talis eſt, quem hoſtis in hoſtem ſtatuere ſolet.*

16. Decimoquartò tenetur & L. Jul. de vi publicâ qui nova veſtigalia exercet. *l. ult. ff. eod. Nam hoſtilis actus eſt nova extorquere vectigalia.*

17. Tandem & vim publicam committunt qui per vim aliquem ſibi obligant. *l. 5. in fin. pr. l. 10. pr. verb. qui ludos &c. ff. eod.*

18. Pœna ordinaria, quam L. Julia vim publicam facientibus impoſuit, eſt aquæ & ignis interdictio. *l. 10. §. ult. ff. eod.* Hodiè autem pœna arbitraria eſt, *ſoletq; judex ſi vis non in crimen fractæ pacis vel aliud delictum publicum, latrocinium, rapinam, homicidium, incendium &c. incidit, ei, qui de vi publicâ convincitur, pœnam carceris, relegationis, fuſtigationis vel amputationis manûs cum perpetuâ relegatione dictare, pro ratione variarum circumſtantiarum.*

ARTIC. II.
DE
VI PRIVATA.

1. Ad vim privatam pertinent quæcunque hoſtilia, quæ ſine armis fiunt. *Nam hoc ipſo differt vis publica à privatâ, quòd illa fiat armis, hæc ſine armis.* Pœna jure civili huic delicto conſtituta eſt publicatio tertiæ partis bonorum. *l. 1. ff. ad L. Jul. de vi priv.*

2. Qui ergò præeligit bellum & propriâ vi repoſcit quod per judicem debebat, ſiquidem ſine armis faciat, vim privatam committit. *Nam vis non tantùm eſt, quando quis homines vulnerat, ſed etiam quandocunq; quis bello privato exigit quod per judicem petere debebat. Pœna ex decreto D. Marci eſt præter infamiam & publicationem tertiæ partis bonorum, juris crediti amiſſio l. penult. & ult. ff. ad L. Jul. de vi priv.*

3. Tenetur & L. Jul. de vi privatâ qui convocatis hominibus non armatis vim facit, quò quis verberetur, pulſetur, aut quò minus quis in jus producatur. *l. 2. & 4. ff. eod. l. 4. C. eod.* it. qui convocati ſunt. *Omnes namq; hi ſine armis faciunt id, quod hoſtis in hoſtem facere ſolet.*

4. Idem

4. Item ſi quis aliquem dejecit ex agro ſuo hominibus congregatis ſine armis, vis privatæ poſtulari poteſt. *l. 5. ff. eod. it.* ſi ex bonis alterius per injuriam quid auffert. *l. 3. §. 2. ff. eod*

ARTIC. III.
DE
CRIMINE FRACTÆ PACIS PUBLICÆ.

1. Crimen fractæ pacis publicæ à vi publicâ diſtinguo, quòd vis publica conſiſtat in actu quodam hoſtili, crimen fractæ pacis in hoc, quòd quis ſe hoſtem alterius declaret, & ſub ſpecie juſti belli nitatur quicquid velit in alterum ſtatuere. *Nam conſtitutio de pace publicâ impugnat mores illos veterum,* da das Fauſt und Kolbenrecht im ſchwange gieng. *Tunc temporis enim ſolebant invicem inimicitias denunciare & lites armis finire. Qui mos ex barbarie manſit reſiduus. Et hoc videntur dicere velle Ddres, quando ſolliciti de differentiâ inter crimen fractæ pacis quâ à ſimplici vi publicâ diſtinguatur, nihil reperiunt, niſi quòd dicant; crimen fractæ pacis publicæ conſiſtere in hoc, ut vis publica, quæ armatâ manu & collectis hominibus fit, proficiſcatur à vero dolo, atroce malitiâ, ex propoſito & deſtinatâ offendendi voluntate, præcedente & communicato conſilio de induſtriâ & datâ operâ* fürſetzlich / gefährlich / und frevenlich. *Scil. nihil aliud videntur Ddres velle innuere, quam crimen fractæ pacis provenire ex propoſito ſuſcipiendi bellum cum altero & declarandi ſe hoſtem alterius; cùm vis publica poſſit inferri ſine hoc propoſito. Nam hoſtilia in alterum ſtatuere poteſt etiam is, qui ſe hoſtem alterius non profitetur. Rem autem ita, prout dixi, ſeſe habere, indicant verba Conſtitut. Carol. VVormat. anno 1521.* Wir richten auff / ordnen und machen einen gemeinen Frieden durch das heilige Reich und Teutſche Nation in und mit Krafft dieſes Brieſes / alſo das von Zeit dieſer verkündung niemands / von was würden ſtandes oder weſens der ſey / der ander beſähden / bekriegen / berauben / fahen / überziehen / belägern / auch dazu durch ſich ſelbſt oder iemands anders von ſeinet wegen nicht dienen / noch auch einig Schlos / Städt / Märckt / Beſeſtigung / Dörffer / Höff oder Weiler abſteigen / oder ohn des andern Willen mit gewaltiger That frevenlich einnehmen / oder gefährlich mit Brand oder in andere wege dermaſſen beſchädigen ſoll. ꝛc. Sondern wer zum andern zu ſprechen vermeint / der ſoll ſolches thuen an den Enden und gerichten / da die Sache hievor oder itzt in der Ordnung des Cammergerichts zu auſtrag verthädingt ſeind oder künfftig würden / oder ordentlich hingehörten. Und darauff haben wir alle offne fehde und verwarnung durch das gantze Reich auffgehebt und abgethan. ꝛc. *Ex quibus ſatis manifeſtè patet, crimen fractæ pacis publicæ cum propriè commit-*

committere, qui more veterum bellum ſuſcipit cum altero & ſeſe hoſtem illius declarat, der ſich des Fauſt und Kolbenrechts gebrauchet. *Hinc dubitatum eſt, an etiam à privatis, civibus & ruſticis hoc crimen committi poſſit; quia vetuſtiſſimis temporibus nobiles, comites, barones ita bella ſibi denunciare ſolebant: Unde etiam natus Ganerbinatus, cùm nobiles conficerent ſibi arces munitas, in quibus cum familiis ſuis & rebus precioſioribus ſecuri vivere & adverſus invaſores ſe defendere poſſent.*

2. *Pœna huic delicto conſtituta eſt Bannum Imperiale ſecum inferens delinquentibus hoc malum,* daß deroſelben Leib und Guth allermänniglich erlaubet ſey/und niemand daran freveln oder verhandeln könne oder möge. *& ſi deprehendantur, ut gladio feriantur. Receß. Imper. VVormat. ſub Carol. V. anno* 1521. *tit.* die Poen aller Friedbrecher/ *& præter pœnam hanc banni eſt etiam pecuniaria, nim.* 200. *marcarum auri puri, ut & amiſſio privilegiorum ab Imperatore conceſſorum conſtituta.*

ARTIC. IV.
DE
CRIMINE DIFFIDATIONIS.

1. Diffidatio vox barbara, diffidare enim gallicè diffier, nihil aliud denotat quàm belli privati denunciationem. *Nam qui aliquem ad duellum provocant, dicere ſolent, je vous deffie, etiam ſi ſint qui ſub regibus bella gerentibus militent: ſed ſi rex Galliæ denunciet bellum; vocatur hoc ipſum, declarer laguerre. Quo poſito, diffidatores propriè ſunt ſuperiori cuidam ſubjecti qui alios ad duellum provocant.*

2. Quâ de cauſsâ non puto benè ſtatui genus diffidationis eſſe minas. *Nam nullus provocans ad bellum vel duellum minari dicitur, niſi per accidens, ſi minas addat.*

3. Diffidatio itaque, quatenus in crimen incidit, eſt injuſti belli ab eo, qui bellandi jus non habet, denunciatio. Bellandi jus non habere hoc in loco eum dicimus, qui magiſtratum habet, coram quo cauſſa, ob quam bellum ſuſcipit, tractanda eſt.

4. Hiſce poſitis rationem reddere poſſumus, quare diffidatio habeatur pro ſpecie fractæ pacis publicæ. *Nam ſi pacem frangere,* ein Friedbrecher und Muthwilliger bevehder werden *eſt declarare ſe hoſtem alterius & eum ſubire ſtatum, in quo ſunt qui bella invicem gerunt, quis actus poteſt magis hoc ſignificare, quàm diffidatio, id eſt, belli & extremarum inimicitiarum denunciatio? uti loquitur Zaſius §. ſic itaq; diſcretis. n.* 15. *Inſtit. de act. Ut ita non opus habeamus cum DDribus quærere, quare diffidatio habeatur pro ſpecie criminis fractæ pacis, cùm tamen Conſtitutio de pace publicâ vim armatam & violentiam quandam requirat verb.* Mit gewaltiger That und gewehrter Hand. *Nam hoſtem*

quis ſe alterius vel declarat denunciando bellum vel armatâ manu eum invadendo & hoſtiliter tractando: utrumq; ergò hoc incidit in crimen fractæ pacis, imò magis illud, quàm hoc, quò magis perſpicuè quis verbis quàm facto animum declarare poteſt. Quapropter etiam pœna diffidatorum eſt eadem quæ fractæ pacis publicæ, *de quâ diximus artic. præced. num.* 2. nim. ut incidant in Bannum Imperiale. *Conſtit. de diffidatione de anno* 1521. *&* 1555. *§.* wir ſetzen/ *& ſub tit.* die Poen aller Friedebrecher. *it.* ut deprehenſi ceu pacis publicæ violatores gladio puniantur. *Ordinat. Carol. artic.* 128. *&* 129. *ſub tit.* muthwillige beſchdere. *verb.* welcher jemand wieder Recht und Billigkeit beſehd/ den richtet man mit dem Schwerd vom leben zum Tode.

5. Diffidatio fit vel per literas vel per aliud ſignum, quo uſitatè perſecutio extrema vitæ & bonorum indicatur. *Nam imitatur diffidatio denunciationem, quam ſolent facere bella publica invicem ſuſcipientes reges: hi enim vel per literas vel per aliud ſignum v. g. mittendo acinacem id faciunt. Sic diffidatores vel literas mittunt aut certo in loco ponunt, vel ſigna hoſtilia ſuſpendunt, ſcopos nimetitiones, carbones, papyrum cum pulvere tormentario & ſimilia, quæ vulgò* Brandzeichen *vocantur. Eſt & ſpecies denunciationis, ſi quis effundens minas ſeſe recipiat ad loca ſuſpecta profugiatq; ad eos, à quibus opem & auxilium habiturus eſt. Nam hoc ipſo facto bellum tacitè denunciatur.*

6. Quò quid pro diffidatione habeatur, requirunt Ddres nonnulli, qui in minis ponunt eſſentiam hujus delicti, ut minæ ſint factæ tales, quæ alicui communioni vel univerſitati terrorem injiciant. *Rationes reddunt,* 1. *quòd minæ factæ privato communiter in praxi pro diffidatione haberi non ſoleant. v. g. ſi quis dicat alteri,* er wolle Jhm eine Kugel ſchencken. 2. *quòd hoſtilia denunciare propriè non pertineat ad unum aliquem, ſed ad totum populum vel univerſitatem. l. Hoſtes* 24. *ff. de Captiv.* 3. *quòd Ordinat. Elector. tit.* muthwillige beſchdere *habeantur verba in plurali* unſern Unterthanen und Verwanthen/ *quibus in plurali numero ſumptis videtur univerſitas indicari. Verùm hujus opinionis cauſſa exiſtit, quòd diffidationis genus ſumant minas, & cùm videant, minas uni factas non facilè pro diffidatione poſſe haberi, facilius autem eas quæ communioni terrorem injiciunt: deveniunt in hanc ſententiam, diffidationem non fieri in unum aliquem, ſed in communionem. Nos autem negamus, genus diffidationis eſſe minas, & loco hujus ponimus denunciationem: cumq; denunciatio belli & inimicitiarum extremarum non modo communioni ſed & uni fieri poſſit, præſertim tali, qui homines ſibi adſociare & hoſtilia cum altero tractare valet, v. g. ſi nobilis nobili denunciet vitæ perſecutionem,* Er wolle Jhn mit Schwerd und Piſtolen verfol-

gen/

gen/ und ſolle zwiſchen Ihnen eine ewige Feindſchafft ſeyn: *Statuimus diffidationem etiam uni cuidam fieri poſſe. Pro reſolutione verò argumentorum dicimus, minas factas communioni faciliùs pro diffidatione haberi poſſe, quàm quæ uni fiunt. Nam nemo facilè minatur integræ communioni, niſi talia in eam ſtatuturus ſit, quæ hoſtis publicus in eum cujus hoſtis eſt: minæ enim in unum ſæpè ex ſubito iræ affectu ſine propoſito pro hoſte tum habendi fiunt; at qui minatur communioni præſumitur conſilium cepiſſe, quòd velit eam ut hoſtis perſequi: magis enim ex odio provenit quod agit quàm ex irâ. Idq́; hoſtium magis proprium eſt. Quæ cauſſa exſtitit, quare minæ factæ communioni pro diffidatione habeantur, non item eæ, quæ uni fiunt. Quo ipſo corruit ratio prima. Quod ſecundam attinet, dicimus, eam nihil probare: diffidatio enim eſt injuſti belli denunciatio, adeoq́; eò magis quid diffidatio dici debet, quò minus decet eos qui denunciant & quibus denunciatio fit bellum ſuſcipere: ut adeò nihil ad rem faciat cit. l. 24. Ad tertiam rationem reſpondemus, nomina in plurali ſumpta non denotare regulariter collectionem. Concludimus ergò, minas in unum factas non facilè arguere animum denunciandi bellum, magis autem eas quæ fiunt communioni. Quòd verò dicitur, minas uni factas pro diffidatione tunc haberi, ſi his unà incutiatur terror toti cuidam civitati vel oppido, v. g. ſi privati ædibus appendantur ſigna inflammationis; adeoq́; firmiter ſtatuendum, diffidationem eſſe minas, quibus terror communioni, oppido, pago &c. incutitur; nihil ad rem facit. Nam quòd appendens alicujus privati ædibus ſigna inflammationis ut diffidator gladio puniatur; hujus cauſſa non eſt, quod unarum ædium incendio facto, incendium ac hoſtilia toti communitati ſint expectanda: ſed hæc ratio eſt, quia eſt denunciatio vera facta mediante ſigno, quod oſtendit diffidatorem, ut hoſtem extrema tentantem, igni perſecuturum alterum eſſe. Quare enim nec is, qui minatur verbis,* er wolle *Titio* einen rothen Hahn auffs Hauß ſetzen/ *toti civitati terrorem itidem incutientibus, aut etiam qui integræ civitati ita minatur,* er wolle die Stadt anſtecken/ *ut diffidator gladio punitur? Cùm eum, qui villæ alicujus ſeorſim poſitæ, & cujus incendium ad alios ſerpere nequit, ſigna inflammationis apponit, gladio feriendum eſſe, dubitandum non ſit. Nimirum eſſentia diffidationis non conſiſtit in minis differentiam ſuam accipientibus ab eo, cui factæ ſunt, ſive ſit unus quiſpiam ſive integra communio, ſed in verbis aut factis comprehendentibus denunciationem belli injuſti. Quæſtio autem in hoc poſita eſt, quando minæ pro denunciatione habendæ ſint, quando non. Videnturq́; minæ factæ communioni ad diffidationem propiùs accedere, quàm quæ diriguntur in unum. Id quod in ſeqq. magis patebit.*

7. Quid ergò differt diffidatio à minis? *Diffidatio eſt denunciatio belli injuſti & prohibiti diſſolutaq́; pacis publicæ, quam Leges imperii inter omnes, qui ſub Imperio ſunt, ſervari volunt; quæ denunciatio actus quidam ſolennis eſt; quemadmodum enim certis ſolennitatibus adhibitis homines pacem facere ſolent; ita & pacem diſſolvunt. Hinc Romani utebantur fecialibus certis ceremoniis adhibitis denunciationem facientibus. Nullæ ergò minæ pro diffidatione haberi debent, niſi accedat actus ſupplens quod ratione ceremoniarum deeſt. v. g. ſi quis minetur incendium & fugiat ad homines incendiarios eos conducens ut locent operam: quemadmodum pro denunciante bellum habetur rex, qui minatus ſe alterum regem ferro & flammâ perſecuturum ſtatim conducit milites, inſtruit exercitum &c. Et in ſummâ diffidatio in actu conſiſtit ſimili ei, quo uti ſolent reges & ſupremæ Reſpublicæ ex edicto bellum gerentes, uti loquitur Livius lib. 31. nim. aut literæ ſcribuntur quibus bellum indicatur, aut mittitur caduceus, quemadmodum apud græcos, vel fecialis, velut apud Romanos, renuncians amicitiæ & ſocietati, ſi qua interceſſiſſet, mittendo haſtam &c.*

8. Omnis diffidatio vel pura eſt vel conditionalis. *Nam & denunciatio belli, quam rex regi facit, alia pura alia conditionata eſt. Conditionatæ denunciationis exemplum eſt apud Livium lib.* 8. Eam ſe injuriam, niſi ab ipſis, qui fecerint, dematur, omni vi depulſuros eſſe. *Exemplum etiam eſt apud Euripidem, ubi Theſeus caduceatori hæc dat mandata ad Creontem Thebanum:*

Vicina Theſeus qui tenet regna ſolæ
Humare poſcit mortuos: quodſi datur,
Sic amica faciet gens Erichtidûm tibi.
Hinc ſi probantur, tum refer retrò pedem.
Sin nemo paret, verba ſint hæc altera:
Jam mox ut arma pubis expectent meæ.

Pura denunciatio quæ ſpecialiter Indictio vocabatur adhibebatur, ſi alter jam bellum intuliſſet aut quid commiſiſſet quod puniendum erat. Pariter & diffidatio fit vel purè vel conditionaliter, ſo ſern man dieſes oder jenes nicht abſchaffen würde. Parit autem non modò pura ſed & conditionalis diffidatio pœnam ordinariam. *Nec obſtat, quòd conditionalis diffidatio non æq; terrorem incutiat ac pura. Nam diffidatio non gignit pœnam ob incuſſum terrorem, ſed quia denunciatio quædam belli injuſti eſt: dum diffidator non ordinariâ juris cognitione contentus, jus in manibus poſitum habet & ſpretâ magiſtratuum auctoritate, quaſi nullum ſuperiorem agnoſcens bellum indicit.*

9. Quæritur, an provocans alterum ad duellum ut diffidator.

tor puniendus ſit? *Reſpondemus, provocantem ad duellum in rei veritate diffidatorem eſſe, & poſſe quemlibet principem ſuo in principatu laudabiliter ſtatuere, ut quilibet provocans ob commiſſam diffidationem gladio puniatur. Nam provocans contemptâ magiſtratûs auctoritate quod in judicio peragendum erat mavult privato bello deciſum, ſubiens potius periculum mortis, quàm ut magiſtratui debitum honorem deferat. Sed quando nulla pœna expreſſè ſtatuta eſt, cogitur judex in dictandâ pœnâ mitius procedere, quàm circa cæteros diffidatores. Nam diffidator propriè dictus omnem pacem reſcindit & in ſtatu hoſtili cum altero perſeverare deſtinat: at duellum ſubeuntes faciunt hoc eo animo, ut factis tribus congreſſibus,* wann ſie drey gänge gethan / *redeant in gratiam omni contentione finitâ & inimicitiâ ſepultâ. Licet ergò duella ſubeuntes peccent in eo, quòd contemnant auctoritatem magiſtratûs & Judiciorum, hoſtilem tamen illum animum non habent, nec æq; pacem publicam turbant ac diffidatores propriè dicti, quos conſtitutio de diffidatione banno ac gladio punit.*

10. Diffidatores pœnitentiâ ducti & literas diffidatorias revocantes vel etiam ſigna inflammationis affixa tollentes mitius puniri ſolent, fuſtigatione nimirum vel relegatione perpetuâ. *Nam licet hæc pœnitentia non arguat, diffidatorem ex imbecillitate magis quàm vitio peccaſſe; ſed potius pœnam metuiſſe: eſt tamen ejusmodi pœnitens mitius puniendus, quàm contumax & pertinax diffidator, qui nullam metuens pœnam in fractione pacis perſeverat. Cui accedit, quòd Reipubl. interſit, omnibus modis turbatores pacis reduci in viam: quod non fiet, ſi ſciant, ſe æq; punitum iri pœnitentes ac in propoſito malo perſeverantes: deſperatio quippe faciet, ut omnia extrema tentent. Hinc meritò D. Auguſtus Elector. part. 4. conſtitut. 16. pœnæ mitigationem circa pœnitentes introduxit.*

11. Tandem & notare cogimur, diffidatorum complices & receptatores eâdem cum his pœnâ affici. *Receſ. Imper. de anno 1555. Nam hi non tantùm cauſſa remota ſed & proxima turbationis pacis publicæ ſunt, & eo ipſo ſuam hoſtilitatem æq; ac diffidatores declarant: quemadmodum qui hoſtibus ſuppetias ferunt. Hinc vocantur cit. loc. uti & Ordinat. provinc. Saxon.* Enthalter / Fürſchuber / Beyſtänder. *Inde & ordinaria pœna afficiuntur qui alieno nomine vel ex mandato literas diffidatorias vel ſigna inflammationis affigunt. Stant namq; à partibus ejus, qui hoſtem ſe declarat, & hoc ipſo quoque hoſtilem actum exercent. Quapropter his æq; ac diffidatoribus pœna gladii infligitur.*

CONCLUSIO

DICTORUM IN PARTE SECUNDA.

1. *Hactenus demonſtravimus cauſſas eorum, quæ legibus ſtatutis & hodiernâ conſuetudine apud nos obſervantur circa juſtitiam univerſalem, quatenus ea communiter in omnibus imperiis & civitatibus introduci & conſervari poteſt. Nam Reſp. communiter ſubſiſtere ſolent in expellendis vitiis, ſe ſatis ſalvas reputantes, ſi morbis careant, licèt non pancraticè & athleticè valeant.*

2. Hæ cauſſæ curandi morbos ſocietatum humanarum in omnibus Imperiis pro interpretatione legum de criminibus puniendis latarum facient. *Nam licet pœnæ ſint diverſæ & varient pro arbitrio legumlatorum: ſi tamen de cauſâ puniendi conſtet, manet ſemper eadem ratio augendi & minuendi easdem. Quâ de re plura tradentur infrà de interpretatione.*

3. *Finito tractatu de Juſtitiâ Univerſali, quatenus hanc leges ſtudent in civitatibus conſervare, antequam ad ſpecies Juſtitiæ particularis diſtributivam nimirum & correctivam accedamus, quidq; ad conſervationem ſocietatum humanarum conferant contemplemur, alterum illud quo omnis ſocietas humana conſervatur AMICITIAM nim. contemplari aggrediemur.*

F I N I S.

PARTIS SECUNDÆ.

PARS

PARS TERTIA, DE AMICITIA.

LIB. I.

DE AMICITIA IN GENERE ET REQVISITIS PERFECTÆ AMICITIÆ.

CAP. I.

DE DIFFERENTIA AMICITIÆ ET JUSTITIÆ.

I.

Diximus part. præced. cùm de principiis injuſtitiæ univerſalis ageremus; omnem ſubſtantiam mobilem habere in ſe aliquod principium excitari ſolitum ad operandum ab aliquo bono vel vero vel apparenti; & cùm homo ſit ſubſtantia quædam mobilis intellectualis, principium motuum & operationum hujus propriarum eſſe intellectum practicum, eumque vel judicio ſano, quod mediante prudentiâ fit, inſtructum, vel hoc deſtitutum aut vitiis corruptum aut imbecillitatibus laborantem. Quæ hîc iterum ponenda ſunt, quò in contemplatione amicitiæ progredi poſſimus.

2. Quemadmodùm ergò omnis ſubſtantia mobilis vel ſibi vel alteri operatur, ita & homo. *Videtur namq; natura hujus univerſi ſuum bonum habere conſiſtens in ordine quodam ſubſtantiarum mobilium vel ad ſe invicem vel ad unum aliquod operando tendentium. Similiter & homo ſubſtantia mobilis exiſtens in ſe videtur habere principium, quo movetur & vel aliis operatur vel cùm aliis ad unum aliquod operando tendit.*

3. Homo ergò vel ſibi operatur vel alteri, & alteri quidem iterum dupliciter: vel enim in ipſo eſt principium naturale excitatum à bono aliquo ad operandum alteri; vel verò ab extrinſeco ad operandum excitatur & dirigitur. *Nam ſuperius diximus; ſubſtantiis mobilibus accidere, ut vel proprium & naturale principium in iiſdem moveat, vel ut moveantur ab extrinſeco.*

4. Utrumque autem & alteri & ſibi operari contingit duobus modis, vel per ſe vel per accidens. Per ſe dicitur ſibi operari qui excitatus à proprio bono operatur; alteri autem per ſe operatur.

tur, qui excitatus à bono alteri proprio id facit. *v. g. qui emit panem, per ſe ſibi, per accidens alteri operatur; quia excitatur ab hoc ad operandum, ut habeat panem quem edat; per accidens autem, cùm panem conſequi nequeat, niſi venditori det precium, etiam operatur venditoris gratiâ. Pater autem probus per ſe operatur liberorum, per accidens ſui gratiâ. Nam ſalus & bonum liberorum ipſum excitat ad operandum; & quia bonum liberorum quærere nequit, niſi & ipſe ſalvus ſit, per accidens quoq; ſibi unà operatur.*

5. Hiſce mediantibus videmur penetrare poſſe in differentiam Amicitiæ & juſtitiæ. *Nam utrâq; exercent homines operationes, quæ ſunt alterius gratiâ. De amicitiâ hoc manifeſtum eſt; quia omnis amicus, quando ut amicus operatur, agit ea, quæ bona & ſalutaria ſunt ſuo amico. Juſtitia verò univerſalis habitus exiſtens ex omnibus virtutibus compoſitus ita à virtutibus ſimpliciter ſumptis differt, quòd ſit quiddam ad alterum, & videtur nil aliud eſſe, quam omnium virtutum erga alterum uſus quidam. Juſtus etenim is eſt, qui virtutibus erga alterum uti poteſt; quia eum, qui ſuis virtutibus ſibi ſalutaria operatur, privatim felicem & virtuoſum dicimus, operantem autem aliis ex ſuis virtutibus Juſtum, ſeu cultorem Juſtitiæ univerſalis.* Atq; ob hanc cauſſam, *inquit Ariſteles*, ſola ex omnibus virtutibus juſtitia alienum videtur eſſe bonum, quia ad alterum refertur ac pertinet: quæ enim alteri ſalutaria ſunt operatur, nimirum imperanti vel communioni. *Patet hoc etiam ex injuſtitiâ univerſali, de quâ quomodo eam ſtudeant exſtirpare Reſpubl. præced. part. diſſernimus. Nam conſiſtit hæc in vitiis, quatenus quis hiſce in communionem & ſocietatem & ita erga alterum utitur; avaritiâ, furando, latrocinando, rapiendo, lenocinium fœnus improbum exercendo; intemperantiâ, ſtuprum, adulterium, inceſtum, polygamiam committendo; iracundiâ homicidia, veneficia perpetrando, damnum injuriâ inferendo &c. injuſtitiâ particulari, inferendo injurias falſiq; crimen committendo &c. Quemadmodum ergò injuſtitia univerſalis, poſita eſt in vitiis, quatenus erga alterum ſunt; ita habitus huic contrarius juſtitia univerſalis conſiſtit in virtutibus, quatenus ex hiſce operamur erga communionem in quâ vivimus. Nos verò etiam initio Elementor. ſumpſimus, duo eſſe, quæ omnem humanam ſocietatem & in ſpecie perfectiſſimam, civitatem nimirum, conſervant*, Juſtitiam & Amicitiam. *Quo poſito, erunt Juſtitia & Amicitia habitus, quibus homo communioni & partibus communionis benè operatur.*

6. Videtur verò Amicitia conſiſtere in actionibus ejuſmodi, quibus homines per ſe alteri per accidens ſibi; Juſtitia verò in iis, quibus per ſe ſibi per accidens alteri operantur: Ut adeò ex uſu

virtu-

virtutum erga alterum differentiam Amicitiæ & Juſtitiæ petere liceat. *Id ita demonſtrabimus: ſumamus ex numero virtutum fortitudinem, & ponamus ob oculos fortem virum ex ſuâ virtute operantem: deprehendemus in hoc triplicem ſecundum hanc ſuam virtutem operationem: vel enim ſibi tantùm, vel per ſe ſibi per accidens alteri, vel per ſe alteri per accidens ſibi operatur: ſibi ſoli operatur, quando v. g. hunc aggrediuntur latrones in viâ publicâ, & is hoſce fortiter propellit, it. ſi ſit puella, cujus pudicitiam impurus homo vi tentat, reſiſtens fortiter eidem: dicimus eam ſibi ex fortitudine operatam eſſe. Ponamus autem, Titium eſſe in navi, quam aggrediuntur pyratæ, &, dum videt, ſe ſalvum eſſe non poſſe, niſi navis tota ſit ſalva, fortiter pugnare pro defendendâ eâdem: dico, hunc per ſe ſibi, per accidens alteri operari: excitatur quippe ad operandum ſuâ propriâ ſalute, quam, dum videt ſe conſequi non poſſe, niſi tota navis ſalva ſit, per accidens in ſalutem omnium, qui in navi ſunt, operatur. Pariter ſi quis ſit in civitate, quam aggreditur hoſtis & lege jubente fortiter eſſe pugnandum, clypeum non abjiciendum, aliâ enim ratione civitatem ſalvam eſſe non poſſe, ſtet in acie & ſtrenuè pugnet, motus inde, quod opinetur, niſi hoc fecerit, ſubſecuturum, quod lex prædixit, nim. perituram totam civitatem ſingulosq; in eadem, & ſeſe ſuamq; familiam unà cum hiſce: eum ex juſtitiâ operari dico. At ſi ponas Niſum in navi, quam aggrediuntur pyratæ, eumq;, dum videt Eurialum jam cinctum hoſtibus periturum eſſe niſi ſeipſum trucidandum iisdem objiciat, idq; ipſum faciat: ſanè hunc omnes magis ex amicitiâ quàm juſtitiâ operatum fatebuntur. Quare vero? quia per ſe alterius gratiâ operatur: excitatur enim in Niſo principium movens ſeu potentia activa ſalute Eurialis, quam is tanquam ultimum ſuâ actione appetit.*

7. Amicitia bonum majus magisque civitatem conſervans quàm juſtitia videtur eſſe. *Id primò approbant LLatores dialectico argumento: quando dicunt,* licet juſtitia exerceatur in civitatibus; deſideratum tamen iri amicitiam; at ubi colitur amicitia, non multum deſiderari juſtitiam. *Quæ etiam cauſſa eſt, quare ſtudioſum juris & inveſtigaturum rationes legum oporteat notam ſibi reddere naturam amicitiæ; quia LLatores ſæpenumerò majorem amicitiæ quàm juſtitiæ rationem in LL. ferendis habentes multas petunt Leges ex naturâ amicitiæ; in quarum cauſſas penetrare nequit, qui, quid ſit amicitia, quàm variæ ſint hujus ſpecies, quæq; ſingularum ſpecierum proprietates ignorat. Deinde omnem ſocietatem humanam magis amicitiâ quàm juſtitiâ conſervari ex hactenus demonſtratis ita perſpicuum reddimus. Omnis ſocietas quàm maximè conſervatur & ſalva permanet, quò magis una eſt;*

quia ſocietatis eſſentia in hoc poſita eſt, quod ſit ex pluribus hominibus unum. At una magis permanet ſocietas, quando ſingulæ partes & toti ſocietati & cæteris partibus per ſe operantur, quàm ſi id non æq; per ſe faciunt: etenim, ſi operari alteri reddit ſocietatem unam, erit per ſe operari alteri quid magis unam reddens, quàm operari alteri per accidens. Quin ſi ſpeculando progredimur, deprehendimus, juſtitiam id operari, ne ſocietas diſſolvatur querelis; amicitiam hoc, ut qui in ſocietate ſunt, non modò non diſſolvant eam, ſed quàm maximè deſiderent cohabitare, unà eſſe & vivere. v. g. juſtus propterea fortiter in acie pugnat, ne de ſe aliis civibus querendi anſam præbeat, quaſi nihil ad communem ſalutem contulerit; qui verò ex amicitiâ id facit excitatur cæterorum civium ſalute ad pugnandum, ut hi perpetuò ſint & vivant. Et quemadmodum unum continuum magis unum eſt, quàm quod conſtat ex partibus diſcretis: ita videtur ſocietas amicitiâ unita magis una eſſe, quàm quæ ſolâ juſtitiâ cohæret. Si enim totius continui partem moveris, movebitur totum: ita ſi una pars ſocietatis, quæ amicitiâ conſervatur, benè ſe habere incipiat, commodum ſentiet tota ſocietas; & contrà, ſi una pars quid mali patiatur, ſentiet hoc quoq; tota, &, quod pars ſola nequit, damnum ſtudebit avertere.

8. *Ex his omnibus patebit cauſſa, quare, dum Elementa legum trado, ex quibus rationes earundem petendæ veniunt, tàm prolixus ſim & ſollicitus in naturâ, ſpeciebus & affectionibus amicitiæ inveſtigandis. Ut adeò non putem, à quoquam hoc mihi vitio verti poſſe. Id quod monere cogor; quia hanc tam nobiliſſimam materiam incultam ſperni & negligi video, tanquam ſterilem nulloſq; producentem fructus.*

CAP. II.

DE DEFINITIONE AMICITIÆ.

1. Videtur ad contemplationem amicitiæ multum prodeſſe inquirere, quid benevolentia, amor, amicitia differant. *Si namq; in quibus hæc tria conveniant, in quibus differant, inveſtigaverimus; definitio amicitiæ reſultabit: omnis enim definitio ſeu oratio eſſentiam rei declarans conſtat ex eo, quod commune eſt cum aliis, & differentiis ſpecificis, quibus ſeparatur ab iiſdem, cum quibus quid commune habet.*

2. Conveniunt in hoc benevoli, amantes & amici, quòd alteri benè velint, eumque bonis auctum & ornatum optent. *Omnibus enim hoc ineſt.*

3. Benevolentia ab amore differt, quòd amor conjunctus ſitt

ſit cum operatione ergà alterum qui amatur, benevolentia autem otioſa eſſe poſſit. *Nam amor affectus quidam eſt, quem incutit appetitus homini ad hoc, ut moveatur & operetur: quia lib. 1. part. 1. tradidimus, appetitum incutiendo affectus movere homines ad operandum. Amor ergò non latitat ſed ſeſe exerit, trahens amantẽ ad hoc, ut cum amabili velit unà eſſe & ejus gratiâ operari: benevolentia autem latitare poteſt; v. g. benevolum gladiatori dicimus eum, qui huic optat victoriam, tale ſcil. bonum quod gladiator ſibi expetit, licet ad victoriam nihil conferat, nec, ut gladiator eam conſequatur, contendat.*

4. Differt autem amor ab amicitiâ, quòd amor ſit paſſio ſeu affectus quidam, amicitia magis habitus. *Nam & beſtia beſtiam amat: at amicitia inter eos eſt, qui amant & redamant ex conſilio: quicquid autem ex conſilio fit habitui annumerandum eſt: bonum enim conſilium venit à quâdam diſpoſitione.*

5. Amicitia à benevolentiâ differre videtur quemadmodum principiatum à ſuo principio. *Nam principium eſt, unde unumquodq; fit aut eſt: tale autem quippiam reſpectu amicitiæ benevolentiam eſſe inde colligimus; quia benevoli iis, erga quos benevoli ſunt, volunt bona evenire, nondum tamen laboris aut moleſtiæ quicquam propterea ſuſcipiunt: ſucceſſu autem temporis, quando utriſq; invicem benevolis accedit converſatio & conſuetudo, gignitur amicitia. Quapropter benevolentia eſt id primum unde amicitia fit.*

6. Cùm amor ſit affectus quidam, & communis hominibus & brutis; amicitia propria hominum vel fortaſſe generalius ſubſtantiarum intellectualium, & benevolentia principium amicitiæ: inquirendum erit, quomodo principium amoris & amicitiæ invicem differant: *Ita enim fortaſſe magis ſeſe conſpiciendam exhibebit amicitia. Nam ſpecies rerum format intellectus inquirendo in differentias.*

7. Quò verò quodnam ſit principium propriè amoris, quodnam & quale amicitiæ, pateſcat; repetendum eſt ex *part. 2. lib. 1. cap. 3.* duplicem in homine eſſe appetitum, rationalem, qui voluntas vocatur, & irrationalem. *Nam dicebamus ibidem appetitum præparari à phantaſiâ & hanc rurſus vel ab intellectu vel à ſenſu quodam.*

8. Principium amoris eſt phantaſia à ſenſu quodam præparata. *Nam cùm amor ſit communis cum beſtiis, habebit & principium quod beſtiis ineſt. Nim. ſi ſenſus quiſpiam in animali deprehendit ab aliquo alio quippiam ſuæ naturæ conveniens (ſingulis enim ſenſibus addidit natura judicium, quo quid congruum naturæ ſuæ quid adverſum diſcernere valeant) repræſentat hujus objecti imaginem phantaſia appetitui, hic autem excitans calorem optimè temperatum diffluentem cum ſan-*

gvine per corpus movet affectum, quem amorem vocamus, quo animal operatur illius objecti gratiâ id, quod ſui boni cauſâ operatur, deſideratq́; cum eo eſſe & vivere. v. g. ſi homo porrigat cani fruſtum panis vel carnis, tactus ipſius judicat hoc jucundum: idq́; proveniſſe ab hoc individuo, quod viſu & olfactu canis à cæteris diſtinguit: phantaſia illius hominis imaginem & unà voluptatem ex tactu cibi offerens & repræſentans appetitui hujus canis, facit, ut appetitus excitet in cane affectum amoris trahentem eundem, ut homini adhæreat cum ipſo ſit & vivat, omniaq́; noxia ab eo aq́; ac à ſeipſo avertere ſtudeat. Et ita patet amoris principium eſſe phantaſiam repræſentantem animali quandam imaginem ejus, quo ſenſus aliquis ipſius, à quo phantaſia præparata eſt, delectatur. Et hæc phantaſia ſe habet reſpectu amoris, quemadmodum benevolentia reſpectu amicitiæ: quia principium eſt movens animal ad amandum.

9. Benevolentia, quæ principium amicitiæ eſt, conſiſtit in appetitu præparato à judicio intellectus, quem voluntatem vocamus. *Nim. quando intellectus judicat, alteri aliquid amabile ineſſe; incipit appetitus rationalis appetere hoc; ut alter ille omnibus bonis augeatur & ornetur. Et hic rationalis appetitus ſeu voluntas dicitur benevolentia. Porrò quia voluntas humana ſæpè eſt ſine prælectione mediorum & labore ad finem quem vult, tendendi: ita & benevolentia aliquandiu ſine operatione. v. g. multi volunt eſſe eruditi, nunquam tamen aggrediuntur id facere, quo mediante eruditio paratur: ſic fit, ut interdum quis velit alteri omnia bona evenire, nullius tamen incipiat effector eſſe. At quando hæc benevolentia duobus ineſt, & hi incipiunt eligere media perveniendi ad ea, quæ mutuo ſalutaria ſunt, & ex electione operantur poſtea tribuendo & retribuendo; gignitur amicitia.*

10. Ex hiſce colligimus definitionem Amicitiæ humanæ, quòd ſit habitus proæreticus ſeu in conſilio poſitus tribuendi & retribuendi quod benevolentia propter amabile tribuendum & retribuendum eſſe jubet. *Nam benevolentia eſt menſura tribuendorum & retribuendorum, benevolentiæ autem menſura eſt amabile, quatenus illud judicium intellectûs æſtimat, quale & quantum ſit: pro qualitate enim & quantitate amabilium eliguntur quæ tribuenda & retribuenda ſunt.*

CAP. III.

DE REQVISITIS NONNULLIS PERFECTÆ AMICITIÆ.

1. Omnem LLatorem oportet primùm omnium in LL ferendis intu-

intueri perfectam amicitiam. *Nam quò magis quid conſervat ſocietatem humanam, eò potior ipſius ratio haberi debet in ferendis legibus, & cùm amicitia in conſervandâ ſocietate humanâ præferenda ſit juſtitiæ, ut cap. 1. demonſtratum dedimus; tum verò perfecta amicitia erit illud, quod humanam ſocietatem maximè conſervat & felicem reddit.*

2. Primò itaque quò magis quis per ſe alterius gratiâ bonum appetit & operatur, eò perfectior eſt amicitia. *Nam cit. cap. 1. n. 6. oſtendimus, amicitiæ eſſentiam poſitam eſſe in actionibus, quibus homo per ſe alteri per accidens ſibi operatur. Quò magis ergò quis alteri alterius gratiâ per ſe vult bona evenire, eò perfectior erit amicitia.* Signum ergò perfectæ amicitiæ eſt velle alteri bona evenire, & hoc agere, ut eveniant, licet nemo ſciat. *Nam quod quis non facit niſi homines ſciant, hoc non appetit quà tale, ſed propterea, ut ex eo cognito emolumentum capiat, & ejus cauſſâ, quòd ex eo percipit, quando cognitum eſt.*

3. Secundò quò magis ex amore erga ſeipſum capit determinationem amatio eò perfectior eſt. *Nam cùm quilibet ſeipſum per ſe amet & ſibi bona velit evenire, etiam alterum per ſe & non per accidens amabit, ſi amet eum ratione amandi à ſeipſo petitâ. Aut ergò amicus eadem habet bona, ob quæ quis ſeipſum diligit; & perfectè eum, ut ſcil. ſeipſum amabit; aut habet bona alia, & diliget honorabitq́ue eum, quemadmodum ſe vellet dilectum & honoratum, ſi ipſe haberet.*

4. Hinc deducimus 1. neminem perfectam amicitiam colere poſſe, niſi qui ſeipſum quàm maximè amat. *Nam cùm quilibet maximum amorem ex eo, quo ſeipſum proſequitur, metiatur; non poteſt alterum perfectè amare qui ſeipſum non ſatis amat.* 2. fundamentum aliquod amicitiæ eſſe identitatem, eamque, quò perfectior in homine eſt, eò perfectiorem reddere amicitiam. *Nam quò major intercedit identitas, eò magis quis alterum ut ſeipſum amat, eòq́ue perfectior eſt amicitia.*

5. Quò conſtantior quoque eſt amicitia eò perfectior eſt. *Nam amicitia eſt quiddam quod conſervat ſocietatem eamq́ue felicem reddit. Quò ergo amicitia eſt conſtantior, eò felicior eſt ſocietas & eò perfectior eſt Amicitia, utpote in quâ felicitas illa poſita eſt.*

6. Hinc deducimus, amicitiam eam eſſe perfectam, quæ fundata eſt in amabili, quod eſt bonum aliquod verum & non apparens tantùm. *Nam amatio non poteſt eſſe perfecta, niſi amabile perfectum exiſtat. Potentia enim activa aliter non operatur, quàm paſſiva admittit. At niſi bonum ſit reverà bonum, perfectum non eſt: prout enim unumquodq́ue eſt in veritate, ita & in ſua eſſe. Hinc quod verum bonum*

non eſt nec habet ea quæ ad eſſe boni pertinent. Quod verò non habet omnia quæ ad eſſe requiruntur perfectum non exiſtit. Deinde verum bonum conſtantius amatur, quàm apparens: ceſſante enim opinione circa apparens bonum, ceſſat & amor. At verum bonum ſemper bonum ſemperq; amabile eſt. Quò autem conſtantius eſt amabile, eò conſtantior eſt amicitia; eoq; perfectior.

7. Maximè perfecta, indiſſolubilis & omnium querelarum expers eſt illa amicitia, in quâ amatio ita fit, ut quò magis quis declarat amorem erga amicum, eò magis ſe amet, & quò magis ſe amat, eò magis amet amicum. *Nam hæc amicitia nihil habet quod amorem minuit, ſed tota talis eſt, ut ex ſe augmentum capiat, & proinde conſtantiſſima. Quòd ſi enim quò quis magis amat amicum, quoq; plus eidem tribuit, eò minus ſeipſum putat amare; quòq; magis ſeipſum amat, eò minus amico putat tribuendum; eò citius ceſſabit amicitia; quia quilibet amorem ſui præfert omni alii amori. Unde ſequitur, amicitiam illam non diuturnam eſſe, quam qui colunt ſtatim putant, ſe non ipſos ſatis amare. Contrà quò magis colens amicum, eò magis ſe amare videtur, eò magis augetur amicitia. Nemo enim amore ſui exſatiari poteſt, ſed eum in infinitum extendit.*

8. Quæ magis in habitu poſita eſt amicitia perfectior eſt, quàm quæ in paſſione. *Nam affectus ſubita animi commutatio eſt & communis cum belluis: habitus autem conſtans exiſtit, & hominis, velut ſubſtantiæ intellectualis, proprius. Unde amicitia in habitu poſita eò perfectior erit paſſione, quò ſubſtantia intellectualis perfectior eſt eâ, quæ ſolis ſenſibus prædita eſt: quoq; perfectior eſt amicitia quæ conſtantior exiſtit.*

9. Porrò quia omnis habitus vel conſiſtit in actu primo vel in ſecundo. *v.g. in actu ſecundo conſiſtit ſcientia geometrica, quando actu ſpeculamur magnitudines; in primo, quando ſcientiam habemus & nihil ſpeculamur:* ea erit perfectior amicitia quæ magis in actu ſecundo, quàm primo tantùm conſiſtit. *Nam qui virtutem tantùm actu primo habet, minus perfectè eſt virtuoſus, quàm is, cui ineſt actu ſecundo, ſeu qui eam exercet, idq; in reliquis habitibus quoq; ita ſe habet, & præſertim in amicitiâ, quæ aut virtus quædam eſt, aut virtuti quid ſimillimum.*

10. Perfecta amicitia non eſt, niſi inter eos, qui unà ſunt & vivunt, unà dolent & lætantur. *Nam niſi id fiat, amicitia magis actu primo quàm ſecundo eſt. Quò verò magis unà ſunt vivunt, lætantur, dolent, eò magis exercetur amicitia & in actu ſecundo poſita eſt, & proinde eò perfectior.*

11. Unde porrò infertur, amicitiam perfectam non eſſe, niſi

iner

inter eos, qui in definiendis bonis maliſque conveniunt. *Nam qui non eadem pro bonis & malis habent, nec unà lætari nec unà dolere, & per conſequens nec amicitiam colere & in actu ſecundo poſitam habere poſſunt.*

12. Sequitur & porrò, quò arctior & anguſtior eſt ſocietas, eò perfectiorem eam admittere amicitiam. *Quo enim arctior eſt ſocietas, eò melius obtineri poteſt, ut amici unà vivant, doleant, lætentur: & proinde habitus magis in actu ſecundo conſiſtet.*

13. Eſt & eò perfectior amicitia, quò cum majori voluptate operationes in eâdem exercentur. *Nam tunc perfectum cenſemur adepti habitum, quando operationes nulla moleſtia comitatur, ſed omnes potius ſummâ cum jucunditate conjunctæ ſunt. Cui accedit, quòd jucunditate operationes perficiantur, ut iisdē homines inhæreant: quò verò magis alliciuntur ad inhærendum operationibus amicitiæ, eò conſtantior eadem exiſtit.*

14. Tandem quia definivimus amicitiam habitum in tribuendo & retribuendo conſiſtentem, ea perfectior erit amicitia, circa quam in tribuendo & retribuendo nullæ oriuntur querelæ. *Nam querelis ſubortis circa tribuendum & retribuendum, aperitur via ad diſſolutionem, & ita minus conſtans eſt amicitia. Unde patet, quò magis querelæ ceſſant, eò conſtantiorem perfectioremq; eſſe amicitiam. Quare quæ amicitia jus quam maximè ſervat, ut nullæ querelæ ſuboriantur, præ cæteris perfecta erit.*

LIB. II.

DE DIVISIONE AMICITIÆ IN SPECIES RATIONE AMABILIUM.

1. Videtur natura amabilis petenda ex eo, ob quod quiſque ſe ipſum amat. *Nam ob quod quis ſeipſum amat id illud eſt quod videtur propriè amabile: amat enim quiſq; quam maximè ſeipſum.*

2. Quiſque autem amat 1. ſuum eſſe, non aliam ob cauſſam, quàm quod ſuum eſſe eſt. *Hinc quilibet ſuam vitam ſtudet quam maximè conſervare, & nihil magis deſiderat, quam ſeipſum ſuaſq; operationes ſentire.*

3. Deinde & quilibet ſe amat propter bona ſua, quæ plerumque majora eſſe judicat, quàm reverà ſunt. *Ita divites propter ſuas divitias, nobiles propter nobilitatem ſuam, eruditi ob cognitionem artium & diſciplinarum ſeſe quam maximè amant.*

4. Alter ergò alterum benevolentiâ proſequitur vel 1. quia novit alterum eſſe ſecum idem: *quemadmodum enim ſuum eſſe, ita & hunc-*

hunc amabit. vel 2. quia alter aliquid boni habet quod ſibi bonum reputat. *Nam quod ſibi bonum eſt quilibet amat, & propterea quoq; ſeipſum, quando ſibi ineſſe deprehendit.*

5. Boni tria ſunt genera: aliud enim eſt honeſtum aliud jucundum aliud utile. Unde oriuntur tria genera amicitiæ, nimirum honeſta, utilis & jucunda.

6. *Quapropter acturi ſumus* 1. *de amicitiâ quæ ex ſolâ identitate eſt*. 2. *de ea quæ ex bonis amabilibus gignitur & 3. de eâ, ſi qua datur, quæ ex utriuq; oritur.* Manifeſtum autem eſt, ſi qua talis datur, eam fore cæteris perfectiorem. *Nam huic nihil deeſt ejus quod amabile eſt.*

CAP. I.

DE AMICITIA QUÆ EX SOLA IDENTITATE EST.

1. *Datur quædam amicitia quam gignit ſola identitas. Videtur autem hæc conſiſtere vel in corpore vel in animo. Amicitia, quæ in corporis identitate conſiſtit, locum habet inter eos, qui ſangvine juncti ſunt, quales ſunt cognati, it. affines; quia & affines identitas ſangvinis copulat. Quæ animo ineſt identitas conſiſtit in ſimilitudine morum. Hâc ſepoſitâ, prius dicturi ſumus de conjunctione ſangvinis.*

MEMBR. PRIMUM.

DE AMICITIA COGNATORUM.

1. Principium amicitiæ cognatorum eſt parentum & liberorum amicitia. *Nam identitas, quæ inter parentes & liberos eſt, præbet identitatem cæteris omnibus cognatis. Dum namq; fratres & ſorores norunt ſe cum parentibus eoſdem, etiam ſe inter ſe eoſdem inde colligunt.*

ARTIC. I.

DE AMICITIA PARENTUM ET LIBERORUM.

1. Parentes & liberi ſe invicem amant, quia norunt, ſe eſſe idem. *Nam cauſſa, quàre parentes ament liberos, hæc eſt, quia liberi ſunt quædam parentum partes ex hiſce tanquam totis exiſtentes: ſunt enim quaſi dens vel pilus vel tale aliquod quod ex parentum corpore eſt, & ejus pars eſt. Et in matre quidem hoc magis perſpicuum eſt, quia fœtus in utero materno formatus eſt velut dens in ore, qui hujus pars conjuncta eſt, quamdiu gingivæ adhæret; ſeparata, ſi ex ore exemptus ſit. Unde & jure Romano liberi partes parentum vocari ſolent, præſertim ſi adhuc in-*

fami-

familiâ exiſtunt. Soleo hæc meis auditoribus declarare ſimili pullulorum è radicibus arborum natorum: hi enim quamdiu radicibus arborum adhærent partes illarum dicuntur, licet diſtinctæ ab illis arbores ſint.

2. Major eſt benevolentia matrum erga liberos, quàm patrum. *Quò enim major eſt cognitio identitatis, eò vehementior eſt amor: at matres magis norunt liberos ſecum idem eſſe, utpote quos in utero geſtarunt, quàm patres, qui non ſcientiam; ſed tantùm opinionem identitatis habent: neq; enim aliunde colligunt identitatem, quàm quòd fidelem ſibi putent uxorem.*

3. Major quoque eſt parentum erga liberos, quàm liberorum erga parentes benevolentia. *Nam parentes liberos diligunt, quemadmodum quis ſuas partes corporis diligere ſolet; imò magis & tanquam ſeipſos, ſunt enim liberi quaſi alteri ipſi, ex quibus ſunt nati, nec ita tantùm partes parentum ſunt, ut dentes vel pili, ſed velut alterum ipſum, quod parentes ſunt. Liberi autem, dum à primo ortu identitatem ignorant & non niſi cum ætate eam intelligere incipiunt; quin etiam dum ſentiunt, à teneris, ſe à parentibus amari, ex conſuetudine concipiunt, ſe naturâ quiddam eſſe quod à parentibus amandum potius eſt, quàm quod amorem & benevolentiam iisdem debet.*

ARTIC II.
DE
AMICITIA FRATRUM ET SORORUM.

1. Fratrum ſororumve minor eſt benevolentia invicem, quàm parentum & liberorum. *Nam identitas fratrum ſororumve minor eſt quàm parentum & liberorum: concipiuntur namq; duo fratres idem: quia cum uno patre unâq; matre idem ſunt. Quæ enim eidem ſunt eadem inter ſe eadem ſunt, non tamen tali identitate, quam ipſa ad idem habent. Ob quod namq; unum quodq; eſt tale, illud magis tale eſt.*

2. Fratres vel ſunt germani vel conſangvinei vel uterini. Germani ſunt, qui eundem patrem eandemque matrem habent; conſangvinei eundem patrem diverſaſque matres habentes; uterini, qui ex eâdem matre, diverſiſque patribus oriundi ſunt. *Par eſt ratio ſororum vel etiam fratrum & ſororum inter ſeſe collatorum.*

3. Germanorum major invicem benevolentia eſt, quàm cæterorum. *Nam major horum identitas eſt.*

ARTIC. III.
DE
CÆTERORUM COGNATORUM AMICITIA.

1. Cæterorum præter fratres & ſorores cognatorum amicitia, quatenus ex identitate ſangvinis eſt, eò remiſſior eſt, quò magis

à principio generis abſunt. *Quò magis enim abſunt à principio ſeu ſtipite, eò minor identitas ſentitur: præſertim ſi ſtipitem non norint. Nam cognitio ſtipitis eſt perceptio identitatis.*

2. Amicitia cognatorum plerumque finitur in conſobrinis. *Sunt enim conſobrini generaliter loquendo, qui eundem avum eandemq; aviam habent. Unde amicitia, quæ ex identitate ſangvinis oritur, in his finiri ſolet: quia contingit hominibus avum aut aviam ſeu ex patre ſeu ex matre noſſe: ulterius rariſſimè datur.*

MEMBR. II.


DE AMICITIA AFFINIUM, ET DE EA QUÆ INTER CONJUGES EST.

1. Utramque & conjugum & affinium amicitiam uno membro comprehendimus; *quia, prout ex ſequentibus patebit, conjugum amicitia in identitate eâ fundata eſt, ex quâ affinium oritur.*

ARTIC. I.

DE CONJUGUM AMICITIA QUATENUS EX IDENTITATE EST.

1. Videtur & amicitia conjugalis naſci ex identitate, & quidem cum procreando vel procreato. *Nam qui matrimonium ineunt, id propterea faciunt, ut gignant quod idem cum ipſis eſt. Mas enim & fœmina concurrunt tanquam duo diſtincta in unam carnem i. e. in unum gignendum cum quo ſint idem. Quæ cauſſa eſt, quare ceſſante procreatione ſobolis benevolentia conjugum minuatur. Nam illud idem, cujus gratiâ ſocietatem & amicitiam inierunt, conſequi nequeunt. Quemadmodum ergò fratrum ſororumve amicitia naſcitur inde, quòd ſe ſciant ex eodem principio & cum illo eadem eſſe: ita conjugum inde oritur, quòd ſint principia ejusdem: & cum principiato communi eadem. v. g. Quia Titius pater & Mævia mater norunt ſe idem cum filio Sempronio: inter ipſos conceptus identitatis gignitur velut duorum ejusdem principiati principiorum.*



2. Quàm ſollicita fuerit natura, ut homines exactè unamquamque amicitiæ ſpeciem colant, ne confuſio amicitiarum oriatur vel alterâ cultâ altera intereat; cernimus exinde, quòd horrorem incuſſerit iis, qui norunt ſe ſangvine idem eſſe, quo ducti à conjugiis


jugiis abſtineant. *Nam deprehendimus, omnes, qui in lineâ rectâ ſunt, patres & liberos, avos & nepotes &c. eosve qui ſunt in lineâ collaterali, quoq́ identitatem ex uno principio ſentiunt, à conjugio abhorrere: id quod collateralibus contingit usq́ ad avum: plerumq́ enim datur hominibus avum aut aviam ſeu ex patre ſeu ex matre noſſe. Cauſſa hujus rei eſt, quia conjugalis ſocietas connectit diverſas perſonas: ut per idem gignendum quaſi idem quid fiant, & ſe ament propterea, quod per idem procreatum idem quiddam redditi ſint: at cognatorum amicitia colitur ob hoc, quòd ſe ſciant ex eodem eſſe: quo cognito cultus amicitiæ conjugalis ceſſat: neq́ enim naturaliter idem fieri deſiderant & laborant qui jam idem ſunt.*

ARTIC. II.

DE AMICITIA AFFINIUM.


1. Affinitatis principium eſt matrimonium. *Nam cognati mariti ſunt affines uxoris & contrà cognati uxoris ſunt affines mariti.*

2. Principium amicitiæ affinium idem eſt quod conjugum. *Ponamus Titii ſororem Meviam junctam Sempronio, cùm inter haſce per-*



ſonas arctiſſima oriatur amicitia per hoc, quod vel ad idem procreandum tendant vel jam genuerint idem, Paulum nimirum: dico inter Titium & Sempronium quoq́ ex eâdem identitate naſci amicitiam. Titius enim idem exiſtens cum Mevia ſorore ob patrem eundem, etiam idem quiddam eſt cum Paulo: at hic Paulus idem quoq́ exiſtit cum Sempronio: quapropter etiam Titius & Sempronius per Paulum, cum quo idem quiddam exiſtunt, junguntur. Unde patet, affinium amicitiam principium capere ex eâdem identitate, quæ & conjugalis amicitiæ principium exiſtit.

3. Inter cognatos duorum matrimonio junctorum nulla concipitur eſſe affinitas. *Sunto Mevia & Paulus conjuges: Meviæ frater, Titius; Pauli ſoror, Sempronia: filius ex Paulo & Meviâ natus Cajus.*



Dico Titium fratrem Meviæ eſſe affinem quidem Pauli & Semproniam ſororem Pauli, affinem Meviæ: at Titium & Semproniam non inter ſeſe haberi pro affinibus. Nam evaneſcit ſenſus identitatis inter has perſonas, cùm identitas Titii & Caji à Meviâ: Caji & Semproniæ à Paulo originem ducat.

CAP. II.

DE AMICITIA UTILI.

1. Hactenus conſideravimus amicitiam, quæ ex ſolâ identitate eſt: ſequitur, ut contemplemur eam, quæ ex ſolis bonis ſuboritur, qualis eſt utilis & jucunda. *De jucundâ id demonſtrabitur ſequenti capite: quod utilem concernit, patebit hoc ipſum ex iis, quæ modò dicturi ſumus.*

2. *Quò verò in utilis amicitiæ naturam penetremus, præmittendum erit, quid ſit utile bonum.* Eſt verò bonum utile id, per quod fit bonum aliquod. Et proinde utilem amicitiam cum altero colit qui propterea alterum amat, quòd per hunc fiat aliquid boni ad ſeſe pertingens.

3 Qui utilem colit amicitiam per ſe ſui, per accidens alterius gratiâ operatur. *Nam amat alterum propterea, quod ad ſe ab altero aliquid boni pertingat, ſeu quod alter ſit quaſi inſtrumentum acquirendi bonum. Hunc autem per ſe ſui gratiâ operari manifeſtum eſt, quia eo, quod ſibi ab altero contingit, bono ad agendum excitatur, per accidens autem alterius cauſſa; quia ſine hoc ſuum bonum obtinere nequit.*

4. Amittit itaque utilis naturam amicitiæ. *Nam lib 1. demonſtravimus, amicitiæ naturam poſitam eſſe in operatione ad alterum, & quidem tali, quæ per ſe alterius gratiâ eſt. Jam verò colentem utilem amicitiam per ſe ſui, per accidens tantùm alterius gratiâ operari modo demonſtratum eſt.*

5. Nulla hac in amicitiâ attenditur identitas. *Nam ſive bonus ſive malus ſit alter amicus, ſive eorundem ſive diverſorum morum, nihil curatur; modò aliquid commodi ab altero ad alterum pertingere poſſit. Cui accedit, quòd nonnunquam qui contrariorum ſunt morum, hanc colant amicitiam v. g. pauperes & divites, ignorantes & docti, & in ſummâ indigentes cum habentibus.*

6. Finitur hæc amicitia, quando ceſſat indigentia. *Nam cùm amans non per ſe, ſed tantùm per accidens ob indigentiam alterius gratiâ operetur, ceſſabit omnis hæc operatio indigentiâ ceſſante. Cui enim accidit tantùm amabile, ei etiam, accidit amicitia & tamdiu durat quamdiu amabile.*

7. Deſtituitur quoque hæc amicitia exercitio, nec admodum in actu ſecundo poſita eſt. *Nam actus ſecundus amicitiæ conſiſtit in hoc, ut amici unà ſint & vivant, doleant item ſimul & lætentur. At amicitiam utilem colere ſolent homines avari, qui intenti rei familiari*

unà

unà vitam colere & converſari nequeunt. Eſt & ſenum propria hæc amicitia, qui velut auſteri ad quotidianam converſationem ſunt inepti.

8. Nec etiam hac in amicitiâ amor capit menſuram ab amore ſui ipſius. *Nam non ut ſe ipſum alter alterum amare poteſt; quia amat eum tantummodo ut inſtrumentum ſuæ utilitati inſerviens.*

9. Reperitur & hoc in iſtâ amicitiâ, ut quò magis quis alterum amat, eò minus ſeipſum amare putet. *Nam hanc amicitiam colentes homines avari exiſtimant, eum ſeſe odiſſe, qui alteri de ſuo dat & amittit: eum verò ſe quam maximè amare, qui ſemper accipit nihil dat. Quapropter utilem colentes amicitiam dum alterum, qui vult dando amari, nimis amant, ſeipſos ſe odiſſe putant.*

10. Quamplurimæ quoque circa tribuenda & retribuenda hac in amicitiâ querelæ oriuntur. *Nam qui putant, ſe ſemper minus habere quàm habere debebant queruli ſunt. At colentes amicitiam utilem, quales ſunt avari, tales exiſtunt: avarus enim ſemper eget, & putat, ſe minus accepiſſe. Plena ergò querelarum & criminationum eſt hæc amicitia.*

11. Nihil ergò conſtans firmumque huic amicitiæ ineſt. *Nam in quâ amicitiâ amatio non per ſe, ſed per accidens, & quidē ob accidens, quod facilè ceſſare poteſt, (quale eſt indigentia) contingit, magisq; ſui quàm alterius gratiâ omnis inſtituitur operatio, quæq; nec actum ſecundū amicitiæ non admittit: nec ab amore ſui ipſius menſuram amationis petitā habet: quoq; magis quis alterum, eò minus ſe ipſum amare videtur, quæq; referta eſt multis querelis ob tribuenda & retribuenda, ea inconſtans, infirma & imperfecta eſt. At talem eſſe amicitiam utilem, hactenus demonſtravimus.*

CAP. III.

DE AMICITIA JUCUNDA.

1. Aliter appetitur bonum jucundum aliter utile. *Nam utile jucundi gratiâ, jucundum magis propter ſe & tanquam finis appetitur.*

2. Licet bonum jucundum tanquam finis appetatur; non tamen & in hac fit operatio per ſe alterius gratia. *Nam jucundum hominem amans non illius ſed ſui potius gratiâ per ſe operatur: Voluptate enim, quam ipſe percipit, ad opera amicitiæ facienda excitatur; nec amicum amat qua talem, ſed quia ab ipſo voluptate afficitur: quod ſi ceſſet jucundus eſſe, non amplius deſiderabit alter cum illo unà eſſe & vivere. Hinc amatores libidinoſi, exſatiato appetitu, quando voluptatem ex coitu non amplius deſiderant, fugiunt amaſia, nec cum iis converſari ulterius volunt.*

 3. Nulla

3. Nulla quoque hac in amicitiâ identitas attenditur. *Nam qualiscunq; ille ſit qui jucundus eſt, ſeu bonus ſeu malus, cum eo, ut jucundo, colitur amicitia.* Non tamen æquè ac utilis inter contrarios initur. *Qui namq; planè contrariorum morum ſunt non facilè jucundi invicem eſſe poſſunt.*

4. Magisquòq; hæc, quàm utilis amicitia, in exercitio poſita eſt; *quia jucundam colentes amicitiam unà eſſe & vivere volunt: cui accedit, quod hac propria ſit juvenum & ſodalium, qui unà eſſe & vivere ſemper optant. Quod ſecus ſe habet in utili amicitiâ, quam colunt avari ſenesq; auſteri.*

5. Nec æquè ac utilis querelis referta eſt. *Nam ridiculus eſſet qui conquereretur, amicum non ſatis jucundum eſſe.* Non tamen in totum vacat querelis. *Videmus enim inter eos, qui jucundam colunt amicitiam, ſæpè querelas & contentiones naſci, quando jocosè dicta pro convitiis habent. It. ſi æqualis qui eſt ab altero tanquam inferiori delectationem capere deſideret.*

6. Ex his apparet amicitiam jucundam imperfectam quidem eſſe, non tamen omnibus infirmitatibus laborare, quibus utilis. *Nam licet ſit magis per accidens quàm per ſe, nec conſiſtat in operatione per ſe alterius gratiâ; magis tamen in actu ſecundo & exercitio poſita eſt, magisq; à querelis eſt vacua quàm amicitia utilis.*

7. Notandum verò eſt amicitiam jucundam aliam eſſe ex eâdem re, aliam ex diverſis; & illam eſſe hac conſtantiorem. *Nam in eâ, quæ ex eâdem re eſt, licet alter facere ceſſet quod jucundum eſt; ab altero tamen propterea non ceſſatur. At quando ex diverſis jucundis conſtat amicitia, altero ceſſante tribuere alter quoq; retribuere ceſſat; unde diſſolutio amicitiæ conſequitur. v. g. ſi puella deſinit eſſe pulchra, ceſſat in amatore obſervantia & cultus: unde contrà puella deſinit amare & ita diſſolvitur amicitia.*

8. Multò magis autem infirma exiſtit hæc amicitia, ſi non ab utraque parte jucundum bonum ſit quod tribuatur & retribuatur, ſed ab alterâ jucundum ab alterâ utile. *Datur enim & ejusmodi amicitia, quæ quaſi mixta eſt v. g. meretrix adoleſcenti jucunda eſt, ut ille huic ſit utilis. Hæc autem facilè diſſolvitur. Nam ceſſante utili bono, aut, ſi non tantum detur, quantum expectatur, ſtatim reſcinditur amicitia.*

CAP. IV.

DE HONESTA AMICITIA.

1. Honeſta amicitia perfecta quædam & conſtans amicitia eſt.

eſt, & eò perfectior quò virtuoſiores ſunt qui eam colunt. *Patebit hoc ipſum, quando ſingula percurremus, quæ ad perfectam amicitiam requiri ſuprà tradidimus: omnia quippe huic requiſita ineſſe deprehendemus.*

1. Et primò quidem amicitia honeſta illam habet operationem, quæ perfectæ amicitiæ propria eſt, nim. quòd amicus amicum amet quà talem, & ipſi omnia bona evenire ſatagat ipſius gratiâ. *Quemadmodum enim pulchritudo corporis & voluptas, quæ ex adſpectu gignitur, principium eſt amoris: (quando enim formâ ſpecieq; alicujus puellæ delectamur, ſtatim ipſi bona evenire volumus, illiusq; abſentis deſiderio ducimur; & hoc pacto naſcitur amor.) Ita quoq; vir bonus, ſi videat alterum virum bonum honeſta & præclara gerere, operaq; virtutum, juſtitiæ, liberalitatis, fortitudinis, temperantiæ &c: edere; horum delectatione ſtatim capitur, ut velit ei, qui ita operatur, omnia bona evenire, & quidem illius cauſâ: quia ejus operationibus præclaris gaudet, vultq; ipſum ſalvum, eiq; omnia bona illius cauſâ evenire. Conſtat ergò, amicitiæ honeſtæ quandam perfectam benevolentiam principium eſſe, talem ſcil. quâ volumus alteri bona evenire non aliam ob cauſſam, quàm illius gratiâ. Nec tantùm ita ſe habet benevolentia, quæ principium amicitiæ eſt, ſed amatio quoq; ipſa: in amicitiâ enim honeſtâ alter alterius eſſe amare videtur, quam amationem neceſſe eſt per ſe & non per accidens fieri. Nam hominis quà homo eſſe & vivere poſitum eſt in operationibus intellectûs cùm theoretici tùm practici & appetitûs, qui huic intellectui ſubjicitur. Cætera homo non habet quà homo, ſed quatenus animal vel corpus vegetativum eſt. Eſſe ergò hominis honeſti eſt inſtructum virtutibus intellectualibus & moralibus eſſe & ſecundum haſce operari. Hinc ſequitur, virum honeſtum & ſapientem, quando ob virtutes intellectuales & morales amatur, ob hoc, quod ipſe eſt, amari, ſuiq; & non alterius gratiâ. Id quod etiam ex hoc ſigno colligitur. Nam vir bonus amat ſeſe propter virtutes ſuas. Quisq; autem ſe ſui & non alterius gratiâ amat.*

3. Ineſt quoque honeſtæ amicitiæ amor ſummus & talis, qui provenit ex amore erga ſeipſum. *Nam cauſſa, ob quam ſe amat vir bonus, non eſt ea, quâ moventur idiotæ ad ſeipſos amandos nim. merum eſſe, ſentire & vivere quocunq; modo; ſed benè i. e. ſecundum virtutes vivere: cætera enim vir bonus in ſe parvi facit, in virtute omnia collocata habet, & ex illâ, quinam ſit, ſeſe æſtimat: ex hac ſeſe operari quammaximè lætatur, & ob hoc etiam ſe quammaximè diligit. Ex quo ergò æſtimat amorem erga ſeipſum, ex eo etiam amorem erga amicum.* Quæ cauſſa eſt, quare amor honeſti viri erga honeſtum & æqualem ſit conſtantiſſimus. *Nam prout honeſtus vir ſe amat, ita & amicum. Un-*

de is-

de iis, qui ſeſe non conſtanter amat, nec amicum poteſt perpetuò amare. Eſt autem amor, quem vir bonus erga ſeipſum gerit, aſſiduus & non interruptus. Bonus quippe ſemper talis eſt, nec mutatur, firmumq́, in eodem eſt id, ob quod ſeipſum amat, & ob hoc idem diligit amicum ſuum. Unde ſequitur, conſtantem eſſe inter honeſtos amicos amorem.

4. Provenit ergò amicitia honeſta etiam ex quâdam identitate. *Nam quod vir bonus eſt, hoc ratione virtutis eſt & quatenus virtuoſus exiſtit. Unde quando duo viri boni ob ſuas virtutes ſe amant, ob quandam inter ſe identitatem hoc faciunt.*

5. Contingit porrò amicitia honeſta ob bonum non apparens ſed verum. *Nam cætera bona, velut honor, divitiæ, voluptates corporis ſunt tantùm apparentia bona: virtus autem verum hominis bonum eſt.*

6. Eſt & bonum, ob quod in hac amicitiâ contingit amatio, tale quod amando non amittitur vel abſumitur ſed magis magisque augetur. *Nam qui utilem colunt amicitiam faciunt, amicum ſuum bonum amittere horum gratiâ: at honeſtum bonum, velut commune, ſtudent amici inter ſeſe conſervare, dum amicus amico labenti ſuppetias fert, omnemq́, dat operam, quò eum corrigat & emendet, donec tandem in utroq́, per exercitia virtutum ita firmatum ſit bonum, ut amitti nequeat.*

7. Id porrò in hac contingit amicitiâ, ut, quò magis quis amicum amat, eò magis ſeſe amet. *Nam vir bonus quò ſe virtuoſiorem ſentit, eò magis ſe amat: quò autem plus beneficii in amicum confert, eò virtuoſiorem ſe ſentit: unde fit, ut, quo plura in amicum confert beneficia, eò magis erga ſeſe amor augeatur, eoq́, magis ſe amore proſequatur. Unde aucto amore erga amicum, augetur amor erga ſeipſum; & contrà, aucto amore erga ſeſe, augetur amor erga amicum. Nam non ita vir bonus comparatus eſt, quemadmodum vulgus, quod exiſtimat, eum ſeſe odiſſe, qui pro patriâ, civibus ſuisq́, amicis vitam profundit. Quò enim magis ſe amat vir bonus, eò plus ſtudii ponit in actionibus virtuoſis & præclaris edendis. Præclarum autem eſt amicis benefacere, pro iis mori & bona externa profundere. Patet ergò in honeſtâ amicitiâ unà cum aucto amore erga ſeipſum augeri beneficia in amicum & contrà.*

8. Conſiſtit etiam honeſta amicitia quam maximè in habitu. *Nam amici honeſti non proſiliunt ad amicitiam, quemadmodum qui utilem vel jucundam colunt: & licet principium amicitiæ ſit benevolentia: non tamen ſtatim ab hac ad exercitium amicitiæ progrediuntur. Honeſtus namq́, vir prudens eſt, nec facilè quem in arctiſſimam amicitiam recipit, ſed longo tempore cum eo, quem ſibi juncturus eſt amicum, converſatur, quò prius de animo & moribus ſatis conſtet. Quapropter viri boni honeſtam*

honeſtam ſubeuntes amicitiam habitum ſibi pariunt operando diu invicem ex electione: cæteri ex ſolâ quâdam benevolentiâ naturali aut ex conventione, quales ſunt jucundi & utiles amici ſubitò ad amandum procedunt.

9. Verſantur etiam honeſti amici præ cæteris in actu ſecundo. *Nam cùm reliqua bona non ſemper appetantur, ſed ubi opus eſt, honeſta bona à virtuoſis omni tempore & proſpero & adverſo, inter ſeria & in otio appetuntur: cumq́; ſemper honeſtè vivere exoptent virtuoſi, tùm id maximè agunt, ut cùm amicis honeſtam colant vitam: eſt enim hæc cum maximâ jucunditate conjuncta. Suavitas quippe & jucunditas, quæ honeſtis operationib. ineſt, trahit eoſdem, ut alter ſine altero vivere nequeat: ſive ſeria ſive jocoſa tractanda ſint. Nam vir beatus deſiderat ſentire, ſe eſſe beatum: (quemadmodum enim omnes ſubſtantiæ viventes maximopere cupiunt ſentire ſe vivere, ita & vir honeſtus, ſe honeſtè operari, quippe quæ viri beati vita eſt) ſentit autem is ſe beatum, communicando cum amicis ſermones & cogitationes. Cum amico ergò vivere & converſari viro bono maximè optabile eſt. Poſſunt quinetiam præ cæteris viri honeſti ſuum perpetuò exercere amicitiæ habitum. Nam bona, in quibus communicandis hæc amicitia conſiſtit, ipſis ſemper præſtò ſunt: ſecundum virtutes enim operantur ſuas colendo amicitiam. Ex quibus conſtat, honeſtos amicos præ omnibus reliquis & velle & poſſe unà vivere & quotidiè converſari. Quæ autem quis vult & poteſt hæc facit. Demonſtratum itaq; ſatis eſt, amicitiam honeſtam in quotidiano exercitio, & ita in actu ſecundo poſitam eſſe. Poſſumus autem & aliâ ratione demonſtrare, hanc ſolam amicitiam præ reliquis omnibus amicitiæ ſpeciebus in perpetuo conſiſtere exercitio. Nam omnes amici deſiderant vel amare vel amari. Et quidem vulgus magis ad hoc tendit, ut ametur, quàm ut amet. Hinc vulgi amicitia otioſa eſt: quando enim omnes magis pati quàm agere volunt, nemo quicquam agit; ceſſatq́; omne exercitium. Sed contrà, quia viri honeſti ſemper intendunt quod magis præclarum eſt; eſtq́; præclarius amare tanquam agere quàm amari tanquam pati: etiam ſinguli malunt agere i. e. amare, quàm pati i. e. amari: & per conſequens nullo modo otioſa poteſt eſſe horum amicitia, ſed præ cæteris omnibus amicitiæ ſpeciebus in perpetuo exercitio conſiſtit. Patet ergò honeſtæ amicitiæ cultores perpetuò unà eſſe & vivere, atq; hoc ipſo ſuam amicitiam in perpetuo exercitio conſervare. Probandum eſt & alterum, in quo amicitia actus ſecundo poſita eſt, nimirum, in hac amicitiâ ſolâ fermè contingere poſſe, ut amici unà lætentur & doleant. Quod ita demonſtramus: Qui exactè conveniunt in determinandis bonis & malis, præ cæteris unà lætari & dolere poſſunt: lætamur quippe bonis, dolemus malis: niſi ergò conveniamus in defini-*

niendis bonis & malis, unà lætari non poterimus; ſed ſuper quâ re alter lætabitur, ſuper eâ alter dolebit. Viri autem boni exactè in bonis malisq́ definiendis conveniunt. Deinde & honeſtos amicos præ cæteris unà lætari & dolere poſſe, horum arcta & anguſta ſocietas facit. Nam cum multis unà lætari & dolere varietas caſuum humanorum non admittit: neq́ enim fieri poteſt, & quis eodem tempore lætetur & doleat. Eſt autem honeſta amicitia arctæ ſocietati incluſa, tum ob amoris excellentiam quæ ad multos extendi nequit, tum etiam, quod prærequiratur longo tempore facta converſatio morumq́ exploratio, quam circa plures inſtituere hominis unius induſtriam excedit. Quapropter & honeſta amicitia aptiſſima eſt, ut in perpetuo conſiſtat exercitio.

10. Neceſſe quoque eſt, omnes amicorum honeſtorum operationes conjunctas cum magnâ quâdam voluptate eſſe. *Nam quæ operationes ab habitu ſunt, jucundiſſimæ exiſtunt. Hinc enim velut à ſigno colligimus an quis habitum adeptus ſit nec ne. At cùm amicitia honeſta in habitu præ cæteris amicitiæ ſpeciebus conſiſtat, neceſſe eſt & operationes ejusdem cum maximâ voluptate conjunctas eſſe.*

11. Vacat quoque amicitia honeſta omnibus querelis & criminationibus. *Nam dum vir bonus cum altero certat de facultatibus, vitâ & cæteris bonis pro altero profundendis, idq́ faciendo ſe quammaximè amat, alter de altero quaſi non ſatis tribuat conqueri nequit: ſed uterq́ erit ſuo ſtatu contentus & in hoc jucundiſſimo certamine ſummâ cum ſuavitate vivent. Deinde cùm in cæteris amicitiæ ſpeciebus idobvenire ſoleat, ut qualis ſit amicus, tandem elucescat quando infidelitas ejus proditur: unde querelæ & criminationes oriuntur; tale quippiam in honeſtâ amicitiâ evenire nequit. Nullus namq́ vir honeſtus temerè amicitiam cum altero init; ſed prius mores futuri amici probè explorat: unde fit, ut nulli calumniatori fidem tribuat, ſed quicquid alii dicant, in conſtanti amore perſeveret.*

12. Videtur quoque amicitia honeſta omnes in ſe ſpecies reliquas amicitiæ vel potius quicquid in iis bonum eſt comprehendere. *Nam 1. continet honeſta amicitia in ſe utilem; quia viri honeſti non modò in moribus ſeſe quotidiè corrigunt & emendant, virtutesq́ crebris exercitiis quotidiè augent, quæ maxima quædam utilitas eſt, ſed præterea etiam omnibus modis ſe mutuis commodis afficere ſtudent. 2. Eſt & honeſta amicitia maximè jucunda: viri namq́ honeſti ex ſuis operationibus veram aliquam & conſtantiſſimam percipiunt voluptatem, cum quâ cætera volupates omnes, quas ſectatur jucunda amicitia, ne quidem comparandæ ſunt: ſunt quippe inſtabiles & hominibus perniciosæ. 3. Continet quoq́ honeſta amicitia naturam ejus, quæ ex identitate eſt, & illâ, quæ in ſan-*

in ſanguinis identitate conſiſtit, eò excellentior eſt, quò præſtantior eſt animus corpore. Nam ob virtutes animi contingit in honeſtâ amicitiâ amatio; ſecundum virtutes autem has vir bonus eſt id quod eſt. Quapropter in identitate mentis optimè ornatæ hac amicitia conſiſtit. Quod paulò antè num. 4. demonſtravimus.

13. Concludimus itaque honeſtam amicitiam omnium hactenus enarratarum perfectiſſimam & conſtantiſſimam eſſe. *Nam quæ amicitia includit in ſe omnes cæteras amicitiæ ſpecies & quidem in longè excellentiori gradu, quàm ipſæ ſunt, ea perfectiſſima eſt. Deinde cui amicitiæ omnia requiſita amicitiæ perfectæ & conſtantis inſunt, ea perfectiſſima eſt: at honeſtæ omnia iſta requiſita ineſſe modo demonſtravimus, nim. quòd in hac amicus amicum amet quà talem, & quidem eo amore, quem quiſq; metitur ex amore erga ſeipſum, quiq; eſt ex identitate, ob bonum verum & non apparens, quodq; non amittitur ſed per amicitiam augetur, quo etiam amore, dum alterum proſequitur amicus, ſe quam maximè amat; quòdq; hæc amicitia ſit poſita in habitu, qui cum perpetuo exercitio & operationibus ſuaviſſimis conjunctus eſt, ceſſantibus in tribuendo & retribuendo omnibus querelis. Quapropter præ cæteris hactenus narratis ſpeciebus honeſtam amicitiam perfectam & conſtantem eſſe ſatis demonſtratum dedimus.*

14. Habet verò & hæc amicitia eam in ſe affectionem, quam habent omnia magna & admirabilia bona, nim. quòd rara ſit. *Nam honeſtorum virorum magna eſt penuria*

Rari quippe boni -- -- --

Cui accedit longa conſuetudo, ſine quâ præviâ nullum virum honeſtum inire amicitiam modò diximus: at quod non niſi longo tempore & multâ probatione præviâ paratur, rarum eſt.

LIB. III.

DE DIVISIONE AMICITIÆ IN ÆQVALEM ET INÆQVALEM HUJUSQVE SPECIEBUS.

1. *Hactenus quo pacto ratione amabilium ſuas ſpecies ſortiatur amicitia conſideravimus; ſequitur, ut ad aliam dividendi rationem progrediamur.*

2. Videtur autem amicitia rectè dividi poſſe in æqualem & inæqualem. *Nam ſi amicitiam conſideramus tanquam quiddam conſervans & felices reddens ſocietates, quas homines inter ſe colunt, deprehendimus, alias ex æqualibus alias ex inæqualibus conſtare. Talem autem*

tem neceſſe eſt eſſe amicitiam, qualis eſt ipſa ſocietas qualiterq; ad invicem illius partes ſeſe habent. Sed quod inæqualem amicitiam concernit, non videtur in eâ, quæ à diverſitate hominum in ſocietatibus viventium petitur, ſubſiſtendum, ſed ulterius progrediendum ad alias ſubſtantias intellectuales, ſi quæ ſunt cum quibus homini amicitia intercedere poteſt. Nam quemadmodum in hoc univerſo deprehendimus omnia entia vel ad totum vel ad ſe invicem ordinata; ita quærendum, an non homo tanquam ſubſtantia intellectualis ad aliquam aliam intellectualem ſubſtantiam aut ad plures ordinata ſit.

3. Eſt autem de inæquali amicitiâ peculiariter tractandum. *Nam videtur retributio aliter in æquali aliter in inæquali amicitiâ facienda: æquales enim æqualia tribuunt retribuuntq; : at inæquales, quibus inſunt amabilia inæqualia potentiæq; operandi inæquales æqualia tribuere & retribuere non poſſe videntur. Quin potius ei, qui plus utilitatis confert, videtur plus amoris tribuendum v.g. in amicitia divitis & pauperis tenetur pauper plus amoris exhibere diviti, quò ſuo amore compenſet quod utilitate nequit. ita aliter amant parentes liberos, aliter liberi parentes.*

4. Videntur autem inæqualis amicitiæ plures eſſe ſpecies, diſtinctæque in ſingulis amationes. *Neq; enim eadem eſt inter parentes & liberos, quæ inter maritum & uxorem, nec inter hos eadem, quæ inter magiſtratum & ſubditos, amicitia: aliter enim amant & honorant liberi parentes, aliter ſubditi regem.*

5. Dubitari autem poſſet, an inæqualium etiam ſit amicitia propriè dicta. *Nam inæqualium non eſſe propriè dictam amicitiam inde videtur colligi poſſe; quo enim inæqualiores ſunt homines, eò minus amicitiam colere dicuntur. Nemo namq; niſi ridiculè ſe regis amicum vocabit qui plebejus eſt & infimæ ſortis homo: quemadmodum nec ſapientiſſimi cujuſdam audet ſe amicum vocare, qui ex infimâ populi fece eſt. Si paulisper ab æqualitate abeas, manet quidem quodammodo amicitia, ſi ulterius progrediaris, ut ad nimiam inæqualitatem deveniatur diſſolvetur.*

6. Sed parum refert, an id quod inter inæquales intercedit amicitiam voces an aliud ei nomen tribuas: ſufficit inter maximè inæquales & hoc deprehendi, quòd invicem operentur alter alterius gratiâ per ſe & propter ipſos qui amantur. *v.g. rex omnium ſubditorum gratiâ per ſe, per accidens ſui cauſâ operatur, contrà ſubditorum eſt regem per ſe ipſius non ſui cauſâ, quatenus utilis hiſce eſt, amare. Videmus autem latinos hac in re adhibuiſſe vocem pietatis. Parum autem refert, quâ voce utaris, modò de ſenſu conſtet. Unde nos & in omni amicitiâ inæquali vocem amicitiæ retinebimus.*

CAP.

CAP. I.

DE FUNDAMENTIS RETRIBUTIONIS IN INÆQVALI AMICITIA FACIENDÆ.

1. Fundamentum retributionis faciendæ in amicitiâ inæqualium videtur petendum 1. ab amabili. *Quale enim in quoq; eſt amabile, talis debet eſſe in eum amatio. Quapropter aliter amatur Deus, aliter magiſtratus, aliter pater, aliter mater. Hinc in retributione attendendum ſemper erit, ut tribuamus quod amabili congruum & conveniens eſt.* 2. à pœnitentiâ bonorum activâ in retribuente, ſeu à virtute ejusdem à quâ habet facultatem operandi. *Nam ſi nulla virtus & potentia operandi inſit inferiori amico, ceſſabit omnis amicitia; utpote quæ eſt habitus quidam tribuendi & retribuendi quod amabile ab utrâq; parte exigit. Ubi ergò deficit omnis virtus tribuendi quid amabili, ibi nulla eſt amicitia. Sin verò virtus adſit ſufficiens ad operandum amabili convenienter & retribuendum æqualia beneficiis collatis: jam non amplius inæqualis ſed æqualis quædam amicitia eſt. Quapropter inæqualis amicitia inter eos eſt, quorum alter ſuâ virtute alterum excedit, ut æqualia operari nequeant.* At quomodo conſervabitur inæqualis amicitia ſi æqualia retribui nequeunt? *habet enim & amicitia ſuum jus, ſine quo ſalva eſſe nequit.* Dico neceſſarium eſſe, ut loco ejus, quod ob defectum virtutis in inferiori amico retribui nequit aliud ſubſtituatur. Tale quiddam eſt HONOR. Debent ergò qui à ſuperiori amico beneficio affecti ſunt, quando id, quo ſuperior dignus eſt, aſſequi nequeunt, eundem pro viribus colere & honores ipſius beneficiis convenientes offerre. Quòd ſi nec hi ſatis digni reperiri poſſint, jubet amicitia ſuperiorem contentum eſſe honore illo, quem præſtare pro viribus inferior amicus poteſt. *Nam nec ſtrictum jus ad impoſſibilia obligat, nedum quod in amicitiâ poſitum eſt.*

2. Quamvis autem in inæqualium amicitiâ contingere nequeat, ut alter alterum amet tanquam ſeipſum: perfecta tamen amatio contingit ex menſurâ amationis circa ſeipſum conceptæ. *v.g. rex debet tribuere ſubditis, quod ipſe ſibi vellet tribui à rege, ſi ſubditus eſſet; & contrà ſubditus regi, quod hic vellet ſibi tribui ſi rex eſſet. Ita Galba, cùm adoptaret Piſonem & in Imperio ſucceſſorem eum ſibi eligeret, brevibus, quid in principatu agendum, & quomodo eum benè gerere debeat, comprehendere & præſcribere voluit in hunc modum:* Utiliſſimus idem ac breviſſimus bonarum malarumque rerum delectus, cogitare, quid aut nolueris ſub alio principe aut volueris. *Tacit. lib. 1.*

lib. 1. *Hiſtor. cap.* 16. *Huc reſpexit Salvator noſter tribuens regulam:* Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. *it.* Quod vis ut faciant tibi homines, hoc tu ipſis facias. *Cùm enim in inæquali amicitiâ æquales amationes non ſint: nec etiam is amor, quo quis ſeipſum proſequitur, alteri tribui poteſt: ſed is demum erit ſummus & perfectus, quem quis concipit ſibi deberi, ſi amabile illud in ſe haberet, ob quod alteri quid tribuendum venit.*

CAP. II.

DE AMICITIA INTER DEUM ET HOMINES, QUATENUS DE EADEM EX LUMINE NATURÆ DISSERI POTEST.

1. Videtur primo intuitu nulla vel admodum exigua, ſi ſolam ſecteris philoſophiam, inter Deum & homines eſſe amicitia. *Nam 1. amicitia perfectiſſima inter æquales eſt & omnes reliquæ amicitiæ ab æquali originem trahere videntur: unde fit, ut, quò major inæqualitas intervenit, eò magis amicitia exſpiret. Quemadmodum ergò ridiculum videtur, plebejum ſeſe appellare regis amicum: ita & inter Deum & homines amicitiam adſtruere indignum divinâ Majeſtate videtur. 2. Nulla homini deprehenditur ineſſe potentiâ & virtus in gratiam Dei operandi. Nam ne quidem naturaliter ſcire poſſe videtur, quales operationes in gratiam Dei inſtitui debeant, nedum ut quicquam illius gratiâ operari valeat. Sanè ſi evolvamus ſcripta ſapientiſſimorum ethnicorum, exigua admodum, quæ de Deo & cultu ipſius ſcripſerunt eſſe deprehendimus. Plato enim plures ſtatuit Deos curam omnium rerum habentes, & juſtorum preces exaudientes, punientesq; malos & improbos. Dari Deos ponit; hos autem curam rerum humanarum habere probat hoc modo: quòd ſi ponatur, eos curam rerum humanarum non habere, fatendum, id fieri aut ex imbecillitate & impotentiâ aut ex contemptu: neutrum horum aſſeri poſſe; & proinde concedendum, humana Diis curæ eſſe. Cultum verò horum collocat in votis & ſacrificiis: ita enim ait lib.* 10. *de LL.* Sic autem nunc tibi ſimpliciter dico, quòd ſi quis grata Diis loqui & agere norit, vovens atque ſacrificans, hæc ſancta ſunt: atque hæc officia tum domos proprias tum civitates conſervant. *Alibi autem ſacrificiis exiguam vim tribuit: ita enim loquitur in dialogo qui Alcibiades II. ſive deprecatione inſcribitur:* Nos nimium deliramus, ſi quando nos Lacedæmoniis propter munera acceptiores Deo eſſe ducimus. Etenim grave eſſet, ſi Deus ad donaria & ſacrificia noſtra reſpiceret potius, quàm ad animum, utrum juſtus ſanctusque ſit. Ad quam equidem

dem Deum arbitror multò magis attendere, quàm ad multi ſumptûs pompas atque ſacra, quæ nihil prohibet eum, qui multa in Deum hominesque peccaverit, facere. *Et paulò poſt.* Perſpicuum eſt & apud Deum & apud homines ſanæ mentis juſtitiam & prudentiam præcipuè honorari. Prudentes autem juſtique ſunt, qui ſciunt quæ erga Deum & homines agere & dicere deceat. *Et lib. 4. de Legib. ita ait:* Quænam igitur actio à Deo amatur Deumque ſequitur? una certè rationem unam antiquam habens atque præcipuam, quòd ſimile ſimili quod moderatum ſit amicum eſt. *In ſummâ videtur Plato ſacrificia non rejicere, ſed ſtatuere eſſe dona Deo grata & accepta, non quà talia, ſed quatenus proveniunt à puro & ſancto animo. Sic enim ait eod. lib. 4.* Impurus mali eſt animus, boni autem purus. Ab impuro autem capere munera neque bonum virum neque Deum decet. *Amicitiam porrò cùm Diis cultumq́; hoc commodum parere ſtatuit, ut ſcil. animæ virtuoſorum & piorum in locum aliquem meliorem transferantur: ſic enim ait cit. lib. 10. de LL.* Anima, quando propriâ voluntate & aſſiduâ conſuetudine vehementius permutatâ divinæ virtuti adhæſit, taliſque præcipuè facta eſt, in locum longè meliorem ſanctumque transfertur; quæ verò contrario modo affecta eſt in contrarium tranſlata vitam peragit ſuam. *Hæc fermè ſunt, quæ Plato de Deo ejusq́; cultu docuit. Cæterùm Ariſtoteles deprehendens in rerum naturâ, quicquid movetur ab alio moveri, collegit inde dari aliquod primum immobile movens cœlum motu primo: & hoc eſſe ſubſtantiam aliquam intellectualem, omniumq́; ſubſtantiarum primam; quippe totius cœli motricem; præter hanc autem dari alias ſubſtantias naturâ perpetuas & immobiles per ſe ſineq́; magnitudine, & quidem tot, quot ſunt diverſæ aſtrorum lationes. Has ſubſtantias intellectuales immobiles, à quibus motus aſtrorum dependent, deos vocat: idq́; ita ab antiquioribus traditum & in fabulæ figurâ relictum dicit; reliqua autem, quæ ab ethnicis de Diis prodita ſunt, fabuloſa eſſe ad multitudinis perſuaſionem, & ad legum, ac ejus quod conferat opportunitatem illata. Manifeſtè enim ineptum eſſe, quòd Deos fecerint hominiformes ac aliorum animalium nonnullis ſimiles. lib. 12. Metaphyſ. cap. 8. De amicitiâ autem inter Deos hominesq́; ita philoſophatur. Primò perfectionem & beatitudinem mentis divinæ in contemplatione ſui ipſius conſiſtere probat in hunc modum: Mens divina aut nihil intelligit perpetuoq́; otioſa eſt, aut intelligendo ſemper occupata eſt: ſi ponas, eam actu non intelligere, erit aliquid potentiâ nec optimum: quod enim actu eſt præſtantius eſt eo quod eſt potentiâ. At mens quæ non ſemper ſpeculatur, quandoq́; potentia eſt: eſſentia enim intellectûs in intelligendo poſita eſt. Sed ſi ponamus intellectionem eſſe Dei eſſentiam, quæritur*

qualis

qualis intellectio ſit; & quia intellectus in aliquo objecto intelligendo verſatur: etiam quæritur, quale illud ſit objectum quod perpetuò intelligens intellectus ſuam ſibi felicitatem habet. Id ita inquirere conatur: intellectus aut ſeipſum intelligit aut quid aliud; & ſi aliud à ſe, aut ſemper idem aut aliud atq; aliud quærendo in varietate delectationem; & vel quodcunq; fortè fortunâ obvium eſt vel tantùm id quod bonum eſt. Verùm non quodcunq; ſpeculando mentem divinam beatam eſſe, ita videtur probari poſſe: quemadmodum homo quædam cogitare fugit, ita multò magis mens divina quæ mala ſunt intelligendo non capiet felicitatem, ſed ſpeculando quod honorabiliſſimum diviniſſimum & æternum ac immutabile eſt. Nam ſi objectum eſt mutabile, etiam intelligens mutationi ſubjicitur. Quapropter veroſimile eſt, mentem divinam ſeipſam intelligendo ſuam perfectionem & beatitudinem habere: adeoq; in mente divinâ eſſe quoddam intelligens id quod intelligitur, & id quod intelligit intellectionem fieri, diſtincta quidem, maximè tamen unum. Nam intelligens intelligit ſeipſum, aliud tamen eſt intellectum & intelligens: intellectionis autem intellectio eſt illud ipſum quod intelligit & intelligitur, ab eo tamen diverſum. Niſi autem Deus eſſet ſuæ intellectionis intellectio; beatitudinem non ſentiret ſuam. Hæc, quamvis valdè ſubtilia ſint, & videantur quàmproximè accedere ad ea, quæ nos Verbo divino edocti de unitate eſſentiæ & Trinitate perſonarum fide apprehendimus: inferunt tamen hoc, hominem Deo carum reddi ſpeculativâ vitâ, dum ſcilicet intellectus ipſius res varias ſpeculatur, & tandem varia intelligendo etiam ſeipſum, quoad hoc, quantum per debilitatem licet, Deum imitando. Quapropter etiam in Ethicis concludit, ſpeculativam vitam eſſe vitæ divinæ imitatricem, & propterea beatiſſimam, talemq; quæ hominem Diis cariſſimum reddat, Verba ejus cap. 8. lib. 10. ad Nicon. hæc ſunt: Perfectam autem beatitudinem functionem quandam muneris eſſe in rerum contemplatione poſitam, etiam ex hoc perſpicere licet, quòd Deos feliciſſimos arbitramur. Actiones autem quas eis tribuere oportet? juſtas ne? an ridiculi videbuntur contrahentes inter ſe & depoſita reddentes, & cætera id genus? an fortes, ut res formidoloſas ſubeant ac perferant, & periculum adeant, quia honeſtum ſit? An liberales? cui verò donabunt? abſurdum autem, ſi apud eos etiam erit numus, aut aliquid tale. Jam verò utrum erunt temperantes, an inepta & contumelioſa laus illa Deorum futura eſt, vitioſis cupiditatibus eos carere? Quòd ſi omnia, quæ in actionibus verſantur, perſequamur, exigua ſanè Diisque digna reperientur. Atqui nemo eſt, qui non eos vivere exiſtimet. Ergò & aliquo munere fungi. Non enim eos oportet dormientes fingere ut Endymionem. Ei igitur, qui vivit, ſi actio, mul-

tóque

tòque magis ſi effectio adimatur, quid præter contemplationem relinquitur? Quocirca Dei muneris functio ea, quæ beatitudine antecellit, in contemplatione conſiſtere reperietur. Ergò & humanarum functionum, ut quæque huic ſimillima eſt, ita ad beatam vitam conſtituendam plurimum valet. Huic quinetiam argumento eſt, quòd cætera animalia, quæ tali muneris functione orbata ſunt, beatitudine quoque excluduntur. Diis enim immortalibus omnis vita beata eſt: hominibus autem, quatenus ſimulacrum aliquod talis functionis habent. Reliquorum autem animalium beatè vivit nullum, quoniam nulla eſt eis contemplationis communitas. *Et cap. 9. ejusd. libri. ita diſſerit:* Qui verò muneribus fungitur menti conſentaneis, & hanc colit, eſtque optimè animo affectus, eum probabile eſt Deo cariſſimum eſſe. Nam ſi Dii immortales curam habent aliquam rerum humanarum, quemadmodum veriſimile eſt; illud quoque probabile fuerit, eos re omnium optimâ, ſibique maximè cognatâ delectari (hæc autem mens fuerit) iiſque qui hanc maximè diligunt & plurimi faciunt, præmia perſolvere, gratiamque referre, ut eorum, quæ ipſis cara ſunt, curam habentibus, rectaſque & honeſtas actiones obeuntibus atque exercentibus. Hæc autem omnia in ſapiente ineſſe maximè, non eſt obſcurum. Eſt igitur Deo cariſſimus. *Hæc fermè ſunt quæ Ariſtoteles de Deo, & amicitiâ, quæ inter ipſum & homines intercedit, docet; pauca profectò & non pro merito rei hominibus præ cæteris omnibus cognitu neceſſarie. Quòd ſi ergò horum philoſophorum ſubtilitatem nemo hactenus ſatis aſſecutus ſit, nedum ſuperaverit; & Plato videatur poëtarum fabulis ſtatutiſq́; ethnicorum inhæſiſſe in pietate erga Deum conſiderandâ; Ariſtoteles verò admodum dubitativè locutus ſit de curâ Dei circa res humanas; uterq́; verò multitudinem quandam Deorum approbaverit, ille ob communem ethnicorum opinionem, hic ob veterum aſtrologorum opiniones, quas habebant de orbibus & ſphæris ſtellarum partim fixarum partim errantium: videtur deſperandum de ſubtiliori quâdam circa amicitiam inter Deum & homines cognitione per philoſophiam acquirendâ. His non obſtantibus puto Ariſtotelem potuiſſe philoſophiâ ſuâ ulterius progredi & longè plura reperire ad amicitiam Dei hominumq́; pertinentia, quibus cognitis ſine dubio coactus fuiſſet ſtatim ulterius inquirere, ut ita potuiſſet, ope divinâ accedente, ad lumen revelationis pervenire legendo Moyſis & prophetarum ſcripta. Nitar ergò ex ipſius fundamentis procedendo, & quæ ab ipſo in ſpeculatione vel neglecta vel ignorata ſunt ſupplendo ex lumine naturæ probare, arctiſſimam inter Deum homineſq́; amicitiam naturaliter eſſe debere, cauſſamq́; quare hæc in homine naturalibus ſuis viribus nitenti*

ſeſe non exſerat ex ſolo verbo divino reperiri poſſe, & proinde facilè adverſus gentiles probari poſſe, noſtram religionem illam veram eſſe, quam omnes amplecti debent, cæteras fictas & erroneas.

MEMBR. PRIMUM.

DE
DEO UNO.

1. Datur ſubſtantia quædam immobilis movens omnia. *Nam quicquid movetur ab alio movetur. (Id enim ſatis demonſtratum ab Ariſtotele in phyſicis hic ſupponimus.) Quapropter neceſſe eſt, cùm non detur progreſſus in infinitum, dari tandem aliquod immobile cuncta reliqua movens: ſi enim hoc ponatur mobile, eſſet quiddã à quo moveretur, & ita non eſſet primum: prius quippe eſſet quod hoc moveret. Datur itaq; ſubſtantia quædam prima immobilis cuncta movens & principium motus omnibus entibus exiſtens.*

2. Hæc ſubſtantia immobilis & prima eſt ens intelligens. *Nam cuncta quæ moventur ſecundum cauſſas nihilq; horum fruſtra moveri videmus. Id enim ſatis manifeſtum eſt iis, qui res naturales ſpeculantur: deprehendunt quippe nihil ſine cauſsâ moveri. Unde etiam Ariſtoteles ruit in hoc univerſale: Natura nihil facit fruſtrà. Quicquid autem operatur ſecundum cauſſas & rationes, eſt intellectus quidam. Subſtantia itaq;, quæ principium motuum omnium exiſtit, eſt intellectus ſeu mens:*

3. Eadem ſubſtantia eſt ens incorruptibile. *Nam quod immobile eſt nihil corruptivum recipere poteſt: eſſet enim habile ad recipiendum motum à ſuo contrario eoq; potentiori. Sed demonſtravimus illam ſubſtantiam primam nullius motûs ab alio impreſſi ſuſceptivam eſſe.*

4. Vivit quoque hæc ſubſtantia non in tempore. *Nam quicquid immobile eſt ſui eſſe ſuæq; vitæ menſuram tempus non habet: tempus quippe eſt menſura & numerus motûs, & proinde affectio illarum ſubſtantiarum quarum vivere eſt moveri. Subſtantiæ autem primæ vivere non eſt moveri.*

5. Unde ſequitur porrò, Subſtantiam hanc primam æternam eſſe. *Nam quicquid incorruptibile & extra tempus eſt, ſeu vitam habet, quam nullum tempus metitur, eſt quiddam æternum.*

6. Eſt & eadem Subſtantia infinitæ potentiæ. *Nam ſi daretur mobile, quod ab hac moveri non poſſet, quod fieri omninò debet, ſi infinitæ potentiæ non eſt; non erit ſubſtantia omnia movens.*

7. Ejusmodi Subſtantia prima & immobilis una eſt. *Nam ſi ponas plures concurrentes in motibus partium hujus univerſi; erunt hæ vel ordinatæ ad totum, & ſubjectæ directioni illius quæ totum dirigit, &*

inſtru-

inſtrumenta potius, quàm motuum hujus univerſi principia; vel concurrentes; quod præter neceſſitatem eſt, quia una virtus infinitæ potentiæ ſufficit. Quòd verò Ariſtoteles tot fingit ſubſtantias primas moventes, quot ſunt aſtrorum lationes: id primò fit ob opinionem veterum aſtrologorum, quam habuerunt de Sphæris & orbibus, deinde & præter neceſſitatem: Videmus quippe motus planetarum omnes ad Solem reſpectum habere; ut adeò univerſum ab unâ aliquâ primâ ſubſtantiâ regi neceſſe ſit omnia ordinante & diſponente.

8. Eſt & ſubſtantia iſta expers magnitudinis. *Nam ſi magnitudinem haberet, eſſet vel finitæ vel infinitæ magnitudinis; infinita non datur & eſt non ens; finita ex ſe infinitam non poteſt habere potentiam.*

9. Nullâ quoque re indiget. *Nam ſi aliquâ re indigeret, eſſet ipſius potentia non infinita ſed limitata, ab iis ſcil. quæ ſuppetunt.*

10. Hæc ſubſtantia eſt ille Deus quem nos colimus. *Nam colimus nos Chriſtiani illud Numen, quod omnium rerum principium eſt, & à quo dependent.*

MEMBR. II.

DE HOMINE AD DEUM ORDINATO.

1. Omnes ſubſtantiæ mobiles opera quædam Dei ſunt. *Nam ab hoc tanquam ſubſtantiâ immobili omnia movente omnes ſubſtantiæ mobiles dependent, ſuum eſſe, ſuam vitam atq; operationes ſuas habent.*

2. Deus ſubſtantias mobiles, quatenus ipſius opera ſunt, amat. *Nam ſubſtantiæ mobiles, quatenus à Deo ſunt, ipſius ſunt. Omnis autem ſubſtantia intellectualis benè operans quod ſuum eſt & à ſe productum amat. Deus verò non poteſt malè operari, quia perfectiſſimam eamq; infinitam potentiam habet, & ens immobile exiſtit, quod de ſuo bono nequit dimoveri.*

3. Subſtantiarum, quæ à Deo amantur, nullæ poſſunt cum ipſo colere amicitiam præter eas, quæ intellectu præditæ ſunt, qualis eſt homo. *Nam licet Deus amet ſubſtantias omnes tanquam opera ſua; quia bona ſunt; non tamen quæ intellectu ſunt deſtituta ullam cum ipſo amicitiam colere poſſunt, ſed illæ tandem quæ intellectuales exiſtunt. Conſiſtit namq; amicitia in operatione quâdam intellectuali: ex proæreſi enim & conſilio tribuendum & retribuendum quid venit.*

4. Homo Dei eſt, quicquid eſt. *Nam nihil à Deo fruſtrà fit: eſt enim mens ſumma, in quam non incidit quicquam fruſtrà facere. Quod ſi ergò animalia omnia hominis gratiâ ſunt velut inſtrumenta ejus; cujus gratiâ homo erit? imò cùm homo ſit opus Dei, quicquid eſt ipſius erit.*

5. Homo non eſt Dei gratiâ ut inſtrumentum. *Nam Deus eſt ens nullâ re indigens.*

6. Hominis eſt omnes operationes ſuas dirigere ad Deum, huic eſſe, huic vivere, eumque ſuper omnia colere. *Nam quicquid homo eſt Dei eſt: ſubſtantiam autem intellectualem eſſe & Dei eſſe, eſt intellectu ſuo Deo eſſe, vivere & operari. Et quia Deus hominem ut ſuum opus amat; homo autem ut prædita intellectu ſubſtantia redamare poſſit: ſequitur hominem quid retribuere teneri tanquam à Deo maximis beneficiis affectum, utpote cujus opus eſt & à quo eſſe ſuum & vivere habet. At quid retribuet Deo, qui nullâ re indiget? Nihil reſtat, quàm ut ſummum cultum, ſummum honorem & amorem exhibeat. Nam cap. 1. n. 2. huj. libr. demonſtravimus, in amicitiâ inequali mediante honore compenſandum quod alia ratione retribuendo æquari nequit.*

MEMBR. III.
DE SIMILITUDINE HOMINIS CUM DEO.

1. Videtur Deus nullâ aliâ ratione coli poſſe, quàm imitatione. *Nam cùm tribui Deo nihil queat ab homine quo is indigeat: nihil aliud reſtat quò gratus ipſi fiat, quàm ut vivat vitam Dei vitæ ſimilem. Hinc rectè Plato dixit:* Nos deliramus, ſi quando nos Lacedæmoniis propter munera acceptiores Deo eſſe ducimus, etenim grave eſſet, ſi Deus ad donaria & ſacrificia noſtra reſpiceret potius, quàm ad animum, utrum juſtus, ſanctusque ſit. Fit autem homo ſimilis Deo, quatenus ſimulacrum quoddam functionis divinæ habet, & quidem in honorem ipſius tanquam opus ejusdem.

2. At in quânam re ſimilitudo conſiſtit? *Reſpondet Ariſtoteles; in ſolâ contemplatione: Deum enim eſſe mentem ſimplicem maximèq; unam & beatum eſſe contemplando ſeipſum ſentiendoq; illam contemplationem. Ponamus autem, Dei hanc vitam eſſe hanc perfectionem ejusdem: non tamen ſequetur, ſolâ contemplatione nos Deum debere imitari. Nam cùm Deus ſit ens primum movens omnia, & nos ipſius opus ad ſimilitudinem ejus producti: profectò bonitatem ſuam aliis communicat: unde & quoad hoc decet eum imitari. Sed objicit Ariſtoteles, nos agendo non poſſe Deum imitari propterea, quòd Deus non habeat appetitum intellectu practico regendum, adeoq; noſtras actiones ab actionibus Dei longè diverſas eſſe, nec quicquam in virtutibus moralibus ſimile Dei virtuti deprehendi. Reſpondeo, hoc pacto nec ratione contemplationis nos Deo ſimiles eſſe poſſe. Nam Deum habere intellectum paſſivum, qualem Ariſtoteles homini ineſſe dicit, quis aſſereret? Fit ergo Deo ſimilis homo, quantum ipſius natura admittit.*

3. Quid dicendum? demonſtravimus hominem totum Dei eſſe, huic vivere & operari debere, & quidem ita, ut ſimilis Deo fiat; quæ-

quænam autem ſit illa ſimilitudo ignoramus. Non autem veriſimile eſt, Deum ejusmodi intellectualem ſubſtantiam, quæ quicquid eſt illius eſt, ignorantem voluntatem & eſſentiam ipſius produxiſſe. Unde hæc ignorantia? *Tibi, mi Deus, ſit laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum, quòd me in Eccleſiâ, ubi Verbum tuum purè & incorruptè docetur, naſci volueris. Mi JEſu aſſiſte mihi Spiritu tuo Sancto, ut ex Te Tibi vivam & operer, Tibi moriar & aliquando Tecum ſim, Te τὸν λόγον τοῦ πατρὸς, in cujus contemplatione Tui Patris perfectiſſima & ſuaviſſima vita poſita eſt, intuear, & illius ſummæ jucunditatis particeps fiam. O inenarrabilem felicitatem, quam nec auris audivit, nec oculus vidit, nec intellectûs noſtri imbecillitas comprehendere hac in vitâ valuit aut valebit! In hanc gratiarum actionem, Lector benevole, prorupit intellectus meus, cùm iſta contemplarer. Deprehendebam enim, Ariſtotelem & omnes ſaniores ethnicos Philoſophos hac ſpeculatione ductos potuiſſe imò debuiſſe in lumen revelationis inquirere, ex quo luculenter cauſſam addiſcere potuiſſent, quare, cùm homo quicquid eſt, Dei ſit, adeoq; Deo vivere & operari debeat, & hoc quidem ita, ut Dei ſimulacrum quoddam exiſtat, id verò impetrare nequeat, niſi eſſentiam & voluntatem Dei noverit, in tantâ naſcatur ignorantiâ, ut ſibi relictus nihil quicquam de Deo ſciat aut, licet omnem operam det, ne umbram quidem vitæ divinæ conſpiciendam conſequatur. Hanc tandem ob cauſſam ſubjiciam ſpeculationem quam habui de duplici perfectiſſimâ hominis cum Deo amicitiâ, alterâ ſcilicet quam habuit in ſtatu integritatis; alterâ, quam habet per Chriſtum Salvatorem noſtrum. De utrâq; in formâ dialogi diſſerturus ſum introducens Ariſtotelem & Philoſophum Chriſtianum.*

ARTIC. I.

DE AMICITIA INTER DEUM ET HOMINEM, QVALIS FUIT CUM HIC INSTATU INTEGRITATIS ESSET.

Chriſtianus. *O Ariſtoteles miraculum naturæ; cujus intellectui mancipatum quicquid ab Ente illo æterno pendet, dic mihi, in quonam poſita ſit ſumma felicitas hominis?* Ariſtot. *Maxima hominis felicitas eſt, ſi Deo ſimilis fiat.* Chriſt. *ita eſt; ſed quo pacto putas, hominem hoc impetrare poſſe: tanta namq; miſeria humana eſt tantaq; imbecillitas, ut de ſimilitudinis illius adeptione deſperandum eſſe videatur?* Ariſtot. *Si auſcultare lubet, id quomodo fieri poſſit, luculenter demonſtratum dabo.*

 Chriſt.

Chriſt. *Rem facies mihi gratam.* Ariſtot. *Non dubito, te non latére, quod demonſtravi in libris περὶ ἀρχῶν, dari aliquod primum & diviniſſimum, à quo omnium ſubſtantiarum motus pendent, & hoc eſſe mentem quandam. Si & tu hoc ponis, non eſt, quare prolixè repetam quæ ibi latè dicta ſunt.* Chriſt. *Ponamus hæc. Nam ſummo ducitur mens mea deſiderio addiſcere, qualem illam divinam mentem qualemq́ue ejus eſſe vitam dicturus ſis.* Ariſtot. *Placet interrogando procedere, quò unà ſentiam, quid in meo diſcurſu deſideres. Mens illa divina intelligitne actu an otioſa & dormienti ſimilis eſt?* Chriſtianus. *Nequaquam otioſa eſt dicenda.* Ariſtot. *intelligit ergò & in intelligendo vitam ſuam habet poſitam. Sed putasne dari aliquod excitans hanc mentem velut potentiam quandam, an exiſtimas, eam eſſe actum & perpetuam intellectionem?* Chriſt. *Mallem id ex te audire.* Ariſtot. *Miror te hic hæſitare: nonne mens illa divina eſt optima ſubſtantia?* Chriſt. *imò.* Ariſtot. *Quòd ſi eſt optima ſubſtantia, nunquam potentiâ ſed ſemper actu intelliget eritq́ue actus intelligans. Nam actus præſtantior potentiâ eſt. At ſi perpetua quædam intellectio eſt, quid intelliget, quò ſuâ intellectione ſit ens perfectiſſimum & beatiſſimum: intelligetne ſeipſum an alia?* Chriſt. *Si eſt optima & perfectiſſima ſubſtantia Mens divina, uti etiam eſt, omnia intelligit.* Ariſtot. *Non hoc nego, nec propterea quæro, quaſi dubitem. Id autem ex te ſcire contendo, an, cùm ipſius eſſe ſit intellectio, perficiatur intellectione ſui ipſius vel aliorum.* Chriſt. *id excedit meum captum, nec audeo quicquam ſtatuere, ne Ens illud ſummum offendam aut quicquam dicam quod alienum à fide & religione Chriſtianâ eſſe poſſit. Tibi ergò diſſerenti auſcultabo.* Ariſtot. *Audi ergò. Non puto quenquam ſtatuere poſſe, nihil intereſſe quid Mens illa intelligat, an ſit bonum aliquod, an aliquid quod fortè fortunâ offertur. Quidni ergò dicendum, intellectionem illam quæ ens ſummum, beatiſſimum & perfectiſſimum eſt, perfectionem ſuam poſitam habere in intellectione diviniſſimi & honorabiliſſimi. Putasne verò aliquod ens magis divinum & honorabile eſſe, quàm ipſa illa hæc Mens eſt?* Chriſt. *nequaquam.* Ariſtot. *Contemplatur ergò hæc divina Mens ſeipſam; ſi autem ſeipſam, erit ea ſecundum perfectionem ſuam intellectio quæ intellectionis intellectio eſt. Ex quibus infertur, vitam Dei totam ſpeculativam eſſe & nil aliud exiſtere Deum quoad ſuam beatitudinem, quàm ſpeculationem ſui ipſius.* Chriſt. *intelligo mentem tuam. Sed perge dicendo, quomodo homo ſimilis Deo ipſiq́ue cariſſimus evadere debeat.* Ariſtot. *Quid reſtabit, quàm ut concludam, eum hominem Deo cariſſimum eſſe, qui ſpeculativam colit vitam. Nam ſi Deus mens eſt, & beatitudo ejus intellectio ſui ipſius, quis hominum carior ipſi eſſe poterit, quàm mentem ſuam excolens? hunc profectò præmiis multis affectum iri dubitandum non eſt.* Chriſt.

Eſt ô Ariſtoteles tua ſubtilitas admiranda, ſed & miſeranda. Ariſtot. *Quare me miſericordiâ dignum deprædicas?* Chriſt. *Quid cenſes fieri poſt mortem circa animam noſtram?* Ariſtot. *Intellectum activum, qui & theoreticum & practicum illuminat, immortalem eſſe ſcio, de paſſivo recipiente rerum formas dubito, quippe qui, licet non corporeus, materiatus tamen exiſtat.* Chriſt. *Cognoſcitne activus ſine paſſivo?* Ariſtot. *nequaquam.* Chriſt. *Ergò poſt mortem intellectus noſter nihil ſcit?* Ariſtot. *Ita videtur.* Chriſt. *Otioſusne erit hoc modo in omne ævum?* Ariſtot. *Ea eſt intellectûs noſtri imbecillitas, ut in rebus tam abſtruſis ſæpè hæreamus, ignorantes quorſum pedem gradumq́ progrediendo vertamus.* Chriſt. *Soleo tuam ſemper magnifacere auctoritatem: pauci enim ſunt philoſophi, qui vim tuarum demonſtrationum aſſequi, longè pauciores qui inveniendo æquare poſſint: ſed hac in re cogor planè à te alienus eſſe.* Ariſtot. *Aveo ex te audire & diſcere rationes à me diſſentiendi.* Chriſt. *Nonne homo eſt ſubſtantia intellectualis?* Ariſtot. *Noli quærere quæ ſcis à me poſita & conceſſa: ne detinendo me cognitis moleſtus mihi ſis. Nam noſti cupiditatem meam diſcendi cauſſas.* Chriſt. *Nonne hæc ſubſtantia intellectualis tota ſubſtantia illius primæ gratiâ eſt?* Ariſtot. *Natura nihil producit fruſtrà.* Chriſt. *Si tota eſt Dei gratiâ, nihil in eâ eſſe debet quod non Deo operetur.* Ariſtot. *At quomodo? Deus enim tanquam ens potentiæ infinitæ nullâ re indiget: nihil ſanè reſtat quàm imitatio. Quid verò eſt quod imitari homo poſſit præter contemplationem? Vita enim ſapientis ſimilis eſt vitæ divinæ, præterea quid dici fieriq́ ſimile poſſit non video. Nam homo, quod intellectum practicum concernit, verſatur in affectibus & concupiſcentiâ carnis compeſcendis, quæ ſanè vita Deum non decet.* Chriſt. *Deus nonne operatur liberè?* Ariſt. *Ita: cui enim majorem libertatem tribueres, quàm enti ſummo & perfectiſſimo.* Chriſt. *nonne liberrimè appetit operari quod operatur.* Ariſtot. *Appetit, quemadmodum qui omnia habet dicitur appetere quæ habet: ipſi quippe nihil deeſt.* Chriſt. *Hæc ſubtilitas nunc nobis non proderit: ſufficit enim Deum liberrimè appetere, & proinde eſſe Subſtantiam intellectualem liberrimæ voluntatis. Quid ſi homo omnia faceret ex liberrimâ voluntate proveniente à judicio intellectûs non errantis, nec impeditâ ab appetitu irrationali, nonne quoad hoc ſimilis eſſet Deo?* Ariſtot. *Fingere talem hominem licet, quemadmodum Plato ideas, dari eum non poſſe teſtatur experientia. Hominis namq́ intellectus tandem ſeſe exerit, quando totum hominem occuparunt voluptates corporis, quas à teneris ſentit, ut ita per totam fermè vitam nihil agendum habeat, quàm ut hanc beſtiam, à quâ ſubjugatus propemodum eſt, de ſolio ſuo detrudat.* Chriſt. *Nonne hic eſt ingens naturæ humanæ defectus & quidem talis, cum quo veriſimile non eſt, naturam integram ſpeci-*

em &

am & quidem eam, que divino bono inſtructa eſt, produxiſſe? Natura quippe non producit integram aliquam ſpeciem monſtroſam. Que queſo animaliũ integra ſpecies ita ſe habet, ut ſi appetitus tendat pedem movere in anteriora moveat eum retrò? at in homine ita comparatum eſt, ut, dum tendit ad temperantem vitam, incidat in luxuriam. Id enim tu ita & quidem praclarè docuiſti in libris de Moribus. Ariſtot. *Sepè quidem id, quod nunc dicis, miratus ſum; ſed quia fingere hominem aliter non licet, quàm eſſe deprehenditur, ſemper docui, de naturâ hominis eſſe, ut appetitus irrationalis reſiſtat recta rationi eamq́ debellare nitatur.* Chriſt. *Video te harere, &, ſi ita vis, ex noſtra religionis fideiq́ principiis tibi cauſſas omnium horum, que te dubium reddunt narrabo. Ita autem tecum agam, ut tua doctrina de facultatibus anima ſingula accommodem, & ſecundum tuam philoſophiam, quantum fieri poteſt, hec tractem.* Ariſtot. *attentè te audiam.* Chriſt. *Hic mundus, quem tu conſpicis, non eſt, ut exiſtimas, eternus. Nam quamvis DEUS nihil faciat in tempore, dicere tamen eterno ſuo verbo extra tempus poteſt, ut quid in tempore fiat. Quemadmodum enim noſter intellectus imperans brachium moveri in anteriora, omnes ſpiritus habet obedientes, quorum beneficio motus fit, idq́ ex lege natura: ita Verbum Dei ſeu ὁ λόγος Mentis Divina ex ſe habet hanc potentiam, ut omnia ſint & fiant, prout eſſe fieriq́ dicit. In illo ergò temporis principio, cùm Verbo Mentis Divine omnia crearentur, etiam creatus eſt homo non cum tali appetitûs irrationalis vi, quam nunc habere vides, nec etiam cum eâ intellectûs imbecillitate, quâ proh dolor! nunc laboramus. Habet namq́ ſe noſter intellectus ad veritatem, quemadmodum oculi noctuarum ad lucem ſolis. Sed, ut ſingulas vires partium anima humana tibi enarrem, initium faciam ab intellectu theoretico. (Haſito mi Ariſtoteles trepidoq́: vereor enim ne errem aliquâ in parte, mallemq́, ſi in vivis eſſent, nos habere praſentem vel Chemnitium vel Meisnerum vel Jacobum Martini, Theologos magnos, qui quâ in re hallucinarer & impingerem me juvare poſſent.* Ariſtot. *Perge narrando, quia nunc unà ſumus. Si enim videro, mihi ſatisfactum in iis, de quibus multa & inextricabilia dubia occurrerunt, non verebor veſtros Theologos adire.* Chriſt. *Hâc ergò lege dicendo progrediar, ut in dictis à me non ſubſiſtas, ſed uberiorem informationem à pracellentioribus Theologis petas. Primum omnium ergò Deus immortalis intellectui theoretico Adami ſe cognoſcendum prabuit, quod ſcil. unus eſſet eſſentiâ & trinus perſonis, viveretq́ vitam amiciſſimam ſuaviſſimam & jucundiſſimam. Quid enim magis amicum eſſe poteſt, quàm quod eſſentiâ unum eſt? Prima perſona eſt Pater, ſecunda Filius, qui eſt Patris imago ſubſtantialis. Col. 1. v. 15. tertia Spiritus S. à Patre & Filio procedens. Hoc Trinitatis myſterium*

cognitum

cognitum accepit homo, quantum ad vitam in hac terrâ ad placitum Dei, ut huic carus & amicus eſſet, opus erat, cum expectatione quâdam, quòd ſublatus in cœlum aliquando viſurus ſit Deum à facie ad faciem i. e. quòd fruiturus ſit beatitudine ipſius Dei, cujus felicitas & jucundiſſima vita conſiſtit in contemplatione ſuæ imaginis ſubſtantialis. Præter hoc myſterium cognitam quoq; habuit homo voluntatem Dei, nihilq; ignoravit agendorum ad placitum ipſius, quò cariſſimus eidem eſſet. Omnium porrò rerum creatarum cauſſas novit & quomodo unaquæq; res Deum creatorem, quâq; in re imitetur. Nam omnia per filium tanquam imaginem ſuam ſubſtantialem & λόγον ſuum produxit, quo ipſo evenit, ut ſingulæ etiam minimæ res Deum creatorem aliquâ in parte, homo verò præ cæteris rebus corpus habentibus exhibeant. Initium etiam contemplandi ſtatim homo fecit, ſingulis rebus imponendo nomina, Geneſ. 2. v. 19. Eſt enim, uti præclarè doces lib. 1. de part. animal. cap. 1. tota rerum natura λόγος quidam, partes autem τοῦ λόγου ſunt τὰ ὀνόματα. De quibus ritè conſtituendis ſapientem primùm omnium ſollicitum eſſe convenit. Quod & tu facis cap. 2. 3. & 4. d. lib. 1. de part. anim. At quod nos hodiè longâ multorum hominum experientiâ abſolvimus, id omne Adamus, qui primus homo fuit, expeditè, cùm primùm res creatas inſpiceret, fecit. Quid putas, nonne carior erit Deo ita tractans ſapientiam, quàm qui tantùm in cauſſis rerum cognoſcendis verſatur? Ariſtot. *Fateor, quòd in ſingulis rebus ſimilitudinem Dei ſpectare & ſingulas cum Deo in ipſius honorem componere ſit ipſi & vivere & operari.* Chriſt. *Nonne ergo agnoſcis miſeriam, in quâ nunc vivimus?* Ariſtot. *Agnoſco & defleo, dumq; exiſtimavi, me omnium hominum ſapientiſſimum, video me nihil propemodum ſcire eorum, quibus Deo reverà cari ſumus. Nam delectari cauſſis rerum repertis, quod maximè ſuave & jucundum eſt, eſt ſibi operari contemplando, ſed unà cum cauſſis imaginem Cauſſæ primæ & principii motuum omnium, eſt operari Deo. Videor mihi videre Adamum initium contemplationis ab imagine ſubſtantiali Patris eiq; coæternâ & cum eo ejuſdem eſſentiæ facere & procedere ad reliqua, ordinem ſervando, prout propius Deum exhibuerunt. Quæ jucunditas, quando ſemetipſum contemplatus in ſe deprehendit Dei imaginem? Qualis ardor in Deo amando cujus imaginem præ cæteris creaturis ſeſe habere ſentiebat? Sed perge narrare, quod circa intellectum practicum dicere habes.* Chriſt. *Homo, prout à Deo fuit conditus, nihil appetivit, niſi quod intellectus dictaret; adeoq; ſolâ voluntate operatus eſt. Judicium intellectûs practici fuit ſanum nulliſq; voluptatibus inordinatis per appetitum irrationalem corruptum, & quia intellectui theoretico voluntas Divina fuit cognita; practicus huic ſubordinatus nihil præſcripſit*

agendum, quam quod Deo gratum acceptumq́; & ipſi homini reverà bonum & ſalutare eſſet. Voluntas verò appetens ab intellectu præſcripta liberrimè appetivit: nihil enim coactè & ex neceſſitate operatus eſt; quia naturæ ipſius congruentiſſimum erat voluntatem Dei facere. Juſtus ergò fuit homo & reverà ſanctus. Quemadmodum enim univerſali Juſtitiâ Juſtum eum vocamus, qui legibus paret, id eſt, ſecundum voluntatem legiſlatoris operatur: ita quam maximè Juſtus eſt, qui voluntati divinæ faciendæ inhæret promptè, conſtanter, ſine coactione & liberrimè maximâq́; cum jucunditate. Sanctus fuit homo, quia nihil impurum admixtum habuit, ſed voluntas ipſius exſtitit puriſſima nil aliud quàm divinum appetens. Quæ omnium perfectiſſima & diviniſſima virtus Paulo Epheſ. 4. v. 24. vocatur δικαιοσύνη καὶ ὁσιότης τῆς ἀληθείας, Juſtitia & Sanctitas veritatis. Hæc Juſtitia & Sanctitas veritatis conſtitit in ſummâ Dei dilectione, quam homo declaravit contemplando ſingulas res, quatenus ſimilitudinem quandam Dei repræſentârunt & potiſſimum ſeipſum intuendo & in ſe imaginem creatoris deprehendendo. Quid enim magis amorem & dilectionem gignere poteſt, quàm imaginem alterius in ſe conſpicere? Ob hanc ſanè homo & Deum & ſeipſum quàm maximè amavit; & per conſequens etiam proximum ut ſeipſum. Nam ſi ſe amavit ob imaginem Dei; quam habebat non modò ratione theoretici ſed & practici intellectûs voluntatisq́; (liberrimè enim ad imitationem Dei appetebat reverà non modo bonum, ſed optimum) eamq́; & in aliis hominibus deprehendit, neceſſe eſt, eum amaſſe proximum quemadmodum ſeipſum. Nam cauſſa amandi proximum & ſeipſum planè eadem fuit. Huic dilectioni nihil deeſſe potuit; quia fuit fundata in identitate ejus quod divinum erat & Dei ſimulacrum exiſtebat. Et quò nullum amoris fundamentum deeſſet, condidit Deus Adamo Evam adjutricem, cum quâ hanc arctiſſimam amicitiam coleret ex coſtâ ipſius. Quam cauſſam arctiſſimæ amicitiæ ſentiens exclamavit, hæc eſt caro de carne meâ & os de oſſe meo! Quanti feciſti hactenus ô Ariſtoteles amicitiam virorum honeſtorum ſeſe ob identitatem virtutis amantium? cogita qualis hæc fuerit quæ conſtitit in identitate vitæ ſanctiſſimæ, Deo acceptiſſimæ, ejusq́; vitam repræſentantis. Perpende etiam, quantum tu abfueris à veritate, quando hactenus ſtatuiſti, hominem, quod vitam practicam concernit, ſimilem Deo reddi non poſſe. Deum enim non corrigere & emendare affectus & concupiſcentiam. Scilicet tu practicam vitam hominis perfectam eam eſſe putaſti qualis nunc eſt. Ariſtot. intelligo me erraſſe & errorem lubens agnoſco. Sed recita porrò, qualis tunc fuerit in homine appetitus irrationalis. Chriſt. Præ dolore vix narrare poſſum. Nam poſtquam hic ſuas cœpit exſerere operationes & voluntati prædominari, illam Dei imaginem amiſit homo, & cum hac ipſius quoq́;

quoq; gratiam, redactuq; eſt in ſtatum, in quo tu es & manebis, niſi fidem Chriſtianam profitearis. Ariſtot. Qui ita? Chriſt. Excellentiſſima cum Deo conformitas & ſanctiſſima voluntas non admittebat quicquam inordinati circa appetitum irrationalem: nulla deprehendebatur concupiſcentia. Scil. intellectus ſemper præſtò erat & dictabat Dei voluntatem, humana voluntas erat prompta & ſummâ cum jucunditate liberrimè non coactè appetebat quod intellectus præſcripſerat. Nullus ergò locus erat phantaſiæ voluptatem quandam corporis inordinatam appetitui repræſentandi & excitandi eum ad movendum ſpiritus, quò fierent quæ à voluntate Dei aliena erant. Hæc cauſſa erat, quare cùm Adam & Eva nudi eſſent, nullam tamen ſentirent concupiſcentiam Geneſ. 2. v. 25. Omnia quippe parebant rationis arbitrio. Sed proh dolor! cùm artificio diaboli ſeducta mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, de quo tamen Deus veſci prohibuerat, & tulit de fructu illius. & comedit, deditq; viro ſuo, qui comedit: appetitus irrationalis cœpit dominari intellectui & totum ita genus humanum imaginem illam divinam amiſit, & cùm Deo cariſſimum & ſummè amicum eſſet, redditum eſt inimicum. Nam quieſcebat intellectus Evæ quaſi in ſoporem conjectus, cùm adſpiceret lignum quòd pulchrum oculis & aſpectu delectabile eſſet, datuſq; eſt locus, phantaſiæ repræſentanti pulchritudinem appetitui, quo excitatus ad veſcendum movit membra hominis. Et hinc porro exercuit in Adam & Evâ appetitus irrationalis dominium: ſtatim enim ſe nudos animadvertebant & ſentiebant concupiſcentiam, quæ peccatum eſt Rom. 7. v. 7. Hic lapſus primorum parentum flebilis eſt principium & cauſſa, quare voluptates corporis à teneris nos regant, intellectu noſtro tardè admodum ſeſe exerente & per totam vitam cum irrationali appetitu in pugnâ verſante, ut cedere nolit dominio qui obœdire & ſilere debebat. Ita ergò, quòd ſine lachrymis dicere nequeo, imago Dei eſt amiſſa in homine, & loco ſummæ amicitiæ, quam homines & cum Deo & inter ſe colebant mera nata eſt inimicitia. Hanc imaginis divinæ amiſſionem comitata eſt privatio eorum, quæ cum imagine illâ conjuncta erant. 1. dominium in res creatas. 2. immortalitas. 3. neceſſitatis impasſibilitas. Nam quod dominium concernit, quamvis adhuc hodiè hominum gratiâ omnes beſtiæ ſint: (cujus gratiâ autem unumquodq; velut inſtrumentum illius eſt, is dominus eſt. Utor enim iis, quæ tu libr. 1. politic. tradidiſti, ubi demonſtras, hominem naturâ dominium in omnes beſtias habere) erat in homine alia ratio imperandi beſtiis quàm nunc eſt: Quomodo enim intellectus divinus ſtatim quod pronunciat producit & quomodo intellectus noſter practicus aliquid pronuncians eo ipſo dum enunciat facit aſtrictis ad obœdiendum naturâ ſpiritibus qui in homine ſunt; eo modo &

intellectus hominum regebat beſtias, ut quicquid enunciaret hoc facerent. Nam cùm intellectus hominis eſſet ſimulacrum intellectûs divini, & Deus ipſi ſubjeciſſes beſtias; ad imitationem Dei easdem rexit. Immortalitas à Deo velut donativum & conſequens imaginis divinæ ſuperaddita fuit. Nam ejusmodi hominem ſanctum Deoq́; amicum mori non decebat. Quin Deus hominem, ſi in illo integritatis ſtatu manſiſſet, tranſtuliſſet in cœlum & ipſum perfectiſſimum reddidiſſet participem eum faciendo omnis contemplationis, quâ ipſe fruitur & beatus exiſtit. Sed lapſu interveniente per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors: & ſic in omnes homines mors pertranſiit, quatenus omnes peccaverunt. Rom. 5 v. 12. Liber quoq́; homo fuit ab omni neceſſitate & caſibus. Nam cum eſſet amiciſſimus Deo, non permittebat Deus, ut ullum externum accidens præter inclinationem ipſius naturalem in eo quicquam operaretur. Et hinc porrò in ipſo ceſſabant omnes moleſtiæ. Nam ut tu quoq́; docere ſoles, omnes moleſtiæ inde proveniunt, ſi quid contra inclinationem naturalem & noſtræ naturæ non convenienter in nobis fiat. Nunc verò variis moleſtiis homo ſubjicitur, & plus poteſt in eo neceſſitas & caſus quàm ipſe in ſeſe. Ariſtot. *Mira mihi narraſti, & ego non diffiteor, mihi talem ideam hominis perfectiſſimi unquam fingere potuiſſe, talem autem fuiſſe producendum à Naturâ, ne illa eſſet cauſſa peccati. Sed nonne illius imaginis divinæ & amicitiæ cum Deo datur recuperatio?* Chriſtianus. *Rectè quæris mi Ariſtoteles, noſſe etiam debes reconciliationem cum Deo jam factam eſſe, modumq́; ſi ſcire deſideras, craſtinâ die hunc in locum redire poteris. Interea, ut meditatè ſingula dicam, me præparabo.*

ARTIC. II.

DE AMICITIA INTER DEUM ET HOMINES, QVALIS NUNC EST POST STATUM INSTAURATIONIS PER CHRISTUM.

Ariſtoteles. *Credas velim mi Chriſtiane me hanc noctem duxiſſe inſomnem; partim quia animo revolvi à te audita, partim quia ducebar aviditate audiendi ex te reliqua, & quis modus fuerit redeundi in gratiam cum Deo. Nunc lætor diem illuxiſſe, ut te convenire potuerim. Si ergò tibi moleſtum non eſt, enarres mihi illum modum reconciliandi humanum genus.* Chriſt. *Nulla erit mihi moleſtia. Nam ſoleo ſingulis diebus ſole oriente, antequam aggrediar reliquos labores, ſummâ cum jucunditate hæc meditari, Salvatori meo gratias agere & in fide erga ipſum hilari animo quæ mihi gerenda ſunt ſuſcipere. Nihilq́; jucundius mihi eſt, quàm Salvatoris mei merita contemplari & me conformem ipſius vitæ gerere. Cætera omnia mundana pro quisquiliis habeo. Ne autem quid*

omittam

omittam narrando, de principio noſtræ reconciliationis primò dicturus ſum. Utar quoq; verbis Scripturæ S. in quâ comprehenſa iſta ſunt: valde namq; ſollicitus ſum in ejusmodi divinis, ne quid dicam quod à Verbo Dei nobis revelato ſit alienum. Principium unicum noſtræ cum Deo reconciliationis fuit Deus ipſe. *Non enim ex operib9, quæ ſunt in Juſtitiâ, quæ faciebamus nos, ſed ſecundum ſuum propoſitum & gratiam ſalvos nos fecit. Tit. 3. v. 5. 2. Timoth. 1. v. 9. In epiſtolâ Pauli ad Epheſ. 2. v. 4. & ſeq. hæc habentur: Deus qui dives eſt in miſericordiâ, propter multam caritatem ſuam, quâ dilexit nos, etiam cùm eſſemus mortui per delicta, convivificavit nos unà cum Chriſto.* Hic Deus miſericordiſſimus ex ſummâ caritate miſit filium, qui eſt ὁ λόγος & imago ſubſtantialis ipſius, in hunc mundum, ut aſſumeret carnem, & ſeſe traderet cruciatibus & morti pro toto humano genere reconciliando. Qui etiam pro ſummâ ſuâ & ineffabili caritate, quâ nos proſecutus eſt, ſemetipſum hoſtiam pro nobis tradidit. *Ea namq; fuit beneficentia Jeſu Chriſti, ut propter nos pauper fieret, quùm eſſet dives, quò nos illius paupertate diteſceremus. 2. Cor. 8. v. 9. Et ita piiſſimus & ſanctiſſimus pro nobis impiis, juſtus pro injuſtis mortuus eſt. Rom. 5. v. 6. 1. Petr. 3. v. 18. ô quanta caritas! Nam vix pro juſto quisquam morietur: ſiquidem pro bono forſitan aliquis etiam mori ſuſtinet. Luculenter ergò ſuam caritatem nobis exhibuit, quòd, cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Rom. 5. v. 7. & 8.* Hujus noſtri ſalvatoris obœdientiâ, quam morte & paſſione ſuâ exhibuit, omnis noſter reatus ſublatus eſt, ut ita juſti ſimus coram Deo Patre. *Nam qui longinqui eramus propinqui facti ſumus per ſangvinem Chriſti. Epheſ. 2. v. 13. Et quemadmodum per inobœdientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; ita per obœdientiam unius, juſti multi. Rom. 5. v. 19. ut ita nunc gloriemur in Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem reconciliationem aſſecuti ſumus. v. 11. eod.* Hoc Jeſu Chriſti merito nobis applicato renaſcimur reddimurque filii Dei & nova quædam creatura. *Nam omnis qui eſt in Chriſto Jeſu nova creatura eſt. 2. Cor. 5. v. 17. qui credit Jeſum eſſe Chriſtum ex Deo natus eſt. 1. Joh. 5. v. 1. habetq; in ſe Spiritum S. qui teſtatur quòd filius Dei ſit. Rom. 8. v. 15. Gal. 4. v. 6. Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur. 1. Joh. 3. v. 1. & mundum vincamus. Quoniam omne quod natum eſt ex Deo vincit mundum: & hæc eſt victoria, quæ vicit mundum, Fides noſtra. 1. Joh. 5. v. 4.* Et nunc amici Dei ſumus, quando Chriſtum, qui à mortuis reſurrexit, induentes in eo vivimus ipſumque in omni vitâ imitamur. *Nam renati per Chriſtum exuimus deponimusq; veterem hominem, qui corrumpitur juxta concupiſcentias erroris.*

roris. Col. 3. v. 9. & renovati Spiritu mentis noſtræ induimus novum hominem, qui juxta Deum conditus eſt per juſtitiam & ſanctitatem veritatis. Epheſ. 4. v. 23. & 14. Sic ut radices habeamus fixas in Chriſto Jeſu, quem accepimus, & in illo ſuperſtruamur & confirmemur per fidem, exuberantes in eâ cum omni gratiarum actione. Coloſſ. 2. v. 7. ſervantes præcepta ejus, quo ipſo in illo manemus & ille in nobis. 1. Joh. 3. v. 24. Et ita nunc non nos vivimus, ſed vivit in nobis Chriſtus. Vitam autem, quam vivimus in carne per fidem vivimus Filii Dei, qui dilexit nos & tradidit ſeipſum pro nobis Gal. 2. v. 20. Deus enim Pater, quem in Spiritu invocamus, dat nobis juxta divitias gloriæ ſuæ, ut fortitudine corroboremur per Spiritum ſuum in internum hominem: ut inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus noſtris, fixis in caritate radicibus, & fundamento jacto; ut valeamus aſſequi cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo & longitudo & profunditas & ſublimitas, cognoſcereq; præeminentem cognitioni dilectionem Chriſti, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei. Epheſ. 3. v. 16. & ſeqq. Omnia in omnibus Chriſtus eſt. Col. 3. v. 11. Quemadmodum ergò Chriſtus mortuus fuit peccato & vivit Deo: ita & nos peccato morimur vivimusq; Deo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Nec patimur regnare peccatum in mortali noſtro corpore, ut obœdiamus illi per cupiditates ejus: neq; accommodamus membra noſtra arma injuſtitiæ peccato: ſed accommodamus nos Deo velut ex mortuis viventes & membra noſtra arma juſtitiæ Deo. Rom. 6. v. 10. & ſeqq. Non amplius carnales ſed ſpirituales ſumus, nec quæ carnis ſed quæ Spiritus ſunt curamus. Nam qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt. Habemus ergò Spiritum Chriſti, & Chriſtus in nobis eſt. Rom. 8. v. 4. & ſeqq. Reſurreximus namq; unà cum Chriſto, & ſuperna quærimus & curamus, ubi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens, terreſtria negligimus. Col. 3. v. 1. & 2. Quicquid agimus ſermone aut facto, omnia in nomine Domini Jeſu facimus, gratias agentes Deo & Patri per illum. Col. 3. v. 17. ſive edamus ſive bibamus, ſive quid faciamus. 1. Cor. 10. v. 31. Hunc noſtrum Salvatorem imitamur 1. in ſanctimoniâ. Nam tanquam filii obœdientes nos non accommodamus priſtinis concupiſcentiis; ſed quemadmodum is qui nos vocavit ſanctus eſt, ita & nos quoq; ſancti in omni converſatione ſimus, propterea quòd ſcriptum eſt: Sancti eſtote, nam Ego Sanctus ſum. 1. Petr. 1. v. 14. & ſeqq. 2. in humilitate. Nam ita præcipit Apoſtolus Philipp. 2. v. 3. & ſeqq. Ne quid fiat per contentionem, aut per inanem gloriam, ſed humilitatem animi. Is enim affectus in nobis eſſe debet qui fuit in Chriſto, qui cum eſſet in formâ Dei, non rapinam arbitratus eſt, ut eſſet æqualis Deo. Sed ſemetipſum inanivit, formâ ſervi ſumptâ, in ſimilitudine hominum conſtitutus, & figurâ repertus ut homo, humilem præbuit ſemetipſum, factus obœdiens

usq;

usq; ad mortem, mortem autem crucis. 3. In patientiâ. *Quoniam Chriſtus afflictus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut inſequeremur veſtigia ipſius, qui peccatum non fecerat, nec inventus eſt dolus in ore ejus, qui cum maledictis inceſſeretur, non regeſſit maledicta: quùm malis afficeretur, non minitabatur, ſed tradidit vindictam ei, qui judicat juſtè.* 1. *Petri.* 2. *v.* 21. *& ſeqq.* 4. In dilectione erga proximum. *Ita enim præcipit ipſe Chriſtus, Joh.* 13. *v.* 34. *&* 35. *quando ait: Præceptum novum do vobis, ut diligatis vos mutuò: ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis mutuò. In hoc cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei ſitis, ſi caritatem habueritis inter vos mutuam. Et Paulus ad Epheſ.* 4. *v.* 2. *ait: Sitis igitur imitatores Dei tanquam filii dilecti, & ambuletis in dilectione, quemadmodum & Chriſtus dilexit nos, tradiditq; ſemetipſum pro nobis oblationem ac victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ. Et Johannes ep.* 1. *c.* 3. *v.* 23. *Hoc eſt præceptum ejus, ut credamus nomini Filii ejus Jeſu Chriſti, & diligamus nos mutuò, ſicut dedit præceptum nobis. Idem eâd. epiſt. c.* 4. *v.* 7. *Cariſſimi, diligamus nos invicem; quia caritas ex Deo eſt, & omnis qui diligit ex Deo natus eſt & cognoſcit Deum.* Hæc arctiſſima cum Chriſto conjunctio, quod in eo vivamus & ille in nobis, facit, ut nullo periculo, nullâ moleſtiâ nulloque malo patiamur nos ab eo ſeparari, ſed omnes dolores omneſque graviſſimos cruciatus hilari animo ſubeamus. *Quis enim nos ſeparabit à dilectione Chriſti? num anguſtia, num perſecutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? (Quemadmodum ſcriptum eſt: propter te morti tradimur totâ die, habiti ſumus velut oves deſtinatæ mactationi.) Verùm in his omnibus ſuperamus per eum qui dilexit nos. Nam nos nec mors nec vita, nec angeli, nec principatus, nec poteſtates, nec inſtantia, nec futura, nec altitudo, nec profunditas nec ulla creatura alia poterit ſeparare à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Rom.* 8. *v.* 35. *Et ita ferimus afflictiones ut boni milites Jeſu Chriſti.* 2. *Tim.* 2. *v.* 3. *Nam omnes qui volunt piè vivere in Chriſto Jeſu perſecutionem patiuntur.* 2. *Tim.* 3. *v.* 12. *Id enim eſt illud quo caritatem & gratum in Chriſtum animum declaramus. Hinc Petrus ep.* 1. *c.* 4. *v.* 14. *ita nos alloquitur: Cariſſimi, ne miremini, dum per ignem exploramini, (quæ res ad experimentum veſtri fit) perinde atq; ſi novum aliquid vobis contingat. Imò in hoc, quòd conſortes eſtis afflictionum Chriſti, gaudete: ut in revelatione quoq; gloriæ ejuſdem gaudeatis exultantes, ſi probris afficimini in nomine Chriſti, beati eſtis, quoniam gloria & Spiritus Dei ſuper vos requieſcit. & verſ.* 16. *ſi ut Chriſtianus affligitur aliquis, ne pudefiat, imò glorificat Deum in parte hac.* Hæc eadem vita, quam in Chriſto vivimus, facit, ut omnia vitia fugiamus & quæcunque virtuoſa ſunt ſectemur, & per Chriſtum opere-

Digitized by Google

operemur. *Omnia enim vitioſa tanquam opera carnis fugimus. virtuoſa ex fide in Chriſtum tanquam opera Spiritus ſectamur. Ita enim ait Paulus Gal. 5. v. 16. Spiritu ambulate, & concupiſcentiam carnis non perſicietis. Opera autem carnis ſunt: adulterium, ſcortatio, immunditia, laſcivia, idololatria, veneficium, inimicitia, lis, æmulationes, iræ, odia, concertationes, ſeditiones, ſectæ, invidiæ, cædes, ebrietates, commeſſationes, mollities, concupiſcentia mala, avaritia, obſcœnitas, ſtultiloquium, inobœdientia, ſervitus voluptatum, ſuperbia, detrectatio, maledictio; pugna, rixæ. Gal. 5. v. 19. 2. Tim. 3. v. 2. Coloſ. 3. v. 5. Epheſ. 5. v. 3. Tit. 3. v. 3. 1. Tim. 6. v. 9. Jacob. cap. 4. Opera Spiritus ſunt, Miſericordia, Comitas, modeſtia, manſuetudo, lenitas, mutua peccatorum remiſſio, obœdientia & reverentia erga magiſtratus, gaudium, pax, benignitas, temperantia. Coloſ. 3. v. 12. Tit. 3. v. 1. & 2. Gal. 5. v. 22. Nam opera carnis inimicitia ſunt adverſus Deum. Rom. 8. v. 7.* Ariſtoteles. *Sed ſi hoc pacto amici redditi eſtis Deo, quare non ceſſat mors? videmus enim & vos æq; ac illos qui nullam fidem in Chriſtum habent mori.* Chriſt. *Omnes adhuc morimur, quia adhuc concipimur naſcimurq; in peccatis: noſter enim appetitus adhuc pugnat cum ratione & ad mala ſuâ concupiſcentiâ nos impellit; cui tamen reſiſtimus ope & auxilio Spiritus S. Hinc moriendum nobis adhuc eſt. Sed Chriſtus aliquando reſuſcitabit noſtra corpora à mortuis, & ad ſe congregabit omnes in ipſum credentes, dabitq; ipſis ex gratiâ tanquam cariſſimis amicis æternam vitam; & elevabit noſtrum intellectum, ut habilis fiat ad videndam S. S. Trinitatem in omnem æternitatem;* 1. Cor. 15. v. 21. v. 22. *Hæc eſt ô Ariſtoteles ſumma fidei noſtræ conſiſtens in dilectione Dei & proximi per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum. Quam ſi tuo more & philoſophicè loqui licet ita concipere potes. Tu demonſtratum dediſti, Judicium intellectûs reſidere in corde, præſcribens appetitui ibidem circa ſanguinem operanti perſequenda & fugienda. Huic Judicio noſtro adhiberi debet Salvator Jeſus Chriſtus, cujus vita, quando operamur ob oculos ponenda eſt: ut ita principium omnium noſtrarum operationum ſit Chriſtus illuminans Spiritu S. noſtrum intellectûs judicium: ex quo principio operantes & concupiſcentiis nos opponentes vivimus ut veri amici Dei. Nam operari per Chriſtum placet Deo, ut pote cùm Chriſtus filius Dei cariſſimus ſit. Licet ergò tu omnem habeas humanam ſapientiam; non tamen placebis Deo; quia quicquid non ex fide in Chriſtum eſt peccatum eſt. Nihil te juvabunt ſubtiliſſimæ tuæ ſpeculationes. Nam ſapientia mundi hujus ſtultitia eſt apud Deum. 1. Cor. 5. v. 19. novit enim Dominus cogitationes ſapientum, quòd ſint vana. Pſ. 94. v. 11. Quid nunc putas, nonne lux accedit tibi hactenus in tenebris verſato.* Ariſtot. *Moveor, ut credam veſtram religionem illam unicam eſſe quæ quid*

ſolidi

ſolidi continet. Quæ enim nos gentiles hactenus finximus ſimulachra ex manifeſtâ quâdam ſtoliditate proveniunt. Ceterùm quæ vos docetis, ibi incipiunt, ubi mea Philoſophia deſinit & tenebris, quibus ea involuta eſt, lucem addunt.

CAP. III.

DE AMICITIA QVÆ EST INTER IMPERANTES ET PARENTES.

1. *Conſideratâ amicitiâ omnium perfectiſſimâ, quæ ex Deo eſt & ad Deum tendit, & ita abſolutis omnibus, quæ de perfectiſſimâ amicitiâ, quam homo hac in vitâ conſequi valet, dicenda fuerunt: progrediemur ad reliquas ſpecies inæqualis amicitiæ dicturi de eâ, quæ inter parentes & imperantes, docentes item & diſcentes eſt.*

2. Differunt autem civiliter & heriliter imperare. *Nam civiliter imperare eſt parentium virtutes perficere ſuâ prudentiâ & eorum ſalutem promovere: heriliter autem imperare eſt dirigere alterum velut inſtrumentum quoddam ad certum uſum.* Et quidem herili imperio nulla videtur ineſſe amicitia; *quia ſervus inſtrumentum eſt, cujus omnes operationes neceſſitati ſunt ſunt ſubjectæ, in quibus nulla aut exigua admodum ſe poteſt exerere amicitia. Quia vero civile imperium in virtutibus perficiendis conſiſtit: prius virtutes ſpeculabimur, quam variæ ſint.*

3. Virtus alia eſt intellectualis alia moralis; intellectualium alia perficit intellectum theoreticum & in ſpeculando ſubſiſtit, alia practicum & verſata in ſingularibus actiones ſeu operationes humanas regit. Virtus intellectualis perficiens intellectum theoreticum eſt ſcientia & ſapientia; practicum, prudentia; & hæc ipſa omnium virtutum moralium directrix quædam & perfectio exiſtit.

4. Hinc naſcitur duplex genus amicitiæ, quorum alterum propriè eſt inter imperantes& parentes,alterum magis inter eos qui docent diſcuntque. *Nam part. 1. tradidimus aliam virtutem & juſtitiam eſſe propriam imperantium, aliam parentium; & has virtutes differre ab invicem, quemadmodum ſcientia & prudentia ab opinione. Scientia enim prudentiam & hæc virtutes morales perficit, ut patet ex dictis lib. 1. part. 2. unde virtus moralis cum prudentiâ eſt quiddam perfectum; conjuncta cum opinione, quiddam perficiendum. Scilic. imperantium eſt, pro ſuâ ſcientiâ & prudentiâ operari & aliis agenda præſcribere; parentium, bonam opinionem de præſcriptis ab imperantibus habere, & ſecundum hanc vivere & actiones inſtituere, quo tandem etiam ſibi prudentiam virtuteſq; morales perfectas parent. Primum*

ergò genus amicitiæ, quod inæqualiter virtuoſi habent, eſt inter imperantes ſeu prudentes qui præſcribunt, quomodo ſit vivendum; & inter parentes, qui ſecundum horum præſcripta operantur. Alterum amicitiæ genus, quod eſt inter inæqualiter virtuoſos, oritur exinde, quòd ſcientia & ſapientia ſint perfecta quædam rerum ex cauſſis cognitio, quæ aliis communicari poteſt. Docentes ergò ſunt ſcientes & ſapientes ſuam cognitionem aliis communicantes; diſcentes, qui perfectam rerum cognitionem à docentibus hauriunt. Hinc alterum genus amicitiæ eſt inter docentes & diſcentes.

5. Utriusque generis amicitiæ eadem ratio videtur. *Nam in utroq; intercedit amor, velut inter perficiens & perficiendum. Parentes enim obœdiunt imperantibus, non ut perpetuò pareant, id enim ſervile eſt, ſed ut parendo diſcant imperare i. e. ut perficiant ſuas virtutes, & ipſi efficiantur prudentes; diſcentes audiunt docentes, ut & hi conſequantur eam ſcientiam & ſapientiam, quam docentes habent. Quapropter uno cognito genere, non latebit alterum.*

MEMBR. I.

DE AMICITIA CIVILITER IMPERANTIUM ET PARENTIUM.

1. In amicitiâ imperantium diverſa amabilia ſunt. *Hinc enim ſit, quòd amicitia ſit inæqualis.* Sed quidnam eſt amabile illud ob quod imperans amat parentes? *Non enim virtutes parentium valde amabiles eosdem reddere poſſunt, quia imperfectæ ſunt, & imperantes in ſe longè excellentioris gradûs virtutes ſentientes ad valdè amandum moveri nequeunt. Videmus tamen, imperantes eos, qui ipſis parent, & docentes eos, qui diſcunt, valdè amare.*

2. Amabile ſeu id, ob quod imperans parentem amat, eſt, quòd parens ſit opus quoddam imperantis & aliquid quod imperans ipſe eſt. *Nam ſecundum mentem homo eſt id quod eſt; mentisq; perfectio eſt ſcientia & prudentia. Dum ergò ſubditi ſeu parentes operantur ea, quæ dictitat ſcientia & prudentia imperantis, operantur ſecundum id quod imperans eſt. Unde hic videns, ſe in parentibus eſſe & vivere ut dirigens, amat omnes tanquam aliquid ſui.*

3. Amabile imperantium eſt virtus, prudentia ſcil. à quâ parentes perficiuntur. *Nam diximus imperantes & parentes conjungi tanquam perficiens & perficiendum: perficiuntur autem parentes virtute, prudentiâ imperantium, quam propterea tanquam perfectionem ſui amant.*

4. Eſt hæc amicitia ex identitate animi, quemadmodum parentum & liberorum ex identitate ſangvinis. *Nam demonſtratum eſt num. 2. parentem ab imperante amari, quòd imperans ſentiat parentem eſſe opus ſuum & aliquid quod ipſe ratione mentis eſt: quapropter uti inter gignens & genitum amicitia oritur ex Identitate, quòd genitum cum gignente ſit alterum ipſum: ita quoq; inter imperans & parens, quia imperans ſcit, id quod paret ſuam mentem quaſi eſſe. Contrà ſicuti liberi amant parentes ſuos, ſcientes, ſe ſangvinem carnemq; illorum eſſe: ita parentes, dum ſecundum præſcripta imperantium vivunt, ſentiunt, ſe quid fieri quod imperantes ſunt, ex quo identitatis ſenſu amor talis gignitur qualis liberorum erga parentes. Hac de cauſâ etiam aliæ affectiones huic amicitiæ inſunt ſimilitudinem cum iis habentes, quæ ſuperius de amicitiâ parentum & liberorum demonſtratæ ſunt. Id quod mox patebit.*

5. Uti pater & mater magis amant liberos, quàm hi illos; ita imperans magis amat parentem quàm hic illum. *Nam cuiq; ſuum eſſe eſt amabile & quisq; ſe maximè ſentire vult: ex opere autem ſuo ſe quisq; cognoſcit. Indicat quippe opus, quis & qualis quisq; ſit. At parens inſpiciens imperantem non æq; ſua æſtimat quæ ipſi bona inſunt, nec inde talem ſe colligit, qualem imperans ſe æſtimat inſpiciendo parentem; quia parens virtutibus imperantis inſpectis ſeſe inferiorem judicat. Unde ſequitur, majorem jucunditatem percipere imperantem, dum ſe excellentem ſentit, ex amore parentis; quàm parentem, qui ſe ſentit inferiorem, ex amore erga imperantem. Senſus namq; ſuperioritatis jucundus; non æq; inferioritatis.*

6. Conſtantem autem hanc amicitiam eſſe colligitur, quòd in habitu quodam magis quàm affectu ſit poſita. *Nam benè parére & benè imperare benevolentiam gignit, quæ principium hujus amicitiæ eſt: utrumq; autem provenit ab habitu: nemo namq; niſi prudens ad imperandum aptus eſt: nemo benè paret, niſi qui ſibi aliquam conſtantiam voluntatis & firmum propoſitum faciendi quæ præſcripta ſunt acquiſivit. Utriusq; ergò operatio, in quâ poſita eſt amicitia, à quodam provenit habitu.*

7. Deinde & conſtantiam arguit hoc, quòd habitus, quo colitur hæc amicitia, ſit poſitus in exercitio. *Dum enim parens tendit ad ſuam perfectionem, ſemper cum imperante vivere & eſſe vult; imperans ſemper vult hunc tanquam ſuum opus ſpeculari.*

MEMBR. II.

DE AMICITIA DOCENTIUM ET DISCENTIUM.

1. *Diximus præced. membr. in eâdem ratione fundatam eſſe hanc amicitiam*

citiam cum eâ, quæ eſt inter imperantes & parentes. Quapropter ſine difficultate tradi poterunt, quæ de hac amicitiâ dicenda ſunt.

2. Amabile docentium eſt illa ſcientia vel ſapientia, quam ab his quis diſcere laborat, quâ ſapientes inſtructi eam docent. *Propterea enim junguntur diſcentes docentibus, quòd ſcientiâ docentium perfici appetant.*

3. Contrà docentes amant diſcentes tanquam opus ſuum. *Nam dum ſapiens docet, ejus ſapientia fit ſapientia diſcentis: unde profectum diſcentis ſentiens eum amat, tanquam habentem quid à ſe profectum & per conſequens tanquam ſuum opus.*

4. Eſt ergò & hæc amicitia conſtans & firma. *Nam 1. eſt ex identitate; quia mens docentis fit mens diſcentis. 2. eſt in habitu poſita, quia docens ex habitu ſapientiæ operatur. 3. in exercitio perpetuo habitûs, dum diſcens appetit ſapientiam, docens diſcentem ſibi præſentem tanquam opus ſuum, quò ex eodem delectationem capiat.*

5. Notandum verò eſt, amicitiam imperantium eſſe propriam eorum qui ſunt mediæ ætatis; docentium, ſenum; parentium, juvenum; diſcentium, juvenum & eorum qui mediæ ætatis ſunt. *Nam qui mediæ ætatis exiſtunt, quales ſunt qui triginta ſex annos exoreſſerunt & nondum ſexageſimum ſunt adepti, apti ſunt ut ſuâ prudentiâ Junioribus cùm belli tùm pacis tempore adſint & quæ ſingulis in negotiis & occaſionib. facto opus ſint moneant & præſcribant. Quapropter qui mediæ ſunt ætatis, idonei exiſtunt ad imperantiũ officio fungendum. Senes autẽ, qui ob defectum ſpirituum ad res laborioſas gerendas inepti ſunt maluntq́; in otio verſari, aptiſſimi ad docendum ſunt; quia ad ſapientiam excolendam otium quoddam deſideratur & experientia multa: illud ſenes ſibi optant, hanc verò ob ætatem ſuam habent. Juvenum eſt parere & diſcere. Nam 1. abundant calore & ſpiritibus, ut labores tolerare, quæq́; præcepta à prudentibus ſunt perficere poſſint. 2. abundat ætas juvenilis calore & per conſequens etiam affectibus & concupiſcentiâ ac proinde indiget ducibus præſcribentibus modos reſiſtendi horum vehementiæ. Utrorumq́; verò & juvenum & mediocrium eſt diſcere. Nam & prudentia in ſcientiâ & ſapientiâ ſuam perfectionem poſitam habet. Id quod part. 2. lib. 1. demonſtravimus. Quare & qui jam prudentes ſunt ad ſapientiam tendunt.*

MEMBR. III.

DE VARIIS GENERIBUS CIVILITER IMPERANTIUM PARENTIUMQUE ET INDE NATIS SPECIEBUS AMICITIÆ.

1. Quam varia ſint civiliter imperantium parentiumque genera

nera ex Rebuſpubl. ſeu formis imperandi parendique in civitatibus videtur hauriri poſſe. *Nam part. 1. oſtendimus, civitatem eſſe quandam perfectiſſimam ſocietatem perfectiſſimum jus continentem, quam propterea reliquæ ſocietates imitantur. Civitas enim tendit ad omne bonum humanum, reliquæ ſocietates ad certum aliquod particulare. v. g. ſocietas iter facientium tendit ad ſecuritatem in itinere; exercitus ad victoriam, ſodalium ſocietas ad voluptates ex cibo potu & converſatione percipiendas: ſed civilis ſocietas non hoc vel illud bonum appetit; verùm utilitatem ad omnem omninò vitam ſeſe extendentem. Civilem ergò ſocietatem velut perfectiſſimam cæteræ imitantur: & per conſequens ſimiles habent parendi & imperandi rationes.*

2. Imperiorum civilium tria ſunt genera: vel enim unus imperat omnibus tanquam in omni genere virtutum excellens, vel quidam ex iis virtutibus quibus reliquos antecedunt, vel viciſſim omnes. *Hinc ſolent politici Rerumpublicarum bonarum tres facere ſpecies, Regnum, Ariſtocratiam, Politiam. De quibus part. ſeq. tradetur.*

3. Has Rerumpublicarum formas imitantur domeſticæ ſocietates. *Nam pater reſpectu liberorum quaſi rex eſt, adeoq́; ſocietas paterna regni ſpeciem præ ſe fert: quemadmodum enim rex omnibus bonis abundans nulliusq́; indigens ſubditorum ſalutem quærit & conſervationem: ita & pater. Viri & uxoris Imperium ſimile eſt Ariſtocratico; quia habent ſuum imperium diviſum ratione virtutum ſuarum & ſingulis propriarum: aliarum enim mas, aliarum fœmina curam habet: ita maritus in parſimoniâ uxoris; uxor in ratione acquirendi mariti imperium audire debet. Fratrum autem ſocietas democraticum imitatur ſtatum: ſunt enim inter ſe æquales, niſi nimia ætatis intercedat differentia. Sed quemadmodum in democratiis nullum propemodum cernitur imperium, ſed facilè in anarchiam degenerant: ita quoq́; comparatum eſt circa fratrum ſocietatem.*

4. Ex hiſce patet tria genera imperiorum civilium eſſe, & proinde tot diſtinctas amicitiæ ſpecies. *Nam prout variant imperantes parentesq́;: ita quoq́; amicitia quæ imperantium parentiumq́; propria eſt: qualis enim eſt ſocietas, talis eſt amicitia eam conſervans: at ſocietas à Republ. ſuam qualitatem habet. Ergò ſpecies Rerumpubl. diſtinguunt amicitiam quæ parentium imperantiumq́; propria eſt.*

MEMBR. IV.

DE AMICITIA QVÆ HERILI IMPERIO INEST.

1. Amicitia eorum, qui heriliter imperant & ſerviliter pa-

riunt nulla propemodum & non niſi ex accidenti eſt. *Nam licet ſint nonnulli homines, qui nullo alio quàm herili imperio regi volunt, nec omne tale imperium tyrannicum ſit & in nolentes: nulla tamen per ſe amicitia inter imperantes parenteſq; intercedit. Cùm enim heriliter imperare ſit parentibus velut inſtrumentis ſuis uti, eademq; dirigere ad ſuum commodum; non ulterius imperans amabit parentes, quàm quemadmodum dominus ſua inſtrumenta, ſcil. dabit operam, ut ſibi ſemper praſtò ſint uſibus inſervientes. Quia tamen his accidit, quod homines ſint, & natura inter omnes homines hanc cognationem conſtituit, ne alter alterum laderet, qui infimus gradus amicitia eſt (Amare enim eſt omnia bona velle; odiſſe, mala velle; interjectum inter hac & ita infimum in amicitiâ nihil mali ſine juſtâ cauſſâ velle) etiam ex accidenti aliquid amicitia intercedit: ſcil. ut dominus ſervos, rex barbarus ſuos barbaros cogitans homines eſſe non nimium gravet laboribus, ſed velut homines tractet.*

LIB. IV.

DE CONCORDIA ET DICORDIA.

1. Quemadmodum in hoc univerſo omnia vel ad ſe invicem vel ad commune & totum quoddam ordinata ſunt: ita quoque in omni ſocietate humanâ ſe res habet, ut ſcil. homines vel ordinentur ad ſe invicem quò alter alteri operetur vel ad commune. Et hinc neceſſe eſt oriri novum amicitiæ genus. *Nam ſi alteri per ſe operari, idq; ex benevolentiâ facere, eſt illud, in quo poſita eſt natura amicitia, & omnes qui in ſocietate ſunt vel ſibi mutuò operantur vel communi: ſequitur peculiare genus amicitia eſſe in hoc poſitum, ut qui in eâdem ſocietate ſunt ducti benevolentiâ erga commune bonum per ſe & illius gratiâ operentur.*

2. Hujus amicitiæ natura ex ſocietate civili addiſci debet. *Nam diximus cap. præced. membr. 3. ceteras omnes ſocietates civilem velut perfectiſſimam imitari: ita enim ſemper comparatum eſt, ut imperfectum id quod perfectum eſt imitetur & hujus aliquam ſimilitudinem pra ſe ferat.*

3. Videtur autem exactior concordiæ cognitio peti poſſe à cauſſis diſcordiarum. *Nam ha ubivis obviam ſunt; quia ita, proh dolor! ſe res habet in vitâ humanâ, ut ſemper plus diſcordia quàm concordia in civitatibus reperiatur.*

4. Diſcordiarum cauſſæ ſunt. 1. ſi qui in ſocietate ſunt diverſa appetunt. 2. ſi eadem quidem appetunt, in conſultationibus verò, quando de mediis deliberant convenire nequeunt. 3. ſi eadem

dem appetentes conveniunt quoque de mediis, ſed quod vi ſuſcepti conſilii perficiendum ſinguli exequi nolunt. Maxima autem naſcitur diſcordia, quando qui in ſocietate ſunt diverſa appetunt. *Nam qui diverſa appetunt nunquam convenire poſſunt: unde fit, ut integra diſſolvatur ſocietas. At ubi appetitio ejuſdem finis eſt, licet quandoq; contingat, cives ductos arrogantiâ, inani gloriâ vel etiam æmulatione diſſentire in mediis eligendis, dum quilibet ſuam opinionem prævalere vult: ſi tamen videant, ſtante diſſenſione, ſe finem ſuum obtinere non poſſe, remittunt tandem de opinione & coëunt.*

5. Omnes autem hæ cauſſæ originem inde habent, quòd homines voluptates corporis, commoda & inanes honores ſibi quærant; moleſtias, damna & ignominiam fugiant & in alios transferre nitantur. *Nam dum hic commoda & honores ſolus aut præ cæteris habere, onera & incommoda in alterum derivare ſtudet; ille itidem: impoſſibile eſt eos convenire poſſe: Hinc licet tendant ad unum finem & elegerint eadem media ad illum ducentia, ſi tamen ſinguli moleſtias fugiunt, decreta nunquam perficientur.*

6. *Quid ergò eſt concordia?* Amicitia civilis in hoc poſita, quòd ſinguli cives idem appetunt, eadem media ad illum finem ducentia eligunt & ſinguli quæ communi conſenſu electa ſunt exequuntur & perficiunt.

7. Hoc amicitiæ genus quammaximè decet Chriſtianos. *Eſt namq; Eccleſia quiddam ex partibus in unum corpus Chriſti coëuntibus. 1. Cor. 12. v. 27. Quemadmodum enim corpus unum eſt & membra habet multa, omnia verò membra corporis unius, multa quùm ſint, unum ſunt corpus: ſic & Chriſtus v. 12. eod. Quapropter jubet Deus Epheſ. 4. v. 3. ſervare unitatem Spiritûs per vinculum pacis: ut ſit unum corpus & unus Spiritus; & ad Philipp. 1. v. 27. ut ſtemus in uno Spiritu. Hoc autem obtinemus, quando mutuò inter nos idem ſentimus ſecundum Jeſum Chriſtum, & unanimiter uno ore glorificamus Deum ac Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Rom. 15. v. 6. Quando namq; ſinguli vivimus in Chriſto & operamur imitantes Ieſum Chriſtum, eadem loquimur & ad idem tendimus, nec unquam inter nos ſunt diſſidia, ſed aptè cohæremus in eâdem mente & eâdem ſententia ut loquitur Paulus 1. Cor. 1. v. 10.*

LIB. V.

DE IIS QVÆ AMICITIAM IMPETIUNT ET INIMICITIAM GIGNUNT.

1. *Hactenus conſideravimus varias amicitiæ ſpecies & unà amabilia quæ gignunt amicitiam: ſequitur ut videamus quæ amicitiam tollant & impediant.*

2. Duæ

2. Duæ ſunt numero cauſſæ tollentes & evertentes amicitiam, nim. 1. ea quæ fugiunt homines. 2. ea quæ negligunt & vilipendunt. *Nam quæ fugiunt homines ea ſublata volunt. Quod autem quis ſublatum vult eſt contrarium amabili, gignitq́ inimicitiam & odium. Quod autem vile eſt id parvipenditur & negligitur, & per conſequens non amatur; quia nemo ſtudet illud, quod contemnit & vilipendit, ſalvum eſſe & omnibus bonis abundare.*

3. Quæ fugiuntur & vilipenduntur ſunt mala: quænam autem ea ſint, ex inſpectione ſingulorum mali generum fit manifeſtum. *Nam cùm tria ſint bona, totidem quoq́ erunt quæ privativè & contrariè his opponuntur: contrariè quidem honeſto turpe & vitioſum, utili damnoſum, jucundo moleſtum opponitur: privativè autem cum honeſto & virtuoſo quod vile, abjectum, plebejum & ſordidum dici ſolet; cum utili inutile; cum jucundo injucundum pugnat. Ex horum numero dico, alia fugi ab hominibus alia vilipendi. Id enim manifeſtum eſt, ſi vel ſola mala, quæ utili opponuntur, inſpiciamus. Nam damnoſa fugimus, inutilia vilipendimus.*

4. Quæ utili & jucundo bono contrariè opponuntur fugiunt homines; non tamen omnia quæ honeſto & virtuoſo contraria ſunt: ſed ea demum quibus nocetur. *Nam non facilè homines oderunt fugiuntq́ prodigum, ſed avarum & injuſtum: hæc enim vitia nocent: illud non item. Licet enim cujusvis hominis ſit, turpia & vitioſa fugere & odiſſe: honeſta quæ ſunt omnibus modis perſequi: communiter tamen ita comparatum eſt, ut homines non oderint vitioſos, niſi quatenus ab iis damnum & læſionem metuunt. Hinc part. 2. demonſtravimus, vitia prodigalitatis, puſillanimitatis, nimiæ lenitatis, adulationis, moroſitatis, arrogantiæ, diſſimulationis, ſcurrilitatis, inſulſitatis &c. nullas publicas pati pœnas. Contemnuntur enim hæc vitia potius quam puniuntur.*

CAP. I.

DE IIS QVÆ ODIUM ET INIMICITIAM GIGNUNT.

1. Tria ſunt quæ odium & inimicitiam pariunt. 1. Turpia & vitioſa quibus hominibus nocetur. 2. damnoſa. 3. moleſta. *Contradiſtinguo autem turpia nocentia damnoſis: quia videmus, in nonnullis vitioſis hominibus magis turpitudinem in odio eſſe, unde nocetur: in aliis non eq́ vitioſitatem cauſſam odii eſſe quàm læſionem ipſam.*

MEMBR.

MEMBR. I.

DE TURPIBUS GIGNENTIBUS ODIUM ET INIMICITIAM.

1. Odium & inimicitiam ſibi pariunt qui quid in conſpectu hominum operantur, ex quo velut ſigno colligi poſſit, eos vitio ad nocendum alliciente nocere. *Nam vitia hominum cerni non poſſunt; ſed ex operationibus velut ſignis colliguntur.*

2. Fugiunt ergò homines & oderunt eos, qui quid operantur, ex quo colligitur, eos injuſtos, audaculos, avaros, iracundos, odia & inimicitias foventes, ingratos erga benefactores eſſe. *Hi namq́, vitiis imbuti aliis nocent, ut ſibi conſulant. Nam injuſti onera & labores boni publici gratiâ ſubeundos à ſe declinant & in alios transferunt; ſibi plus appetunt, aliis minus relinquunt; audaculi & iracundi levem ob cauſſam meditantur vindictam; avari corradunt pecuniam nec accipiunt à quo debebant: ingrati ſua commoda quærunt cum aliorum incommodo.*

3. Cùmprimis autem inimicitiam pariunt ea, quæ injuſtum hominem arguunt. *Nam injuſtitia vitium eſt ſocietates humanas diſſolvens.*

4. Præ cæteris igitur in odio ſunt maledici & quidem in eos, qui ſe defendere nequeunt, abſentes nim. & mortuos, it. falſarii, proditores, hypocritæ, homines perſonati mel in ore fel in corde habentes. *Injuſti namq́, ſunt.*

5. Odium quoque ſibi pariunt qui cum his converſantur & amicitiam colunt. *Nam præterquam quod converſatio ſit indicium morum; dum qualis quiq́, ſit ex ſuo ſocio noſcitur; etiam circa amicitiam & inimicitiam ita comparatum eſt; ut quemadmodum amici noſtri amicus noſter quoq́, amicus redditur; ſic quoq́, noſtri inimici amicus noſter inimicus fiat. Qui ergò familiaris & amicus eſt ejus, quem homines oderunt, etiam ipſe per hoc ſibi odium parit.*

6. Superbia vitium eſt quàm maximè odio expoſitum. *Nam ſuperbi deſpiciunt alios: deſpicientia verò eſt cauſſa iræ & odii. Quâ de re ſuprà, cùm de affectibus ageremus, à nobis dictum eſt. Omnes ergo jactabundi & deprædicantes ſua opera, ambitioſi, altiora loca, primos accubitus amantes, it. benefacta ſua narrantes moleſti ſunt. Deſpicientiam enim quandam ſapit ſua commemorare, quaſi enim aliis nihil inſit boni ſua ſuperbi enarrant.* Et præ cæteris infenſi ſunt qui beneficia exprobrant. *Nam manifeſtè hi indicant, ſe ſuperiores altero eſſe ſeumq́, ſibi obligatum propterea habere velle.*

7. In odio ſunt maximo impudentes. *Preterquam enim quòd vitia in iis inemendabilia ſunt; etiam contemnere & vilipendere alios homines videntur.*

MEMBR. II.

DE

IIS QVÆ DAMNOSA SUNT HOMINIBUS.

1. Damnoſa hominibus ſunt, quæ felicitatem hominum impediunt, minuunt, infelicitatem inferunt, augent ſive in totum ſive in parte.

2. Felicitas hominum conſiſtit in bonis, quæ quisque præ cæteris appetit vel ratione totius vitæ vel ratione partis: *Sic æger ſuam felicitatem poſitam habet in ſanitate, eamq; in parte tantùm vitæ appetit. Quoad totam verò vitam alii appetunt divitias, alii honores, alii ſapientiam, alii voluptates corporis &c.*

3. Bona, in quibus communiter homines poſitam habent felicitatem, ſunt vel externa vel interna, & hæc vel animi vel corporis. Animi bona ſunt virtus & continentia.

4. Virtutes ſemel acquiſitæ corrumpi aut minui non facilè poſſunt: at circa continentes contingit, eos quandoque ab appetitu ſuperari. Quapropter etiam his accidit, ut perſuaſionibus ducantur ad parendum appetitui. Sed qui ejusmodi perſuaſionibus utens à recto tramite continentem ducit in avia plerumque in ejus odium incidit. *Nam in eo, qui continentiæ deditus eſt, appetitu exſatiato redit pœnitentia, oditq; homo ſeipſum ob hoc, quod perpetravit, & proinde etiam eum, cujus perſuaſionibus illectꝰ eſt ad parendum appetitui.*

5. Eſt & hoc odioſum, bona, ex quibus quis ſe felicem æſtimat, deprimere, contemnere, & hoc agere tentare, ne quis ſuâ ſorte ſit contentus. *Nam homines pleriq; vivunt ſuâ opinione, & propterea communiter felices ſunt qui ſuâ ſorte ſunt contenti, & cùm in hac opinione poſitam felicitatem ſuam habeant, videntur imminuere felicitatem, qui perſuaſionibus utentes ejusmodi opinionem evertere nituntur.*

6. Bona, quæ corpori inhærent, ſunt ſanitas, pulchritudo, vita, robur &c. quorum imminutione & ablatione quis redditur odioſus. *Quam enim aliam ob cauſſam carnifices & horum miniſtri exoſi ſunt apud omnes, licet ſine his Reſpubl. eſſe nequeat: quàm quòd profiteantur ejusmodi genus vitæ quod in auferendâ vitâ minuendâq; ſanitate aliorum hominum verſatur?*

7. Bona externa ſunt honor, exiſtimatio, amicorum bonorum copia, bona proles, divitiæ. Horumque acceſſoria ſunt 1. facultas talia bona adipiſcendi. *Nam & hoc bonum eſt.* 2. ſecuritas.

Reddit

Reddit namq; ſecuritas bona externa, quæ amiſſioni obnoxia ſunt, meliora.

8. Odio itaque ſe ſubjicit qui exiſtimationem & honorem alicujus lædit eidem detrahendo: qualis eſt aliquem vitioſum deprædicans, aut talem, qui nihil habeat quod communiter & publicè vel ſeorſim ſalutare hominibus ſit. *Nam honor exhibetur iis, de quibus opinio eſt, quòd ſint virtuoſi vel etiam tale quid habeant, quod communiter omnibus aut ſingulis ſeorſim ſalutare ſit.*

9. Qui facit, ut quis paucos aut nullos habeat amicos, odium illius conſequitur. *Nam felicitas hominum in copiâ & bonitate amicorum conſiſtit.*

10. Pariter & ii ſeſe odiis exponunt qui prolem alterius corrumpunt ratione ſeu animi ſeu corporis. *v. g. ſi filias ſeducant, ut ſordidæ, impudicæ &c. fiant. Nam in prole bonâ & honoratâ conſiſtit hominum felicitas.*

11. Ratione divitiarum infenſi ſunt hominibus qui colunt vitæ genus occupatum in divitiis cum aliorum damno acquirendis. *Nam hi videntur verſari in deſtruendâ hominum felicitate. Hinc apud nonnullos, qui pericula æſtimare nequeunt, in odio ſunt mercatores, dum putantur diteſcere non poſſe, niſi ab aliis hominibus ſibi lucrum parent.*

12. Læduntur autem ratione divitiarum homines ſi ipſa eorum bona, ſupellex, agri, horti, vineæ, ſervi, pecora imminuuntur non modò quoad numerum & quantitatem; ſed etiam quoad qualitatem. *Conſiſtit autem qualitas rerum in utilitate & jucunditate, quæ petitur vel ab ornatu vel à ſplendore vel à voluptatibus, quas corpori humano & ſenſibus præbent. Ad qualitatem quoq; referri poteſt poſſidendi ratio v. g. ſi quis habeat res cum facultate eaſdem alienandi. Quapropter qualitati detrahitur, ſi alienabilia quæ ſunt redduntur inalienabilia: aut ſimpliciter alienabilia, talia, quæ ſub modo tantùm alienari poſſunt.*

13. Haud parum odii ſibi parit, qui facit, ne homines ſecurè ſua poſſidere poſſint. *Nam bona externa ſine ſecuritate ne quidem pro bonis reputanda ſunt. Quapropter graviter lædit humanam felicitatem qui ſecuritatis bonum evertit & deſtruit.*

14. Odio tandem hominum ſe exponit qui tendit ad ea bona, quæ non niſi aliis detracta habere poteſt. *Nam hunc neceſſe eſt felicitatem humanam lædere.* Hûc pertinet qui quærit fructum alieni laboris. *Nam quod alterius eſt eidem detrahit.*

MEMBR. III.

DE IIS QVÆ MOLESTA HOMINIBUS EXISTENTIA INIMICITIAM PARIUNT.

1. Moleſtia jucunditati contrariè oppoſita eſt perceptio malæ & naturæ non convenientis operationis faciens, ne in eâ quis perſiſtat, ſed operari deſinat. *Ita namq; part. 2. lib. 1. moleſtiam definivimus.*

2. *Quænam ergò moleſta ſint, addiſcere poterimus, ſi quænam congrua ſunt humanæ naturæ viderimus. Et quia homo eſt quædam ſubſtantia mobilis, ſentiens & intellectualis, ſingula ordine percurremus.*

ARTIC. I.

DE IIS QVÆ HOMINI MOLESTA SUNT QVATENUS GENERALITER CONSIDERATUR UT SUBSTANTIA MOBILIS SE SUASQVE OPERATIONES PERCIPIENS.

1. Subſtantiæ mobilis ſe ſuasq; operationes ſentientis naturæ conveniens eſt ſentire. 1. ſe eſſe & operari. 2. ſuum eſſe in altero. 3. ſe bonam. 4. gratam mutationem. 5. à laboribus quibus defatigatur quietem. 6. conſuetudini congruentia. 7. libertatem.

2. Impedire ergò alterum, quò minus inchoata perficere & ſuum opus ſentire queat, odioſum eſt. *v. g. ſermones aliorum interrumpere, aut facere, quò minus operæ ipſorum lucem conſpicere poſſint. Nam omnis ſubſtantia cupit ſeipſam & per conſequens ſuum opus ſentire: unde fit, quod incongruum ſit naturæ cujusq; hominis ſe ſuumq; opus ſentire non poſſe.*

3. Odioſus quoque eſt diſſimiles & contrarios cum altero mores habens. *Nam omnis ſubſtantia intellectualis delectatur, ſi ſe in aliis conſpiciat: cujus indicium præbet ſubſtantia omnium perfectiſſima; Deus nim. qui ad imaginem ſuam hominem creare dignatus eſt, & ob hanc eundem in ſtatu innocentiæ maximè dilexit. Quapropter diſſimile quiddam à ſeſe in altero cernere moleſtum & per conſequens odioſum eſt. Hoc communiter non attendentes homines ſuis moribus ſtrictè inhærent, & ita ſibi indulgentes aliorumq; nullam rationem habentes cauſſa exiſtunt diſcordiarum infinitarum.*

4. Per quem alter incidit in inimicitias odioſus ipſi eſt. *Nam cuilibet moleſtum eſt ſentire hominum odia: quia ſuæ bonitatis teſtimonia quilibet in aliis deſiderat, vultq; amari. Quapropter qui cauſſa eſt ut alter in odio vivat, is moleſtus eſt.*

5. In-

5. Indicans aliquo facto, ſe tædio duci ſermonis vel actionum alterius aut ex iiſdem moleſtiam percipere, fit alteri odioſus. *Nam moleſtum eſt ſentire ſe alicui moleſtum eſſe: qui enim ſentit ſe moleſtum eſſe alteri, percipit ſe non benè operari.* Et generaliter omnis corrigens alterum hanc ob cauſſam moleſtus eſt: *quia corrigere eſt ſignificare, alterum non benè operatum eſſe.* Ob hoc etiam omnis temerè contradicens exoſus eſt. *Nam contradicere eſt niti corrigere alterum.*

6. Moleſtus quoque alteri eſt qui eum non honorat. *Nam teſtatur hoc ipſe alteri nihil boni ineſſe: & ita dum alter ſentit ſibi nihil ineſſe honore dignum moleſtiam percipit.*

7. Moleſti etiam ſunt, qui in ſtatu ſuo aliquem detinent, & ne gratam mutationem ſentiat perficere ſtudent. *Nam cùm ſubſtantiæ mobiles in motu ſint, & perfectibiles; ipſarum naturæ congruum eſt ad erectionem in meliorem ſtatum tendere: & hanc qui impediunt, faciunt, ne quod naturæ congruum eſt ſentire poſſint; adeoq; moleſti ſunt.*

8. Sunt & moleſti qui quietem impediunt. *Nam homines fatigantur laboribus & propterea naturâ tendunt ad quietem; quam impedientes faciunt, ut quod ſuæ naturæ congruum eſt ſentire nequeant.*

9. Moleſtiam etiam creant, qui aliquem implicant laboribus, quibus adſuetus non eſt. *Nam cùm conſuetudo ſit altera natura, pugnat quodammodo cum naturâ eiq; congruum non eſt quod contra conſuetudinem eſt, & per conſequens moleſtum exiſtit odioſumq;.*

10. Neceſſitatem alteri imponens moleſtus eſt, eique, cui imponitur, odioſus. *Nam omne neceſſarium & violentum eſt quiddam cum naturali inclinatione pugnans, & per conſequens moleſtum.* Hinc non amatur ſed exoſus eſt qui videtur aliis creare curas, ſtudia, contentiones, labores, aut talia augere. *v. g. qui in cauſſâ eſt, ut occaſio deficiat.* Eandemque ob cauſſam jocis deditum abſtinens & ſeriis implicans exoſus fit. *Nam ſeria non cum libertate omnimodâ aguntur; ſed cogitur qui operatur ita operari quemadmodum negotia exigunt.*

ARTIC II.
DE
MOLESTIS HOMINI QVATENUS SENSUS QVINQVE HABET.

1. Quæ faciunt, ut ſenſuum aliquis non benè fungatur munere ſuo moleſta ſunt. *Nam diximus, generaliter ea moleſta eſſe, quæ naturæ alicujus non congruenter fiunt.*

2. Exhibens alteri objecta ſenſibus non proportionata moleſtus eſt. *Nam ſenſus omnes malè funguntur munere, quando percipi-*

unt objectum ſibi non proportionatum: ita v. g. auditus ſonum nimis acutum, viſus objectum nimis ſplendidum & lucidum, olfactus fœtorem percipiens moleſtiam gignit.

3. Ea quibus defatigantur ſenſus moleſta homini ſunt. *Nam defatigati non benè operantur. v. g. ſi auditus crudo ſono offendatur; aut uniſono. (defatigatur quippe auditus nullam ſentiens varietatem.)*

4. Quæ faciunt ut ſenſus fruſtrà laborent moleſta ſunt. *Nam tunc unumquodq́; benè operatur, quando ſuum finem adipiſcitur; & malè ſi eundem conſequi nequit: ſentiens verò ſe malè operari moleſtiâ afficitur. Sunt autem ſenſus cuiq; animalium ad ſui conſervationem data, ut hiſce percipiant, quid naturæ ſuæ congruum ſit. Sic guſtus cujuſq; animalis datum diſcernere, quid cibi fugiendum aut perſequendum tanquam nutritivæ facultati conveniens. Hinc illa moleſtia, quando pituitâ laborantes diſcernere non poſſumus cibos. Viſus, olfactus, auditus dati ſunt animalibus brutis, ut præſentire ſalutaria & exitioſa poſſint: in hominibus verò habent hunc uſum, ut intellectuali cognitioni adjumentum præbeant.* Quapropter omnes iſti moleſti ſunt qui viſui & auditui quid repræſentant quod percipi nequit: ut quando quis nimis ſubmiſsè loquitur. *Nam fruſtrà tunc laborat auditus. it.* Qui idem ſæpius narrat. *Nam fruſtrà laborat auditus, quando narrata & cognita jam ſunt quæ narrantur.*

5. Viſum offendit deformitas. *Nam quemadmodum pulchritudo parit viſui jucunditatem: ita deformitas moleſtiam.* Eſt autem deformitas quædam diſconvenientia objectorum viſus partim propriorum ut colorum partim communium figuræ ſcil. motûs, quietis, magnitudinis, numeri. Hinc minus amabiles ſunt homines deformes nihilque pulchri habentes. *Et quia deformitas colorum & figuræ à naturâ eſt, danda erit homini deformi, qui vult amabilis aliis eſſe, opera, ut cætera, quæ in motu, inceſſu, geſticulatione deformia ſunt, fugiat.*

ARTIC. III.
DE
MOLESTIS RATIONE PHANTASIÆ.

1. *Phantaſia, ut part. 2. lib. 1. declaravimus, objecta ſenſuum abſentia exhibet & velut præſentia repræſentat. Et propterea præſentium & futurorum eſt, facitq́; , ut quod fuit vel futurum jucundum eſt ſentiatur tanquam præſens. Unde facilè quæ ratione phantaſiæ moleſta ſunt perſpicere poterimus.*

2. Moleſti ergò ſunt qui ſpes recordationesque hominum jucundas turbant. *Nam phantaſia futura & præterita bona objicit &*

& repræſentat tanquam præſentia: unde fit, ut turbantes eam moleſti exiſtant æq; propemodum ac is, qui bonum præſens evertunt. Conſiſtit autem ſpes in phantaſiâ & imaginatione futuri: recordatio, in imaginatione præteriti boni.

3. Moleſti etiam ſunt, qui alicui in memoriam revocant aliquid turpe vel ignominioſum, quod is olim perpeſſus eſt, it. qui expectationem mali alicujus excitant. *Quemadmodum enim imaginatio boni parit jucunditatem æq; ac ipſum fermè bonum: ita imaginatio mali ſeu futuri ſeu præteriti moleſtiam æqualem fermè ei, quam percipimus, ſi nunc ipſum malum patimur.*

4. Sunt quoque moleſti, qui excitant phantaſiam ad repræſentandum id, quod, quando ſentitur, moleſtum eſt. *v.g. ſi quis in convivio diſſerat de iis, quæ guſtui moleſtiam pariunt, excitat in audientibus phantaſiam, ut repræſentet illud ita, quaſi nunc guſtetur: ut hinc nauſea circa præſentes cibos gignatur. Nam phantaſia repræſentat abſentia tanquam præſentia.*

ARTIC. IV.
DE
MOLESTIS HOMINI QVATENUS INTELLECTU PRÆDITUS EST.

1. *Intellectûs operatio conſiſtit in diſcendo & docendo. Unde quid ratione intellectûs homini moleſtum ſit hauriendum eſt.*

2. Moleſtiam itaque creat, qui avidè quid diſcentem *i.e. legentem literas amici vel intentè auſcultantem amico nova narranti,* turbat. *Nam hic diſcenti injicit difficultatem, ut in diſcendo non benè operetur. Sic mathematico moleſtus eſt, qui circulos ipſius turbat; idiotæ, qui eum abſtinet à ſpectandis picturis: ſpectare enim picturas eſt diſcere imitationem illius quod depictum eſt.*

3. Item moleſtus eſt celans hoc ipſum quod alter ſcire deſiderat. *Nam malè operatur intellectus tendens ad cognitionem ejus, quod non addiſcere poteſt.* Hæc cauſſa eſt quare moleſti ſint aliorum auribus inſuſurrantes, vel ita cum aliis colloquentes, ut cæteri, qui præſentes ſunt, hoc quod dicitur intelligere nequeant. *Sunt enim homines novitatum avidi & propterea moleſtiâ afficiuntur, ſi non reſciſcant quod ſcire deſiderant.* Et in ſummâ ſentire errores & ignorantiam moleſtum eſt: *quia hoc eſt ſignum malæ operationis intellectui inhærentis: ſentiunt autem ignorantiam qui audientes alium diſſerentem eundem non intelligunt.*

4. Eſt & decipi moleſtum. *Nam decipi eſt in errorem conjici: errare eſt mala intellectûs operatio.* Hinc in maximo odio ſunt deceptores

ptores & diſſimulatores: *præterquam enim quòd lædant alterum, faciunt, ut is quoq; ſentiat in ſe imprudentiam quandam.*

5. *Altera ſpecies operationis intellectualis eſt docere: & ita mala intellectûs operatio eſt malè docere.* Quapropter moleſtiam percipiunt qui ſentiunt ſe malè docere. *Voco autem docere, intellectui alterius quid cognoſcendum repræſentare.*

6. Moleſti ergò ſunt homines ſtupidi, *it.* qui ſemel dicta non intelligunt & iterum iterumque interrogant. *it.* interrogantes ea, quæ non indigent informatione aut doctrinâ, quales ſunt, curioſi in minutiſſima inquirentes. *Nam hi omnes faciunt, ut quis ſentiat, ſe fruſtrà docere & ita malè operari.*

7. Moleſti quoque ſunt non auſcultantes dictis, aut tædium nauſeamque præ ſe ferentes vel medium diſcurſum deſerentes. *Indicant enim, loquentem & conceptus ſuos aliis communicantem malè operatum: Unde loquenti gignitur moleſtia.*

8. Moleſti etiam ſunt, qui informationem ab altero intempeſtivè deſiderant. *Nam moleſtum eſt intellectui, relictis aliis ſpeculationibus jucundioribus, inania docere. Hinc faſtidium ſui creant qui cum altero colloquentem vel alios auſcultantem alloquuntur, inepta & quæ nullius momenti ſunt rogitantes & explorantes.*

9. Item qui loquentem impediunt, orationem ejus interrumpunt, & quod is narrare cœpit, inutile & jam cognitum dicentes vel ſeſe offerentes tanquam ad finem perducturi quod is narrare cœpit. *Nam ex hiſce omnibus ſentit qui loquitur ſe non benè docere: ſeu cognoſcenda & diſcenda malè narrare.*

ARTIC. V.

DE MOLESTIIS QVÆ CREANTUR HOMINI QVATENUS APPETIT.

1. *Suprà part. 2. lib. 1. dictum eſt, habere hominem ſuum appetitum, quo movetur, eumq; duplicem, rationalem ſcil. & irrationalem.* Quò verò appetitio fiat, neceſſe eſt, dari aliquod bonum ſive ſit reverà tale ſive apparens, quod apprehendit phantaſia vel ab intellectu vel à ſolo ſenſu excitata, & objiciens appetitui eum ad operandum allicit. Unde diſcimus, moleſtam operationem gigni ratione appetitûs, quando bonum, quod appetitur, obtineri nequit.

2. Moleſtus itaque eſt qui impedit alterum in obtinendo eo, quod appetit. *Nam impedire appetentem, quò minus finem obtineat, eſt hoc agere, ut fruſtrà & ita malè operetur appetitus ejuſdem. Hoc verò moleſtum eſt.*

3. Ca-

3. *Cæterum impoſſibile eſt omnia hic enarrare quæ appetuntur ab hominibus, ſed prudentis eſt, adhibere operam in inquirendo, quid quisq; appetat. Quod ipſum fit, ſi attenditur, quomodo moratus & affectus unusquisq; ſit. Quâ de re plura tradentur infrà in materiâ de præſumptionibus. v. g. ſi appareat quem iratum eſſe, moleſtos nos futuros colligimus ultionem impedientes: irati enim appetunt vindictam tanquam bonum ſuum.*

4. Quandoque moleſtus eſt ſuccurrens appetenti, ut finem obtineat, ſi per hoc non eo modo appetens conſequitur bonum quo appetit. *Nam & malè putat quis ſeſe operari, quando non eo modo finem conſequitur, prout eum appetit. v. g. ſolent homines communiter id quod appetunt occultare, & hoc agere, ut illud conſequantur non animadvertentibus aliis. Quod quando fit, moleſtus redditur qui ſcire ſe quod appetit alter indicat. Nam exploratum habere, quod alter occultum eſſe volebat, eſt appetitionem illius malam reddere.*

ARTIC. IV.
DE
MOLESTIIS QVAS HOMINES SENTIUNT RATIONE AFFECTUUM.

1. Sunt nonnulli affectus conjuncti cum moleſtiâ, quales ſunt metus, pudor, ſtomachatio, invidia, ira, æmulatio & miſericordia. *De quibus ſuprà part. 2. lib. 1. dictum eſt.*

2. Affectus cum moleſtiâ conjunctos excitantes moleſti ſunt. *Nam moleſtiæ ad minimum cauſſa remota ſunt.*

3. Inimicitiam ſibi parant iram in ſe concitantes, nec amabiles eſſe poſſunt, quamdiu ira durat. *Eſt namq; ira amicitiæ contraria: quia irati mala volunt evenire ei, cui iraſcuntur, ob vindictam: at amici omnia bona amicis volunt evenire. Movent autem iram.* 1. contemptio. 2. incommodatio. 3. contumelia. *De quibus actum eſt ſuprà part. 2. lib. 1.* Contemptûs ſpecies variæ ſunt quibus quis inimicos ſibi reddit: *v. g.* oblivisci alicujus & nomen ipſius ignorare. *Nam facilè obliviſci eſt alicujus nullam curam habere; hoc autem contemptus quidam eſt. It.* Non dignari aliquem alloquio & congreſſu: circa alios non hunc benè mereri: jocari dum alter ſeria tractat: in præſentiâ alicujus loqui, facere, quæ loquenda facienda non ſunt per reverentiam quam ipſi debemus. it. non curare res adverſas alicujus. it. liberè & confidenter mala alicui nunciare. it. beneficiorum immemorem eſſe, *Nam hæc omnia indicant, quem alterius nullam curam habere.* Incommodationis genera innumera ſunt, nec hic enarrari poſſunt. *Sunt namq; innumera quæ ab hominibus appetun-*

tur: ita ægrotantes ſanitatem, pauperes divitias, amantes præſentiam rei amatæ, ſitientes potum, famelici cibum, bellatores victoriam appetunt. Fit autem incommodatio, quando tendenti ad finem ſuum quis vel non ſuffragatur, vel obſiſtit, ſive directè ſive per indirectum: vel facit, ut is præter opinionem contrarium ejus, quod deſiderat, conſequatur: idq; facit, non ut ſibi aliquid eveniat, ſed tantùm ne alter adipiſcatur. Contumeliæ ſigna ſunt, irridere, ſubſannare, illudere, injuriam ſeu realem ſeu verbalem inferre. *Nam contumelia eſt nocere alteri in iis, in quibus dedecus eſt patienti, ut inde voluptas percipiatur.* Gignitur autem inimicitia eò major, quò minus convenienter id fieri putat qui deſpicitur. *v. g. ſi deſpiciatur dives à paupere, eloquens à rude dicendi, imperans ab eo cui imperatur, exiſtimans ſe dignum imperio ab eo cui ſe imperare poſſe putat, benefactor ab eo cui benefecit. it.* Si contemptus fiat eâ in re, cui quis quam maximè ſtudet, quamque nondum adeptus eſt. *Nam maxima oritur moleſtia, ſi vilipenditur id, per quod magnus & eximius quis eſſe vult. it.* ſi quis alterum contumelioſè tractet præſentibus iis, cum quibus de honore certat, aut quos admiratur & reveretur, aut quibus vult admirationi eſſe aut qui reverentur ipſum. *Moleſtia enim his caſibus gignitur major.* Moleſtus autem eſt non modò qui iram alterius erga ſe, ſed etiam erga alterum concitat. *Nam licet vindicta ſit jucunda, & fortaſſe durante irâ gratus ſit iraſcenti is qui iram concitavit: finitâ tamen irâ, præſertim ſi exceſſus in vindictâ commiſſus ſit: aut durante etiam eâ, ſi ultio difficilis aut impoſſibilis ſit, odium conjicitur in eum, qui hujus moleſtiæ cauſſa eſt.*

4. *Metus itidem affectus eſt cum moleſtiâ conjunctus:* unde minus acceptus & amabilis eſt metum incutiens. Metum autem quis excitat vel erga ſe ut ſcil. ipſe metuatur, vel ut aliquis alius. Qui ſeſe metuendum præbet in odio eſt. *Hinc illud vulgatum:* Quem metuunt oderunt. *Nam metuendum fugiunt homines non modò ut moleſtum, ſed etiam ut nociturum.* In odio itaque ſunt qui ſentiuntur irati vel inimici. *it.* qui læſi poſſunt ulciſci injuriam. *it.* Competitor cum altero in re, quam uterque ſimul habere nequit. *Nam hi ſolent animum lædendi habere. Omnis autem qui vult & poteſt lædere metuitur.* Odioſi autem non modò ſunt qui ſeipſos metuendos exhibent ſed & qui metum, terroremque incutiunt narrantes mala imminere. *Nam ad minimum ſunt moleſtiæ, cum quâ metus conjunctus eſt, cauſſa efficiens & ita tanquam moleſti exoſi.*

5. Sunt & moleſti pudorem excitantes cumprimis apud eos, quos non decet, quales ſunt qui maturæ ætatis exiſtunt. *Nam pudor affectus eſt cum moleſtiâ conjunctus.* Odioſi ergò ſunt narrantes

tes aliquem quid feciſſe, quod indicat vitium cum vilitate vel ignominiâ conjunctum, quale eſt timiditas, intemperantia, avaritia, adulatio, mollities, degener animus. *Nam qui ſentit, ſe pro tali haberi pudore ſuffunditur.* Odium itaque ſubeunt, qui dicunt, Sempronium abjeciſſe clypeum in acie, primum fuiſſe qui auffugit, non interfuiſſe prælio cùm poſſet & deberet, non ultum eſſe injuriam ab hoc vel illo illatam. *Nam hæc timiditatem arguunt.* it. concubuiſſe cum meretrice vel miniſterium turpe præbuiſſe. *Hæc enim arguunt intemperantiam.* it. lucratum à pauperibus, non auxiliatum cùm poſſet, mutuum accepiſſe à vili homine; *quia hæc arguunt illiberalitatem.* it. laudaſſe præſentem, mala alterius obtegiſſe quæ revelare debebat. *hæc enim indicant adulatorem.* it. frigus exiguum, vel illos labores, quos ſenes etiam tolerant, perferre non poſſe. *Sunt enim hæc propria hominis mollis.* His accenſendi etiam ſunt qui in præſentiâ eorum, qui ſe laude dignos putant, & bonum, ob quod alter laudatur, ipſi habere debebant, alios nimium laudant. *Nam in hiſce arguitur degener animus.*

6. Nullus habens talia, quæ ſtomachationem pariunt amabilis eſt apud eos, qui ad ſtomachationem propenſi ſunt. *Nam ſtomachatio eſt affectus cum moleſtiâ conjunctus natus exinde, quod quis alterum reputet indignum bonis quæ is habet. Qui autem alterum indignum exiſtimat bonis, quæ habet, & propterea moleſtiam ſentit, vult ipſum bona, quæ habet, non habere: quod amicitiæ contrarium eſt: utpote quæ in hoc conſiſtit, ut alter alteri velit omnia bona evenire.* Amabiles ergò non ſunt qui, cùm extiterint ignobiles, plebeji & pauperes, nobilitatem, potentiam, divitias ſine ſuo merito conſecuti ſunt. *Hi enim, cùm indigni videantur bonis quæ poſſident, ſtomachationem in aliis hominibus movent. Nova enim quæ ſunt bona non videntur illius, qui eadem poſſidet, adeoq́; ſi nullum ſingulare meritum accedat, ab indigno poſſideri.* Auget malevolentiam, ſi quis ſua bona, quæ nuper adeptus eſt, extollat, & de his glorietur. *v. g. ſi nuper creatus nobilis magnâ cum pompâ ſeſe aliis nobilibus conſpiciendum præbeat, melioribus, quàm hi habent, inſtructus equis &c.* & multò magis, ſi hi, coram quibus gloriatur, ſe ſolos illis bonis dignos exiſtiment. *Nam hi præ cæteris majori moleſtiâ afficiuntur.*

7. Invidiam creantia amorem deſtruunt. *Nam invidia eſt affectus, quo moleſtiam percipimus ex bono quod alter habet. Cui ergò invidemus, ab eo moleſtiam percipimus, eo ipſo, dum ſentimus ipſum bona habere.* In odium itaque incidunt minimeque amabiles exiſtunt qui bona ſua oſtentant. *Nam ſi conſpicienda exhibentur invidiam*

 gignunt.

gignunt. Augetur invidia, ſi quis talia habeat bona, quibus opinio hominum aucupari ſolet, aut ob quorum carentiam homines deſpiciuntur. *Nam ob talia ii, qui ad invidiam diſpoſiti exiſtunt, oderunt; quales ſunt qui ſe bona poſſidentibus ſimiles putant, ſeu genere, ſeu ætate, ſeu habitu, ſeu copiis &c. it. qui ob ſuam felicitatem honorari volunt. it. qui ſibi putant deberi bona aliorum. it. qui olim ea bona, quæ quis facilè conſecutus eſt, multis laboribus acquiſiverunt.*

8. Æmulatio partim gignit partim etiam evertit amorem diverſo reſpectu. *Nam ſi contingat circa ea bona, quæ uterq; habere nequit, gignuntur odia; ſecus ſi bona talia ſint, quæ uterq; ſine alterius detrimento & moleſtiâ habere poteſt. Quem enim æmulamur, ſuperiorem hoc ipſo declaramus, agnoſcere autem alterum ſuperiorem eſt gratum alteri. Sed ſi æmulatio conjuncta putetur ab altero, quem æmulamur, cum detrimento honoris ſui, gignit odium. v. g. ſi plebejus potentem, ignobilis nobilem æmuletur. Hæc namq; æmulatio parit in altero potius ſtomachationem & odium.*

9. Tandem & odioſum ſe reddit, qui immaturè miſericordiam movet. *Nam licet miſericordia bonus affectus ſit, eſt tamen cum moleſtiâ conjunctus, præſertim ſi is, in quo hic affectus motus eſt, aut ob avaritiam nolit egenti ſuccurrere, aut ob defectum facultatum non poſſit: manet namq; in hoc moleſtia cum quâ miſericordia eſt conjuncta. Unde qui hunc affectum movit moleſtus & odioſus eſt.*

ARTIC. VIII.

DE MOLESTIIS QVAS CREANT MOLESTIÆ ALIORUM.

1. Moleſta ſunt hominibus omnia ea, quibus moleſtiam alii indicant. *Ita v. g. moleſti ſunt ejulatus mulierum, fletus infantum: it. moleſtiam creant homines queruli, leves injurias magni æſtimantes it. triſtitiam vultûs, oculorum aſperitatem, intenſam ſuperciliorum gravitatem exhibentes. it. qui nullius defectum tolerare poſſunt. Videtur enim in percipientibus moleſta & triſtia ſe res habere, quemadmodum in iis, qui oſcitantes inſpectant: hi enim trahuntur ad idem faciendum.*

2. Iraſcentes in præſentiâ hominum fiunt odioſi. *Nam iraſcentes moleſtiam, quam patiuntur, produnt deformitate oris, oculorum & totius faciei: quam inſpicere moleſtum eſt. Hinc peccant qui inter convivia liberos aut ſervos coercent & lamentari eos faciunt.*

3. In odio quoque ſunt meticuloſi. *Nam hi indicantes moleſtiam, quam ex metu percipiunt, moleſti ſunt.*

4. Eſt

4. Eſt & moleſtum, alium pudore ſuffuſum videre. *Nam affectus, quando in aliis ſeſe exerunt, in nobis ſimilem gignunt moleſtiam. Exemplum præbent concionatores, qui ob defectum memoriæ hæſitant & orationem abrumpere coguntur: major enim ſæpè apud auditores, quàm ipſum ineptum oratorem moleſtia naſcitur.* Hinc adulatores potentem quendam in faciem laudentes exoſi fiunt; *potenti quidem, quòd huic pudorem incutiant; cæteris; quod pudore potentis ſimilis in hiſce excitetur moleſtia.*

5. Stomachatores quoque moleſti ſunt iis, ob quorum bona ſtomachantur. *v. g. ſi quis dicat, Sempronium non eſſe nobilem & tamen fungi officio, quod ſolos nobiles decet: neceſſe eſt, Sempronium affici moleſtiâ, dum audit ſe indignum bono eſſe.* Aliis autem nonnunquam jucundi ſunt ſtomachantes, iis ſcil. qui & ipſi hoc affectu laborant & juſti volunt videri. *Qui enim ſtomachationi adſueti ſunt cum hiſce lubentes converſabuntur, materiam adepti ſecundum affectum ſuum operandi.*

6. Invidi homines maximè ſunt exoſi. *Non enim tantùm moleſti, ſed & pernicioſi exiſtunt.*

7. Quamvis autem miſericordia ſit affectus cum moleſtiâ conjunctus: non tamen moleſti ſunt miſericordes. *Nam miſericordia eſt affectus quo homines aliis aliis proſunt. Hinc potius in odio ſunt immiſericordes tanquam diſpoſiti ad nemini benefaciendum.*

CAP. II.

DE HIS QVI VILIPENDUNTUR ET IN CONTEMPTU SUNT.

1. Cum his, qui vilipenduntur nemo amicitiam colit. *Nam quem amamus, ejus curam habemus, ut ſcil. omnia bona ipſi obveniant: ſed qui vilipenditur ejus cura nulla habetur.*

2. Vilipenduntur, autem 1. homines aut nullâ in re excellentes & imprudentes, aut ejusmodi vitio laborantes quod contemptum parit. 2. inutiles. 3. nihil jucunditatis habentes. *Nam quæ appetibilia non ſunt vilipenduntur: talia autem appetibilia non ſunt; quia appetendorum privationes ſunt.*

ARTICUL. I.

DE HIS QVI NULLA IN RE EXCELLUNT.

1. Excellere eſt habere quid quod magnum, honorandum, rarumque eſt. Quapropter nullâ in re excellunt qui nihil magni,

honorandi vel rari habent. Unde porrò ſequitur ſigna, quæ indicant, quem nihil magnum honorandum vel rarum habere, facere, ut quis vilipendatur. *Nam diximus vilipendi eos, quibus nihil excellentiæ ineſt.*

2. Viles ergò ſunt qui de eo, quod omnes habent, gloriantur. *Nam qui de eo, quod omnes habent, gloriatur, nihil magnum & rarum habere poteſt: ipſe enim magnum reputat quod tale non eſt.*

3. Item qui nullius rei magnæ curam habent. *Nihil enim magni quis unquam ſine curâ & labore conſequitur. Quapropter ſignum eſt, aliquem nihil magni habere, qui nullius rei magnæ curam habet.*

4. Item qui nullius viri excellentis æmuli ſunt. *Nam æmulando tendere ſolemus ad ea quæ magna ſunt.*

5. Item nemini benefacientes, nec bonum aliquod in commune conferentes, & occaſiones peragendi res memoriâ dignas prætermittentes. *Nam prætermittere occaſiones res memoriâ dignas gerendi arguit, quem nullarum rerum magnarum curam habere: abjectiq; hominis ſignum eſt, datâ occaſione non exercere quæ faciunt ii, qui excellentes & ſuperiores ſunt. Sunt autem excellentium propria beneficia in alios & potiſſimum in totam civitatem.*

6. Item qui nihil agunt eorum, quibus præmia ſunt conſtituta. *Nam præmia rebus magnis & arduis conſtitui ſolent. Qui ergo negligit ea, ob quæ præmia diſtribuuntur, arguit, ſe magnum non eſſe, nec magnarum rerum curam habere.*

7. Item qui neminem ullâ in re corrigunt. *Nam qui nec eum, cujus corrigendi facultatem habet, corrigit, indicium præbet, ſe nolle ſuperiorem & excellentem eſſe: abjecti namq; animi eſt, excellere nolle, ubi poſſis.*

8. Signum porrò vilis hominis eſt incognitum eſſe. *Nam magna honoranda & rara non facilè latent.*

9. Vilem etiam hominem indicat, aures adulantibus præbere, & delectari laudibus eorum, quos nemo laudat. *Nam qui adulatores magnifaciunt produnt ſuam imbecillitatem; quia adulatores mendaces ſunt & fingunt alicui ineſſe quæ non inſunt. Qui verò tales homines quærunt fatentur tacitè, ſe nihil reverà magnum & excellens habere.*

ARTIC. II.
DE
HIS QVI VILIPENDUNTUR OB IMPRUDENTIAM ET STOLIDITATEM.

1. Quinam vilipendantur velut imprudentes addiſcere poſſu-

poſſumus ex requiſitis prudentum. *Nam qui requiſita prudentum non habet imprudens reputatur.*

2. Sunt autem requiſita prudentiæ 1. debitam rerum notitiam habere. 2. rectè & benè conſultare. *Sine his namq; neminem prudentem eſſe patet ex traditis part. 2. lib. 1. Quapropter duabus partibus abſolvemus quæ hoc artic. tradenda ſunt.*

PARS PRIMA

Articuli ſecundi.

DE HIS QVI PRO IMPRUDENTIBUS HABENTUR OB DEFECTUM EORVM QVÆ SCIRE PRVDENTEM DECET.

1. Prudenti neceſſaria eſt cognitio. 1. hominis in genere, qualis ſubſtantia ſit. 2. ſui ipſius. 3. eorum, circa quos agendo verſantur. 4. *rerum in quibus agendo occupatus eſt.*

2. Quod ſcire prudentem decet circa hominem in genere, qualis ſubſtantia ſit, hoc eſt, quòd homo ſit ſubſtantia mobilis fortunæ & caſibus ſubjecta. Hinc imprudentes ſunt qui in ſuis operationib. fortunæ& accidentium nullam rationem habent. *Nam prudentes perpendunt, multum ſibi reſervaſſe fortunam in actionibus humanis; ac proinde in ſuis operationibus ſtudent avertere caſus ſupervenientes, quantum quidem fieri poteſt. Qui autem id non faciunt, ſed rebus agendis affingunt neceſſitatem imprudentes ſunt & vilipenduntur.* Item imprudentes ſunt, qui rebus proſperis ſecuri ſunt, ſuperbiunt, & illa ita habent, quaſi nunquam amittere queant. *Nam prudentes, quibus notum eſt, hominis vitam fortunæ & caſibus variis ſubjectam eſſe, perpendunt, ſecunda non minus diſcriminis habere quàm adverſa: ac proinde rebus proſperis non elati ſunt, ſed ad ferenda adverſa ſe præparant. Hinc qui ſuperbiunt rebus proſperis imprudentes meritò habentur.* Produnt quoque imprudentiam qui adverſam fortunam nimis moleſtè ferunt. *Nam prudens, qui ſcit hominem caſibus ſubjectum & propterea ad caſus varios æquo animo ferendos ſe præparat, non immodico mœrore adverſa patitur.*

3. Imprudens etiam eſt qui ſe ſuoſque defectus ignorat. *Nam prudentis prima cura eſt ſe ipſum noſſe: & primus ad ſtoliditatem aditus eſt defectus ſuos ignorare.*

4. *Quæ ſcienda ſunt de iis, circa quos agendo verſamur & cum quibus converſatio nobis eſt, ex ſignis colliguntur. Quapropter qui vel ex ſignis nihil colligere poſſunt vel colligunt quæ non inſunt prudentium munere non funguntur.* Imprudentes ergò habentur non valentes inqui-

inquirere in animos hominum. *v. g. qui fidem tribuunt iis, a quibus metuendum erat: veluti ſi devictis à ſe quis credit: hi enim metuendi ſunt. it. qui non cognitum inquiſitumq; habent quid ei circa quem agendo verſantur utile vel jucundum, damnoſum vel moleſtum habeatur.* Sed & ii imprudentes ſunt, qui ex ſignis in animos hominum inquirere nituntur, ſed vel bonos concipiunt qui mali ſunt, vel malos, qui boni exiſtunt. *Nam prudentium eſt in talibus non errare.* Hinc non modò vilipenduntur, ſed & in odio ſunt homines pleni ſuſpicionum. *Nam qui ſuſpicionibus laborant non modò produnt ſuam imprudentiam, ſed & odium erga eos fovent, erga quos non debebant. Et proinde ipſi quoq; in odio ſunt. Quapropter qui prudens haberi vult, eum oportet probè inquirere, quo pacto unuſquiſq; ſit animatus: an ex amore vel odio vel ex quo affectu unumquodq; agat.*

5. Eſt & is imprudens qui rerum agendarum imperitus eſt. *Nam prudentis eſt rerum peritiam habere in quibus agendo occupatus eſt.* Hinc imprudens æſtimatur, qui putat in turbido eſſe quod in luce eſt.

6. Et in ſummâ qui non in ſingula cognoſcenda debitâ ratione inquirit imprudens habetur. *v. g. qui famæ & rumoribus nimium credit, vel omnibus quæ homines dicunt.*

6. Is quoque tandem imprudens eſt, qui non in ſingulis intellectum ſuum adhibet. *Nam prudens omnia agit ex judicio intellectûs. Hinc imprudentes habentur præproperè & incogitanter reſpondentes, it. de iis quæ non intelligunt loquentes.*

PARS SECUNDA
Articuli ſecundi

DE HIS QVI IMPRVDENTES HABENTVR, QVOD NON BENE CONSVLTENT.

1. Omnis conſultatio poſita in hoc eſt, ut propoſito aliquo fine quærantur media ad illum finem ducentia, & an hæc poſſibilia ſint perpendantur.

2. Prudentis autem eſt rectè conſultare. Recta conſultatio conſiſtit in hoc, ut finis propoſitus aliquis ſit certus & conſtans in bono vero conſiſtens, & ut quærantur media ad hunc ducentia non quælibet, ſed quæ quamoptimè finem producunt. *Id enim & part. 1. lib. 1. latius expoſuimus.*

3. Imprudens itaque eſt qui ignorat quid velit. *Nam hic nullum habet propoſitum finem ad quem tendat.*

4. Item

4. Item qui nihil liberè vult & conſtanter. *Nam qui nihil liberè vult, nihil ipſe vult ſed intellectu alterius vivit. Et qui inconſtans eſt nullum habet certum ſcopum, ad quem in vitâ tendere poſſit. Sed hic quotidiè novam vitam incipit vivere & ita nullam certam vivit. Prudens autem quæ vult liberè vult & conſtanter.*

5. Imprudentes quoque videntur communiter agentes ea, quæ nullum ipſis commodum, aut quæ plus incommodi quàm commodi afferunt. *Nam hi nullum finem nullum bonum videntur ſibi propoſitum habere.* Quemadmodum & imprudentes habentur qui evitare malum volentes talem adhibent medicinam, cui plus incommodi inſit, quàm malo ipſi quod declinant.

6. Item qui caſu reguntur & fortunâ. *Nam prudens taliter vivit, ut magis ratione regat cuncta, imò ut fortunæ ipſi dominetur.*

7. Item qui ſuſcipiunt ea agenda, quæ in poteſtate non habent. *Nam prudens probè perpendit, an quæ elegit media ad finem ducentia in poteſtate ſuâ habeat.*

8. Tandem imprudens habetur qui vulgus imitatur. *Nam vulgus à prudentiâ longè abeſt & propterea in contemptu.* Ad mores autem vulgi pertinet, vana & inania admirari, trepidare ad prodigia. *&c. Nam cum cauſſas rerum ignoret, cuncta admiratur vulgus.*

PARS TERTIA
Articuli ſecundi.

1. Quinam imprudentes ſint & ob imprudentiam ſuam contemnantur, quantum ad præſens propoſitum ſufficienter enarratum eſt. *Nam omnia imprudentium facta enarrare impoſſibile eſt; ſufficiunt, à quibus licet progredi ad ſimilia.* Sequitur ut de ſtoliditate dicamus.

2. Eſt autem ſtoliditas corrupta in homine judicii facultas, quæ facit, ut, quo ipſo vult fieri magnus & admirabilis, fiat ridiculus.

ARTIC. III.
DE VITIIS CONTEMPTUM PARIENTIBUS.

1. Ut impietas odium, ita ſuperſtitio contemptum parit. *Nam impietas arguit vitioſiſſimum hominem: quemadmodum enim pietas trahit ſecum amorem & dilectionem proximi, ut nemini noceamus; ita contrà impietas omnia vitia, quibus alter alteri nocet. Et ita impii meritò in odio ſunt. At ſuperſtitioſi magis in contemptu vivunt: dum enim vanis & inanibus geſticulationibus cultum exercent deridendos ſe præbent.*

2. Ignavi timidique omnium contemptui expoſiti ſunt: *formidare quippe levia, puerorum; falſa, infantum eſt: Puerilia verò contemni ſolent. Stoliditas etiam eſt, mala imminentia non excutere ſed trepidare; metu ultimæ horæ totam vitam inquietam habere; & inſcium vitæ, mortis timidum eſſe; mortis moras quærere & expectatione illius miſerum eſſe velle. Solent autem communiter pro ignavis haberi ignobili & vili genere oriundi: fortes enim cenſentur creari ex fortibus & bonis. Quapropter ne ita natus in odio ſit, decet eum multa fortitudinis ſpecimina edere.*

3. Intemperantes itidem viles homines ſunt: *Sunt enim ſerviles, quia voluptatibus inſerviunt non fruuntur iisdem: imprudentes etiam ſunt, quia initia morborum & moleſtiarum pro gaudiis habent. Sub intemperantibus comprehenduntur homines impudici item paraſiti: ſunt autem paraſiti viles homines, quia voluptatum quæ ex cibo potuq́ percipiuntur gratiâ adulantur.*

4. Molles quoque & delicati vilibus hominibus annumerantur. *Nam molles qui ſunt, indicant, ſe ad virtutes, quibus excellimus ineptos eſſe. Stolidi etiam ſunt qui moleſtiam ſibimetipſis augentes, fingentes, præcipientes, querelas movent, leve frigus, calorem ſolis anxiè fugiunt, creduntq́ intoleranda ad quæ tantùm imbecilli ſunt; qui deliciis permadentes omnia difficilia reputant, qui omnem motum moleſtiam judicant, ſemper quieſcere volentes; qui de rerum, quibus carere nequeunt, fugâ deliberant; quibus labor & induſtria pœna eſt.*

5. Avari non modò in contemptu ſed & odio ſunt. *Dum namq́ avari neminem beneficio afficiunt, nihil excellens agunt, & ita pro vilibus reputantur: ſunt quoq́ imprudentes; quia indigent omnibus, nullâ re uti norunt, & bona poſſidentes habentur potius quàm habent. Has ob cauſſas ergò in contemptu ſunt: ſed & odium ſibi pariunt ea, quæ aliorum ſunt, aufferentes. Id quod ſuperius demonſtravimus. Quapropter amabiles non ſunt operoſam aliquam vel ſordidam artem pecuniæ acquirendæ gratiâ tractantes; item qui nil niſi fructuoſa poſſidere volunt, ad ornatum facientia negligunt.*

6. Qui contra magnificentiam peccant pro ſtolidis habentur. *Nam quid deceat perſpicere nequeunt, &, dum magnum quiddam & admirabile facere nituntur, deridendos ſe præbent: hoc autem ſtolidum eſt.*

7. Puſillamini viles homines ſunt. *Nam neceſſe eſt eum ab aliis pro vili homine haberi, qui nullis ſeſe honoribus dignum putat.* Sunt autem puſillanimi, qui ſemper ibi ſunt, ubi infimum obtinent locum; qui patiuntur ſe ab omnibus corrigi, fœminarum viliumque perſonarum imperium audiunt, & toti ad nutum aliorum vivunt.

Nam

Nam nihil excellentiæ habent qui ſemper inferiores ſunt; nihil prudentiæ qui aliorum ductu vivunt. His annumero ſectantes id, quod cum hac vitâ exſtingvitur. *Nam beſtiæ vitam vivit qui non poſt mortem vivere ſtudet: & ita viliſſimus homo eſt.*

8. Adulatores viliſſimi homines ſunt. *Nam adulator in omnibus oſtendit ſe inferiorem, alterum verò excellentem & ſuperiorem etiam in iis, in quibus non eſt. Hoc autem hominem vilem & abjectum reddit. Id communiter ignorantes homines, dum volunt amabiles eſſe, faciunt, ut tædioſi fiant, & negligantur: v. g. dum nullâ in re contradicunt, ſi ais ajunt, ſi negas negant, & omnia ſupra modum in præſentiâ laudant.*

9. Abjecti vileſque ſunt ſcurræ. *Nam qui intempeſtivè rident, & hoc tantum agunt, ut ridiculi fiant etiam cum contemptu & ignominiâ ſui, omnibusq́ ſeriis jocos immiſcent, in contemptu ſunt.*

10. Amabiles non ſunt mendaces. *Nam qui lucri gratiâ mentiuntur, ut falſarii & injuſti; qui honoris cauſâ, ut arrogantes in odio ſunt; qui nullius gratiâ id faciunt, ut vaniloqui & imprudentes contemnuntur.*

11. Degeneres in contemptu vivunt. *Nam degeneres ſunt qui ſe exhibent majoribus ſuis indignos, ac propterea in majori contemptu ſunt, quàm alii virtutibus deſtituti: fœdius enim eſt retinere non poſſe quod quis a majoribus ſuis habet, quam non poſſe acquirere quod natura non dediſſe videtur.*

12. Viles quoque reputantur qui cum vilibus converſantur. *Nam noſcitur ex ſocio qui non cognoſcitur ex ſe.*

13. Tandem & nimia familiaritas cum iis, cum quibus honeſta non poteſt coli amicitia, contemptum parit. *Nam rara homines magnifaciunt, quotidiana vilia reputant.*

ARTIC. IV.
DE
HOMINIBUS QVI TANQVAM INUTILES CONTEMNUNTUR.

1. Inutiles aliis reddit partim ignorantia partim negligentia. *Nam utilis qui eſſe vult debet non modò noſſe, quânam in re poſita ſit cujusq́ felicitas, quaq́ ſint media eandem acquirendi, ſed & curare talia ut adſint.* Quapropter inutilis eſt qui quânam in re poſita ſit ſingulorum hominum felicitas ignorat, aut ſi ſciat non tamen curam illius parandæ habet.

2. Vilipenduntur ergò qui omnia ſui gratiâ faciunt. *Nam hi aliorum felicitatem negligunt.*

3. Item qui parum de aliorum felicitate ſolliciti ſunt. *Nam qui ſollicitus non eſt de aliquâ re, is eam ignorare videtur.*

4. Item qui de utilibus loqui & diſſerere nequeunt. *Nam de aliquâ re diſſerere & loqui non poſſe ſignum ignorantiæ eſt. Ignorantia autem utilium facit, ut quis inutilis ſit.*

5. Contemnuntur non modò ſed & ſtolidi reputantur qui, dum utiles eſſe volunt, nocent. *Nam hi ſuam produnt imprudentiam.* Hinc inepti laudum deprædicatores tanquam ſtolidi negliguntur: *dum enim his, qui in honore felicitatem poſitam habent, prodeſſe volunt, nocent.*

6. Tandem vilipenduntur qui nulli ſua officia unquam exhibent, nemini benefaciunt, nullius negotia gerenda ſuſcipiunt, commoda non quærunt, mala non avertunt. *Nam hi nullam alienæ felicitatis curam habent.*

ARTIC. V.
DE
IIS QVI NON SUNT JUCUNDI.

1. Sunt nonnulli homines non quidem moleſti aliis, minus tamen jucundi: hi vilipenduntur, quemadmodum moleſti in odio ſunt. *Nam quod appetibile non eſt negligitur.*

2. Negliguntur ergò & parvifiunt qui nec facetias ſuſtinere, nec eleganter laceſſere, nec decentes ludos tractare poſſunt. *Nam converſationem cum hominibus innocui joci & ludi jucundam reddunt: quibus deſtituti negliguntur.*

3. Item qui nullam ſpem boni hominibus facere, nihilque jucundi in memoriam revocare norunt. *Multum enim jucunditatis in bonorum ſpe & jucundâ recordatione poſitum eſt: quam qui excitare ignorat negligitur.*

4. Item qui nullas res olim geſtas recitare poſſunt. *Nam diſcere jucundum eſt, & contra nihil habere quod communiter homines diſcere poſſint injucundum.*

5. Item qui aliorum opera ignorant vel non curant. *v. g. qui cum milite converſantur & res geſtas ipſius ignorant: aut cum erudito, & ſcripta illius non legerunt: it. qui cum liberis alicujus non loquuntur: ſunt enim liberi parentum opera, & cuilibet jucundum, ſuum opus magnifieri.*

6. Item qui nullum amoris & honoris edunt ſignum. *Nam cuilibet jucundum eſt amari & honorari.*

7. Qui correctionem & emendationem deſiderantes non debitè corrigunt quoque viles habentur. *Nam omnibus jucundum eſt ſentire ſe in meliorem ſtatum translatos: hi ergò, à quibus id obtineri nequit, jucundi non ſunt.*

LIB. VI.

DE
COLENDA AMICITIA ÆQVALI.

1. Æqualis colitur amicitia, ſi æqualia mutuò retribuuntur. *Nam æqualis amicitia eſt inter æquales. Quapropter & æqualia retribui debere videntur, ne querelæ naſcantur: æquales enim niſi æqualia accipiant querelas movent tanquam injuſtum perpeſſi.*

2. Verùm dicere quomodo in omnibus ſpeciebus æqualis amicitiæ æqualia ſint retribuenda, ne querelæ naſcantur, fortaſſe ridiculum eſt: *quia in honeſtâ æqualium amicitiâ, licet non paria retribuantur, nullæ querelæ audiuntur: ſtudet enim vir honeſtus alterum ſuis ſuperare beneficiis, & propterea gratum ipſi eſt, ſi videat, ſe ſuperiorem eſſe benefaciendo.*

3. Quapropter de Amicitiâ honeſtâ non diſſeremus, quomodo ſit colenda, ne querelæ oriantur & ut diuturna ſit: ſed hoc agemus, ut quædam idea honeſtam amicitiam colentium, horumque requiſita tradantur. *Nam nihil eſt, quod amicitiam honeſtam diſſolvere poſſit, niſi quando qui virtuoſus eſt redditur vitioſus. Quamdiu enim in colentibus amicitiam honeſtam manet virtus, impoſſibile eſt ullam querelam oriri: quia ut modo diximus, alter alterum beneficiis ſuperare ſtudet. Quòd ſi labatur amicus, & de virtute remittat, alter eum erigere ſtudet. Nam viri boni honeſtatem quammaximè amantes ſtudent omnibus modis in eâdem conſervare amicum. Adeoq; nihil de amicitiâ honeſtâ conſervandâ, ne diſſolvatur & intereat, dici poteſt, niſi hoc; ita quemq; vivere debere ne inemendabilis appareat, ſed corrigentem amicum æquo animo audire.*

CAP. I.

DE
COLENDA AMICITIA HONESTA, QVAM PERFECTAM SUPRA ESSE DEMONSTRAVIMUS AMICITIAM.

1. *Eu proh dolor! eſt imbecillitas humana, ut docentes cultum honeſtæ amicitiæ ſomnium quoddam narrare ipſis videantur. Et hoc eò magis dolendum, id etiam inter Chriſtianos contingere. Sed piorum hominum eſt, iſta non curare, & quò magis caritas inter homines hiſce noviſſimis temporibus riguit, eò magis huic fovendæ operam dare. Quapropter licet hæc videantur à ſtudio Juriſperitorum aliena, & ſi hæc, quæ nunc de honeſtâ amicitiâ dicturi ſumus cæperint obtinere, nullus rabularum vel obolum ex ſtudio ſuo acquiſiturus ſit: quia tamen ſpeculatio nos ita ducit, ut*

ut unumquodq; prout eſt, tradamus: cogimur ita, ut facere cœpimus, progredi, &, ſeu legantur ſeu negligantur quæ ſcribimus, nihilominus officium viri boni & veritatem amantis facere.

2. *Primò ergò de honeſtâ amicitiâ ita diſſeremus, quemadmodum ex lumine naturæ philoſophus lumine revelationis deſtitutus id faceret; deinde de Chriſtianorum amicitiâ velut longè perfectiori acturi ſumus.*

MEMBR. I.

DE COLENDA HONESTA SEU PERFECTA AMICITIA, QVALITER ID SVADET RECTA RATIO LUMINE REVELATIONIS DESTITVTA.

1. Quò de colendâ honeſtâ amicitiâ ita, quemadmodum decet, diſſeramus, cogimur præmittere, quænam ſint requiſita honeſtam amicitiam colere volentium. *Nam fruſtrà tentabit hanc amicitiam niſi qui requiſitis neceſſariis inſtructus eſt.*

2. Principale autem requiſitum perfectæ amicitiæ eſt, ut quis ſeipſum quammaximè amet. *Nam ſummus amor eſt amare alterũ ut ſeipſum. Qui ergò ſe non ſatis amat, nec amicum ſufficienter amabit.*

3. Quapropter inquirendum eſt, quisnam ſit ille amor quo naturaliter unusquisque ſeipſum proſequi debet. *Nam cùm amor ſuiipſius ſit principium amicitiæ perfectæ & æqualis: danda opera eſt, ne hoc lateat. Si enim in principio ſit erratum, errabitur quoq; in toto.*

ARTIC. I.

DE AMORE SVI IPSIVS PROVT HVNC VVLGVS HOMINVM DEFINIT.

1. In definiendo amore ſuiipſius vulgus cum ſapientibus convenire non poteſt. *Nam amare eſt velle alicui omnia bona evenire & horum effectorem eſſe. Ergo amare ſeipſum eſt ſibi cuncta bona evenire velle, & hæc ut contingant, pro poſſe effectorem eſſe. At quæ bona ſunt vulgo, ſapientibus non ſunt: ergò nec quæ ſibi ſapiens optat appetitq;, optabit appetetq; ſibi vulgus: & per conſequens ſeipſum amare aliter vulgus aliter ſapientes definiunt. Vulgus autem hominum voco omnes, qui ſapientiâ non reguntur.*

2. Quin nec vulgus inter ſe convenit de bonis definiendis: *alii enim divitias, alii honores, alii voluptates corporis, plerię; autem has, tanquam omnium rerum optimas, appetunt.*

3. *Hinc homines, prout communiter vivunt, alii definiunt ſe quammaximè amare,* ſibi ingentem divitiarum copiam; *alii,* ſummos

mos honores; *alii*, voluptates corporis, ut quotidiè in delitiis vivere poſſint, parare. *Nam hæc ſunt quæ vulgus hominum tanquam optima concupiſcit.*

4. Itaq; ex mente vulgi amare quammaximè ſeipſum eſt ſuis cupiditatibus, affectibus & concupiſcentiis obtemperare, nec cuiquam hac in re cedere. *Nam cedere hac in re alteri ſtolidum putant: quia ſtolidus ſe & ſua commoda negligere videtur.*

5. Hic amor ſui, prout à vulgo definitur, nullam gignit amicitiam, ſed parit inimicitiam cum aliis hominibus. *Nam vitioſis ſuis cupiditatibus obtemperantes, & divitias, honores, voluptatesq; corporis in infinitum appetentes, aliis hominibus nocent. v. g. appetentes ſupra modum divitias avaritiæ vitium contrahunt, & furta, rapinas, latrocinia hisq; ſimilia delicta committunt, injuſti quoq; fiunt, & homines in contractibus lædunt, fœnus improbum exercent, falſum comminiſcuntur, quò lucrum conſequantur, injuſtas advocationes præbent, malè judicant &c. Voluptatibus corporis dediti redduntur intemperantes, adulteria, ſtupra committunt, pudicitiã honeſtis feminis vel fraudulentis perſuaſionibus vel per violentiam adimunt: matrimonia turbant & infelicia reddunt. Honores affectantes fiunt arrogantes & injuſti, honores, quibus digni non ſunt, affectant, & alios digniores in iis conſequendis impediunt. Et in ſummâ ex amore ſuiipſius, prout communiter definitur, omnia illa delicta naſcuntur, de quibus exſtirpandis omnes vel pleraſq; civitates ſollicitas eſſe præced. part. diximus. Patet ergò, eum, qui eo amore ſeipſum amat, quo vulgus, nemini amabilem, ſed cæteris hominibus totiq; civitati exoſum fieri, talemq; ſe exhibere, ut è medio removendus ſit, ſi felix ſocietas eſſe velit.*

6. Quin qui hoc amore ſe perſequuntur ſibi ipſis infenſi & inimici iſto amore fiunt. *Nam quando, qui perfectè improbi, vident, ſe, dum nimium ſectantur voluptates corporis, vilipendi & contemni, dumq; aliorum facultatibus & honoribus inſidiantur, in odio hominum eſſe, & ſemetipſos hujus odii cauſſas ſibi exiſtere, in ſemet tanquam principium ſui mali odium conjiciunt. Mala namq; conſcientia eos lacerat & torquet, & in tales redigit anguſtias, ut ſeipſos fugiant, & interdum planè è medio removeant. In imperfectè improbis, quales ſunt incontinentes, perpetua voluntatis & appetitûs pugna deprehenditur: quod enim ex cæco erga ſe amore concupiſcunt, hujus contrarium volunt: intellectus enim exſatiato appetitu ſuperveniens & quæ agenda ſint bona dictitans oſtendit, non verum ipſos bonum perſecutos eſſe, ſed quod reverà damnoſum eſt.*

7. Nec obſtat, improbos plerumque quærere amicos, cum quibus totos dies conſumant. *Nam id faciunt propterea, quòd ſeipſos*

fugi-

fugiant. Dum enim ſoli ſunt conſcientia horrenda & gravia ipſis objectat crimina, quæ commiſerunt, quibus ut obliviſcantur, aliorum converſationem quærunt. Quin non poſſunt cum amicis conſtantem fovere amicitiam: quomodo enim qui ſecum ipſis non conveniunt cum aliis concordes vivent? Quemadmodum ergò altera pars animæ rationalis ſcil. triſtatur repreſſa à concupiſcentiâ, altera voluptate afficitur ex propriis actionibus: ita & amicorum & ſimilium malæ actiones partim placebunt partim etiam diſplicebunt. Unde nihil conſtantiæ amori ineſſe poteſt. Ex his apparet, eos qui amorem erga ſeipſum taliter definiunt, qualiter vulgus hominum ſolet, & ſui & aliorum inimicos fieri.

ARTIC. II.
DE
AMORE SVI IPSIVS, QVALITER HVNC SAPIENTES DEFINIVNT.

1. Sapientes amorem ſui planè aliter ac vulgus definiunt. *Nam dum ſeipſos quammaximè amant, concupiſcentias pecuniæ, honorum, voluptatum corporis fugiunt & compeſcunt: juſtitiam enim, temperantiam, fortitudinem, liberalitatem &c: ſectantur & ob has virtutes ſibi ipſis cari fiunt.*

2. Scil. ſapientes amant ſeſe quatenus intellectu, quæ dominans in homine pars eſt, præditi ſunt; vulgus quatenus facultatem quandam irrationalem habent, cujus opus naturaliter eſt ſervire. *Nam perpendunt, unumquodq́ ſecundum id maximè eſſe & vivere, quod præcipuum in ipſo eſt: quemadmodum tota civitas vivit & ſalva eſt per præcipuam ſui partem, penes quam eſt* τὸ κῦϱιον: *deſtructo quippe eo, quod præcipuum eſt, totum ſalvum eſſe nequit. Ac proinde quaſi homo mens ſit ita vivunt. Et rectè; quia quæ operatur intellectus hæc homo cenſetur egiſſe: ſi integer eſt & benè ſe habet, ipſe homo benè operatur, ſi vitiis corruptus & inquinatus, ipſe homo malus eſt. Cùm ergò homo intellectu ſuo ſit homo, ratione appetitûs beſtia quædam: ſanè ſi ſe amare velit, non ratione appetitûs, ſed ratione intellectûs id facere debet.*

3. Hinc ſi ſapiens ſe quammaximè amat ex judicio vulgi ſe odiſſe videtur. *Nam concupiſcentias ſupprimit & iisdem nullum locum relinquit: divitias & honores voluptatesq́; corporis ſpernit, ut virtuoſè vivat: vitam ipſam floccipendit, ſi datur occaſio honeſtam mortem oppetendi. Unam enim honeſtam actionem & pulchram præfert longiſſimæ & omnibus copiis inſtructæ vitæ.*

4. Sed hic amor ſui nullam apud alios gignit inimicitiam. *Nullus enim hominum anſam habet odio proſequendi eum, qui divitias vilipendit, pro patriâ mortem ſubit, & omnibus benefacere appetit.*

5. Fir-

5. Firmiſſimæ potius amicitiæ principium & cauſſa eſt. *Nam qui patriæ & amicorum cauſſâ paratus eſt mortem etiam ſubire, & pecuniæ, honorum, omniumq; bonorum, de quibus homines ducti concupiſcentiis ſuis concertant, jacturam facere, modò amicis benè ſit: (id enim facere honeſtas exigit) profectò perfectiſſimam & conſtantiſſimam colent amicitiam. Vir namq; bonus & honeſtus ſe plurimum lucratus arbitratur, ſi amico benefacit, & pro eodem bona ſua profundit; & dum videtur amico plus dare ſibi minus relinquere; ſibi plus dat, amico minus. Nam honeſtum ipſe lucratur, amicus pecuniam. Honeſtum vero bonum omnia reliqua excedit & ſuperat.*

6. Eſt quoque hic amor ſui conſtantiſſimus. *Nam virtuoſus velut habitu inſtructus à ſuis actionibus præclaris ſe dimoveri non patitur: nec ipſum unquam actorum pœnitere poteſt.*

7. Idem hic ſui amor integras civitates omnemque humanam ſocietatem conſervat. *Facit namq;, ut omnibus præſtò ſint bona; quia ejuſmodi amor ſui nullum alium ullo bono deſtitui permittit quod quidem alter alteri poſſit tribuere.*

ARTIC. III.

DE AMICORUM HONESTORUM ET PERFECTAM AMICITIAM COLENTIUM SVAVISSIMA VITA.

1. Eſt quidem ſapientis & boni viri vita quoad ſe ſuaviſſima & jucundiſſima. *Nam vir ſapiens & bonus. 1. ſemper eadem appetit & nunquam à ſeipſo diſſentit, ac proinde nihil moleſtum ex pugnâ quâdam in ſe ſentit. 2. quæ vera bona ſunt ſibi appetit, & nunquam in bonis quæ perſequitur ſe deceptum deprehendit: unde ſequitur & quoad hoc omnem moleſtiam abeſſe: quæ enim in ſpeciem bona ſunt mala ſiunt errore deprehenſo. 3. ſui & non alterius gratiâ operatur; quia qui appetitui operatur beſtiæ inſervit, quod moleſtiſſimum eſt; at qui vivit intellectui ſibi vivit: ſecundum intellectum namq; quiſq; eſt id quod eſt. 4. quin totum ipſius eſſe videtur bonum eſſe; quia dum mens ipſius bona eſt, homo verò ſecundum mentē eſt id quod eſt, totum hominis ſapientis & virtuoſi eſſe bonū videtur. Si ergò bonum obtinere jucundum eſt, ſecundum ſuum eſſe id obtinere perfecta erit jucunditas.* Hinc fit, quod vir ſapiens & honeſtus cupiat ſemper ſecum eſſe & vivere. *Nam jucundiſſimum ipſi eſt, ſe talem ſentire, qualis eſt. Scil. quando ſecum revolvit quæ honeſta egerit quæ agenda reſtent; ſentit recordationem rerum actarum optimarum & ſpem ſimilium futurarum: id quod jucundiſſimum eſt. Si nihil ſit, in quo aliis ſuas virtutes oſtentet, ſecum habitat contemplando, excitans mentem, ut rerum*

plurimarum & abſtruſiſſimarum perceptiones, quibus abundat, recolat. Quo ipſo ſibiipſi ſit admirabilis, & maximè jucundus.

2. Hanc tamen ſuam ſvaviſſimam vitam cum amico colere exoptat. *Nam omne bonum communicativum ſui eſt: & quemadmodum Deus, licet ex ſe optimam & ſuaviſſimam vitam vivat; ſuam tamen bonitatem communicat aliis: ita & cum viro bono & honeſto comparatum eſt. Unde fit, ut vir ſapiens & honeſtus deſideret amicum erga quem animatus ſit ita, ut in ſeipſum. Neq; enim cum vulgo exiſtimandum eſt, eum tantùm amicos quærere oportere qui eget: vulgus quippe ex utilitate amicos æſtimat. Si namq; nulla alia eſſet cauſſa, ob quam quærendi eſſent amici, quàm ea quæ vulgus hominum movet, omnem amicitiam negligeret vir beatus: ſuis enim hic bonis contentus vivit, nec lucri captandi gratiâ cuiquam adulatur; omnem verò adventitiam voluptatem reſpuit, quia ex ſuis ſpeculationibus ſummam jucunditatem percipit.*

3. Videntur autem tria eſſe in quibus cultus amicitiæ honeſtæ conſiſtit. 1. ut habeat vir bonus & ſapiens circa quem optimè operetur. 2. ut præſtò ſit ex cujus operationibus bonitas ipſius augmentum capiat. 3. ut honeſta agi ſemper cernat. 4. ut in altero ſeipſum intuetatur. *Ad hæc quatuor capita referri poſſe ea, in quibus honeſtorum virorum amicitia conſiſtit, ex modò dicendis patebit.*

4. Virtutes itaque morales vir bonus circa amicum ſuum ſummâ cum jucunditate exercet. *Nam cùm honeſto viro jucundum ſit pro aliis mori, tum maximè jucundum erit fortiter pro amico ſuccumbere. Si jucundum eſt viro bono liberalem eſſe & hominibus benefacere; tum maximè jucundum erit viro bono, de ſuo amico optimè mereri: utpote quem ſcit beneficiis eſſe digniſſimum. Licet enim liberalis propterea ſe non oderit, quod quandoq; indigno dederit: non tamen æq; jucundum eſt indignis quàm digniſſimis donare & beneficia exhibere. Si temperantem eſſe jucundum eſt, maximè jucundum viro bono exiſtit, temperantiam in gratiâ amici exercere, v. g. abſtinere à ſuaviſſimis cibis, quò amicus his veſcatur, it. parcè & duriter vivere, quò amico ſuppetant quibus ad vitam opus habet.*

5. Ita cum ſuo amico converſatur, ut ex illâ converſatione melior reddatur. *Nam ex converſatione cum amico ſapienti & bono quotidiè quis melior redditur: vel enim in rebus abſtruſiſſimis aliquam reperit cauſſam eamq; communicat: unde ſapientiæ oritur augmentum, & hinc ſumma ſentitur jucunditas. Nam cùm diſcere aliàs jucundum ſit, tum vel maximè ſapienti jucundum eſt. Quoad mores verò capiunt augmentum, dum ſecundum virtutes morales quotidiè operantur, & alter ex alterius pulchris operationibus mutuâ æmulatione perficitur; aut ſi quâ in parte erratum ſit, alter alterum corrigit: ea namq; quisq; imitatur quæ in*

altero

altero probat, ea quæ improbat corrigit. Nam in altero quid non deceat cernere, quàm in ſeipſo facilius eſt. Atq; ita ſummè jucundum eſt ope amici in bono quotidiè perfici.

6. Eſt & hæc pars vitæ ſuaviſſimæ, quam colunt honeſti amici, honeſta & pulchra perpetuò intueri. *Quemadmodum enim amatores perpetuò cum amaſiis vivere volunt, nullam interdum aliam ob cauſſam, quàm ut aſpectus pulchritudinis ſummam ipſis jucunditatem tribuat: ita imò longè magis jucundiſſimum eſt hominibus ſapientibus & bonis honeſtas actiones animo cernere. Quod enim eſt pulchritudo corporis reſpectu viſûs, hoc eſt honeſtas & virtutum cultus reſpectu animi alicujus ſapientis. Eſſe ergò ſapiens & bonus cum amico ſuo honeſto perpetuò vult, ut in eo quotidiè honeſtas & præclaras conſpiciat actiones. Ut enim muſicus quotidiè harmoniam ſuavem deſiderat, diſſonantiam tolerare nequit: ita vir ſapiens & honeſtus eligit alium harmonicè i. e. ſecundum virtutes & mediocritatem viventem & hunc inſpicere avet: vitioſè operantes fugit.*

7. In hoc autem poſita eſt maxima, quæ ex æquali & honeſtâ amicitiâ percipitur, jucunditas, quòd alter in altero ſeipſum conſpiciat. *Viri enim beati vita eſt ſecundum virtutes operari, & hæc operatio quammaximè delectat virum bonum & ſapientem. Sed quemadmodum difficile eſt de ſuâ pulchritudine judicare & ex eâ delectationem capere, niſi ſpeculum præſtò ſit, in quo eam perpetuò intueri liceat; aversâ enim à ſpeculo facie, obſcura admodum ſupereſt imago; potentior namq; eſt phantaſia, quando præſenti aliquo ſenſu operatur: ita quoq; ſe res habet circa pulchras & præclaras actiones, in quibus vita hominis ſapientis & boni conſiſtit: alterum enim quisq; facilius quàm ſeipſum & illius actiones quàm ſuas cernere poteſt. Jucundiſſimum ergò eſt ſapienti ſeipſum in ſuo amico intueri. Nam omnis jucunditas in eo poſita eſt, ut percipiamus noſtras operationes; intelligere enim jucundum non eſt, niſi intelligamus nos intelligere; nec ſentire, niſi ſentiamus nos ſentire: ita operari ſecundum virtutes non eſt jucundum niſi noſtras virtuoſas operationes percipiamus. Si ergò percipere ſe benè operari eſt jucunditas, & in amico ſuo vir bonus percipit ſuas operationes bonas, in quibus felicitatem habet poſitam; ſequitur viri boni & ſapientis jucunditatem & ſuavem vitam in amici ſui vitâ poſitam eſſe.* Duobus autem modis vir bonus in amico ſuo ſe felicem & beatum bonaque operantem conſpicit, 1 dum amicus æqualis eadem facit quæ ipſe: ſe enim videt operantem dum amicum intuetur. 2. dum in amico ſuum opus videt, idque itidem duobus modis: vel enim perfectiorem eum in virtutibus ex converſatione ſuâ, vel auctum ſuis beneficiis & ita ſuâ operatione feliciorem

rem redditum cernit. *Quando autem ſuas virtuoſas operationes vir bonus in alio videt, ſeipſum videt. Nam honeſti viri eſſe & vivere eſt virtuoſè operari.*

8. Hæc eſt illa perfectiſſima amicitia quam homines vel ſolo lumine naturæ ducti colere, quamque inter ſe foventes feliciſſimè vivere poſſent. Sed ea eſt naturæ humanæ corruptela, ut ſurdis narretur fabula, & quod dolendum eſt, ipſis Chriſtianis etiam ſomnium. *Neq; enim dubito, quin multi dicturi ſint, me hic Ariſtotelis ſomnium recitare. Tanta ſcil. eſt corruptio hominis, tanta in eodem vis appetitûs, ut quæ ſalutaria ſint, intellectus practicus judicare nequeat.*

MEMBR. II.

DE AMICITIA PERFECTA QUAM QUI VERI CHRISTIANI SUNT IN HAC VITA COLERE DEBENT.

1. *Imitabimur hic regulam Salvatoris noſtri, jubentis nos in divinis prudentiam petere à filiis hujus ſeculi, qui prudentiores ſunt filiis lucis in ſuâ natione, & ad imitationem ſpeculationis, quam Ariſtoteles habuit circa amicitiam honeſtam hominum mundanorum & veram ſalvificamq; fidem ignorantium, inſtituemus ſpeculationem circa amicitiam, quam qui verè fideles ſunt & in Chriſtum Salvatorem noſtrum credunt colere & ita omnium ſuaviſſimam & jucundiſſimam vitam degere poſſunt. Quod dum facimus, eâdem quâ in præcedentibus methodo procedentes conſideraturi ſumus, in quo poſita ſit vita Chriſtiani, quomodoq; amor ſui in Chriſtiano ſit definiendus: ita enim apparebit, qualis amicitia quamq; jucunda & ſuavis ſit eorum, qui in Chriſto Jeſu vivunt.*

ARTIC. I.

DE CHRISTIANORUM VITA.

1. Chriſtianorum vita eſt in Chriſto Jeſu vivere & operari, & hunc habere in corde ſuo operantem per Spiritum caritatis.

2. Quid autem ſit in corde ſuo Jeſum habitantem tenere, & in eo & per eum operari penitius intellectu noſtro conſpicere poterimus, ſi hypotheſi noſtrâ utamur, quam ſuprà circa facultates animæ, ſedemque principalis facultatis tradidimus. *Nam anima in nobis principium operandi eſt: ac proinde neceſſe eſt, illam tanquam principium à Chriſto certo modo affici, quò Chriſtum in nobis operantem habere dici poſſimus.*

3. Principium vitæ Chriſtianæ conſiſtit in propoſitione, quam ope & auxilio Spiritus S. concipit noſter intellectus practicus ita, ut nihil, etiamſi firmiſſimis nitatur demonſtrationibus, verius unquam putet, nimir. Chriſtus verus Deus & Homo meus eſt Salvator, pro me paſſus & mortuus, is me liberavit ab irâ divinâ & Deo Patri ſuo ſangvine reconciliavit, ut nunc ſim eidem gratus & acceptus: Hujus debeo eſſe imitator, huic vivendum huic moriendum: Hujus merito parata mihi eſt æterna ſalus. *Nam Spiritus S. gratiâ qui verè Chriſtianus eſt huic principio vitæ ſuæ firmius inhæret, quàm ullus mathematicus ſuarum demonſtrationum principiis. Quæ enim major certitudo eſſe poteſt, quàm ea, quam operatur Spiritus Sanctus?*

3. Hoc principio firmiter ſtante, is, qui illud radicatum in ſuo corde habet, fit Chriſti imitator. i. e. ipſius actiones & præcepta ob oculos ponit, & quemadmodum qui coram mundo honeſtè vivit ita operatur, prout vir prudens hoc definit: ſic Chriſtianus ea facit quæ Chriſtus viſibiliter præſens dictaret. *Nam ſi hoc modo vivimus, Chriſtus vivit in nobis & nos in Chriſto: redditurq́; fides noſtra efficax.*

4. Hinc pius Chriſtianus imago quædam Chriſti eſt. *Nam Chriſtum ipſum in vitâ & actionibus ſuis repræſentat; in humilitate, in patientiâ, in miſericordiâ & caritate erga proximum &c.*

ARTIC. II.
DE AMORE SUI, PROUT EUM CHRISTIANUS DEFINIT.

1. Verus Chriſtianus non ita amorem ſui definit, quemadmodum id vulgus facere *præced. membr.* dicebamus. *Nam Chriſtianus novit concupiſcentiam pecuniæ, honoris & voluptatum corporis eſſe inimicitiam cum Deo; & pati ut concupiſcentia regnet in ipſo eſſe nil aliud, quam peccato & ejus auctori diabolo ſervire: neminem verò Chriſto vivere poſſe qui ſervus peccati & diaboli eſt. Quapropter cupiditates hujus ſeculi tanquam ſummè exoſas fugit, & ſi videat quandoq; concupiſcentiam prævaluiſſe in, ſeipſum propterea odit, moxq́; meritum Chriſti apprehendens munimine Spiritus S. confiſus hoſtem ſuum internum debellare ſtudet.*

1. Ob hoc verò Chriſtianus ſe quàm maximè amat, quòd ſit Deo Patri per Chriſtum reconciliatus, quòd non amplius filius iræ ſed gratiæ ſit, quòdque ſit imitator Chriſti in eo vivens & per ipſum agens. *Nam qui firmiter credit, ſe ſangvine Jeſu Chriſti redemptum, & ob meritum hujus Deo Patri placere, nihil magis appetit, quàm ut Chriſtum habeat ſibi inhabitantem & in ſe operantem per Spiritum*

Sanctum, nihilq; magis quàm hoc in ſe conſervatum vult. Quod autem quammaximè in nobis conſervatum volumus, hoc illud ipſum eſt, ob quod tanquam nobis inexiſtens nos ipſos quammaximè amamus. Quapropter Chriſtianus ſummè ſe amans tendit ad hoc, ut Salvatori ſuo ſimilis fiat in afflictionibus, in perſecutionibus, in patientiâ. Adeoq; ob quod mundus putat, quem ſeſe odiſſe, in hoc poſitum habet ſummum ſui amorem.

3. Hic amor ſui ſummam parit amicitiam. *Nam qui ita vivit eſt* 1. amicus Deo; *quia novit ſe Deo Patri gratum & acceptum eſſe per Filium, cujus imitator eſt, cujusq; imaginem in ſuâ vitâ gerit.* 2. nihil, quod apud homines odio dignum ſit, facit. *Nam & inimicos ſuos amat iisq; benefacit. Ac proinde hilari animo hominum odia patitur; quia novit, ſe ea commeritum non eſſe. Nec enim niſi improbiſſimus & ex ipſo diabolo natus ejusmodi homini, qui benefaciendo ſtudet hoſtes ſuos vincere, infenſus eſſe poteſt.* 3. ſibi amiciſſimus eſt; *quia quemadmodum ſuum Chriſtum, ita ſe imitatorem ejus quammaximè diligit: quicquid enim à Chriſto profectum in ſeſe ſentit hoc ſibi cariſſimum eſt.*

ARTIC. III.

DE SVAVISSIMA ET JUCUNDISSIMA CHRISTIANORUM VITA QVAM IN JESU CHRISTO PER MUTUAM CARITATEM VIVUNT.

1. Omnium perfectiſſima amicitia eſt, quæ exercetur inter Chriſtianos per caritatem, quam habent in Chriſto Jeſu. *Nam nullus Chriſtianus præter Jeſum ſuum quicquam amat: novit enim, in nullo alio nomine ſe ſalvari & verè felicem eſſe, quàm in nomine Jeſu. Oſtendas divitias, apage, inquiet, Jeſum habeo! ſummos promitte honores, ſufficit mihi Jeſus! reſpondebit: Offeras omnes mundi delicias, Jeſus, dicet, mea unica voluptas, meum unicum bonum! Ob quod ergò ſe amat? ob nihil aliud, quàm quòd Jeſum ſuum in ſe operari ſentiat: præter hoc enim nihil ipſi jucundum aut ſuave eſſe poteſt. Ob quod autem quammaximè diliget proximum? ſanè hæc erit cauſſa ſummè diligendi eum, quòd ſentiat & in eo Chriſtum operantem per caritatem: nihil enim amat quàm quod Chriſtum ſapit. Amabit ergò proximum ob hoc, ob quod ſeipſum? ita. Quomodo ergò amabit? ut ſeipſum. Quo amore? Eo quem incendit in corde ipſius Spiritus Sanctus: nemo enim Jeſum amare poteſt, niſi Spiritus S. amoris ignem in ipſo accendat. Eſt ergò amicitia Chriſtianorum omnium perfectiſſima; quia in ente omnium perfectiſſimo eſt radicata.*

2. Omnis ergò ſapientia mundana eſt vana & inanis. *Magnum eſt quod Ariſtoteles de honeſtâ amicitiâ tradidit, & pudorem incutit Chriſtianis de ſuâ amicitiâ colendâ, heu dolor! parum ſollicitis. Sed nihil*

nihil eſt. Nam Chriſtum ignorare eſt nihil ſcire. Erramus enim in toto ſi verum principium ignoramus. O utinam hæc eſſet noſtra in rebus divinis ſpeculatio! ceſſarent omnes inanes controverſiæ, nil niſi odium & iram gignentes; quibus ita dant operam homines, quaſi in theologicis nihil detur aliud cognoſcendum: contrà id in quo conſiſtit vita Chriſtiani, caritatem ſcil. erga Deum & proximum negligunt.

MEMBR. III.

DE

COLENDA UTILI AMICITIA.

1. *Maximâ cum moleſtiâ cogor ſpeculando regredi ad humana, quæ omnia quisquilias eſſe reputo. Sed ratio propoſiti id ita exigit. Inſpiciam ergò iſta, quia ita profeſſio mea exigit, tanquam latrinam quandam.*

2. Vulgus hominum, quod nec pietatis nec honeſtatis rationem habet, utilem ſolet colere amicitiam. *Nam*

Vulgus amicitias utilitate probat.

Hoc enim agit, ut vivat, non ut benè vivat: in hoc autem fine ſubſiſtere, ut vivatur eſt quærere neceſſaria ad vitam. Unde fit, quod plerią; in rebus humanis nihil boni norint homines, niſi quod fructuoſum eſt, & pari amore ſuos proximos, ac ſua pecora diligant. Nam ut ruſticus eam vaccam, quæ plurimum lactis præbet, amat, eamą; præ cæteris ſalvam eſſe vult: ita qui utilem colit amicitiam eum præ cæteris amat, unde plus lucri & commodi ſperat.

3. Videntur autem pro colendâ utili amicitiâ duo conſideranda. 1. quibus quis alteri utilis fiat. 2. quæ ratio ſit ineunda, ne oriantur querelæ, neve amicitia diſſolvatur.

ARTICUL. I.

DE IIS QVÆ COMMUNITER UTILIA SUNT.

1. Utilem aliis ſeſe exhibet, qui id, in quo vulgus poſitam habet felicitatem vel tribuit vel auget ſive in totum ſive in parte; contrà verò id, in quo putat infelicitatem conſiſtere, tollit vel minuit. *Nam utile eſt, quod ad finem aliquem producendum vel obtinendum facit: finis autẽ, quem quisą; propoſitum habet, cujusą; felicitas eſt ſeu tota ſeu in parte. Tota ſcil. felicitas eſt ille finis, qui in totâ vitâ intenditur; in parte, qui hoc vel illo tempore.*

2. Eum, qui vult colere utilem amicitiam, probè inquirere oportet, quânam in re amicus ipſius poſitam habeat felicitatem ſuam ſive in totum ſive in parte. *Nam vulgus hominum diverſas de felicitate fovet opiniones: alii enim divitias, alii honores, alii voluptates corporis pro ſummo bono habent: nonnulli verò hæc omnia ſimul, nonnulli quædam ex hiſce appetunt. Particularis verò felicitas infinitis modis variat: alii*

at: alii enim tempore belli pacem; alii tempore pacis bellum; alii quando egent, pecuniam; quando ægrotant, bonam valetudinem exoptant.

3. Vtilis ergò amicus eſt qui confert aliquid ad felicitatem putativam. *Nam qui veram felicitatem poſitam in operatione ſecundum virtutes aliis confert vel auget honeſtus amicus eſt. Sic honeſta amicitia eſt inter profeſſorem & ſtudioſum. Nam profeſſor confert ſapientiam ſtudioſo, dum docet ipſum & in variis diſciplinis informat. Hinc ſuprà demonſtravimus, honeſtam amicitiam perfectam eſſe propterea, quod utilem & jucundam in ſe contineat. Imò honeſta amicitia plus utilitatis continet, quàm ipſa utilis amicitia. Qui enim pecunias erogando utilis eſt præſcriptum à facultatibus modum habet, quem egredi non poteſt, niſi prodigus & abſumptis per prodigalitatem omnibus inutilis fieri velit: qui verò prudentiâ & ſapientiâ ſuâ utiles ſunt ſemper tales exiſtunt, & quò magis aliis proſunt bonis ſuis, eò plus ſibi acquirunt. Fructum namq; ingenii capit, qui hunc aliis communicat, ſuamq; ſapientiam & prudentiam auget.*

5. Felicitas, cujus ſtudioſus utilis amicus eſt ut eam alteri comparet, conſiſtit in bonis externis, quæ adversâ fortunâ amitti poſſunt. *Nam in talibus bonis felicitatem ſuam vulgus collocatam habet.*

6. Bona hæc vel inhærent corpori humano vel extra hominem ſunt. Corpori ipſi inhærent ſanitas, vita, pulchritudo, agilitas. *Nam hiſce inexiſtentibus redditur corpus benè affectum.*

7. Extra hominem ſunt divitiæ, honor, & exiſtimatio, amici, iique vel multi vel boni, bona uxor, bona proles.

8. Utilis ergò amici eſt, circa ſingula bona hæc in ſuo amico perpendere indigentiam, &, prout hæc exigit, ſuccurrere. *Quò namq; indigentia major eſt, eò majus & beneficium exiſtit: ubi nulla eſt indigentia, beneficium pro nullo reputatur.*

9. Quapropter, quod divitias concernit, amici utilis eſt ſuccurrere amico latrociniis, bellis, incendio, naufragio pauperato, vel etiam annonâ gravato, captivo, cæterasque his ſimiles occaſiones obſervare. *Nam hiſce caſibus beneficium majoris quàm aliàs æſtimatur.*

10. Item utilis eſt amicus qui uſum facultatum meliorem reddit. *Nam divitiarum eſſentia in uſu poſita eſt: itaq; felicior ratione divitiarum redditur, cujus divitiæ meliorem uſum conſequuntur.*

11. Decet ergò utilem amicum hoc agere, ut bona non alienabilia reddantur alienabilia. it. ut plus vel uſûs, vel fructûs vel jucunditatis afferant. *Nam uſus cujusq; rei duplex eſt, proprius & com-*

munis

munis; proprius vel ad neceſſitatem vitæ vel ad fructum vel ad voluptatem ſpectat. Communis conſiſtit in alienatione, pignori datione, &c. quia omnes res hunc uſum habent.

12. Utilem quoque ſe exhibet, qui jura alicujus tuetur & auget. *Nam jura ſunt res incorporales præbentes uſum vitæ, quales ſunt hereditas, pignus, ſervitus, libertas ab oneribus.*

13. Quod honores concernit, utilem ſe præbet amicum, qui deprædicator eſt laudum & bonam famam alicui parat. *Nam bona fama & exiſtimatio, honorq́; bonum quoddam eſt, ex quo ſe felices homines æſtimant.* Eſt aut bonam famam alicui parare, narrare, eum habere, quæ omnes in civitate vel plerique vel prudentes & boni appetunt.

14. Decet etiam utilem amicum deprædicare amabilia quæ alteri inſunt. *Qualia multa peti poſſunt ab honeſtis, utilibus & jucundis. Nam hic eſt modus conciliandi cuilibet amicos: ut autem hoc debito modo fiat, obſervanda ſunt quæ vicina amabilibus cuiq́; inſint, & quæ quiſq́; amabilia reputat.*

ARTIC. II.

DE ÆQVALITATE RETRIBUTIONUM IN AMICITIA UTILI SERVANDA NE FACILE DISSOLVATUR.

1. Querelæ & contentiones oriuntur, ſi nulla retributionum in utili amicitiâ ſervatur æqualitas. *Nam quemadmodum in contractibus, ſi inæqualitas ſuboriatur, contentiones naſcuntur: ita & in amicitiâ utili: tendit enim in hac amicitiâ quilibet ad lucrum obtinendum: videtur autem damnum pati, ſi minus accipit quàm dedit. Hinc mutuæ querelæ, dum alter conqueritur, ſe minus accepiſſe; alter, ſe plus dediſſe, vel à ſe plus exigi, quàm dare poſſit.*

2. Quapropter ne diſſenſſiones oriantur, jus obſervandum eſt. *Nam jus poſitum in æqualitate querelas impedit & tollit; quibus ſublatis, occaſiones diſſolvendi amicitiam præſcinduntur.*

3. Jus, quo regitur utilis amicitia eſt vel ſcripto vel conſuetudinario ſimile. *Nam quemadmodum in civitatibus jus duplex eſt, ſcriptum & non ſcriptum ſeu conſuetudinarium; & ſcriptum eſt illud, quod nititur in expreſsâ voluntate civium, penes quos legum ferendarum poteſtas eſt; non ſcriptum quod in morib. poſitum eſt: ita quoq́; jus, quod dirigit amicitiam utilem, duplex eſt, alterum quod nititur in conventione & pacto expreſſo, alterum quod in moribus & conſuetudine conſiſtit. Quod pacto expreſſo inter amicos introducitur jus eſt juri ſcripto in civitate ſimile;*

mile; quia utrumq́, expreſsâ voluntate eorum, qui in aliquâ ſocietate ſunt, introducitur.

4. Qui pacto aliquo expreſſo utilem amicitiam ſuam regunt, initio amicitiæ faciunt pactum vel purum vel conditionale. Qui puro aliquo pacto determinant retribuenda obviam quidem eunt querelis, ſed amicitia eorum deſinit eſſe amicitia & in mercaturam aliquam ſeu negotiationem degenerat. *Nam qui ex pacto utrinq́, obligantur, operantur ex neceſſitate quodammodo impoſitâ magis quàm ex benevolentiâ. Omnes autem amicitiæ operationes ex quâdam benevolentiâ provenire debent. Nam nulla alia inter amicitiam & mercaturam deprehenditur differentia.*

5. Pactum autem conditionale v. g. ut qui beneficium accepit retribuat, ſi quandoque poſſit & res familiaris aucta ſit, facit quidem, ut amicitiæ negotium ſimilius videatur: ſed datur major querelis occaſio. *Nam conditionem nondum exſtitiſſe alter ſemper dicet; alter verò efflagitabit, quaſi jam ſolvendo ſit. Qui tamen ita ſub conditione donat videtur magis ex benevolentiâ facere.*

6. Ea verò amicitia utilis honeſtæ ſimilima eſt, in quâ qui beneficium dat liberum relinquit ei, qui beneficium accepit, quod conſuetudo & mores exigunt retribuere. *Nam ex merâ benevolentiâ ab utrâq́, parte agi videtur.*

7. Non tamen qui ita accepit debet exiſtimare, liberum ſibi eſſe retribuere quid vel non, ſed ſe non aliter ac ex contractu quodam obligatum reputare. *Nam amicitiam utilem fovens non hoc agit, ut beneficio ſuperior ſit altero, ſed ut tantum, quantum dedit aut plus recipiat, non aliter ac qui mutuò dedit vel locavit. Ratio autem hujus rei eſt, quia quamplurimi id quod honeſtum eſt præ ſe ferunt, in rei veritate bonum utile ſectantur.*

8. Ne autem in hac utili amicitiâ, quæ ſpeciem honeſtæ habet, querelæ oriantur, ad officium ejus, qui beneficium accepit, pertinet. 1. ſpontè reſtituere nec moram facere, ne opus ſit interpellatione. *Nam alter vult, quaſi obtrudi ſibi remunerationem; quò ſpeciem honeſtatis amicitia habeat: ſed qui interpellatus reſtituit, facit, ut mercaturæ ſimilis amicitia reddatur. Unde naſcuntur querelæ.*

9. Secundò. Ejus, qui beneficium accepit, eſt, perpetuò animo revolvere, ſe erraſſe, quòd paſſus fuerit, ſe beneficio affici. *Nam in rei veritate etiam errat, qui à non amante accipit: amicus autem utilis non ex benevolentiâ & amore, ſed tanquam lucraturus dat. Ac proinde, dum quis meditatur, ſe peccaſſe, quod à tali homine beneficium acceperit, ſtudebit eidem ſatisfacere & utili amico placebit. Hoc etiam*

facere

facere ſolent, qui in commutationibus ſpontaneis ita ſe gerere ſtudent, ne querelæ oriantur. Et hac de cauſſâ etiam quid retributuri ſint ſtatim ſignificant: id quod etiam amicum in utili amicitiâ beneficio affectum obſervare decet.

10. Tertiò attendendum eſt quid is, qui beneficium offert, ſibi retribui intendat. *Nam ſi retributio ſine damno noſtro fieri nequeat; ſatius erit beneficium non accipere, quàm non ſolvendo id, quod expectatur, querelis & criminationibus occaſionem præbere.*

11. Pleræque autem querelæ inde naſcuntur in utili amicitiâ, quòd non æqualia retribuantur & ſufficientia: inæqualitatis cauſſa fermè hæc eſt, quòd homines habentes beneficium, illud viliotis æſtiment, quàm initiò antequam acciperent. Unde minus rependitur quàm debebat. *Nam ſi æſtimatio fieret ſecundum illud tempus quò quis beneficium accepturus eſt, fortaſſe ſufficiens retributio fieret.* Quapropter in amicitiâ utili hoc jus eſt: ut æſtimatio petatur ab utilitate, fiatque talis, qualem quis faceret, antequam beneficium haberet: ſecus ac honeſtus amicus ſolet facere. *Nam in honeſtâ amicitiâ non ipſa ſpectatur utilitas, ſed voluntas & conſilium benefacientis.*

ARTIC. III.
DE
EXERCENDA CALLIDE UTILI AMICITIA QVO QVIS SEMPER LUCRETUR.

1. Qui dando utilem exercent amicitiam plerumque id faciunt cum ſuo damno. *Nam dum dando utiles exiſtunt, ſuis facultatibus quid detrahunt.*

2. Quapropter ita callidè exercebitur amicitia utilis, ſi quis det operam, quò ſine damno rei familiaris utilitatem in aliquem conferre queat. *Nam hoc pacto neceſſariò quis diteſcet ex amicitiâ utili. Quoties enim ſine alicujus boni amiſſione utilis eſt ab altero accipiet. Qui autem pro eo quod accipit nihil amittit diteſcit.*

3. Ejusmodi amicitiam utilem hodiè exercent cum hominibus plebejis eruditi. *Juſtitiæ enim cultores qui eſſe volunt propterea dant ſtudio Juris operam, ut, dum procuratorum vel advocatorum munere fungendo hominibus utiles ſunt, inde quid lucrentur: Medicinam tractantes, ut ſua pro reſtitutâ hominibus ſanitate honoraria conſequantur. Nam cùm non ut mercenarii locent operam, nec etiam horum labor pecuniâ æſtimari queat: in contractum locationis conductionis non incidit, quod rerum gerunt: ſed tanquam amici hominibus inſerviunt honoraria & ſalaria accipientes.* Verùm hic mos facit, ut ſtudia evileſcant nec

 ſoli-

ſolide tractentur. *Nam vulgus diſtinguere non valens inter liberalia ſtudia in intellectûs operatione poſita, & inter ſordida & mechanica opera eruditos ſalariis acceptis inſervientes ejusmodi vilibus & ſordidis hominib. æquiparat. Deinde ulterius nemo in ſtudiis progreditur, quàm quatenus hiſce communiter utilis eſſe & lucrum ſibi parare poteſt: quilibet contrà ſcientias optimas & præſtantiſſimas negligit: aut velut ludicras res tractat. Ita v. g. videmus, phyſicam hodiè in academiis à multis propterea diſci, quò de quæſtionibus convivalibus differere & gratiam diſcurſibus ſuis parare ſibi poſſint. Hinc tales & ſimiles quæſtiones ventilare diſcunt, quare gallinæ non mingant? an ovum ſit prius gallinâ, an gallina prior ovo? an ſol die reſurrectionis dominicæ ſaltet? an homines reverà in lupos transmutentur à diabolo? Quæ autem ad ipſam ſcientiam phyſicam pertinent, ut ſcil. omnium rerum naturalium cauſſæ cognoſcantur, negliguntur. Quapropter apud Romanos ſaluberrimè lata fuit lex Cincia quâ cavebatur, ne quis ob cauſſam orandam pecuniam donumve acciperet, ſed glorioſæ vocis munimine confiſi advocati cogitarent, præmium eloquentiæ & legitimæ ſcientiæ ſufficiens eſſe amorem popularium, famamq; in poſteros, & hanc tam præclaram ſcientiam ſordidis miniſteriis fœdandam non eſſe. Sed ita, proh dolor! hodiè comparatum eſt, ut qui pauperes ſunt ſtudium literarum velut medium diteſcendi tractent: nec pauci ſint numero peritiam juris habentes, qui inimicitias, odia, accuſationes & lites quascunq; foveant, ut quemadmodum vis morborum precia medentibus: ſic fori tabes pecuniam hiſce patrocinium in judiciis præbentibus ferat. Quibus advocatorum dignitas evileſcit, adeò, ut audias nonnunquam etiam honeſtiores conqueri: nihil quicquam publicæ mercis æq; venale eſſe, quàm advocatorum lucrum captantium perfidiam.*

4. Similis huic amicitiæ eſt ſocietas mercatoria, quæ colitur inter eos, quorum alter pecuniam alter conſilia confert dirigendo negotiationem, cum pacto, ne de damno participet. *Hunc enim neceſſe eſt diteſcere.*

MEMBR. IV.

DE COLENDA JUCUNDA AMICITIA.

1. Quæ agenda ſunt in jucundâ amicitiâ ex voluptatis definitione peti poſſunt. *Nam jucundi ſunt qui voluptatem aliquam excitare in aliis norunt: ſeu qui operantur id quod voluptatem aliis affert.*

2. Eſt autem, *ut ſupra part. 2. tradidimus*, voluptas perceptio quædam bonæ operationis hanc perficiens.

3. Conveniens ergò erit, naturam hominis contemplari, & ſecundum ſingulas ejusdem naturæ partes quid quibusque congruum ſit

um ſit

um ſit tradere. *Ita enim pleraq; pervolvere poterimus, quibus homo homini jucundus redditur. Nam operatio bona eſt quæ cujusq; naturæ & ſubſtantiæ conveniens eſt. Si ergò fiat quod naturæ cujusq; conforme eſt, percipiet alter in ſe bonam operationem, cujus is, qui quod naturæ congruum facit, principium eſt. Et hoc modo jucundus dicitur.*

4. *Eſt verò de natura hominis, quòd ſit ſubſtantia mobilis, intellectualis & in animalium numero. Ac proinde quid naturæ hominis conveniens ſit quatenus ſubſtantia & quidem mobilis & intellectualis eſt & tandem quatenus animam habet ſentientem & appetentem ſpectandum erit.*

5. *Fit autem quis dupliciter jucundus, vel ſi principium exiſtat naturæ congruentis operationis: vel ſi teſtimonium præbeat, aliquem benè operatum eſſe. Prius autem de iis dicturi ſumus qui bonæ operationis in altero principium exiſtentes jucundi fiunt.*

PARS PRIMA
Membri quarti
ARTIC. I.

DE JUCUNDIS HOMINI QVATENUS EST SVBSTANTIA ET QVIDEM MOBILIS.

1. Jucundus alteri eſt qui illius eſſe & operari in ſe repræſentat. *Nam cuilibet ſubſtantiæ ſuum eſſe & vivere jucundum eſt: ſubſtantiæ enim eſſe eſt ejusdem, quatenus ſubſtantia eſt, bonum, & vivere nil aliud eſt quàm operari.* Hinc jucundus exiſtit qui ſe opus alterius exhibet. *Nam quilibet ſuum eſſe, vivere & operari ex ſuis operibus cognoſcit. Exhibet autem ſe quis alterius opus, profitendo ſe quod eſt per illum eſſe v.g. Doctorem, ſapientem, prudentem, artificem.*

2. Item is jucundus eſt qui gratæ alicujus mutationis ſenſum in altero excitat. *Nam ſubſtantiæ mobiles moventur & mutantur, & immutatione mediante tendunt in meliorem ſtatum. Ergò ſi ſentiant in ſe gratam immutationem, percipiunt bonam operationem & voluptate afficiuntur.* Amantur ergò ii, à quibus quis percipit ſe celeriter immutatum in melius eſſe. *v.g. ſi horum ope ſciatur quod antea ignorabatur, aut qui improbus erat redditus ſit probus.*

3. Jucundus quoque eſt labores alicujus minuens. *Nam ſubſtantiarum mobilium & quidem earum, quæ ex contrariis conſtant, ſuntq; interitui obnoxiæ, naturæ conveniens eſt, non ſemper moveri, ſed gratam percipere motûs & quietis viciſſitudinem. Hinc illud:*

Quod caret alternâ requie durabile non eſt.

Amantur ergo tanquam jucundi. 1. in rebus quæ aliàs difficiles forent occaſio quædam exiſtentes. *Nam occaſio medium aliquod deſideratum & acceptum eſt ſine labore nobis offerens id quod multo labore parandum erat. Jucundi autem ſunt qui laborem minuunt: imminutio enim laboris aliquam gratam quietem ſapit. Occaſio autem exiſtunt v. g. quorum converſatio facit, ut reddamur amici & familiares eorum, ad quorum notitiam non ſine magno labore potuiſſemus pervenire.* 2. Labores alterius in ſeſe derivantes. *Nam aliorum labor in noſtris negotiis noſtra quies eſt. Hinc amatores, ut jucundi ſint amaſiis, in ſeſe recipiunt geſtanda quæ ipſis oneri ſunt.* 3. Pro aliis vigilantes. *Horum namq; vigilia illorum, quorum gratiâ vigilant, quies eſt. Hinc amantur milites, quando pagani percipiunt, ſe horum vigiliâ ſecurè dormire.* 4. Auxilium præbentes & partem laboris ferentes. *Pro quâ parte enim laborant, pro eâ quietem cæteri ſentiunt.* 5. Facientes, ne moleſtiæ ex laboribus ſentiantur. *Nam quodammodo in quiete videtur eſſe qui nullas ex laboribus moleſtias percipit: & nulla quies jucunda reputatur, niſi ſit ceſſatio ab ejuſmodi laboribus, qui cum moleſtiâ conjuncti ſunt. Ne autem moleſtiam ex laboribus ſuis quis ſentiat, prodeſt alia jucunda interea, dum quis laborat, intellectui vel ſenſibus objicere quibus intentus minus ſentiat moleſtias laborum. Hinc illud: ſocius facundus pro vehiculo. Hoc callido remedio ſolent uti diligentes patresfam. dum moleſtias laborum miniſtris minuere ſtudent: ſeipſos enim alacres in laboribus exhibent & quæ auditu jucunda ſunt narrant.*

ARTIC. II.

DE JUCUNDIS HOMINI QUATENUS EST SUBSTANTIA INTELLECTUALIS.

1. Intellectûs operatio ſe benè habens ſingulari afficit hominem voluptate. *Nam intellectus præſtantiſſima animæ humanæ facultas eſt: & per conſequens etiam voluptas ex hujus facultatis operatione bonâ planè ſingularis eſt.*

2. Intellectûs duæ ſunt operationes, diſcere & docere: cui utrique operationi quid jucundum inſit videndum eſt.

3. Jucundam qui vult colere amicitiam non ut ſapiens docere debet. *Nam qui ab altero tanquam ſapiente diſcit, honeſtam colit amicitiam, de quâ hic non loquimur. Nec apud vulgus erit gratus qui ut ſapiens docet: quia vulgus ineptum eſt ad abſtruſas rerum cauſſas cognoſcendas. Quæ ratio eſt, quare vulgus eruditorum veterum ſapientum ſcripta, qualia ſunt Ariſtotelis, Platonis, Euclidis &c. negligat, & inhæreat lectioni eorum, qui in anilibus fabulis recitandis ſunt occupati, ex quorum integris voluminibus vix una aut altera propoſitio ſapienti homine di-*

ne digna erui poteſt. Quapropter non eſt, quòd ſophiſtæ glorientur, ſua ſcripta per totum orbem terrarum legi: exiguum enim ſapientiæ teſtimonium præbet ab omnibus communiter magnifieri.

4. Jucundi ergò ſunt recitantes nova & antea nunquam audita ſed tamen 1. intellectu facilia. *Nam vulgus audiens nova, quæq; ſtatim ac audit percipere poteſt, cum jucunditate diſcit; quia ſentit, ſe intellectu ſuo benè operari: novum enim quod eſt incognitum eſt; cognoſcere autem hactenus incognita eſt diſcere; cum facilitate diſcere eſt jucundum.* 2. Et talia quæ celeriter diſcuntur. *Nam intellectus quò celerius diſcit eò melius ad finem pervenit, cognitionem ſcil.: & ita voluptate afficitur ſentiens, ſe benè operari. Ut autem celeriter quis diſcat, evitandæ ſunt in novis recitandis ambages. Ii enim qui multis utuntur ambagibus in narrandis, quæ geſta ſunt, ſive judiciales ſive extrajudiciales cauſſas tractent, moleſtiâ audientes afficiunt.* 3. quæ admirabilia eſſe videntur. *Nam admiratio eſt quædam diſcendi concupiſcentia; ac proinde qui admirabilia narrat facit, ut auſcultans cum cupiditate diſcat. Quod verò facimus cum cupiditate faciendi hæc cum jucunditate facimus. Concupiſcentia enim quid obtinendi omnes moleſtias ſuperat. Hæc cauſſa eſt, quare qui delectandi gratiâ fingunt geſta quæ geſta non ſunt, varias circumvolutiones, & quo pacto hic vel ille pericula, ſed vix & non niſi inopinatis mediis evaſerit comminiſcantur. Nam hæc omnia admirabilia ſunt pariuntq; legentibus cupiditatem inquirendi in eventus. Quapropter & ſimilia narranda iis, quibus quis ſuavis futurus eſt.*

5. Jucundi quoque ſunt qui benè imitari poſſunt. *Propterea enim inſpectio imaginum depictarum, ſtatuarum, lectio carminum jucunditatem parit: quia poeſis, ars pictoria & ſtatuaria in imitatione rerum conſiſtunt. Dum enim de imitatione judicamus, ratiocinamur, & id quod imitatione expreſſum eſt colligimus: & quando mediante ratiocinatione cauſſas imitationis benè factæ reperimus, ſentimus nos intellectu benè operari. Rationes enim & cauſſas veras reperire eſt benè diſcere. Hanc eandem ob cauſſam & hiſtriones, qui comœdias vel tragœdias exhibent, jucundi ſunt: imitatores enim exiſtunt.*

6. Eloquentes etiam jucundi & amabiles ſunt. *Nam qui verè eloquentes ſunt utuntur metaphoris vim docendi habentibus: & dum non longè petitæ ſunt ſed tales quarum ratio conjici facilè poteſt: ſentit intellectus, dum audit dicentem, ſe diſcere.*

7. Eſt & jucundum, diſſerere de iis, quæ cujusque vitæ generi convenientia ſunt. *Quæ namq; cujusq; generi vitæ congruunt hæc cum cupiditate diſcit. Eſt autem cum cupiditate diſcere jucundum. Hinc cujusq; vitæ genus noſſe debet, & huic convenientia diſſerere qui in converſatione gratus & acceptus eſſe vult.*

8. Quem-

8. Quemadmodum cujusque vitæ genus inſpicere convenit, ſi diſcurſibus gratus & acceptus eſſe velis; ita quoque ingenium. *Nam alii homines magis memoriâ, alii magis judicio inſtructi ſunt.* Cum iis, qui memoroſiores ſunt, ſententiis, cùm judicio inſtructis rationibus & cauſſis agendum eſt.

9. Diſſimulare ita, ut is, cui jucundus eſſe vis, id ſolus intelligat, jucundum eſt. *Nam ut non intelligenti diſſimulare moleſtum eſt: ita eo jucundius eſt intelligenti: ſentit enim ſe benè operari qui intelligit quod cæteri ignorant. Et hoc pacto decet diſſimulare, ſi jucundus eſſe velis: quia homines aperti negliguntur: in iis enim intellectus noſter nihil ſentit, ſe intelligere.*

10. Ita patet quomodo diſcere alteri reddatur jucundum, ſeu quomodo quis principium benè diſcendi exiſtens alteri jucundus fiat: ſequitur, quomodo quis alterum ad benè docendum præparare debeat. *Nam benè docere altera operatio intellectûs eſt, quæ voluptatem in homine excitat.* Eſt ergò ejus, qui jucundus alteri eſſe vult, obſervare occaſionem, ad quid narrandum hoc vel illo tempore ſit pronus, & ad hoc faciendum eum inſtigare. *Nam ad quod narrandum vel docendum quis pronus eſt, hoc cum jucunditate quâdam narrat.* Item ad id narrandum inſtigandus eſt, quod narrans attentos auditores ſcit ſe habiturum eſſe. Conſultum quoque eſt auditores ad attentionem præparare. *Nam hec faciunt ut quis operationem jucundam ſuſcipiat.*

ARTIC. III.
DE
JUCUNDIS HOMINI RATIONE APPETITUS ET PHANTASIÆ.

1. Operatio appetitûs in hoc conſiſtit, ut excitatus à bono ad illud tendat. *Nam appetitus hoc ipſum eſt quod excitat affectus & movet ſpiritus, quibus ipſe homo ducitur rapiturq́, ad operandum id, quod intenditur.*

2. Tunc autem quis putat ſe benè appetere, quando finem ad quem tendit ſingulariter vel jucundum vel utilem exiſtimat, eumque ſe obtinere poſſe firmiſſimam ſpem habet. *Nam ſi is qui appetit deſperet de fine obtinendo, vel concipiat parum utilitatis vel jucunditatis eidem ineſſe, ceſſat appetere: adeoq́, appetit cum moleſtiâ: quia moleſtia eſt id quod facit homines ab operando abſtinere. Unde per contrarium, ſi ſpem quis habeat obtinendi bonum, & hoc, ſi obtinuerit, ſingulariter bonum futurum exiſtimaverit, perficietur appetitio eritq́, jucunda.*

3. Quâ

3. Quâ de cauſsâ jucundus eſt qui de obtinendo aliquo bono, quod quis appetit, ſpem excitat. *Nam hic in appetente repræſentat bonum, quaſi appetens jam habeat.*

4. Item qui bonitatem ejus, quod appetitur, extollit. *Nam hic reddit appetionem in appetente jucundam.*

5. Ad phantaſiam ſpectat recordatio; *fit enim recordatio, quando phantaſia præteriti boni imaginem ita exhibet quaſi præſens eſſet.* Quapropter recordatio jucundi boni jucunda eſt. *Dum enim recordamur jucundi alicujus boni, æq; afficimur voluptate, ac ſi illo tanquam præſente fruamur. Hinc triſtari ob mortem amici cum jucunditate nonnunquam conjunctum eſt: dum namq; triſtamur, in memoriam nobis illius converſationem revocamus & quaſi præſentem eum ſentimus.*

6. Excitare ergò in altero jucundam recordationem reddit eum ſuavem & jucundum. *Nam quemadmodum ſpes futura; ita recordatio præterita velut præſentia exhibet.* Non autem ſolummodo jucundorum recordatio jucunda eſt ſed & triſtium. *Nam malorum, quæ quis honeſtè aut cum admiratione aut præter opinionem evaſit, recordatio jucunda eſt: quemadmodum enim præter opinionem periculum evadere jucundum: ita quoq; recordatio ejuſdem.* Hinc etiam is jucundam excitat recordationem qui in memoriam alicui revocat pericula quæ quis honeſtè & cum admiratione evaſit.

7. Totus jucundus fit, qui ita cum amico converſatur, ut ſui abſentis jucundam, eamque continuam memoriam relinquat. *Nam ita quaſi ſemper præſens eſſet jucundus exiſtit, & ſui deſiderium excitat, ut appetatur, & de eo præſenti lætetur amicus, non aliter ac is, qui ſuum bonum, quod hactenus diu appetivit, obtinuit.* Relinquit autem quis ſuam memoriam amico, quando ita cum ipſo converſatur, ut converſatio cauſſetur reminiſcentiam. *Nam reminiſcentia fit, quando mot9 animi ita ſe habent, ut alter ſubinde poſt alterum fieri nat9 ſit.* *Quod quando fit, memoria alicujus rei etiam aliud agenti excitatur.* Quapropter ita jocabitur qui perpetuò jucundus eſſe vult, ut, quicquid amicus abſens tractet, reminiſcatur jocorum: *ita enim quotidie jucundæ converſationis memor erit, & deſiderio abſentis ducetur.*

ARTIC. IV.
DE
IIS QVÆ RATIONE QVINQVE SENSUUM JUCUNDA SUNT.

1. *Homo animal exiſtens inſtructus eſt ſenſibus quinq; viſu, auditu, olfactu, guſtu, tactu.*

2. Singuli ſenſus ſuam voluptatem nanciſcuntur ab objectis circa quæ occupati ſunt, & facultate circa ea operandi. *Nam ſenſus circa objecta ſua operantur & ab his afficiuntur: ſi ergò benè operantur & benè afficiuntur voluptas ſuboritur.*

3. Hîc ſufficiet dixiſſe, quomodo ab objectis ſenſus benè afficiantur. *Nam amicus amico jucundam ſenſuum operationem efficere aliâ ratione non poteſt, quàm repræſentando objecta, quibus ſenſus benè afficiuntur.*

4. Omnia autem ſenſibilia vel per ſe vel per accidens talia ſunt. Senſibilia per accidens ſunt, quæ non ipſa afficiunt ſenſus, ſed iis, quæ ſenſus afficiunt, accidunt. *v. g. lapis non per ſe videtur; ſed illud album, cui lapis accidit.* Senſibilia per ſe ſunt, à quibus quà talibus ſenſus afficiuntur. Et alia ſunt propria alia communia. Sunt autem propria cujusque ſenſus, quæ unum aliquem ſenſum afficiunt, velut color & lux viſum. Communia ſunt, quæ non unum certum ſed omnes ſenſus afficiunt. Qualia ſunt motus, quies, figura, numerus, magnitudo. Hæc objecta quo pacto procreent ſingulis ſenſibus jucunditatem conſiderandum eſt: *ita enim patebit, quomodo præſentando objecta ſenſibus amicus amico jucundus eſſe poſſit.*

5. Benè afficiunt ſenſus 1. proportio objectorum. 2. Varietas eorundem. 3. Novitas. *Nam ſenſus dati ſunt homini diſcendi etiam gratiâ: unde fit, ut non modò intellectui, ſed etiam ſenſibus jucunda ſit & varietas & novitas. Objectum autem proportionatum jucundum eſt: quia deprehendimus à diſproportionato objecto moleſtiam gigni.*

6. Viſum delectat 1. pulchirtudo. *Nam pulchritudo conſiſtit in proportione conſiſtente in numeris, redditq; objectum viſui optimè proportionatum. Ita quod objectum viſus proprium concernit, colores nonnulli ſunt pulchri & benè affecti, ex quorum inſpectione homo delectatur. Eſt enim veroſimile omnes colores ex proportione albi & nigri compoſitos eſſe, eosq;, qui habent proportionem in numeris, viſum benè afficere, proportionem autem ἄλογον habentes moleſtiam viſui parere: eſt autem ἄλογος proportio, quæ numeris efferri nequit. Objectis communibus motui, quieti, magnitudini, figuræ itidem pulchritudo ineſt benè afficiens viſum. Hinc ſaltationes puchræ ſunt, diciturq; quis pulchrè ſaltare, quando motus ejusdem conſiſtit in numero reſpondenti ſono, qui itidem in numero conſiſtit, ſeu harmoniâ. Ratione magnitudinis & figuræ pulcher homo dicitur qui habet magnitudinem & figuram totius corporis ſingularumq; partium ad totum & ad ſe invicem relatarum per ſymmetriam proportionatas. Circa parandam pulchritudinem in motu, & quiete ars multum poteſt.*

poteſt. Quapropter jucundum ſe ſuâ arte exhibet qui operam dat decenti motui corporis, ſingularumque partium ejusdem; & ut hæ ad quietem decenter diſponantur: neve circa hæc quicquam affectatè fiat. *Nam affectantes pulchritudinem ſunt ſtolidi & non amantur ſed vilipenduntur. Eſt autem affectare ſui oſtentandi cauſâ & ut ſit admirationi operari.* 2. Delectat etiam viſum varietas & novitas. *Nam hæc cauſſa eſt, quare amatores, ut placeant ſuis amaſiis, utantur veſtimentis varietate & colorum novitate diſtinctis; novas etiam iisdem indant figuras & modò contrahant modò dilatent caligas. Sed ſi & hæc cum affectatione fiant, ſtoliditatem indicant & faciunt, ut quis vilipendatur. Quâ de cauſâ Galli, qui præ cæteris populis novitati ſtudent, ne affectare videantur, ſemper aliquem ſingularem uſum prætendere ſolent, cujus gratiâ figuras veſtimentorum mutent.*

7. Auditus itidem ſonorum proportione, varietate & novitate benè afficitur. *Hæc enim cauſſa eſt, quare harmonia oriatur ex proportione ſonorum in numeris conſiſtente. Fiunt ergò ratione auditûs jucundi & amabiles.* 1. qui vel ore vel fidibus canendo aures amicorum mulcent. 2. qui ſonum vocis, quando loquuntur, ſecundum proportionem temperantes acutum ſcil. cum gravi, lenem cum aſpero, ſubmiſſum cum claro gratâ varietate miſcent. *Nam ex hiſce ſoni diverſimodè componuntur & infinitis modis variant, quemadmodum ex proportione albi & nigri colores. Quomodo autem temperamentum quærendum ſit, ex ſequentibus fundamentis addiſci poteſt:* ſonus acutus offendit auditorem, *quia nimium penetrat, dum auditum multum & brevi tempore afficit, quemadmodum tactum id quod pungit.* Gravis ſonus non ſatis excitat auditorem: *eſt enim tardus & longo in tempore parum movens auditum, ſimilisq; ei, quod in tactu obtuſum vocamus, quod non pungit ſed pellit.* Levis ſonus mollitie ſuâ tædium & faſtidium auditori parit. *Similis enim eſt ei, quod guſtui dulce eſt.* Aſpera vox exacerbandi vim habet. *Inde enim videmus canes accendi ad iram, quando ſonum literæ R. audiunt.* Submiſſa vox moleſta eſt audienti; *quia reddit operationem auditûs difficilem, dum exaudiri diſtinctè nequit quod dicitur.* Nimis clara vox nimium afficit ſenſum; *quemadmodum quod ſupra modum ſplendidum eſt oculos.* Eum ergò, qui voce & ſermone auditui amici, cum quo converſatur, gratus & jucundus eſſe vult, decet iſta probè perpendere, & moderamen adhibere.

8. In odore hoc peculiare eſt, quòd ſemper homini vel moleſtus vel jucundus exiſtat. *Nam in cæteris ſenſibus contingit, eos facere ſuum officium ſine voluptate & moleſtiâ: at odor ſemper vel moleſtiam*

vel voluptatem junctam habet. Qua de cauſa homo, quod tamen beſtias facere videmus, hoc ſenſu non facilè utitur ad differentias rerum inquirendas: Unde tradunt phyſici, hominem diſtingvere odores ſuavitate & horrore, quemadmodum animalia quæ duros oculos habent colores. Quare periculoſum eſt ei qui jucundus eſſe vult, odoribus operam dare. *Nam præterquam quod ſine affectatione hoc fieri nequit, atq; moleſtus ac jucundus eſſe poteſt. Quamvis amores tractantes etiam odoribus ſtudeant: De quibus tamen Plautus hoc facit judicium:*

---- ---- ---- mulier rectè olet
ubi nihil olet
Nam iſthæc veteres, quæ ſe ungventis unctitant interpoles,
Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt;
Ubi ſe ſudor cum unguentis conſociavit, ilicò
Itidem olent, quaſi quom una multa jura confundit coquus.

9. Tactus in hominibus exquiſitiſſimus eſt, præſertim in iis qui acutiori ſunt ingenio. *Nam cutis mollities acuminis ingenii ſignum eſt.* Afficitur autem benè tactus, quando calidum & frigidum benè proportionata ad ſenſum ſunt. *Objecta enim tactûs ſunt calidum, frigidum, humidum ſiccum, durum, molle: quæ ut benè afficiant tactum, optimè ad hunc proportionata eſſe debent; cumprimis autem calidum & frigidum. Nam ſi vel calor vel frigus aëris corpus noſtrum circumſtantis parum excedat, ſtatim moleſtia gignitur.* Eſt & molle gratius tactui quàm durum. *Quæ cauſſa eſt, quare molles homines utantur pulvinaribus, it. amatores mollitie cutis amaſiorum capiantur.*

10. Guſtus olfactu exactior eſt in homine. *Nam aut tactus quidam eſt aut tactui quid ſimile. Objecta guſtûs ſunt, dulce & amarum; illius ſubjectum eſt corpus pingue, hujus ſalſum. Inter dulce & amarum hæc velut media ſunt interjecta, acerbum, acre, acidum & acutum.* Qui ratione guſtûs jucundus eſſe vult, quid cujusque palato conveniens ſit, inquirere debet.

11. *Accidentalia ſenſuum objecta varia & innumera ſunt; omnia ſcil. entia, quæ unà cum objectis ſenſuum percipiuntur. Adeoq; de hiſce nihil hîc dici poteſt. Hoc tantùm velut maximè conducens ei, qui amico jucundus & non moleſtus eſſe vult, annotandum hîc eſt:* ut ſcil. fugiat omnes ſordes, mundumque ſe in cultu corporis & veſtitu exhibeat. *Nam quicunq; tandem ſenſus unà cum objecto ſordes percipit moleſtiâ afficitur. Quam fugere omnibus modis decet amicum jucundum.*

ARTIC.

ARTIC: V.

DE AFFECTIBUS QVIBUS QVIS JUCUNDUS REDDITUR.

1. Fit jucundus quis ſuo amico vel affectus præ ſe ferendo vel in amico excitando. Quapropter hæc duo circa ſingulos affectus conſideranda ſunt.

2. Ei qui jucundus eſſe vult, ira, quantum fieri poteſt, fugienda eſt, aut ſi contigerit iraſci, promptitudo ad remiſſionem exhibenda eſt. *Nam ſuprà oſtendimus, iraſci moleſtum eſſe. Hinc ſi contingat irâ ſuâ moleſtum eſſe, promptâ remiſſione correctio moleſtiæ fieri debebit: ita enim aliquam voluptatem pariet. Nam ſubita moleſtiæ depoſitio voluptas eſt. Cui accedit quòd aliàs cum hominibus ad reconciliationem pronis inire amicitiam homines deſiderent.* Jucundus irâ redditur, qui ob amici ſui contumelias magis, quàm proprias iraſcitur. *Magni enim amoris indicium eſt amici ſui contumelias magis quàm proprias obſervare.* In amico autem iram concitare erga alterum non eſt tutum ei, qui vult jucundus eſſe. *Nam omnis ira eſt moleſta ante obtentam vindictam, poſt vindictam itidem nihil ſuavitatis ſæpenumero habet, ſed cum pœnitentiâ conjuncta.* Magis danda opera eſt, ut amici irati ira leniatur, ſi jucundus eſſe velis. *Hinc nonnulli, qui placere volunt, ab iis, quibus amicus iraſcitur ſtatim vindictam ſumunt, quò ira amici leniatur.*

3. Qui metuentes erigunt, animumque addunt jucundi exiſtunt. *Nam is qui metum deponit liberatur à moleſtiâ: metus enim omnis cum moleſtiâ conjunctus eſt: à moleſtiâ autem liberari eſt jucundum. Confidentem autem amicum reddit 1. qui argumentis confidentiam ſuadentibus utitur v. g. qui dicit, malum quod metuitur longè remotum eſſe, non eſſe magni momenti, illatum facilè corrigi poſſe, eos à quibus malum metuitur mutaſſe animum & nolle malum infligere, non amplius iratos ſed placatos eſſe, it. velle quidem, ſed non poſſe. Quæ argumenta perſuaſoria latius in Rhetoricis proponuntur. 2. qui ſubminiſtrat media effugiendi periculum. Quamvis magis officium utilis quàm jucundi amici præſtet, & ex accidenti jucundus ſit.*

4. Nonnunquam jucundus fit excitans pudorem; ſi hoc facit in iis perſonis, quibus pudor gratus eſt, quales ſunt juvenes & adoleſcentulæ. Debet autem error objectus levis eſſe & facilè emendabilis, quo pudor movetur. *Nam ſi error levis ſit & facilè emendabilis, lætabitur homo adoleſcens ſuper ſpecimine tam boni affectûs edito.*

5. Stomachationem præ ſe ferre & in amico movere reddit jucundum eum, qui converſatur cum homine juſti amante. *Nam omnes qui amant juſtum ex hoc affectu voluptate afficiuntur: Indicat enim hominem juſtum.*

PARS SECUNDA
Membri quarti.

DE TESTIMONIIS BONÆ OPERATIONIS JUCUNDITATEM PARIENTIBUS.

1. *Ita homines ſunt comparati, ut teſtimonia bonarum operationum ab aliis requirant, & voluptate afficiantur, ſi aliorum judicium bonam operationem dictitet. Quapropter ſingula iterum, in quibus hominis natura conſiſtit, perſequentes, de teſtimoniis, quibus quis gratus & jucundus redditur, circa unamquamq; operationem ferendis dicturi ſumus.*

2. Fertur autem teſtimonium de cujusque bonâ operatione vel expreſsè laudando & approbando eam, vel tacitè, dum quis facto aliquo declarat, eam bonam eſſe.

3. Jucundus ergò eſt, qui nec contradicit nec corrigit amicum, ſed quæ dicuntur aut fiunt, niſi aliud ratio amicitiæ dictitat, approbat. *Per quem enim percipimus, nos malè operatos eſſe, moleſtus nobis eſt. At per eum, qui nos corrigit, hoc percipimus. Quapropter ſolent qui de amicitiâ diſputant dubitare circa correctionem ejus cum quo converſatio eſt. Nam non corrigere amicum, ſicubi opus ſit, eſt eum negligere nec ipſi omnia bona cupere. Hinc Cato fertur dixiſſe: multò melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quàm amicos qui dulces videntur; illos verum ſæpè dicere, hos nunquam. Eſt præterea neminem corrigere vilem ſeſe exhibere: vilem autem contemnimus nec dignum amicitiâ reputamus. Quapropter diſtingvenda ſunt genera amicitiæ: aut enim honeſta aut utilis aut jucunda colitur amicitia.* Qui colit amicitiam honeſtam liberè non tamen aſperè corrigit amicum eique contradicit honeſtate id exigente. *Nam qui liberè corrigit ex intimâ amicitiâ id facere videtur; qui non aſperè, tendit ad emendationem alterius tanquam hominis cariſſimi: hic autem honeſto amico carus & acceptus eſt. Honeſtus namq; vir maximi facit honeſtatem, nihilq; huic moleſtum eſt, per quod eam conſequitur. Et hujus amicitiæ proprium eſt præceptum, quod exhibet Tullius quando ait: Omnis igitur hac in re habenda eſt ratio & diligentia: primum, ut monitio acerbitate, deinde objurgatio contumeliâ careat, in obſequio autem comitas adſit, aſſentatio vitiorum adjutrix procul amoveatur, quæ non modò amico, ſed ne quidem*

dem libero homine digna eſt. In amicitiâ utili, ſi amicus quâdam in re erret, unde damnum naſci poteſt, corrigendus erit. *Nam amor lucri in avaro & pecuniæ cupido homine facit, ut nulla correctio moleſta ipſi ſit, modò videat conducere eam ſibi ad utile bonum. Jucundum enim huic eſt quod utile eſt. Par mihi videtur eſſe ratio in jucundâ amicitiâ.* Quâ de cauſsâ qui jucundam colit amicitiam nullâ in re corrigere debet amicum, niſi jucundi boni obtinendi gratiâ. *Nam ſi deprehenderit amicus, correctione plus jucunditatis impetrari, non poterit ea eſſe moleſta. Unde colligo, nullam contradictionem & correctionem moleſtam eſſe, niſi eam, quæ tendit ad contrarium ejus boni ob quod amicitia colitur.* Jucundum itaque amicum quoad mores corrigere, & ſuâ correctione tendere ad id, quod ipſi jucundum non eſt, moleſtum exiſtit. *Ponamus, amicum jucundum delectari mendaciis; ſanè qui eum vult corrigere & hoc agere ne mentiatur, moleſtus erit: at qui mendacium ita corrigit, ut majus fiat, quàm ab ipſo dictum eſt, magis jucundus quàm moleſtus erit.*

4. Eſt & jucundus qui obſervator & exprobator peccatorum non eſt, magiſque quæ bona, quàm quæ mala ſunt in hominibus obſervat. *Nam homines, qui virtutibus non dant operam, ſed voluptatibus corporis deditiſunt, ipſi ſtudent ſua peccata ignorare, quo malam fugiant conſcientiam, & ne illa excitata addat ipſis tormenta & moleſtias. Quapropter jucundi hiſce ſunt, qui aliorum peccata non obſervant nec exprobrant: ſunt enim ab hiſce ſecuri, nec metuunt, ne ob peccatum aliquod commiſſum creetur aliqua moleſtia.*

5. Præterea jucundus eſt qui ſe amici moribus accommodat, & habitum cultumque ejus imitatur. *Nam imitator qui eſt, tacitè approbat tanquam benè geſta, quæ alter agit: & ita hujus tacito teſtimonio alter ſentit, ſe benè operari: nemo enim id quod improbat imitatur. Hoc ipſo ſuum erga regem declarant amorem ipſiuſq; benevolentiam captant Galli & nos rurſus horum: dum illi regis nos illorum cultum habitumq; corporis imitamur.*

6. Ex eodem fundamento æmulator jucundus eſt, modò æmulatio contingat in bono, quod uterque ſine alterius detrimento obtineri poteſt, quôque nec æmulator indignus videtur. *Nam qui æmulatur teſtimonium fert de altero, eum habere in ſe bonum peculiare; & hoc pacto fit jucundus. Sed hanc jucunditatem abſorbet moleſtia, quam alter percipit vel ex ſtomachatione, quando æmulatorem eo bono indignum putat, vel etiam inde, quòd videt ſuum bonum hujus æmulatione imminutum iri. Quapropter plebejus, qui æmulatur nobiles in equeſtribus exercitiis, exoſus redditur propter ſtomachationem, quam ſuâ æmula-*

æmulatione in his excitat. Unde colligimus, æmulationem jucundam eſſe, ſi fiat inter pares genere, dignitate & divitiis, circa tale bonum quod uterque ſine alterius incommodo habere poteſt. *Nam hæc æmulatio cum nullâ invidiâ & ſtomachatione eſt conjuncta.* In honeſtâ amicitiâ æmulatio jucundiſſima eſt. *Nam nihil invidiæ & ſtomachationis ſecum inferre poteſt, & amicus in æmulo ſuo cernit quaſi exemplar ſuarum virtutum. Id quod honeſto viro jucundiſſimum exiſtit.*

7. Jucundus etiam eſt qui alterum amat & honorat, ob ea bona, ob quæ amari & honorari vult. *Nam qui amat & honorat alterum, prebet teſtimonium de bonis, quæ huic inſunt.* Quia verò diverſa ſunt amabilia diverſa amoris ſigna ſunt edenda (*Nam ſi debiti amoris ſignum non edatur, nec ſentiet amicus, ſe amari*) hinc eum, qui edidit ſapientiæ ſpecimen, decet admirando amare. *Nam quem ſapientem putamus admiramur. Eſt enim ſapientis, noſſe abſtruſiſſima, diviniſſima & à ſenſibus maximè remota, quæq; communiter incognita ſunt; & hæc qui novit in admiratione eſſe ſolet.* Qui virtutem aliquam & prudentiam quâ putat ſe communiter utilem eſſe, præ ſe ferunt laudando amandi ſunt. *Nam eos, qui ſuis virtutibus aliis communiter proſunt, juſtos, fortes, robuſtos, agiles (laudamus enim & corporis virtutes, quibus quem aliis prodeſſe videmus) ſolemus verbis magnitudinem deſcribentibus deprædicare.* Qui jucundos ſe eſſe concipiunt, hos deſiderando illorum præſentiam amare debemus. *Nam cujus præſentiâ exhilaramur, de eo teſtamur, quòd jucundus nobis ſit.* Amor ob utile bonum declaratur remunerando, vel debitum confitendo, & media remunerandi quærendo. *Nam hoc ipſo teſtimonium ferimus, eum utilem nobis fuiſſe. Par ratio eſt, ſi dicamus, cives vel alios homines quærere media remunerandi beneficia amici vel fateri, ſe remunerare non poſſe benefacta.* Præparatus autem quiſque ad ita amandum accedere debet, ne videatur deprædicare incognita. *Nam qui teſtatur de aliquo incognito hujus teſtimonium deprehenditur inane & falſum. Ex inani autem & falſo teſtimonio nihil jucunditatis alter percipere poteſt; quin potius afficitur moleſtiâ, dum inania alterum loqui audit. Quare deprædicandi laudibus & amandi ſunt vicini, familiares, ii quorum rebus geſtis interfuimus, it. qui cum noſtris familiaribus converſati, aut qui publicè noti ſunt. Nam ita videbimur non incognita laudare. Conducit etiam, ſi ipſi de bono videamur judicare non poſſe, provocare ad judicium alicujus viri prudentis.*

8. Ut autem in ſpecie nonnulla de bonis operationibus dicamus, de quibus teſtimonium ferentes aliis jucundi exiſtimus; jucundi primò ſunt qui immutationes in meliorem & perfectiorem ſtatum in nobis deprædicant. *Ita v. g. adoleſcentibus jucundi ſunt, qui an-*

augmentum ſtaturæ, partitudinem barbæ, morum bonorum, eruditionisq́; notabile accrementum laudant. Nam homo ſubſtantia mobilis & mutabilis ſentiens in ſe gratam & in melius factam mutationem afficitur voluptate: dum autem ita laudatur ſentit eandem.

9. Docentes vel aliquid narrantes avidè audire jucundum eſt. *Nam hoc eſt ſignum, quo præbemus teſtimonium, alterum ſuo munere docendo vel rem enarrando fungi.* it. celeriter & ſtatim intelligere quæ dictantur, nec dicentem ſæpius rogare, quaſi non ſatis intellectum ſit quod dictum eſt: *qui enim denuò rogatur, ſentit, ſe dicendo malè functum eſſe officio.*

10. Eſt & jucundum beneficia oblata avidè acceptare & ſe lætum hilaremque ob data exhibere. *Ex hoc namq́; ſigno colligit alter ſe benefaciendo pulchrè functum eſſe munere ſuo. Par eſt ratio, quando in convivio ſumus, ut ſcil. tunc avidè comedamus, non, quemadmodum nonnulli facere ſolent, à cibo abſtineamus. Nam avidè comedens teſtimonium fert probè præparati cibi: unde ſentiens paterfam. ſe benè functum munere ſuo voluptate afficitur.*

11. Tandem in cujusque bona ſeu animæ ſeu corporis ſeu interna ſeu externa inquirendum & hæc deprædicanda ſunt, ſi jucundus exiſtere velis. *Nam dum deprædicatio fit, excitatur in audiente voluptas; quia ſenſus in ipſo oritur bonorum, quæ habet. v. g. ſi patrisfam. pecus inſpexeris, ſingula quæ his bona inſunt obſervanda & extollenda ſunt: afficitur enim voluptate ſua bona ſentiens. Hæc autem circa omnia bona ſeorſim enarrare infiniti foret laboris.*

PARS TERTIA.

Membri quarti.

DE HILARITATE ET LÆTITIA QVA QVIS JVCVNDVM SE EXHIBET.

1. Ad officium jucundi amici pertinet hilari facie & læto ore comparere, nec querulum exiſtere. *Nam quemadmodum moleſtiam indicantia moleſta; ita voluptatem ſignificantia jucunda ſunt. Lætitia autem & hilaris facies ſignum perceptæ voluptatis eſt.*

2. Quammaximè verò lætum hilaremque in convivio eſſe decet. *Nam dum voluptas percepta ſignificatur, unà quoq́; teſtimonium fertur, hoſpitem in apparatu benè functum eſſe ſuo munere.*

3. Hoſpitis etiam, qui convivas in ſuâ domo recipit, eſt hoc agere, quò omnes qui in familiâ ſunt hilares & læti appareant. *Jucundum namq́; erit convivis nullum ex ullo hominum moleſtiæ ſignum percipere.*

CAP. II.

DE OBSERVANDIS CIRCA UTRAMQVE AMICITIAM, UTILEM SCIL. ET JUCUNDAM QVO DURENT NEC STATIM DISSOLVANTUR.

1. Utilis & jucunda amicitia plerumque inter improbos eſt & incontinentes. *Nam virtuoſi qui ſunt honeſtam colunt amicitiam; cæteri utilem vel jucundam.*

2. Mali homines nullam conſtantem amicitiam colere poſſunt. *Nam mali ſeipſos amant tali amore qui aliis & ſibi ipſis pernicioſus eſt & odium parit. Tum verò improbi inter ſe pugnant; quia & vitia hominum maximè contraria ſunt. Contrarii enim ſunt avarus & prodigus, audax & timidus, ſuperbus & puſillanimus, lenis & iracundus &c: Quapropter dum contraria agunt mali, ejus verò quod jucundum eſt contrarium moleſtum exiſtit: neceſſe eſt ſi improbo ſuæ actiones ſunt jucundæ; eas, quæ his contrariæ ſunt, moleſtas ipſi exiſtere. Improbus ergò improbo amicus non erit; quia moleſta quæ ſunt odium pariunt. Ineſt & hoc improbis, quòd hinc inde fluctuent & rapiantur, quorſum affectus, ira, odium, lenitas, metus, confidentia, crudelitas, invidia, immatura ſtomachatio & miſericordia ducunt. Hinc accidit, operationes malorum diverſas & pugnantes eſſe & adeoq; raro alterum alteri exiſtere jucundum, ſed plerumq; moleſtum. Unde quemadmodum bonitas homines maximè unos; ita malitia eos multos reddit & diſſociatos.*

3. Quò autem inter eos, qui probi & honeſti non ſunt, amicitia firmetur, neceſſe eſt, id vitari, ob quod malitia hominum amicitiam evertit. *Nam ceſſantibus cauſſis ceſſabit etiam id quod inde cauſſatur.*

4. Videntur autem quæ cauſſæ exiſtunt improbis, quo minus amicitiam colere queant, corrigi poſſe 1. ſimilitudine morum, ſi accidat eos delectari iisdem vitioſis actionibus. 2. ſi qui diverſorum morum ſunt de ſuâ malitiâ quid remittant. *Nam ſi de cauſſâ diſſolvente amicitiam quid remittitur, minus potens eſt ad effectum ſuum producendum.* Cumprimis autem malorum hominum amicitiam firmat ſimilitudo morum. *Quemadmodum enim vir honeſtus inſpiciens virtuoſas actiones movetur ad benevolentiam: ita nonnunquam vitiis immerſi alterum amant, in ipſo imaginem ſui conſpicientes. v. g. ſi latro latronem videat latrocinium callide & artificiosè exercentem, delectatur ipſius actionibus & ſingularem circa eundem concipit benevolentiam.*

Unde

Unde proverbium, ſimilis ſimili gaudet. *Hinc etiam ex converſatione alicujus cognoſcimus tanquam ex ſigno mores ipſius juxta illud.*

Noſcitur ex ſocio qui non cognoſcitur ex ſe.

5. Sed nec hæc media usquequaque ſufficientia ſunt ad firmandam ſatis improborum amicitiam. *Nam licet malus eum, qui ſimilis malitiæ eſt, videatur amare ut ſeipſum; quia tamen mali erga ſe amor verus & conſtans nullus eſt; dum enim ſentiunt ſe quotidiè ſuâ malitiâ peſſum & in deterius ire ſibiq; ipſis in perniciem vivere, ſe ſuamq; vitam oderunt: nec amicum ob ſimilitudinem morum conſtanter amare poſſunt. Non etiam admittit invidia, ut alter alterum bono aliquo afficiat, ſed quilibet ſtudet ſibi conſulere magis quàm amico. Nec quoq; fieri poterit, ut affectus ſimiliter mutentur, dum ſcil. alter metuit vel confidit, ut idem alter faciat. Tum verò nullus improborum alterum novit amare, magisq; amari vult, ac proinde omne amicitiæ exercitium ceſſat: dum namq; uterq; vult amari, nemo amat. Jubet etiam ſumma infelicitas, quæ hanc amicitiam conſequitur, malos ſtatim ab amicitiâ recedere: uti enim virtutes ad conſervationem hominum, ita vitia ad perniciem & interitum pertingunt. Cùm autem quo firmior eſt malorum amicitia, eò vitioſiores edantur actiones: ſequitur, quò magis amicitia malorum colitur, eò pernicioſiores ſibiipſis malos fieri: ac per conſequens, quando interitum ſui ex amicitiâ naſci deprehendant; cogi eosdem amicitiam diſſolvere.*

6 *Ex hiſce omnibus patet, quicquid agas vel tentes, nullam niſi inter bonos ſtabilem amicitiam introduci poſſe; quia ſine amicitiâ hominum omnis vita & ſocietas miſera eſt; malorum vitam miſerrimam eſſe, bonorum autem & virtuoſuorum feliciſſimam jucundiſſimam & ſuaviſſimam. Bonitatem ergò ſectari neceſſe eſt, ſi quis & ſibi & aliis amicus conſtantiſſimus eſſe velit.*

LIB. VII.

DE
VARIIS AMICITIÆ ET CUMPRIMIS INÆQUALIS GENERIBUS RITE COLENDIS.

1. Principaliſſima omnium amicitiarum eſt ea, quam habemus cum Deo Patre per Jeſum Chriſtum. *Nam hæc perficit omnes reliquas quas colimus cum hominibus amicitias. Quod ſuo modo demonſtratum dedimus lib. præced. cùm ageremus de amicitiâ quam veri Chriſtiani inter ſe colunt. Quâ de cauſâ cùm de colendis amicitiæ inæqualis generibus hic tractare conſtituerimus: initium ab hoc meritò faciendum eſt. Sed accuratius de hac tractatus ad nos non ſpectat, verùm ad Theologos, ad quorum lectionem lectorem remittimus. Tantummodo hic oſtenſuri*

ſuri ſumus, quomodo vera politica & jurisprudentia S. S. Theologiæ ſubjiciatur & ab eâ dependeat, adeò ut JCtus, verusq; philoſophus nullus ſit, qui Theologus non audit nec à ſacrâ ſcripturâ hujusq; orthodoxis interpretibus pendet. Brevibus ergò trademus quæ ab orthodoxis latiſſimis voluminibus tradita & demonſtrata per compendium ſciri debent, quò noſtra ſapientia humana non degeneret in aliquam ſtultitiam.

CAP. I.

DE AMICITIA CUM DEO COLENDA.

Principium amicitiæ cum Deo eſt vera fides. *Nam juſtificati fide pacem habemus ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Per quem etiam fide adducti fuimus in hanc gratiam per quam ſtamus & gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei. Rom. 5. v. 1. & 2. Nec accepimus Spiritum ſervitutis ad metum, ſed Spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba, Pater. Rom. 8. v. 15. Talem ergò inter Deum & nos per fidem obtinuimus amicitiam, qualis ſolet eſſe inter Patrem optimum & liberos. Nam quotquot Spiritu Dei aguntur filii Dei ſunt. Rom 8. v. 14. it. quotquot receperunt eum, eis dedit jus, ut filii Dei fierent. 1. Joh. 12. Itaq; de Fide ſalvificâ prius dicturi ſumus.*

MEMBR. I.

DE FIDE SALVIFICA.

1. Fides conſiſtit in propoſitione, quam in cujusque fidelium corde intellectus practicus facit mediante Spiritu S. ſeu potius quam Spiritus S. in corde non reſiſtentis operatur, quæque talis eſt: *Chriſtus me dilexit, pro me paſſus, crucifixus, mortuus eſt, & propter hujus meritum Deus mihi eſt propitius, ut nunc per Chriſtum ſim filius gratiæ, & heres vitæ æternæ, repoſitaq; mihi ſit corona, quam reddet mihi Dominus in illo die. 1. Joh. 5. v. 1. Gal. 2. v. 20. 2. Tim. 4. v. 8. Conveniunt hæc cum iis, quæ Orthodoxi noſtri Theologi ex Verbo divino tradunt. Nam 1. docent unanimiter, fidem addiſci ex verbo prædicato: fides quippe eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei, Rom. 10. v. 17. Ergò ineſt intellectui. Sed & 2. practico non theoretico intellectui ſolummodo ineſt. Nam non in nudâ aliquâ cognitione fides exiſtit, ſed unà poſita eſt in fiduciâ quâdam. Hinc per fidem dicimur habere [illegible] fiduciam. Epheſ. 3. v. 12. Scil. ſubjectum fidei receptivum intellectus practicus eſt, qui non ſimpliciter affirmat vel negat, quemadmodum theoreticus, ſed affirmatio ſemper conjuncta eſt cum appetitione, & negatio cum fugâ: &*

qualis

qualis eſt affirmatio, talis eſt appetitio; qualis negatio, talis quoq; fuga. v. g. quando intellectus practicus pronunciat hanc propoſitionem: Chriſtus me dilexit, ut pro me ſeſe traderet morti crucis & reconciliaret me Deo Patri: unà gignitur appetitio meriti Chriſti & gratiæ Dei Patris, quæ per meritum Salvatoris contingit: quando intellectus practicus pronunciat me per apprehenſionem meriti Chriſti eſſe filium Dei, unà hanc meriti apprehenſionem & hanc filiationem appetit. Ita quando apprehenditur intellectu practico hæc propoſitio: applicatio meriti Chriſti eſt vita æterna: appetitur applicatio. Fingere enim affirmationem in intellectu practico ſine appetitione eſt dicere intellectum practicum non practicum. Sed ut magis hæc pateant: ponamus Chriſtianum in fieri, & eſto homo ſibi relictus, cogitans, ſe eſſe ſubſtantiam intellectualem in hoc productam, ut inſerviret Deo: nihil autem ſentire in ſeſe quod Deo carum eſſe poſſit, ſed potius ſimilem exiſtere abjectæ beſtiæ, quæ vivit prout ducit cupiditas cibi & potûs, ſe etiam ita moriturum eſſe; imò fortaſſe aliquid ſubeſſe pejus: animam enim intellectualem immortalem eſſe & poſt mortem durius quiddam metuendum: ſatiusq; videri nunquam natum fuiſſe. Talia meditanti ſuperveniat nuncians cæcitatem intellectûs, quòdq; homo à facie Dei rejectus ſit, contigiſſe ob peccatum Adami; ſed Deum ductum miſericordiâ miſiſſe Filium unigenitum in hunc mundum, & hunc aſſumptâ carne humanâ paſſum mortuumq; & ſuo ſanctiſſimo merito nos homines Deo Patri reconciliaſſe, ut nunc ſimus ejusdem amici & filii, expectandamq; habeamus hereditatem in cœlis, quando corpora noſtra reſuſcitabit à mortuis redditurusq; nos eſt participes ſuæ felicitatis, quâ ipſe fruitur, in omnem æternitatem. Hæc miſer ethnicus ita audiens ope & auxilio Spiritûs S. hanc ſuo intellectu practico concipit propoſitionem: Chriſtus Jeſus Filius Dei unigenitus mei gratiâ, ut ſcil. me redimeret ab omni peccato, venit in hunc mundum & aſſumptâ humanâ carne pro me paſſus & mortuus eſt, meq; qui eram damnatus in peccatis reconciliavit Deo Patri, ut nunc ſim ejusdem filius cariſſimus, daturusq; mihi ſit ex gratiâ ſuâ tanquam ſuo amico & filio æternam felicitatem. Quid putas, ſi hanc propoſitionem ita tanquam certiſſimam pronunciat ille homo, poteritne hoc facere, ut non unà fiduciam quandam habeat ergo Deum Patrem Chriſtiq; meritum? ſanè niſi ſomniantem fingere velis aut ita recitantem propoſitionem illam, quemadmodum moniales latinum pſalterium, fateri cogeris hominem iſtum maximam in Deum unà accipere fiduciam, & cùm antea deſperabat de ſe, nunc confidentiſſimum eſſe. Dum hæc ſcribo, venit mihi in mentem, tot numero in papatu eſſe clericos, totq; quotannis non auri tonnas ſed milliones abſumere, nec hactenus in facultates animæ melius penetrare poſſe. Quid quæſo magis ridiculum eſſe poteſt ei, qui in facultates animæ vel leviter inquiſivit, quàm hoc argumentum:

Una

Una eademq; virtus in duabus potentiis genere diverſis eſſe nequit.
Fides eſt virtus animæ,
Ergò unà in intellectu & voluntate tanquam diverſis animæ potentiis eſſe nequit.

Eſſet autem non modò in intellectu, ſed & in voluntate, ſi conſiſteret in fiduciâ. Hoc inquam argumentum prodit profundam aliquam philoſophiæ ignorantiam, & arguit, eos indignos eſſe omnibus beneficiis & præbendis. 3. *Dixi, hanc propoſitionem, in quâ fides conſiſtit, in intellectu gigni ope Spiritus S. Nam intellectus naturaliter affirmat & negat, ſententia componit & dividit vel mediante cauſâ & demonſtratione vel ſine cauſâ, quod contingit in principiis, quando inſpectis paucis ſingularibus ruit in univerſale, ſecum dicendo, non dubito quin in omnibus ita ſe habeat, prout in hoc vel illo ſingulari deprehendi. At pro hac propoſitione facienda nullum naturale medium eſt: nec enim ut naturale principium nec ut ex naturali deductum ſciri poteſt. Ergò iſtam fiducialem in intellectu practico affirmationem ſolus operatur Jeſus Chriſtus per Spiritum S. qui fidei inceptor & conſummator dicitur. Hebr. 12. v. 2. Et hoc eſt opus Dei ut credamus in eum quem miſit ille. Joh. 6. v. 29. quia nobis donatum eſt τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ, non ſolùm ut in eum credamus, verùm etiam, ut pro illo patiamur. Phil. 1. v. 29. Hanc propoſitionem proinde neceſſe eſt certiſſimam & firmiſſimam eſſe. Nam certitudo, quam Spiritus S. operatur, certiſſima eſt. Hinc dicitur ἔλεγχος μὴ βλεπομένων, i. e. tale quippiam, quo intellectus ſe convictum deprehendit, ut aſſenſum denegare non poſſit.*

MEMBR. II.

DE CHRISTIANO EX FIDE ERGA DEUM OPERANTE ET ITA AMICITIAM EXERCENTE.

1. Fides in Chriſtianis operatur firmiſſimam erga Deum dilectionem. *Nam firmiſſimè intellectu practico apprehenſam habens & actu meditatus hanc propoſitionem:* Deus ita me dilexit, ut Filium ſuum unigenitum pro me traderet. *Joh. 3. v. 16. non poteſt non Deum ſupra omnia diligere. At fidem in firmiſſimâ talis propoſitionis enunciatione conſiſtere præced. membr. diximus. Eſt ergò fides ἐνεργουμένη δι᾽ ἀγάπης operans per dilectionem. Gal. 5. v. 6. Sic ergò fidelis ita alloquitur: Me neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; poteſtates, neq; principatus, neq; inſtantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; ulla creatura alia poterit ſeparare à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Rom. 8. v. 38. & 39.*

2. Hæc

2. Hæc ſumma dilectio facit. 1. ut præcepta Dei ſervare ſtudeamus. *Nam maximè diligere aliquem eſt facere omnia quæ ipſi placent. Hæc ergò eſt caritas Dei, ut præcepta ejus ſervemus, quæ gravia non ſunt. 1. Joh. 5. v. 3. Matth. 11. v. 30. add. Joh. 14. v. 21. Nam omnia poſſumus per Chriſtum, qui nos corroborat. Philip. 4. v. 13.*

3. Secundò ut Chriſtum induamus, eumque in cordibus habitantem teneamus. *Nam cùm ſciamus Chriſtum eſſe filium unigenitum & omnes hujus actiones Deo Patri placere: nos autem ſummè diligentes Deum eidem placere ſtudeamus; nulla verò melior placendi ratio ſit, quàm ea facere, quæ fecit in hoc mundo qui ſummè placet: aliter operari non poſſumus, quàm ut Jeſum Chriſtum imitemur. Quapropter dicitur Chriſtus nobis exemplum reliquiſſe, ut inſequeremur veſtigia ipſius 1. Petr. 2. v. 21. Omnium ergò actionum principium eſt, quod Chriſtus vult fieri, hoc faciendum, quod prohibet fieri, hoc omittendum. Nam quod Chriſtus fieri non vult hoc nobis debet eſſe impoſſibile; id verò ſolummodo poſſibile quod Chriſto placet. Et ita vivimus non nobis ſed Chriſto, Gal. 2. v. 20. Nam Chriſtus eſt vitis illa vera & Pater ipſius eſt agricola. Omnem palmitem in Chriſto non ferentem fructum tollit: & omnem qui fert fructum purgat, ut plus fructûs afferat. Joh. 15. v. 2.*

4. Tertiò ut gratum animum Chriſto exhibeamus. 1. benefaciendo ipſi in ſuis membris. *Nam quod facimus uni ex fratribus minimis ipſius hoc ipſi facimus. Matth. 25. v. 40.* 2. Magnificando & glorificando eum in omnibus actionibus. *Semper enim magnificandus Chriſtus in corpore noſtro, ſive per vitam ſive per mortem. Nam nobis vita Chriſtus eſt, mors lucrum. Phil. 1. v. 20. & 21. ita & ipſe Chriſtus ait Matth. 5. v. 16. ſplendeat lux veſtra coram hominibus, ut videant veſtra bona opera & glorificent Patrem, qui eſt in cœlis: & Paulus 1. Cor. 6. v. ult. Nam empti eſtis precio, glorificate Deum in corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei. & 1. Petr. 3. v. 11. ut in omnibus glorificetur Deus per Jeſum Chriſtum.* 3. Deprædicando ipſius beneficia. *Impleamini Spiritu loquentes vobis ipſis per pſalmos & hymnos, & cantiones ſpirituales, canentes & pſallentes in corde veſtro Domino: gratias agentes ſemper de omnibus in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Deo & Patri, inquit Paulus ad Epheſ. 5. v. 18. & ſeqq.*

5. Quartò ut operibus carnis & tenebrarum renunciemus. *Nam cùm appetitus noſter inordinatus reddiderit nos Deo inimicos: in fide autem verſantes Deum ſummè diligamus: omnibus modis appetitûs inordinatis operationibus reſiſtendum nobis erit. Nam qui quammaximè quem diligit fugit omne illud quod ipſi inimicum eſt. Facere namq; opera carnis inimicitia cum Deo eſt. Rom. 6. v. 12. & 13. Ne regnato pecca-*

tum

tum in mortali veſtro corpore, ut auſcultetis ei in cupiditatibus corporis. Neq; ſiſtite membra veſtra arma injuſtitiæ peccato: ſed ſiſtite vos Deo, ut ex mortuis vivos, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo.

6. Quintò ut nos exhibeamus Deo filios obœdientes. *Omnes enim qui credimus in Chriſtum filii Dei ſumus. Gal. 3. v. 26. Ne quisquam vos decipiat inanibus ſermonibus, inquit Paulus ad Eph. 5. v. 6. & ſeqq. Propter hæc enim venire ſolet ira Dei in filios inobœdientes. Ne ſitis igitur conſortes illorum. Eratis quondam tenebræ, nunc autem lux in Domino! ut filii lucis ambulate (Nam fructus Spiritûs ſitus eſt in omni bonitate & Juſtitiâ & veritate) probantes, quid acceptum ſit Domino.*

7. Sextò. Ut mundum & Sathanam vincamus. *Quoniam omne quod natum eſt ex Deo vincit mundum: & hæc eſt victoria quæ vicit mundum Fides noſtra. Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit quòd Jeſus eſt Filius Dei. 1. Joh. 5. v. 4. & Rom. 12. v. 2. Ne conformate vos ſeculo iſti ſed transformate vos per renovationem mentis veſtræ, ad hoc, ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona illa placens & perfecta.*

8. Et in ſummâ, ut redeamus ad imaginem Dei per lapſum amiſſam per Chriſtum reſtauratam. *Ita enim ait Paul. Col. 3. v. 10. Induite novum illum hominem, qui renovatur in agnitionem congruentem imagini ejus, qui condidit ipſum. & ad Epheſ. 4. v. 23. & 24. Renovamini Spiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum conditus eſt ad Juſtitiam & ſanctimoniam veram add. Rom. 6. v. 6. Nam imago Dei in homine ante lapſum conſiſtebat in ſanctitate & cordis puritate; quia tota anima hominis erat pura nihil deforme habens. Hæc imago reſtauratur in nobis per fidem. Nam Deus fide in Chriſtum corda noſtra purificat. Actor. 15. v. 9. & per Jeſum Chriſtum ſanctificat. 1. Cor. 1. v. 2.*

9. Quamvis autem fides noſtra nonnunquam langveſcat: reſuſcitanda tamen ſemper eſt. 1. lectione Verbi divini. *Nam Evangelium Chriſti eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Rom. 1. v. 16. 1. Cor. 1. v. 18.* 2. ardentibus precibus. *Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit. Luc. 11. v. 10. & Deus vult, ut ſemper oremus. Luc. 18. Obſecrationi inſtate, vigilantes in eâ cum gratiarum actione, ait Paulus Col. 4. v. 2. indeſinenter orate 1. Theſ. 5. v. 17.* 3 frequentiori ſacræ cœnæ uſurpatione. *Nam hoc Sacramentum inſtituit Chriſtus in ſui commemorationem, ut quoties comedamus panem hunc & de poculo hoc bibamus mortem ipſius annunciemus donec venerit. 1. Cor. 11. v. 26. Scilicet licet renovati ſimus à Spiritu S., carnales tamen adhuc ſumus venditi ſub peccato: quod enim agimus non probamus, nec quod volumus facimus, ſed quod odimus hoc agimus. Rom. 7. v. 14. & 15. appetitu*

ritus enim noſter etiamſi Spiritu S. illuminatus ſit intellectus practicus, tantam in nobis vim habet, ut patiamur hunc quandoq; quieſcere: quemadmodum contingit illud ipſum & in non renatis honeſtæ vitæ operam dantibus. Sed noſtrum eſt, adhibitis illis mediis modò enarratis nos iterum erigere.

MEMBR. III.

DE FRUCTU AMICITIÆ QVÆ EST EX FIDE CUM DEO.

1. Quamvis ſi omnia fecerimus, fateri cogamur, nos ſervos inutiles eſſe: DEVS tamen ex ſummâ gratiâ, ut amicus quidam noſter & qui nos tanquam opus ſuum ſummè diligit, cuique accepti redditi ſumus per fidem in Chriſtum, nobis credentibus vitam æternam pollicitus eſt. *Nam finis fidei ſalus animarum eſt. 1. Petr. 1. v. 9. Deus enim tradidit Filium unigenitum, ut omnes qui credunt in eum non pereant, ſed habeant vitam æternam.*

2. Hoc donum, quod nobis ſuis amicis Deus promiſit, omnem felicitatem, quam homo excogitare poteſt excedit & ipſa feliciſſima felicitas eſt. *Nam talis eſt, qualem mens humana capere hac in vitâ non poteſt. 1. Cor. 2. v. 7. & ſeqq. Conſiſtit enim vita æterna in plenâ & perfectâ Dei viſione: ita enim ait Chriſtus ipſe: qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum,* & manifeſtabo ei meipſum, *Joh. 14. v. 21. & Joh. 17. v. 24. ait: Volo, ut ubi ego ſum, etiam illi ſint mecum, ut videant claritatem, quam dediſti mihi. & Matth. 5. v. 8. Beati mundi corde; quia videbunt Deum, & Paulus 1. Cor. 13. v. 12. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem à facie ad faciem. & Johannes 1. ep. 3. v. 2.* Cum apparuerit, ſimiles ei erimus: videbimus enim eum ſicuti eſt. *Hæc Dei viſio omne id, quod jucundum dici poteſt, excedit: eſt enim ipſa Dei jucundiſſima vita. Nam Deus jucundiſſimè vivit ſeipſum intuendo & imaginem ſuam ſubſtantialem contemplando. Elevabit ergò Deus noſtrum intellectum qui nunc ſine tempore ſine quanto vix quicquam intelligere valet, ut eum velut ens illud ſummum, quod extra omne tempus vivit, ſuiipſius contemplatione gaudens etiam nos ſpeculemur, illiusq; jucundiſſimæ vitæ, quam ipſe vivit, participes fiamus.*

3. Hæc eſt illa ſumma & principaliſſima amicitiæ ſpecies, à quâ omnis reliqua amicitia Chriſtianorum dependet; quique in ſpe illius ſummi boni obtinendi hanc etiam in mediis tribulationibus & adverſitatibus jucundiſſimè colunt. *Nam reputant, non eſſe pares afflictiones præſentis temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur erga ipſos. Rom. 8. v. 18.*

4. Quâ de cauſsâ etiam breviter de hac ex noſtrorum Theologorum orthodoxorum ſcriptis quædam dicere debui. *Nam politici & legislatoris Chriſtiani ſtudium Theologico ſtudio ſubjectum eſt: cogiturq́ hic intra limites, quos Theologus præſcribit, ſe continere. Prudentia enim, quæ in Chriſto fundata non eſt, mera ſtultitia eſt. His ergo breviter, & quantum ad noſtrum inſtitutum prodeſt, præmiſſis, percurremus modos variæ amicitiæ genera colendi, oſtenſuri, quomodo ſingula optimè coli debeant.*

CAP. II.

DE COLENDA AMICITIA QVÆ INTER DOCENTES ET DISCENTES EST.

1. Triplex occurrit conſideranda ratio colendi amicitiam quæ inter docentes & diſcentes eſt. *Nam qui docent vel mundanam vel divinam docent ſapientiam, & utriq́ vel debito modo veram ſapientiam colendo vel turpis lucri gratiâ. Cum quibus quidem nulla amicitia eſſe poteſt: dicendum tamen eſt, quo pacto hi alios homines in amicitiam ſuam trahant, & ita decipiant.*

MEMBR. I.

DE AMICITIA QVÆ EST INTER DOCENTES ET DISCENTES SAPIENTIAM HUMANAM.

1. Diverſa ſunt officia docentium diſcentiumque, quæ invicem in colendâ amicitiâ retribuunt. *Nam amicitia hæc inæqualis eſt, & ſuperiori loco docens, inferiori diſcens eſt. Hinc duobus diſtinctis articulis de his acturi ſumus.*

ARTIC. I.

DE SAPIENTUM OFFICIIS IN COLENDA CUM DISCENTIBUS AMICITIA.

1. Quò amicitia hæc ritè colatur, ſapiens verâ ſapientiâ inſtructus eſſe debet. *Nam qui verâ ſapientiâ inſtructi non ſunt nec docere poſſunt: eſt enim docere ſingularum rerum cauſſas demonſtrare. Nam τὸ ὅτι rerum quilibet ſibi ipſi per experientiam parare debet, τὸ διότι à ſapiente tradendum. Quare conſtans amicitia non erit, niſi docens ſciat rerum cauſſas: diſcens enim ſi non audiat cauſſas, ſed in argumentis ſophiſticis aut dialecticis detineatur, ſemper in viâ veritatis permanebit, ad veritatem ipſam non perveniet, & ita vivet cum præceptore vitam moleſtam.*

ſtam. Eſt namq; moleſtum nunquam finem ſuum & perfectionem obtinere. Perfectio autem cognitionis eſt noſſe res ſingulas per ſuas cauſſas, & quòd hæ rerum cauſſæ ſint.

2. Quò carus ſapiens habeatur, non modò cauſſas rerum docere, ſed & errores depellere & errantem reducere in viam corrigereq; debet. *Nam ſtudioſi veritatis qui ſunt, ſummam ex correctione hac jucunditatem percipiunt. Nam perceptio tam gratæ mutationis, quando ex errore quis reductus in viam ipſam veritatem conſpicit, cuiq; ſapientiæ ſtudioſo gratiſſima eſt. Quemadmodum exiſtit jucundiſſimum in tenebricosâ ſylvâ oberranti accipere prælucentem & in viam reducentem.*

3. Eſt & docentis, cujusque ingenio ſe accommodare & nihil docere niſi id, cujus principia auditori nota ſunt. *Nam progredi ex incognitis nullam parit ſcientiam. Debent enim principia, ex quibus fit intellectualis cognitio, eſſe notiſſima. Qui verò ſentit, ſe nihil diſcere nec in ſcientiâ proficere moleſtiâ afficitur, quia fruſtrà & non benè ſe laborare percipit.*

ARTIC. II.
DE
OFFICIO DISCENTIUM.

1. Diſcentium eſt ſummum in auſcultando exhibere ardorem. *Nam cui docenti non operam damus, ſentit ſe fruſtrà operari, & proinde moleſtiâ afficitur. Debet ergò avidè quæ docentur haurire, diſcens, quò amabilis docenti exiſtat.*

2. Eſt & diſcentium ſæpius rogare ea de quibus dubitant. *Nam hoc pacto docens & ardorem diſcendi animadvertens & ſciens quid docere debeat ſentit, ſe non fruſtrà laboraturum eſſe. Unde diſcens eidem erit jucundiſſimus.*

3. Decet præterea diſcentes quæ didicerunt datâ occaſione proloqui & graves quandoque de rebus abſtruſis diſcurſus inſtituere. *Nam hoc pacto docens ſeipſum in iisdem ſentiet, eosq; ſummè diliget.*

4. Et in ſummâ diſcentium eſt, eâ aviditate diſcere, ut docens quotidiè animadvertat progreſſum.. *Nam quo magis ſuorum laborum fructum quis ſentit, eo jucundior labor eſt.*

5. Diſcentium porrò eſt, honore compenſare quod remunerare pecuniâ vel alio modo nequeunt. *Nam ſapientia, quam à docentibus hauriunt, æſtimari nequit, ac proinde nec æquivalens pro eâdem reddi poteſt. Decet ergò diſcentes obſervare, quod ſuprà in inæquali amicitiâ faciendum eſſe diximus, ut ſcil. cultu & honore compenſare ſtudeant quod remunerare nequeunt.*

 6. Con-

6. Conſiſtit autem cultus in ſignis, quibus oſtendunt, ſe eſſe inferiores & eos, à quibus ſapientiam habent, non modò ſummè vereri, ſed etiam admirari. *Nam admiratione & veneratione digni ſunt qui res abſtruſiſſimas norunt. Hinc docente loquente diſcentes omnes ſilere ſtatim debent: hoc enim diſcens docenti naturaliter debet, & hoc quandam admirationem indicat.*

7. Converſatio diſcentium cum docentibus non nimis libera eſſe debet, nec etiam à diſcentibus temerè quid aſſerendum, quod ſententiam docentis impugnet. *Hoc enim velut ſigno indicant diſcentes, ſe agnoſcere ſuam imbecillitatem in errando & certitudinem à docente requirere.*

MEMBR. II.
DE
AMICITIA VERBUM DEI DOCENTIUM ET DISCENTIUM

1. *Iterum hîc duo conſiderabimus. 1. officia docentium. 2. diſcentium.*

ARTIC. I.
DE
OFFICIIS DOCENTIUM VERBUM DEI QVIBUS ET DEO ET HOMINIBUS AMABILES SUNT.

1. Officium miniſtrorum verbi divini ab ipſo Deo eſt. *Nam Deus dedit alios Apoſtolos, alios prophetas, alios autem Evangeliſtas alios autem paſtores & doctores ad inſtaurationem ſanctorum in opus adminiſtrationis, in ædificationem corporis Chriſti, Epheſ.4. v. 11. & 12. 1. Cor. 12. v. 28.*

2. Amabiles ergò Deo & hominibus fiunt miniſtri verbi. 1. ſi ſint tenaces Verbi nec quicquam addant vel detrahant, nec ullâ re patiantur ſe dimoveri. *Ita enim præcipit Paulus Timotheo 2. Tim. 1. v. 13. & 14. Formam habeto ſanorum verborum, quæ à me audiſti cum fide & caritate, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Egregium depoſitum ſervato per Spiritum S. qui inhabitat in nobis. Idem 1. Tim. ult. v. 20. ait: ô Timothee, depoſitum ſerva, devitans profanas vocum inanitates, & oppoſitiones falſæ ſcientiæ.*

3. Secundò ſi ſint apti ad docendum. *Nam niſi aptitudinem docendi habeant, nec proficient per ipſos auditores: adeoq́, moleſti potius erunt quàm jucundi & amabiles. Hinc Paulus in Epiſcopo requirit, ut ſit διδακτικός. 1. Tim. 3. v. 2. 2. Tim. 2. v. 24.*

4. Tertiò

4. Tertiò ſi contradicentes redarguere validi ſint. *Tit. 1. v. 9. Nam præcavere eos decet, ne qui in Eccleſiâ ſunt ſeducantur.*

5. Decet autem eos magis exemplo quàm verbis docere. *Nam tota ſcientia Chriſtianorum quà talium conſiſtit in imitatione Chriſti: docent ergò imitari Chriſtum: at imitatio actionum magis exemplo quàm verbis docetur. Quâ de cauſâ requiritur in Epiſcopo, ut ſit irreprehenſibilis & inculpatus 1. Tim. 3. v. 2. Tit. 1. v. 7. quò exiſtat τύπος τῶν πιστῶν ἐν λόγῳ, 1. Tim. 4. v. 12. 1. Petr. 5. v. 3. Semet ergò tanquam in conſpectu exiſtentes imitandos exhibere debent: ita enim qui laici ſunt Chriſtum imitari diſcent. 2. Theſſal. 3. v. 9.*

6. In docendo ſeſe accommodent captui auditorum. *Nam & Chriſtus ipſe multis parabolis loquebatur hominibus ſermonem Evangelii, prout poterant audire, Marc. 4. v. 33. Ita Paulus inquit 1. Cor. 3. v. 2. Lactis potu vos alui, & non cibo: nondum enim poteratis, imò ne nunc quidem adhuc poteſtis. Nam adhuc carnales eſtis.*

7. Curam habeant animarum & pro his coram Deo indeſinenter intercedant. *Hi namq; apud verè fideles erunt maximè amabiles.*

ARTIC. II.
DE
AUDITORUM OFFICIO.

1. Quò debitam auditores cum fidis verbi miniſtris colant amicitiam Deoque grati & accepti ſint, debent iisdem præbere alimenta, ſeu honeſtam ſuſtentationem. *Ita enim ait Paulus* 1. *Cor.* 9. *v.* 11. 13. 14. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, num magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus? Neſcitis, quoniam qui ſacris operantur, quæ de ſacrifitiis ſuperſunt edunt? Et qui altari deſerviunt cum altari participant: ita & dominus ordinavit his, qui Evangelium annunciant, de evangelio vivere; & ad Gal. 6. v. 6. Communicet qui in ſermone inſtituitur cum eo, qui ſe inſtituit, omnia bona.*

2. Præbere quoque unusquisque ſe debet ejus, qui animarum curam habet, diligentem & auſcultatorem & imitatorem. *Nam ita ſentient, ſe benè operari in Chriſto, ſummâq; cum jucunditate officium facient. Hebr. 13. v. 17. Obedite ductoribus veſtris & obſecundate: excubant enim ipſi pro animabus veſtris, tanquam rationem reddituri, ut cum gaudio faciant, & non ſuſpirantes: id enim eſt vobis inutile.*

3. Et quia rependere non poſſunt auditores beneficium quod à miniſtris verbi divini accipiunt, eo honore, qui diſpenſatores, cooperatores & legatos Dei 1. *Cor.* 3. *v.* 9. 2. *Cor.* 5. *v.* 20. decet iisque conveniens eſt, illos proſequi debent. *Nam ita Paulus ait:* 1. *Tim.* 5.

v. 17. Qui benè præſunt presbyteri duplici honore digni ſunt: maximè qui laborant in ſermone doctrinæ.

4. *Quæ hic ſubjici poſſent de ſophiſtis differimus ad tractatum de ſimulatâ amicitiâ.*

MEMBR. III.

DE OFFICIIS MUTUIS IMPERANTIUM ET PARENTIUM.

1. **Duo ſunt genera imperantium, ac proinde de utriſque, quomodo ſuam, quam habent, colere amicitiam debeant dicendum eſt.** ***Nam alii imperant civiliter alii heriliter.***

PARS PRIMA
Membri tertii

DE AMICITIA CIVILITER IMPERANTIUM ET PARENTIUM COLENDA.

1. ***Progrediemur circa officia civiliter imperantium & parentium conſuetâ methodo; dicturi primò de officio imperantium,***

ARTIC. II.

DE OFFICIO IMPERANTIUM.

1. Imperantium eſt ſuam publicè prudentiam ſuasque virtutes oſtentare. *Nam omnis amicitia parentium & imperantium, quòd ſibi cari acceptiq́; ſint, dependet à virtute ipſorum, & cumprimis prudentiâ. In omnibus ergo prudentes ſeſe exhibere debent. Quemadmodum enim qui minus pulchri ſunt hominem pulchrum inſpicientes admirantur, colunt & amant, ita & civiliter parentes id facient; præſertim cùm ſpem habeant hanc actionum pulchritudinem ſibi acquirendi.*

2. Debent & imperantes eorum qui parent curam habere, quò in virtutibus proficiant. *Nam ſi parentes ſentiant, ſe in virtutibus augmentum capere, reddentur hiſce ſummè amabiles.*

3. Cumprimis autem Chriſtianos magiſtratus decet Deum colere & revereri. *Nam in pietate reliquæ omnes virtutes Chriſtianorum ſunt fundatæ. Deut. 17. v. 18. & 19. Rex quum inſidebit ſolio regni ſui, deſcribet ſibi exemplum legis in libro, eritq́; penes eum, & leget in eo omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Deum ſuum & obſervare omnia verba hujus legis, & ſtatuta iſta, faciendo ea. Et Pſalm. 2. v. 11. Colite ò Reges Jehovam cum reverentiâ & exultate cum tremore. Oſculamini filium, ne iraſcatur & pereatis in viâ cum exarſerit ira ejus. Beati omnes qui ſperant in eum. It. Exodi 18. v. 21. Elige ex omni plebe viros ſtrenuos & ti-*

& timentes Deum, in quibus ſit veritas. Fit autem hoc ipſum 1. collapſum religionis cultum fideliter reſtaurando. 3. *Reg.* 18. *v.* 4. *& cap.* 23. 2. hæreſes, quantum fieri poteſt exſtirpando. *Deuter.* 17. *v.* 18. *& c.* 13. *v.* 5. *Pſalm.* 2. *v.* 10. *Eſaia* 49. *v.* 23. 3. Curam habendo miniſtrorum verbi, quò orthodoxi ſint, & vitæ integri. *exemplo* Jojadæ 2. *Par.* 23. *v.* 18. Ezechiæ. 2. *Paral.* 29. *v.* 20. Joſiæ. 2. *Par.* 36. *v.* 14. ſplendida ædificia, in quibus cultus divinus exerceatur, exſtruendo, conſervando, collapſa reſtituendo. *Nam ita unà & pietatis & magnificentiæ ſpecimen exhibebitur. Exemplum præbet Salomon* 1. *Reg.* 5. *v.* 4. *& c.* 6. *v.* 2. *& c.* 8. *v.* 64.

ARTIC. II.

DE

OFFICIO CIVILITER PARENTIUM.

1. Civiliter parentium eſt præcepta imperantium & actiones eorundem obſervare & diligentiſſimè imitari. *Nam ita ſummè amabiles erunt imperantibus, quia percipiet hos eſſe opus ſuum, & deprehendens in iisdem aliquid ſui eos ſincerè amabit.*

2. Eſt & parentium imperantibus convenientem exhibere honorem. *Nam civiliter imperantes in virtutibus parentes perficiunt; parentes verò imperfectam virtutem habentes tale quippiam retribuere nequeunt, multò minus aliud æquivalens: nihil enim eſt quod virtutem æſtimet. Quapropter quod remunerando conſequi poſſe nequeunt honorum exhibitione ſupplere debent. Id enim & præcipitur Rom.* 13. *v.* 7. *in fin. & Petrus* 1. *ep. c.* 2. *v.* 17. *Deum timete. Regem honorate. Scil. alius cultus Deo alius regibus debetur: unicuiq; enim conveniens honor exhibendus eſt.*

3. Cumprimis autem ſuum erga imperantes amorem declarabunt pro iisdem orando. *Nam quem ſalvum & incolumem volumus, pro hoc coram Deo ardentibus precibus intercedimus. Ita Paulus ait* 1. *Tim.* 2. *v.* 1. *&* 2. *Hortor, ut fiant obſecrationes, orationes, deprecationes pro Regibus & omnibus in eminentiâ conſtitutis, ut quietam & tranquillam vitam agamus.*

PARS SECUNDA

Membri tertii.

DE

AMICITIA HERILITER IMPERANTIUM CUM PARENTIBUS.

1. Heriliter imperant qui ſubditis ſuis utuntur velut ſervis, id eſt, quemadmodum paterfam. diligens eos tanquam inſtrumenta ad uſum vitæ ſuæ.

2. Vide-

2. Videtur autem inter hos exigua eſſe amicitia. *Nam nemo inſtrumentum ſuum magis amat, quàm quatenus ſibi utile eſt. Quin ſi quis hominibus liberis & ſub herili imperio vivere reſpuentibus ita imperat tyrannus eſt & in odio ſubditorum.*

3. Volunt tamen & qui tyranni ſunt amari & honorari à ſubditis ſuis. *Nam hic malorum mos eſt, ut cùm nihil boni habeant, teſtimonium tamen virtutum ab aliis petant & lætentur, ſi in opinione ſint, ac ſi virtuoſi exiſtant, licet virtutis nihil habeant. Quemadmodum enim ſophiſtæ contenti ſunt, ſi videantur docti, licet non ſint: ita mali diſſimulantes ſua vitia volunt videri præclaris animi donis inſtructi, & omnia benè agere, ſuoq; munere præclarè fungi. Ridiculi autem ſunt qui ſubditos ſerviliter tractant, & tamen ab hiſce teſtimonium virtutis petunt. Quale enim hoc erit quod à ſervilibus hominibus proficiſcitur.*

4. Si ergò amicitia inter tyrannum & ſubditos intercedit à parte ſubditorum ſimulata & adulatoria eſt. *Nam adulator eſt, qui ſe longè inferiorem & alterius admiratorem cultoremq; ſimulat: nemo autem, niſi talis ſit, cum tyranno amicitiam colere poſſe videtur.*

5. An ergò, quia Chriſtianos non decet adulari, ejusmodi tyranno nullum honorem nullum amorem exhibebunt? *Nequaquam: ſcriptum eſt enim, principi populi tui non maledices. Actor. 23. Exod. 22. v. 28. ita ergò debemus circa tyrannos nos gerere, ne contra fidem & Chriſtianas virtutes quicquam committamus. Ita namq; Chriſtus ait: Matth. 22. v. 21. Reddite Deo quæ ſunt Dei, & Cæſari quæ ſunt Cæſaris. Erant autem tempore Salvatoris noſtri Cæſares tyranni, quorum imaginem ſatis ad vivum depinxit Tacitus. Nam & ſine adulatione tyrannis obœdientes eſſe poſſumus. Chriſtianorum ergò ſub tyrannorum poteſtate viventium eſt obſervare illud Pauli Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus ſupereminentioribus ſubdita ſit: non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Itaq; qui reſiſtit, ordinationi divinæ reſiſtit. & Petri monitum. 1. ep. c. 2. v. 13. Subditi eſtote cuivis humanæ creaturæ, propter Dominum, ſive regi tanquam præcellenti, ſive præſidibus, ut qui per eum mittantur ad vindictam quidem nocentium, laudem autem rectè agentium. Quoniam ſic eſt voluntas Dei ut benefaciendo os obduretis hominibus ſtultis & ignorantibus. Tributa quoq; exacta ſolvenda ſunt, ſecundum Pauli monitum Rom. 13. v. 6. & 7. Reddite igitur omnibus quæ debetis, cui tributum debetur, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timor, timorem; cui honor, honorem. Sed in hoc ſumma cura poſita ſit Chriſtianis, ne magis tyrannis quàm Deo pareant. Deus namq; ſuper omnia eſt amandus. Ita Daniel alloquebatur regem: Notum tibi ſit Rex, Deos tuos nos non eſſe culturos, & imaginem auream, quam erexiſti, non adoraturos. Rom. 3. v. 16. ita Apoſtoli Petrus*

&

& Johannes: An juſtum ſit, in conſpectu Dei vobis potius auſcultare, quàm Deo, judicate. Actor. 4. v. 19. & actor. 5. v. 29. dicunt apoſtoli: Obœdire Deo magis oportet quàm hominibus. & Paulus 1. Cor. 7. v. 3. Precio empti eſtis: nec eſtote ſervi hominum. Hinc Chriſtus ita nos jubet Cæſari quod Cæſaris reddere, ut reddatur Deo quod Dei eſt.

6. Singularem ergò virtutem exercent Chriſtiani amantes propter Chriſtum quoad cultum externum quoq; eos qui apud omnes in ſummo etiam ſunt odio. *Nam regem amore & honore dignum amare & honorare etiam externa dictitat honeſtas: at exemplo Chriſti etiam tyrannis ſolvere vectigalia & tributa promptè & ſine moleſtiâ à Chriſtianorum provenit virtute, qui & ſuos inimicos, eosq; à quibus perſecutionem patiuntur, amant.*

CAP. III.

DE AMICITIA QUÆ INTER PARENTES ET LIBEROS EST RITE COLENDA.

1. *Doctrinam de officio parentum & liberorum duobus articulis comprehenſuri ſumus.*

ARTIC. I.

DE OFFICIO PARENTUM.

1. Parentum officium, quod ipſis amicitia imponit, eſt 1. Liberis proſpicere de alimentis. *Nam dum liberi ſunt idem cum parentibus, tanquam ex his velut ſuo principio producti, caritas naturalis ducit parentes, ut his proſpiciant de alimentis. Id namq; & in beſtiis obſervamus, procreans procreato proſpicere & ut habeat alimentum curare, donec hoc ſibi quærere cibum poſſit. Quatenus ergò identitas hujus amicitiæ fundamentum eſt, parentes alliciuntur ad ſubminiſtranda liberis quæ ad vitam neceſſaria ſunt.*

2. Secundum officium eſt, ut rationem habeant educationis quò liberi perficiantur in virtutibus, cumprimis autem in pietate erga Deum. *Hæc enim prima cura parentum eſſe debet, ut à pueris ſacras literas liberi norint, quæ eos poſſunt eruditos reddere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. 2. Tim. 3. v. 15.*

3. Eſt autem ratione curæ morum aliud patrum aliud matrum officium. *Nam 1. liberorum maſculorum cura magis patrum videtur, famellarum magis matrum: ſuperius enim docuimus, imperium, quod mas & fœmina in familiâ habent, eſſe ariſtocraticum, ſingulisq; ratione virtutum propriarum competere. Virtutes verò ad quas liberi*

maſculi educandi ſunt patribus inſunt; ad quas femellæ, matribus. Habent enim ſinguli ſexus ſuas ſibi proprias virtutes, v. g. virorum propria virtus eſt fortitudo, & prudentia, ut ſcil. ſuam familiam tueantur & foris verſentur mediantibus negotiis & contractibus quærendo quæ domi neceſſaria ſunt; contra mulierem eſt, domi parſimoniam exercere, quo quæ maritus acquiſivit ritè cuſtodiantur & ad uſum in familiâ præparentur, regimenq́; circa culinam exerceant. Quare patres dabunt operam, quo maſculi liberi prudentes, fortes & ita temperantes, quemamodum maſculos decet, fiant; matres verò, quò filiæ adſueſiant parſimoniæ & præparandis cibis, quoq́; evadant pudicæ. Nam temperantia in pudicitiâ conſiſtens propria mulierum virtus eſt. Et quia mulierum amicitia cum maritis requirit ſubmiſſionem quandam; ſtatim à teneris matres ſuas filias ita adſuefacere debent, ut reverentiam diſcant præſtare ſuperioribꝰ. Hinc jubet Paulus Titum informare anus ut honeſta doceant, quo nimirũ modeſtas reddant adoleſcentulas, ut maritos ſuos diligant, ut liberos ament, ut ſobriæ ſint, puræ, domus cuſtodes, bonæ, ſubditæ ſuis viris. Tit. 2. v. 3. & ſeqq.

4. Et quia à teneris magis ad malitiam homines proni ſunt, quandoque decet parentes caſtigare liberos: omnis tamen opera dari debet ut cum voluptate quâdam opera virtutis tractare diſcant. *Nam poteſtas patria non in ſeveritate ſed in pietate conſiſtit, quo liberi virtuoſi evadant. Hinc Paulus ad Col. 3. v. 21. Patres, ne provocetis liberos veſtros, ne deſpondeant animum. Et Epheſ. 6. v. 4. Vos patres, ne provocetis ad iram liberos veſtros, ſed educetis eos ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου. Quantum ab officio pietatis abfuerint leges Romanæ in iis, quæ de poteſtate liberorum tradiderunt, ex hiſce addiſci poteſt. imitatur enim patria poteſtas regium non tyrannicum imperium.*

6. Poteſtas autem patria & cura educandi eousq; ſe extendit, quousque liberi prudentiâ patris indigent. *Nam fruſtrà eſt imperium ubi quis prudentiâ eò pervenit, ut ſeipſum regere valeat. Unde iterum apparet, quantum LLatores Romani errârint, liberos non modò reddendo inſtrumenta acquirendi patribus, ſed & concedendo, ut poſſent eos in poteſtate retinere, quoniq́; vellent.*

6. Amicitia ergò à patribus efflagitat, ut liberos adultos & ſatis prudentiæ habentes emancipent, tantumque bonorum iisdem addant, quò patresfam. fieri poſſint. *Nam niſi quis aliquod corpus bonorum ſeu familiam habeat, patrisfam. officio fungi nequit. Cùm enim liberorum gratiâ parentes acquirant, liberiq́; quamdiu in familiâ ſunt velut partes parentum, quodammodo paternorum bonorum domini exiſtant: (cujus gratiâ enim inſtrumentum aliquod vitæ eſt, is hujus dominus eſt.*

Quod

Quod pluribus infrà, quando de dominio acturi ſumus tradetur.) neceſſe eſt cum ipſis, quando à familiâ ſeparantur etiam aliquam particulam familiæ ſeu corporis, bonorum quæ ipſis inſerviat, unà ſeparari. Id quod iterum non intelligentes LLatores Romani liberos ſeu ſub poteſtate patrum ſeu emancipati eſſent miſeros & infelices reddiderunt. Tantum nocumenti affert Reipublicæ, LLatorem fundamenta amicitiæ ignorare.

ARTIC. II.
DE
OFFICIO LIBERORUM ERGA PARENTES.

1. Cùm à parentibus liberi vitam & educationem habeant, idque tantum beneficium ſit, quod æſtimari & remuneratione æquari nequit: debent quod rependere nequeunt honore compenſare. *Nam quod in inæquali amicitiâ remunerando conſequi non poſſumus, loco ejus honorem tribuendum eſſe ſuprà docuimus.*

2. Honor autem offerendus parentibus ſimilis divino ſeu ei, qui Deo debetur, longè tamen inferior. *Nam & Deus & parentes dant vitam; ille ut ſubſtantia à quâ omnes omnium ſubſtantiarum mobilium motus pendent, hic ut Dei quoddam opus & cauſſa ab eodem dependens: addit namq; pater ſemen, quo natura velut inſtrumento in efformando homine utitur. Cùm ergò jura amicitiæ exigant, ut ſingulis convenientes tribuantur honores, Deo debebitur ſummus cultus, parentibus autem is qui hiſce conveniens eſt.*

3. Fiunt autem liberi amabiles præſtando obœdientiam parentibus. *Nam ita perficiuntur in virtutibus & patres ſentiunt non modò ſe benè fungi munere educationis, ſed etiam ſuam imaginem in liberis non modò quoad carnem verum quoq; quoad virtutes conſpiciunt. Quod ipſis ſummè jucundum eſt. Chriſtianos liberos cumprimis decet hanc ſuam virtutem exercere ad imitationem Chriſti, qui licet unà verus Deus eſſet, tamen obœdiens ſuis parentibus erat. Hinc Paulus Coloſ. 3. v. 20. Filii obœdite parentibus in omnibus. Hoc enim benè placet Domino. & Epheſ. 6. Filii obœdite parentibus veſtris* in Domino. *Nam id eſt juſtum. Honora patrem tuum & matrem (quod eſt præceptum primum in promiſſione) ut benè ſit tibi, & ſis longævus in terrâ. Matth. 15. v. 4. Marc. 7. v. 10. Exod. 20. v. 12. Deuter. 5. v. 16. Decet ergò liberos ſubjectos eſſe parentibus cum omni reverentiâ. 1. Tim. 3. v. 4.*

4. Non autem tantùm honorem & obœdientiam liberi parentibus debent quamdiu in familiâ ſunt; ſed etiam poſtquam ſunt emancipati. *Nam beneficium parentum non deſinit, licet emancipatio ſit facta. Et quanquam quando emancipati ſunt tantum prudentiæ cen-*

ſeantur habere, ut ſibiipſis proſpicere poſſint. Sunt tamen prudentiæ gradus, teneanturq; aliàs qui juniores ſunt ſeniorum conſilia ſequi.

5. Parentibus, qui per ſenectutem ſibi quærere neceſſaria ad victum nequeunt, aut per adverſam fortunam in extremam paupertatem ſunt conjecti, alimenta liberi debent. *Nam hæc remuneratio eſt planè conveniens beneficio, quod liberi à parentibus acceperunt.*

CAP. IV.

DE OFFICIIS CONJUGALEM AMICITIAM COLENTIUM.

1. Non in unum amicitiæ genus incidit, quo felix & ſalva conjugalis ſocietas redditur. *Nam benevolentia, à quâ hæc ſocietas capit initium, ex conſilio eſt & non à principio eodem ſemper provenit: interdum enim divitias velut utile bonum, interdum pulchritudinem in facie, geſtibus, motu &c. vel etiam facetias, velut jucundum bonum: interdum parſimoniam, pudicitiam &c. velut honeſta bona reſpiciunt qui matrimonium ineunt.*

2. Honeſta amicitia, quæ ineſt matrimonio, naturam habet imperii Ariſtocratici, quod inter eos eſt, qui diverſarum virtutum ſunt. *Nam alia virtus eſt maſculorum, alia fœminarum. Ut in ſuperioribus docuimus.*

3. Uxoris ergò eſt maritum ſincerè amare & in iis quæ ejus propria ſunt obtemperare. *Nam maritus prævalet ſcientiâ, prudentiâ iisq; virtutibus quibus domus regenda eſt. Hujus ergò imperium mulier audire & propterea ipſi velut capiti debitam reverentiam exhibere debet. Hoc à fœminis Chriſtum colentibus quammaximè exigitur. 1. Petr. 3. v. 1. & 2. Uxores ſubditæ ſitis veſtris viris, ut etiam qui non obtemperant ſermoni, per uxorum converſationem abſq; ſermone lucrifiant, dum conſiderant cum reverentiâ conjunctam caſtam converſationem veſtram. & Coloſſ. 3. v. 18. Uxores, ſubditæ eſtote propriis viris, ſicuti convenit in Domino. it. Epheſ. 5. v. 22. uxores propriis viris ſubditæ ſitis, veluti Domino. it. Paulus ad Tit. 2. v. 5. jubet ita educari fœminas, quò ſubditæ ſint ſuis viris.*

4. Spectat etiam ad uxores, virtutes, quas proprias habent, exercere. *Nam ex honeſtate colentes conjugalem amicitiam actionibus virtuoſis ſeſe amabiles reddunt. Conſiſtunt autem virtutes mulierum in parſimonia, in habitu curandi res familiares & amandi liberos, in munditie. Ita Paulus Tit. 2. v. 44. jubet adoleſcentulas ita educari, ut maritos ſuos diligant, liberos ament, ſobriæ ſint, puræ, domûs cuſtodes, bonæ,*

ſubditæ

ſubbita viro. Ad virtutes etiam mulierum ſpectat tolerantia in liberis procreandis & educandis. Hac non modo marito ſed & Deo mulierem gratam reddi teſtatur Paulus 1. Tim. 2. v. ult. Salva fiet mulier per generationem liberorum, ſi manſerint in fide ac dilectione & ſanctificatione cum caſtitate. Quammaximè verò ornat mulierem caſtitas. Nam ſi impudicæ ſint mulieres, dubium reddunt maritum de liberis & non modò in odio apud eundem ſunt, ſed etiam efficiunt, ut, quæ agenda in ſalutem liberorum ſunt, negligat: unde tota familia infelix redditur.

5. Ornatus mulierum debet eſſe modicus, & talis qui placeat marito. *Si enim ulterius quàm decet in ornatu mulier progrediatur, non modò ſuſpicionem excitat, quaſi aliis placere laboret; ſed etiam peccat contra parſimoniam, quæ ipſius propria virtus eſt.* Magis autem mulier interno animæ ornatui operam dare debet. *Id enim non modò recta ratio ſed & verbum Dei exigit. 1. Petr. 3. v. 3. & ſeqq. Mulierum ornatus ſit non externus, qui ſitus eſt in plicaturâ capillorum & additione auri, aut in palliorum amictu:* verùm occultus qui eſt in corde homo, ſi careat omni corruptelâ, ita ut ſpiritus placidus ſit ac quietus, qui in oculis Dei magnifica ac ſumptuoſa res eſt. *Nam ad eum modum olim & ſanctæ illæ mulieres ſperantes in Deo comebant ſeſe, & ſubditæ erant ſuis viris.*

6. Vir contrà & Deo & mulieri amabilis fit, 1. ſi mulieri præſit tanquam caput ejusdem, imitando Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum. *Nam in omnibus noſtris actionibus imitari Chriſtum debemus. Datur autem occaſio marito in matrimonio id faciendi; quia Chriſtus comparatur in ſacris literis ſponſo & Eccleſia ſponſæ. Et quemadmodum mulier deſiderat naturaliter virum tanquam caput ſuum: ita Eccleſia unicum caput agnoſcit Jeſum Chriſtum. Quapropter inquit Paulus Epheſ. 5. v. 25. & ſeq. Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam & ſemetipſum tradidit pro eâ, ut illam ſanctificaret mundatam lavacro aquæ per verbum: ut adhiberet eam ſibi ipſi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam ejusmodi, ſed ut eſſet ſancta & irreprehenſibilis.*

7. Et inde ſequitur. 2. quòd maritus uxorem, ut ſuum corpus diligere debeat. *Nam maritus caput mulieris eſt ratione amicitiæ. Ergò & ut corpus ſuum eam debet diligere. Hinc Paulus ad Epheſ. 5. v. 28. & ſeqq. Sic debent viri diligere ſuas uxores ut ſua ipſorum corpora. Qui diligit ſuam uxorem ſe diligit. Nullus enim unquam ſuam ipſius carnem odio habuit: imò nutrit ac fovet eam, ſicut & Dominus Eccleſiam. Quoniam membra ſumus corporis ejusdem, ex carne ejus, & ex oſſibus ejus. Hujus rei gratiâ relinquet homo patrem & matrem, & adjunga-*

jungetur uxori ſuæ: atq; e duobus fiet una caro. Myſterium hoc magnum eſt. Verùm ego loquor in Chriſto & in Eccleſiâ. Quanquam & vos ſingulatim ſuam quiſq; uxorem diligat tanquam ſeipſum. Uxor autem ut revereatur virum.

8. Sciat autem & maritus comiter imperare uxori. *Neq; enim herile exercet imperiũ ſeu tale quale dominus habet in ſervos: ſed quia ſexus femininus imbecillitate quâdam laborat; mariti eſt prudentiâ ſuâ eidem ſubvenire, & ſicubi erret mulier illam ſuaviter corrigere. Ita Petrus ait 1. ep. c. 3. v. 7. Viri cohabitent ſecundum ſcientiam velut infirmiori vaſi muliebri impartientes honorem, tanquam etiam coheredes gratiæ vitæ, ne interrumpantur preces veſtræ.*

9. Viri & uxoris porrò converſatio caſta debet eſſe. *Verſantur enim in actu rei venereæ, circa quem exercenda eſt temperantia, ſervando mediocritatem, ne ſcil. vel in totum altera pars ab alterâ abſtineat, vel debitum conjugale nimium exigat. Hinc Paulus 1. Cor. 7. v. 3. & ſeqq. uxori vir debitam benevolentiam reddat: ſimiliter autem & uxor viro. Uxor proprii corporis jus non habet, ſed maritus: ſimiliter & maritus proprii corporis jus non habet, ſed uxor. Ne fraudetis vos invicem, niſi ſi quid ex conſenſu, pro tempore, ut vacetis jejunio & precationi: & rurſum in unum conveniatis, ne tentet vos Sathanas propter intemperantiam veſtram. Nam quibus non data eſt heroica temperantia, in matrimonio vivere coguntur & temperantiam ex mutuo conſenſu exercere.*

10. Quæ in ſolâ utilitate poſita eſt amicitia conjugum diuturna non eſt & multis referta querelis. *Nam maritus qui divitem uxorem duxit, dotem, poſtquam eam accepit, parvi æſtimat. Contrà uxor, quæ dotem dedit, ſe plus dediſſe, quàm onera matrimonii exigunt, conqueritur. Nonnullæ fœminæ ita argumentantur:*

Qui plus in ſocietatem contulit, ei primæ debentur partes
Ego hoc feci. E.

Et hoc ſyllogiſmo ſeductæ maritis ſtudent adimere imperium, quod naturaliter iisdem debetur. Contrà ſi mulier dotem nullam aut admodum exiguam, aut minorem quàm præ ſe ferebat, dederit; maritus conqueritur, ſe minus accepiſſe, quam promiſſum erat aut onera matrimonii requirunt.

11. In jucunditate ſolâ poſita eſt conjugum amicitia, ſi vir ad matrimonium fertur ineundum pulchritudine mulieris illectus. Hæc autem quoque minus diuturna eſt. *Nam pulchritudo corporis cum ætate accreſcente minuitur; quo facto etiam de amore remittitur: prout namq; intenditur vel remittitur amabile, ita & amor. Deficiente autem cultu, oriuntur querelæ & criminationes. Volunt enim amari & coli pulchræ mulieres.*

12. Sem-

12. Semper autem amicitia conjugum firmior eſt, quando liberiori conſenſu matrimonium inierunt. *Nam ejuſmodi amicitia à majori benevolentiâ initium cœpit, adeoq́ magis per ſe amicitia eſt.*

13. Multum quoque ad conſtantiam amicitiæ facit debita ætatis proportio. *Nam maritus, utpote cui imperium competit, ætate quodammodo excedere uxorem debet: ætas enim minor aliquid auctoritati ipſius detrahit; quia prudentia, quæ in imperio requiritur, cum tempore paratur.*

CAP. V.

DE FRATERNA AMICITIA COLENDA.

1. Fraterna amicitia in æqualitate quâdam conſiſtit, ac proinde in eâdem velut in ſodalium amicitiâ æqualia ſunt retribuenda. *Sunt enim fratres in unis parentibus idem quiddam & præterea coætanei: quia partis ætatem excipiunt.*

2. Hæc augetur, ſi parentes pariter liberos amant, & in iisdem educant ſtudiis. *Si enim imparia tractant ſtudia & alter præ altero diligitur, inæqualitas ſuboritur: vult autem fraterna amicitia æqualitate conſervari.*

3. Nos Chriſtiani maximâ cum jucunditate hanc amicitiam columus, cogitantes Jeſum Chriſtum Salvatorem fratrem noſtrum eſſe, atque hunc nos imitari; ut quemadmodum ille nos; ita nos invicem nos diligamus. *De hac mutuâ caritate & amicitiâ cantare poſſumus canticum Davidis. Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaronis, quod deſcendit in oram veſtimenti ejus: ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem & vitam usq́ in ſeculum.*

CAP. VI.

DE CONSANGVINEORUM ET AFFINIUM AMICITIA COLENDA.

1. Conſangvineorum & affinium amicitia imitatur partim eam, quæ inter parentes & liberos eſt, partim etiam fraternam. *Nam conſangvinei & affines omnes vel ſimiles ſunt fratribus & ſororibus, velut conſobrini, comprigni &c. vel parentibus & liberis; quia patruus, avunculus, amita, matertera parentum perſonam repræſentant.* Quapropter ad imitationem eorum, quæ hactenus de amicitiâ parentum & liberorum, fratrum item inter ſeſe diximus, hæ amicitiæ ſunt colendæ.

2. Eſt

2. Eſt autem proprium hujus amicitiæ, ut ſcil. qui eam colunt ſingularem honorem ſibi invicem exhibeant in nuptiis, genethliis &c. *Nam hi actus proprii eorum ſunt qui in unâ gente vel familiâ vivunt.*

CAP. VII.

DE AMICITIA COLENDA QVÆ INTER DOMINUM ET SERVUM EST.

1. Inter dominum & ſervum videtur nulla propemodum eſſe amicitia. *Nam inter dominum & ſervum tantundem juris & amicitiæ videtur intercedere, quantum intercedit artifici cum inſtrumento, animo cum corpore. Artifices enim fovent ſua inſtrumenta & ſtudent ea conſervare quatenus proſunt ad uſum: ſed nemo dicet amicitiam aut jus artificibus cum inſtrumentis eſſe. Eſt autem ſervus nihil aliud quàm inſtrumentum ſui domini domeſticum: quà ergò ſervus eſt nulla cum ipſo amicitia eſt; ſed quatenus huic accidit hominem eſſe. Eſt itaq; amicitia inter dominum & ſervum ex accidenti.*

2. Sed quamvis duriſſima ſervorum ſit conditio, adeò ut beſtiis æquiparentur, poſſunt tamen ſervi Chriſtiani jucundè in Chriſto vivere & ex amicitiâ quâdam dominis ſuis inſervire; dum quod ethnici ſervi ex neceſſitate, hi ex benevolentiâ erga dominum imitantes Chriſtum faciunt. *Nam Chriſtus formam ſervilem aſſumens etiam pro ſervis mortuus eſt. Quare Salvatorem ſuum in humilitate & patientiâ imitantes ejus imaginem in ſervitiis ſuis dominis præſtandis repræſentare, & ita æq; felices ac ii, qui omnibus imperant, eſſe poſſunt. In quo enim Chriſtus habitat & operatur ſatis felix eſt. Hinc Paulus inſtruit Titum, quid docere ſervos debeat, in hunc modum: Servos hortare, ut ſuis dominis pareant, in omnibus illis placeant, non reſponſatores, non ſuffurantes, ſed fidem omnem oſtendentes bonam: ut doctrinam Servatoris noſtri ornent in omnibus. Tit. 2. v. 9. & ſeqq.* Quin dum ſervi ex voluntate Chriſti obœdiunt, non hominum ſed Chriſti ſervi ſunt, ſervilia munera quaſi ipſi Chriſto præſtantes. *Epheſ. 6. v. 5. ait: Servi obœdite iis qui domini ſunt juxta carnem, cum timore ac tremore, cum ſimplicitate cordis veſtri tanquam Chriſto, non ad oculum ſervientes velut hominibus placere ſtudentes, ſed tanquam ſervi Chriſti, facientes quæ vult Deus, ex animo; cum benevolentiâ ſervientes Domino & non hominibus; illud ſcientes, quòd unusquiſq; quod fecerit boni hoc reportabit à Deo, ſive ſervus fuerit, ſive liber.* Hoc pacto quoque cum jucunditate acerbis Dominis ſervire poſſunt. *Nam quod Chriſtiani in Chriſto & per Chri-*

Chriſtum operantur hoc jucundiſſimum ipſis eſt. Quâ de cauſâ Petrus ita hortatur ſervos: Famuli ſubditi ſint cum omni timore Dominis, non ſolùm bonis ac humanis, verùm etiam pravis. Nam hæc eſt gratia, ſi quis propter conſcientiam Dei ſuffert moleſtias, præter meritum affectus malis. Quæ enim eſt laus, ſi quum peccantes alapis cædimini, ſuffertis? Sed ſi quum benefacitis, tamen malis afficimini, ſuffertis, hæc eſt gratia apud Deum. Si quidem in hoc vocati eſtis; quoniam & Chriſtus afflictus eſt pro nobis: relinquens nobis exemplum, ut inſequeremini veſtigia ipſius. 1. Petr. 2. v. 18. & ſeqq.

3. Contrà domini fidem Chriſtianam colentes ad majorem amorem ſervis ſuis præſtandam, quàm ſolam honeſtatem ſectantes obligati ſunt. *Nam domini ſciunt Chriſtum Salvatorem omnes æq; diligere pro omnibus æq; paſſum & mortuum eſſe. Hinc Paulus ita hortatur dominos: Vos domini jus & æqualitatem ſervis exhibete, ſcientes, quòd & vos habeatis Dominum in cœlis. Coloſſ. 4. v. 1. & ad Epheſ. 6. v. 9. ita ait: Vos Domini eadem facite erga illos, remittentes minas; ſcientes, quòd & veſter ipſorum Dominus eſt in cœlis, nec perſonæ reſpectus eſt apud illum.*

CAP. VIII.

DE COLENDA AMICITIA CUM DIVERSI GENERIS HOMINIBUS.

1. Quò minus eadem cum omnibus hominibus converſatio ſit, morum diverſitas, & quòd non omnibus eadem jucunda vel utilia ſint, cauſſa eſt. *Nam hæc tria amabilia eſſe ſuprà poſitum eſt.*

2. Sed cumprimis mores hominum conſiderandi ſunt, ſi cum omnibus amicè vivere velis. *Mores namq; cujusq; indicant quæ ſingulis utilia queq; jucunda ſint.*

3. Mores diverſos tribuunt hominibus Natura, Adſuefactio & Fortuna. *Quapropter etiam tribus diſtinctis membris de moribus variis hominum dicturi ſumus.*

MEMBR. I.

DE MORIBUS QVOS TRIBUIT HOMINIBUS NATURA.

1. Naturales cujusque mores indicant 1. temperamentum, 2. ætas. 3. ſexus.

ARTICUL. I.

DE TEMPERAMENTIS QVATUOR, ET MORIBUS, QVOS TRIBUUNT HOMINIBUS.

1. Oriuntur temperamenta ex quatuor combinationibus qualitatum, calidi, humidi, frigidi, ſicci. *Nam quamvis quatuor ſex modis combinari poſſint: ſunt tamen duæ combinationes humidi nim. & ſicci, calidi & frigidi impoſſibiles.*

2. Dantur ergò quatuor temperamenta, Cholericum, calidum & ſiccum; ſangvineum, calidum & humidum; phlegmaticum, humidum & frigidum; melancholicum, frigidum & ſiccum.

3. Hæc autem temperamenta rurſus differunt. *Nam cholericum, quod magis calidum quàm ſiccum eſt, diverſum eſt ab eo, quod magis ſiccum quàm calidum exiſtit: & ita porrò in cæteris.*

4. Hinc licebit etiam temperamenta dividere ſecundum quatuor elementa, nim. in igneum, aëreum, aqueum & terreum. Igneum temperamentum eſt quod magis calidum quàm ſiccum exiſtit. *Nam ignis magis calidus quàm ſiccus eſt: ignis quippe eſt quidam exceſſus caloris, fervorq́; calidi.* Aëreum eſt quod magis humidum quàm calidum eſt. Terreum eſt quod magis ſiccum quàm frigidum exiſtit. Aqueum quod magis eſt humidum quàm calidum.

5. *Sangvineum temperamentum in calore conſiſtens & humiditate reddit homines.* 1. celeriter & acutè excandeſcentes quique ſtatim ſedantur. *Nam quemadmodum ignis effer veſcere aquam facit, quæ tamen citò iterum frigeſit: ita ſe habet in temperamento ſangvineo: exceſſus enim caloris velut ignis facit humidum efferveſcere & ebullire, quod non aliter ac aqua calida etiam reliqua calefacit: unde hic motus vehemens, quem excandeſcentiam vocamus. Sed quemadmodum aqua citò iterum tepeſit & eò citius quò minus terreni inſe continet: ita quoq́; fit in ſangvineo temperamento eò magis, quò minus terreni admixtum habet.* 2. temulentorum mores imitantes. *Nam ebrietas ex ſuperfluitate calidi & humidi naſcitur. Sunt autem temulenti bonæ ſpei, confidentes, nihilq́; mali metuentes, liberaliores & nullâ re indigentes, in rebus venereis incontinentes, facetiis, riſui dediti, à convictu & ſodalitate volentes recedere. Tales ergò colligimus & ſangvineos eſſe.* 3. valde concupiſcentes. *Nam beneficio caloris excitantur ſpiritus quibus appetitus utitur movetq́; hominem. Quò ergò medium potentius eſt, eò & vehementior eſt operatio. Hæc eadem ratio eſt quare etiam.* 4. ſangvinei ſint excellentiæ appetentes. *Calor enim excitat movetq́; ſpiritus, quos in ſe ſentientes nihil arduum eſſe reputant, velut naturâ inſtructi iis, quibus*

homi-

homines apti ſunt ad motus & operationes. 5. Verecundos etiam hoc temperamentum reddit. *Nam videtur verecundia quædam flamma eſſe, quæ longè, leviter tamen urendo & calefaciendo, protenditur. (Videmus etenim ignem in carbonibus non protendi longius ſed vehementiſſimè urere, flammam longius protendi ſed urere levius) cùmque flamma ſit vapor accenſus: (Nam excitatur flamma circa ligna, quòd vapores exhaleſcentes accendantur) in temperamento ſangvineo contingit tale quiddam, ut ſcil. ignis i. e. exceſſus quidam caloris (Nam ignis nil aliud quàm caloris exceſſus eſt) in ſubtiliſſimis vaporibus, qui conſiſtunt in humido excitetur: unde flamma citò protenditur in faciem, rubicundumq́, reddit, leviter quaſi urendo.* 6. Sunt & ſangvinei mutabiles. *Nam calor eſt quiddam aptum ad varia agendum, humidum ad recipiendum & amittendum. Quemadmodum videmus aquæ ſubitò quid imprimi impreſſumq́, ſubitò evaneſcere.* 7. Quia verò humidum varios gradus habet, etiam ſangvineorum non eſt eadem natura. Omnium optimi ſunt, quorum ſangvis eſt calidus tenuis & ſincerus: *ſunt namq́, & fortitudine & prudentiâ præditi, ingenioq́, multum valent. Quorum autem ſangvis paullò craſſior eſt, hi magis pollent viribus & robore corporis.*

6. Temperamentum melancholicum ſangvineo contrarium etiam contrarios gignit mores. *Nam melancholici* 1. ſunt magis ad odium quàm ad iram propenſi. *Ubi namq́, nullus eſt calor, ibi nec caloris exceſſus efferveſcentiam quandam excitare poteſt. Affecti ergò injuriâ melancholici, diu perpendunt meditanturq́, injuriam vel contemptum, nec vindictam apertè quærunt confidentiâ destituti, ſed occaſionem expectant nocendi.* 2. nihil valdè concupiſcunt: *deſtituuntur enim calore velut medio. Quam eandem ob cauſſam.* 3. nec excellentiæ appetentes ſunt ſed puſillanimi. *Utpote nihil in ſe commotum ſentientes quod vires habeat. Quicquid enim movet indiget quâdam facultate & robore; robur capitur à ſpiritibus congenitis: ubi ergo nullus eſt ſenſus excitati roboris vel commotorum ſpirituum, ibi gignitur animus ad altiora non tendens velut ſentiens ſe viribus deſtitutum.* 4. neceſſe quoque eſt, ut melancholici habeant mores contrarios iis, quos temulentis ineſſe deprehendimus. *Ubi enim defectus calidi & humidi eſt, ibi deeſſe neceſſe eſt ea, quæ à ſuperfluitate caloris & humiditatis gignuntur.* Sunt itaque melancholici meticuloſi & nullius ſpei ſed omnia metuentes, parci & tenaces, ſemperque indigentes, temperantes nec appetentes res venereas, facetias, riſum, convictus ſodalitatesque fugientes. 5. Nec etiam gratas in ſeſe ſentiunt mutationes, nec ullus in eis vigor eſt. *Frigus enim naturâ eſt propenſum ad conſiſtendum, & ſiccum minus aptum ad varia recipiendum, ſed quod impreſſum habet firmiter tenet.*

7. Phlegmatici qui ſunt timidiores exiſtunt. *Nam metum in frigore conſiſtere exinde colligitur, quod metu affecti eadem patiantur, quæ illi quorum membra occupavit frigus, nim. ſtridorem dentium, pallorem, tremorem omnium membrorum. Quod part. 2. lib. 1. pluribus docuimus. Sunt autem timidiores ii quorum ſanguis eſt dilutior. Nam quemadmodum aqua eò citius congelaſcit, quò purior limpidiorq́; eſt, ita & frigus ſanguinem dilutiorem citius conſiſtere facit. Unde & major naſcitur metus. Qui autem plurimum terrei admixtum habent, eorum humor conſiſtere tandem poteſt. Unde fit ut qui lenti ſunt ad iram, quando diutius detinentur in calore licet exiguo tandem furioſis ſimiles fiant & cholericis. Nam calore in humido & terreno diu detento, evaporatur quod humidum eſt & terrenum calefactum conſiſtit. Habent &* 2. phlegmatici mores mulierum moribus ſimiles. *Nam harum temperamentum collatum ad maſculorum temperamentum ad humidum & frigidum inclinat. Hinc fit quod mulieres ſint timidæ & meticuloſæ, minus prudentes & ductore indigentes, capiteq́; quod eas ſoletur & defendat, huic adhærentes, ſimplices, quæq́; ſecreta domus pandant. Tales ergò & ſunt phlegmatici.*

8. Cholerici ingenia habent animoſa, iracunda & furibunda magis. *Nam ira conſiſtit in exceſſu caloris ſeu igne, ſiccum autem tanquam firmius & ſolidius ignitum & suprà modum calefactum urit; id quod in lapide, ferroq́; deprehendimus. Quibus ergò multum ineſt caloris & plenum ſanguinem repletum fibris habent, in hiſce fibræ velut ſolidæ & terrenæ fervorem quendam in corpore faciunt, non aliter ac ſolida calefacta: unde ille furor. Hinc videmus animalia maximè animoſa & furibunda habere ſanguinem fibris refertum & omnium celerrimè coeuntem & dureſcentem.*

ARTIC. II.
DE MORIBUS DIVERSARUM ÆTATUM PROPRIIS.

1. Tres ſunt diſtinctæ hominum ætates, nim. juvenilis, ſenilis & ætas media. *Quapropter & tribus diſtinctis partibus hoc in articulo de his acturi ſumus.*

PARS PRIMA
Articuli ſecundi
DE MORIBUS JUVENUM.

1. Duo ſunt naturalia morum in juvenibus principia, Temperamentum & Prudentia. *Videtur namq́; ſingularum ætatum proprium*

primum quoddam eſſe temperamentum, & ſecundum ætates prudentiam augeri part. 1. lib. 2. dictum eſt.

2. Docet autem experientia, juvenilem ætatem humido & calido præ cæteris ætatibus abundare: adeoque ad cæteras comparatam ſangvineæ complexionis eſſe; ſenectutem verò calidi humidique defectu & proinde complexione frigidâ & ſiccâ laborare. Vnde conſequitur, mediæ maturæque ætatis homines etiam mediam & benè mixtam complexionem habere.

3. Sunt ergò juvenes, quod temperamentum eorum concernit, 1. proni ad iracundiam, & ita quidem, ut celeriter & acutè excandeſcant, mox tamen ſedentur. 2. valdè concupiſcentes. 3. Excellentiæ appetentes. 4. Verecundi & ad pudorem faciles. 5. confidentes & bonæ ſpei. 6. paulò liberaliores. 7. Incontinentes in rebus venereis. 8. facetiis, riſui, luſibus dediti, convictus ſodalitateſque amantes. *Nam hos eſſe mores eorum qui calido & humido abundant præc. artic. demonſtravimus.*

4. Quod prudentiam juvenum concernit, eſt ea planè imperfecta. *Nam ætas eorundem ejusmodi experientiam non admittit, quæ ad perfectam requiritur prudentiam. Conſiſtit autem prudentia in hiſce, 1. ut certus finis ſit propoſitus, ad quem tenditur. 2. ut bona conſultatio fiat, quæranturq́ media ad finem ducentia: ad quam conducunt duo; primò ſcientia univerſalium ſeu propoſitionum practicabilium & deinde habitus ſentiendi ea quæ faciunt res ſe aliter atq́ aliter habere: hiſce enim non perſpectis, nec univerſalia per ſcientiam cognita ritè applicari poterunt. Quæ verò faciunt, ut quid aliter atq́ aliter eveniat, inſunt materiæ circa quam prudens verſatur. Materia circa quam prudens verſatur ſunt res & homines. Rerum contingentiam ut aliter ſe habeant operatur & fortuna & malitia hominum calliditasq́ in ſimulando poſita. Hæc probè perpenſa non modò probabunt quod demonſtrandum eſt, prudentiam juvenum planè imperfectam eſſe, ſed & in quibus imperfectio illa conſiſtat manifeſtum facient. Nam nihil horum perfectè juvenibus ineſſe ſequentia docebunt.*

5. Juvenes certum finem propoſitum non habent ad quem tendunt, ſed mutabiles ſunt in horas & inconſtantes. *Eſt namq́ juvenilis ætas variis expoſita affectibus, cùm propter temperamentum calidum & humidum, quod præ cæteris potens eſt in excitando appetitu iraſcibili & concupiſcibili, facitq́ ut homines celeriter & acutè excandeſcant, vehementer concupiſcant, ſed mox iram remittant, mox neglecto hoc aliud concupiſcant; quia celeriter à quovis objecto moventur: Tum etiam quia nondum ſatis firmatâ ratione id quod reverà bonum eſt ab appa-*

renti diſtinguere nequeunt; & ita ſectantur bona apparentia, quæ varia ſunt, & afficiunt hominem prout ab eo ſentiuntur. Nam apparentia bona movent hominem, quatenus ſenſum afficiunt, gignuntq́; phantaſiam: at verum bonum intellectus cognoſcit & dijudicat. Hinc juvenis aſpiciens alium probè ornatum amari à virginibus, & phantaſiam de amore illo, quàm jucundus ſit, faciens tendit ad amorem puellarum tanquã ad ſcopum vitæ ſuæ; mox videns alium magnifieri ob duella feliciter geſta, & phantaſiam ſibi faciens de gloriâ, quæ inde paratur, vitam pugillatoriam eligit: nunc videns, hunc vel illum ob eruditionem magnifieri, ſe accingit ad ſtudia; mox ponente phantaſiâ ob oculos ſuavitatem otii & converſationis cum ſodalibus, deſerit ſtudia, immemorq́; fit gloriæ & honoris parandi. Ex hiſce patet, quænam ſint cauſſæ inconſtantiæ & mutabilitatis in juvenibus.

6. In juvenem etiam non cadit facilè ſcientia rerum practicabilium. *Nam licet juvenes poſſint univerſales propoſitiones prudenti neceſſarias memoriæ mandare, ut quovis tempore recitare queant; faciunt tamen id plerumq́; ſine intellectu: primò enim in univerſalia non ſatis penetrare poſſunt, ſed recitant ea quemadmodum pueri verſus Empedoclis, ob intellectum adhuc quodammodo cæcum & non ſatis excultum: deinde occæcat eos appetitus, ut aſſenſum ſatis firmum præbere univerſalibus nequeant. Aliter namq́; intellectus practicus aliter theoreticus entia componit dividitq́; hic liberè, ille præpeditus appetitu. Quâ de cauſsâ & juvenis aptior eſt ad ſcientiam aliquam theoreticam quàm practicam apprehendendam.*

7. Deeſſe & juveni habitum ſentiendi ea quæ faciunt hoc vel illud ſe aliter habere ætas facit. *Nam longa ad id requiritur experientia, ut quid fortuna quid hominum malitia & ſimulatio poſſit perſpiciamus.*

8. Hinc ratione defectus prudentiæ colligimus mores juvenum dicimusque eos eſſe. 1. inconſtantes in ſuis propoſitis & facilè mutabiles. *Id enim num. 5. ſatis demonſtratum eſt.* **Præ cæteris tamen bonis honeſta & jucunda eligere.** *Nam utilis nullam habent rationem, velut nondum experti indigentiam. Quare ceſſat in iisdem provida in pecuniis quærendis cura & in his conſervandis parſimonia: liberalioresq́; ſunt, alliciente ipſos & temperamento.* 2. Vivere opinione magis & legibus ſeu præſcriptis aliorum quàm propriâ prudentiâ. *Nam qui ipſe ſcientiam non habet opinione & aliorum præſcriptis utitur. Ita enim nobiſcum comparatum eſt, ut ſi ipſi in rerum naturam penetrare nequeamus & verum perſpicere, aliorum, quos ſcire putamus, ſententias ſectemur.* 3. Eſſe credulos non ſuſpicaces, & propterea aptos ad decipiendum. *Nam per ætatem nondum ſatis perſpectam habent homi-*

num

num malitiam & ſimulationes. Unde operantes ſecundum ea quæ tantùm apparent, facilè decipi poſſunt. 4. Eſſe quodammodo pronos ad miſericordiam. *Nam cùm nondum malitiam hominum compertam habeant, concipiunt omnes mala indignè pati: hoc autem præbet principium miſericordiæ: ſed quia hoc unicum non ſufficit ad opera miſericordiæ exercenda, niſi cogitemus, & nobis hæc evenire, opera miſericordiæ ſæpè negligunt; quia ob levitatem ingenii & laſciviam id non meditantur.* 5. Bonam ſpem habere de quovis fine obtinendo, aureoſque ſibi montes polliceri. *Nam qui ignorat quid poſſit fortuna, quidvis putat ſe feliciter ad finem perducere poſſe.*

PARS SECUNDA
Articuli ſecundi.
DE MORIBUS SENUM.

1. Senum mores contrarii ſunt moribus juvenum. *Sunt namq; & temperamento & ætate contrarii: eſt enim ſenum temperamentum frigidum & ſiccum ei, quod calidum humidumq; eſt, contrariè oppoſitum. Ratione autem ætatis contrarii ſunt, quia ſenes multos annos, juvenes paucos numerant, hi habent ætatem accreſcentem illi deſcreſcentem. Unde ſenes meditantur magis præterita, juvenes magis futura.*

2. Prudentia ſenum maxima eſſet, ob ſummam experientiam, niſi temperamentum eorum crearet mores prudentiam corrumpentes. *Nam quemadmodum virtus nulla eſt ſine prudentiâ, ita nec prudentia poteſt eſſe ſine virtute & moribus. Unde fit, ut moribus corruptis corrumpatur & eadem: Sed cùm prudentia ſemel acquiſita videatur non facilè amitti poſſe; conſiderandum eſt, quo pacto in ſenibus id accidat.*

3. Temperamentum in ſenibus frigidum & ſiccum facit, ut ſint 1. depreſſi in vitâ & puſillamini. 2. meticuloſi. 3. parci & tenaces. Ad quæ in ipſis corrigenda nulla prudentia ſufficere videtur. *Nam ſentientes quotidiè deſtructiones virium & ſpirituum, in quibus robur conſiſtit, ſimiles ſunt ægrotis, puſillanimiq; & queruli exiſtunt. Uti enim fortiſſima animalium demittunt animum animadvertentia ſibi robur decedere: ita & natura trahit homines ad idem faciendum decedentibus ſpiritibus, fruſtrà contranitente rectâ ratione.* Puſillanimitas facit ut queruli ſint. *Nam fortes qui ſunt parviſaciunt mala non magna, magnis quærunt remedia: at puſillanimi quaſi non valentes ſibi conſulere ad querelas confugiunt.* Metum in iiſdem quoque non minuit ipſorum longa experientia, ſed propemodum auget. *Dum enim refrigerans temperamentum excitat metum, experientia longa cauſſam metuendi confirmat proferendo exempla, quam multi inopinatis caſibus ſubmerſi*

merſi fuerint; quoties contigerit, ut, dum longè periculum abeſſe exiſtimaverint, jam vertici imminuerit. Hæc & talia efficiunt, ut ſenes omnia etiam tutiſſima circumſpiciant. Nec parcam & tenacem ipſorum vitam improbat, ſed approbat longa illa, quam habent, experientia. *Hæc namq; docuit ipſos, quàm difficilis ſit acquiſitio facilis amiſſio bonorum, exemplis partim propriis, partim aliorum in egeſtatem lapſorum. Hæc eſt cauſſa, quare non magna & glorioſa nec jucunda, ſed utilia & ad vitam pertinentia perſequantur.*

4. Quoad reliqua prudentiæ requiſita ipſis nihil deeſſe poteſt. *Nam ſi dederint philoſophiæ operam, adepti erunt perfectiſſimam ſcientiam, ob ætatem perfectiſſimam. Aut ſi hoc non fecerint:* non tamen ducentur ad quid temerè aſſerendum, ſed omnibus adjicient limitationem dicentque fortè, fortaſſe ita eſſe. *Nam qui in multis deprehendunt ſe erraſſe, non faciles & proni ſunt ad temerè aſſerendum.*

5. Circa ea quæ faciunt aliter atque aliter res ſe habere etiam plus quàm decet ſolliciti ſunt ſenes. *Nam cùm ſæpiſſimè decepti ſint, nemini fidem tribuunt & omnia in malam partem interpretantur, pleniq; ſuſpicionum ſunt.* Unde fit, ut nec multum ament nec multum oderint. *Nam licet frigus magis ad odium quàm amorem eos moveat; ita tamen odio habent tanquam amaturi, & ita amant tanquam odio habituri. Nam increduli ſunt & ſuſpicaces nec amicis nec delatoribus multum fidei tribuentes.*

6. Porrò ad mores ſenum ſpectat, ut quùm tædio vitæ duci debeant ob decrementum virium, vivere quàm maximè cupiant. *Dum enim vitam fugientem intuentur, redduntur quaſi vita indigentes. Quâ autem re indigemus, eam vehementer cupimus.*

7. Ad docendum etiam pronos ſenes videmus, quemadmodum & ad præſcribendum. *Nam docere & præſcribere eſt ſentire & percipere ſe multa didiciſſe. Hoc autem jucundum eſt. Hinc videmus ſenes eos, qui non eruditi ſunt, in ſuorum annorum rerumq; geſtarum ſerie narrandâ totos dies conſumere, auditoresq; patientiſſimos ſæpènumerò defatigatos reddere.*

PARS TERTIA
Articuli ſecundi.
DE
MORIBVS EORVM QVI SVNT MEDIÆ ÆTATIS.

1. Qui mediæ ætatis ſunt habent omnia commoda conjunctim quæ ſenes & juvenes ſibi diſtribuerunt, & moderata ea quæ in iisdem excedunt & deficiunt. *Nam hiſce ineſt moderatum temperamentum: & cum hoc conjuncta quædam haud levis experientia.* Temperatus

ratus calor facit 1. ut non nimis confidant, nec nimis metuant; adeoque deſtituantur eo quod in juvenibus & ſenibus reprehenditur. 2. ut nec parcè & tenuiter nec luxurioſè vivant. 3. ut nec excandeſcant nimium nec remiſſum aliquod ſuſcipiant odium; ſed iraſcantur quibus & quomodo oportet. 4. ut fortitudinem cum temperantiâ,&temperantiam cum fortitudine conjunctas habeant.

2. Ineſt porrò hominibus mediæ ætatis, ut nec creduli nimis ſint, nec tamen & nemini credant, ſed potius ex veritate magis judicent. *Credulitatis enim cauſſa in juvenibus eſt defectus experientiæ; ſuſpicionum in ſenibus longiſſima experientia cum timiditate conjuncta. Cumq; Viri habeant experientiam cum fortitudine conjunctam: non impediuntur ab affectu vel vitio in veritatem inquirendam.*

3. Ducuntur & medii bono utili magis quàm jucundo, ita tamen ut nec negligant honeſtum. *Nam experti neceſſitatum quarundam moventur quidem ad quærenda utilia, ita tamen ut calore, quem adhuc habent excitentur ad non negligenda præclara & glorioſa.*

ARTIC. VI.

DE

MORIBUS MULIERUM.

1. Mores mulierum à moribus virorum differunt propter temperamentum & imbecillitatem, quâ hic ſexus laborat. *Nam ſi mulieres conferas cum maſculis, deprehendes temperamentum paulò frigidius.*

2. Sunt autem mulieres meticuloſæ. *Nam frigidius temperamentum timiditatis cauſſa eſt: ob hoc enim phlegmatici & melancholici cenſentur cæteris timidiores.*

3 Student parſimoniæ & avaræ exiſtunt. *Nam cùm ſint meticuloſæ, tum & paupertatem quammaximè timent.*

4. Minus quoque prudentes exiſtunt: *ſimiles namq; ſunt phlegmaticis, quibus ſenſus inſunt parum mobiles. Hinc licet parcæ ſint, patiuntur tamen in contractibus ſe circumveniri. Quod ipſum occaſionem dedit SCto Velleiano.*

5. Mobiles quoque ſunt & inconſtantes. *Nam tantum prudentiæ non habent, ut certum aliquod bonum ſibi proponere & actiones eò dirigere valeant.*

6. Nec perfectas, quæ cum moleſtiis conjunctæ ſunt, virtutes acquirere valent. *Nam ob ſuam imbecillitatem & timiditatem impares ſunt rebus magnis ſuſcipiendis.*

7. Avidæ tamen dominii & poteſtatis exiſtunt. *Nam quo magis quis per naturā bono aliquo deſtituitur, eò magis & vehementius appetit;*

tit; præſertim ſi licentia occupandi illud detur, juxta illud: nitimur in vetitum.

8. Nuptæ quæ ſunt trahunt maritos ſuos, à quibus amantur, in ſimilia vitia. *Nam experientia teſtatur, mulierum ſuaſionibus ſæpè fortiſſimos in formidinem tractos fuiſſe.*

9. Pandunt etiam ſecreta domûs; *quia præterquam quod imprudentiâ laborent etiam loquaces exiſtunt.*

MEMBR. II.

DE COGNOSCENDIS MORIBUS, QVOS HOMINES ADSVEFACTIONE SIBI PARARUNT.

1. *Signa, ex quibus mores hominum, quos adſvefactione ſibi parârunt, cognoſcimus, ita diſtribuemus; ut primò dicamus de moribus in quibuslibet hominibus cognoſcendis, deinde de iis qui inſunt ſingulis vitæ generibus.*

ARTIC. I.

DE INDICANTIBUS MORES HOMINUM QVALIBET IN CIVITATE.

1. Indicantia mores hominum adſuefactione paratos ita poſſumus tradere ut ſc. doceamus, quibus vitioſi à virtuoſis dignoſcendi ſint, & deinde ex quibus ſignis ſingulæ virtutes ſingulaque vitia ſint cognoſcenda.

2. Virtuoſos à vitioſis diſtingvit conſcientia. *Nam quemadmodum vitioſos mala; ita virtuoſos bona comitatur conſcientia. Indicia itaq; malæ conſcientiæ ſunt quoq; indicia vitioſitatis. arguunt autem malam conſcientiam triſtitia, angor, crebra locorum mutatio, hominum conſpectum fugere & ſolitariam vitam eligere.*

3. Vitioſorum alii emendabiles alii inemendabiles ſunt. Inemendabiles indicat impudentia. *Nam emendationis remedium eſt pudor; qui ubi nullus eſt inemendabilem ſignificat.*

4. Virtutes & vitia in ſpecie indicant 1. Educatio. 2. operatio. 3. Virtutum vitiorumque connexio. 4. converſatio.

5. Circa educationem conſiderari debent patria & parentes; Circa patriam, quâ in formâ Reipubl. quis ſit educatus. *Nam educati in ſtatu ad democratiam inclinante ſunt homines ſummâ libertate ſemper utentes: finis enim democraticorum eſt libertas. Educati in ſtatu tyrannico ſunt adulatores, ſerviles, humiles & nullo ex honeſto ſpem habentes; hominibus ingenuis indigna facientes, timidi & in perpetuo pavore, omnem ſplendorem & magnitudinem famæ fugientes, nihil liberè*

loquen-

loquentes. His autem propemodum ſimiles ſunt in ſtatu oligarchico educati.

6. Parentum mores plerumque liberi imitantur. *Nam virtutes & vitia naturalia plerumq; à parentibus tanquam bona & mala hereditaria liberi habent. Hinc illud Horatii lib.* 4. *od.* 4. fortes creantur fortibus & bonis. *&c. His autem virtutum vitiorumq; ſeminariis accedit educatio: ita enim pleriq; parentes educant liberos, ut ſuis in moribus eosdem imbuant.*

7. Singularum virtutum ut & vitiorum ſunt propriæ operationes, quas probè inſpicere decet, ſi judicium de cujusque moribus facere velis. *Nam cùm vitia & virtutes ſint habitus firmiter inhærentes, ex unicâ operatione, quæ fit cum conſilio & ex propoſito, ſtatim tota hominis vita colligi poteſt.*

8. Tertiò etiam indicium morum præbet connexio & cohærentia virtutum & vitiorum. *Nam vitium unum, quod perfectè irradicatum inhæret, ſecum trahit alia, v.g. luxuria prodigalitatem, & hæc avaritiam. Intemperantes enim erogant pecuniam, & quando prodigè amiſerunt tendentes porrò ad luxuriam avari fiunt.*

9. Quartò indicat etiam cujusque mores converſatio. *Nam noſcitur ex ſocio qui non cognoſcitur ex ſe.*

ARTIC. II.

DE MORIBUS QVOS HOMINES HABENT RATIONE GENERIS VITÆ QVOD COLUNT.

1. Homines alii ſunt honeſtiores alii plebeji. Honeſtiorum mores cognoſcuntur ex iis, quæ ſingulas hominum virtutes indicant. Cognoſcuntur autem hæ ex operationibus, quæ ſecundum has fiunt. *De quâ re num. 7. præced. artic. dictum eſt. Plebejorum ergò hominum mores conſiderandi reſtant. Voco autem plebejos ſeu vulgus hominum qui ad virtutes & prudentiam educati non ſunt, ſed hoc tantum agunt, ut vivant & ad vitam ſufficientia habeant.*

2. Vulgus itaque hominum eſt 1. ſuperſtitioſum. *Nam de rebus divinis & cultu nihil judicare poteſt. Quâ de cauſâ ſæpè ducitur ad ludicra, queis putat, ſe Deo gratum exhibere officium, oſculando oſſa ſanctorum, vel etiam numos, quibus oſſa vel imagines ſanctorum tacta ſunt.*

3. Secundò novis movetur & percellitur. *Nam rerum cauſſas ignorans ſi quid novi in cœlo videat, trepidat, concurrit, rogitat quid ſit, quid portendat: & ita nova & inania admiratur.*

4. Tertiò præſentibus ſtudet, futura non cogitat. *Nam cogitare & prævidere futura prudentium eſt: at vulgus prudentiâ deſtituitur.*

5. Quartò. Eſt & inſtabile. *Nam ubi non eſt animus virtuti adſuefactus, ibi nec conſtantia ulla eſſe poteſt. Quoquo verſum ergò rapitur vulgus.*

6. Eſt etiam 5. ad omnia nova, quæ jucunda vel utilia videntur, lætum. *Nam futura & ſecutura perpendere nequit: ſed tunc tandem ſe erraſſe animadvertit, quando aliter res cadunt, quàm putabat.*

7. Nec etiam 6. quicquam modicè appetit. *Nam nullâ ratione appetitum regere valet. Hinc metu perculſum extremè metuit, extra metum poſitum etiam terret.*

8. Septimo. Mores non niſi domeſticos amat, incognitos odit. *Nam de nullâ re judicare valens amplectitur tantùm ea, quibus eſt adſuetum; incognita pro vitiis habet.*

9. Octavò. Nihil facilè niſi per parabolas addiſcere poteſt. *Sunt enim parabolæ & fabulæ adminiculum imbecillitatis. Docet nos hoc plebs Romana fabulâ Menenii Agrippæ in urbem reducta.*

10. Eorum qui vulgo annumerantur ſunt mercatores, opifices, ruſtici. In ſpecie ergò mores mercatorum in hoc poſiti ſunt, ut quicquid faciunt lucri cauſsâ faciant. *Nam finis horum cujus gratiâ operantur in divitiis conſiſtit.*

11. Opifices & mercenarii extra curam & ſolicitudinem magis quàm mercatores vivunt. *Nam ſingulis diebus quod habeant acquirere poſſunt.*

12. Ad ruſticorum mores pertinet, de aliis rebus ſollicitum non eſſe. *Semper enim habent quod agant quod meditentur.* Quapropter ſolent eſſe ſimplices non ſeditioſi ſed quietam vitam amantes.

13. Dividi porrò poſſunt homines ratione vitæ generis in paganos & milites. Eſt autem proprium militum, quòd ſint glorioſi. *Id quod docere voluit Plautus in ſuâ comœdiâ de milite glorioſo. Nam ex rebus fortiter geſtis lucrum & honores quærunt: quapropter eas exponunt venales quemadmodum medici circumforanei ſua unguenta.*

14. Poſſunt etiam diſtingvi homines in aulicos & politos & in eos qui domeſticam ſemper colunt vitam. Mores malorum aulicorum Tacitus ita breviter exprimit, quòd ſint ſuperioribus inſidioſi, æqualibus difficiles, inferioribus arrogantes.

MEMBR. III.

DE

MORIBUS EX FORTUNA.

1. Fortuna utraque parit tria hominum genera; proſpera, nobi-

nobiles, divites, potentes; adverſa, plebejos, pauperes, impotentes. *De his ergò tribus articulis tractaturi ſumus.*

ARTIC. I.

DE MORIBUS NOBILIUM ET QVI HISCE OPPONUNTUR PLEBEJORVM.

1. Nobilitas dignitas quædam eſt, quam majorum virtus tribuit, & per conſequens bonum tale, quod ſemel fortunâ negatum non datur, niſi ex fictione ejus, penes quem jura Majeſtatis ſunt.

2. Mores nobilium potiſſimum in his conſiſtunt. 1. quòd concipiant, ſe habere bonum honoratius, quàm cæteri homines & ad gloriandum magis idoneum. *Nam antiqua & longè remota fabulis aucta ſemper cenſentur honoratiora, quàm præſentia, licet fortaſſe hac majoris facienda ſint: nobilitas autem dignitas quædam eſt à longè remotâ & antiquâ virtute petita, quam hodierna ſecula, velut ſequiora capere non poſſe videntur.*

3. Hinc fit 2. quòd reliquos præ ſe contemnant. *Nam qui ſuam dignitatem poſitam concipiunt in bono, quod alii aſſequi nequeunt, cæteros præ ſe contemnunt. Vident enim cum Nicodemo neminem ex plebejâ natum in uterum nobilis fœminæ intrare & denuò naſci poſſe.*

4. Tertio, quòd aut ſtomachentur aut invideant, ſi deprehendant alios ad eandem dignitatem aſpirare. *Nam ſtomachatio affectus eſt, quem gignit opinio, alium bono, quod adeptus eſt, indignum eſſe. Concipiunt autem nobiles propterea cæteros indignos nobilitate, quod illorum bonum ſit recens, nec cum majorum ſuorum virtutibus quibus dignitatem iſtam acquiſiverunt comparandum.*

5. Sunt verò nobiles diſtingvendi: alii enim ſunt generoſi, alii degeneres. Generoſi ſunt, qui non deficiunt à virtutibus ſuorum majorum. Degeneres, qui à majorum moribus deflectunt. *Eſt enim generatio hominum velut proventus agrorum: neq; enim bonus ager ſemper fert fructus bonos, nec ex ſeminibus bonis ſemper ſimiles fructus naſcuntur: multa quippe in naturâ rerum ſunt accidentia, quæ pariunt errores. Eſt quidem naturæ conveniens, ut fortes creentur ex fortibus & bonis: at quia tria concurrunt ad generationem hominis mas, fœmina, aſtra; creberrimè contingit error. Quid enim poſſit influentia aſtrorum, quid phantaſia fœminæ circa generationem hominum, phyſicis notum eſt.*

6. Mores hactenus enarrati magis degeneribus quàm generoſis nobilibus inſunt. *Nam generoſi qui ſunt tanquam reverà virtuoſi magis ſeipſos ex ſuis quàm alienis virtutibus æſtimant, & proinde cæteros*

virtuoſos, etiamſi ex plebejis nati ſint, non contemnunt, nec talia, qualia cæteri nil boni proprii habentes fingunt.

7, Tendunt quoque generoſi qui ſunt ad altiora, ſtudentq; ſuorum majorum virtutes ſuperare. *Nam ita comparatum eſt, ut honorati ſemper altiora cupiant, nec perſequi omittant quæ ſeſe conſequi poſſe concipiunt.*

8. *Plebeji ita nominati quatenus nobilibus contradiſtinguuntur, vel honeſtiores ſunt ultra vulgus ſeſe erigentes, quorum mores conſiſtunt in virtutibus; qui autem in numero plebejorum manent, nec ſeſe erigunt, de his præced. membr. artic. 2. dictum jam eſt.*

ARTIC. II.

DE MORIBUS DIVITUM ET PAUPERUM.

1. Dives eſt, qui quando opus eſt, pecuniam in promptu habet. Eſt autem pecunia res, quâ bona omnia, quæ in commutationem cadunt, æſtimantur.

2. Divites concipiunt, ſe omnia bona habere. *Nam qui habet id quod cuncta æſtimat, cuncta habendi poteſtate gaudere videtur.* Unde felicitas divitum quædam demens felicitas eſt: *Dum enim cuncta bona ſe habere putant, omnibus deſtituuntur quibus vera felicitas humana paratur.*

3. Fiunt ergò ſuperbi & arrogantes. *Nam qui concipit, ſe habere omnia bona elatus & ſuperbus eſt: naſcitur enim in hominibus ſuperbia, dum inanes conceptus faciunt, ſe habere bona aut multa aut magna aut admiranda. Divites autem ſe cuncta bona in ſuâ manu habere concipiunt.*

4. Contemnunt reliquos. *Nam ſuperborum proprium eſt, alios contemnere. Contemptus autem in hoc conſiſtit, quòd putent ſe omnia bona, reliquos nihil habere.*

5, Sunt & delicati. *Omnibus namq; hominibus jucundum eſt ſuam oſtentare felicitatem: dum enim hoc faciunt, percipiunt, ſe felices, & hæc felicitatis perceptio jucunditas quædam eſt. Cum verò felicitas divitum conſiſtat in hoc, quòd putent, ſe omnia bona habere: oſtentatur ea hoc modo, ſi delectus fiat bonorum, & in quo vel minimum deſiderari poſſit, removeatur ab uſu. Hoc namq; pacto oſtentatur, nihil boni deeſſe. Qui enim pauca bona habent arripiunt quodvis & quocunq; modo ad uſum accommodatum. Quapropter delicati ſunt divites ſelectum in bonis, quibus abundant, facientes & levem ob cauſſam hoc vel illud ab uſu removentes.*

6. Magis tamen contumelioſi quàm malitioſi ſunt. *Nam qui alios lædunt vel lucri vel inanis gloriæ vel voluptatis cauſâ hoc faciunt.*

unt. Jam qui concipiunt, ſe omnia bona habere, neminem lucri cauſa lædunt. Ergò vel inanis gloriæ vel voluptatis gratiâ faciunt. Hi autem potius contumelioſi quàm malitioſi ſunt.

7. *Non obſtat noſtris demonſtrationibus, quod multi reperiantur divites homines abjecti animi & ſordidi. Nam definivimus divitem, eum, qui quando opus eſt pecuniam in promptu habet. At hæc definitio hominibus avaris & ſordidis applicari nequit. Hi enim quò plura habent eò pluribus indigent; magisq; pauperes quàm divites ſunt: animo quippe ſemper pauper eſt, qui ſemper eget. Quemadmodum & ſatis dives eſt, qui nullâ re eget.*

8. Sunt autem divites duorum generum: alii namque recentes & à ſeipſis partas poſſident divitias, alii eas à majoribus habent. Qui recentes poſſident divitias deterioris ſunt conditionis. *Nam præterquam quòd invidiam patiantur ab aliis, odium etiam gravius ſibi pariunt, dum ex imperitiâ ſtatûs in quem translati ſunt ineptè ſuperbiunt, ſingula affectatè facientes, quæ alii quaſi naturâ & ſine affectatione. Unde & ſtoliditatem incurrunt.*

9. Pauperum mores divitum moribus contrarii ſunt. Pauperes autem definio eos, qui indigent pecuniâ. *Nam aliud eſt pecuniâ deſtitui, aliud indigere Vir namq; bonus nunquam pauper eſt, licet deſtituatur bonis fortunæ: vivit enim quaſi non indigeat, præſentibus contentus. Sunt ergò mores pauperum contrarii moribus divitum; quia indigere pecuniâ & eam ſemper in promptu habere velut contraria etiam mores contrarios gignunt.*

10. Pauperum mores hi ſunt. 1. quòd opinentur, ſe divitum injuriis expoſitos eſſe. *Nam qui ſentiunt ſe deſtitui eo, quo reliqua æſtimantur bona, nullum videntur ſibi bonum parare poſſe, & nec quidem ſecuritatem adverſus lædentes: hæc enim & ipſa bonum eſt, quod in corruptis Rebuſpubl. venale exiſtit.*

11. Hinc fit quòd abjecti animi ſint. *Nam omnium injuriis expoſiti puſillanimi ſunt, nec quicquam magnum cogitare poſſunt.*

12. Nulli divitum tribuunt fidem, nec facilè contrahunt cum iiſdem. *Nam quorum injuriis quis putat ſe expoſitum eſſe, ei fidem non tribuit: ſed commutaturos cum Euclione ita alloquitur:*

Pactum non pactum eſt, non pactum pactum eſt, quod vobis lubet.

13. Oderunt quoque divites. *Nam à quibus metuimus injuriam, hos odimus.*

14. In lædendo malitioſi ſunt. *Nam pauperes lædunt lucri captandi gratiâ; & præterea calliditatem adhibent; quia aliâ ratione impunè peccare nequeunt. Lædere autem callidè lucri gratiâ eſt malitioſum eſſe.*

ARTIC.

ARTIC. III.

DE
MORIBUS POTENTUM, FORTUNATORUMQVE ET IMPOTENTVM.

1. Ii, quibus fortuna aſſiſtit potentiamque tribuit, quodammodo eosdem cum divitibus & quodammodo etiam diverſos ab iisdem mores habent. *Nam* 1. præ divitibus colunt pietatem. *A Deo namq́; videntur habere quod habent. Nam quod proſpera fortuna concedit, etiam ethnici divinitùs datum crediderunt. Qui autem pietatem colunt minus vitioſi ſunt negligentibus eandem. Sunt etiam* 2. potentes quotidiè occupati. *Nam nulla potentia diu ſine adhibito labore & induſtriâ conſervari poteſt: coguntur enim potentes cogitare de iis, quæ ad potentiam pertinent. Sed numos multos habentes magis in otio, quod vitia dat, vivere poſſunt.* 3. ſunt divitibus fortiores. *Nam opera, quæ propter potentiam ipſis facienda ſunt, viriliores eos reddunt. Et ita fermè meliores divitibus ſunt.*

2. Magnanimi magis quàm divites ſunt. *Nam divinum quiddam concipiunt ſe poſſidere bonum: & quia propter ſuum bonum clari dignitate exiſtunt, molliter magis & eleganter graves ſunt. Magis etiam hos quàm divites elatus decet animus: quia in rebus ad felicitatem humanam pertinentibus quotidiè ſunt occupati. Ergò magnanimis ſimiliores quàm divites ſunt.*

3. Contrà impotentes & infortunati ignavi & abjecti animi ſunt. *Nam qui nihil potentiæ habent nihil magni aggredi ſtudent, de paucis cogitant, nec ſedulitatem & diligentiam adhibent. Fruſtrà namq́; omnia eſſe putant quæ moliuntur.*

4. Sunt & cauti & circumſpecti. *In multis enim à fortunâ eluſi omnia metuunt, nihilq́; ſatis tutum eſſe exiſtimant.*

MEMBR. IV.

DE
AMICITIA JUVENUM CUM ÆTATE MAJORIBUS.

1. *Cùm ſæpius dictum ſit, tria bonorum amabilium genera eſſe honeſtum nim. utile & jucundum; præcipuum autem amabilium eſſe honeſtum: ſequetur quemlibet ſuâ ſibi propriâ virtute præcipuè amabilem eſſe. Dicendum itaq́; eſt de virtute juvenum, quomodo hac ſe amabiles reddant.*

2. Virtutem perfectam juvenes non habent, ſed perficiendam. *Nam nimiis præpediti cupiditatibus rationem audire non ſemper poſſunt: præſertim cùm nec prudentiæ tantùm habeant, quantum regendis affectibus & actionibus ſufficit. Unde in præcedd. demonſtravimus, juvenes*

nes

[illegible] duci ad vivendum ſecundum opinionem, i. e. præſcripta & monita aliorum, donec ipſi debitam conſequantur prudentiam.

3. *Juvenum virtus conſiſtit* 1. in hoc, ut habeant animum emendandi errata. *Nam cùm homines non ſtatim perfecti exiſtere poſſint, prima quædam virtus & quaſi via ad virtutem, ſeu potentia, quæ in actum deduci incipit, eſt animus conſtans emendandi errata. Hujus ſignum eſt*, peccata agnoſcere & ſcire, aut ſcire deſiderare. *Nam qui negligit inquirere in peccata ſua, nec curam emendationis habere videtur. Scire autem & agnoſcere errata parit pudorem ſeu verecundiam.* Hinc propria juvenum virtus eſt verecundia & pudor. *Aliud quoq́ signum animi emendationem deſiderantis eſt* ſubducere ſeductoribus animum tenerem & recti parum tenacem. *Nam qui non fugit irritamenta malorum, nec firmam intentionem mala emendandi & fugiendi habet. Præterea ſi hoc negligitur, etiam ceſſat ſignum prius & mòdò memoratum. Nam juvenis non fugiens ſeductores ſignum edit, ſe nondum agnoſcere ſuos defectus & neſcire quàm facilè flecti juvenilis animus ad quoſcunq́ perverſos mores poſſit. Hoc autem indicat animum emendandi nondum adeſſe.*

4. Secundum, in quo juvenum virtus conſiſtit, eſt, hoc agere, ut ſe meliores quotidiè faciant. *Nam cùm virtus perfecta res ardua ſit & non ſine laboribus & curis paretur: convenit curas debitas & labores ei parandæ impendere. Signa autem ejusmodi curæ ſunt* 1. ductorem deſiderare, quem quotidiè imitari quis poſſit. *Nam quemadmodum imitando artifices peritiores artis magis q́ exercitati reddimur; ita quotidiè imitantes honeſtos & perfectè virtuoſos meliores evadimus. Qui autem nullam curam habent ducum ſibi ſapere, nec agnoſcere errata, nec animum ſeſe perficiendi habere videntur.* 2. Nihil differre in diem, ex quo bonus evadere poſſis. *Nam differens bona agenda non videtur ſeriò ad ſuam tendere perfectionem.*

5. Ex hiſce diſcimus, juvenem virtutem ſibi propriam oſtentare, eâque ſe amabilem reddere, dum agnoſcendo errata pudore ſuffunditur, ſeductores evitat; ductorem vitæ bonum deſiderat, ipſius monita ſequitur, actiones imitatur, nihilque boni quod agendum habet differt. *Hæc namq́ indicant animum ad perfectam virtutem tendendi, in quo virtus juvenum propria poſita eſt.*

6. Hanc ſuam virtutem exercentes probè juvenes etiam ſe jucundos ætate majoribus exhibebunt. *Nam dum ſapientes & prudentes imitantur eosq́, velut duces vitæ ſequuntur, exhibent ſeſe opera eorundem. Quilibet autem bonus opus ſuum bonum amat quammaximè, dum ex eo jucunditate afficitur, ſentiens ſe ritè functum eſſe munere ſuo*

In hoc namq; voluptatem poſitam eſſe, ſuperius diximus.

7. *Et quia juvenes à ſenibus emendantur, corriguntur & ad perfectionem perducuntur: quâ in re ſenes ipſis maximè utiles ſunt.* Hinc decet juvenes qui integras vires habent & corporis labores ſuſtinere poſſunt venando, bellando &c. acquirere ſenibus, quò otiari & à laboribus corporis quieſcere, ſapientiæque ſtudia, quibus juvenibus proſunt, excolere poſſint.

8. *Sed quia ſapientia & prudentia, quam à ſenioribus & ætate profectioribus conſequuntur, nullo bono externo æſtimari poteſt, id quod in amicitiâ inæquali fieri ſuprà diximus, obſervare juvenes debent:* nim. ut cultu & honore compenſare ſtudeant id quod remunerare nequeunt. Cultus hic eorum in ſignis conſiſtit, quibus oſtendunt ſe inferiores. Unde oriuntur officia, quæ juvenes converſando cum ſenibus iisdem exhibere debent.

9. Decet ergò juvenes in ſenum præſentiâ præcipitem linguam frenare & paratos magis ad audiendum quàm loquendum eſſe. *Eo enim ipſo velut ſigno oſtendunt, ſe exhibere quod naturaliter debent, & agnoſcere ſe inferiores.*

10. Decet quoque juvenes ſenibus conſurgere; *quem morem in veteribus Romanis collaudat his verſibus poeta:*

Credebant hoc grande nefas & morte piandum
Si juvenis vetulo non aſſurrexerit, & ſi
Barbato cuicunq; puer. &c.

Nam honor & cultus, qui ſuperioribus exhibetur, ſemper in ſigno aliquo convenienti poſitus eſſe debet. Eſt autem hoc ſignum tale; quia indicat ſeniori deberi otium & quietem, juveni laborem adhibendum in gratiam ſenioris ut quieſcat & tranquillo corpore ſit, dum intellectu operatur in gratiam juvenis.

11. Converſatio quoque juvenum cum ſenibus verecunda eſſe debet, non nimis libera. *Hoc enim velut ſigno indicant, ſe agnoſcere imbecillitatem ſuam in errando, & non liberè ſed cum verecundiâ converſando ſtudere omnia ita agere, ne ſenibus judicare valentibus quicquam diſpliceat.*

12. Et quia mores juvenum contrarii ſunt ſenum moribus, conveniens eſt, juvenes de ſuis remittere, & ſe ſenibus accommodare. *Nam remittere de ſuis moribus ſignum eſt, ſe agnoſcere alterum ſuperiorem & habere quid quod corrigendum eſt.*

13. Eſt & juvenum æquo animo tolerare moleſtas ſenum moroſorum & querulorum mores, & præ ſe ferre, nullam ſe ex iis moleſtiam ſentire. *Signum enim hoc eſt, ſe maximi facere ſapientiam & monita, quæ ab iis ſperanda habent.*

14. Ex

14. *Ex his patet, juvenum cum ætate provectioribus amicitiam naturaliter coincidere cum eâ, quæ inter parentes ſeu ſubditos & imperantes, diſcentes & docentes eſt.*

MEMBR. V.

DE AMICITIA SENUM CUM HOMINIBUS CÆTERARUM ÆTATUM.

1. Senum mores non admittunt, ut cum juvenibus plurimum converſentur. *Sunt namq; planè contrarii, nec videntur ita remitti poſſe ut conveniant.*

2. Videntur quoque moribus amabiles non eſſe poſſe ſenes. *Sunt namq; moribus ejuſmodi prædıti, qui colendæ amicitiæ cum hominibus non congruunt. Quicquid etiam in ipſis virtutum moralium reliquum eſt parcitate & tenacitate, nimiâ timiditate, incredulitate, & ſuſpicaci animo corrumpitur.*

3. *Quid ergò eſt, quo ſenes amabiles redduntur reliquarum ætatum hominibus?* Sapientia. *Nam hæc nullo temperamento mutari & corrumpi poteſt; & præterea ſenum propria virtus eſt, utpote qui longiſſimâ experientiâ ad eam ſe præparare potuerunt, & ob dejectionem virium, defectumq; ſpirituum ad labores inepti naturâ ipſâ in otium conjiciuntur. Sapientiæ ergò ſtudium otium deſiderans decet ſenes quos natura, velut ad hoc præ cæteris aptos, otiari voluit. Ex his ergò patet, ſapientiam eſſe illam virtutem ſenum propriam, quam colendo ſe amabiles reliquarum ætatum hominibus reddere poſſunt.* Debent ergò ſenes ſi quâ volunt eſſe amabiles 1. ſe promptos ad docendum exhibere, & non modò unum vel alterum id petentem docere, ſed de rebus divinis & abſtruſis, aliiſque in omni vitâ ſalutaribus præclara opera conſcribere. *Sic namq; ſeſe non modò cunctis in civitate viventibus, ſed & omni poſteritati maximè venerandos reddunt. Fiunt quoq; admirabiles dum quaſi nihil agendo agunt ea, quæ maximi momenti ſunt. Quin videntur proximè ad Deum accedere, ſi pietatem colunt & vitam ejuſmodi, in quâ poſiti contemnunt mortalia, nec curant quæ eminent, cadunt, deteruntur, creſcunt, exhauriuntur, implentur, quibusq; incertâ ſorte inæqualitas ineſt.* 2. graviter & nervoſè de omnibus loqui, præſertim iis, quæ inſtructioni vitæ inſerviunt. *Hoc enim ſignum ſapientis eſt.* 3. Corrigere homines ſicubi in veritate errant. *Hoc enim proprium ſapientis eſſe indicant ſophiſtæ, qui ſtudent corrigere & reprehendere alios; quò ſapientes appareant.*

4. Vita ſpeculativa etiam propterea ſapientibus conducit, ſi amabiles eſſe velint; *quòd hæc vita anguſtum quid requirat quò tra-*

duci poſſit, nec robur, ſpiritus, animum deſideret: ut ita, quæ ſenem odioſum reddere poſſunt, tenacitas, timiditas, ſuſpicax animus ſupprimantur nec in actionibus ejus compareant.

MEMBR. VI.

DE AMICITIA HOMINUM MEDIÆ ÆTATIS CUM SENIBUS ET JUVENIBUS.

1. *Videtur media hominum ætas inter ſenilem & juvenilem naturâ interjecta, ut eas velut contrarias conjungat media interpoſita, non aliter ac elementa contraria aqua nimirum & ignis interjecto medio, aëre nim. combinantur. Congruit enim aër cum aquâ in humido, cum igni in calido, & ita ignem cum aquâ connectit. Quemadmodum & ita aqua terram & aërem*

Ignis ---- ſiccus calidus,
Aer ---- ---- calidus humidus,
Aqua ---- ---- ---- humida frigida,
Terra ---- ---- ---- ---- --- frigida ſicca.

2. *Hoc ergò fermè modo ſecundum ſuas qualitates, mores nimirum, tres ætates hominum conſiderantes, quibus omnis perfecta ſocietas humana ſeu civitas conſtat, oſtendemus, qualis ſit per amicitiam totius civitatis connexio naturalis. Nam pueros ab hac concatenatâ ſerie excludimus, utpote publicam amicitiam colere non valentes, ſed potentiâ tantùm cives exiſtentes & ad hoc præparandi, quò cives aliquando fiant.*

3. Viri ergò i. e. mediæ ſeu maturæ ætatis homines, congruunt cùm ſenibus dum non confidunt ubi metuendum eſt, non luxuriosè vel prodigaliter, ſed temperanter vivunt, non excandeſcunt nimium, non omnibus credunt, quodammodo & bono utili ducuntur: Cùm juvenibus autem congruunt, dum quæ non metuenda ſunt non metuunt, ſed fortes exiſtunt, nec parcè & tenuiter vivunt, nec remiſſum aliquod ſuſcipiunt odium nec omnibus fidem reſpuunt, bonum honeſtum colunt & gloriæ ſtudio trahuntur.

4. Univerſalis ergò & inter homines omnium ætatum firmiſſimè ſubſiſtens in ſocietate civili orietur amicitia: ſi univerſales propoſitiones petantur à ſenibus velut ſapientibus; à viris applicentur ſingularibus, habitâ ratione quando aliter vel aliter ſe habeant, & ita præſcribatur quid facto opus ſit; juvenes verò conſilia virorum audiant, & ipſorum virtutes imitentur. *Ita namq; quælibet ætas ſecundum virtutem ſibi propriam erit amabilis; ætas ſenilis & media ſuis perfectis virtutibus, illa ſapientiâ, hæc moribus & honeſtate; ætas verò juvenilis id quod imperfectum eſt in moribus perficiendo.*

MEMBR.

MEMBR. VII.

DE AMICITIA QVÆ PRUDENTIBUS ET SAPIENTIBUS CUM VULGO INTERCEDIT.

1. Inter prudentes ſapientesque & vulgus videtur ſimilis intercedere amicitia cum eâ, quæ eſt inter dominum & ſervum. *Nam vulgus hominum non poteſt placere & amabile prudentibus ſapientibusq́; reddi, niſi quatenus ſuo corpore utilitatem quandam præbet, & inſtrumenti cujuſdam vicem ſuſtinet.* Vulgus enim id vocamus quod nullam curam prudentiæ & virtutum habet. Vnde etiam fit, quòd amicitia hæc admodum exigua ſit. *Suprà namq́; demonſtravimus, amicitiam domini cum ſervo fermè nullam eſſe.*

2. Præclaræ & pulchræ prudentum operationes reddunt nonunquam eosdem vulgo amabiles, ſed admodum debiliter. *Eſt namq́; ea vis probitatis, ut eam homines nonnunquam in hoſtibus ſuis amare cogantur. Hinc & vulgus, quod nullam curam virtutum alias habet, delectatur rebus præclaris & pulchrè geſtis, non tamen eo modo quo is, qui virtuoſus eſt. Nam dum ſentit incommoda à malis hominibus, virtuoſos diſcit magnifacere: quemadmodum mediantibus præviis diſſonantiis diſcit magnifacere harmoniam. Sed ut aliter harmoniâ afficitur muſicus, qui de eâdem judicare valet; ita aliter virtuoſus cernens in alio virtuoſas actiones. Hæc cauſſa eſt, quare muſica olim tantâ vehementiâ traxerit auditores, ut nonnunquam in enthuſiaſmum conjicerentur: hodiè verò parum virium in movendis hominibus habere videatur. Quotusquisq́; enim eſt qui de harmoniâ judicium facere poſſit? Scil. latet nos ſcientia muſica, nec, cùm deperdita ſit, noſtra pigritia eam unquam in lucem reducet.*

3. Vt verò vulgus obſervet virtutes prudentis & honeſti viri, decet eum tales exercere virtutes quæ communiter utiles ſunt. *Nam vulgus utilitate ducitur ad obſervanda ea quæ honeſta ſunt: omnia namq́; ex utilitate æſtimat. ita v. g. quia vulgus ſuperſtitioſum eſt; amabilis redditur fortem ſe exhibens in ſuperſtitione horum propugnandâ. Par ratio eſt, ſi quis fortiter pugnet pro vulgi libertate, ſi hanc amet, vel ejusdem commerciis per terram aut mare tractandis. Amor namq́; ſuperſtitioſi cultûs, libertatis, utilitatis &c. ducet illud ad obſervandas & colendas viri fortis pulchras & præclaras actiones.*

4. Ita tamen vir prudens & virtuoſus pulchram ſuam colere debet vitam, ne videatur vitæ vulgi contraria, ſi amabilis exiſtere vulgo velit. *Nam contrarius qui apparet moleſtus eſt & in odio. Sed quomodo id obtinebitur, cùm vitia virtutibus ſint contraria? Reſpondet Seneca: intus ſint diſſimilia, frons vulgo conveniat. i. e. ſi videris quem ex*

numero vulgi vitioſum & tuæ virtuti, quam exerces, contrarium, quieſce parumper. Ad quid enim prodeſt coram tali homine præclaras operationes edere, qui nec eas attendet & propterea te fugiet? Ferendi ſunt defectus humani tentanda correctio, ſi peccant quos corrigere tuâ in poteſtate eſt. Signa virtutum ita edenda ſunt, prout hæc vulgus capere poteſt. *Si ex lyrâ ruſticus muſicum æſtimat, lyrâ te canere decet, quò muſicus ab eodem habearis. Si vulgus ex longis capillis homines liberalis ingenii æſtimat, noli eosdem evellere, radere, præſcindere. Si amicitiæ ſtudioſum vulgus æſtimat eum, qui publicis conviviis intereſt, noli illa fugere, ſi amicitiæ cultor velis videri. Sed dices, quis temperantium intereſſe poterit vulgi compotationibus? Remitte aliquid de temperantiæ rigore, exhibe tamen ſpecimen temperantiæ: fortaſſe pulchritudinem tuæ actionis inſpicientes deformitatem ſuam agnoſcent. Temperanda eſt vita, inquit Seneca, inter mores publicos & bonos. Sed hujus temperamenti menſuram amicitiam cum Deo & patriæ ſalutem ponendam addo. Nam ſi nihil, quod ad emendationem in fide, in honeſtate, in præſtandis, quæ ſalus patriæ præſtari requirit, à vulgo per hoc temperamentum obtineri poteſt, fruſtrà fit, nec hominem honeſtum decet. Viri itaq; prudentis eſt quærere, quantum fieri poteſt, probos & virtuoſos, coram quibus ſpecimina virtutum edat: ſed ſi contingat coram vulgo operari, exigente hoc ſalute patriæ vel pietate erga Deum, quousq; judicium plebis admittet operabitur. Sic enim celeberrimus muſicus quærit auditores peritos & judicare de harmoniâ valentes; ſin verò coram imperitis canendum ſit, de gravitate harmoniæ quid remittit, ſic tamen operatur, ut & vulgo artificem ſe exhibeat.*

5. Cogitur autem vir prudens cum vulgo ſimulatam colere amicitiam. *Nam ad captum ejusdem tenetur ſeſe applicare. Quemadmodum enim qui canes vel equos informant tenentur horum phantaſiæ ſeſe accommodare: ita prudens amicitiam vulgi, procedendo ex opinionibus ipſorum conſervare debet.*

6. Eſt ergò ſapientis, fortuita in portenta convertere. *Nam vulgus ſuperſtitioſum eſt, novisq; rebus movetur & percellitur. Quantum potuerit in vulgo ſuperſtitio indicat Germania noſtra, in quâ cùm nondum ſtudia florerent, pontifex Romanus magnam auri argentiq; copiam venalem habendo remiſſionem peccatorum & mercaturam cum reliquiis ſanctorum tractando ſibi paravit.*

7. Aliter autem divites, aliter pauperes tractandi. *Nam hi contrariis ſunt moribus.* Pauperibus utili bono; divitibus inani aliquo honore ſuccurrendum. Contrà à pauperibus labores à divitibus numi ſunt exigendi. *Hæc namq; moribus ipſorum, de quibus ſuprà diximus conveniunt.*

MEMBR.

MEMBR. VIII.

DE RELIQVIS, QVÆ SUPERSVNT, AMICITIÆ SPECIEBVS COLENDIS.

1. Inter nobiles degeneres & ignobiles virtuoſos nulla eſt amicitia. *Nam qui ſe invicem contemnunt amici eſſe nequeunt: nobilis autem ignobilem contemnit, tanquam habens bonum, quod alter nunquam acquiſiturus eſt; ignobilis virtuoſus degenerem nobilem, quòd is inane bonum jactet, hic verum bonum poſſideat:* ſed cum generoſo quædam amicitia intercedere poteſt. *Nam generoſus ſe ex ſuâ virtute æſtimat magis quàm majorum.*

2. Inter nobiles quoque & vulgus amicitia exiſtere poteſt. *Nam vulgo hominum adſueto parére nobilibus impreſſa quaſi eſt hac opinio, nobiles ad imperandum natos eſſe, & propterea Deum voluiſſe hos naſci ex hiſce parentibus, ut imperarent, ſeu virtuoſi ſeu vitioſi ſint. Vulgus enim ex virtutibus neminem æſtimare valet.* Poſſunt etiam nobiles, qui generoſi ſunt & à majorum virtutibus non recedunt, ſed eas ſuperare ſtudent, ſuis virtutibus amabiliores eſſe, quàm ignobiles, licet eaſdem virtutes habeant. *Nam ignobilium virtus apud pares genere plus ſæpè invidiæ quàm gloriæ parit. Nobilis autem qui eſt virtutem tanquam bonum proprium & hereditarium poſſidet.*

3. Inter pauperes & divites poteſt mutua ſubſiſtere amicitia, ſi divites pecuniâ, pauperes laboribus exiſtant utiles. *Nam pauperes viles & abjecti ſunt, contemptumq; divitum patiuntur, modo utile ab iisdem bonum conſequantur. Contrà divites otiari volentes indigent laborantibus. Et ita amorem pauperum divitumq; mutua indigentia conciliat.* Sed hæc velut amicitia utilis referta eſt querelis, dum pauperes pro laboribus non ſatis numorum, divites pro numis non ſatis laborum ſe conſequi putant. *Ejuſmodi enim querelas in amicitiâ utili naſci ſuperius diximus.*

4. Cum potentibus impotentes qui ſunt amicitiam colere poſſunt, ſi ſint utiles & jucundi. *Nam potentes deſiderant tales, qui in potentiâ eorum conſervandâ ſe utiles præbent, & præterea faceti ſunt & urbani. Cùm enim multis curis onerati ſint, aliquam otioſam recreationem appetunt.*

LIB. VIII.

DE SOPHISTICA ET SIMVLATA AMICITIA.

1. Simulata amicitia diabolica eſt & Chriſtianos non decet. *Nam quod diabolicum eſt Chriſtianos fugere decet, utpote quorum eſt in*

Chriſto

Chriſto operari & diaboli opera omnibus modis fugere. Eſſe autem ſimulatam amicitiam diabolicam, patet ex ſeductione primorum parentum, quos decipiebat & amicos ſibi reddebat ſophiſtico aliquo bono, vergente in extremam & miſerrimam horum miſeriam. Quapropter Paulus Rom. 12. v. 9. hoc nobis ſuggerit præceptum: dilectio ſit non ſimulata, ſitis odio perſequentes quod malum eſt, adhærentes ei quod eſt bonum. & 2. Cor. 6. v. 4. & ſeqq. In omnibus commendemus nos ipſos ut Dei miniſtri, in tolerantiâ multâ, in afflictionibus, in neceſſitatibus, in anxietatibus, in plagis, incarceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in puritate, in ſcientiâ, in animi lenitate, in benignitate, in Spiritu S. in caritate non ſimulatâ. *Quin & Ethnici ſimilia docuerunt. Ita enim Cic. de Amicitiâ: Ex omni vitâ ſimulatio diſſimulatioq; tollenda.*

2. Eſt tamen frequentiſſima inter homines. *Nam plerique iis, quæ verè amabilia ſunt, deſtituuntur, & ſeſe amant eo amore qui vergit in aliorum hominum perniciem: unde dum volunt amabiles aliis eſſe amicitiam ſimulant. Et hæc amicitia ita celebratur ab hominibus, ut neminem prudentem exiſtiment, niſi ſimulare valentem. Quæ etiam cauſſa fuit, quare ſophiſtarum turba me ſemper imprudentem judicarit & propterea ad converſationem civilem planè ineptum. Sed malo eſſe prudens in Chriſto & ſtultus coram mundo, quàm ſtultam jactare prudentiam. Quò autem videant ſophiſtæ, me eq; noſſe ea, quibus ſimulata colitur à diaboli creaturis amicitia, & ut doceam eos, qui pietati ſtudent, ejusmodi homines fugere: modum colendi ſimulatam amicitiam tradam; unà tamen oſtenſurus hanc diuturnam non eſſe, nec felices reddere homines, ſed quemadmodum artes diabolicæ ſolent, homines in eosdem, quos aliis ſtruunt, laqueos conjicere ſolere. Ne tamen iſta fingere videar, ex communi magiſtro, quo hodiè politici utuntur, Tacito nim. exempla petam.*

CAP. I.

DE AMICITIA SIMVLATA IN GENERE.

1. Sophiſticum & ſimulatum eſt quod conſiſtit magis in videri quàm in eſſe. *Nam ſimulatum eſt & falſum quod apparet eſſe hoc quod non eſt: ut aliud ita in hoc ſit videri, aliud eſſe.*

2. *Duo ergò ſunt quæ faciunt ad colendam ſimulatam amicitiam* 1. ſimilitudo ejus quod apparet cùm vero, & 2. defectus judicii apparens à verò diſcernere non valentis. *Nam quæ reddunt aurum falſum & ſimulatum, ſeu quod pro auro habetur non tamen eſt? ſanè requiritur ſimilitudo & convenientia materiæ in quantitate & qualitate; ſi ſcil. præ ſe ferat colorem & pondus auri; & judicium ineptum ad differentiam ſubtiliter quærendam. Nam inquirendo differentiam judicium intelle-*

ctûs

ctus vel ſenſuum apparens à vero diſcernit. Eſt ergò aurum falſum tamdiu aurum, donec artifex lydio ſuo lapide differentiam inquirat; quâ cognitâ non amplius æſtimatur aurum ſed rejicitur.

3. Sophiſticam & fucatam ſeu ſimulatam amicitiam colere apti ſunt, qui quæ amabilia apparent pro veris exhibere norunt non valentibus ſuo judicio apparens à vero diſtingvere. *Hæc enim duo requiri in præcedentibus tradidimus.*

4. Eſt autem fucata amicitia non diuturna, ſed ſimulatorem aut in odium aut in contemptum conjicit. *Nam rarò homines ſine affectatione ſimulare poſſunt, quæ quando animadvertitur, facit ut affectans ſtolidus & ridiculus habeatur. Quæ autem deceptio & fallacia latet vel ob artificium ſimulantis vel ob imbecillitatem judicii in eo, qui circumvenitur; aliquandiu & non in infinitum latet: emergunt enim ſucceſſu temporis quædam indicia, aut ad minimum eventus deceptiones manifeſtat. Unde eò vehementiora naſcuntur odia, quò injuſtius eſt ſub ſpecie amicitiæ decipi.*

5. *Porrò quia tria ſunt amabilia, honeſtum, ſub quo hîc comprehendimus id quod pium eſt, utile & jucundum & totidem contraria odium gignentia:* neceſſe eſt, eum, qui ſimulatam vult colere amicitiam, præ ſe ferre pietatem, honeſtatem, utilitatem, jucunditatem; contrà diſſimulare impia turpia, damnoſa & moleſta. Quapropter de ſingulis ordine dicturi ſumus.

CAP. II.

DE SIMULATIONE VIRTUTUM.

1. *Quò ſingula percurramus quæ falſi amici & ſophiſtæ facere ſolent, quando virtutes, ob quas amabiles eſſe volunt, præ ſe ferunt: dicturi ſumus primò de iis quæ generaliter conducunt ad ſimulandam honeſtatem; deinde in ſpecie ſingulas percurremus virtutes.*

MEMBR. I.

DE SIMULANDA MORUM HONESTATE IN GENERE.

1. Simulatio honeſtatis in hoc conſiſtit, ut quis præ ſe ferat ſigna, ex quibus generaliter colligimus, quem virum pium, probum & honeſtum eſſe. *Nam ex ſignis animum cujusq; colligimus.*

2. Signa alia ſunt antecedentia, alia concomitantia alia conſequentia. *Id namque pluribus tradetur infra in materiâ de præſumptionibus.*

3. Quod ſigna antecedentia concernit, debet quis præ ſe ferre bonam educationem. *Nam qualiter quisq; eſt educatus, tales etiam ſunt mores ipſius.* Extollendi itaque ſunt parentes, &

quoties horum mentio fit, indicandus eſt gratus animus. *Hoc enim indicium eſt bonæ educationis. Secus autem ſolent nonnulli ſophiſtæ facere, conquerentes de parentum negligentiâ: quo ipſo volunt ſuum oſtentare ingenium. Si talis vir ſum neglectus à parentibus, qualis futurus eſſem ritè educatus? Sed rectius pro ſuo propoſito obtinendo de his tacerent & contrarium loquerentur.* Simile faciendum circa præceptores & tutores. *Nam horum ope, ſi diligentes ſint, virtutes adipiſcimur. Sic Nero conſularia inſignia petivit Aſconio Labeoni, quo tutore uſus erat. Tac. annal. 13. cap. 10. init. Idem ita alloquitur Senecam præceptorem ſuum:* Tu, quod præſens conditio poſcebat, ratione, conſilio, præceptis meam juventam foviſti. Et tua quidem erga me munera, dum vita mihi ſuppetit, æterna erunt, *nec ab ullâ fortunâ mihi eripientur.* Quæ à me habes horti, & fœnus & villæ caſibus obnoxia ſunt: ac licet multa videantur, plerique haudquaquam artibus tuis pares plura tenuerunt. Vnde etiam rubori mihi eſt, quòd præcipuus caritate, nondum omnes fortunâ antecellis. *annal. 14. cap. 55.*

4. Signa concomitantia virtutum conſiſtunt 1. in operationibus eorum quæ honeſta videntur, quod fit, ſi quis ſimulet ſe non ſui, ſed patriæ, civium gratiâ ſuos labores ſuſcipere, iisque dare operam quæ poſt mortem proſunt. *Nam quæ talia apparent honeſta reputantur. Sit in ore hoc Muciani apud Tacitum 2. Hiſtor. cap. 76.* Omnes qui magnarum rerum conſilia ſuſcipiunt, æſtimare debent, an quod inchoatur, Reipubl. utile, ipſisque glorioſum ſit. *Huc pertinet & illud Tiberii, quod præ ſe fert, quando ait annal. 4. c. 38.* Proinde ſocios, cives, Deos, deasque ipſas precor; hos uti mihi ad finem usque vitæ quietam & intelligentem humani divinique juris mentem duint; illos, ut quandocunque conceſſero, cum laude & bonis recordationibus, facta atque famam nominis mei proſequantur. 2. In operatione conſtanti & cum jucunditate; ut ſcil. quis præ ſe ferat, ſe cum voluptate facere quod honeſtum eſt. *Nam conjuncta cum operatione voluptas indicat virtutis habitum & præterea operantem amabilem reddit; dum in conſpiciente ſimilem voluptatem excitat; nō aliter ac ſi dulcedine cibi lætantem conſpicientes allicimur ad ſimilem voluptatem, quam noſtra nobis gignit phantaſia.* Præ ſe ferre ergò debet ſimulator animum alacrem, fidum, ſuisque actionibus, etiam tunc, quando ſummè moleſta ſunt quæ gerit, gaudentem. 3. In hoc, ut ad voluptates corporis quis pavidum ſe exhibeat. *Nam qui ſimulat, ſe voluptatibus corporis non fidere magnam virtutis curam præ ſe fert.* 4. In converſatione cum virtuoſis. *Talem enim unumquemq́; eſſe colligimus, qualis eſt is, cum quo converſatur.* 5. In hoc, ut quis

quis fingat ſe imitari honeſtos. *Nam imitando honeſtos honeſti reddimur. Imitatio ſimulatur, quando quis ſe cum aliquo honeſto comparat; quemadmodum Thraſea ſeſe Vitellius aſſimilabat. De quo Tacitus 2. Hiſtor. cap. 91. ita refert:* Ac fortè Helvidius Priſcus, prætor deſignatus, *ſtatuendo quæ non erant congruentia menti Vitellii* contra ſtudium ejus cenſuerat. Commotus primò Vitellius, non tamen ultrà quàm tribunos plebis in auxilium ſpretæ poteſtatis advocavit. (*fingebant enim tunc temporis imperatores ſe tribunos plebis: unde & Vitellius ſimulabat, ac ſi ſuos collegas in auxilium vocaret*) Mox *circumſiſtentibus deprecantibusq́, & ita* mitigantibus *Vitellium* amicis *Helvidii*, qui *putabant ægrius laturum imperatorem &* altiorem iracundiam ejus verebantur: nihil novi accidiſſe reſpondit, quòd duo ſenatores in Republ. diſſentirent: (*ſimulans ita ſe nihil de ſe amplius exiſtimare, ac quòd ſenator ſit*) ſolitum ſe etiam Thraſeæ contradicere. (*Quaſi nunc repræſentaret Thraſeam, qui erat vir honeſtiſſimus & prudentiſſimus.*) *Sed ſecutum eſt quod ſolet contingere ejuſmodi ſimulatoribus, quando ſimulationem ſentiunt homines.* Irriſêre plerique *ſenatores* impudentiam æmulationis, *quòd imperator, velut homo peſſimus, ſe viro honeſto & prudenti, qualis Thraſea erat, compararet. Ex quibus unà diſcimus hoc ſimulandi ſtratagema periculoſum eſſe. Nam duo oppoſita juxta ſe poſita facilimè eluceſcunt.*

6. Ut quis jactet dicta honeſtorum virorum, *v. g. ita tyrannus jactare poteſt hoc quod Galba adoptato Piſoni præſcripſit apud Tacitum* 1. *Hiſtor.* 16. Utiliſſimus item ac breviſſimus bonarum malarumque rerum delectus, cogitare quid aut nolueris ſub alio principe, aut volueris. *Ita Tiberius, cùm vellet ſimulare modeſtiam dicebat*: ſe vocatum ab Auguſto in parte curarum experiendo didiciſſe, quàm arduum, quàm ſubjectum fortunæ, regendi cuncta onus. 1. *annal.* 11. *Sed ſubjicit Tacitus:* plus in oratione tali dignitatis quàm fidei erat. *Scil. latere ſimulatores non facilè poſſunt.*

7. Conſequentia virtutum ſunt 1. bona conſcientia. 2. gloria & honor. Quapropter qui ob honeſtatem vult eſſe amabilis, debet præ ſe ferre bonam conſcientiam, malam diſſimulare. *Nam ſi multa loquitur de conſcientiâ bonâ, eam laudibus extollendo, gloriando ſe eam habere, aut lætitiâ externâ eam præ ſe ferendo, reputabitur ab omnibus vir honeſtus. Sed hoc admodum difficile eſt, & licet improbi hoc affectent tamen ſeſe produnt. Elegans textus eſt in Tacito* 6. *annal.* 6. Adeò facinora atque flagitia ſua ipſi (*Tiberio*) quoque in ſupplicium verterant, *ipſumq́ ſecum ferentia malam conſcientiam torquebant & cruciabant.* Neque fruſtrà præſtantiſſimus ſapientiâ; *Plato ſcil. philoſophorum*

phorum princeps, firmare ſolitus eſt; ſi recludantur tyrannorum mentes, *modo fieri poſſit, quemadmodum cor ita & animus aperto pectore conſpiciatur*, poſſe aſpici laniatus & ictus: quando ut corpora verberibus, ita ſævitiâ, libidine, malis conſultis animus dilaceretur. *Et quamvis Tiberius eſſet optimus diſſimulandi artifex*, non *tamen eum* fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris ſuasque ipſe pœnas fateretur.

8. In hoc verò maximè ſimulatores laborant, ut gloriam & honorem conſequantur. *Nam gloria & honor teſtimonium virtutis eſt, quod habentes maximè virtuoſi eſſe videntur: aliorum enim teſtimonium plus fidei habet quàm proprium*: ſolent ergò ſimulantes animi virtutes honorem velut teſtimonium virtutis emere ab iis qui ducti avaritiâ dignitates, quas ſecundum merita virtutum diſtribuere debebant venales habent. *Et hoc eſt medium ſine ullo præclaro facto teſtimonium virtutis conſequendi. Par eſt ratio, ſi contractâ affinitate vel alio præſtito officio in utilitatem alterius, penes quos poteſtas eſt dignitates conferendi honorem quis adipiſcatur.* Vt autem & ipſe magnus appareat aut ſi magnus habeatur, ejus gloria non minuatur, conducit. 1. prohibere eum, qui majoris æſtimatur, præſentem eſſe. *Sic Quadratus noluit admittere, ut Corbulo ipſius provinciam intraret*, ne ſi *eam* intraſſet Corbulo, omnium ora inſe verteret. *Erat enim* corpore ingens, verbis magnificus, & ſuper experientiam ſapientiamque etiam ſpecie inanium validus: *vulgus enim externa & inania admiratur: & ita ſi Corbulonem cum Quadrato comparaſſent imminuta fuiſſet hujus dignitas.* 2. Hoc agere ut ſibi magiſtratum gerenti ſuccedant in officio aut etiam collegæ jungantur homines imprudentes & viles. *Ita refert Tacitus ex ſententia nonnullorum, Tiberium non* caritate aut Reipubl. curâ *ab Auguſto* ſucceſſorem adſcitum; ſed quoniam arrogantiam ſævitiamque ejus inſpexerit, comparatione deterrimâ ſibi gloriam quæſiviſſe. *Scil. putavit Auguſtus ſi ſucceſſorem haberet naturâ ſuperbum & crudelem, futurum, ut comparatione factâ cum hoc haberetur pro optimo principe & æternam clementiæ laudem adipiſceretur.* 1. *ann.* 10. *Sic* civitati grande deſiderium *Burrhi* manſit per memoriam virtutis & ſucceſſorum alterius ſegnem innocentiam (*quod quidem non eſſet malus ſed ſocors & ignavus*) alterius flagrantiſſima flagitia & adulteria. 14 *annal.* 51. *verb. civitati*. 3. Ex rebus ab aliis geſtis captare gloriam, quaſi prudentiâ & conſiliis præfuerit. *Sic Tiberius devicto Sacroviro ſcripſit Senatui*, fide ac virtute legatos, ſe conſiliis ſuperfuiſſe. 3. *annal.* 47. *Sic etiam ſi nulla conſilia tyranni allegare poſſint victoriam ſuis auſpiciis adſcribunt.*

De

De Othone ſcribit Tacitus 1. *Hiſtor.* 79. *quod gloriam deportatæ victoriæ in ſe traxerit* lætus, tanquam & ipſe felix bello & ſuis ducibus ſuisque exercitibus Rempubl. auxiſſet. *Ita Tiberius victo Maroboduo apud Senatum* magnitudinem viri *devicti*, violentiam ſubjectarum ei gentium, & quàm propinquus Italiæ hoſtis, ſuaque in deſtruendo eo conſilia extulit. 2. *annal.* 63. 4. Fortuita ſibi adſcribere & in gloriam convertere. *Sic Tiberius cùm ſoror Germanici Livia nupta Druſo duos virilis ſexûs ſimul enixa eſſet, jactavit apud patres*, nulli antè Romanorum ejusdem faſtigii viro geminam ſtirpem editam; nam cuncta etiam fortuita ad gloriam vertebat. 2. *annal.* 84. 5. Manifeſtè adulantes fugere & ſimulare odium erga illos. *Nam vir bonus anxiè aliorum laudes non deſiderat: ſatisq; contentus eſt ſcientiâ factorum propriâ.*

9. Cumprimis autem ſimulatam amicitiam colens quærit gloriam ex virtutibus communiter utilibus. *Nam utile bonum ſectari ſolet. Ergò ut videatur virtutem habere, quâ lucrari poſſit, eas ſimulat virtutes quæ communiter utiles ſunt.*

MEMBR. II.

DE SIMVLATIONE PIETATIS.

1. Pietatem ita ſimulant improbi ne ſuperſtitioſi, ne etiam hypocritæ appareant. *Nam qui deprehenduntur hypocritæ in odio ſunt tanquam deceptores & quidem in re tam arduâ: ſuperſtitioſi verò viles & in contemptu ſunt. Qui autem reverà pius habetur ab improbis pro intercesſore à piis pro ſummo amico habetur. Quapropter ita ſimulant, ut omnibus amabiles habeantur. Sed hypocriſis non diu latet: quia Chriſtus ſatis fideliter docet ex fructibus hypocritas cognoſcendos eſſe.*

MEMBR. III.

DE SOPHISTIS.

1. Sophiſtæ ſunt qui lucri captandi cauſsâ profundam jactant ſapientiam. *Quemadmodum enim ſapientum finis eſt ſpeculatio, ita ſophiſtarum pecunia. Hoc ergò agunt, ut ab omnibus pro ſapientibus habeantur, quo aliquid lucrentur. Habent proinde ſophiſtæ ſe ad ſapientes, quemadmodum puellæ quæ fuco illinunt faciem ad eas quæ naturâ pulchræ ſunt.*

2. Hoc ergò agunt ſophiſtæ ut videantur potius quàm ut ſint ſapientes: cùm qui verè ſapientiæ dant operam magis hoc agant ut ſint quàm ut videantur. *Nam qui tendunt ad ſpeculationem non quieſcunt, donec videant ſe adeptos eſſe rerum cauſſas, ac proinde non laborant, ut videantur ſcire quæ non ſciunt: hiſce enim tempus terere nequeunt. At ſophiſtarum ſtudium omne poſitum eſt in lucro faciendo, & per*

hoc ſapere ſibi præ aliis videntur, quod ingentem pecuniæ ſummam corradere poſſint, verè ſapientes, qui pecuniæ ſtudium negligunt, ſtolidos vel imprudentes pronunciantes. Proinde quid ſciant vel non ſciant parvi faciunt, modò quid habeant ſapientiæ ſimile, quo lucrum captent.

3. Itaque nihil ſcribunt quod difficile intellectu, ſed quod lectu jucundum magis eſt. *Nam hoc ipſo conſequuntur, ut ſcripta ipſorum per univerſum orbem terrarum legantur, quò & bibliopolarum & ſuis conſulant commodis. Vulgus enim eruditorum non ſolidas rerum cauſſas, ſed quod novum & facilè intellectu eſt cognoſcere deſiderat. Quapropter ſophiſtæ profundis ſcientiis tractandis non diu inhærent.*

4. Nec à quoquam corrigi volunt ſed cenſuram ſibi arrogant circa aliorum ſcripta. *Nam qui corrigitur deprehenditur erraſſe: ſophiſtæ autem infallibiles eſſe volunt, & aliis potius errores oſtendere.*

5. In hoc autem potiſſimùm ſunt occupati, ut verba captent. *Ita namq́ quidvis defendere & reprehendere poſſunt. Si quid contra theſin ipſorum objicias: in promptu habebunt varias vocum ſignificationes, & ſi aliâ ratione effugere nequeant, ſtatim ſuæ theſi alium ſenſum imponent: ut te refutent talem tuis ſcriptis affingent ſenſum, qui tibi nunquam in mentem venit.*

6. Docendo miſeros decipiunt fingendo, ſe breviſſimo temporis ſpacio integram aliquam ſcientiam abſolvere poſſe. *Nam omnes ſcire quidem deſiderant: nemo autem debitos vult impendere labores. Hinc homines ſeſe informandos committunt iis, qui brevi tempore omne negotium ſe abſoluturos promittunt. Videntur autem hi ſimiles iis, qui avidi videre Romam contenti ſunt, ſi quis illos eò ducat, ubi è longinquo urbem videre poſſint. Qui autem veram coluut ſapientiam ita ſingulas tractant ſcientias, quemadmodum ii, qui putant ſe Romam non vidiſſe, niſi minutiſſima quæ ibi ſunt obſervaverint. Decipiuntur ergò miſeri à ſophiſtis exiſtimantes ſe totam hauſiſſe ſcientiam, quando ſumma quædam illius capita recitare audiverunt.*

7. Sed quemadmodum nullum apparens ita comparatum eſt, ut ſemper verum reputetur: ita & circa ſophiſtas comparatum eſt. *Quamdiu enim in imperitiâ ſuâ remanent homines fidem ipſis tribuunt: mox fallacias animadvertunt, & ſe deceptos eſſe ſentiunt.*

MEMBR. IV.
DE ARTIFICIO SIMULANDI PRUDENTIAM.

1. Quemlibet quammaximè recommendat prudentia. *Nam civilis prudentia velut vitæ dux quemcunq́ reddit amabilem. Et quidni amabilis erit nihil ex præcipitantiâ omnia ex conſilio faciens; hominum judicia*

judicia non numerans ſed æſtimans; occaſiones ſingulas obſervans; non properans ante tempus, nec ceſſans in tempore, nullis obnoxius caſibus?

2. Homines autem ſe tunc prudentes eſſe putant, ſi ſuis commodis conſulere valeant. *Hinc artem diteſcendi fallaciasq; ſtruendi aliis addiſcunt; veram autem prudentiam ſimulant tantum. Et quidem calliditates quibus homines alios in contractibus vel aliis negotiis circumveniunt hujus loci non ſunt. Quapropter ea tantùm perſequemur quibus ſimulantes prudentiam amabiles ſeſe reddere nituntur.*

3. Primò ergò qui prudentes videri volunt, hoc agunt, ut exhibeant animum ſanum, erectum, qui fortunam deſpiciens moleſtias & injurias virtute elidere & ſupprimere valet. *Nam prudentis eſt mala fortunæ vincere.*

4. In rebus proſperis diſſimulant ſuperbiam & elatum animum; in adverſis puſillanimitatem. *Nam hoc pacto ſimiles ſunt prudentibus qui in omni & adverſâ & proſperâ fortunâ ſe rectè gerunt. Conſequitur autem hoc ipſum quis ut talis eſſe videatur, ſi ſententiis utatur, quibus prudentes uti ſolent, & dicat ea quæ prudentes facere ſolent. v. g. rebus proſperis dicet cum Piſone 1. Hiſtor. 29.* Secunda non minus diſcriminis habent quàm adverſa. *Et hoc modo ſub ſpecie præparandi ſe adverſus fortunæ inconſtantiam poterit etiam ſi malus ſit & flagitioſus impunitati ſcelerum ſuorum conſulere. Eleganter hac de re loquitur Tacitus 1. Hiſtor. 72.* peſſimus quisque, *ait*, diffidentiâ præſentium mutationem pavens, adverſus publicum odium, privatam gratiam præparat: unde nulla innocentiæ cura, ſed vitæ impunitatis. *Caveat ergò ſibi qui vir prudens videri vult, ne ut lætitiæ ita mœroris immodicus agat; ob quod reprehenditur Nero 15. annal. 23. ſed ut videatur moderatus & ad futura ſeſe ſemper præparare.*

5. Si proſperum quid contingit ſuæ prudentiæ, ſi adverſum fortunæ adſcribunt. *Nam in rebus humanis multum poteſt fortuna: itaque huic adſcribunt quicquid male ceſſit.*

6. Conſtantiam in propoſito præ ſe ferre ſpeciem prudentiæ habet. *Nam vir prudens non hinc inde vagatur, ſed in ſuo propoſito conſtans eſt.*

7. Talium quoque bonorum quæ non inania ſunt appetitionem ſimulare ſolent, qui prudentes videri volunt. *Ita enim mala quæ per honeſtatem ſubeunda ſunt mali à ſe declinant, videnturque ipſis prudentibus prudentiores. Sic cum Thraſea Pætus nolens adulari Imperatori ſilentio vel brevi aſſenſu ſenatorum adulationes tranſmitteret, quoties in ſenatu ſibi dicenda eſſet ſententia; reprehendebatur tanquam minus prudens. Nam dicebant, enim* exitium ſenatui ac ſibi cauſſam

periculi

periculi feciſſe, cœteris libertatis initium per hoc non præbuiſſe. 14. *annal.* 12.

8. Aliorum conſilia quoque audiunt & pro ſuis venditant. *Nam prudens eſt qui bona & recta conſilia invenire valet: quare prudens videbitur qui iactat ea ſe reperiſſe. ita ſæpè princeps quispiam apparet prudens, quamdiu ſcil. bonum habet conſiliarium: mox omnia imprudenter agit, conſiliario ſcil. mortuo. Contigit id circa Tiberium: quamdiu enim Druſus vivebat & Sejanus bonis conſiliis noteſcere vellet,* rari per Italiam Cæſaris agri, modeſta ſervitia, intra paucos libertos domus; ac ſi quando *Tiberius* cum privatis certaret, forum ac Jus, *(patiebatur enim ſecum lege agi)* quæ cuncta non quidem comi viâ, ſed horridus ac plerumque formidatus, retinebat tamen, donec morte Druſi verterentur, 4. *annal* 7.

9. In ſummâ autem notare decet, eum, qui vult prudens videri, oportere vitare mores vulgi. *Nam vulgus & prudentes contrariis ſunt moribus.*

MEMBR. V.
DE SIMULANDA JUSTITIA.

1. Qui Juſtitiam ſimulant valde amabiles ſunt. *Nam hac virtute omnis ſocietas conſervatur & ſalva eſt.*

2. Simulatur autem juſtitia, ſi unum aliquod præclarum editur ſpecimen. *v. g. ſi inveniens rem anxiè inquirit in dominum, cum tacere & rem retinere poſſet. it. ſi paupertate adigente quis abſtineat à lædendo altero. Nam qui ſemel tale aliquod ſpecimen edit ſemper juſtus eſſe putatur.*

3. Juſtus quoque habetur & is qui ex legibus omnia agere videtur. *Nam vivere ſecundum leges eſt juſtum eſſe. ita Tiberius, quo ſuum imperium juſtum videretur, ſimulabat ſe ex legibus imperare. Ita namq; diſſerebat in Senatu:* Satis onerum principibus, ſatis etiam potentiæ: minui jura, quoties gliſcat poteſtas: nec utendum imperio, ubi legibus agi poſſit. *Callidum autem commentum eſt, quò quid juſtum videatur hoc agere,* ut prius lex condatur pronuncians licitum eſſe. *Sic Claudius, quò juſtum videretur ipſius cum Agrippinâ matrimonium, Senatum ingreſſus decretum poſtulavit*, quò juſtæ inter patruos fratrumque filias nuptiæ impoſterum ſtatuerentur. 12. *annal.* 7. Hæc *quoq; cauſſa fuit multitudinis legum apud Romanos. Quâ de re ita diſſerit Tacitus.* 3. *annal.* 27. ſecutæ leges, etſi aliquando in maleficos ex delicto, ſæpius tamen diſſenſione ordinum *patriciorum & plebis*, & apiſcendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava per vim latæ ſunt. Hinc Grachi & Saturnini turbatores plebis; nec minor

minor largitor nomine ſenatus Druſus; corrupti ſpe *civitatis communicandæ*, aut illuſi per interceſſionem ſocii. Ac ne bello quidem Italico mox civili omiſſum, quin multa & diverſa ſciſcerentur; donec L. Sulla dictator, abolitis vel converſis prioribus cùm plura adaidiſſet, otium ei rei haud in longum paravit, ſtatim turbidis Lepidi rogationibus. neque multò poſt tribunis reddita licentia, quoquò vellent populum agitandi. Jamque non modò in commune ſed in ſingulos homines latæ quæſtiones: & corruptiſſimâ Republ. plurimæ leges. *Eſt & callidus modus hûc referendus nim.* leges ſophiſticè interpretari. *Nam quod ex interpretatione legum ſit juſtum videtur.* *Sic*, quia vetere SCto quæſtio *ſervorum* in caput domini prohibebatur, callidus & novi Juris repertor Tiberius mancipari ſingulos actori publico jubet: ſcil. ut in Libonem ex ſervis ſalvo SCto quæreretur. *Sophiſtica ſcil. hæc erat SCti interpretatio.*

MEMBR. VI.
DE
SIMULANDA FORTITUDINE.

1. Fortes valde amabiles ſunt. *Nam horum virtute patria, fortunæque civium conſervantur. Præclarè verò ſecundum hanc virtutem operantur qui, quò patriam, cives, amicos à ſervitute, morte vel aliis periculis liberent nihil terribile habent niſi ipſum terrorem, quoque plus metus affertur eò minus timent: qui ſe æquè promptos exhibent ad pericula occupanda ac crudelitas eſt ad irroganda; qui morte totam vitam cohoneſtant & in æternum per gloriam vivunt.*

2. His & talibus fortium virorum factis ſe amabiles reddunt, qui non reverà fortes ſunt, ſed commodi ſui privati vel augendi imperii aut vanæ gloriæ gratiâ ſuſcipiunt bellum ſub prætextu defendendæ religionis vel libertatis. *Nam fortitudo non melius ſimulari poteſt, quàm prætendendo finem aliquem honeſtum vel pium, cujus gratiâ bellum ſuſcipitur.*

MEMBR. VII.
DE
SIMULANDA LIBERALITATE.

1. Liberalitas ſuos cultores gratisſimos & accepti ſſimos reddit. *Nam præter elegantiam in operando continet quoque utilitatem. Pulchrè autem ſecundum hanc virtutem operantur, quorum ſacculo quicquid ineſt ipſis ſat eſt, modo habeant, unde indigentibus ſuccurrant, qui procuratores potius ſuarum divitiarum quàm domini ſunt.*

2. Quæ ergò pulchrè facit liberalis ſemper, id ſemel in conſpectu

ſpectu potiſſimum hominum parcorum facere debet qui liberalitatem vult ſimulare. *Nam homines parci magis quàm cæteri factum liberale deprædicant & extollunt.*

3. Parit quoque ſpeciem liberalitatis, non de ſuo ſed de alieno dare. *Quapropter ſimulare valentis liberalitatem & conciliandi ſibi favorem eſt hoc agere, quò quaſi procurator fiat in diſtribuendis aliorum pecuniis: aut ut accipiat poteſtatem de publico donandi.*

MEMBR. VIII.

DE SIMULANDA MAGNIFICENTIA.

1. Magnifici redduntur amabiles, ſplendida ædificia, curias, templa exſtruendo, Deo bona dedicando. *Hi enim cum cultu quodam & honore amantur: dum ſeſe ſplendidis operibus magnos & memorabiles præbent.*

2. Magnificentiam ſimulant qui id faciunt de alieno. *Ita fertur* Nero condendæ urbis novæ & cognomento ſuo (*Neroniana*) appellandæ gloriam quæſiviſſe. 15. *annal.* 40. *Sed quod initio monuimus, nihil ita ſimulari poſſe, quò minus ſimulatum ſentiatur, id & Neroni hîc contigit. Quamvis enim pro reparandâ urbe nihil intermiſerit:* non *tamen* ope humanâ, non largitionibus principis, aut Deûm placamentis decedebat infamia, quin juſſum incendium crederetur. 15. *annal.* 44.

MEMBR. IX.

DE SIMULANDA MAGNANIMITATE.

1. Magnanimus amabilis fit agendo talia quæ magna & non communia ſunt. *Nam magnanimus non parvis ſed magnis ſe ſubjicit periculis, & dum in iis verſatur ſibi non parcit, in potentes ſe excelſum, in reliquos moderatum præbet; non inter parvos gloriatur, nullius quam amici nutu vivit; omnia apertè dicit, nihil timidè aut ſimulatè; (neminem enim metuit) aliòs non vituperat, nec illorum curam habet: idque propterea facit, quia novit ſe omnibus virtutibus & bonis abundare. Quis verò hominum non amet virum interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adverſa felicem, in mediis tempeſtatibus placidum, ibi ſtantem ubi omnes jacent, ibi elatum ubi omnes deprimuntur, ex ſuperiori loco videntem homines ex propinquo Deum?*

2. Horum nonnulla præ ſe ferendo quis magnanimitatem ſimulare poteſt: *v. g. non facilè admirari, non vilibus ſe immiſcere, ſimulationes & diſſimulationes occultare, non occultas ſtruere inſidias ſed apertè*

pertè aggredi hoſtem velle. Hoc pacto magnanimitatem ſimulavit Tiberius. Cum enim Adgandeſtrii principis Cattorum legerentur in ſenatu literæ, quibus mortem Arminii promittebat, ſi patrandæ neci venenum mitteretur: reſponſum *ab eo eſſe fertur;* non fraude neq; occultis, ſed palàm & armatum populum Romanum hoſtes ſuos ulciſci, quâ gloriâ æquabat ſe Tiberius priſcis Imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem vetuerant prodiderantque. *2.annal.c.ult. Ita idem magnanimum ſe oſtentare voluit, cùm Druſo datum eſſet venenum. Id quod Tacitus 4.annal.8. ita enarrat:* cæterùm Tiberius per omnes valetudines ejus (*Druſi*) dies, nullo metu, an ut firmitudinem animi oſtentaret, etiam defuncto necdum ſepulto, Curiam ingreſſus eſt. Conſulesque *non curulibus ſellis ſed* ſede vulgari per ſpeciem mœſtitiæ ſedentes honoris locique admonuit; & effuſum in lachrymas ſenatum victo *ſeu cohibito* gemitu, ſimul oratione continuâ erexit. *Sed licet hoc unâ aut alterâ vice fiat: ſi tamen cætera actiones non correſpondent, facilè ſentitur ſimulatio.*

MEMBR. X.

DE SIMULANDO HABITU COLENDI HONESTAM AMICITIAM.

1. Habitus colendæ amicitiæ maximè amabilem reddit. *Nam cum hoc omnes amicitiam inire deſiderant, qui deprehenditur habitu colendi amicitiam inſtructus.*

2. Hominis politi & ſimulatoris eſt operam dare, ne videatur cujusquam amicitiam captare ductus cupiditate lucri vel adverſâ ſuâ fortunâ commotus. *Nam homines per ſe amabiles eſſe volunt. Itaq; eo tempore quærendi ſunt amici, quo nondũ apparet, quærentem hisce indigere. Hoc enim modo videtur amicitia iniri in eum modum, quo natura hominem homini conciliat.*

3. Anxiè ergò ſimulator quærere debet aliquid honeſto ſimile in eo, cum quo ineunda eſt amicitia, quod prætendere poſſit, tanquam principium benevolentiæ. *Nam hoc pacto videbitur alterum per ſe amare & debitâ benevolentiâ proſequi.*

4. Nullius boni poſſeſſionem ſine ſocio jucundam eſſe præ ſe ferat. *Nam talia ſimulans videtur habitum colendæ amicitiæ ita paraſſe, ut ſine amico vivere nequeat.*

5. Debet quoque hunc habitum ſimulaturus præ ſe ferre morum ſimilitudinem. *Nam ita videbitur natura hos velut ſimiles conjunxiſſe. Eorundem autem morum videtur qui externas geſticulationes, veſtimenta, cultumque corporis imitatur. Nam ex hisce externis*

ſpectu potiſſimum hominum parcorum facere debet qui liberalitatem vult ſimulare. *Nam homines parci magis quàm cæteri factum liberale deprædicant & extollunt.*

3. Parit quoque ſpeciem liberalitatis, non de ſuo ſed de alieno dare. *Quapropter ſimulare volentis liberalitatem & conciliandi ſibi favorem eſt hoc agere, quò quaſi procurator fiat in diſtribuendis aliorum pecuniis: aut ut accipiat poteſtatem de publico donandi.*

MEMBR. VIII.
DE SIMULANDA MAGNIFICENTIA.

1. Magnifici redduntur amabiles, ſplendida ædificia, curias, templa exſtruendo, Deo bona dedicando. *Hi enim cum cultu quodam & honore amantur: dum ſeſe ſplendidis operibus magnos & memorabiles præbent.*

2. Magnificentiam ſimulant qui id faciunt de alieno. *Ita fertur* Nero condendæ urbis novæ & cognomento ſuo (*Neroniana*) appellandæ gloriam quæſiviſſe. 15 *annal.* 40. *Sed quod initiò monuimus, nihil ita ſimulari poſſe, quò minus ſimulatum ſentiatur, id & Neroni hîc contigit. Quamvis enim pro reparandâ urbe nihil intermiſerit:* non *tamen* ope humanâ, non largitionibus principis, aut Deûm placamentis decedebat infamia, quin juſſum incendium crederetur. 15. *annal.* 44.

MEMBR. IX.
DE SIMULANDA MAGNANIMITATE.

1. Magnanimus amabilis fit agendo talia quæ magna & non communia ſunt. *Nam magnanimus non parvis ſed magnis ſe ſubjicit periculis, & dum in iis verſatur ſibi non parcit, in potentes ſe excelſum, in reliquos moderatum præbet; non inter parvos gloriatur, nullius quam amici nutu vivit; omnia apertè dicit, nihil timidè aut ſimulatè; (neminem enim metuit) alios non vituperat, nec illorum curam habet: idque propterea facit, quia novit ſe omnibus virtutibus & bonis abundare. Quis verò hominum non amet virum interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adverſa felicem, in mediis tempeſtatibus placidum, ibi ſtantem ubi omnes jacent, ibi elatum ubi omnes deprimuntur, ex ſuperiori loco videntem homines ex propinquo Deum?*

2. Horum nonnulla præ ſe ferendo quis magnanimitatem ſimulare poteſt: *v.g. non facilè admirari, non vilibus ſe immiſcere, ſimulationes & diſſimulationes occultari, non occultas ſtruere inſidias ſed a-*

pertè

pertè aggredi hoſtem velle. Hoc pacto magnanimitatem ſimulavit Tiberius. *Cum enim* Adgandeſtrii principis Cattorum legerentur in ſenatu literæ, quibus mortem Arminii promittebat, ſi patrandæ neci venenum mitteretur: reſponſum *ab eo eſſe fertur;* non fraude neq; occultis, ſed palàm & armatum populum Romanum hoſtes ſuos ulciſci, quâ gloriâ æquabat ſe Tiberius priſcis Imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem vetuerant prodiderantque. *2. annal. c. ult. Ita idem magnanimum ſe oſtentare voluit, cùm Druſo datum eſſet venenum. Id quod Tacitus 4. annal. 8. ita enarrat:* cæterùm Tiberius per omnes valetudines ejus (*Druſi*) dies, nullo metu, an ut firmitudinem animi oſtentaret, etiam defuncto needum ſepulto, Curiam ingreſſus eſt. Conſulesque *non curulibus ſellis ſed* ſede vulgari per ſpeciem mœſtitiæ ſedentes honoris locique admonuit; & effuſum in lachrymas ſenatum victo *ſeu cohibito* gemitu, ſimul oratione continuâ erexit. *Sed licet hoc unâ aut alterâ vice fiat: ſi tamen cæteræ actiones non correſpondent, facilè ſentitur ſimulatio.*

MEMBR. X.

DE SIMULANDO HABITU COLENDI HONESTAM AMICITIAM.

1. Habitus colendæ amicitiæ maximè amabilem reddit. *Nam cum hoc omnes amicitiam inire deſiderant, qui deprehenditur habitu colendi amicitiam inſtructus.*

2. Hominis politi & ſimulatoris eſt operam dare, ne videatur cujusquam amicitiam captare ductus cupiditate lucri vel adverſâ ſuâ fortunâ commotus. *Nam homines per ſe amabiles eſſe volunt. Itaq; eo tempore quærendi ſunt amici, quo nondũ apparet, quærentem hisce indigere. Hoc enim modo videtur amicitia iniri in eum modum, quo natura hominem homini conciliat.*

3. Anxiè ergò ſimulator quærere debet aliquid honeſto ſimile in eo, cum quo ineunda eſt amicitia, quod prætendere poſſit, tanquam principium benevolentiæ. *Nam hoc pacto videbitur alterum per ſe amare & debitâ benevolentiâ proſequi.*

4. Nullius boni poſſeſſionem ſine ſocio jucundam eſſe præ ſe ferat. *Nam talia ſimulans videtur habitum colendæ amicitiæ ita paraſſe, ut ſine amico vivere nequeat.*

5. Debet quoque hunc habitum ſimulaturus præ ſe ferre morum ſimilitudinem. *Nam ita videbitur natura hos velut ſimiles conjunxiſſe. Eorundem autem morum videtur qui externas geſticulationes, veſtimenta, cultumque corporis imitatur. Nam ex hisce externis*

homines interna dijudicant. Hanc ob cauſſam Caligula gratus fuit militibus. Nam infans in caſtris genitus, in contubernio legionum eductus, quem militari vocabulo Caligulam (*caligæ enim calceamentum militare erant, quo altius muniebantur pedes, ita ut etiam tibias tegerent.*) appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi ſtudia eo tegmine pedum induebatur. 1. *annal.* 41. *& ita imitabatur milites manipulares ſeu gregarios, qui propterea caligati vocabantur, quod ejusmodi caligis uterentur. Sic & gratus fuit Narciſſus Neroni, quia* abditis adhuc vitiis per avaritiam & prodigentiam mirè congruebat: *artes enim prædandi, quò præſtò eſſent neceſſaria ad luxuriam didicerat.*

6. Simulandum etiam eſt, quem eadem bona eademq; mala cum altero habere. *Hoc autem contingit, ſi ſuper iisdem quis cum altero lætetur & doleat: ſi præ ſe ferat, ſe cum altero eosdem & amicos & inimicos habere.*

7. Conſilia quoque & ſecreta communicanda ſunt, fingendaque ſecreta quæ non ſunt. *Nam ſignum intimæ amicitiæ eſt cum aliquo ſecreta pectoris & conſilia communicare. Signum etiam eſt, nos alterum dijudicare prudentem à quo conſilia expetimus.*

8. Conſtantia quoque in amando erga amicos, quos habet, oſtentanda eſt. *Nam conſtantia amoris habitûs ſignum eſt. Conſtantiam autem indicant, ſi quis amet non modò præſentes ſed etiam abſentes, mortuorumque liberis etiam benefaciat. it. ſi quis ſubortis contentionibus ſe promptum ad conciliandum exhibeat, hominumque defectus patienter ferat.*

9. Tandem & virtutes homileticas quis præ ſe ferre debet. *Nam hæ aptiſſimum reddunt ad colendam amicitiam. De quibus latius in Ethicis.*

CAP. III.

DE OCCULTATIONE ET DISSIMULATIONE VITIORUM ET MALORUM AMICITIAM DISSOLVENTIUM.

1. In hoc omnem malitioſi homines impendunt operam, ut vitioſas actiones occultent, ne ob has ſibi comparent inimicos. Occultari autem poteſt vel 1. perſona malum agens. vel 2. factum vel 3. qualitas & vitioſitas facti.

ARTIC. I.

DE OCCULTANDA PERSONA MALA OPERANTE.

1. Primus modus occultandi perſonam eſt, ſi quis malum non ipſe

ipſe ſed per alium infert. *Nam quod quis per alium facit , ejus ipſe cauſſa efficiens exiſtit : interim tamen non ipſe ſed alius feciſſe videtur.* Subſtituitur autem alius vel per mandatum & hoc aut expreſſum aut tacitum, vel ſine mandato. Expreſſè alicui mandare periculoſum eſt. *Nam mandatarius ſibi ita mandatum eſſe ſtatim fatetur & prodit. Quapropter ſolent, qui ita lædere volunt , callidos eligere miniſtros & in occultè perpetrandis malis exercitatos , aut tales qui non prodituri ſunt, quia inimicitiam mandantis metuunt vel aliquod malum inde emerſurum.* Sed tutiſſimus modus eſt alios inſtigare movendo in iiſdem ſtomachationem, invidiam, odium erga lædendum. *Nam hoc pacto quis quamoptimè latére poteſt. Ita Sejanus* fratrem Neronis Druſum traxit in partes *& contra fratrem inſtigavit*, ſpe objectâ principis loci, ſi priorem ætate & jam labefactum dimoviſſet. Atrox Druſi ingenium, ſuper cupidinem potentiæ, & ſolita fratribus odia , accendebatur invidiâ: quod mater Agrippina promptior Neroni erat, & propenſior. 4. *annal.* 60. *Ex quo loco unà diſcitur, quinam diſpoſiti ſint, ut facilè inſtigari poſſint.*

2. Item ſi quis culpam criminis perpetrati in alium transfert qui ſe defendere nequit. *Hoc ſtratagemate uſus eſt Tiberius circa defunctam matrem. Quod ita enarrat Tacitus* 14. *annal.* 12. Cæterùm quò gravaret invidiam matris eâque demotâ, auctam lenitatem ſuam teſtificaretur; fæminas illuſtres Juliam & Calpurniam, præfecturâ functos Valerium Capitonem & Licinium Gabolum ſedibus patriis reddidit. *Quo ipſo omnis ſævitiæ & crudelitatis principium in matrem ſuam transferre voluit, matre ſe non valente defendere, quia mortua erat. Sic idem Tiberius occiſurus Sempronium Gracchum milites in inſulam ad eum occidendum non Româ miſiſſe, ſed auctor fuiſſe traditur, ut ab L. Aſprenate proconſule Africa mitterentur , utpote qui hoc modo* famam cædis poſſe in Aſprenatem verti fruſtrà ſperaverat.

3. Callidiſſimum eſt ita rem agere, ut lædendus malum, quod ipſi inferendum eſt, in ſeipſum ſtatuat. *Hoc callido velamine crudelitatis uſus eſt Tiberius. Ita enim Tacitus 6. annal. 29.* At Romæ cæde continuâ, Pomponius Labeo per abruptas venas ſanguinem effudit, æmulataque eſt conjux Praxæa. Nam promptas ejusmodi mortes metus carnificis faciebat: & quia *qui expectabant ſententiam* damnati, publicatis bonis, ſepulturâ prohibebantur: eorum qui de ſe ſtatuebant humabantur corpora, manebant teſtamenta , pretium feſtinandi. Sed Cæſar miſſis ad Senatum literis, diſſeruit, morem fuiſſe majoribus , quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eumque finem gratiæ *ſeu amicitiæ* ponere: id ſe repetiviſſe in La-

beone. atque illum quia malè adminiſtratæ provinciæ, aliorumque criminum urgebatur; culpam invidiâ, *quam hoc ſuo facinore in ſeipſum commiſſo in Imperatorem transferre niſus fuerat, velaviſſe,* fruſtrà conterritâ uxore, quam etſi nocentem, periculi tamen expertem fuiſſe.

4. Tandem conducit etiam, ſe ita gerere, ne homines præſumant aliquid mali: quod impetratur ſimulando virtutes, cumprimis autem pietatem. *Nam qui pius reputatur & Deum colens, de hoc nihil mali præſumunt homines.* Conducit etiam verecundiam ſimulare. *Nam verecundi qui ſunt & modeſti inepti ad facinora mala committenda videntur.*

5. Oſorem etiam ſe eſſe vitii, ex quo peccat, ſimulare prodeſt. *Nam nemo facilè odit vitium quo laborat, ſed illud defendere & palliare nititur. Hoc privati faciunt prodendo & accuſando eos, qui ſimili vitio laborant; magiſtratus, ſeverè puniendo. Ita v.g. magiſtratus graviſſimis ſuppliciis coercens adulteros, videtur vitium intemperantiæ tanquam ab hoc alienus graviter odiſſe.*

ARTIC. II.

DE

FACTO ODIUM ET CONTEMPTUM GIGNENTE OCCULTANDO.

1. Quo facta lateant, committenda ibi ſunt, ubi nulli ſunt obſervatores. *Duobus autem modis contingit nullos obſervatores eſſe* 1. *ſi locus ſit obſcurus, ubi nulli ſunt homines,* 2. *ſi locus in aperto & oculis omnium expoſitus videatur. Nam tali in loco nemo quicquam mali metuit. Hinc ſolent fures, quò magis lateant, id aufferre quod in oculis omnium eſſe videtur. Maximè ſecurum verò eſt in locis obſcuris & longinquis perpetrare mala. ita Tiberius Juliam enecavit,* obſcuram fore necem longinquitate exilii ratus. *1.annal.53. & ipſe poſtea ſex annis Româ abfuit, quòd ſperaret, minus conſpicua fore quæ crudeliter & libidinosè patraret: putabat enim ſevitiam ac libidinem quam factis prodebat locis ab urbe diſſitis occultari poſſe. 4. annal.57. Hinc ſolent tyranni volentes vitia occultare non ſæpè prodire in publicum: magiſque amantur & coluntur auditi quam inſpecti. Id quod contigit circa Imperatores Romanos in Syriâ 2. Hiſt.6. Solent etiam tyranni obſervatores & proditores flagitiorum occidere. Hinc eum, qui in Tyrannico ſtatu felix eſſe vult, oportet ſcientiam flagitiorum diſſimulare.*

2. Poſſunt & flagitia latére, ſi committantur in eas perſonas, quæ proloqui quod perpeſſæ ſunt non audent vel pudore impeditæ vel metu majoris mali. *Nam interdum læſi malunt illatum malum reticere*

ticere quam propalare: ita ſi quis vi ſtupraverit honeſtam puellam inde non gravidam redditam, ſæpè impunè hoc facit, puellâ malente reticere & negare, quàm injuriam confiteri. Nec etiam is conqueretur de malo qui ex querelâ gravius damnum metuit.

ARTIC. III.
DE OCCULTANDA FACTI INJUSTITIA ET VITIOSITATE.

1. *Nemo habetur vitioſus & ob malas actiones in odio eſt, niſi qui apparet 1. ex vitio ſeu potentiâ mali activâ operatus. 2. nocuiſſe ſeu damnum intuliſſe ratione alicujus boni vel utilis vel honeſti. idque 3. injuſtum eſſe.*

2. Potentia malorum activa, ſeu, ut communiter loqui ſolemus, animi vitioſitas occultatur. 1. ſi quis prætendat bonam in operando intentionem. *Nam quale ſit in quoque principium operandi, ex fine, à quo ad operandum excitatur, colligimus. Hoc eſt illud, ex quo fermè æſtimamus hodiè politicum, nim. occultare intentionem malam & in omnibus actionibus bonam aliquam præ ſe ferre. v.g. cum malis converſari ſignum eſt improbi hominis: at convertendorum ipſorum gratiâ hoc facere bonum eſt. it. Lucrum quærere & pecuniam extorquere ſignum eſt avari hominis: at boni publici gratiâ, quia aliter pax cum vicinis conſervari nequit hoc facere, indicium eſt boni magiſtratûs, qui publicæ tranquillitatis curam habet. Voluptatibus corporis deditum eſſe ſignum eſt improbi hominis: at recreationis gratiâ poſt perfecta multa ardua & laborum plena negotia aliquid voluptatis capere honeſtos quoque decet. Sui gratiâ omnia facere ſuamq́; quærere ſalutem tyrannicum eſt: at facere hoc, quòd ſine ſe ſalvo Reſpubl. ſalva eſſe nequeat, etiam bonum principem decere videtur. Sic, ignominioſè aliquem tractare injuria eſt: at corrigendi animo id facere honeſti viri officium. Ita pallium Titio auferre injuſtum eſt: at in hunc finem auferre, ut Sempronius, cujus eſt, eum recuperet juſti ſpeciem habet.* 2. Si quis loquendo aliam animi intentionem prodat, *quàm habet. Plerumque enim ſermo proditor animi eſt, & ſecreta pectoris pandit. Quâ de cauſâ callidi homines aut tacent aut contraria eorum quæ intendunt proloquuntur.* 3. Si quod intendit nonnunquàm oblatâ occaſione arripiendi reſpuit. *Callidè hoc Sejanus in praxin deduxit, quando oblatâ occaſione occidendi Tiberium & imperium invadendi eam noluit arripere, quia nondum omnia ſatis erant præparata. De quo Tacitus 4. annal. 59. ita refert:* Ac fortè illis diebus oblatum Cæſari anceps periculum auxit vana rumoris: præbuitque ipſi materiam, cur amicitiæ conſtantiæque Sejani

Sejani magis fideret. Veſcebantur in villâ cui vocabulum Speluncæ. ejus os lapſis repentè ſaxis, obruit quoſdam miniſtros. hinc metus in omnes & fuga eorum qui convivium celebrabant. Sejanus genu vultuque & manibus ſuper Cæſarem ſuſpenſus oppoſuit ſeſe incidentibus: atque habitu tali repertus eſt à militibus, qui ſubſidio venerant: Major ex eo, & quanquam exitioſa ſuaderet, ut non ſui anxius, cum fide audiebatur. 4. Si palam operando exhibeat habitum contrarium illi vitio, ex quo, quod perpetraturus eſt, manare ſolet. *v.g. Quia autores ſeditionum in Republ. ſunt homines ſuperbi, elati, turbarum amantes, nulli parcentes labori in acquirendis honoribus, ſuperioribus infideles & moribus contrariis, impudentes, callidi feroces & audaces, in re militari exercitati. Hinc molituri ſeditionem quò lateant, ſimulant, ſe eſſe humiles, pacis, quietis & otii amantès, laborum impatientes, ſuperioribus fideles & moribus ſimilimis, verecundos, ſimplices, timidos, artis militaris nullam peritiam habentes &c.* Quòd ſi quid commiſſum ſit quod malum eſt, ſimulandum, id factum magis ex neceſſitate vel caſu vel ex affectu eoque bono. *Nam hæc à vitioſitate excuſare ſolent.* Ad neceſſitatem ſpectat ſi quis dicit, ſe ex officio quod gerit cogi facere. *v.g. qui crudelitatem exercent fingunt, ſe ex officio quod Deus injunxit id facere cogi: præcepiſſe enim Deum, ut magiſtratus gladium in improbos ſtringat. Ut verò tali in caſu ſibi fidem quis conciliet, tarditatem quandam in operando & moleſtiam ex eâ præ ſe ferre debet. Quemadmodum ille, qui cùm ſubſcribendum eſſet ſententiæ ferali, dicebat, quàm mallem me ſcribere neſcire. it.* Coactum fuiſſe facere ob neceſſariam ſui defenſionem, aut juſſu ſuperioris &c. Prætextum etiam præbet bonus affectus. *Nam quod ex bono affectu fit à nullo vitio provenire videtur. Hinc qui honeſtam puellam ſtuprârunt prætendere ſummum amorem erga illam ſolent, & dicere ſe ex amore feciſſe.*

3. Ne videatur actio vel operatio lædens & damnoſa ſeu ratione honeſti ſeu utilis ſeu jucundi boni, conducit argumentis ſuaſoriis uti, & inutile utile, inhoneſtum honeſtum, moleſtum jucundum eſſe perſuadere: *Nam homines ducuntur opinionibus, ut ſæpenumero credant ſalutare quod damnoſum eſt & contrà. Quâ in re multum poteſt eloquentia.* Redduntur & moleſta jucunda adſvefactione: *Quâ de causâ ſolent duces gregarios milites adſuefacere laboribus perferendis, & ita impoſitis etiam rebus moleſtiſſimis horum amicitiam & benevolentiam conſervare.*

4. Ne injuſtum videatur quod illatum eſt, prodeſt 1. quod quis in alterum ſtatuit etiam in ſe ſtatuere. *Nam cùm nemo habeat animum in ſeſe ſtatuendi injuſtum, nec injurioſum putabitur, ſi quis in ſe*

ſtatuere

ſtatuere videtur quod committit erga alios. 2. ſtatuere in aliquem quod alius ultrò patiendum recipit. *Hinc callidi homines aliquid erga aliquem facturi, ob quod is iraſci poſſit, exhibent alium quendam ultro ad patiendum ſeſe offerentem. Nemo enim ultro patiendum recipit, niſi ſciat bonum aut non malum eſſe quod patitur.* 3. Senſim aliquod bonum detrahere. *Nam minuta ſingula parum injuſti habere videntur, unde totum quoque tale eſſe videtur.* 4. Simulare vindictam *v. g. dicere eum qui læſus eſt olim gravius aliquod malum intuliſſe, & propterea vel proprio vel alieno nomine vindictam ſumi.* 5. Concedentibus legibus fieri. *De quo etiam diximus, cum de ſimulandis virtutibus ageremus.*

ARTIC. IV.
DE
MALO ILLATO CORRIGENDO, ET ODIO INDE NASCITURO AVERTENDO.

1. Si manifeſta ſatis ſit læſio & injuria, conſultiſſimum erit, quò odium declinetur, niti corrigere malum. Itaque 1. ſimulanda eſt pœnitentia. *Nam quorũ nos pœnitet, ea non videmur ex malitiâ feciſſe.*

2. Proponenda quoque læſo ſunt alia dicenda & facienda quò illati mali obliviſcatur. *Nam obliviſcentes illati mali aut metuendi ſimiles redduntur iis qui nihil mali perpeſſi ſunt, vel metuunt. Hoc modo cùm rumor oriretur, parari Agrippinæ à Tiberio exitium,* Cæſar quò famam averteret *& ſermones hominum ad alia duceret,* adeſſe frequens Senatui, legatosque Aſiæ ambigentes, quânam in civitate templum ſtatueretur, plures per dies audivit. 4. *ann.* 55.

3. Proſunt etiam media iram lenientia. *Nam poſitâ irâ facilè reditur in gratiam. Mitigant autem iratos excuſationes quibus probatur, nõ deſpiciendi animo factũ eſſe quod pro contumeliâ vel injuriâ habetur, ſed jocandi causâ; vel ex iracundiâ, quia quod per iracundiam fit, non fit animo deſpiciendi. Præ reliquis autem conducit, ob oculos læſis ponere, ita tamen ne objectandi animo fieri videatur, beneficia antea in eos collocata, ſive à lædente ſive à majoribus ipſius: item ſuccurrere læſo in periculo magno conſtituto. Sic Germanicus ſtuduit mitigare odium Piſonis, quando ortâ tempeſtate, cùm Piſonis navis raperetur in abrupta, interitusque ejus ad caſum referri potuiſſet miſit triremes, quarum ſubſidio diſcrimini eximeretur.* 2. annal. 55. *Habenda quoque ratio eſt ingeniorum; & dignitatis potentiæque amici: aliiſque metus incutiendus; reſpectu aliorum metus ſimulandus. Nam qui metuit non iraſcitur: metuens enim in quærendâ vindictâ tardatur.* 6. annal. 32. verb. Artabarus. *Ejus autem, quem ſimulamus nos metuere, ira quoque ſedatur. Sic* Claudius Corſus notæ

facundiæ,ſed dicendi artem aptâ trepidatione occultans, *i.e. dum præſeferebat, quaſi præſens metus ipſum facundum redderet, quæ res majorem dictis ipſius fidem addidit*, militis animũ mitigavit. 2.Hiſt.69.

4. Præcavenda quoque eſt erga læſum miſericordia. *Nam miſericordes erga læſum lædenti iraſcuntur occultumque in eum conjiciunt odium. Impeditur autem miſericordia, ſi præcavetur, ne qui in miſeriâ eſt veniat in conſpectum eorum, qui miſericordiam exhibituri ſunt. Hoc obſervavit Narciſſus prohibens Meſſalinam liberosque ejus venire in conſpectum Claudii* 11. anal. 34. verb. ſimul codicillos. *Nam nihil magis movet miſericordiam, quàm malum conſpiciendum exhibere. Ita Agrippina vidua Germanici omnes ad miſericordiam commovit, quando ſe lectiſſimam fœminam cum urnâ, in quâ cineres mariti erant, & liberis populo conſpiciendam exhibuit. Verba Taciti* 2.annal. 75. *hæc ſunt*: miſerantibus cunctis, quòd fœmina nobilitate princeps pulcherrimo modò matrimonio inter venerantes gratantesque adſpici ſolita, tunc ferales reliquias ſinũ ferret, incerta ultionis, anxia ſui, & infelici fecunditate fortunæ toties obnoxia. *Sic Tiberius volens miſericordiam movere juſſit Germanici liberos in ſenatum ducere ita patres allocutus*: Patres conſcripti: Hos orbatos parente, tradidi patruo ipſorum, precatuſque ſum, quanquam illi eſſet propria ſoboles, ne ſecus quàm ſuum ſanguinem foveret ac tolleret, ſibique & poſteris confirmaret. erepto Druſo preces ad vos converto, diiſque & patriâ coram obteſtor, Auguſti pronepotes, clariſſimis majoribus genitos ſuſcipite regite: veſtram meamque vicem explete. Hi vobis Nero & Druſe parentum loco: ita nati eſtis, ut bona malaque veſtra ad Rempubl. pertineant. *His ſubjicit Tacitus*, Magno ea fletu, & mox precationibus fauſtis audita, ac ſi modum orationi poſuiſſet, miſericordiâ ſui gloriâque animos audientium impleverat. *Hinc porrò diſcimus*, ſi conſpectus læſorum impediri nequeat, mox conciliandam hominibus opinionem, læſos non indignè perpeſſos eſſe. *Nam eorum miſereri ſolemus, quos putamus indignè quid pati. Sic Vibulenus movit miſericordiam apud gregarios milites, ut inde iraſcerentur Blæſo: quùm eum ita alloqueretur*: Reſponde Blæſe, ubi cadaver *fratris mei* abjeceris? ne hoſtes quidem ſepulturam invident, cùm oſculis, cùm lacrymis dolorem meum implevero: me quoque trucidari jube. Dum interfectos nullum ob ſcelus, ſed quia utilitati legionum conſulebamus, ii ſepeliant. 1. *annal.* 22. *Contrà ergò quò impediatur miſericordia, inculcandum, eum qui conqueritur longè majora mala commeritum eſſe.*

5. Optima ratio eſt imaginariâ compenſatione malum illatum

tum corrigere. Fit autem compenſatio, ſi pro ablato bono aliud reſtituitur, aut reſtitui fingitur. *v.g.* Si in bono utili lædatur ambitioſus, compẽſatio fieri poteſt mediante honore. *Ambitio enim homines occæcat, ut vano aliquo honore patiantur utile bonum compenſari.* Læſo ſuperſtitioſo cõpenſatio fit, ſi lædẽs jactet informationẽ in religione vel defenſionẽ religionis. *Nam hic facilè deponet querelas, ſi viderit pro amiſſo bono externo, ſe tantum animi bonum adipiſci.* Læſo avaro in utili bono, aliud objectandũ eſt bonum utile unà cum facultate illud acquirendi. *Nam qui facultatem acquirendi dedit ipſe dediſſe videtur.* vel etiam bona reliqua quæ habet ratione qualitatum augenda ſunt. *v.g. oneribus gravatis tribuenda libertas; quæ inalienabilia ſunt reddenda alienabilia; iis quæ minus tutò poſſidentur addenda eſt ſecuritas. Magis autem avarus admittit compenſationem, ſi pro honore oblato pecunia vel ſimile quiddam rependitur.* Quòd ſi ambitioſis adimitur honor, correctio fit, ſi pro ablato reſtituitur honor qui par aut major videtur. *Quid enim frequentius eſt, quàm ſub ſpecie majorum bonorum tribuendorum præſentes adimere?* Callidiſſimus modus eſt pro honoribus aut divitiis ademptis jucundum aliquod bonum retribuere. *v. g. pro tributis otium & quietem. Sic præſides provinciarum in Republ. Romanâ pro exactis tributis ſolebant provincialibus ſpectacula ludosque exhibere.* Commune autem hoc eſt, quod pro moleſtiis impoſitis retribuantur bona utilia. *Ita ſolent duces militares magnos auri montes polliceri militibus, quò moleſtias & labores bellicos ſubeant.*

6. Quò etiam detineantur in amicitiâ, qui ſatis cauſſæ habent eam diſſolvere, ſemper ob oculos poni debet iis, quantum incommodi ex diſſolutione amicitiæ oriturum ſit. *Metuentes enim damna ex diſſolutâ amicitiâ nata officia amicitiæ præſtare tenentur.*

7. Imponitur quoque hominibus, ſi pro damnoſis vel moleſtis ſubeundis de aliis quid remittitur. *v.g. ſi pro ſervitiis præſtandis aliquid remittitur de tributis vel pro ſolvendis tributis aliquid de ſervitiis.*

CAP. IV.

DE ARTIFICIO ADULANDI.

1. *Quæ hactenus propoſita ſunt non modò in amicitiâ æquali, ſed etiam inæquali ab iis qui ſuperiores ſunt ſimulari poſſunt: nihil ergò de ſimulatâ amicitiâ tractandum reſtat, quàm ut conſideremus eos, qui in inæquali amicitia inferiores ſe exhibent, & adulatores vocantur.*

 2. Adula-

ARTIC. II.

DE ADULATIONE QUÆ FIT CORRUPTE JUDICANDO ET OMNIA ETIAM MALA BONA VEL BONA MALA INTERPRETANDO.

1. Artificium ſingulare adulatorum eſt omnia poſſe & laudare & vituperare. *Nam quæ inſunt ei, cui adulandum eſt, ſunt laudanda & extollenda; quæ aliis, præ quibus is præminere vult, vituperanda & deprimenda. Quapropter definit Tacitus adulatorem eum*, cui omnia principum honeſta atque inhoneſta laudare mos eſt. 2. *annal.* 38. *Qui habitum adulandi ſibi pararunt, non verentur diverſis temporibus eundem ſupra modum extollere & deprimere. Audias adulatores eo tempore, quo à rege aliquo beneficio afficiuntur, exclamantes: Vivat rex noſter, omnium regum quotquot ſunt, quotquot fuerunt, quotquot futuri ſunt optimus maximus! mox ceſſantibus beneficiis & quando exquiſitioribus epulis ab alio ſaginantur hunc velut ſtolidum aut crudelem contemnentes.*

2. Ut verò non ſine cauſſâ laudent, id quod vitioſum virtuoſum interpretantur. *Nam ſola virtus laude & honore digna eſt: itaque ut improbi laudari poſſint, quæ vitioſa ſunt exponenda velut virtutem indicantia. Adulatores ergò audacem fortem, timidum cautum, ignavum pacificum, prodigum liberalem, avarum parſimoniæ deditum, ſuperbum & ſtolidum magnanimum, iracundum ingenuum apertum & candidum, abjectum & ſervilem lenem, nobilem more majorum peccantem generoſum, eum verò qui à virtutibus majorum degenerat, novas virtutes familiæ addentem vocant. Hoc artificium deſcribitur apud Tacitum* 1. *Hiſt.* 52. *his verbis:* Et Vitellius apud ſeveros humilis. id comitatem bonitatemque faventes vocabant, quod ſine modo ſine judicio donaret ſua, largiretur aliena. Simul aviditate impetrandi *quidvis à Vitellio*, ipſa vitia pro virtutibus interpretantur.

3. Non autem in hoc ſubſiſtunt, ſed vitiis excellentiam virtutis affingunt. *Ita dicunt audacem omnes heroës fortitudine ſuperare; timidum cautiorem omnibus fortibus. Cùm enim vitioſi quidã in exceſſu peccent, facilè eſt iisdem excellentiam virtutis affingere.*

4. Eò proceſſit hoc artificium, ut adulatores nonnunquam truncum ſtipitemque velut deum quendam colendum exhibeant. Obtinent verò hoc 1. fortuita alicujus prudentiæ adſcribendo. *Nam ita ſemper magna gerere quis videbitur, ſi quæ ſub ipſius auſpiciis contingunt proſpera forte fortuna prudentiæ ejusdem tribuantur.* 2. Si appareat ſolâ alterius prudentiâ quæ præclarè geſta ſunt perfecta eſſe, ejus cui adulatio facienda auſpiciis adſcribendum venit quod

geſtum eſt. *Semper namq; ita principium boni ei ineſſe videbitur cui adulando inſervitur. Sic ſolebant in ſtatu tyrannico Romani ſuis imperatoribus domi latitantibus & voluptates corporis ſectantibus attribuere quæ fortè fortunâ à ducibus proſperè geſta erant. Imperatorum namque auſpiciis omnia fieri concipiebantur. Qui hoc modo adulantur ſimiles ſunt iis, qui imagines colunt & venerantur, affingentes hiſce ſingularem vim, quaſi ab his proveniant quæ fortuna dat. Talem adulandi modum deſcribit Tacitus 16. annal. 2.* Ac fortè quinquennale judicium ſecundo luſtro celebrabatur: oratoribusque præcipua materia in laudem principis adſumpta eſt. Non enim tantum ſolitas fruges, nec metallis confuſum aurum gigni, ſed novâ ubertate provenire terras, & obvias opes deferre deos; quæque alia ſummâ facundiâ, nec minori adulatione ſervilia fingebant, ſecuri de facilitate credentis.

ARTIC. III.
DE
HIS QUI SINGULA BONA AMPLIFICANDO ET MAGNIFACIENDO ADULANTUR.

1. Exercentur & adulationes ſingula bona amplificando & magnifaciendo. Amplificatur quid verbis & oratione; magnifit factis, quibus velut ſignis magnitudo rei declaratur.

2. Ut bona amplificent adulatores utuntur mediis oratoriis. *Nam dicere ſolent, hunc ſolum vel primum vel cum paucis vel etiam præ cæteris & maximè feciſſe. Adhibent etiam epitheta in ſuis orationibus à rebus pulchris, cœleſtibus & divinis petita.* Himliſch / Engeliſch ꝛc. *Conferunt quoq; res deprædicandas cum rebus geſtis aliorum illuſtrium virorum, haſque cæteris omnibus præferunt. Et in ſummâ quæ in arte rhetoricâ circa amplificationem in genere demonſtrativo faciendam traduntur, his adulatores callidè utuntur, eademque in malum finem dirigunt.*

3. Magnifiunt res geſtæ ſignis magnitudinem quandam indicantibus. *Hinc ſolent adulatores rebus ab aliquo geſtis novos honores excogitare, quaſi hactenus uſitati non ſufficiant. Ita cum Nero ſuam matrem enecaſſet prætendendo per naufragium id factum, magno tamen cum commodo Reipubl.* miro procerum certamine decernuntur ſupplicationes apud omnia pulvinaria, ut quinquatrus, quibus apertæ eſſent inſidiæ, ludis annuis celebrarentur. Aureum Minervæ ſimulacrum in Curiâ & juxtà principis imago ſtatueretur. 14. *annal,* 12. Signum etiam quo declaratur aliquem magnifieri, eſt decernere pro ipſo vota & preces. *Ita* Pontifices Romani eorumque exemplo cæteri ſacerdotes, cùm pro incolumitate principis vota ſuſciperent,

Neronem

Neronem quoque & Druſum iiſdem diis commendavêre; non tam caritate Juvenum, quàm adulatione.

ARTIC. IV.
De
ADULATIONE QUÆ FIT INSERVIENDO.

1. Inſerviunt adulatores potentibus 1. dum lætitiam triſtitiamque præ ſe ferunt, prout proſpera vel adverſa quæ ipſis contingunt requirunt. *Ejuſmodi adulatores depingit Tacitus 1. annal. 7.* At Romæ ruere in ſervitium Conſules, patres, eques, quantò quis illuſtrior, tantò magis falſi ac feſtinantes, vultuque compoſito, ne læti exceſſu principis, neu triſtiores primordio; lachrymas, gaudium, queſtus adulatione miſcebant.

2. Deinde quoque inſerviunt adulatores præbendo ſeſe miniſtros flagitiorum, intemperantiæ, crudelitatis, avaritiæ, &c. *Magnam hîc exemplorum copiam adducere poſſemus & hiſce adulantium imaginem repræſentare: ſufficiet tamen unicum, quod exhibet Cæpio Criſpinus delator Marcelli quò crudelitati Tiberii inſerviret. De quo Tacitus 1. ann. 74.* Nec multò poſt Granium Marcellum prætorem Bithyniæ Quæſtor ipſius Cæpio Criſpinus majeſtatis poſtulavit, ſubſcribente Romano Hiſpone. Qui formam vitæ iniit, quam poſtea celebrem miſeriæ temporum & audaciæ hominum fecerunt. nam egens, ignotus, inquies, dum occultis libellis *(i. e. ſecretis delationibus)* principi adrepit, mox clariſſimo cuique periculum faceſſit, potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus, dedit exemplum, quod ſecuti ex pauperibus divites, ex contemptis metuendi, perniciem aliis ac poſtremò ſibi invenêre. Sed Marcellum inſimulabat, ſiniſtros de Tiberio ſermones habuiſſe: inevitabile crimen, *quodque defenſionibus ſuis Marcellus declinare non poterat*, cùm ex moribus principis fœdiſſima quæque diligeret accuſator, objectaretq; reo, nam quia vera erant, etiam dicta credebantur. *Huic adulatorum generi accenſendi, qui ut potentibus placeant, varios modos extorquendi pecuniam ſubditis excogitant.*

ARTIC. V.
De
ARTIFICIO TECTE ADULANDI.

1. Plerumque tædioſi fiunt adulatores & moleſti qui apertè adulantur. *Nam ſentientes aperta mendacia eſſe quæ dicuntur ab adulatoribus nec quicquam ſeriò ab his dici fierique; non poſſunt non moleſtiam inde percipere.*

2. Quæ

2. Quapropter dant operam adulatores ut tectè id faciant & ne ſentiantur adulari. *Nam hoc pacto fiunt magis tolerabiles.*

3. Quo pacto verò animum adulandi occultent adulatores uno aut altero exemplo declarabo. *Mortuo Auguſto Tiberius conſultavit de honoribus:* ex quîs maximè inſignes viſi: ut portâ triumphali duceretur funus, Gallus Aſinius; ut legum latorum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, L. Aruntius cenſuêre. addebat Meſſalla Valerius, renovandum per annos ſacramentum in nomen Tiberii interrogatusque à Tiberio, num ſe mandante eam ſententiam prompſiſſet? Spontè dixiſſe, reſpondit: neque in iis quæ ad Rempubl. pertinerent, conſilio niſi ſuo uſurum vel cum periculo offenſionis, ea ſola adulandi ſpecies ſupererat. 1. annal. 8. *Aliud exemplum eſt* 3. annal. 70. Poſt auditi Cyrenenſes, & accuſante Anchario Priſco Cæſius Cordus repetundarum damnatur. L. Ennium equitem Romanum majeſtatis poſtulatum, quòd effigiem principis promiſcuum ad uſum argenti vertiſſet, recipi Cæſar inter reos vetuit: palam aſpernante Ateio Capitone, quaſi per libertatem. Non enim debere eripi patribus vim ſtatuendi, neque tale maleficium impune habendum. ſanè lentus in ſuo dolore eſſet *Cæſar*; Reipubl. injurias ne largiretur. Intellexit hæc Tiberius ut erant magis *adulatoria ſcil.* quàm ut dicebantur: perſtititque intercedere.

ARTIC. VI.
DE
PRÆMIIS ADULATORUM.

1. Adulatorum diverſa videntur genera & alii magis alii minus malitioſi. Qui quæ mala ſunt laudant peſſimi ſunt, meliores qui quæ debebant ineſſe bona deprædicant quaſi inſint. *Nam dum adulator bona quæ ineſſe debebant deprædicat ac ſi inſint, tacitè eum, cui adulatur, reprehendit, efficitq; ut ſentiat, cui rei operam dare debeat. At qui quæ mala ſunt velut bona laudat ex malo reddit pejorem. Ab hoc genere adulatorum ut ſibi Piſo caveret Galba fideliter monuit apud Tacitum 1. Hiſtor.* 15. *his verbis:* fidem, amicitiam, libertatem, præcipua humani animi bona, tu quidem eâdem conſtantiâ retinebis: ſed alii per obſequium imminuent. Irrumpet adulatio, blanditiæ peſſimum veri affectus venenum, ſua cuique utilitas. Nam ſuadere principi quod oportet multi laboris: aſſentatio erga principem quemcunq; ſine affectu peragitur, *nullamque animi ſollicitudinem parit.*

2. Præmium autem commune adulatorum eſt, ut pro vilibus & abjectis hominibus habeantur atque in contemptu ſint. *Ita enim*

enim ait Tacitus 1. Hiſt. 1. Adulationi fœdum crimen ſervitutis, malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt: *De L. Vitellio ita refert* 6. annal. 32. fin. Eo de homine haut ſum ignarus, ſiniſtram in urbe famam, pleraq; fœda memorari: cæterùm regendis provinciis priſcâ virtute egit. Unde regreſſus & formidine Caii Cæſaris familiaritate Claudii turpe in ſervitium mutatus, exemplar apud poſteros adulatorii dedecoris habetur: ceſſeruntq; prima poſtremis & bona juventæ ſenectus flagitioſa obliteravit. *De Capitone adulatore ita judicat*. 3. ann. 70. fin. Capito inſignitior infamiâ fuit, quòd humani diviniq; Juris ſciens egregium publicum & bonas domi artes *adulatione* dehoneſtaviſſet. *De Haterio ita*: Atq; Haterius cùm ejus diei SCta aureis literis in curiâ figenda cenſuiſſet, deridiculo fuit ſenex fœdiſſimæ adulationis tantum infamiâ uſurus. 3. annal. 57. *Et quomodo ſervilia & fœda tractantes non poteſt contemptus & turpitudo ſequi? tædet tandem projectæ adulantium patientiæ ipſos quibus adulantur*. 3. annal. 65 Cæterum tempora illa adeò infecta & adulatione ſordida fuêre, ut non modò primores civitatis, quibus claritudo ſua obſequiis protegenda erat, ſed omnes conſulares, magna pars eorum qui præturâ functi, multique etiam pedarii ſenatores certatim exſurgerent, fœdaq; & nimia cenſerent. Memoriæ proditur, Tiberiũ, quoties curiâ egrederetur, græcis verbis in hunc modum eloqui ſolitum, ò homines ad ſervitutem paratos! ſcil. etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam projectæ ſervientium patientiæ tædebat.

3. Sæpè autem, præſertim ſi ſuis adulationibus nocuerint aliisq; exitiũ parârint, ſibi ipſis exitio ſunt. *Ita Tacitus de Criſpino*: mox clariſſimo cuiq; periculum faceſſit, potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus dedit exemplum, quod ſecuti ex pauperibus divites, ex contemptis metuendi perniciem aliis ac poſtremò ſibi invenêre 1. annal. 74. *Et de Junio Gallione*: 6. annal. 3. At Junium Gallionẽ, qui cenſuerat, ut prætoriani actis ſtipendiis jus apiſcerentur in quatuordecim ordinibus ſedendi, *i. e. ut expleti militiâ fierent equites Romani*, violenter increpuit *Cæſar*; velut coràm rogitans, quid illi cum militibus? quos neque dicta imperatoris, neque præmia niſi ab imperatore accipere par eſſet. reperiſſe prorſus quod D. Auguſtus non providerit. an potius diſcordiam & ſeditionem à ſatellite Sejani quæſitam? quâ rudes animos nomine honoris ad corrumpendum militiæ morem propelleret. Hoc precium Gallio meditatæ adulationis tulit, ſtatim curiâ deinde Italiâ exactus.

4. *Hæc hactenus circa varia genera amicitiarum velut generalia tractata nunc applicaturi ſumus ad Jura incivitatibus lata aut ferenda:*

Initium facientes à Jure publico, cujus maxima pars in jure amicitiæ eſt fundata. Neq́; enim quæ hactenus de ſimulatâ amicitiâ dicta ſunt docendi gratiâ ſunt propoſita, quomodo ea ſit colenda: nec ut inde nequam homines ſcientiam hauriant, ſed ut appareat, quæ ſint fundamenta ex quibus in variis Rebuspubl. conditores Juris publici procedant, quò inpromptu habeamus rationes, & cauſas legum variarum in diverſis regnis de Jure publico latarum.

F I N I S.

PARTIS TERTIÆ.

PARS QUARTA COMPREHENDENS ELEMENTA JURIS PUBLICI.

LIB. I.

De OPTIMA REPUBLICA, QUATENUS EA LUMINE RATIONIS INTRODUCI POTEST.

Quò pateat, quæ methodus & ratio procedendi à nobis ſervetur, repetendum eſt quod tradidimus part. 1. *duo eſſe quæ omnem ſocietatem conſervant, nim. JUSTITIAM & AMICITIAM; Juſtitiam autem aliam eſſe univerſalem, aliam particularem. Et quia hactenus de univerſali Juſtitiâ, quatenus in omnibus Rebuspubl. cuſtoditur* part. 2. *de amicitiâ autem & ſingulis hujus ſpeciebus* part. 3. *diſſeruimus: Conſequens eſt ut progrediamur ad ea Jura, quæ in Juſtitiâ particulari eâque vel* Diſtributivâ *vel* Correctivâ *fundata ſunt; qualia ſunt jus publicum & privatum.*

CAP. I.

QUID SIT JUS PUBLICUM.

1. Dividunt JCti Romani Jus in publicum & privatum: illud definiunt quod ad ſtatum rei Romanæ ſpectat; hoc, quod ad ſingulorum utilitatem. l. 1. §. 2. ff. de Juſtit. & Jur. & §. ult. Inſtit. eod. Quæ tamen definitio videtur obſcura. *Nam quid ſtatus rei Romanæ ſit non imme-*

immeritò quæri poteſt: cum enim definitio ſit principium omnis cognitionis, quam de re aliquâ ex ſuis cauſſis habemus; non ſubſiſtendum eſt in tali, quæ obſcura exiſtit: debet enim notiſſimum eſſe, ex quo velut principio in cognoſcendo progredimur.

2. Videtur autem vel ſtatus denotare unumquodque quo aliquid ſtat ſeu conſiſtit: ut adeò ſenſus definitionis ſit hic: Jus publicum eſt quod tradit præcepta concernentia hoc per quod res Romana ſtat. *Hunc ſenſum videntur approbare Ddres præcipui, quos hîc magno numero allegare prohibet inſtituti noſtri ratio, quam in præfatione indicavimus.*

3. Sed adhuc manet natura Juris publici obſcura, licet vel maximè tali definitione, *quod ſit ſyſtema præceptorum concernentium id per quod res Romana ſtat*, eam delineaverimus. *Nam quid eſt illud per quod unumquodque ſtat? an cujusque rei ſubſtantia? ita videtur; quia ſubſtantiam id vocamus per quod unumquodque ſubſiſtit. Sed cùm ſubſtantia ſit duplex, propterea, quòd ſubſtantia alicujus rei modò ipſius materia modò forma ejuſdem dicatur; quæritur, an ſtatus ſit id per quod tanquam materiam vel id per quod tanquam formam res Romana ſtat.*

4. Videtur autem ſtatus rei Romanæ denotare formam in quâdam ejuſdem ordinatione & diſpoſitione conſiſtentem. *Id enim indicat vocis* ſtatûs *communis apud Latinos autores acceptio: ita Plautus* Amphitr. act. 1. ſc. 1. v. 110.

Etenim quoniam formam cepi hujus in me & ſtatum.
Sic & Terentius Eunuch. act. 3. ſc. 5. v. 49.
Tum equidem illuc os tuum impudens videre nimium vellem,
Quis eſſet ſtatus, flabellum tenere te aſinum tantum.

Ich möchte wohl ſehen wie es dir anſtünde / wenn du groſſer Eſel den Wedel hielteſt. *Ut adeo ſtatus nihil aliud ſit propriè loquendo, quàm habitus quidam & ſchema corporis. Hûc autem commodè facere videtur, quòd ſtatus ſumatur propriè pro illâ corporis figurâ & diſpoſitione, quâ quis ad pugnandum vel aggrediendum alterum vel ad aliquid aliud perficiendum ſe præparat: ita accipit Plautus* Milit. glor. act. 4. ſc. 9. v. 12.

- - - - - - - in ſtatu ſtat ſenex
Ut adoriatur mœchum.

Quemadmodum ergò ſtatus corporis eſt quædam diſpoſitio certa ſingularum partium ejuſdem talem vel talem figuram præbens, quâ quis ſe præparat ad pugnandum vel aliquid aliud perficiendum: ita ſtatus rei Romanæ videtur eſſe quædam diſpoſitio populi Romani & ordinatio ſingularum partium ejuſdem, quâ ſubſiſtit, ſe conſervat & aliquid operatur. Unde quemadmodũ ordinata partium corporis diſpoſitio poteſt turbari, tolli, reſtitui: ita & talia de ſtatu ſolemus enunciare: dicim9 enim ſtatum Reſpubl.

convellere; in ſtatum civitatem, provinciam &c. reſtituere, ſtatum ſuum tueri, tenere. Sic Tacitus 3. annal. 28. multorum exciſi ſtatus *i.e. diſpoſitio & ordinatio ſui ſuarumque rerum, quâ ſe ad benè vivendum præparaverant everſa; dum ipſis dignitas resq; familiares ereptæ. Colligimus ergò ſtatum rei Romanæ eſſe formam quandam conſiſtentem in diſpoſitione & ordinatione rei Romanæ, quâ mediante populus Romanus conſiſtit. Hæc ordinatio videtur olim petita fuiſſe à virtutibus cumprimis autem fortitudine. Hinc Ennius.*

Moribus antiquis res ſtat Romana viriſque.

Hanc noſtram ſententiam quòd ſcil. ſtatus ſit quædam forma conſiſtens in ordinatione & diſpoſitione partium alicujus totius confirmat hoc, quòd pro tali formâ & in Jure privato ſtatus videtur accipi: quia dicitur conſiſtere in libertate, civitate & familiâ: i.e. in ordinatione privatorum, conſiſtente in hoc, ut diverſis juribus participent.

5. Hucusque pervenimus ut ſciamus ſtatum eſſe ordinationem & diſpoſitionem rei Romanæ certam formam tribuentem, ut per hanc illa ſubſiſtat. Sed nondum videmur naturam ſatis adſecuti. *Nam quid eſt res Romana? an Reſpublica? Reſpondent Ddres quòd ſic. Quid Reſpublica? ordinatio civitatis, quâ vel unus vel quidam vel omnes viciſſim imperant. Si tale quippiam eſt Reſpublca, non videtur ea eſſe idem cum re Romanâ. Nam res Romana ſemper ſtetit, Reſpubl. mutata eſt. Initiò quippe ſtatus erat monarchicus, quia manu regiâ omnia gubernabantur non invitis civibus Romanis: eratque adeò tunc regnum barbaricum. Idquod innuit Tacitus* 1. annal. 1. *quando inquit:* Urbem Romam à principio reges habuêre. *Mox degeneravit in tyrannidem ob ſuperbiam Tarquinii; eoq; tyranno exacto libertatem & conſulatum Brutus inſtituit i.e. ſtatum politicum reddidit, magis tamen ad oligarchiam propendentem: regiam enim poteſtatem regumque inſignia accipiebant duo Conſules ex patriciorum numero electi, & ita ex perpetuo annuum imperium placuit, ex ſingulari duplex, ne poteſtas ſolitudine vel morâ corrumperetur.* Flor. lib. 1. c. 9. Dictaturæ ad tempus ſumptæ. Tacit. cit. loc. *i. e. quoties urgebat neceſſitas: adeoque aliquando etiam Romæ obtinuit æſymnetia, ſeu tyrannis optiva, ſuffragio ſcil. delata:* Neque decemviralis poteſtas *i.e. forma purè oligarchica in decemviris, quibus adminiſtratio LL. erat commiſſa, conſiſtens,* ultra biennium. Tacit. eod. neque tribunorum militum conſulare jus diu valuit. idem eod. *Aucta deinde tribunorum plebis poteſtas ſtatum reddidit democraticum ut plebs patriciis prævaleret. Mox Cinnæ, Syllæque dominatio ſed non longa.* & Pompeii Craſſique potentia citò in Cæſarem: Lepidi atque Antonii arma in Auguſtum ceſſêre. Idem eod. *Ademptâ poſtea callidis artibus*

Tibe-

Tiberii ſimulantis ſe tribunum plebis omnis populo poteſtas, translatis è campo comitiis ad patres. Idem annal. 1. c. 15. *Quanta Reipubl. mutatio! res tamen Romana ſemper ſtetiſſe dicitur. Res ergò Romana non videtur idem quod Reſpublica. Quid agendum, quid dicendum, quomodo progrediendum, ut per ſemitam, quæ ad veritatem ducit, incedamus? Monſtrat nobis viam Cicero* lib. 1. de Orat. *quando dicit*: Jus publicum verſari in iis, quæ ſunt propria civitatis & imperii. *Quid? eſt ne alia ordinatio civitatis alia imperii, ut ita mutatâ ordinatione civitatis Romanæ, manſerit ordinatio & diſpoſitio imperii, & ita quoad imperium res Romana ſemper ſteterit? Si ita eſt, quid differt civitas ab imperio, & quænam eſt ordinatio & diſpoſitio imperii? Hæc ante aliquot annos ſpeculari incipiens notis ad Grotium inſerui, ductus ſpe, fore nonnullos, qui placidâ mecum diſputatione initâ excitarent meum ingenium ad ſubtiliorem hac de re ſpeculationem faciendam. Sed inanem fuiſſe meam operam hactenus expertus ſum; objectante ſophiſtarum turbâ, me delirum eſſe, neq; enim ſanum hominem conjicere poſſe, qui mihi in mentem talia tamque inepta venerint. Ut tamen ſtatuatur alium ſtatum, aliamque formam civitatis, aliam imperii eſſe, omnem ſaniorem hominem monebunt quæ hactenus à nobis de re Romanâ enarrata ſunt.*

6. *Videtur ergò ſenſus definitionis, quam tradit Ulpianus* cit. l. 1. §. 2. ff. de J. & J. *hic eſſe*: Jus publicum eſſe ſyſtema continens præcepta circa ea, quæ concernunt ordinationem & diſpoſitionem civitatis & imperii in ſalutem illius.

7. *Quæ ergò nobis agenda ſint, quò elementa i. e. primas demonſtrationes & univerſalia ex quibus rationes Juris publici peti poſſint ritè, tradamus, ex hiſce perſpicimus.* Scil. inquirendum eſt in ordinationes & diſpoſitiones illas, quibus ſalvæ civitates ſalvaque imperia redduntur, ut conſiſtant nec dilabantur. *Cæterùm quæſtiones, quas Ddres initio commentariorum in Jus publicum movere ſolent, quæ ſcil. cauſſa ſit, quare Jus publicum in Inſtituta non ſit relatum; quare & in Germaniâ diu fuerit incultum, hic ſuperfluum putamus enucleare. Ultrò enim ſeſe offeret quid reſpondendum ſit, toto tractatu abſoluto. Deum veneror, ut contemplationi, quam in gloriâ ipſius ſuſcipio, ſuo Spiritu S. adſit.*

CAP. II.

FUNDAMENTUM JURIS PUBLICI ESSE JUSTITIAM DISTRIBUTIVAM.

1. *Diviſimus* part. 1. *Juſtitiam in univerſalem & particularem, hanc verò rurſus in diſtributivam & Correctivam, quam commutativam*

 vulgò

vulgò vocant. Iſta autem non eſſe inania Ariſtotelis ſomnia, ſed nos ducere ad abſtruſiſſimas tam publici quàm privati Juris cauſſas, ex ſequentibus, quæ hiſce in Elementis traditurus ſum, patefiet. Nam Jus publicum ſuum fundamentum in Juſtitiâ diſtributivâ; privatum in correctivâ habere, demonſtrabitur. Hoc in loco circa Jus publicum id manifeſtum reddemus.

2. Initium contemplandi facimus ab eo, in quo præced. cap. ſubſtitimus, nim. Jus publicum tradere præcepta de ordinatione ſeu diſpoſitione civitatis & Imperii ad ſalutem utriusq; *i. e. quò & civitas & imperium conſiſtat, nec corruat. Nam quærendum nobis eſt, quænam ſit illa ordinatio & quomodo facienda, quò civitas ſalva ſit.*

3. Ordinatio inferens ſalutem & civitati & imperio, utque conſiſtant nec corruant debet fieri ſecundum rectam rationem & Juſtitiam. *Nam quicquid ſecundum rectam rationem fit ſalutare hominibus eſt, quod contra eam fit deſtruit quicquid humanum eſt, & in actionibus humanis poſitum. Id quod ſubtiliſſimè demonſtravit Ariſtoteles* 1. Ethic. *Ita quoque quicquid juſtum eſt conſervat ſocietatem humanam, quicquid minus juſtum eſt eam deſtruit. Quapropter ordinatio civitatis & imperii debet fieri ſecundum id quod naturaliter Juſtum eſt: i. e. quod recta ratio dictitat Juſtum eſſe.*

4. Jus publicum dirigit Juſtitia diſtributiva. *Nam ordinatio nil aliud eſt quam certa diſpoſitio partium civitatis vel imperii ſecundum prius & poſterius. Ea autem ordinatio, quæ non temerè fit ſed ſecundum rectam rationem & Juſtitiam ea eſt, quæ fit ſecundum perſonæ cujusq; dignitatem. Itaq; ordinatio juſta eſt nil aliud quàm diſpoſitio civium ratione dignitatis, quam ſinguli habent i. e. pro cujusque merito. Scil. quò juſta ſit ordinatio, debet ea fieri ita: quemadmodum perſona ad perſonam ita ea quæ ſingulis perſonis adſignantur ad ſe invicem. Hoc autem Juſtitiæ diſtributivæ proprium eſt. Niſi enim ſecundum proportionem perſonarum fiat ordinatio ſeu diſtributio honorum, oriuntur querelæ, quaſi minus juſtè facta ſit diſtributio. Unde patet, ordinationem in Juſtitiâ diſtributivâ fundatam eſſe.*

CAP. III.

DE OPTIMA REPUBLICA, QUALIS EX SOLO LUMINE RATIONIS INTRODUCI POTEST, INSTITUENDA ET ADORNANDA.

1. *Cum Ordinatio Reipubl. quò querelis civitas vacet, & quilibet ſuo ſtatu contentus ſit, debeat fieri ſecundum Juſtitiam diſtributivam:*

(*Hac*

(Hac enim id quod commune eſt dividimus inter partes alicujus ſocietatis ita, ne pars ulla conquerendi cauſſam habeat.) repetenda ſunt quæ part.1. cap.3. circa naturam hujus Juſtitiæ tradidimus.

2. *Quò autem querelæ in diſtributionibus ceſſent, prima cura eſſe debet, ne aut æqualibus inæqualia aut inæqualibus æqualia vel etiam inæqualia, inferiori plus, ſuperiori minus tribuantur, ſed potius ut fiat:*

Quemadmodum perſona ad perſonam ita res ad rem.

3. *Sed unde petenda eſt proportio perſonarum? Notandum probè eſt, quod d.part.1. cap.3. n.4. docuimus,* diſtributionem fieri inter perſonas, quatenus ſunt partes alicujus ſocietatis, quia eatenus ex communi iis aliquid debetur; quemlibet autem hominem eatenus dici partem alicujus ſocietatis, quatenus aliquid confert ad bonum commune illius obtinendum. Ex eo ergò, quod quis in ſocietatem pro bono illius impetrando confert, ſumendam eſſe proportionem perſonarum.

4. Quapropter inquirendum eſt, quodnam ſit illud bonum, ad quod tendit civitas. *Nam hoc pacto conſtabit, quantum in ordinatione & diſpoſitione unicuique tribuendum ſit. Ex eo enim quod quiſque ad bonum civitatis confert, perſonarum proportio petenda eſt.*

MEMBR. I.

DE CIVITATIS BEATITUDINE ET SUMMO BONO.

1. Videtur eadem totius civitatis quæ ſingulorũ hominũ eſſe felicitas & beatitudo. *Id colligitur primò à ſigno & conſenſu tacito hominum. Nam quilibet judicium faciens de beatitudine alicujꝰ civitatis petit fundamentũ judicandi ab eo, quod ipſe pro beatitudine ſuâ propriâ habet. Qui felicitatẽ hominis in otio collocant laudant civitatem in otio verſantẽ; qui divitias pro ſummo bono habent, eam civitatẽ prædicant felicẽ quæ bonorũ copiâ abundat; qui in eo putant felicitatem collocatam eſſe, ut liceat in quamplurimos herili imperio imperare, eam civitatem felicem eſſe dicunt, quæ quamplurimis aliis civitatibus & provinciis imperat; reliquas nullum imperium in alias habentes viles reputat. Qui admiratur fortem virum, magnifaciet quoque civitatem res in bello ſtrenuè gerentem. Deinde notum eſt, civitatem eſſe ſocietatem quandam & quidem hominum. Hujus ergò aut erit aliqua operatio aut nulla. Si ponas, hanc ſocietatem nihil operari, fruſtrà erit & nullius cauſſâ inita: & per conſequens homo trahetur ad hanc à naturâ fruſtrà; quod abſurdum eſt; quia natura nihil facit fruſtrà. Sin autem ſocietas civilis comparata eſt ad aliquid operandum; neceſſe erit, humanum quiddam eſſe, quod illa operatur: quemadmodum enim grex*

eſt

eſt multitudo ex pluribus capitibus, pecoribus nimirum: ita quoque ſocietas civilis eſt unum quiddam ex multis hominibus. Non poteſt autem totum ex hominibus velut partibus conſtans aliud operari, quàm id quod ab hominibus proficiſci poteſt. Quapropter beatitudo civitatis eſt operatio quædam in quâ hominum perfectio conſiſtit, & ſimile quiddam felicitati ſingulorum hominum.

2. Civitas ergò duplici operatione redditur felix, eâ nim. quâ erga ſeipſam operatur, & eâ quâ erga alias civitates, populos, & nationes. *Nam & homo duobus hiſce modis operando felix eſſe poteſt. Ponamus enim hominem aliquem ſolitariam in deſerto degere vitam, ſuamq; ibi familiam ſuos ſervos habere variarum artium peritiâ inſtructos, quò præſtò ſint inſtrumenta ad uſum vitæ neceſſaria: erit hic felix operando erga ſeipſum. Nam habens bonam conſcientiam, dum nullam ſentit in ſe pugnam intellectûs & appetitûs, nullam perniciem ex vitiis intemperantiæ ſcil. luxuriæ, timiditatis & nimiæ lenitatis vel iracundiæ in regendis ſervis, ſed contemplationi aſtrorum deditus quotidiè novas motuum cœleſtium cauſas reperiens, jucundè vivit erga ſe operando. Sed quia beatitudo hominis in præclaris operationibus ſecundum virtutes intellectuales & morales conſiſtit: non poterit homo talem ſolitariam vitam ducens æquè beatus dici ac qui in communione verſatur & erga alios operatur. Nam hujus fortitudo, liberalitas, magnificentia, magnanimitas longè pulchriorem reddit vitam ipſius, quàm ſolitarij exiſtit. Similiter ſe res habet circa civitatem: Si enim ponamus aliquam à cæteris omnibus civitatibus ſeparatam, erit ea non niſi ratione partium ſeu civium inter ſeſe communicantium, juſtitiamque & amicitiam colentium felix. At pulchrior erit ea dicenda, quæ & foris præclaras actiones exercet aliisque civitatibus formidabilis exiſtit.*

3. Ea civitas ratione operationum, quibus erga ſeipſam verſatur, felix & beata eſt, quæ virtutes augere omnibus modis ſtudet, & divitias eatenus, quatenus inſtrumenta ſunt exercitio virtutum inſervientia. *Communiter quidem ita comparatum eſt, ut ad ſummum homines fugiant vitia, excellentiam virtutis negligant; divitias tamen in infinitum appetant, ſecundum hoc:*

O cives, cives quærenda pecunia primum,
Virtus poſt numos!

Nam ad beatitudinem civitatis ſufficere putant, ſi ita temperantes ſint cives, ne ſcortationes, ſtupra, adulteria, inceſtus, ſodomiam committant; ita liberales, ne furta, rapinas, latrocinia faciant, vel improbum fœnus exerceant; ita lenes, ne quenquam occidant; ita Juſti, ſi nullam injuriam nullumve crimen falſi committant. Quæ cauſſa eſt quare part. 2. de

Juſti-

Juſtitia univerſali, quatenus in Rebuspubl. communiter conſervatur tractantes, nil aliud docuerimus, quàm quibus pœnis ordinariis ſingula crimina apud nos puniantur; & ex quibus fundamentis ordinariæ pœnæ vel minuendæ vel aggravandæ ſint. Communiter itaque civitas habetur felix, ſi cives à vitioſis rebus abſtineant, in divitiis autem acquirendis in infinitum procedant. Verùm cùm is ſit reverà prudens, qui bona non temerè appetit, ſed unumquodque ſecundum ſuam naturam: dicimus eam civitatem beatam, in quâ virtutes appetuntur augenturque in infinitum i. e. ſine termino; divitiæ autem quatenus inſtrumenta ſunt. Nam divitiæ virtutibus non virtutes divitiis velut inſtrumenta inſerviunt. Divitiarum enim eſſentia in uſu poſita eſt, & proinde quatenus inſtrumenta ſunt appeti debent: i.e. quatenus uſus efflagitat: cætera quæ præter uſum appetuntur, ſuperflua & ſupervacanea ſunt, & in hiſce fruſtrâ deſudatur. Sed animi bona nulla ſupervacanea ſunt, nulla ſuperflua aut cum incommodo conjuncta, quouſq; tandem in iis appetendis procedatur. Quemadmodum ergò ille homo reverà felix eſt, qui præ cæteris benè vivendi facultate eſt inſtructus: ita & civitas. Is verò facultatem benè vivendi habere cenſendus eſt, qui morum & mentis virtutibus egregiè eſt exornatus, licet bonorum externorum copias mediocres habeat; & quidem magis, quàm ij qui, cùm multò plura bona externa habeant, quàm quibus ad victum cultumque indigent, virtutum inopes ſunt & hiſce deſtituuntur. Ergò & civitas in tantum felix cenſeri debet, quantum cuique virtutis, prudentiæ & actionum his conſentanearum contingit. Huic accedit, quòd civitas maximè una optimè ſe habeat & perfectiſſima ſocietas exiſtat. (Eſt enim ſocietas ex multis hominibus unum & proinde ratione ſuæ eſſentiæ perfectiſſima quæ maximè una.) Eam autem ſocietatem maximè unam oſtendimus part. prec. quam conſervat perfectiſſima amicitia; & hanc perfectiſſimam amicitiam, quæ ex virtutibus colitur, ſive inter ætate pares ſive impares. Cùm ergò civitati, quæ ſtudet virtutibus nihil Juſtitiæ nihil Amicitiæ deſit; neceſſe eſt, eam ratione ſui beatiſſimam eſſe, cujus partes ſingulæ debitis virtutibus inſtructæ ſunt, tantumque bonorum externorum habent, ut eas exercere valeant.

4. Ratione operationum ad extra, ea civitas beata cenſenda eſt, quæ vicinis imperare valet, quatenus ratione virtutis ſibi imperium competit. *Nonnullæ olim exſtitère civitates, quæ ſe feliciſſimas arbitratæ ſunt, ſi in quamplurimas alias provincias & civitates imperarent. Nam nullum videtur magis glorioſum parari nomen poſſe, quàm ſi in omnes homines & vel in totum mundum exerceatur poteſtas. Deus enim videtur terreſtris omnibus nationibus & populis imperans: huic enim omnium actionum humanarum principium ineſt. Quare exiſtimant, ne-*

 mini

mini vel patri vel fratribus parcendum; etiam ipſam pietatem lædendam eſſe, modo imperare poſſis. Sed hoc ſimpliciter appetere nec pulchrum nec juſtum eſt. Aut enim homines ſunt ſerviles aut liberalis ingenii: ſi ſerviles ſunt quid pulchri imperio ineſſe poteſt? ſervis enim præcipere agenda nihil gloriâ dignum habet, & præterea moleſtum eſt prudentibus & res præclaras meditantibus. Si liberi homines exiſtant imperio ſubjiciendi: injuſtum erit imperium, niſi imperans à parentibus diſtet; quemadmodũ pater à liberis vel maritus ab uxore: omne enim imperiũ in liberos homines eſt injuſtũ, niſi exerceatur ab eo qui prudentior eſt. Quare vi invadere alios æquè prudentes eoſque ſubjicere imperio nil aliud eſt quàm publicã rapinã publicumq; latrociniũ exercere. Qui enim injuſtè aliis bona & vitã per violentiã adimunt raptores & latrones ſunt. Hoc ergò glorioſum eſt civitati ſi ſervet officia & colat ſtudia reſpectu habito ad vicinos: ut ſcil. ferocibus & bellicoſis reſiſtat: iis quos ſuâ virtute longè ſuperat & ſibi ipſis conſulere ritè non valentibus imperet, omnibus verò terrori ſit. Nam huic civitati obſequi pulchrum & honeſtum, parere juſtum. At dominatum appetere in ſervire nolentes maximè injuſtum eſt: quia eſt contra regulam quæ omnis juſtitiæ & amicitiæ humanæ fundamentum exiſtit, nim. Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. *Omnes enim nolunt ſibi injuſtè imperari. Ergò & in alios hoc ſtatuere debent. Non ergò dicenda beata illa civitas, quæ omnes ſuas curas in hoc poſitas habet, ut cæteris imperet, & in belli artibus perpetuò occupata eſt. Bella namq; propterea gerimus, ut otiari poſſimus: perpetuis detineri bellis laborioſum & vitæ tranquillitati proſperitatiq; contrarium. Eſt præterea etiam ſtolidum in nolentes imperare velle. Quemadmodum enim dementem quivis diceret medicum cogere volentem homines, quò patiantur ſuam ſanitatem dirigi ab eodem: ita & ridiculum eſt, adigere conari homines, ut ſuam beatitudinem & felicitatem à nobis adminiſtrari patiantur.*

5. Alia porrò eſt beatitudo civitatum alia municipiorum. Hîc autem de civitate non de municipiis agimus. *Nam municipiorum beatitudo ea eſt, quam habent homines qui aliorum imperium audire tenentur; civitatum autem talis, qualis eſt hominum aliis imperantium & nullius imperio ſubjectorum. Civitates ſeu ſocietates ſuperiorem non agnoſcentes operantur nihil ex neceſſitate ſed omnia ex liberrimâ electione; at municipia ex metu pœnæ. Quemadmodum ergò reverà felix eſt homo qui ex inſitâ virtute cuncta operatur; minus autem talis, qui metu mali à malo abſtinet: ita perfecta felicitas & beatitudo civitatibus, minus perfecta municipiis ineſſe videtur. Hæc etiam cauſſa eſt, quare municipia nullâ indigeant ſcientiâ civili ſeu politicâ. Nam quæ ſub imperio continentur ſubſiſtunt & quieſcunt metu ſuperioris vim cogendi habentis: at civitates ſuperiorem non agnoſcentes ex ſuâ inſitâ formâ & diſpoſitione*

quieſcere

quieſcere & ſubſiſtere debent. Et circa has Ariſtoteles ſuam ſpeculationem in libris de Republ. inſtituit. Cujus propterea nullum aut exiguum uſum cernunt qui in municipiis i. e. civitatibus imperio ſubjectis vivunt.

6. Ex hactenus dictis patet, eam civitatem beatam eſſe, quæ facultate inſtructa eſt operandi κυρίως & architectonicâ ratione res præclaras & virtuoſas nō modò quoad ſe ipſam, ſed etiam quoad extraneos. *Nam cùm beatitudo hominis & civitatis conſiſtat in actionibus virtuoſis: erit ea beatitudo ſumma, ſi architectonicè & imperativè operatio fiat: quemadmodum architecti præſcribentis facienda operatio melior eſt quàm eorum, qui ad præſcriptum illius operantur.*

MEMBR. II.

DE IIS SINE QUIBUS CIVITAS CONSISTERE NEQUIT.

1. Civitati beatæ neceſſariò adeſſe debent quæ in homine, quò beatus exiſtat, requiruntur. *Nam demonſtravimus* num. 1. membr. præc. *beatitudinem civitatis in eâdem, quâ hominis, operatione conſiſtere. Quapropter etiam eadem requiſita operandi erunt hominis beati & felicis civitatis. Cognoſcenda ergo ſunt requiſita beati hominis, & civitati applicanda.*

2. Homo conſtat duplici intellectu, theoretico & practico. Unde in homine beato duplex requiritur virtus altera perficiens intellectum theoreticum altera practicum. *Nam demonſtravit Ariſtoteles in Ethicis, beatitudinem hominis conſiſtere in operatione ſecundum virtutes utrumque hunc intellectum perficientes.*

3. Eſt itaque homo beatus 1. per ſapientiam, & ſcientiam. *Nam ſapientia eſt virtus perficiens intellectum theoreticum, verſaturq́ in rerum divinarum & obſcuriſſimarum contemplatione.*

4. Secundò beatus exiſtit homo per prudentiam. *Nam prudentia virtus eſt perficiens intellectum practicum. Id enim ſuperius* part. 2. l. 1. *ſatis declaratum eſt.*

5. Prudentia autem in homine triplex eſt, judicatrix, conſultatrix & præceptrix. *Nam prudens propoſito vero bono, ad quod cognoſcendum etiam facit theoreticus intellectus, deliberat de mediis ad bonum obtinendum facientibus: quæ conſultando reperit appetitui præſcribit, eumq́ ad operandum excitat; & poſtea de ſuis factis judicat voluptatem percipiendo, ſi benè; moleſtiam, ſi malè geſta ſint. Hinc enim oritur mala conſcientia, quando intellectus practicus judicans deprehendit appetitum*

à tramite aberraſſe, & quid contra honeſtatem & rectam rationem commiſiſſe.

6. Requiritur etiam in homine benè operante appetitus audiens imperia prudentiæ & excitans affectus convenientes ſpiritusq; quorum beneficio membra corporis humani moventur. *Nam niſi conveniens temperamentum adſit & ſanguis receptivus variarum qualitatum, ſpiritus item, quorum miniſterio appetitus in movendo homine utitur, operationes virtutum moralium ceſſant. Quammaximè autem iraſcibilis appetitus ſpiritibus indiget.*

7. Nulla porrò operatio perfici ab homine poteſt, niſi præſtò ſint neceſſaria inſtrumenta. *Sine his enim nulla ſubſtantia mobilis operari poteſt.*

8. Sunt autem omnia inſtrumenta, quibus homo indiget ad vitam, vel naturalia vel artificialia, vel talia, quibus utraque hæc parantur: *uſum enim præbentia ad vitam alia producit natura alia ars: pecunia autem hoc ipſum eſt, quo utraque parantur.* Quapropter tria ſunt homini ad vitam neceſſaria velut inſtrumenta. 1. ea quæ profert naturâ 2. quæ ab arte producuntur & 3. pecunia, quâ hæc utraque parantur.

8. Ex hiſce præmiſſis colligimus, Civitatem nullam beatam eſſe poſſe, niſi ſint 1. qui rerum divinarum curam habeant 2. qui deliberent de rebus ad civitatem pertinentibus 3. qui Judicent 4. qui imperent 5. milites qui arma tractare valeant. 6. locupletes abundantes pecuniâ. 7. qui quærant inſtrumenta ad vitam neceſſaria, quæ à naturâ producuntur. 8. artifices conficientes ea, quibus præter data â naturâ indigemus ad vitam. 9. Qui laboribus corporis adſueti ſuo corpore inſerviunt. *Nam niſi hæc adſint, civitas beatum aliquem virum repræſentare nequit.*

9. Principalem civitatis partem conſtituunt, quibus cultus divinus eſt committendus: hosque ſapientes eſſe decet. *Nam nulla gens tam fera ac barbara eſt, quæ non agnoſcat Deum. Tum etiam conducit ad hoc, ut cives timentes Numen pareant legibus & magiſtratibus. (Loquer hic gentilium more; quia diſſero de Republ. optimâ, quatenus lumine rationis ſolo ab ethnico & ſcripturam ignorante introduci poteſt.) Hos autem ſapientes eſſe decet: utpote qui hanc vitam profitentur, ut in res divinas & obſcuriſſimas inquirant. Atq; hæc pars civitatis repræſentat ſapientiam in homine ſeu virtutem intellectus theoretici.*

10. Hanc excipit ea pars, quæ deliberat de pace, bello, fœderibus, muniendâ regione, de exportandis & importandis, de legibus, de morte & exilio civium it. publicatione bonorum, & de eligen-

eligendis magiſtratibus. *Nam in his fermè præcipuæ civitatis operationes, de quibus inſtituendæ veniunt deliberationes, conſiſtunt. Hæc autem pars repræſentat prudentiam conſultatricem, ſeu virtutem intellectûs practici, quâ homo de his quæ ad ſuam beatitudinem & felicitatem ſpectant deliberat, vocaturque Senatus.*

11. Tertiò nec ſine Judicibus poteſt eſſe civitas. *Quemadmodum enim homo de ſuis negotiis judicat, an benè an malè geſta ſint; unde naturaliter in præmium bonis oritur bona; in pœnam improbis mala conſcientia: ita quoque in civitate eſſe debet pars judicans 1. de geſtis à magiſtratibus, expoſcens ab iiſdem rationes & inquirens, an officia benè an malè geſſerint. 2. de criminibus quæ committuntur vel in ſtatum Reipubl. vel adverſus honeſtatem publicam vel in damnum privatorum. 3. de controverſiis, quæ ſuboriuntur vel inter magiſtratus publicasq; perſonas & inter privatas, imperantes ſcil. & parentes, de negotiis quæ imperium magiſtratuum concernunt; vel circa cauſſas & negotia privata, commutationes nim. ex quibus vel alter alteri obligatur, vel ob quas alter cum altero diſceptare valet; quæ vel ſunt de rebus magnæ æſtimationis vel de parvis; & fiunt vel inter ſolos cives vel inter ſolos peregrinos in civitate commorantes vel inter cives & peregrinos. De his, inquam, Judices judicare neceſſe eſt, qui proinde quoque aliquam civitatis neceſſariam partem conſtituunt.*

12. Quartò in civitate debent eſſe magiſtratus qui imperent. *Quemadmodum enim intellectus practicus mediante prudentiâ præceptrice diſponit appetitum, quouſque appetendo progredi, quosque motus facere & quo ordine ſingula peragere debeat: ita in civitate neceſſe eſt ut ſint, quorum ordinatione cuncta fiant. Ita v. g. debet eſſe in civitate Imperator qui dirigat exercitum & negotia militaria, it. dirigat educationem puerorum; contractus & commercia in foro. it. qui convocet ſenatum, vota colligat & finitâ deliberatione eum dimittat.*

13. Nec etiam ſine militibus civitas felix eſſe poteſt. *Nam ratione operationum externarum civitas beata non exiſtit, niſi aliis vel terrori ſit vel imperet. Iis enim quæ ejusdem virtutis ſunt formidabilis, cæteris imbecillioribus & minus aptis, ut ſe defendere queant, imperare debet. Eſt autem hæc pars ſimilis appetitui iraſcibili ſpiritibusq; quorum beneficio contingunt motus in homine, quando erga alios operatur. Nec modò adverſus extraneos, ſed etiam eos, qui in ipsâ civitate ſunt & parere nolunt manu militari opus eſt: neq; enim magiſtratus imperium in cives exercere poſſunt, niſi vi quadam coactivâ inſtructi ſint.*

14. Debent quoque in civitatibus eſſe homines artem diteſcendi exercentes. *Nam pecunia eſt nervus rerum agendarum: & hujus*

jus uſus magnus eſt non modò ad comparandas res quas regio, in quâ ſita eſt civitas, non producit; ſed etiam ad negotia urbana & militaria gerenda. Acquiritur autem pecunia vel in quâque regione ex fodinis metallicis vel aliunde per mercaturam. Quâ de cauſsâ communiter in civitatibus nullam virtutis curam, magnam autem divitiarum habentibus ſummo in precio mercatores eſſe ſolent.

15. Septimò opus eſt iis, qui verſantur circa paranda quæ in regione producit natura vitæ inſervientia. Suntque trium generum: agricolæ ſcil. paſtores & venatores. *Agricolas voco omnes eos, qui curam habent hortorum, vinearum, agrorum qui præparandi ſunt ad frumentum producendum: paſtores, qui curam habent manſuetarum beſtiarum, quæ gregatim paſcuntur: venatores, qui impendunt operam capiendis beſtiis feris, quæ in terrâ, aquâ, aëre degunt: quorum propterea tres ſpecies ſunt: venatores in ſpecie ſic dicti, piſcatores, aucupes.*

16. Octavò neceſſarii civitati ſunt artifices mechanici varia producentes inſtrumenta, quibus præter res, quas natura ſuggerit, homo indiget ad vitam. *Niſi enim ſint fabri ferrarii, lignarii, ſartores, ſutores &c. multis carebit civitas inſtrumentis ad uſum vitæ quotidianum neceſſariis.*

17. Tandem neceſſe quoque eſt adeſſe homines ſerviles, qui duros ſubire labores corporis valeant. *Nam hiſce quotidiè civitas indiget.*

MEMBR. III.
DE ORDINATIONE PARTIUM CIVITATIS SECUNDUM JUSTITIAM DISTRIBUTIVAM FACIENDA.

1. Quò ritè fiat diſtributio, prout ſcil. exigit Juſtitia diſtributiva, primum omnium inquirendum eſt, an omnes præcedenti membro enarrati, ſine quibus civitas eſſe non poteſt, ſint habendi pro partibus civitatis nec ne. *Nam qui partes ſocietatis civilis non ſunt, iis nec quicquam è communi debetur.*

2. Partes civitatis, quæ vult eſſe beata, haberi non debent mercatores, agricolæ, paſtores, venatores, piſcatores, aucupes, artifices mechanici, mercenarii. *Nam qui cauponariæ vel tabernariæ operam dant humiles ſunt & non generoſi, coluntque vitam virtuoſorum vitæ contrariam: lucellum enim pro ſummo bono habent: Agricolæ autem non poſſunt otiari, ſed in perpetuis detinentur laboribus: decet autem eos, qui virtuoſè vivere volunt & præclaras edere operationes à laboribus immunes eſſe. Artifices mechanici & mercenarii opera ſervilia faciunt ingenuo*

ingenuo

ingenuo & liberali homine indigna, quibus cum totam vitam conſecrare teneantur, inepti ſunt ad excolendas virtutes. Virtutum autem opifices eſſe decet, qui volunt cives eſſe in beatâ civitate. Ceteri enim ad bonum civitatis ſummum nihil conferunt & per conſequens nec partes optimæ civitatis exiſtunt.

3. Reſtant ergò liberali ingenio inſtructi & avidi virtutum, tantumque agri & bonorum poſſidentes ut ex hiſce in otio vivere & virtutes excolere poſſint. *Tales enim præſupponendi ſunt cives in quos introducenda eſt reſpublica optima, quò tota civitas beata fiat. Legiſlator enim ordinationem facturus indiget materiâ quâdam circa quam operetur: non aliter ac opifex, qui quò aptiorem habet materiam, eò pulchrius opus conficit. Debent ergò pro introducendâ optimâ Reipubl. cujus beneficio civitas beata redditur, tanquã materia quædam, quæ prærequiritur, præſtò eſſe 1. homines in debitâ multitudine & qualitate, 2. bona ſufficientia. Quod autem concernit bona, debent ea tot tanta & talia eſſe, quot quanta & qualia requiruntur, ut tam imperantes quàm parentes ſua virtutum munia exercere valeant. Optandum ergò foret, urbem eſſe poſitam eâ in regione, in quâ eſt ager omnium rerum ferax aut præcipuarum, quò nihil deſit civibus: bona immobilia etiam eſſe tantæ magnitudinis & bonitatis, ut cives ab omni opere vacantes liberaliter & temperanter vivere poſſint: ne uſus bonorum trahatur ad luxuriam aut ad nimiam parſimoniam; taliter quoque comparata, quò & frumenta & ligna præſto ſint. Situs quoque urbis commodus prope mare eſſe videtur; quò quæ regio non producit, facilè aliunde afferri poſſint. Quod attinet ipſos cives, debent ii adeſſe in debita multitudine, tanta ſcil. quæ ad opus civitatis proprium peragendum requiritur; quæ tamen nec bonæ ordinationi impedimento ſit. Nam nimia civium copia facit, ne ſit ordinationis capax. Immenſam enim multitudinem ordinare eſt opus divinũ. Ceſſante autẽ ordinatione ceſſant & leges & jura; quia legũ juriumq́; omnis vis in bona ordinatione conſiſtit. Quando autem ſocietas aliqua legibus regi nequit non amplius ſocietas eſt, ſed multitudo hominum remiſſa & diſſoluta. Nec exiſtimandum eſt, eam civitatem magnam eſſe quæ multos habet cives ad res agendas ineptos, ſed quæ inſtructa eſt civibus ad agendum valentibus. Unus fortis miles plus poteſt quàm decem homines ſerviles. Ingenium autem civium debet eſſe acre ad cogitandum & ferox ad audendum. Nam prudentes & animoſos eſſe decet cives. Quapropter apti ſunt ad optimam rempubl. qui naturali prudentiâ & fortitudine ſunt inſtructi.*

4. Præſuppoſitis civibus idoneis, dicimus diſtributionem munerum ſecundum Juſtitiam diſtributivam aliâ ratione fieri non poſſe, quàm ut Juvenibus injungatur officium parendi & militandi, ſeni-

ſenibus iiſque ſapientibus cura ſacerdotum & eorum qui circa cultum divinum ſunt occupati; iis qui mediæ ætatis ſunt & quidem ſingulis ſecundum ſuam prudentiam munus imperandi, omnibus verò ut ſenatores ſint & judicent. *Nam ita ſinguli ſecundum proportionem quam inter ſe habent conſequentur quod ſibi debetur; proportio autem erit petita ab eo quod quiſque ad bonum ſocietatis civilis confert: ut ex ſeqq. patebit.*

5. Juvenibus dicimus id tribuendum eſſe, ut pareant & militent, modò tales ſint qui cives exiſtere poſſint. i. e. ſint inſtructi fortitudine & prudentiâ naturali. *Nam juvenibus inſunt vires corporis & ſpiritus, ut imperata exequi & ſtrennè res gerere poſſint. Tum verò habent virtutem naturalem mediante adſvefactione & rectâ ratione perficiendam: ut ita naturaliter horum ſit parere & parendo diſcere imperare. Nec hoc pacto Respubl. à bellantibus, quarum arbitratu illa manet vel non manet, quiſquam metuendum habebit. Quis enim militum, ſciens ſe aliquando imperium bono titulo conſecuturum eſſe, maximo cum periculo illud rapiet. Quatenus ergò Juvenes ad finem civitatis conferre habiles ſunt, eatenus etiam ſuum honorem conſequuntur; nim. ut ritè parendo & prudentium præcepta ſtrenuè exequendo & pro patriâ pugnando gloriam domi & foris conſequantur. Adeoque iis tributum eſt quod Juſtitia diſtributiva jubet.*

6. Circa eos qui maturæ ætatis ſunt ita juſta honorum diſtributio fiet; ſi perpendatur, an in numero horum ſit, qui omnes cæteros ſapientiâ & prudentiâ eâque præceptrice, conſultatrice & Judicatrice longè ſuperet, ſitque velut Deus terreſtris quidam. Huic enim perpetuum in omnes & in omnia imperium committendum eſt. *Nam quatenus quiſque confert ad bonum ſocietatis, eatenus ipſi tribuenda è communi ſunt quæ diſtribuenda veniunt. At hic confert ad operationem ſecundum virtutem optimam i. e. ad bonum ſocietatis civilis, tanquam perficiens cæterarum omnium virtutes & velut exemplar quod omnes imitari decet. Ergò talis quoque honor ipſi debetur. Unde infertur, hunc ab omnibus colendum eſſe tanquam ſuperiorem, & ab eo velut principio omnium cæterorum actiones debere dependere, quemadmodùm à Deo omnes hujus univerſi motus. Hoc pacto contingit optimam Rempubl. in regium ſtatum incidere.*

7. Quod ſi talis heros non reperiatur, dividendi erunt honores & alii ſenibus alii mediæ ætatis hominibus erunt adſignandi. Senibus itaque regulariter committenda eſt cura rerum divinarum & ex horum numero eligendi qui præſint ſacra tractantibus. *Nam quatenus quiſque aptus eſt conferre quid ad finem ſocietatis civilis, eatenus in di-*

in diſtributione, quo juſta ſit, ipſi bonorum diſtribuendorum adſignatio fieri debet. At præ cæteris ad felicitatem civitatis, ut Numen ſibi habeat propitium, conferre ſenes poſſunt. Ergò etiam cura cultûs divini, & honor qui talibus debetur ipſis adſignari debet. Nam divina curare illi optimè poſſunt, qui ſapientes ſunt & res divinas maximeque obſcuras ſpeculari valent. Tales autem ſunt ſenes, qui maxima rerum experientia inſtructi in univerſaliſſima præ cæteris penetrare poſſunt. Cui accedit, quòd ſenibus velut ætate feſſis, quique per juventutem & maturam quoque ætatem multos ſuſtinuerunt labores tandem debeatur otioſa vita, eaque honeſtiſſima & pulcherrima: talis autem eſt quæ in ſpeculatione rerum abſtruſiſſimarum & diviniſſimarum poſita eſt. Quapropter patet, juſtiſſimè & ſecundum proportionem fieri diſtributionem, ſi ſenes ſapientiæ ſtudium tractantes tali muneri præficiantur, ex quo reddantur maximè venerandi & cum admiratione omnium colendi: quale eſt cura cultûs divini & imperium in eos qui rebus ſacris præfecti ſunt.

8. Qui mediæ & maturæ ætatis ſunt omnes debent eſſe participes Conſiliorum & Judiciorum. *Nam quò plures ſunt qui ſua vota conferunt & futura præteritaque ponderant, eò felicius conſultationes & judicia perficiuntur: Omnes ergò qui maturæ mediæque ætatis ſunt debent eſſe Senatores & Judices. Nam cùm per ætatem prudentiam ſibi pararint & tantum virium habeant, ut commodè in rebus gerendis verſari queant, munia prudentiæ conſultatricis & qui ex hiſce parantur honores ipſis debentur. Conſequuntur enim ſuam gloriam quatenus habiles ſunt ad bonum civitatis aliquid conferre.*

9. Quod autem magiſtratus concernit, adſignandi hi ſunt unicuique ſecundum ſuam virtutem maximè propriam, & ſi plures ſint æqualis virtutis, viciſſim imperium erit committendum. *Nam magiſtratus ſunt, qui principium motuum & actionum exiſtentes faciunt ut omnia debito ordine gerantur. Secundum ergò virtutem, quæ ad unumquemque magiſtratum gerendum requiritur, diſtributio facienda: & ita alii creandi Conſules qui præſint Senatui; alii prætores qui præſint judiciis; alii Cenſores morum, qui obſervent, quomodo quilibet civium in ſuis actionibus id quod honeſtum & pulchrum eſt ſequatur; alii Imperatores, quorum ductu juventus militet, alii ædiles, qui curam habeant ædificiorum publicorum, fori item & viarum publicarum & quæ in his geruntur, &c. Quod ſi hæc omnia ſecundum virtutem propriam cuique adſignantur, obſervata erit Juſtitia diſtributiva, quia data eſt cuilibet copia gloriam ſibi parandi, quatenus habilis eſt ad bonum civitatis quid conferre. Multis autem pari virtute inſtructis exiſtentibus, ex neceſſitate viciſſitudo imperandi introducenda. Injuſtum enim eſt eum, qui æquè*

aptius eſt imperare ac alter, illius cauſſâ à poteſtate gloriam, quæ ſibi ob virtutem debetur, capiendi perpetuò excludi.

10. Ex hiſce patet procedendo ſecundum Juſtitiam diſtributivam & adſignando munera civibus quatenus ad beatitudinem & ſummum civitatis aliquod bonum conferunt tres claſſes civium fieri, ſapientum ſcil. prudentum & militum.

11. Ex dictis quoque hoc eluceſcit, Rempublicam poſitam in ordinatione, quæ fit ſecundum Juſtitiam diſtributivam, aut monarchicam reddi aut ariſtocraticam, nunquam politicam. *Nam tres poſſunt concipi formæ oriri ex ordinatione, vel ut unus perpetuò imperet, vel ut quidam vel ut omnes viciſſim: unde oriuntur tres formæ, Regnum, Ariſtocratia & Politia. Eſt autem politia impoſſibilis introductu, quia Juvenes & ſenes æqualium virtutum eſſe & æqualia capere viciſſim imperando nequeunt. At hoc poſſibile eſt, unum omnes ſapientiâ & prudentiâ ſuperare, quem cæteris æqualem velle reputare injuſtum eſt, unde gignitur Monarchia. Quòd ſi talis heros non exiſtat, ſingulis pro ſuis virtutibus conferri honores neceſſe eſt: & hoc modo ariſtocraticus naſcitur ſtatus.*

MEMBR. IV.

DE CONCOMITANTIBUS ORDINATIONEM CIVIUM SECUNDUM JUSTITIAM DISTRIBUTIVAM FACTAM.

1. *Nullâ in re magis miratus ſum ingenium Ariſtotelis, quàm quando deprehendi, ipſius Rempubl. cujus inventor eſt, tam exactè omnia habere quæ optare in civitate, ut felix & ſalva ſit, poſſis; Et præterea quomodocunq; demonſtrando progrediar (uſus ſum enim aliâ quàm is methodo in reperiendâ optimâ republ.) ſemper me ad idē, ad quod ille pervenire. Miratus quoq; ſum rerū naturā in omnibus exactè congruentem, ut ſi habueris unum cum ipsâ congruens, in reliquis non facilè errare poſſis, modò demonſtrando procedas. Ut vel ex hoc ſolo intelligere liceat, naturam eſſe opus Mentis nunquam errantis, & ita qualis hæc ſit Mens illa è longinquo & per nebulam quaſi videre. Dum hæc meditor, fundo has preces:* O Mens æterna quamdiu ceſſas me diſſolvere, Veni mi JEſu & fac, ut tuam eſſentiam penitus intuear, Teque à facie ad faciem videam!

2. *Mira ſunt, lector benevole, quæ nunc tibi narrabo: Demonſtravimus hactenus Ordinationem Reipubl. debere fieri ſecundum Juſtitiam diſtributivam, & unà quoque oſtendimus, quo pacto id ritè fiat, ut adeò nunc pateat, quæ Reſpublica ſit in Juſtitiâ diſtributivâ fundata. Audi, quæ bona hanc ita introductam concomitentur.*

3. Omnes ex Republ. ſecundum Juſtitiam diſtributivam ordinatâ felices ſunt. *Nam felicitas ſeu beatitudo conſiſtit in operatione ſecundum virtutem, qualis in unoquoque maxima eſſe poteſt. At in Civitate ſecundum Juſtitiam diſtributivam ſeu eo modo, quo diximus, adornatâ*

ornatâ unumquemque ſecundum ſuam virtutem operari contingit. Ergò & ex hac quiſque ſuam ſortitur felicitatem. Juvenes optimè operantur ſecundum virtutem quæ propria eſt parentium, quia ſortiuntur optimos doctores, ſapientes ſcil. & optimos ductores, prudentes nimirum. Qui mediæ ætatis ſunt edunt operationes ſecundum virtutes morales perfectiſſimas, quia ſecundum ſuam prudentiam vivunt & operantur aliisq; præſunt. Senes habent ſibi convenientem, otioſam nim. vitam & in ſapientiæ ſtudio occupati divinas faciunt ſpeculationes. Omnes ergò & ſinguli ſuam ex hac Republ. nanciſcuntur felicitatem.

4. Eſt ergò hæc Respubl. omnium optima. *Nam optima meritò dicenda eſt ordinatio, ex quâ quiſque ſecundum ætatem ſuam optimas res agit & optimè ſeu feliciſſimè vivit. At in hac Republ. id contingere præced. num. demonſtratum eſt.*

5. Cumq; duo ſint quæ omnem civitatem conſervant, Juſtitia nimirum & amicitia: utraque in civitate dicto modo adornata reperitur. De Juſtitiâ id primum demonſtrabimus. *Nam cives ita ordinatæ civitatis non ſunt Juſti quemadmodum part. 2. tradidimus Juſtitiam univerſalem communiter obtineri, ut ſcil. cives fugiant vitioſas actiones metu pœnarum: Sed ſinguli per ſe juſti ſunt i. e. ſponte & ſecundum virtutes ſuas juſta operantur. Perfectiſſima ergò in hac civitate viget Juſtitia.*

6. Summam quoque Concordiam huic civitati ineſſe neceſſe eſt. *Quid enim eſt Concordia? Definivimus eam part. 3. l. 4. quòd ſit amicitia civilis in hoc poſita, quòd ſinguli cives idem appetunt, eadem media ad illum finem ducentia eligunt, & ſinguli quæ communi conſenſu electa ſunt exequuntur. At in taliter ordinatâ civitate omnes & ſinguli cives idem appetunt: qui enim mediæ ætatis ſunt audiunt ſapientes, eos qui mediæ ætatis ſunt, velut prudentes & ductores ſuos ſequuntur juvenes & militantes: & ita omnes appetunt idem bonum, quod ſcil. ſapientia & prudentia appetendum præſcribit, i. e. veram beatitudinem. Nam unica eſt beatitudo vera; infinitæ beatitudines falſæ & apparentes. Ad unum ergò finem omnes tendere qui veram beatitudinem appetunt neceſſe eſt. Sed & in mediis ad finem ducentibus conveniunt: ponimus enim mediæ ætatis cives prudentiam doctrinâ & adſuefactione acquiſiviſſe. Prudentes autem qui ſunt, facilè quæ reverà ſalutaria ſunt ad finem conſequendum ab apparentibus ſeparare poſſunt: ut ita quoad hoc nulla diſcrepantia oriri poſſit. Juvenes verò diſcentes parendo imperare, & in hoc ſuam gloriam quærentes, ſi probè paruerint, omnia deliberata in prudentibus ſatu ſtrennè exequuntur. Quapropter ſumma erit inter cives omnes concordia.*

 7. Perfe-

7. Perfectam etiam inter cives amicitiam eſſe neceſſe eſt. *Nam qui mediæ ætatis ſunt inter ſe colent amicitiam honeſtam in æqualitate poſitam, & alter alterum ut ſeipſum amabit, ſi magiſtratus viciſſim conferuntur, quilibet dignus magiſtratu ſeipſum in imperante intuebitur, eumque proſequetur amore quo ſeipſum diligit. Ita Agrippa Orat. ad Auguſtum.* Quòd ſi quis aliquâ virtute præditus eſt, ipſemet eam & libenter oſtendit & alacriter exercet. Si verò in alio eam elucere cernit, intrepidè fovet, augere ſtudet & magnificè prædicat. *Cum ſapientibus colent amicitiam, qualem diſcentes cum docentibus, cum Juvenibus talem, qualem part. 3. demonſtravimus inter civiliter imperantes & parentes intercedere: nimirum prudentes diligent Juvenes parentes tanquam opus ſuum, & hi illos tanquam accipientes ab iiſdem perfectionem ſuam. Et ita tres hominum ætates arctiſſimâ illâ inter ſeſe connexæ erunt amicitiâ, de quâ part. præced. egimus.*

8. Omnes quoque ceſſabunt querelæ, nec quiſquam erit, qui Jure conqueri poſſit, ſe eſſe ab imperio excluſum. *Nam dum omnes Juvenes habent ſpem conſequendi cum ætate imperii, nullus horum ab imperio poteſt excluſus cenſeri.*

MEMBR. V.

DE DISTRIBUTIONE BONORUM TAM MOBILIUM QVAM IMMOBILIUM IN OPTIMA REPUBL.

1. *Hactenus oſtendimus, quomodo facienda ſit diſtributio honorum in civitate, quò beata ſit. Nam munera militum, ſenatorum, Judicum, magiſtratuum, ſacerdotum, pontificum ſunt quaſi inſtrumenta quædam quibus unuſquiſque ſecundum virtutem ſuam honorem & gloriam parare poteſt. Quantum ergò muneris cuique in civitate, tantum facultatis parandi honoris & gloriæ tribuitur. Quapropter quantum muneris, tantum & honoris conceditur: unde cùm oſtenderimus, quæ munera ſingulis aſſignanda ſint, & quidem habitâ ratione Juſtitiæ diſtributivæ, unà ſecundum hanc honorum diſtributio facta eſt. Et quia bona externa, quæ in civitate diſtribuenda veniunt, ſunt honores & divitiæ ſeu bona: (voco enim hîc bona omnia ea, quæ uſum quendam ad vitam præbent, ſeu ſint à natura ſeu ab arte producta.) conſequens nunc eſt, ut de diſtributione bonorum diſſeramus.*

2. Bona alia ſunt mobilia alia immobilia. *Nam omnia inſtrumenta, quibus ad vitam utimur, vel circumferri poſſunt, uſumque præbent omnibus in locis, vel utentem ad certum terræ locum quaſi alligant: hæc immobilia, illa mobilia vocantur. ſuntque ita in numero immobilium*

ſolum

ſolum & quæ ſolo adhærent. v.g. arbor in horto plantata bonum immobile eſt, quia utentem ad certum terræ locum, eum nimirum, in quo plantata eſt, alligat.

3. Præſuppoſito, tantam bonorum immobilium copiam adeſſe civitati, quæ ſit ſufficiens, ut ſcil. inde tantum fructuum petere cives poſſint, quantum & publicè & privatim ad uſum neceſſarium eſt: dicimus, dominium bonorum immobilium omnium ſolis civibus adſignandum, nihil verò iis qui à civitate excluduntur attribuendum eſſe. *Nam agricolæ inſtrumenta quædam civium ſunt, & quicquid faciunt illorum & non ſui gratiâ facere debent: operarentur autem ſui gratiâ, ſi quorundam bonorum immobilium domini eſſent. Nam dominus eſt cujus gratiâ res eſt id quod eſt. Par eſt ratio in cæteris qui cives non ſunt.*

4. An autem bona immobilia debeant omnia communia eſſe, an omnia dividi, ut ſingulorum propria fiant, an nonnulla debeant eſſe communia nonnulla propria & in ſingulos diſtributiva, quæri & dubitari poteſt. *Socrates namque apud Platonem omnia vult communia eſſe, quò ceſſent querelæ: ſi enim omnes cives poſſint dicere, hoc eſt meum, putat nullas naſci contentiones poſſe circa bona externa, & ita civitatem maximè unam, adeoque ſatis felicem fore. Verùm Sophiſma hoc eſſe oſtendit Ariſtoteles lib. 2. politic. cap. 3. Nam reſpondet ad argumentum Socratis, deſituras eſſe contentiones, ſi omnes tanquam ſinguli (voce* omnis *diſtributivè in ſingula generum ſumptâ) dicere poſſint hoc eſt meum, non ſi conjunctim: at bonis communibus exiſtentibus, conjunctim quidem dicere poſſe omnes, hoc eſt meum, non ſingulos. Sed quia ſententiæ illius abſurditas, quâ ſtatuitur, omnia debere eſſe communia, ſatis ab Ariſtotele demonſtrata eſt, ſumemus hîc omnia bona, etiam immobilia, communia eſſe non poſſe. Nam quis non videt ineptum eſſe prædia urbana ſeu bona immobilia ad habitandum comparata communia facere velle: ſingulos enim cives ſuum habere domicilium proprium neceſſe eſt. At de ruſticis bonis, ut maneant communia, ſervis communibus velut agricolis ad rus colendum deſtinatis, non abſurdum eſt contendere. Si namque certi magiſtratus ſint, quibus cura laborum ruſticorum & regendorum agricolarum committatur, diviſis quotannis fructibus ratione numeri liberorum in quâq; familiâ & dignitatis quam quiſq; gerit, (magiſtratus enim quamdiu imperant velut pluribus miniſteriis indigentes plura accipere juſtum eſt) videtur omnis evitari inæqualitas divitiarum, quæ diſcordiarum mater eſt. Verùm quia beatitudo civium conſiſtit in operatione ſecundùm virtutes, nulla autem beatitudinis particula civibus eſt adimenda, ſed danda potius opera, ut ratione omnium virtutum cives pulchrè & præclarè operari poſſint: etiam*

ruſtica, ex quibus fructus quotannis cives colligunt, dividenda ſunt, ut ſinguli bona propria habeant. Nam ſi bona erunt communia, ceſſabunt operâ temperantiæ, liberalitatis, amicitiæ. Quibus enim actionibus quis ſuam amicitiam vel liberalitatem oſtentabit, ſi ſinguli conſequantur è communi fructus quibus utantur in re familiari? Quomodo apparebit, quis temperans ſit nec ne, ſi ſinguli noverint ſe tantum & nõ plus habere quàm quantũ abſumant? Temperantia enim quã neceſſitas imponit temperantia nõ eſt. Quòd ſi autem bona propria exiſtunt, liberalitatem & benevolentiam quiſq; oſtendere poteſt: amicis enim donare, opem ferre, epulas proponere, indigentibus ſuccurrere, & alia, ex quibus vir bonus ſummam jucunditatem percipit, faciendi facultatem habet. quæ omnia ceſſant bonis communibus exiſtentibus. Nam liberalitas virtus eſt in uſu propriorum bonorum conſiſtens.

5. Omnia ergò bona immobilia, ſive urbana ſive ruſtica ita dividi debent, ut alia ſint communia alia propria. *Nam & ædificia in urbe & bona ruſtica quædam communia & publica eſſe debent. Ædificia enim omnia, in quibus vel Deo cultus exhibendus, vel judicia aut comitia celebranda it. in quibus convivia publica inſtituenda ſunt, publica eſſe debent. Et eandem ob cauſſam etiam agri nonnulli publici & communes exiſtant neceſſe eſt. Nam debet quædam agrorum pars deſtinata eſſe ad cultum divinum, ad publicos ſervos alendos atq; ad publica ſodalitia & convivia. Cæterùm pro habitatione & conſervatione familiæ quilibet civis proprium ſuum ædificium propriumq; agrum habere debet, ſervatâ æqualitate. Nam cùm in Republicâ hac tendant omnes ad perfectam virtutem: omnes etiam æqualibus inſtrumentis ad virtutem exercendam neceſſariis inſtructi eſſe debent.*

6. Sed quia non omnis omnia fert tellus, quid ſtatuendum eſt de mercaturâ & quomodo ea in optimâ Republicâ eſt exercenda? *Si hanc ſeorſim civibus exercendam committere velis, reddes eos avaros. Nam vita mercatorum pro fine habet lucrum: qui autem lucrum pro ſcopo & fine actionum ſuarum habent redduntur avari. Quòd ſi iis qui cives non ſunt mercaturam concedere velis, multi ex plebe magnum pecuniarum cumulum ſibi acquirent & unà ſuperbi, arrogantes, ſique videant ſe plus pecuniæ habere quàm cives, etiam imperium eorum reſpuentes evadent: hos enim eſſe mores divitum* part. præced. *docuimus. Quapropter civitatem, quæ beata eſſe vult, communem mercaturam per ſervos publicos mercatores exercere decet. Nam hoc pacto non temerè exportabuntur & importabuntur res; ſed eæ exportabuntur quibus civitas abundat & non indiget; contrà importabuntur quibus opus habet, nec quærentur eæ quæ tantùm ad luxum faciunt. Quibus ergò quilibet civis non indiget ad rem familiarem, ea conferre in publicum debet, velut in ſocie-*

tatem

tatem mercatoriam, factâ æſtimatione illatorum, & poſtea ſecundum proportionem de lucro participare. Hoc enim modo ſine avaritiâ & injuſtitiâ in optimâ civitate commodiſſimè mercatura exerceri poterit.

7. Quod concernit venationes, piſcationes, aucupia, hæc itidem nemini niſi qui civis eſt conceſſa eſſe debent. *Nam in præcedentibus demonſtravimus, ſolis civibus concedendum, ut rerum dominium acquirant; cæteros in hoc faciendo ſerviles tantummodo operas præſtare. An autem loca in quibus venationes, piſcationes, aucupia fiunt debeant manere communia, an ſingulis civibus ſecundum regiones aſſignari, quemadmodum & quibus temporibus concedendæ, docet territorii magnitudo & qualitas.*

MEMBR. VI.

DE JURE QVO REGITUR BEATA CIVITAS.

1. *Diviſimus* part. 1. *Jus, quo quæque civitas regitur, in ſcriptum & non ſcriptum. Et docuimus, ſcriptum Jus eſſe quod memoriæ gratiâ, ne amittatur aut vigere in civitate deſinat, in ſcripturam redigendum eſt: non ſcriptum eſſe, quod ultrò per conſuetudinem cives obſervant. Quibus repetitis, facilè erit videre, quo Jure beata civitas regatur.*

2. Jus ergò quod regit beatam civitatem eſt illud quod non-ſcriptum nominamus. *Nam qui Juvenes ſunt & parent imperio, ex factis prudentum ſeu imperantium vivere convenienter Reipubl. diſcunt: imperantes verò ſecundum virtutes ex adſuefactione paratas operantur, & ultrò faciunt quæ facienda ſunt: ut ita Jure ſcripto opus non ſit. Scil. cives boni redduntur tribus modis 1. naturâ 2. conſuetudine 3. oratione bonum præcipiente & præſcribente. Natura tribuit hominibus bonitatem, quando inſtruit eoſdem naturali aliquâ prudentiâ & inclinatione ad virtutes morales v.g. ad fortitudinem, temperantiam, liberalitatem. Et hoc munus Dei eſt, quando cives naſcuntur benè corpore & animo conformati. Adſuefactio ſeu conſuetudo habet vim partim virtutes naturales confirmandi, partim etiam id quod non naturale eſt reddendi tale ac ſi à naturâ ineſſet: ita v.g. qui naturâ timidus eſt adſuefieri poteſt, ut edat actiones ſimiles actionibus eorum qui naturâ fortes ſunt. Oratio autem præceptrix boni ſæpè facit, ut homines præter naturam & conſuetudinem ſuam quid agant. Nam intellectus practicus perſvaſum habens, aliud faciendum eſſe, quàm quod natura vel conſuetudo dictitat, conjunctus eſt cum voluntate tendente ad id, quod à naturali inclinatione vel conſuetudine eſt alienum.* Quando ergò natura conſuetudo & Oratio præceptrix agendorum, quam latini rectam rationem vocant, concinunt, nullo opus eſt Jure ſcripto. *Nam ita preparati cives omnia agenda*

genda ultro faciunt. In civitate autem beata ſeu Republ. optimè informata omnes cives hoc modo præparati operantur. Etenim totam Rempublicam & civium ordinationem ſecundum Juſtitiam diſtributivam factam videmus in hoc poſitam eſſe, ut Iuvenes à ſapientibus diſcant, à prudentibus adſueſiant. Præſuppoſito ergò, cives natura benè corpore & animo conformatos, quod partim optandum, partim etiam cohabitatione cum mulieribus ritè facta impetrandum, nihil deerit ad hoc, ut cives ſecundum Jus non ſcriptum vivant. Ubi verò nec natura civium bona eſt, nec cura habetur illos ad virtutes adſuefaciendi, nec etiam oratione ulla trahuntur ut perſuadeant ſibi firmiter, benè operandum eſſe, opus eſt Jure ſcripto i.e. Oratione præceptrice cum vi coactiva conjunctâ & in ſcripturam redacta, quò in libris cuſtodita praſto ſit, ut inde quæ agenda, & quomodò tranſgreſſores puniendi ſint, peti queat. Quare civitates, in quibus nulla civiũ ad virtutes adſuefactio eſt, Jure ſcripto regũtur, uſuſq; virtutũ propemodũ nullus eſt, ſed cives ex neceſſitate & vi pœnarũ metuentes ſupplicia & animadverſiones à vitioſis actionib9 abſtinent: ob quã cauſam etiã part. 2. docuimus, quomodo pœnæ partim ordinariæ partim extraordinariæ ſecundum gradus peccatorum infligendæ ſint, quò cives in officio detineantur & à criminibus & peccatis ſibi caveant. In optimâ autem civitate hac pœnarum irrogatione opus non eſt: uſus enim virtutis ex neceſſitate non eſt, ſed cives ducti naturâ, adſuefactione & doctrinâ ultrò faciunt quæ bona & honeſta ſunt. Satis itaq; patet, beatam civitatem optimâ illâ, de quâ egimus, Republ. inſtructam Jure non ſcripto uti, nulliſq; legibus ſcriptis indigere. Et de his civibus verum eſt quod leges Romanæ de principe dicunt, nimirum quòd legibus ſoluti vivant ea tamen quæ legibus præcipiuntur agant. Hoc namq; ita ſe habet in omnibus Jure naturæ imperium habentibus.

CAP. IV.

DE BEATÆ CIVITATIS IMPERIO.

1. Civitas beata exercet in extraneos imperium vel civile vel herili ſimile. *Quemadmodum enim homo beatus & in ſocietate vivens civili ſuis ſervis heriliter, cæteris civibus civiliter imperat: ita & contingit civitati beatæ, ut aliis civitatibus vel provinciis præſit imperio civili; aliis eo, quod herile imitatur.* Ut ita non immeritò qui ſub imperio ſunt alii ſocii, alii ſervi ſint dicendi.

MEMBR. I.

DE IMPERIO IN SERVOS ET BARBAROS.

1. Imperium in ſervos & barbaros nimium extendere ſalutare

tare non eſt,nec etiam hoc civitas,quæ verè beata eſt,appetit. *Nam moleſtum eſt viris bonis in regendis ſervis & barbaris verſari , nihil enim præclarum huic imperio ineſt. Deinde & periculoſum eſt ſervorum numerum ſupra modum augere. Nam quantum in hiſce tandem quale in virtuoſis ſuperare valet. Teſtantur id bella ſervilia in Imperio Romano.*

2. Eouſque ergò beata civitas imperium extendit, quouſq; neceſſitas requirit. *Nam quot requiruntur ad agros publicos privatoſque colendos, ad paſturam pecorum, ad venationes, piſcationes, aucupia, ad artes mechanicas exercendas, ad mercaturam faciendam, tot imperio ſubjectos habere neceſſitas exigit: ita tamen ut nihil proprii habeant ſed ſua alimenta à civitate conſequantur: ſervis enim naturaliter debetur cibus & caſtigatio.*

3. Imperium hocce poſitum in eo eſt, ut proſpiciatur, ne qui ſub hoc ſunt velint aut poſſint quicquam adverſus civitatem moliri. *Nam talem hominum confingem ſolâ amicitiâ continere impoſſibile eſt: ſunt enim beſtiis ſimiles.*

4. Conducit itaque cives ex variis gentibus ſumere homines viles, abjectos & puſillanimos, ut ita ſingulis civium familiis aliæ atque aliæ gentes inſerviant. *Nam puſillanimitas & abjectus animus facit ut nolint, diverſitas ut non poſſint quicquam moliri adverſus ſuos dominos. Nec tamen per hoc minus apti erunt ad officia ſua facienda; quia homines abjecti viliſq; animi, modò robore valeant corporis ad negotia ſervilia aptiſſimi ſunt. Quando verò ſinguli cives diverſas habent nationes, coire inter ſe adverſus dominos nequeunt: incogniti enim ſunt.*

5. Videtur & hoc ſalutare, prudentiores, ſi qui ex hiſce ſervis naſcuntur, in numerum publicorum ſervorum recipere, & ex his dignos libertate manumittere ac in civitatem recipere. *Nam ſingulis civibus poteſtatem manumittendi concedere juſtum non eſt: conſenſum enim totius civitatis ſervos manumitti & cives reddi fas eſt; ne contingat civitatem ſupra modum libertinis repleri. Accidet porrò ut, dum ſervi publici habent ſpem adipiſcendæ libertatis, faveant civitati, & ſi fortaſſe cæteri qui privatorum ſunt quid novi molituri ſint, per hoſce poſſint coerceri.*

6. Ut nolint nec concipiant ſervi ſe poſſe quicquam moliri adverſus dominos prodeſt paupertas, dum uti diximus nihil pecuniæ ipſis relinquitur, ſed datur quantum ad victum ſufficit. *Nam nihil pecuniæ iis, qui uſum illius ignorant, quales ſunt liberalitatis virtute deſtituti, relinqui non modò non injuſtum, ſed & ipſis ſalutare eſt. Quemadmodum enim peccat qui infanti cultrum vel gladium porrigit; ita qui uſum divitiarum ignoranti permittit divitias habere: Aut enim avarus*

Gggg 3 red-

redditur & ſtudet numos augere in infinitum, aut prodigus & luxurioſus.

MEMBR. II.

DE IMPERIO BEATÆ CIVITATIS IN LIBEROS POPULOS ET ALIAS CIVITATES LIBERAS.

1. Civitas optima habet vicinos vel virtutibus æquales vel inferiores vel nullis virtutibus inſtructos vel vitioſos. *Nam plura genera fingi haud poſſe videntur.*

2. Cum virtute paribus civitas beata optimam colit amicitiam & quidem æqualem. *Quemadmodum enim vir honeſtus alterum æquè virtuoſum ut ſe ipſum amat: ita & civitas optima. Et ut vir bonus cum altero colens æqualem amicitiam unà lætatur & dolet: ita civitas beata cum alterâ æquè bonâ in fœdere æquali exiſtens eadem proſpera & adverſa habet.*

3. Quòd ſi civitas beata habuerit aliã vicinã virtutibus imparem i. e. conſtantem ex civibus fortibus ad parendum magis quàm imperandum aptis, & cum hac fœdus ineat, neceſſe eſt hoc inæquale exiſtere, & optimam civitatem alteri imperio civili præeſſe. *Nam hoc imperium naturaliter juſtum eſſe ſæpius demonſtratum eſt. Contingit autem civitatem aliquam parentium virtute inſtructam eſſe, ſi cives naturâ ſint fortes & boni, ſed deſtituantur bonâ educatione; ut ita virtus eorum naturalis nec adſuefactione nec rectâ ratione & prudentiâ perfici poſſit. His dico ſalutare eſſe, ut alterius civitatis imperio regantur & ſub hujus directione fortitudinem ſuam exerceant. Nam virtus naturalis ſine prudentiâ ſæpenumero magis damnoſa quàm proficua eſt. Exiſtit enim homo inſigni virtute naturali præditus prudentiâ deſtitutus ſimilis grandi alicui corpori oculis orbato: hoc enim ubique offendit, & eò magis, quò grandius exiſtit. Patet ergò naturaliter juſtum eſſe, ut civitas gaudens civibus naturâ fortibus ſit ſub imperio ejus quæ habet cives prudentes & ad imperandum aptos. Ejuſmodi imperium in nonnullos populos Civitatem Romanam exercuiſſe teſtatur Florus, quando ait:* Illi quoque reliqui, qui immunes imperii erant *(i. e. nulla tributa & ſtipendia ſolvebant nec à proprætoribus & præfectis regebantur)* ſentiebant tamen magnitudinem & victorem gentium, populum Romanum reverebantur. *Tale quoque fuit imperium urbium matricum in colonias. Nam coloniæ cum urbibus matricibus pari erant jure libertatis, ſed tenebantur* τιμᾶν τὴν μητρόπολιν, *ut loquitur Thucydides, & exhibere* τὰ γέρα τὰ νομιζόμενα. *Agellius lib. 16. cap. 13. dicit: municipes eſſe cives Romanos ex municipiis, ſuo Jure, & legibus ſuis utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, à quo munere capeſſendo appellatos videri,*

nullis

nullis aliis neceſſitatibus neque ullâ populi Rom. lege aſtrictos. Primos autem municipes ſine ſuffragii Jure Cærites eſſe factos, conceſſumque illis, ut civitatis Rom. honorem quidem caperent: ſed negotiis tamen & honoribus vacarent, pro ſacris bello Gallico receptis, cuſtoditisque. De coloniis ita refert: has non extrinſecus venire in civitatem, nec ſuis radicibus niti, ſed ex civitate quaſi propagatos eſſe, & Jura inſtitutaque omnia populi Rom. non ſui arbitrii habere. Hanc autem conditionem, quamvis magis obnoxiam minusq; liberam, potiorem tamen & præſtabiliorem exiſtimari, propter amplitudinem Majeſtatemq; populi R. cujus iſtæ coloniæ quaſi effigies parvæ ſimulacraque eſſe videntur. Unde deducimus civitatum & populorum civiliter parentium rurſus certa quædam genera eſſe & inter ſeſe differre. Apud Germanos exemplum ejusmodi imperii civilis exhibent feuda quæ libera ſeu franca vocantur, quæ in ſola perſonali obligatione conſiſtunt. Nam vaſallus domino feudi operam, hic autem vaſallo præſidium & tutelam pollicetur. Omnes porrò qui in inæquali fœdere ſunt ſub hoc imperio contineri videntur. Tale fuit fœdus ſecundum, quod Romani cum Carthaginienſibus fecerant, ſcil. ne cui Carthaginienſes bellum facerent injuſſu populi Rom.

4. Conſervatur autem imperium hoc civile civitatis ſuperioris in inferiores amicitiâ quâdam inæquali. *Nam civitates inferiores ſuperiorum ductu militant, ab his auxilia adverſus hoſtem & ſecuritatem ſuam habent: pro his beneficiis autem inferiores debent reverentiam. Hinc illud quod Labeo dicit l. non dubito 7. §. 1. ff. de Captiv.* Liber autem populus eſt is, qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubjectus, ſive is fœderatus eſt: item ſive æquo fœdere in amicitiam venit, ſive fœdere comprehenſum eſt, ut is populus alterius populi majeſtatem comiter conſervaret. hoc enim adjicitur, ut intelligatur, alterum populum ſuperiorem eſſe: non ut intelligatur, alterum non eſſe liberum. & quemadmodum clientes noſtros intelligimus liberos eſſe, etiamſi neque auctoritate neque dignitate, neque jure omni nobis pares ſunt: ſic & eos qui majeſtatem noſtram comiter conſervare debent, liberos eſſe intelligendum eſt. *Sic Scipio Africanus Major apud Livium lib. 26. ait:* populum Rom. beneficio quàm metu obligare homines malle, exterasque gentes fide ac ſocietate junctas habere, quàm triſti ſubjectas ſervitio. *Is quibus civiliter imperatur ſolent dici in fide eſſe; quibus verò heriliter, in ditione. Et imperare etiam modeſtiori voce ordinare dicitur. Plin. lib. 8. epiſt. 24. Officia imperantium in hac ſocietate deſcribuntur apud Thucydidem in oratione Corinthiorum:* χρὴ τὺς ἡγεμόνας τὰ ἴδια ἐξ ἴσου νέμοντας τὰ κοινὰ προσκοπεῖν. Decet eos qui fœderis principes ſunt, circa ſuas qui-

 dem

dem utilitates nihil præcipuum ſumere, at in communibus rebus curandis eminere ſupra cæteros. *Iſocrates veteres Athenienſes hoc civile imperium exercuiſſe ait;* ὅλων ἐπιστατοῦντας, ἰδίᾳ δ' ἑκάστους ἐλευθέρους ἐῶντας εἶναι. Curam gerentes pro ſociis omnibus, ſed ita, ut iis libertatem integram relinquerent. *& alibi:* ut imperium haberi belli, non dominari ſe debere cenſerent. it: συμμαχικῶς, ἀλλ' οὐ δεσποτικῶς βουλευομένους περὶ αὐτῶν: ſocialiter non heriliter horum curam habentes. *Quæ verò civitates heriliter quamplurimis imperare pro ſummo bono habent, ſolent officiis hiſce ſepoſitis ſucceſſu temporis imperandi rationem civilem in herilem mutare. Primùm enim patiuntur liberè agere inferiores ſocios, poſtea in conſuetudinem parendi eosdem provocant, & ita gignitur quædam precaria ſervitus. Sic Latini querebantur, ſub umbrâ fœderis Romani ſe ſervitutem pati. Liv. Lib. 34. Sic Civilis apud Tacitum 4. Hiſt. 14. Conqueritur,* non ſocietatem ut olim, ſed tanquam mancipia haberi: tradi ſe præfectis centurionibusque. *it. cap. 7.* Simul, ſecretis ſermonibus, admonebat malorum, quæ tot annis perpeſſi, miſeram ſervitutem falsò pacem vocarent.

MEMBR. III.
DE
IMPERIO IN POPULOS STIPENDIARIOS ET TRIBUTARIOS.

1. Eſt hoc imperium magis herile quàm civile, quando populo imponuntur tributa. *Nam ſunt hi populi velut inſtrumenta quædam præbentia ea quibus imperans populus utitur ad bella gerenda.*

2. Hoc autem imperium duobus modis fit juſtum. 1. quando ſub hoc continentur; qui nullâ virtute inſtructi exiſtunt ignavi & ad gerenda bella inepti, & propterea in ditionem aliorûm ſeſe dedunt. 2. quando vitioſis in pœnā id injungitur. Sunt verò paulò liberiores habendi qui nullo delicto ſuo ſed ex pacto magis ſtipendia ſolvunt reſervatâ libertate. *Nam interdū imbecillitas virium reddit civitates ignavas, ut ineptæ fiant ad res agendas. Tali ſub Romanis imperio olim fuiſſe Judæos teſtatur Chryſoſtomus; quando dicit, Judæos, ex quo retrò ferri res eorum cœperunt, Romano attributos imperio, neque in plenâ, ut ante, fuiſſe libertate; neq; tamen ut poſtea, omninò ſervos; ſed ſociorum nomine honoratos regibus ſuis tributa pendiſſe & ab iis præfectos accepiſſe: in plerisq; verò ſuis uſos fuiſſe legibus, ita ut & populārium delinquentes, ipſi punirent ſecundum mores patrios. Hinc Judæi reſponderunt Pilato Johann. 19. v. 7.* Nos legem habemus, & ſecundum legem noſtram debet mori, quia filium Dei ſe fecit. *Nam ne alienis legibus Judæi ſe ſubji-*

ſubjicerent religio cauſſabatur. Reperiuntur autem qui ſeſe in ſervitutem perfectam dant, & hos juſtè ſervire non eſt dubitandum: in voluntariâ enim ſervitute vivunt. Tales ſunt qui ſe cernentes devictos nec ullâ aliâ ratione ſalvos ſeſe dedunt. Ita Plautus:

Deduntq; ſe divina humanaque omnia, urbem & liberos
In ditionem atque in arbitratum cuncti Thebano poplo.

Formula dedendi apud Romanos talis fuit. Deditisne vos populum Collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utenſilia, divina humanaq; omnia in meam populique Romani ditionem? Dedimus. Et ego recipio. Liv. lib. *9. ita refert*: Teates Apuli impetraverunt ut fœdus daretur, neque ut æquo tamen fœdere, ſed ut in ditione populi Romani eſſent. *idem l. 6. c. 2.* Romanis mos vetuſtus erat, cùm quo nec fœdere nec æquis legibus jungerentur amicitiâ, non prius imperio in eum tanquam pacatum uti, quam omnia divina humanaque dedidiſſet, obſides accepti, arma adempta, præſidia urbibus impoſita forent. *Civitas autem beata nullos in talem ditionem recipit, niſi videat eos planè ignavos & nullâ virtute inſtructos. Nam virtute & prudentiâ pollentes iniquo morte uſos ita ſubjicere ſervituti injuſtum eſt, imperiumq; in hos magno cum periculo conjunctum diuturnum non exiſtit.*

3. Poteſt quidem Civitas beata populos vitioſos pœnæ nomine in ſervitutem redigere: ſed hoc ſatis tutum non eſt. *Nam beatæ Civitati competit jus puniendi eos populos à quibus nec ſibi nec amicis ſuit ſecuris eſſe licet: amicorum enim injurias ulciſci tantò juſtius eſt quò laudabilius eſt aliorum quàm ſuas injurias vindicare. Et ob hoc tantis laudibus à veteribus celebratus Hercules fuit, quod tranſierit tot terras non concupiſcendo ſed vindicando, injuſtos puniendo; refert enim de eodem Diodorus Siculus, quòd homines injuſtos & reges inſolentes tollendo beatas reddiderit civitates. Eandẽ ob cauſſam laudatur Theſeus, ultor ſcelerum, qui quicquid ubique monſtri aut ſceleris fuit, virtute animi ac robore dextræ comminuit; teſtante hoc de eodem Valerio Max. l. 5. c. 3. Quidni ergò ei populo, qui ſuis delictis meruit amiſſionem libertatis, ea juſtè auferetur? At multos ita populos præter neceſſitatem ſervos conſtituere imminuit civitatis felicitatem. Nihil enim glorioſum facit, qui ſervis imperat, eosq; ſub imperio continet.*

4. *Ex hiſce conſtat quale & quam varium ſit civitatis beatæ in alios populos imperium, quæ item ſit optima Reſpublica. Quamvis autem multa quæ faciunt ad introducendam optimam Rempubl. cumprimis quæ educationem civium concernunt tradere hic poſſim: quia tamen hoc excedit modum Elementorũ, & præterea nonnulla de hac re diſſerenda erunt,*

 quan-

quando infrà de Chriſtianorum Republ. quæ perfectiſſima & omnium optima eſt, differendum erit. Interim quæ hactenus de optimâ civitate ejusq; imperio in alios populos dicta ſunt ſufficere poſſunt.

LIB. II.

DE FORMIS AB OPTIMA REPUBL. RECEDENTIBUS.

1. *Hactenus conſideravimus optimam Rempubl. quæ in Juſtitiâ diſtributivâ fundata civitates felices beatasq; reddit. Hanc, mirum dictu! deprædicant pleriq; hodiè, & proh pudor! Chriſtiani qui audire volunt, impoſſibilem ſomniumq; Ariſtotelis: cùm tamen, quod inferius tradetur, Chriſtianorum ſit longè perfectiorem adhibere formam. Quæ cauſſa hujus rei ſit, primum omnium inquirendum erit.*

CAP. I.

DE CAUSSIS OB QUAS CIVITATES COMMUNITER ABEUNT AB OPTIMA REPUBL.

1. Duæ ſunt cauſſæ facientes, ut homines optimam Rempubl. ex quâ omnes beati eſſe poſſent, introducere non poſſint. 1. defectus virtutum. 2. carentia inſtrumentorum, quibus opus eſt ad acquirendas & exercendas virtutes. *Nam beatitudo & felicitas civitatum in quâ tanquam fine fundata eſt Juſtitia diſtributiva, ordinans ac diſponens ſingulas civitatis partes, & hac ſuâ ordinatione introducens optimam Rempublicam in operatione ſecundum virtutes conſiſtit: ut præced. libr. demonſtratum eſt. Nulla autem hæc operatio ſine virtutibus eſſe poteſt, difficilis quoque fit ſi deficiant inſtrumenta. Quapropter & virtutem & inſtrumentorum ad operandum neceſſariorum defectus facit ut optima Respubl. inter homines non vigeat.*

MEMBR. I.

DE DEFECTU VIRTUTUM IMPEDIENTE OPTIMAM REMPUBLICAM.

1. *Demonſtravit Ariſtoteles l. 6. Ethic. cap. ult. Nullam virtutem moralem ſine prudentiâ nec prudentiam deficiente vel unicâ virtute morali conſiſtere poſſe, & inde fieri, quòd nemo poſſit unam virtutem moralem perfectam habere niſi quoque cæteræ virtutes adſint. v. g. fortem neminem eſſe niſi & ſit temperans, & liberalis: ſi enim naturali fortitudine inſtru-*

ſtructus ſit luxurioſus vel avarus, militabit voluptatum vel pecuniæ & divitiarum parandarum gratiâ: at talis fortis non eſt, ſed potius audaculus dicendus: nemo enim fortis eſt, niſi honeſtatis cauſsâ periculis ſeſe ſubjiciat. Et nos tradidimus part. 2. lib. 2. ſi unicum adſit vitium, ſemper illud trahere ſecum alia & efficere, quò reliquæ virtutes exerceri haud poſſint.

2. Ex præmiſsis diſcimus, duo eſſe genera cauſſarum optimam Rempubl. impedientium in civitatibus. *Nam duo ſunt defectus parientis aberrationem à beatâ vitâ, prudentiæ ſcil. & virtutum moralium. Videtur carentiam prudentiæ defectus doctrinæ; virtutum moralium neglectus adſuefactionis & educationis parere. De quibus in ſeqq. dicturi ſumus.*

ARTIC. I.
DE
NEGLECTU DOCTRINÆ GIGNENTE ABERRATIONEM AB OPTIMA REPUBL.

1. Prudentia hominem beatum reddit, quatenus eum præparat, ut ſcopum & finem actionum ſuarum convenientem appetat, & actiones ad finem propoſitum pertinentes & conferentes eligat. *Nam part. 2. lib. 1. demonſtravimus, munus prudentiæ conſiſtere in duobus. 1. In fine debito & reverà bono appetendo. 2. in reperiendis per bonam conſultationem mediis ad optimum finem ducentibus. Quorùm uno deficiente neceſſe eſt hominem miſerum & infelicem reddi. Quemadmodum enim in artibus, ſi vel in fine vel in mediis erretur, naſci opus vitioſum: ita & circa vitam hominis contingit. Nam ſi medicus ignoret aut finem, ſanitatem nim. quid ſit, aut media quibus hæc, in quibus ſanitas poſita eſt, efficiuntur, aberrabit in opere nec hominem valetudini reſtituet, ſed morti tradet.*

2. Gignuntur ergò Reſpubl. variæ ab optimâ aberrantes primò ob hoc, quòd homines diverſa bona appetant; alii divitias, alii honorem & gloriam nominisque ſui famam, alii libertatem, alii otium & voluptates corporis. *Nam demonſtravimus c. 3. lib. 1. h. part. eundem eſſe finem civitatis qui ſingulorum hominum, & quemlibet civem æſtimare civitatem ex eo beatam, ex quo ſeipſum beatum & felicem judicat. Quòd ergò vel tota ſocietas civilis vel maxima civium pars pro ſuo ſummo bono habet, in eo quoque poſitus eſt ipſius civitatis finis. Quapropter quâ in civitate maxima pars civium appetit gloriam & famam, finis civitatis eſt imperium in alios populos; in qua plerique cives ducuntur lucri cupiditate, in eâ divitiæ pro felicitate civitatis reputantur,*

3. Secundò diverſas formas civitatum gignit diverſitas mediorum

diorum quibus ad finem propoſitum tenditur. *Nam ad eundem finem per diverſa media & diverſo modo ſæpenumero itur. Ponamus civitatis finem divitias: qualia ſunt ingenia hominum, talia quoq; erunt media ad divitias perveniendi. Si cives ſit animoſi gerent bella cum vicinis, arripientq; rapinas & latrocinia media ditescendi; Si timidiores paulo exiſtant, callidi tamen in circumveniendis hominibus, mercaturam tractabunt &c. Et in ſummâ, quod cuiq; magis poſſibile videtur, hoc præ cæteris eligit; quo utatur ad obtinendum finem ſuum. Eſt autem unicuique poſſibile ad quod producendum aptus natus eſt.*

4. Tertiò cauſſa diverſarum formarum eſt diverſitas opinionum, quas homines habent circa Juſtum. *Nam demonſtravimus part. 2. lib. 1. prudentiam perfici à ſcientiâ, corrumpi autem ab ignorantiâ & opinione malâ. Cùm ergò ordinatio civitatis requirat Juſtum diſtributivum ne querelæ oriantur: diverſæ autem de hoc ſint opiniones hominum, nulla apud quenquam ejusdem ſcientia: neceſſe eſt tam varias eſſe Reſpublicas ab optimâ formâ recedentes, quam variæ ſunt de Juſto diſtributivo opiniones.*

5. Ut uno verbo dicamus neglectus doctrinæ in civitatibus cauſſa eſt, optimæ Republ. locum non eſſe. *Nam ſcientia eorum, quæ reverà bona ſunt, quæque conducunt ad ea paranda, acquiritur doctrinâ. Jam verò ſcientiam parare res difficilis & laborum plena eſt, quam homines fugiunt.*

ARTIC. II.
DE
NEGLECTU EDUCATIONIS ET ADSUEFACTIONIS.

1. Virtutes morales adſuefactione parantur. *Nam homines quidem decet aptos ad virtutes ſuſcipiendas naſci, quò virtuoſi evadant; ſine adſuefactione tamen virtutes morales parare ſibi nequeunt. Quæ enim virtuoſi operantur hæc imitari & crebrò agere debet evaſurus virtuoſus v.g. ſæpè edendo actiones temperantium, fortium, liberalium, fit temperans, fortis, liberalis.*

2. Neceſſe ergò eſt, formas ab optimâ diverſas naſci in civitatibus, in quibus nulla cura educationis & ad virtutem adſuefactionis habetur. *Nam ceſſante adſuefactione homines virtutibus deſtituuntur, his autem deſtituti nullam honeſtam operationem appetunt; ſed tendunt ad aliquod aliud bonum, Nam virtutes nos præparant ad verã beatitudinẽ unicè appetendã. Hoc ergò ipſo, quòd cives virtutes ſibi adſuefactione non parant, Reſpubl. cæteræ à bonâ & rectâ deviant, differuntq;. Hæc rurſus cauſſa eſt, quare nullibi Reſpubl. optima reperiatur: nulla enim civitas debitam*

debitam virtutum curam habet. ſed ſi qua educationi liberorum impenditur diligentia, in hunc finem fit, ut eam ſibi eruditionem parent, ex qua honeſtè ſeſe alere poſſint patrocinium litigantibus præbendo, vel artem medicam exercendo. Quia verò ratione rerum agendarum homines ſibi relicti quærunt voluptates corporis, otium, ignaviam, & hæc ſæpè agendo intemperantes otio & luxui dediti, ignaviq; redduntur; (Nam quemadmodum ſæpè bona agendo boni, ita ſæpè mala agendo mali redduntur. Quales enim ſunt munerum functiones, tales in unoquoq; gignuntur habitus) fit, ut nulla civitas propemodum reperiatur verè beata.

MEMBR. II.

DE DEFECTU INSTRUMENTORUM AD BENE BEATEQ; VIVENDUM ET VIRTUOSE AGENDUM NECESSARIORUM.

1. Beatitudo civilis præſupponit inſtrumenta, quibus opus eſt ad virtutes morales exercendas. *Quomodo enim liberalitatem magnificentiamq; exercebit, qui omni deſtitutus pecuniâ laboribus corporis eam parare ſibi tenetur? quomodo temperanter vivet, qui præter panem & aquam nihil habet? nihil præclari habet temperantia, ſi famem & ſitim æquo fers animo. Quomodo juſtitiæ particularis ſpecimina edet qui nihil habet, de quo cum altero contrahat?*

2. Quin requirit beatitudo talem bonorum externorum copiam, quò domeſtica opera aliis curanda committere & otium tractandis virtuoſis actionibus quis habere poſſit. *Nam qui ipſe agrum colere, pecora paſcere & opera ruſtica vel etiam mechanica facere tenetur; quo ſibi paret neceſſaria ad vitam, parum aut nihil temporis habet quod præclaris & virtuoſis actionibus impendat. Requirit autem cultus virtutum otium ab omnibus ſervilibus laboribus.*

3. Ex his patet, defectum inſtrumentorum vitæ, agrorum nim. & pecorum, ſervorumque qui horum curam habeant quique artes mechanicas tractent, facere, ut civitates beatæ non exiſtant nec optimam Rempubl. admittant. *Nam ſi his deſtituantur cives; neglecto virtutum cultu varia vitæ genera ſubire coguntur, tractando artes vel liberaliores velut medicinam, geodeſiam, graphicam, pictoriam &c. vel ſordidiores ſartoriam, ſutoriam, piſtoriam &c. it. colendo agros, hortos, vineas; it. piſcando, aucupando, venando, item mercaturam, cauponariam &c. tractando, quò ſe ſuosque alere poſſint. Et hinc gignuntur formæ civitatum ab optimâ planè alienæ.*

4. Quin defectus inſtrumentorum, quæ ad beatam vitam vivendam requiruntur facit, ut pleræque civitates non ſui juris eſſe

 poſſint,

poſsint, ſed alterius imperio ſe ſubjicere cogantur. *Nam destituti pecuniâ, quâ arma & quæ neceſſaria ad bella ſunt parare poſſint, detentiq; in variis artificiis & agriculturâ, ut artis militaris peritiam acquirere nequeant, vicinis potiſſimùm barbaris potentibus; volentes nolentes alieno imperio, quò ſecure vivant, ſe ſubjicere tenentur. Et hinc fit, quòd hodiè raræ civitates reperiantur. Municipia enim fiunt & imperiis ſe ſubjiciunt civitates quæ virtutibus & facultatibus ſemetipſas defendendi destituuntur.*

CAP. II.

DE VITIOSIS FORMIS.

1. Communiter tres formæ ſeu ſtatus civitatum eſſe traduntur, nim. ſtatus monarchicus, oligarchicus & democraticus. *Ita Tacitus 4. annal. 33. cunctas nationes & urbes populus, aut primores aut ſinguli regunt.* Tres autem iſtas rurſus ſubdividunt in vitioſas & bonas ſeu rectas. Nos non ab accidentibus & numero hominum imperantium ſed ex ipsâ naturâ procedentes & ſingula penitius inſpicientes demonſtravimus hactenus dari optimam aliquam Rempubl. eamque modò regiam modò ariſtocraticam eſſe; politicam in quâ omnes viciſsim imperent dari nullam. Nunc ergò in vitioſas formas, tyrannidem ſcil. oligarchiam & democratiam; quales ſint & quænam in ſingulis ordinationis ratio, inquirendum venit.

2. Videntur autem fundamenta vitioſarum formarum non inde petenda, quod aut omnes viciſsim, vel maximam partem civium aut paucos aut unum imperare contingat. *Nam ejusmodi accidentale in numero poſitum eſſentiam imperandi non variat nec ordinationis rationem & cauſſam oſtendit. Ponamus namq; maximam partem civitatis divitias obtinere & hanc imperare; qualis hæc erit dicenda Reſpublica? non profectò oligarchica, ſi eam libuerit ita nominare, in quâ pauci imperant. Contrà, ſi contingat pauperes paucos fortaſſe bello adſuetos & ad labores perferendos magis idoneos dominatum arripuiſſe in divites quamplurimos, an hæc oligarchia erit nominanda? Sanè ſi ita philoſophari velis & ab accidentibus ſpecies petere, nunquam quicquam ſolidi de formis docere poteris, ſed quod de oligarchiis dictum continget circa democratias; & quod circa democratias, continget circa oligarchias. Quod ſi dicas, manere nihilominus poſſe fundamentum dividendi, quòd aut unus aut pauci aut pleriq; vel omnes in civitate imperent, modò addatur paucis quòd divites ſint, multis quòd pauperes, ut adeò Oligarchia ſit, in quâ pauci divites & Democratia, in quâ multi aut omnes iiq; pauperes imperant. Ve-*

rum

rum quorſum erit referenda hæc forma, ſi pauci pauperes multis divitibus & multi divites paucis pauperibus imperent?

3. Oligarchiam & Democratiam divitiæ & paupertas diſtingunt. *Nam neceſſe eſt omnes qui imperio præſunt aut ex virtute imperare aut non: Virtuoſis juſtè debetur imperium, & conſtituunt aut optimam Rempubl. aut talem, quæ pro vitioſâ habenda non eſt. Quando nulla virtutis in civitate habetur ratio, vulgus imperat & hoc conſtat ex divitibus & pauperibus. Aliud enim nihil supereſt, quo ipſo vulgus ſecundam ſuam eſſentiam dividas in ſpecies. Ex quibus patet, nomen oligarchiæ ab accidenti petitum formæ, in quâ divites imperant, applicatum eſſe: contingit enim plerumq; in civitatibus divites eſſe paucos, pauperes quamplurimos: ut adeò non à multitudine & paucitate imperantium, ſed à divitiis & paupertate diviſionis ratio in vitioſis Rebuſpubl. petenda videatur; dicendaq; ſit oligarchia in quâ divites pauperibus, etiamſi hos numero superent, imperant. Hoc docuit & contra ſui temporis Philoſophos probè inculcavit Ariſtoteles lib. 3. de Repabl. c. 8.*

4. At quid de tyrannide dicturi ſumus? *tyrannus enim imperat & divitibus & pauperibus. Ducit nos ad fundamenta tyrannidis reperienda Tacitus eleganti ſuo diſcurſu, quem habet lib. 2. Hiſt. cap. 38. quando ait:* Vetus ac jam pridem inſita mortalibus potentiæ cupido, cum imperii *Romani* magnitudine adolevit erupitque. Nam rebus modicis æqualitas facilè habebatur, *vigebatq; ſtatus quidam politicus, quando ex virtute bellicâ viciſſim imperabant, quam virtutem unà cum modeſtiâ excolere ducti neceſſitate cogebantur, plurimis circumquaque potentibus vicinis cum quibus bella gerebant, nondum ſatis opibus muniti.* Sed ubi ſubacto orbe, & æmulis urbibus regibusque excisis, ſecuras opes concupiſcere vacuum fuit; *& ſine externorum metu potentiam quærere*: prima inter patres plebemque certamina exarsêre. Modò turbulenti tribuni, modò Conſules prævalidi, & in urbe ac foro tentamenta *ſeu præludia* civilium bellorum. Mox è plebe infimâ Cajus Marius, & nobilium ſævisſimus L. Sulla victam armis libertatem in dominationem verterunt, *manifeſtamq; ſuppreſſâ Republ. tyrannidem exercuerunt.* Poſt quos Cn. Pompejus occultior, non melior. *Simulabat enim defenſionem libertatis, auctoritatis item Senatus & optimatum, ſed in animo imperium in omnes volvebat.* Et nunquam poſtea, niſi de principatu quæſitum. *Ex quo diſcurſu addiſcimus tyrannidem gigni, ſi in numero hominum, qui à virtute alieni ſunt, quos vulgi nomine comprehendimus, reperiantur ducti libidine heriliter in omnes imperandi. Hi namq; plures numero exiſtentes nunquam bellando deſiſtent, donec unus aliquis ſuperſit,* qui cuncta diſcordiis civilibus feſſa, ſub

ſa, ſub imperium accipiat. 1. *annot.* 1. *pauperibus non modo ſed & divitibus heriliter imperet. Nam homines ejuſmodi imperii cupidi nec parem nec ſuperiorem ferre poſſunt. Ex hiſce fundamenta ſingularum formarum & jura, quæ imperantes in ſingulis formis prætendunt, addiſcere poſſumus. Quò ergo formæ vitioſæ cum optima Republ. comparatæ eò melius ſuam eſſentiam conſpiciendam exhibeant; methodum, quâ circa optimam Rempubl. uſi ſumus, obſervantes, dicturi ſumus 1. de Jure diſtributivo, quod in vitioſis formis prætenditur. 2. De Jure quo in vitioſis formis utuntur. 3. De concomitantibus reſpubl. vitioſas.*

MEMBR. I.

DE

JURE DISTRIBUTIVO FALSO QUOD IN VITIOSIS FORMIS PRÆTENDITUR, ET CUI INNITUNTUR.

1. Vitioſæ formæ nihil Juris habent: *unicum enim illudque verum Jus diſtributivum eſt, quod obſervat optima Reſpubl. Cætera omnia ab hoc Jure abeunt.*

2. Nulla tamen etiam vitioſiſſima forma eſt, quæ non Jus aliquod prætendat. *Nam quemadmodum aurum dici nequit, niſi quod ſpeciem aliquam externam, ad minimum ratione coloris habeat; ita nec Reſpubl. vel ordinatio civium, niſi cum inſit ratio aliqua diſtribuendi honores. Quapropter omnes formæ, licet ſint vitioſiſſimæ, aliquam ſpeciem Juris diſtributivi præ ſe ferunt: ut adeo non immeritò nunc de illo Jure putativo agamus, in quo ſingulæ vitioſæ formæ fundatæ ſunt.*

ARTIC. I.

DE

JURE DISTRIBUTIVO PUTATIVO ET FICTITIO IN QVO STATUS TYRANNICUS FUNDATUS EST.

1. Fundamentum Juris diſtributivi quo utuntur tyranni, prætendentes ſe non injuſtè imperare conſiſtit in hoc argumento:

Quicquid reddit beatum non eſt negligendum ſed ab unoquoque omnibus modis appetendum.

Imperare cunctis reddit beatum.

Ergò ab unoquoque omnibus modis appetendum eſt.

Majorem probant; quia ſtolidus dicendus, qui quæ ad ſuam beatitudinem faciunt negligit nec omni adhibitâ diligentiâ perſequitur. Beatitudo namque hominum eſt ſcopus ille ad quem collimare & omnes ſuas actiones dirigere tenentur. Minor per ſe videtur manifeſta: quæ enim major beatitudo in humanâ vitâ excogitari poteſt, quàm toti orbi præeſſe & ab omnibus

bus ut deum quendam terreſtrem coli? ſanè talis homo ad Deum, quem omnia colunt, accedere videtur. Quidni ergò vel ipſum jus, ipſa pietas, fidesque violanda, modò imperare in alios poſſis? Exemplum eſt in Julio Cæſare, qui fertur ſemper in ore habuiſſe verſus Euripidis, quos latinè ita expreſſit:

Nam ſi violandum eſt Jus regnandi gratiâ
Violandum eſt, aliis rebus pietatem colas.

Sint alii, qui itidem imperium affectant, removendi è medio erunt, nec quieſcendum, donec funditus deleti ſint. Nam natura cuilibet homini hoc indidit, ut quisq; ſeipſum quam maximè amet & ſuam beatitudinem quærat deſtructis omnibus qui eam evertere conantur.

2. Jus ergò diſtributivum, juxta quod procedentes tyranni ſibi in omnes arrogant imperiũ, introducit falſa opinio & perverſa φιλαυτία ſeu malus amor ſui. *Nam ſophiſtica quædam argumentatio eſt, quam præced. num. enarravimus, gignens falſam opinionem. Nim. latet. 1. æquivocatio in beatitudinis voce: eſt enim alia beatitudo vera alia fictitia & putativa. Vera beatitudo conſiſtit in operatione ſecundum virtutes intellectuales & morales; & hanc in infinitum appetentes non peccamus, quin potius eximiâ gloriâ digni reddimur; & quò magis id facimus, eò magis ad Deum accedere, philoſophicè loquendo, videmur. Hic enim quoq; ex ſe operatur quod optimum eſt. At beatitudo putativa conſiſtens in divitiis, honoribus & voluptatibus corporis, ſi in infinitum appetatur, ſummè infelices homines reddit. Nam hæc bona ſub modo quodam ſunt expetenda; divitiæ, quatenus præbent uſum in vitâ beatâ; honores quatenus ſufficiunt ad teſtimonium virtutum, quibus quis ornatus eſt; voluptates corporis, quatenus conſervationi ſpeciei & individui inſerviunt. Quòd ſi appetendo hæc bona in infinitum progrediaris, non beatus ſed miſerrimus evades. 2. latet quoque æquivocatio in voce Imperare. Nam imperium aliud eſt civile aliud herile: imperium civile reddit beatum; quia conſiſtit in exercitio virtutum moralium conciliatq; cum parentibus ſummam amicitiam, qui hoc imperio perficiuntur; & ad imperandum itidem adſueſiunt. At herile imperium nihil ſplendidum vel glorioſum habet: quæ enim ſervum facere decet hoc imperium herile tenentem præcipere oportet. Et quemadmodum mulio non felicior & beatior deprædicandus eſt, quòd agat mulos plures quàm cæteri: ita nec qui ſervis imperat ex multitudine eorum, in quos imperium exercet præ cæteris felix deprædicandus eſt. Falſum eſt ergò imperium herile, quod tyranni appetunt, beatum reddere. Præterea part. præced. demonſtravimus, hunc non eſſe verum amorem ſui, quando quis ſibi divitias, voluptates, externum ſplendorem &c. appetit: ſed hominem, qui hoc facit, ſeſe odiſſe; dum ſibi adinun*

ſa, ſub imperium accipiat. 1. *annot.* 1. *pauperibus, non modo ſed & divitibus heriliter imperet. Nam homines ejusmodi imperii cupidi nec parem nec ſuperiorem ferre poſſunt. Ex hiſce fundamenta ſingularum formarum & jura, quæ imperantes in ſingulis formis prætendunt, addiſcere poſſumus. Quò ergò formæ vitioſæ cum optima Republ. comparatæ eò melius ſuam eſſentiam conſpiciendam exhibeant; methodum, quâ circa optimam Rempubl. uſi ſumus, obſervantes, dicturi ſumus 1. de Jure diſtributivo, quod in vitioſis formis prætenditur. 2. De Jure quo in vitioſis formis utuntur. 3. De concomitantibus reſpubl. vitioſas.*

MEMBR. I.

DE JURE DISTRIBUTIVO FALSO QUOD IN VITIOSIS FORMIS PRÆTENDITUR, ET CUI INNITUNTUR.

1. Vitioſæ formæ nihil Juris habent: *unicum enim illudque verum Jus diſtributivum eſt, quod obſervat optima Reſpubl. Cætera omnia ab hoc Jure abeunt.*

2. Nulla tamen etiam vitioſiſſima forma eſt, quæ non Jus aliquod prætendat. *Nam quemadmodum aurum dici nequit, niſi quod ſpeciem aliquam externam, ad minimum ratione coloris habeat; ita nec Reſpubl. vel ordinatio civium, niſi cui inſit ratio aliqua diſtribuendi honores. Quapropter omnes formæ, licet ſint vitioſiſſimæ, aliquam ſpeciem Juris diſtributivi præ ſe ferunt: ut adeò non immeritò nunc de illo Jure putativo agamus, in quo ſingulæ vitioſæ formæ fundatæ ſunt.*

ARTIC. I.

DE JURE DISTRIBUTIVO PUTATIVO ET FICTITIO IN QVO STATUS TYRANNICUS FUNDATUS EST.

1. Fundamentum Juris diſtributivi quo utuntur tyranni, prætendentes ſe non injuſtè imperare conſiſtit in hoc argumento:

Quicquid reddit beatum non eſt negligendum ſed ab unoquoque omnibus modis appetendum.

Imperare cunctis reddit beatum.

Ergò ab unoquoque omnibus modis appetendum eſt.

Majorem probant; quia ſtolidus dicendus, qui quæ ad ſuam beatitudinem faciunt negligit nec omni adhibitâ diligentiâ perſequitur. Beatitudo namque hominum eſt ſcopus ille ad quem collimare & omnes ſuas actiones dirigere tenentur. Minor per ſe videtur manifeſta: quæ enim major beatitudo in humanâ vitâ excogitari poteſt, quàm toti orbi præeſſe & ab omnibus

bus ut deum quendam terreſtrem coli? ſanè talis homo ad Deum, quem omnia colunt, accedere videtur. Quidni ergò vel ipſum jus, ipſa pietas, fidesque violanda, modò imperare in alios poſſis? Exemplum eſt in Julio Cæſare, qui fertur ſemper in ore habuiſſe verſus Euripidis, quos latinè ita expreſſit:

Nam ſi violandum eſt Jus regnandi gratiâ
Violandum eſt, aliis rebus pietatem colas.

Sint alii, qui itidem imperium affectant, removendi è medio erunt, nec quieſcendum, donec funditus deleti ſint. Nam natura cuilibet homini hoc indidit, ut quisq; ſeipſum quam maximè amet & ſuam beatitudinem quærat deſtructis omnibus qui eam evertere conantur.

2. Jus ergò diſtributivum, juxta quod procedentes tyranni ſibi in omnes arrogant imperiũ, introducit falſa opinio & perverſa φιλαυλία ſeu malus amor ſui. *Nam ſophiſtica quædam argumentatio eſt, quam preced. num. enarravimus, gignens falſam opinionem. Nim. latet. 1. æquivocatio in beatitudinis voce: eſt enim alia beatitudo vera alia fictitia & putativa. Vera beatitudo conſiſtit in operatione ſecundum virtutes intellectuales & morales; & hanc in infinitum appetentes non peccamus, quin potius eximiâ gloriâ digni reddimur, & quò magis id facimus, eò magis ad Deum accedere, philoſophicè loquendo, videmur. Hic enim quoq; ex ſe operatur quod optimum eſt. At beatitudo putativa conſiſtens in divitiis, honoribus & voluptatibus corporis, ſi in infinitum appetatur, ſummè infelices homines reddit. Nam hæc bona ſub modo quodam ſunt expetenda; divitiæ, quatenus præbent uſum in vitâ beatâ; honores quatenus ſufficiunt ad teſtimonium virtutum, quibus quis ornatus eſt; voluptates corporis, quatenus conſervationi ſpeciei & individui inſerviunt. Quòd ſi appetendo hæc bona in infinitum progrediaris, non beatus ſed miſerrimus evades. 2. latet quoque æquivocatio in voce Imperare. Nam imperium aliud eſt civile aliud herile: imperium civile reddit beatum; quia conſiſtit in exercitio virtutum moralium conciliatq; cum parentibus ſummam amicitiam, qui hoc imperio perficiuntur, & ad imperandum itidem adſueſiunt. At herile imperium nihil ſplendidum vel glorioſum habet: quæ enim ſervum facere decet hoc imperium herile tenentem præcipere oportet. Et quemadmodum mulio non felicior & beatior deprædicandus eſt, quòd agat mulos plures quàm cæteri: ita nec qui ſervis imperat ex multitudine eorum, in quos imperium exercet præ cæteris felix deprædicandus eſt. Falſum eſt ergò imperium herile, quod tyranni appetunt, beatum reddere. Præterea part. præced. demonſtravimus, hunc non eſſe verum amorem ſui, quando quis ſibi divitias, voluptates, externum ſplendorem &c. appetit: ſed hominem, qui hoc facit, ſeſe odiſſe; dum ſibi odium*

apud omnes & ſuum tandem exitium hoc amore comparat. Indidit ergo cuilibet natura amorem ſui; ſed ſtolidi homines hoc amore ad ſui perniciem abutuntur.

3. Jus ergò diſtributivum, in quo tyranni ſuum ſtatum fundatum habent, ſummè injuſtum eſt, & ex inordinato amore ſui profectum. *Nam in alios ſtatuere quod quis in ſe ſummè injuſtum reputat maximè injuſtum eſt. At nullus tyrannus cuiquam parére vult, putatque ſummè injuſtum ſi quiſquam ipſi velit imperare, ipſe tamen in reliquos omnes tanquam ſervos imperare cupit. Quod ergò in ſe ſummè injuſtum reputat, hoc in alios ſtatuere nititur. Quare ſummè injuſtum eſt Jus quod prætendit, & ex inordinatâ Φιλαυτίᾳ natum.*

ARTIC. II.

DE JURE PUTATIVO IN QVO FUNDATA EST OLIGARCHIA.

1. Jus diſtributivum, quo utuntur oligarchici fundatum eſt in hac ratiocinatione.

Inæqualibus debentur inæqualia, ſuperiori plus, inferiori minus.

Atqui divites & pauperes ſunt inæquales & divites ſuperiores.

Ergò divitibus plus debetur; & per conſequens Imperium in pauperes: Nam ſi pauperibus itidem concederetur imperium, inæqualibus æqualia tribuerentur.

Videtur autem hoc argumentum valdè plauſibile; quia major eſt ipſum Juſtitiæ diſtributivæ fundamentum: ſuperiùs enim part. 1. ſcil. docuimus, omnes querelas circa diſtributiones factas inde naſci, ſi æqualibus inæqualia & inæqualibus æqualia tributa ſint.

2. Sed hoc Jus rurſus mala opinio parit nata ex perverſâ Φιλαυτίᾳ ſeu cœco amore ſui ipſius. *Nam primò Major non ſimpliciter vera eſt: neque enim ex quâque re inæqualibus debentur in quâlibet ſocietate inæqualia; v. g. ſi mercatores inierunt ſocietatem, non debetur ei qui longioris ſtaturæ eſt plus lucri, ſed ei qui plus pecuniæ contulit pro lucro, in quo finis ſocietatis mercatoriæ conſiſtit, conſequendo. Cum enim perſonæ æſtimentur ex eo, quod unaquæq; ad finem ſocietatis conſequendum contulit; ita facienda erit major propoſitio: Ei qui plus confert ad finem ſocietatis civilis obtinendum plus debetur, & quidem ſecundum proportionem, pro quâ contulit. Jam verò divites quà divites non plus conferunt, ad finem ſocietatis civilis quàm pauperes. Licet enim inſtructi ſint inſtrumentis, quibus qui beati ſunt utuntur ad benè operandum: nihil tamen hoc ipſis prodeſt, ſi uſum ignorent. uti enim pro optimo muſico non habendus eſt*

qui

qui optimam cytharum habet, ſed qui optimè cantat: ita nec optimus civis eſt, qui inſtructus eſt multis divitiis, ſed qui iisdem optimè utitur. Secundò inconveniens etiam diſtributio eſt, ſi ratione divitiarum adſignentur dignitates & honores. Nam dignitas & imperium eſt quaſi inſtrumentum quoddam parandi gloriam & famam nominis. Quemadmodum ergò muſico non optimè veſtito optima tribuenda tibia, ſed ei qui hac præ cæteris uti poteſt: ita & non ditisſimo ſed virtuoſisſimo tribuenda maxima dignitas, qui hac ad ſuam gloriam poteſt uti. Ex his ergò patet divites non niſi ſtolidè imperium in pauperes arrogare, quo tamen uti ad ſuam gloriam non poſſunt. Sed amor ſui occœcat eosdem, ut melius de ſe judicent, quam debebant.

ARTIC. III.

DE JURE PUTATIVO IN QVO FUNDATA EST DEMOCRATIA.

1. Democraticorum hoc eſt fundamentum quo utuntur pro Jure ſuo defendendo:

Æqualibus æqualia debentur.

Pauperes divitibus & cæteris ſunt æquales; quia æquè liberi ſunt.

Ergò & pauperibus æquales dignitates, imperiumque æquè ac divitibus debentur.

Argumentum hoc magis apodicticè profert Agrippa Orat. ad Auguſt. Par naſcendi conditio parem quoq; diſtributionem deſiderat, quam ſi conſequitur gaudet, ſin minus dolorem capit.

In omnibus autem par naſcendi conditio eſt; quia omnes liberi naſcuntur. E.

Hæc ratio rurſus petita eſt ab eo unde deducitur Jus diſtributivum, nim. æqualibus æqualia deberi. Et ſanè ſi pauperes aliorum imperio ſemper ſubjiciuntur, libertas eorum minus videtur: quia perpetuò parére ſervile videtur. Quapropter cum æquè liberi ac divites ſint, videtur iisdem tribuenda poteſtas vicisſim cum divitibus imperandi. Quo tamen facto imperium in hos tanquam numero plures pervenit.

2. Sed rurſus decipiunt & decipiuntur, idque quod reverà injuſtum eſt ponunt juſtum & fundamentum ſuæ formæ. *Nam non qualibet æqualitas facit æqualia attribuenda eſſe, ſed ea quæ gignuntur æſtimatione perſonarum petitâ ab eo, quod conferant ad finem ſocietatis obtinendum.*

MEMBR. II.

DE JURE QVO UTUNTUR FORMÆ VITIOSÆ.

1. Jus

1. Jus quo utuntur formæ vitioſæ eſt voluntas hominum vitioſorum imperantium imponens ſubditis neceſsitatem operandi. *Nam in tyrannide voluntas tyranni; in oligarchiâ voluntas divitum; in democratiâ pauperum neceſsitatem operandi civibus imponit (imperare enim eſt principium motûs parentibus exiſtere: hoc autem nihil aliud eſt, quam vim addere, ut fiat quod volumus) cùm enim in democratiâ omnes æquales reputentur; neceſſe eſt pauperes velut numero ſuperantes divitibus imperare. Diſcenda ergo qualibet in formâ vitioſâ imperantium voluntas, ſi in eâ ſalvus eſſe velis. Elegans eſt textus Taciti 4. annal. 33. huc faciens:* Igitur, *inquit,* ut olim plebe validâ, *cùm ſtatus eſſet democraticus,* vel cû patres pollerent, *ſtatu exiſtente oligarchico,* noſcenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur; Senatûsque & optimatum ingenia qui maximè perdidicerunt, callidi temporum & ſapientes credebantur: ſic converſo ſtatu, neque aliâ rerum, quàm ſi unus imperitet, hæc *quæ ſcribo* conquiri tradique in rem fuerit. *Ex quo textu diſcimus in quâlibet formâ vitioſâ voluntatem imperantium pro Jure haberi quo regitur civitas.*

2. Vivendum itaque eſt moribus imperantium in vitioſis formis. *Nam quales cuique ſunt mores, talis quoque ſingulorum eſt voluntas: virtutes voluntatem rectam vitia corruptam reddunt. Qualiter enim morati ſumus, taliter intellectus practicus judicat, & talis quoque noſtra eſt voluntas. In ſtatu ergò tyrannico mores principis; in oligarchiis divitum; in democratiis pauperum legem ſibi facere debet qui vult ſalvus eſſe.*

3. Eſt autem voluntas imperantium in vitioſis formis corrupta & vitioſa. *Nam deſtituti prudentiâ & virtutibus moralibus judicium intellectûs aut nullum aut corruptum habent: unde ſequitur voluntatem quoque vitioſam & corruptam eſſe: quale enim in quoque eſt intellectûs practici judicium: talis quoque eſt voluntas: quia voluntas eſt appetitio ejus quod judicium intellectûs dictitat.*

4. Fiunt in his formis parentes ſervi imperantium. *Nam parentes voluntate imperantium reguntur. Voluntas autem hominum non virtuoſorum oritur ex inordinato amore ſui, qui, ut part. præced. demonſtravimus, facit, homines aliorum felicitatem in damnis habere, ſibi ſoli conſulere & hoc agere, ut ſui gratiâ omnia fiant. Unde fit, ut ſubditi imperantium gratiâ omnia, nihil ſui cauſsâ operentur; ſintque quaſi inſtrumenta imperantium, quæ hi dirigunt ad ſuum uſum. At alterius gratiâ eſſe & operari, & ab hoc dirigi eſt eſſe ſervum. Subditos ergò in vitioſis formis ſervos eſſe ex hiſce patet. Hiſce præmiſſis de jure ſingularum formarum diſſerere poſſumus.*

ARTIC. I.
DE
JURE QVO REGUNTUR SUBDITI IN OLIGARCHICO STATU.

1. Præcipuum Jus in Oligarchiis eſt accommodare ſe moribus divitum imperantium. *Nam init. huj. membr. n. 2 demonſtratum, imperantium moribus vivendum eſſe in vitioſis formis. In oligarchiis autem divites imperantes ſunt.*

2. Quapropter Jus eſt in oligarchiis, pauperes exhibere divitibus honores tanquam habentibus omnia bona. *Nam demonſtratum eſt lib 8. part. præced. divitum hos eſſe mores, quod exiſtiment, ſe omnia bona habere. Et quia horum moribus vivendum n. 1. huj. artic. docuimus; ſequitur, pauperibus velut Jus quoddam imponi in oligarchiis, ut divitibus exhibeant honores tanquam poſſidentibus omnia bona.*

3. Jus quoque eſt, ut pauperes à divitibus ſe patiantur contemni. *Nam cit lib. 8. p. præc. oſtendimus, hos eſſe divitum mores ut pauperes præ ſe contemnant. Pati ergo ſe contemni, contumeliis verbalibus & realibus affici à divitibus Jus quoddam oligarchicum eſt.*

4. Servitia præſtare colendis agris divitum aliaſque operas ſerviles Jus hujus formæ eſt. *Nam in omnibus vitioſis formis imperantes parentibus utuntur velut inſtrumentis ſuis domeſticis & quatenus inſervire poſſunt: divitibus autem pauperes hiſce commode inſervire poſſunt.*

5. Deterrimum jus eſt, ſi divites utantur pauperibus velut inſtrumentis acquirendi, exigendo ab iiſdem præter labores corporis etiam graviſſima tributa. *Nam pauperes ignominiâ affecti tanquam humilis animi exiſtentes Jus hoc tolerant: at ſi ipſis præterea quicquid habent auferatur vel apertè imponendo tributa vel callidè fœneri dando pecuniam ſub graviſſimis uſuris, & ita miſeris nihil relinquendo, hoc intolerabile eſſe videtur.*

ARTIC. II.
DE
JURE QUO REGUNTUR DEMOCRATIÆ.

1. Quemadmodum in oligarchiis pauperes moribus divitum; ita in democratiis divites moribus pauperum ſe tenentur accommodare.

2. Jus itaque eſt, ut divites patienter ferant, ſibi malitioſè & callidè auferri bona & publicari. *Nam pauperum mores ſunt, magis malitioſè & lucri cauſâ lædere. Quod ipſum porrò perferre ubi pares imperant jus eſt. Inſerviunt ergò divites pauperibus, quemadmodum ſervi qui in hoc comparati ſunt, ut ſuis dominis acquirant.*

ARTIC. III.

DE JURE QVO REGUNTUR SUBDITI IN TYRANNICO STATU.

1. Jus tyrannicum ex Jure oligarchico & democratico eſt compoſitum. *Nam tyrannus & in divites & in pauperes imperat.*

2. Jus ergo tyrannicum eſt divitibus auferre bona, pauperibus durisſimos labores & multa ſervitia imponere. *Hoc enim oligarchicum illud democraticum eſt. Eleganter hoc jus tyrannicum Samuel depingit Iſraelitis 1. Reg. cap. 8. v. 11. & ſeqq. quando ait:* Hoc erit Jus regis, qui imperaturus eſt vobis: filios veſtros tollet & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites & præcurſores quadrigarum ſuarum, & conſtituet ſibi tribunos & centuriones & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum & fabro ſarmorum & curruum ſuorum. Filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias & focarias & panificas. Agros quoq; veſtros & vineas & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis. Sed & ſegetes veſtras & vinearum reditus addecimabit, ut det Eunuchis & famulis ſuis. Servos etiam veſtros & ancillas & juvenes optimos & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit, voſque eritis ei ſervi.

MEMBR. III.

DE CONCOMITANTIBUS RESPUBL. VITIOSAS.

1. Proprium vitioſarum formarum eſt, quòd non ſint diuturnæ & conſtantes, ſed citò diſſolvant ſocietatem civilem. *Nam in quibus civitatibus deſunt Jus & amicitia, eæ non poſſunt diu ſubſiſtere: hæc enim duo ſunt, quibus omnis ſocietas conſervatur. Id autem in omnibus formis vitioſis ita ſe habere, inde patet, quod Jus cùm illud, in quo fundata eſt ordinatio, tùm quoq; alterum in quo poſitum eſt regimen ſint maximè injuſta; quòdq; civitates ita formatæ omnia in ſe contineant principia diſcordiarum & inimicitiarum.*

ARTIC. I.

DE JURE PUTATIVO, IN QVO VITIOSÆ FORMÆ FUNDATÆ SUNT, QVATENUS CIVITATES DISSOLVIT.

1. Cùm aliàs Jus ſua naturâ ſit quiddam conſervans ſocietates humanas; jus diſtributivum, in quo fundatæ ſunt formæ vitioſæ civitates diſſolvit & diſſociat. *Nam demonſtravimus membr. 1. huj. cap. Jus hoc tantùm putativum eſſe, natum ex opinione malâ quam in improbis*

probis hominibus parit inordinatus amor ſui. Non ergo mirum eſt id quod putativum & falſum eſt operari contrarium ejus quod verum Jus operatur i.e. deſtruere & diſſociare civitates, cùm verum Jus eas conſervet & in unitate retineat. At quomodo contingit hoc Jure diſtributivo poſito diſſociatio? Explicandum id nobis nunc erit.

2. Jus diſtributivum, in quo fundatæ ſunt vitioſæ formæ, tunc vim querelas pariendi & diſſolvendi civitates conſequitur, quando cives opinantur, id non verum, ſed falſum jus eſſe. *Nam quamdiu homines injuſtum non ſentiunt non queruntur: at cernentes injuſtum aut putantes ſe cernere, querelas & ſeditiones movent. Quapropter diverſitas opinionum circa Jus diſtributivum facit, ut hoc ipſum diſſenſiones in vitioſis formis pariat. Ob quod viſuri nunc ſumus, quam variæ opiniones circa Jus diſtributivum, in quo ordinatio fundatur oriri poſſint. Ita namq; non modo in vitioſis formis, ſed & in cæteris, quæ ab his abeunt, judicium de motibus & cauſſis horum facere poterimus.*

3. Oriuntur ergò quærelæ & diſſenſiones 1. quando ſentiunt cives æqualitatē & inæqualitatē perſonarū nō ex eo æſtimatā eſſe, ex quo æſtimatio petenda erat. *Nā demonſtravimus membr. 2. h. cap. omnes vitioſas formas æſtimare dignitatem perſonarum ex eo, quod dignitatis fundamentum non eſt. v. g. In democratiis ex libertate æſtimatio petitur, dum putant, omnibus deberi imperium æqualiter, quòd omnes æquè liberi homines nati ſint. In oligarchiis ex divitiis inæqualitas & prærogativa infertur. Si, inquam, ſecum reputent qui parent, imperantium imperium tali fundamento inniti, ſentiunt injuſtum.* Prima ergò cauſſa faciens, ut ob Jus diſtributivum non adhibitum oriantur querelæ & motus, eſt, quòd cives non conveniant in opinione circa principium unde cives æquales vel inæquales æſtimandi ſint.

4. Diſſentiunt ſecundò & querelas movent cives, quando in fundamento dignitatis perſonarum, quidem conveniunt; ſed minus aut plus tributum eſſe opinantur, quàm ſecundum dignitatis proportionem debebat. *v.g. Si tota civitas conveniat in hoc, divitibus deberi prærogativam quandam & proinde in diſtributione munerum habendam eſſe rationem divitiarum; contingit divites exiſtimare, ſibi plus deberi ratione dignitatis quàm diſtribuendo adſignatum eſt, pauperes contrà in eâ opinione eſſe, ac ſi plus tributum ſit divitibus quàm debebatur. Si enim cives putent, proportionem perſonarum & rerum non obſervatam eſſe, injuſtum concipiunt quod factum eſt: & hinc querelæ & motus.*

5. Tertia circa Jus diſtributivum diverſitatis opinionum cauſſa eſt, quando cives & in fundamento æqualitatis & in honoribus civilibus ſecundum gradus dignitatis aſſignandis conveniunt.

ſed perſonæ ineſſe ea, quæ dignitatem tribuunt, negant. *Nam cùm quilibet, ob amorem ſui, de ſeſe plerumque malè judicet, putando ſibi ineſſe quæ non inſunt: contingit, nonnullos ſeſe obtrudere velut dignos honoribus, cùm digni non ſint.*

6. Cùm ergò ratione juſti diſtributivi, quod fundamentum eſt Reipubl. cujusque, motus & ſeditiones pariat diverſitas opinionum 1. circa fundamentum dignitatis perſonarum 2. circa id quod cuique ratione dignitatis eſt aſſignandum ſeu circa proportionem 3. circa perſonas an ipſis inſit dignitas: & hæc quidem in omnibus etiam à vitioſis abeuntibus locum habere poſſit; ea quæ circa fundamentum dignitatis eſt in vitioſis formis potiſſima motuum cauſſa eſt. *Nam pauperes contendunt ſe æquè liberos homines natos ac divites & proinde ſibi æquè ac divitibus deberi imperium: contrà divites contendunt ſe inæquales, & ita perpetua pugna circa ipſum fundamentum eſt. Adeoque in oligarchiâ & democratiâ cives nec circa fundamentum conveniunt. In tyrannide autem planè nullum eſt.*

7. Ex dictis colligimus motus & ſeditiones in vitioſis formis contingere tribus modis. 1. quando Rempubl impugnant & ſtatum ipſum mutatum volunt. 2. quando tentant ſtatum intendere vel remittere. 3. quando ſtatum præſentem approbant eumque nec mutatum nec intenſum aut remiſſum volunt, imperantes tamen deponere & vel alios vel ſeipſos ſurrogare nituntur. *Nam vel in fundamento juris diſtributivi peccatum concipiunt, & dignitatem perſonarum inde petitam, unde peti non debebat; & tunc integrum ſtatum everſum volunt; vel concipiunt non tantum honoris aſſignandum quantum aſſignatum eſt, aut minus tributum quàm debebat tribui; & tentant ſtatum intendere aut remittere. Vel tandem id, ex quo æſtimatur perſonarum proportio imperanti non ineſſe, aut amico ſuo vel ſibi magis aut æquè ineſſe; & tunc præſentem ſtatum in omnibus approbantes vel pro ſe vel pro amicis motus & ſeditiones excitant. Ita Mutianus digniorem imperio judicans Vitellio Veſpaſianum hunc concitat, ut ipſe imperium invadat;* Torpere *inquit*, ultrà & polluendam perdendamque Rempubl. relinquere ſopor & ignaviâ videretur. *2. Hiſtor. 76. & cap 77. in fine ita:* Nec mihi major in tuâ vigilantiâ, parſimoniâ, ſapientiâ fiducia eſt, quàm in Vitellii torpore, inſcitiâ, ſævitiâ. *Mucianus vero ſe ſocium præbebat & miniſtrum Veſpaſiano, quòd doleret, per Cæcinam & Valentem geri à Vitellio imperium, homines tanto honore non dignos, quibusque ipſe dignior ſit. Ita enim ait cit. cap. 77.* Nobis nihil ultra arrogabo, quàm ne poſt Valentem & Cæcinam numeremur.

8. Ut

8. Ut autem perſpicuè doceamus, quomodo ex hoc capite oriantur motus & ſeditiones, dicimus, quando intellectus practicus alicujus ponderat, imperium eorum, qui præſunt, non in vero Jure diſtributivo fundatum eſſe, gigni affectum, qui vocatur ſtomachatio, non patientem quieſcere eum, donec injuſtum quod eſt, remotum & ſublatum ſit. *Eſt enim ſtomachatio, ut eam part. 1. definivimus, affectus cum moleſtiâ conjunctus natus ex bono, quo gaudet, quem eo indignum putamus. Et quia homines moleſtiam omnem fugiunt; hæc autem, cum quâ hic affectus conjunctus eſt, deponi nequeat, niſi injuſto ſublato: allic iuntur qui perpendunt, in injuſto fundatum imperium, ut omnem operam adhibeant, quò imperium tollatur. Quamdiu enim hoc durat, moleſtiam ſentiunt.*

9. Stomachatio autem magis ac aliàs gignitur, quando imperantes imperium recens conſecuti ſunt *v. g. ſi in oligarchiâ pauperes ſubitò divites redditi imperium ſint adepti. Nam quò quis magis aliena quàm ſua occupare putatur, eo faciliùs de eo concipitur opinio, quod injuſtè ea habeat: videntur autem aliena quæ nova ſunt: duplici itaq; modo injuſtus videtur per novas divitias imperium acquirens 1. quòd divitiæ ipſius hôc non mereantur. 2. quòd ipſe indignè has poſſideat. Pone ei qui formoſam habet uxorem conferri imperium, & eſſe quendam deformem ducentem uxorem formoſiſſimam; plus hic ergà ſe ſtomachationis excitabit, quàm ſi & ipſe formóſus eſſet. Elegans eſt exemplum apud Tacitum 2. Hiſt. 20. de uxore Cæcinæ Salomnâ: de quâ Tacitus ita:* Salomnam quanquam in nullius injuriam inſigni equo oſtroq; veheretur, tanquam læſi gravabantur: inſita mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introſpicere, modumque fortunæ à nullis magis exigere, quàm quos in æquo vidêre.

ARTIC. II.
DE
JURE IN QVO REGIMEN VITIOSARUM FORMARUM CONSISTIT QVATENUS CAUSSA EST OMNIS INFELICITATIS.

1. *Sequitur, ut conſideremus; quomodo Jus, quo reguntur vitioſæ formæ, cauſa miſeriæ & omnis infelicitatis humanæ exiſtat.* Eſt autem cauſſa omnis miſeriæ, quam vitioſæ formæ patiuntur ex Jure quo reguntur, duplex: quarum altera eſt poſita in vitioſitate voluntatis ejus qui imperat, altera in neceſſitate parendi. *Nam definivimus Jus, quo utuntur vitioſæ formæ voluntatem hominum improborum impe-*

rantium imponentem ſubditis neceſſitatem operandi. Ex quibus patet in hiece duobus quærendam cauſſam miſeriæ. Quemadmodum enim optimæ Respubl. ex ſuo Jure ſalva eſt, quæ utitur Jure non ſcripto poſito in voluntate rectâ & quòd ſinguli cives ultrò faciant quæ juſta ſunt: ita vitioſæ formæ ex ſuo Jure quod Juri optimæ Reipubl. contrarium eſt (conſiſtit enim in voluntate corruptâ & neceſſitate parendi) infelices & miſeræ reddi videntur.

2. Neceſſe ergò eſt civitatem, quæ vitioſorum hominum voluntate regitur, miſeram eſſe & multis turbis motibusque obnoxiam. *Quemadmodum enim homo redditur infelix & miſer, in quo principium operandi eſt corruptum i.e. in quo eſt voluntas proveniens à Judicio intellectûs practici vitiis corrupto; ita quoque illam civitatem miſeram neceſſe eſt, in quâ principium motuum & operationum eſt voluntas vitioſa & corrupta. Docuimus enim lib.1. cap.3. membr.1. huj. part. civitatem cenſendam ſimilem homini. Sed & ſepoſitâ hac ſimilitudine, facilè cernere licet, quare tumultus & miſerias ſubditorum inferat hoc Jus; oritur enim ex amore quo ſeipſos homines mali imperantes proſequuntur. Nam oſtendimus part.3. homines improbus ſui amantem definire eum, qui in pecuniâ, honoribus voluptatibus denique corporis ſibiipſi majorem & potiorem partem tribuit; idque obtinere nititur etiam cum pernicie aliorum. In hoc ergò amore ſui poſita eſt voluntas imperantium in vitioſis formis: hæc enim tanquam improbi homines concupiſcunt & in hiece, velut omnium rerum optimis omne ſtudium ſuum collocant. Talis autem amor ſui principium voluntati imperantium, quâ regitur civitas, exiſtens ſubditos, qui ex eodem amore ſui nituntur operari neceſſariò infelices reddit. Nam dum voluntate temperantium reguntur, omne id in quo poſitam habent ſuam felicitatem vident ad imperantes pertingere. Et hinc tumultus & dimicationes ſuboriuntur. Qui enim dum Juri obſequuntur ſeipſos odiſſe videntur, nunquam, ſi poterunt, parebunt, ſed ſeſe quovis modo opponent. At dum in vitioſis formis parent ſubditi pecuniam, honores & voluptates ſibi detrahentes & in eos qui imperant conferentes ſe maximè odiſſe videntur, quia putant ſe facere contrarium ejus quod agunt qui ſe quam maximè amant. Et ita fit, ut nec improbi contenti ſint Jure quo utuntur. Longè autem minus qui virtuoſi ſunt hoc Jure ſalvi eſſe poſſunt: hos enim, cum ſint liberalis ingenii, neceſſe eſt fugere illud Jus, quò redduntur inſtrumenta improbi hominis quò is obtineat quod concupiſcit. Nihil aliud enim ſunt quàm ſervi illius; ut demonſtravimus init. membr.2. nemo autem qui liberali ingenio eſt ſervit: magis mortem ſubit. Ita Turates Romanis nunciarunt, ſi ipſis* ut victis ſervitium indiceretur,

eſſe

eſſe ſibi ferrum & juventutem,& promptum libertati, aut ad mortem animum.4.*ann.46.*

3. Secundò quoque miſeri ſunt ſubditi in vitioſis formis,quod perpetuæ neceſſitati ſubjecti ſint. *Nam demonſtravimus part.1. omne neceſſarium & violentum moleſtum eſſe, quemadmodum omne illud, quod non ex neceſſitate ſed ſecundum inclinationẽ naturalem fit, jucundum eſt. At in vitioſis formis & improbi & probi ex neceſſitate parent,probi ob hoc, quod nolint eſſe inſtrumenta concupiſcentiæ; improbi, quòd putent amorem ſui aliud ſuadere, quàm alterius commodis inſervire. Ergò quicquid operantur ſecundum regimen Juris quo utuntur eſt moleſtum. Omnis autem cui quicquid operatur moleſtum eſt miſer eſt.*

4. Maximè autem moleſti imperantes ſubditis ſunt,ſi præcipiant contraria eorum quibus adſueti ſunt. *Nam quemadmodũ quod ſecundum conſuetudinem fit jucundum eſt: ita quod cum hac pugnat moleſtum. Hũc pertinet exemplum quod habet Tacitus 6. ann.* 41.Per idẽ tempus,*inquit*,Clitarũ natio Cappadoci Archelao ſubjecta, quia noſtrũ in modũ deferre cenſus,pati tributa adigebatur, in juga Tauri montis abſceſſit. *Hinc nullũ ſatis validũ imperiũ eſt prohibendis quibus populus adſuetus eſt.Id idẽ autor exemplo confirmat.l.3.ann.c.6.*Crebreſcebat, *inquit.* græcas per urbes licentia atq; impunitas aſyla ſtatuẽdi.Complebantur templa peſſimis ſervitiorũ. Eodẽ ſubſidio obærati adverſum creditores, ſuſpectique capitalium criminum receptabantur. Nec ullum ſatis validum imperium erat coërcendis ſeditionibus populi flagitia hominum ut ceremonias Deûm protegentis: *putabat enim ſi paterentur ſceleratos inde abripi, Jus templorum violari.*

5. Ob hanc cauſſam movent ſeditiones qui amantes ſunt libertatis, voluntque patriam à ſervitute liberatam. *Quales ſunt omnes qui honeſtatis & gloriæ ſtudioſi ſunt liberalique ingenio præditi. Hi enim nullâ ſæpè injuriâ ab imperantibus affecti movent ſeditiones.Sic conjurantibus adverſus Neronem* ſociavit Lateranum conſulem deſignatum nulla injuria, ſed amor Reipubl. *& ſtudium eam à ſervitute liberandi.15.ann.49.*

ARTIC. III.

DE DISCORDIA CIVIUM IN VITIOSIS FORMIS.

1. Vitioſas Reſpublicas comitatur etiam perpetua diſcordia. *Diſcordiam tribus ex cauſſis gigni part. prac. docuimus. 1. Si contraria appetant cives. 2. Si tendant quidem ad eundem finem ſed in mediis ad illum ducentibus convenire nequeant. 3. Si nolint exequi deliberata, ſed quæ peragenda ſunt alter in alterum differat; primam autem cauſſam maximam gignere diſcordiam. Inde demonſtrabimus vitioſas formas diſcordiarum pleniſſimas eſſe. Nam in hiſce quilibet ſuis perverſis armato*

mator exiſtens ſuis privatis utilitatibus ſtudet. Habent enim ſubditi hac in re praeuntes ſibi imperantes. Suam ergò ſolam felicitatem, quam ponunt in pecuniâ, honoribus, corporisq́; voluptatibus, omnes quærunt, aliorum felicitatem in propriis damnis, calamitatem in commodis ponunt. Neceſſe ergò eſt, omnes in civitatibus vitiosâ aliquâ formâ laborantibus maximè diſcordes eſſe: contraria enim eorum quæ cæteri ſinguli appetunt, hic ſuam felicitatem, illius infelicitatem, ille hujus infelicitatem ſuam felicitatem habent. Sed ſi contingat aliquando convenire in uno appetendo, quod fit, quando metu concitati coeunt ad propulſanda externa pericula, in mediis eligendis diverſi ab invicem ſunt; aut ſi neceſſitas doceat circa hæc conſentire; alter tamen in alterum executionem transferre nititur. Nam quilibet ſemetipſum quam maximè amans vulgato illo amore onera & labores in alterum transfert, ſibi quietem, otium & vacuitatem ab oneribus quærit. Ex his apparet vitioſas reſpublicas perpetuis diſcordiis laborare.

ARTIC. IV.
DE
CAUSSIS EVERTENTIBUS OMNEM AMICITIAM ET PARIENTIBUS ODIA INIMICITIAS ET TURBAS IN FORMIS VITIOSIS.

1. *Principium converſionis omnis amicitiæ in vitioſis formis vel ineſt imperantibus vel ſubditis, utrumque conſiſtit in aliquâ vitioſitate vel defectu virtutis: de quibus diſtinctis duabus partibus acturi ſumus.*

PARS PRIMA HUJUS ARTICULI
DE
VITIIS IMPERANTIUM IN VITIOSIS FORMIS, QVIBUS VEL ODIO VEL CONTEMPTUI SUBDITORUM SE EXPONUNT.

1. Amicitia quæ inter parentes & imperantes intercedit eſt inæqualis: unde & parentes imperantibus honorem debent: cauſſam oſtendimus *præced. part.* 3. Quò ergò vera inter parentes & imperantes intercedat amicitia, neceſſe eſt, ut imperantibus inſint bona amabilia eademque honore digna. *Nam ſine amabilibus amicitia nulla eſt.*

2. Hic autem perverſus mos eſt imperantium, quòd putent ſibi omnia licere, nec opus habere ullâ curâ quò ſint amabiles: cùm tamen id quam maximè operam dare debeant. Sic Felix Judææ impoſitus cuncta malefacta ſibi impunè ratus, tantâ potentiâ ſubnixo. *Tacitus* 12. *annal.* 54. *Scil. vitioſi homines liberè mala operantur, quando impu-*

impunè poſſunt : id autem ipſis contingit ſi poteſtate polleant. Deberent autem dare operam rebus amabilibus & honorabilibus ; quia ceſſantibus his deficit omnis cultus quem parentes imperantibus velut ſuperioribus debent ; & ita ceſſat amicitia, quâ ſtatus conſervari debebat.

3. Quo minus ſubditi imperantibus in vitioſis formis officia amicitiæ exhibeant imperantium vitia potisſimum in cauſsâ ſunt. *Nam vitia vel faciunt ut quis in odio ſit vel ut evileſcat & vilipendatur. Quem autem odimus & vilipendimus, eum amicum ſuperiorem non agnoſcimus ; Imò cùm illius nulla emendatio appareat eundem è medio tollere ſtudemus. Id quod Sulpitius Aſper cauſſam quare Neroni inſidias ſtruxerit ingenuè confeſſus eſt. De quo Tacitus 15. ann. 68.* Proximum conſtantiæ exemplum Sulpitius Aſper centurio præbuit, percunctanti Neroni, cur in cædem ſuam conſpiraviſſet ? breviter reſpondens : Non aliter tot flagitiis ejus ſubveniri poſſe. *Quo pacto autem contingat vitioſos homines vel in odio eſſe vel ad minimũ vilipendi, part. 3. lib 5. oſtendimus : nunc verò quæ ibi dicta imperantibus applicanda ſunt, & oſtendendum, quomodo inimicitiæ & odiorum cauſſa apud ſubditos in vitioſis formis ſint, petitis unà teſtimoniis ab exemplis quæ nobis offerunt hiſtorici, quorum præcipuus hac in re eſt Tacitus, qui etiam pro ratione inſtituti nobis ſufficere poteſt.*

4. Vitia quibus læduntur aliorum hominum bona fortunæ, qualia ſunt vita, libertas, fama, exiſtimatio, posſesſiones & facultates, apud læſos gignunt iram & odium, apud reliquos metũ, vel miſericordiam ; unde fit, ut omnes ſubditos ſibi inimicos reddant imperantes ejuſmodi vitiis inquinati. *Et primò quidem ii, qui vitiis imperantium læduntur, iram odiumq́ erga eosdem concipiunt. Eſt enim, ut hunc affectum part. 2. definivimus, ira appetitus cum dolore conjunctus vindictæ propter apparentem deſpicientiam vel in ſe vel in ſuorum quempiã nõ cõvenienter. Hinc ſi ſubditi videant, ſe nõ convenienter, i.e. ab homine vitioſo & indigno qui imperet cõtemni, contumeliâ affici, aut in ſuis rebus & bonis impediri (hæ enim ſpecies deſpicientiæ ſunt) moventur irâ : ex longâ & multâ irâ gignitur odiũ. Læſos ergò ſubditos irã odiũq́ adverſus imperantes concipere quando ab iisdem ut vitioſis læduntur ex his conſtat. Ira autẽ & odiũ ſubditorũ motus & ſeditiones pariunt : appetunt enim irati vindictã : qui odiũ erga aliquẽ fovent, eũ è medio ſublatũ volunt. Tacitus 15. ann. 48.* Ineunt deinde conſulatũ Sulius Nerva, & Atticus Veſtinus cœptâ ſimul & auctâ conjuratione, in quam certatim nomina dederant, ſenatores, eques, miles, fœminæ etiam, cùm odio Neronis tum favore in Cn. Piſonem. *Odio enim concepto omnia in deteriorem partem homines interpretantur & cauſſas quaſcunq́ conquirunt, quibus motus excitent.*

tent. Ita Tacitus 1. *H.* 51. Sed plurima ad fingendum credendumque materies in ipſis caſtris, odio, metu & ubi vires ſuas reſpexerant, ſecuritate. *Sunt autem contumeliæ varii generis; aliæ ſcil. reales aliæ verbales: Referre hûc lubet quæ de motu Icenorum ſcribit Tacitus* 14. *ann.* 31. Rex Icenorum Praſutagus, longâ opulentiâ clarus, Cæſarem heredem duasque filias ſcripſerat, tali obſequio ratus regnum & domum ſuam procul injuriâ fore, quod contrà vertit. adeò ut regnum per centuriones; domus per ſervos *procuratores Cæſaris* velut capta vaſtarentur. Jam primùm uxor Boudicea verberibus affecta & filiæ ſtupro violatæ ſunt, præcipui quique Icenorum, quaſi cunctam regionem muneri accepiſſent, avitis bonis exuuntur, & propinqui regis inter mancipia habebantur. Quâ contumeliâ & metu graviorum (quando in formam provinciæ ceſſerant) rapiunt arma. *Interdum incommodatio in re levi iram concitare poteſt ad extremaque tentanda in commoventem ſubditos. Sic* Lucanum, *ut ſociaretur conjurantibus adverſus Neronem*, accendebat, quòd famam carminũ ejus premebat Nero, prohibueratque oſtentare vanus aſſimulatione: *volebat enim ipſe Nero poeta inſignis celebrari.* 15. *ann.* 49. *Sed cauſſas irarum & odii enarrare omnes hujus loci non eſt: ſufficit conſtare eos qui læduntur, ſi ad iram & odium aliàs ſint diſpoſiti hos affectus contrahere & ita ad ſeditiones & motus diſponi. De cæteris non læſis nunc dicendum eſt: in his enim metus & miſericordia principia motuum exiſtunt. Metus enim eſt affectus natus ex opinione mali imminentis vim interimendi habentis.* Talem ergò affectum in omnibus ſubditis concitari, ſi videant nonnullos lædi ab imperantibus, extra dubium eſt: quin ipſi qui læſi ſunt plura ſecutura mala metuunt, ſi cernant imperantes ex vitio læſiſſe. *Sic ſeditionem militum adverſus Galbam peperit metus: Acceſſit, inquit Tacitus* 1. *H.* 51. callidè vulgatum, temerè creditum decumari legiones *(i. e. decimum quemq; militum deſtinari ad ſupplicium)* & promptiſſimum quemque centurionum dimitti, *ſeu exauctorari. Idem* 1. *H.* 6. Introitus *Galbæ* in urbem trucidatis tot millibus inermium militum infauſtus omine, atque ipſis etiam qui occiderant *miniſterium Galbæ præbendo* formidoloſus. *Præ cæteris autem metuunt, qui cùm hactenus faventes imperantes habuerint, ſentiunt eoſdem de favore quid remiſiſſe. Tacitus* 15. *ann.* 50. Ergò dum ſcelera principis, & finem adeſſe imperii, deligendumque qui feſſis rebus ſuccurreret inter ſe aut inter amicos jaciunt, aggregavêre Tullium Senecionem, Cervarium Proculum &c. equites Romanos: ex quibus Senecio è præcipuâ familiaritate Neronis ſpeciem amicitiæ etiam tum retinens *(i. e. extinctâ amicitiâ verâ ſimulatam tantum colens)* eò pluribus

ribus

ribus periculis conflictabatur. *i. e. in perpetuo metu verſabatur trepidamque colebat vitam.* Miſericordia quoque concitata in ſubditis erga eos, qui innocentes patiuntur, gignit odium erga imperantes. *Eſt enim miſericordia affect9 cũ moleſtiâ conjunctus nat⁹ exinde, quòd quis concipiat, alterum præter ſuum meritum ſentire malum, quod vel vim interimendi habet vel cum magno dolore conjunctum eſt, quodque ipſe ſe vel ſuorum quempiam pati poſſe putat. Quando ergò qui imperant hominibus virtute præditis aut de patriâ benè meritis, quibus præmia & honores debentur, mala inferunt; bona adimunt, cæteri ducti miſericordiâ concitant tumultus, dum moleſtiam quam gignit miſericordia ferre non poſſunt. Sic Romanorum militum ira exacerbabatur erga germanos hoſtes ſuos, cum conſpicerent oſſa cæſorum ſub Quintilio Varo : Tacitus* 1. *ann.* 62, Igitur Romanus qui aderat exercitus, ſextum poſt cladis annum, trium legionũ oſſa, nullo noſcente, alienas reliquias an ſuorum humo tegeret, omnes ut conjunctos, ut conſanguineos, auctâ in hoſtem irâ, mæſti ſimul & infenſi condebant. *Scil. miſericordia movebat hos ad iram. Solere autem naſci miſericordiam, ſi benè meriti loco præmii quod expectabant quid mali ſentire tenentur, oſtendit oratio patris pro filio Horatio apud Livium lib.* 1, *quâ miſericordiam movere ſtudebat* : Hunccine quem modò decoratum ovantemque victoriâ incedentem vidiſtis, eum ſub furcâ vinctum inter verbera & cruciatus videre poteſtis? I lictor, colliga manus, quæ paulò antè armatæ imperium populo Romano pepererunt! I, caput obnube liberatoris hujus!

5. Nonnulla vitia faciunt, ut imperantes appareant homines viles, ob quod naſcitur in ſubditis pudor alliciens eos, ut nolint amplius parére, parati potius extrema quæque tentare. *Sic Piſo de Othone oratione ad milites quæ habetur* 1. *Hiſtor.* 30. Nihil arrogabo mihi nobilitatis aut modeſtiæ: neque enim relatu virtutum in comparatione Othonis opus eſt. Vitia quibus ſolis gloriatur, evertêre imperium, etiam cum *nondum imperator, ſed* amicum imperatoris *Neronis* ageret *& in aulâ ejus verſaretur.* Habitune & inceſſu, an illo muliebri ornatu meretur imperium? Falluntur, quibus luxuria ſpecie liberalitatis imponit. Perdere iſte ſciet, donare neſciet. Stupra nunc & comeſſationes & fœminarum cœtus volvit animo: hæc principatùs præmia putat, quorum libido ac voluptas penes ipſum ſit; rubor ac dedecus penes omnes, *qui eidem parent. De Vitellio hæc habentur lib.* 2. *H.* 90. Poſterâ die, tanquam apud alterius civitatis Senatum populumque, *qui ipſius vitam & flagitia in itinere perpetrata ignoraret*, magnificam orationem de ſemetipſo prompſit, induſtriam temperantiamque ſuam laudibus attollens: conſciis flagitiorum ipſis

pſis

pſis qui aderant, omnique Italiâ per quam ſomno & luxu pudendus (*i. e. ut puderet honeſtos tali Imperatori parére*) *inceſſerat.*

6. Pariter etiam motus gignuntur, ſi imperantes in ſuo imperio utantur flagitioſis & ſervilibus hominibus. *Nam quæ vitioſè à flagitioſis miniſtris committuntur redundant in imperantes; quæ autem nomine imperantium præcipiunt ſerviles miniſtri pudorem ſubditis, qui liberali ingenio ſunt, incutiunt, ut parére denegent. Sic Polycletus à Nerone miſſus ad ſpectandum Britanniæ ſtatum, quia libertus erat deriſus eſt. De quo Tacitus 14. ann. 39. ita:* Hoſtibus irriſui fuit, apud quos flagrante etiam tum libertate, nondum cognita libertorum potentia erat: mirabanturque, quòd dux & exercitus tanti belli confector ſervitiis obœdirent. *De Mauris idem 4. ann. 23. quod* Ptolemæo Jubæ filio juventâ incurioſo, libertos regios & ſervilia imperia (*i. e. dum ob Juventutem incurioſus imperium ſuis libertis committit*) bello mutaverant *&* *à ſe declinaverant.*

7. Ut verò in ſpecie ſingulas virtutes percurramus & oſtendamus quopacto vitiis hiſce oppoſitis imperantes indignos ſubditorum amicitiâ & cultu ſeſe reddant odiaque ſibi pariant: initium ab iis virtutibus facturi ſumus quæ imperantium quammaximè propriæ ſunt. Et primò quidem requiritur in imperantibus prudentia & vigor: quam ob cauſſam etiam in optimâ Republ. imperium mediæ ætatis hominibus adſignavimus. Hinc cultum, quem ſubditi magiſtratibus debent, denegant homines ſenibus, juvenibus, fœminis, ducti pudore. *Nam ſenibus non eſt ille vigor, qui in imperantibus requiritur, & per conſequens pudore ſuffunduntur qui imperio ignavi alicujus ſenis parére tenentur, præſertim ſi imperium exerceatur in militares homines. Sic exercitus* Hordeonium Flaccum ſpernebat, ſenectâ ac debilitate pedum invalidum, ſine conſtantiâ ſine auctoritate. 1. *Hiſtor.* 5. *Sic* Artabanus *Parthorum rex* metu Germanici fidus Romanis, æquabilis in ſuos; (*i. e. jure & legibus eos tractans*) mox ſuperbiam in nos, ſævitiam in populares ſumſit. Fretus bellis, quæ ſecunda adverſus circumjectas nationes exercuerat, & ſenectutem Tiberii ut inermem deſpiciens. 6. *ann.* 31. *Cui accedit plerumque deformitas corporis quæ ſenectutem comitatur, cujus rationem vulgus ineptum habere ſolet. Tacitus* 1. *Hiſtor.* 7. Ætas Galbæ & irriſui & faſtidio erat, adſuetis juventæ Neronis, & imperatores formâ ac decore corporis (ut eſt mos vulgi) comparantibus. *Et hæc fuiſſe cauſſa videtur, quare Tiberius extra urbem in ſenectute vixerit: idem* 4. *ann.* 57. Erant qui crederent, in ſenectute quoque corporis habitum pudori fuiſſe: quippe illi prægracilis & incurva proceritas, nudus capillo vertex, ulce-

ulceroſa facies, ac plerumque medicaminibus interſtincta. *Similiter pudori eſt ſubditis parére Juveni aut fœminæ. Nam Juvenibus & fœminis non ineſt ea prudentia, quæ in imperantibus requiritur. Hinc Romæ* poſtquam *Auguſto* provecta jam ſenectus, ægro & corpore is fatigabatur: pars multò maxima civium imminentes dominos variis rumoribus differebant, trucem Agrippam; & ignominiâ accenſum, non ætate neque rerum experientiâ tantæ moli parem. Tiberium Neronem maturum annis, ſpectatum bello; ſed vetere atque inſitâ Claudiæ familiæ ſuperbiâ, multaq; indicia ſævitiæ, quanquam premantur, erumpere. &c. accedere matrem muliebri impotentiâ (*i.e. vitiis muliebribus nim. imbecillitate judicii & contumaciâ*) ſerviendum fœminæ, duobusque inſuper adoleſcentibus (*Tiberio & Germanico*) qui Rempubl. interim premant, quandoque diſtrahant. 1. *ann.* 4. *Pares querelæ naſcebantur imperante Nerone Juvene cum matre Agrippinâ: quas narrat Tacitus* 13. *ann.* 6. Fine anni turbidis rumoribus prorupiſſe rurſum Parthos, & rapi Armeniam allatum eſt, pulſo Rhadamiſto, qui ſæpè ejus regni potitus. dein profugus, tum quoque bellum deſeruerat. Igitur in urbe ſermonum avidâ, quemadmodum princeps vix ſeptendecim annos egreſſus ſuſcipere eam molem aut propulſare poſſet, quod ſubſidium in eo qui fœminâ (*matre Agrippinâ*) regeretur. num prælia quoq; & oppugnationes urbium & cætera belli per magiſtros adminiſtrari poſſent, anquirebant. In imperantibus maturæ ætatis produnt actiones imprudentiã. v. g. Si imperantes omnia fortunæ committant nihil ex ratione agant. *Nam prudentis eſt omnia cum rectâ ratione agere & hâc ipsâ fortunam vincere.* Si quidvis temerè agant, mala in homines probos ſtatuant bona flagitioſis impertiant. *Nam prudentes ſingula prius expendunt.* Indicat quoq; imprudentem, ad prodigia vel alias res novas trepidare. *Nam prudentis eſt noſſe rerum cauſſas & nihil novum ſibi habere, ſed in omnibus rectè ſe gerere & conſilia reperire.* *it.* Rebus proſperis nimis ſecurum eſſe & ſuperbire, adverſam fortunam immodico mœrore pati. *Nam prudentes lubricitatem fortunæ norunt quæ ipſis documento eſt adverſus ſecuritatem & ſuperbiam. Specimen talis imprudentiæ præbebat Nero cùm natam ſibi ex Poppæâ filiam* ultra mortale gaudium acciperet; (*i.e. plus lætaretur, quàm homines ob inconſtantiam fortunæ decet*) quartum *autem* intra menſem defunctâ infante, ut lætitiæ ita mœroris immodicus *egeret.* 15. *ann.* 23. *it.* Agere quæ Reipubl. pernicioſa ſibi turpia & ignominioſa aut inglorioſa ſunt. *Nam* omnes qui magnarum rerum conſilia ſuſcipiunt, æſtimare debent, an quod inchoatur Reipubl. utile, ipſis glorioſum aut promptum effectu aut certè non arduum

 ſit.

ſit. 2. *Hiſt*. 76. *It*. Miſſo ſolido inania quærere. *Nam prudentes miſſis inanibus vera & ſolida bona quærunt*. *It*. Pro bonis obtinendis vel malis avertendis amplecti media quibus plus incommodi & damni ineſt. *In hoc imprudentiæ genus incidiſſe Pompejum narrat Tacitus 3. ann.* 28. Tum Cn. Pompejus tertiùm conſul corrigendis moribus dilectus & gravior remediis, quàm delicta erant, ſuarumque legum auctor idem & ſubverſor, quæ armis tuebatur armis amiſit. *It*. agere ſuo cum damno quæ nemini proſunt. *Ob hoc imprudentia accuſatus* Thraſea Pætus ſilentio vel brevi aſſenſu priores *ſenatorum* adulationes transmittere *i. e. in adulatoriis ſenatorum decretis tacere vel paucis verbis conſentire* ſolitus, qui exitium *hoc ipſo* ſenatui ac ſibi cauſſam periculo fecit, cæteris libertatis initium non præbuit. *i. e. ut cæteri ſenatores hoc imitati ferrentur in exitium. ipſi inviſo cædes pararetur. Qui tamen idem* cohibuit ſpiritus *Ruſtici Aruleni, pro Thraſeâ intercedere Scto volentis, quo hic ad mortem condemnatus erat, monuitq́;* ne vana & reo non profutura, interceſſori exitioſa inciperet. 16. *annal*. 26. *It*. Suſcipere impoſſibilia. *Nam omnis vir prudens primùm omnium perpendit, an id quod velut ultimum in deliberatione reperit, quodque primum in actione eſſe debet ſit poſſibile*. *It*. Cujusque hominis conſilia audire. *Nam vir prudens probè attendit, quisnam ille ſit qui conſilium ſuggerit, & an idem in executione conſilii futurus fuerit ſocius nec ne. Sic Mucianus Orat. ab Veſpaſianum 2. Hiſt*. 76. Simul ipſe qui ſuadet conſiderandus eſt, adjiciatne conſilio periculum ſuum: & ſi fortuna cœptis adfuerit, cui ſummum decus acquiratur. *It*. Temerè omnibus credere, vel contrà plenum ſuſpicionum eſſe & nulli fidem tribuere. *Nam prudentis eſt ſingula probè expendere & noſſe quibus fides tribuenda quibus non item*. *It*. In cauſſas actionum non inquirere, quo animo homines unumquodque agant. *Nam prudens non externas actiones reſpicit, ſed quo quisq́; animo ſit explorat*. In hoc autem imprudentes quam maximè labuntur, ut in primo ſpecimine ſtatim impingant quemadmodum cantherius in portâ. *Hoc modo peccavit Vitellius initio imperii irrepentibus dominationis magiſtris ſuperbior & atrocior occidi Dolabellam jubens*, magnâ cum invidiâ novi principatûs, cujus hoc primum ſpecimen noſcebatur. *(i. e unde argumentum futuri principatûs capiebatur)*. *In ſpecie quia prudentia alia eſt conſultatrix, alia præceptrix alia judicatrix, quod concernit Judicatricem prudentiam, vilipenditur imperans nullius Juris cognitionem habens. Sic contemnebatur Vitellius qui* omnis humani divinique juris expers, pari libertorum amicorumque ſocordiâ, velut inter temulentos agebat. 2. *Hiſt*. 90.

8. Imperantium maximè propria virtus eſſe debet Juſtitia, & pro-

& propterea Injuſtitia, quæ vitium eſt ad homines lædendos comparatum, in odium conjicit eoſdem. *Nam qui per injuſtitiam læduntur, lædentem oderunt. cæteri ducuntur ſtomachatione ad fovendum inimicitias cum injuſtis magiſtratibus. Oritur enim ſtomachatio ſuper omni injuſtitiâ non modo erga eum qui plus accepit, ſed etiam eum qui diſtribuit. Sive ergo imperantes malis conferant bona, ſive probos malis afficiant, ſemper in ſubditis gignitur ſtomachatio. Tacitus 2. Hiſt. 69.* Poſtero die Vitellius Senatûs legatione, quam ibi operiri juſſerat, auditâ, transgreſſus in caſtra ultrò pietatem militum, *qui pridie Virginii viri conſularis & quondam ducis Vitellii ejusq; innocentis exitium flagitaverant*, collaudavit: frementibus auxiliis (*auxiliaribus militibus*) tantum impunitatis atque arrogantiæ legionariis acceſſiſſe. *i. e. facinus peſſimum non modò impunitum relinqui, ſed laudari etiam nequam homines, ut arrogantiores inde fiant.* Species injuſtitiæ eſt crudelitas, quam ſæpiſſimè ſub ſpecie puniendi delinquentes exercent tyranni, & hæc ſum̃um apud ſubditos odium gignit. *Hac enim facit, ut etiam reges maximè ſtrenuè & ſummâ cũ ſui gloriâ in bello cuncta gerentes de ſolio dejiciantur vel planè è medio tollantur. Crudelitas enim metum gignit & miſericordiam, quibus affectibus moti ſubditi tyrannis inſidias ſtruunt. Sic Bardanes Parthorum rex* ingens gloriâ *belli*, atque eò ferocior & ſubjectis intolerantior. Qui dolo antè compoſito, incautum venationiq; intentum interfecêre primâ intra juventam, ſed claritudine paucos inter ſenum regum, ſi perinde amorem inter populares quàm metum apud hoſtes quæſiviſſet. 11. *annal. cap.* 10.

9. Juſtitiam excipit fortitudo, quâ imperantes amabiles fiunt: contrà reddit imperantes viles & cultu ſubditorum indignos ignavia. *Exemplum ignavi principis exhibet Tacitus 3. Hiſt. 36. Vitellium deſcribens his verbis:* At Vitellius profecto Cæcinâ, *quem ducem præfecerat ſuo exercitui*, cùm Fabium Valentem paucis pòſt diebus ad bellum impuliſſet, curis luxum obtendebat: non parare arma, non alloquio exercitioque militem firmare, non in ore vulgi agere, ſed umbraculis hortorum abditus, ut ignava animalia, quibus ſi cibum ſuggeras, jacent torpentque, præterita, inſtantia, futura, pari oblivione dimiſerat. *Neronem quoq; ob ignaviam contemptum ſubiiſſe & inde inter eum & Veſtinum natum eſſe odium teſtatur idem 15. ann.* 68. Cæterum Neronis odium adverſus Veſtinum ex intimâ ſodalitate cœperat, dum hic ignaviam principis penitus cognitam deſpicit, ille ferociam amici metuit, ſæpè aſperis facetiis illuſus; quæ ubi multum ex vero traxêre, acrem ſui memoriam relinquunt.

10. Intemperantiæ varia genera ſunt: aliis nocetur, alia contem-

temptum gignunt, omnia ſubditorum cum imperantibus amicitiam diſſolvunt motuumque cauſſæ exiſtunt. *Peperit intemperantia contemptum Vitellio* numquam ita ad curas intento, ut voluptatum oblivisceretur. *Tacit. 2. H. 67. fin. Erat enim* epularum fœda & inexplebilis libido. Ex urbe atque Italiâ irritamenta gulæ geſtabantur, ſtrepentibus ab utroque mari itineribus. exhauſti conviviorum apparatibus principes civitatum, vaſtabantur ipſæ civitates. degenerabat à labore ac virtute miles, aſſvetudine voluptatum & contemptu ducis. 2. *Hiſt. 62. & cap 87. eod.* Dum hæc per provincias à Veſpaſiano ducibusque partium geruntur, Vitellius contemptior indies ſegniorque ad omnes municipiorum villarumque amænitates reſiſtens gravi urbem agmine petebat. *Ut Vitellius in cibo & potu, ita Nero in re venereâ intemperans parricida redditus matrem, præceptoremq́; occidit miſerrimèq́; tandem ipſe periit. Nam primò delapſus in amorem libertæ, cui vocabulum Acte, quæ principis libidines per luxum & ambigua ſecreta explebat*, ne ſeverioribus quidem ipſius amicis, *Senecâ & Burrho* adverſantibus: metuebatur *enim* ne in ſtupra fœminarum illuſtrium perrumperet, ſi illâ libidine prohiberetur 13. *ann.* 12. *Poſt fœda Romæ exacta laſcivia*, quâ Nero itinera urbis & lupanaria & diverticula veſte ſervili in diſſimulationem ſui compoſitus pererrabat, comitantibus qui raperent ad venditionem expoſita, & obviis vulnera inferrent, adverſus ignaros adeò, ut ipſe quoque acciperet ictus & ore præferret. 13. *ann.* 25. *Hinc illigatus amore Poppææ uxoris Othonis eod. cap.* 46. *Progreſſusq́; eſſet ad inceſtum cum matre committendum, ni Seneca ſubſidium à fœminâ petiviſſet, Actemq́; inſtigaſſet, quæ ſimul ſuo periculo & infamiâ Neronis anxia, deferret, pervulgatum eſſe inceſtum gloriante matre, nec toleraturos milites profani principis imperium. 14. ann. 2. Occidit ergò matrem conſilio & miniſterio uſus Aniceti liberti cap. 3. & ſeqq. eod. Hac ſublatâ* ſe in omnes libidines effudit, quas malè coercitas qualiscunque matris reverentia tardaverat. *cap. 13. eod. Ita* per licita & illicita fœdatus *i. e. per naturales & præternaturales coitus infamis redditus* nihil flagitii reliquit, quo corruptior ageret, *ſeu ſe ulterius commacularet*, niſi paucos poſt dies uni ex illo contaminatorum grege, cui nomen Pythagoræ fuit, in modum ſolennium conjugiorum denupſiſſet. Inditum imperatori flammeum *inſigne ſponſarum*. Miſſi auſpices duo & genialis torus, & faces nuptiales; cuncta denique ſpectata, quæ etiam in fœminâ nox operit. 15. *ann.* 37. *Hæc atq́; talia peperêre ipſi contemptum & odium motumq́;, ut cogeretur ſeipſum è medio tollere. Hæc narramus propterea ut appareat, quam vim habeat intemperantia ad evertendas Reſpubl.* Quotidie

tidie enim augmentum capit hoc vitium ſemel admiſſum; quia voluptates corporis appetuntur in infinitum, nec finis harum ſit, donec his omnia peſſum eant. Maximi autem motus ex ſtupris oriuntur: ſtuprum enim fecit, ut exactis regibus ſtatus Romanus mutaretur, ut decemviralis poteſtas diuturna non eſſet. &c.

11. Liberalitati opponuntur duo vitia, avaritia & prodigalitas, quorum illud in odium & contemptum, hoc magis in contemptum imperantes conjiciendo amicitiam diſſolvit & motuū cauſſa exiſtit. *Sic avaritia cauſſata eſt, ut provinciæ tyrannicum ſtatum, quem Auguſtus Romæ introducebat, munia Senatûs, magiſtratuum, legum in ſe trahendo approbarent. Tacit. 1. ann. 2. fin.* Neque provinciæ illum rerum ſtatum abnuebant, ſuſpecto Senatûs populique imperio ob certamina potentium & avaritiam magiſtratuum, invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, poſtremò pecuniâ turbabantur. *Concipiunt autem ſubditi odium, quando imperantes magna & multa exigunt tributa, aut ſub graviſſimis uſuris pecuniam fœnori dant. Inde nata ſeditio civitatum Gallicarum, cujus exſtimulator acerrimus inter Treveros Julius Florus, apud Æduos Julius Sacrovir:* Ii ſecretis colloquiis, ferôcisſimo quoque adſumpto, aut quibus ob egeſtatem ac metum ex flagitiis maxima peccandi necesſitudo; componunt, Florus Belgâs, Sacrovir propiores Gallos concire. Igitur per conciliabula & cœtus ſeditioſa diſſerebant, de continuatione tributorum, gravitate fœnoris, ſævitiâ ac ſuperbiâ præſidentiū. *Tac. 4. H. Qui ex fœnore nati ſint motus hiſtoria Romana teſtatur. Sufficiet nobis enarraſſe quæ habet Tacitus 6. annal, 16.* Interea magna vis accuſatorum in eos irrupit qui pecunias fœnore auctitabant adverſum legem Dictatoris Cæſaris, quâ de modo credendi posſidendique intra Italiam cavetur; omiſſam olim, quia privato uſui bonum publicum poſtponitur. Sanè vetus urbi fœnebre malum & ſeditionum diſcordiarumque creberrima cauſſa: eoque cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus. *Sæpisſimè verò contingit, miniſtros imperantium ſuâ avaritiâ cauſſas motuum exiſtere. Teſtatur hoc motus Julii Civilis de quo Tacitus 4. H. 14.* Igitur Civilis disſidii certus occultato interim altiore conſilio, cætera ex eventu judicaturus, novare res hoc modo cœpit. Juſſu Vitellii Batavorum juventus ad dilectum vocabatur: quem ſuâpte naturâ gravem onerabant miniſtri avaritiâ ac luxu, ſenes aut invalidos conquirendo, quos precio dimitterent, rurſus impuberes, ſed formâ conſpicui (& eſt plerisque procera pueritia) ad ſtuprum trahebantur. Hinc invidia (*odium*) & compoſiti ſeditionis auctores: perpulêre ut dilectum abnuerent. *Idem miniſtrorum*

amicorumque vitium Galbæ peperit odium, qui ſimplicitate ſuâ aulicorum ſuorum rapacitatē & avaritiā augebat: erat enim credulus nec acer in inquirendo in delicta: unde nec ipſum metuebant aulici & vitioſis ſuis actionibus lucrum ſibi parabant. Verba Taciti. 1. H. 12. fin. hæc ſunt: Quippe hiantes in magnâ fortunâ amicorum cupiditates ipſa Galbæ facilitas intendebat, cùm apud infirmum & credulum minore metu & majore præmio peccaretur. *Eadem incommoda pariunt magiſtratus provinciis regendis præfecti. Tacitus 1. H. 60.* Præerat *in Britanniâ* Trebellius Maximus per avaritiā ac ſordes contemptus exercitui inviſusq;. *Sic Catus præfectus provinciæ Britannicæ, quia ſciebat ſe in odio provincialiū eſſe, quos ſuâ avaritiâ ad rebellionē concitaverat fuſo Ceriali coactus eſt è provinciâ aufugere. Tacitus 14. ann.* 32. Et victor Britannus Pæto Ceriali legato legionis nonæ in ſubſidium adventanti obvius fudit legionē, & quot peditū interfecit &c. Quâ clade & odiis provinciæ, quam avaritiâ in bellum egerat trepidus procurator Catus in Galliam tranſiit. *Prodigalitas imperantium hominibus, qui ſe præbent inſtrumenta libidinis, grata cæteris exoſa eſt: præſertim quando abſumptis per luxuriam omnibus trahit ſecum avaritiam, ut fiant prodigi de alieno. Nam erga aliena ſumptus eoſdem faciunt quibus ſua prodegerunt. 1. Hiſt. 20. Sunt autem etiamſi grati nonnullis ſint principes prodigi apud omnes in contemptu. Quis enim non contemneret perdere ſcientes donare neſcientes 2. Hiſt. 30.*

12. Magnanimitati & modeſtiæ opponuntur vitia ſuperbiā & arrogantia, quibus ingens odium imperantes ſibi parant. *Ita Romani ſeneſcente Auguſto averſabantur ſucceſſorem Tiberium ob ſuperbiam: Tacit. 1. ann.* 4. rumoribus differebant &c. Tiberium Neronem maturum annis, ſpectatum bello: ſed vetere atque inſitâ Claudiæ familiæ ſuperbiâ. (*Nam familia Claudia ſemper ſuperba plebem contempſerat*) *Sic Galli ſuperbiâ præſidentum commoti ad ſeditionem. 3. ann. 40. verb. ſævitiâ ac ſuperbiâ. Sic* plerique *Armeniorum* ſuperbiam Parthorum peroſi, datum à Romanis regem malebant. 14. *ann.* 26. *Similiter* Vannius Suevis à Druſo Cæſare impoſitus pellitur regno, primâ imperii ætate clarus acceptusque popularibus: mox diuturnitate in ſuperbiam mutans & odio accolarum, ſimul domeſticis diſcordiis circumventus. *Sic & arrogantia quæ præcipuum cum avaritiâ vitium validiorum eſt 1. Hiſt. 51. verb. ſecundum avaritiam &c. odium iiſdem gignit. Superbiæ enim & arrogantiæ vitium faciunt, ut imperantes ſubditos præ ſe contemnant: contemptus verò iram odiumque concitant.*

13. Lenitati opponuntur iracundia & nimia lenitas; hoc viti-

vitium contemptum illud odium parit. *Iracundi enim omnibus ſunt moleſti & potentiâ inſtructi incutiunt metum: unde odia & diſſenſiones. Lenitas autem niſi vi approbata facit imperantes vilipendi.*

14. Vitia quoque cum homileticis virtutibus pugnantia contemptum parere imperantibus ſolent. *Ita popularitas reddit ſubditis gratum principem, ſed deſtituta virtutibus cæteris contemptum parit. Exemplum eſt in Vitellio. qui plebis gratiam captare niſus eſt, candidatos deducendo in curiam & ſenatoribus commendando, ſpectando etiam hiſtriones & circenſes, velut unus ex multis eſſet. Sed hæc potius contemptum quàm gratiam plebis ipſi conciliarunt, quia deprehendebantur fieri ex libidine cui olim fuerat adſuetus. De hoc Tacitus 2. Hiſt. 91. ita: Vitellius* comitia conſulum cum canditatis civiliter celebrans, omnem infimæ plebis rumorem, in theatro ut ſpectator, in circo ut fautor affectavit. quæ grata ſæpè & popularia, ſi à virtutibus proficiſcerentur; memoriâ vitæ prioris indecora ac vilia accipiebantur. *Contra urbanitatem peccantes qui imperant, ſi ſcurrilitatem & ludicras artes amplectantur in maximum contemptum conjiciuntur. Ex hac cauſſâ nonnulli Piſonem hortati ſunt, ut pergeret in caſtra aut roſtra aſcenderet, & experiretur an militem populumq; ad defectionem commovere poſſet: ad omnia enim iſta Neronem velut hominem hiſtrionia & ſcurrilitatibus deditum imparatum eſſe. Verba Taciti 15. annal. 59. hec ſunt:* Fuêre qui proditâ conjuratione, dum auditur Milichus, dum dubitat Scevinus, hortarentur Piſonem, pergere in caſtra, aut roſtra aſcendere, ſtudia militum & populi tentare: Si conatibus ejus conſcii aggregarentur, ſecuturos etiam integros, magnamque motæ rei famam, quæ plurimum in novis conſiliis valeret. Nihil adverſum hoc Neroni proviſum, etiam fortes viros ſubitis terreri; nedum ille ſcenicus, Tigellino ſcil. cum ſuis pellicibus comitante, arma contrà cieret. *Nonnunquam contingit, imperantes quando inter iocos ludibrio aliquem habere volunt, parere in hunc miſericordiam. Exemplum eſt apud Tacitum in Neronem, qui cùm inter ludos rex ſorte crearetur: juſſit Britannicum exurgere & canere cantilenam, ludibrio fore ſperans, movit erga hunc apud ſpectatores miſericordiam: cantabat enim hic, ſe detruſum imperio & ſolio paterno. verba Taciti 13. ann. 15. hec ſunt:* Feſtis Saturno diebus inter alia æqualium ludicra regnum luſu ſortientium, (Herr König ich kom Euch zu hofe) evenerat ea ſors Neroni. Igitur cæteris diverſa, nec ruborem illatura ubi Britannico juſſit, exſurgeret, progreſſusque in medium cantum aliquem inciperet; irriſum ex eo ſperans pueri ſobrios quoque convictus, nedum temulentos ignorantis; ille conſtanter exorſus eſt carmen, quo evolutum cum

ſede patriâ rebusque ſummis ſignificabatur. Unde orta miſeratio.

15. Maximum odium imperantibus parit impietas. *Omnes enim ſubditi commoventur ſentientes iratum in civitatem Numen, ob impietatem capitum imperii, putantque expiari Numen, ſi malum nim. imperantes è medio tollant.*

PARS SECUNDA ARTICULI QUARTI. DE PRINCIPIIS MOTUUM QUÆ INSUNT SUBDITIS IN VITIOSIS FORMIS.

1. Subditorum in vitioſis formis alii volunt non tamen poſſunt, alii poſſunt non tamen volunt, alii & poſſunt & volunt movere bella inteſtina præſensque imperium evertere. Poſſe autem dicuntur dupliciter. nim. de facto & de jure. *Huic meæ contemplationi præbuit principium quod habet Tacitus lib. 1. ann. cap. 13. quando narrat Auguſtum ſupremis ſermonibus tractaſſe*, quinam adipiſci principem locum ſuffecturi abnuerent, aut impares vellent, vel itidem poſſent cuperentque: M. Lepidum capacem ſed aſpernantem; Gallum Aſinium avidum & minorem; L. Arruntium non indignum, & ſi caſus daretur auſurum.

2. In omnibus vitioſis formis jure de Imperio diſceptationem & controverſiam movere poſſunt virtuoſi, nullas tamen turbas dant vel ſeditiones propterea excitant. *Nam virtuoſis deberi imperium ex iis, quæ de optimâ Republ. diſſeruimus, conſtat; honores enim & munera publica ſunt illa inſtrumenta, quibus virtuoſi utuntur ad ſpecimina ſuarum virtutum exercenda & oſtentanda; hæc ſi iisdem denegentur & aliis indignis tribuantur, Jus diſceptandi de imperio concedunt. Sed virtuoſi licet de jure poſſint imperium occupare, nolunt tamen turbas & tumultus ſui juris obtinendi cauſâ dare. Glorioſius enim eſt de jure ſuo remittere, quàm tumultus concitare, imò mori potius quàm cum incommodo patriæ vitam ſuam tueri: Hoc Othonem Imperatorem tam celebrem reddidit, & cùm aliàs homo ſceleratus & luxurioſus eſſet, effecit, ut optimus poſt mortem princeps haberetur: maluerat enim mori, quàm admittere, ut pro ſuo imperio ulterius ſanguis profunderetur. De quo Tacitus 2. H 50. ita:* duobus facinoribus, altero flagitioſisſimo, *cæde nim. Galbæ*, altero egregio, *morte ſumptâ ultrò, ne bellis affligeret Rempubl.* tantundem apud poſteros meruit bonæ famæ, quantum malæ. *Oratio ejus erat plena virtutis, quâ alloquebatur milites ſuos moriturus 2. Hiſt. 47.* Civile bel-

le bellum à Vittellio cœpit, & ut de principatu certaremus armis, initium illic fuit, *ut ſit quod later me horum malorum auctorem non eſſe:* ne plus quàm ſemel certemus, penes me exemplum erit. *Glorioſum quippe mihi reputo, ſi ut eò citius finiatur bellum ego auctor ſim.* Hinc Othonem poſteritas æſtimet. Fruetur Vitellius fratre, conjuge, liberis, *qui in meâ poteſtate ſunt.* Mihi non ultione neque ſolatiis opus eſt: *aggredior enim quid glorioſum quod vindictam vel conſolationem non exigit.* Alii diutius imperium tenuerint: nemo tam fortiter deliquerit. An ego tantum Romanæ pubis, tot egregios exercitus ſterni rurſus & Reipubl. eripi patiar? *Ex his ergò patet, verè virtuoſos de Jure poſſe ſibi petere imperiũ; ſed non facere evitandorũ tumultuũ gratiâ. Glorioſius enim eſt omni carere ſplendore, quàm eundẽ vi et fraudibus ſtudere obtinere.*

3. Cæterum qui virtuoſi non ſunt, nõ contenti præſenti ſtatu, quando putant ſe de facto movere tumultus & vel ſtatum evertere vel imperantes dejicere poſſe, id faciunt. *Quod quis enim vult & poteſt hoc facit. Volunt autem qui virtuoſi non ſunt & ea quæ de jure facere non poſſunt, modò de facto queant. Quapropter conſiderandum eſt, quinam ſubditi velint, & quinam poſſint movere, aut putent ſe poſſe.*

4. Volunt omnes ſtatum præſentem mutatum qui vel infelicitatem & miſeriam præſentem auffugere vel felicitatem ex motibus ſibi parere nituntur. *Quilibet enim hominum felicitatem ſuam quærere infelicitatem & miſeriam declinare nititur.* Felicitatem verò communiter homines collocatam habent in honore, divitiis, voluptatibus corporis; contrà infelicitatem & miſeriam ex turpitudine, paupertate & moleſtiis æſtimant. Omnes ergò appetentes vel fugere turpitudinem, paupertatem vel damna in re familiari & moleſtias, vel perſequi honores, divitias & voluptates volunt nova motusque moliuntur. *Egeſtate multos ad res novas adductos varii hiſtorici teſtantur; & ſufficere vel ſolius Saluſtii poſſet hiſtoria quam de bello Catilinario ſcripſit. Nos Tacito noſtro inhærentes ex ejusdem ſcriptis commemorabimus quod habetur 3. ann. 40. quando deſcribens ſeditionem in Galliâ ita ait:* Eodem anno Gallorum civitates ob magnitudinem æris alieni rebellionem cœptavere, cujus exſtimulator acerrimus inter Treveros Julius Florus, apud Æduos Julius Sacrovir. nobilitas ambobus & majorum bona facta, eoq; Romana civitas olim data, cùm id rarũ, nec niſi virtuti preciũ eſſet. Ii ſecretis colloquiis, ferociſſimo quoq; adſumto, aut quib9 ob egeſtatẽ ac metũ ex flagitiis maxima peccandi neceſſitudo. *ære enim aliquo gravati tempore pacis niſi metu judicii coguntur, turbatis rebus ab hoc metu immunes ſunt. Quibus enim* afflicta fides in pace, hi turbatis rebus alacres, &

per incerta tutiſſimi *ſunt* 1. *H.* 88. *fin. Hinc Taciti axioma : Ab inopiâ præcipua audacia* 14. *annal.* 57. *Moleſtiæ & turpitudinis ſeu ignominiæ fugiendæ cauſſâ nonnulli movent ; & alii quidem, ut moleſtias declinent præſentes, alii, ut futuras & imminentes. Sic cùm Romã allatus eſſet rumor, Gallos deſciviſſe,* optimus quiſq; Reipubl. curâ mærebat : multi odio præſentium, & cupidine mutationis, ſuis quoque periculis lætabantur. *Metus malorum imminentium, præſertim ſi ſuis flagitiis eadem commeriti non ſint prætextus quidam ſæpenumerò eſt, quò motus non videantur injuſti : neq; enim injuſtum videtur quod quis periculorum evitandorum gratiâ facit. De Othone res novas molsente Tacitus* 1. *H.* 21. *ita :* Fingebat & metum, quò magis concupiſceret, *i. e. ut eò juſtius videretur affectare imperium prætendebat metum.* Prægravem ſe Neroni fuiſſe, nec Luſitaniam rurſus aut alterius exilii honorem eſſe expectandum. *i. e. Neronem non potuiſſe ipſum præſentem ferre, ſed eum ſub ſpecie honorum, quaſi præficeret Luſitaniæ, eò relegaſſe. Hoc iam honoratum exilium à Galbâ non eſſe expectandum.* Suſpectum ſemper iuviſumque dominantibus qui proximus deſtinaretur. *Propenſiſſimi ſunt qui ex quiete & motu idem vel ex quiete mali habent metuendum. Ita Otho cit. loc.* non contatione opus, ubi perniciſior ſit quies, quàm temeritas. *Ita Mucianus trahebat Veſpaſianum ad invadendum imperium & Vitellium dejiciendum, oſtendens ambos incidiſſe in neceſſitatem oppugnandi Vitellium, propterea, quòd de invadendo imperio deliberarint, & hinc eodem reputentur, ac ſi jam defecerint, verba Muciani* 2. *H.* 77. *fin. ita refert Tacitus :* Sed & meliorem in bello cauſſam quàm in pace habemus. Nam qui deliberant deſciverunt. *Porrò quàm varia ſint moleſtæ odium inimicitiasq; parientia part.* 3. *l.* 5. *cap.* 1. *membr.* 3. *à nobis enarratum eſt, nec repetitione indiget.* Præcipua ex iis quæ hûc referri & applicari poſſunt ſunt morum diverſitas in ſubditis & imperantibus. *Moleſtum namque eſt velut cum libertate pugnans ſub peregrini imperio eſſe. Ita cum Cheruſcis cœpiſſet imperare rex Italus, qui diu Romæ vixerat : petita eſt anſa querendi à præcipuis populi :* adimi veterẽ Germaniæ libertatem, & Romanas opes inſurgere, adeò neminem iiſdem in terris ortum, qui principis locum impleat : niſi exploratoris Flavii progenies ſupra cunctos attollatur ? Fruſtrà Arminium præſcribi : *(i. e. prætendi, ac ſi Italus ſit Arminio ſanguine junctus)* cujus ſi filius hoſtili in ſolo adultus in regnum veniſſet, poſſe extimeſci, infectum alimoniâ, ſervitio, cultu, omnibus externis. *Item* ſi ſubditi implicentur multitudini laborum, quibus non adſueti ſunt. *Item* ſi concipiant ſe impediri ab imperantibus in iis quæ appetunt. &c. *Contrà voluptatis, lucri, gloriæ & imperii cauſſâ itidem motus oriri inde*

patet.

patet. Sunt enim nonnulli qui nullam aliam ob cauſſam turbas concitant, quàm quòd hiſce delectentur. Hac ex cauſâ ſeſe ſociarunt multi impoſtori qui Scribonianum ſe Camerinum ferens magnas res favorabili principio moliebatur: de quo Tacitus 2. Hiſt. 27. Exſtiterat quidam Scribonianum ſe Camerinum ferens Neronianorum temporum metu in Hiſtriâ occultatum, quod illic clientelæ & agri veterum Craſſorum, ac nominis favor manebat. Igitur acerrimo quoque in argumentum fabulæ adſumpto *(i. e. improbo quoque conciliato, ut teſtimonium ferret, impoſtorem illum reverà Scribonianum eſſe)* vulgus credulum, & quidam militum errore veri, ſeu turbarum ſtudio, certatim aggregabantur. *Spes lucri ex novis rebus multos quoque excitat ad tumultus. Ita Cecina & Valens Vitellium inſtigarunt adverſus Othonem ducti lucri cupiditate, Tacitus 1. H. 52.* Profusâ cupidine *(i. e. immoderatâ aviditate lucrandi)* inſigni temeritate, legati legionum Alienus Cæcina & Fabius Valens: è quibus Valens infenſus Galbæ &c. inſtigare Vitellium, ardorem militum oſtentans. *Quin vulgus hominum ad motus & bella non melius quàm raptus & latrocinia concedendo allicitur: erat hoc axioma Othonis: Vulgus & plures ſeditionibus & ambitioſo imperio lætos per turbas & raptus ad civile bellum impelli. 1. H. 81. Honoris cauſâ movent, qui vident, non niſi turbidis rebus ad dignitatem ſe pervenire poſſe. Sic Othoni,* cui compoſitis rebus nulla ſpes *conſequendi dignitatem,* omne in turbido conſilium. 1. *H.* 21. *Tanta enim regnandi apud homines cupido eſt, ut nil non imperii obtinendi gratiâ ſubeant. Sic fertur Agrippina* ardore retinendæ potentiæ eousque provectа, ut medio diei, cùm id temporis Nero per vinum & epulas incaleſceret, offerret ſe ſæpius temulento comptam & inceſto paratam. 14. ann. 2. Eſt namque cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior. 15. *ann.* 53 *fin. Nonnullos autem non imperium ipſum æquè ac ea, cum quibus conjunctum putatur, excitat. Ita idem Otho ad imperium invadendum illiciebatur* ab intimis libertorum & ſervorum qui aulam Neronis & luxus adulteria, matrimonia cæteraſque regnorum libidines avido talium, ſi auderet, ut ſua *(i. e. quaſi jam in manu ipſius eſſe)* oſtentabant, quieſcenti *(non audenti invadere imperium)* ut aliena exprobrabant. *i. e. reprehendebant, quod pateretur hæc, quaſi ſolus hiſce dignus, alium habere.) Nonnulli nec imperium, ſed ex ſolo facto gloriam affectantes invadunt eos qui imperant. Tales ſunt qui vitam ſuam parvi faciunt, modo facinus glorioſum perpetrent, quo nomen ſuum æternare poſſint.*

5. Sequitur ut videamus quinam concipiant ſe poſſe movere. *Nam non omnes ſubditi poſſunt movere, reſiſtentibus imperantibus & pa-*

& pœnas graviſſimas ſeditioſis infligentibus. Omnis ergò tentans aliquid ſeu adverſus imperium ſeu adverſus imperantes vel id facit apertè & vi vel clandeſtinè. *Nam quicquid cum periculo & metu pœnæ conjunctum eſt & fit aliis nolentibus id vel violentum vel clandeſtinum eſt.* Vi & apertè rē aggrediuntur vel ii, qui nullas metuunt pœnas vel qui reſiſtentib9 imperantibus pares aut ſuperiores eſſe poſſe putant. *Nā nullos cruciatus nullas pœnas metuentes quidvis in alios ſtatuere poſſunt.* Omnes autem qui æſtimant quid valeant & an ſuperiores eſſe poſſint eo, adverſus quem movent, petunt æſtimationem vel à numero, vel à potentiâ vel à virtute vel à fortunâ. Numero ſuperiores ſe putant, qui ſe ſolo quanto vincere poſſe opinantur. *Ita decem ruſtici unum ſtrenuum militem ſuperare valent.* Potentia conſiſtit in divitiis, amicorum, vaſallorum, confœderatorum copiâ, locorum munimine. *Sic miles in Oriente, poſt quam vulgatum erat,* Othonem ac Vitellium ſceleſtis armis res Romanas raptum ire, ne penes cæteros imperii præmia, penes ipſos tantum ſervitii neceſſitas eſſet, fremere & vires ſuas circumſpicere. Septem legiones ſtatim, & cum ingentibus auxiliis Syria Judæaque: inde continua Ægyptus, duæque legiones: hinc Cappadocia Pontusque, & quicquid caſtrorum Armeniis prætenditur. Aſia & cæteræ provinciæ nec virorum inopes, & pecuniæ opulentæ. quantum inſularum mari cingitur, & parando interim bello fœcundum tutumque ipſum mare. 2. *H.* 6. *fin. Ita Mucianus trahebat Veſpaſianum ad bellum adverſus Vitellium, ponendo ob oculos potentiam:* Tibi, *ajebat*, è Judæâ & Syriâ & Ægypto novem legiones integræ, nullâ acie exhauſtæ non diſcordiâ corruptæ, ſed firmatus uſu miles, & belli domitor externi. Claſſium, alarum, cohortium robora: & fidiſſimi reges. 2. *H.* 76. *fin.* Ratione virtutis ſe ſuperiores eſſe poſſe exiſtimant feroces, audaces, confidentes. *Tales ſunt qui corpus habent patiens inediæ, vigiliarum, laborum. Nam* induſtria ac vigilantia *licet talia ſint quæ virtuoſos quam maximè decent*, haud minus *tamen* noxiæ, quoties parando regno finguntur 4. *ann.* 1. *Confidentes reddit experientia militaris.* 2. *Hiſt.* 76. *fin. Egregius huc facit textus* 2. *Hiſt.* 5. *ubi Tacitus deſcribit Veſpaſianum & Mucianum ſeſe Vitellio opponentes & virtutibus ſuis confiſos.* Veſpaſianus, *inquit*, acer militiâ, anteire agmen, locum caſtris capere, *metatoribus non fidendo*, noctu diuque conſilio, ac ſi res poſceret, manu hoſtibus obniti, cibo fortuito, veſte habituque vix à gregario milite diſcrepans; prorſus, ſi avaritia abeſſet, antiquis ducibus par. Mucianum econtrariò magnificentia & opes, & cuncta privatum modum ſupergreſſa extollebant, aptior ſermone, diſpoſitu,

ſitu, proviſuq; , civilium rerum peritus.egregium principatus temperamentum, ſi demtis utriusq; vitiis, ſolæ virtutes miſcerentur. *Ex quibus diſcimus virtuti ſuæ confidere eos qui præter tolerantiam laborum, quam habent etiam inſtructi ſunt aſtutiâ & facultate dicendi. Nam talibus nihil deeſſe videtur virtutis, quod ad res novas & magnas ſuſcipiendas requiritur.* Fortunam proſperam &hac ſeſe ſuperiores eſſe poſſe ſibi promittunt, qui antea multa facinora & periculis plena negotia feliciter ad finem perduxerunt. *Exemplum eſt in Artabano rege Parthorum*: qui ſuperbiam in Romanos, ſævitiam in populares ſumpſit, fretus bellis, quæ ſecunda adverſus circumjectas nationes exercuerat. *6. ann. 31. item* qui perſuaſi ſunt à genethliacis ſe fato benigno & ad præclaras maximasque res gerendas eſſe natos. *Sic Othonem concitant ad invadendum imperium mathematici*, dum novos motus & clarum Othoni annum obſervatione ſyderum affirmant genus hominum, potentibus *ſeu iis qui in imperio ſunt* infidum, ſperantibus fallax, quod in civitate *Romanâ & vetabatur ſemper & retinebatur. 1. Hiſt. 22. Nonnunquam reperiuntur, qui fortunæ omnia tribuunt & tutiſſima à præſentibus eligunt, de cæteris parum ſolliciti; exemplo Julii Cæſaris, qui ajebat*: Eatur quò Deorum oſtenta & inimicorum iniquitas vocat, jacta eſt alea. *Sueton. in eod. Hi omnes porrò in ſuâ opinione firmantur, ſi imperantes, adverſus quos bella movent, ſint homines imbelles aut impotentes; ita Artabanus* fretus bellis, quæ ſecunda adverſus circumjectas nationes exercuerat, & ſenectutem Tiberii ut inermem deſpiciens *6. ann. 31. Sic Cæcina & Valens hortantur Vitellium, ut Galbam aggrediatur*, precarium *enim* ſeni eſſe imperium *i. e. nullâ propriâ potentiâ ſubnixum*: & brevi tranſiturum. 1. *H.* 52. *Item. Si imperantes Deum adverſarium habere videantur.*

6. Qui vident ſe ſolâ vi & apertè invadere imperium vel ipſo aut Jure aut facto nō poſſe, adhibent media clandeſtina & fraudulenta, quibus diſſimulant voluntatem & potentiam callidè res magnas tractandi, ſimulantque Jus ſi finem obtinuerint. *De quibus agetur, quando de Ratione ſtatûs tractaturi ſumus.*

7. Quæ hactenus tradita ſunt, nos manuducunt, ut generaliter dicamus, ſeditiones & mutationes vitioſarum formarum habere ſua principia & cauſſas etiam in ſubditis aut vitioſis aut virtutibus deſtitutis. *Nam demonſtravimus, virtuoſos, licet de Jure poſſint, non tamen imperium appetere, ſi non niſi vi, fraudibus & dolo occupari poſſit: eos verò qui virtutibus deſtituti felicitatem ſuam in honore, divitiis, & voluptatibus corporis poſitam habent motus & ſeditiones concitare, quique putant ſe vel vi vel dolo & fraudibus impunè finem ſuum obtinere poſſe. Ex*

quibus patet, ad ſeditiones & motus pronos eſſe homines avaros, luxurioſos, intemperantes & prodigos, ambitioſos & ſuperbos, iracundos, audaces, feroces, petulantes, leves, invidos, ex ſuis actionibus vitioſis mala metuentes, & in ſummâ omnes eos qui inordinato amore ſui (qui principium eſt omnis inimicitiæ, ut part. 3. demonſtratum dedimus) ducuntur. Qui enim lucri cupiditate, aut ut fugiant egeſtatem motus concitant avari ſunt: at fugâ paupertatis & lucri cupidine duci homines ad motus modò demonſtratum eſt. Prodigalitas in improbis cauſſa remota eſt motuum: parit enim paupertatem, & hæc avaritiam, quâ ducti res novas moliuntur. Ex hoc fundamento accuſabatur Torquatus Silanus tanquam homo factioſus: Juſſi *enim* id accuſatores objicere, prodigum *eum* largitionibus, neque aliam ſpem quàm in novis rebus eſſe. 15. *ann.* 35. *Sic Otho*, cui luxuria etiam principi oneroſa, inopia vix privato toleranda *omne in turbido conſilium habebat.* 1. *Hiſt.* 21. *Luxurioſi & intemperantes tendunt ad hoc, ut ſua flagitia & voluptates impunè exercere poſſint. His autem moveri homines ad imperium invadendum paulò antè docuimus. Qui enim imperio pollent impunè talia committere ſe poſſe putant. Superbiam & ambitionem cauſſas eſſe motuum nullum eſt dubium. Nam ſolo honoris ſtudio nonnunquam homines duci ad motus modò diximus: hi autem ſuperbi ſunt & ambitioſi; quia non appetunt honores eo modo quo debebant. Iracundia quoq; motuum cauſſa exiſtit. Nam ſæpè improbi homines, ut ulciſcantur injurias, totum aliquod turbant imperium. Sic Othonem exſtimulabat* in Galbam ira, *quòd ſcil. ab ipſo non eſſet adoptatus, ſed Piſoni poſtpoſitus* 1. *Hiſtor.* 21. *Audacia porrò & ferocia, quæ ſpecies quædam audaciæ eſt, (ferox enim propriè eſſe videtur, qui ex petulantiâ quâdam ſe conjicit in pericula) faciunt, ut improbi concipiant, ſe poſſe motus periculoſos feliciter conficere. Hinc ſolent qui res novas moliuntur ferociſſimos quoſq; ſibi conciliare. 3. ann. 40. verb. ferociſſimo quoq;. Impellit & levitas improbos homines ad motus & tumultus concitandos imperiaque mutanda. Sic Tacitus diſſerens de cauſſis quibus Cæcina & Baſſus moti videantur, ut à Vitellio deſciverint, inter alias etiam refert levitatem quando 2. H. ult. ita ait:* Nobis ſuper inſitam levitatem, & prodito Galbâ mox vilem fidem, æmulatione etiã invidiâq;, ne ab aliis apud Vitellium anteirentur, pervertiſſe ipſum Vitellium videntur. *Similis levitati eſt petulantia, quia utraq; in incogitantiâ quâdam poſita eſt. Leves enim ſunt qui per incogitantiam & ſine ſufficienti ratione propoſitum mutant; petulantes qui per incogitantiam varia etiam periculoſa tentant. Unde fit, ut quandoq; petulantia degeneret in perfidiam. 2. Hiſt. 27. fin. Nam dum petulantes ex varietate rerum novarum & periculoſarum voluptatem percipiunt, tandem etiam, ſi nihil aliud ſupereſt, adi-*

adverſus imperantes nova moliuntur. Differunt autem leves & petulantes, hi enim in novis inanem tantum jucunditatem, illi ex novis commodum quoddam interdum exiguum quærunt. Tacitus 1. *H.* 88. leviſſimus quisque & futuri improvidus ſpe vanâ tumens. *Rapiuntur & qui virtutibus deſtituuntur, quorſum ducunt affectus, amor, odium, metus, confidentia &c. Et de metu quidem ſæpius diximus. De invidiâ autem & æmulatione, quæ in eſt improbis adhuc monendum reſtat, hos affectus multorum magnorumque motuum cauſſas ſæpenumero exiſtere. Parit autem invidia motus duobus modis: vel enim ſubditi erga imperantes vel erga alios ſubditos, qui ab imperantibus magni fiunt, invidioſi concitant ſeditiones. Sic Otho ductos invidiâ in Piſonem, ſibi à Galbâ præpoſitum* 1. *H.* 21. *Cæcina & Boſſus, ut modo ex* 2. *H. cap. ult. memoravimus*, æmulatione invidiâq;, ne ab aliis apud Vitellium anteirentur, pervertiſſe ipſum Vitellium videntur.

ARTIC. V.
DE
CAUSSIS STATUM TYRANNICUM EVERTENTIBUS.

1. Conſultum videtur ſingula ab initio repetere, & omnes odiorum, diſſenſionum & querelarum cauſſas quatenus ſingulis vitioſis Rebuspubl. inſunt contemplari. *Nam hoc accuratè noſſe nobis proderit in inquirendis adverſus mala remediis; quæ conſiderabimus paulò poſt, quando de ratione ſtatûs tractaturi ſumus.*

2. Et primò quidem ſolus tyrannus cum ſuis miniſtris videtur Rempubl. propriam habere: unde fit ut nulli ſubditi curam illius habeant quò ſalva maneat. *Nam cùm ſubditi à conſiliis excludantur & ſolus cum ſuis miniſtris tyrannus conſilia tractet: à cæteris Reſpubl. aliena videtur. Tacit.* 1. *Hiſt.* 1. *verb.* inſcitiâ Reipubl. ut alienæ. *Quare ſubditi eam tanquam alienam negligunt nec amant (proprium enim eſſe debet quod communiter hominibus amabile eſt) ac proinde nec illius ullam curam habent ut ſalva ſit. Definivimus quippe part. præced. quod amare ſit curam alicujus habere, ut ſalvum ſit.*

3. Secundò quia ſolus tyrannus imperium habet, idque privati commodi gratiâ exercet, naſcitur apud eos, qui ad hunc affectum inclinati ſunt invidia in tyrannum, quæ porrò inimicitias & odia parit. *Definivimus enim invidiam part.* 2. *l.* 1. *c.* 3. *membr.* 4. *affectum parientem moleſtiam ob felicitatem ex bonis quâ gaudent qui nobis ſimiles ſunt aut inferiores, ob hoc, quòd quis nolit hæc alteri adeſſe. Quia ergò tyrannus ſolus imperans excludit multos alios genere, ætate, cognatione, divitiis, exiſtimatione, potentiâ, virtutibus animi & corporis pares*

vel ſuperiores : conſequens eſt, cum in perpetuâ vivere invidiâ. Invident ergò tyrannis 1. omnes qui genere ſunt pares vel ſuperiores. *Hinc fratrum illæ circa imperium æmulationes & diſcordiæ.* 15. *ann.* 2. *verb.* videbatque contra vetera fratrum odia & certamina familiæ noſtræ penates ritè compoſuiſſe. *Ita cùm Nero fratrem Britannicum occideret, facinori* plerique hominum ignoſcebant, antiquas fratrum diſcordias & inſociabile regnum æſtimantes. *i. e. ponderantes, quantum diſcriminis imperio ex fratrum invidiâ naſcatur. Hoc intelligens Sejanus* fratrem Neronis Druſum traxit in partes *ſuas & contra fratrem inſtigavit*, ſpe objectâ principis loci, ſi priorem ætate & jam labefactum dimoviſſet. Atrox enim Druſi ingenium ſuper cupidinem potentiæ, & ſolita fratribus odia, accendebatur invidiâ quòd mater Agrippina promptior Neroni erat. 4. *ann.* 60. *Sic Piſo* Druſum haut fratris interitu trucem, quàm remoto æmulo æquiorem ſibi ſperabat. 3. *annal.* 8. *Similiter ſe res habet in agnatis, cognatis vel etiam hominibus diverſi generis dignitate tamen paris. Nec ab invidiâ retrahit caritas naturalis, quæ inter fratres ex identitate ſanguinis exiſtere ſolet.* Nam cupido regni fratre & ſorore potior eſt. *Exemplum eſt apud Tacitum* 12. *annal.* 48. 2. Invidiæ quoque pleni ſunt, qui res ſtrenuè pro patriâ gerunt aut aliàs benè de hac merentur : *eadem enim aut ſuperiora ſeſe habere concipiunt ac qui imperat ; & ex hac paritate naſcitur invidia.* 3. Qui apud plebem in honore ſunt. *Nam ex honore ultrò oblato concipiunt, ſe imperio quoq; dignos, & ita imperantibus pares: unde invidia.* 4. gloriæ & honoris ſtudioſi. *Suum enim hi arbitrantur, cujus ſtudioſi ſunt : & hinc invidia erga alios idem habentes. Nam cùm homines doleant ob bona quæ alii homines habent quibusq; ſe quoque dignos æſtimant, tum verò major ſit dolor, ſi videant alterum impedimento eſſe, quominus & ipſi eadem poſſideant. Hinc illud : & figulus figulo invidet. Alter enim alterius lucellum ex arte captandum impedit.* 5. Qui olim cum imperantibus de gloriâ contenderunt. *Hi namque ſimiliter ſuum eſſe putant bonum quod imperantes habent.* 6. Qui vel quorum majores magno cum labore adepti ſunt, quod qui imperant vel horum majores nullo labore acquiſiverunt. *ut ſi principis alicujus majores potentiam ſibi ſuam conjugiis, alterius, ſudoribus bellicis parârint : hic enim invidet illi ; quia quod ſibi juſtius deberi putat hoc alterum poſſidere videt.* 7. Qui ejusdem generis vel potentiæ exiſtentes cum imperantibus ætate majores ſunt. *Nam hi imperantibus Junioribus invident ; quia putant ſibi dudum debitum quod hi habent. unde eò major invidia.*

4. Tertiò quia tyrannus nequit ullum meritum ſuæ perſonæ alle-

allegare (*ponimus enim eum tyrannum qui nec ex virtute propriâ nec ex virtute majorum ſuorum ſeu generis ſui nec ex ullo alio ſuo merito aut beneficio erga civitatem imperat*) & ita nullo in Jure fundatum habet imperium, comitatur eum ſtomachatio. *Definivimus enim part. 2. lib. 1. c. 3. membr. 4. ſtomachationem, affectum cum moleſtiâ conjunctum natum exinde, quòd quis aliquo bono indignè fruatur. Indignè autem frui videtur qui nec proprium nec generis ſui meritum allegare poteſt.* Hinc ei, qui imperium ſuum à majoribus habet, non facilè ſtomachantur. *Nam bonum antiquum poſſidens minus indignè habere videtur; magis enim ut ſuum & quaſi ex præſcriptione illud habet.* At qui nullâ ex familiâ illuſtri oriundi nuper divitias, potentiam & imperium nacti ſunt ſine ullo ſatis manifeſto ſuo merito, moleſtias hoc ipſo cæteris hominibus creant & quidem eò majores, quò minus digni videntur. *Hi enim quicquid habent ut alienum ſibique non conveniens habere videntur. Injuſtum enim apparet quicquid alienum ut ſuum quis habet: it. quod quis non convenienter habet; quia Juſtum in analogiâ quâdam conſiſtit. Eſt autem inconveniens, hominem ignobilem & nullâ propriâ virtute nobilitatum poſſidere imperium.* Ejusmodi tyrannus recens imperium nactus etiam ſtomachationem movet in aliis exteris & vicinis regibus: unde & ab extraneis ſibi metuendum habet. *Nam Reges extranei ex genere illuſtri oriundi moleſtiâ afficiuntur, quando vident hominem incogniti & vilis generis pari cum iisdem dignitate frui.* Omnes præterea ſtomachantur, qui de Juſto judicare poſſunt ſapienter & prudenter. *Nam quò eſt exactius & ſubtilius Judicium de Juſto & fundamentis Rerumpublic. eo vehementior eſt ſtomachatio; quia ex Judicio de Juſto & injuſto hic affectus oritur, ut ex definitione ejusdem patet.* Sed hi nihil movent; *quia paulò antè demonſtravimus, virtuoſos licet juſtè imperium petere poſſint, non tamen tumultus concitare.* Hi autem & ſtomachantur & hoc affectu ducti tumultus quoque concitant qui genere, potentiâ, divitiis ſuperiores tyranno exiſtunt: *auget enim moleſtiam dum vident, alterum indignè poſſidere id, quo ſe dignos autumant.*

5. Quartò quia Jus quo regitur civitas tyrannicâ formâ utens eſt voluntas vitioſi hominis, quæ principium omnium actionum civilium exiſtens totam civitatem infelicem reddit, quemadmodum hominem quemque ſua voluntas corrupta, tum quidem flagitioſi homines aliquandiu hoc Jure delectantur, donec malâ conſcientiâ ducti & ſeipſos & tyrannum oderint, honeſtatis verò ſtudioſos ſemper odiſſe tyrannum neceſſe eſt: *Contingit enim nonnullis placere tyrannicum imperium, iis ſcil. qui cupiditatibus immerſi amici tyrannorum*

ſunt: quales erant in Romanâ Juventute adoleſcentes, *poſt exactos reges*, quorum in regno libido ſolutior fuerat, æquales ſodalesque adoleſcentium Tarquiniorum, adſueti more regio vivere: qui eam tum æquato jure omnium licentiam quærentes, libertatem aliorum in ſuam vertiſſe ſervitutem inter ſe conquerebantur. Regem hominem eſſe, à quo impetres, ubi Jus ubi injuria opus ſit: eſſe gratiæ locum eſſe beneficio; & iraſci & ignoſcere poſſe: inter amicum atque inimicum diſcrimen noſſe: leges rem ſurdam, inexorabilem eſſe, ſalubriorem melioremque inopi quàm potenti: nihil laxamenti nec veniæ habere, ſi modum exceſſeris: periculoſum eſſe in tot humanis erroribus ſolâ innocentiâ vivere. *Liv. lib. 2. cap. 3. Scil. plures ſemper improbi, qui vitioſis actionibus delectantur, quàm probi ſunt; & illi ſæpenumerò peſſimam ſubeunt ſervitutem, quò vitioſas actiones impunè exercere poſſint, & ita delectantur aliquandiu principis vitioſis actionibus: ſed quemadmodum mali homines tandem ſeipſos oderunt: ita quoque malâ ſubortâ conſcientiâ ſubditi tyrannum, cujus ductu vitioſis actionibus immerſi ſunt, odiſſe tandem ſolent. Sic cùm Nero carmina in ſcenâ recitaret, & flagitante populo, ut omnia ſua ſtudia publicaret, ingrederetur theatrum cunctis cytharæ legibus obtemperans i. e. obſervans omnia quibus cytharœdi adſtricti erant. plebs applaudebat.* crederes, *inquit Tacitus 16. ann. 4. & ſeq.* lætari, ac fortaſſe lætabantur, per incuriam publici flagitii. Sed qui remotis è municipiis ſeveramque adhuc, & antiqui moris retinentes Italiam, quique per longas provincias laſciviæ inexperti, neque adſpectum illum tolerare neque labori inhoneſto, *ut ſcil. clamore & manuum colliſione cytharœdum illum laudarent*, ſufficere. *Sed quamvis apud paucos tacito voto bonus & innocens princeps pro peſſimis ac flagitioſiſſimis expetatur, quia rari ſunt boni: ſuboritur tamen tandem & in improbis aliquod faſtidium principum, quorum flagitia ac dedecus publicè noſcuntur. 2. Hiſt. 37. init. Ex his patet, licet tyrannus improbis ſuis actionibus apud peſſimos quosq; & iiſdem vitiis immerſos amicitiam paret, hanc tamen diuturnam & conſtantem non eſſe, & talem qualem vitioſi ſecum ipſis habent. Hùc referri poteſt illud Euripidis*

> ὐδὲν τυράννυ δυσμενέστερον πόλει,
> ὅπου τὸ μὲν πρώτιστον οὐκ εἰσὶ νόμοι
> Κοινοί. κρατεῖ δ' εἷς τὸν νόμον κεκτημένος.

6. Quintò quia ſuprà diximus, Jus tyranni eſſe, ſublatâ libertate omnibus velut ſervis uti, & à divitibus pecuniam extorquere, pauperes laboribus & graviſſimis ſervitiis onerare, virtuoſos ſup-

ſupprimere & flagitioſos extollere: neceſſe eſt tyrannum apud eos, qui libertatis & divitiarum amantes, laboribus verò adſueti non ſunt & apud omnes bonos quoque, qui aliàs amicitiæ & unitatis amantes exiſtunt in perpetuo vivere odio. *Libertatem namque naturâ & bruta amant 4. Hiſt. 17. quam aut tenere aut ante ſervitium mori decet 2. annal. 15. pro quâ vincendum aut cadendum. 14. annal. 35 fin. ſerviunt enim quibus major vita quàm gloriæ cupido, ingenuis hominibus deſtinatum eſt cum libertate occidere. 4. ann. 50. Quapropter plenum odii eſt & inimicitiarum imperium herile in liberos homines exercitum. Et quia liberorum hominum duo ſunt genera: alii enim ſunt virtuoſi & hi iterum vel recens acquiſitas virtutes habent vel majorum ſuorum, qui ſcil. ex illuſtri familiâ oriundi ſunt; alii virtutibus deſtituti & hi vel divites vel pauperes: tyranni virtuoſos & nobiles genere claroſq; ſupprimunt, ne virtutibus præemineant, flagitioſos fovent. Sic ſub Tiberio* incedebat deterrimo cuique licentia impunè probra & invidiam in bonos excitandi, arreptâ imagine Cæſaris: libertique etiam ac ſervi, patrono vel domino, cùm voces, cùm manus intentarent *i. e. injuriis verbalibus vel realibus afficerent*, ultrò metuebantur. *3. ann. 36. Quin ſæpè homines viliſſimi admoventur ad imperium excluſis nobilibus & virtuoſis. Ita Tacitus de Creſcente Neronis liberto 1. Hiſt. 76.* Nam in malis temporibus partem ſe Reipubl. fecerat. *i. e. In tyrannico ſtatu auſus erat vilis iſte homo ſe immiſcere curis Rempubl. concernentibus. Idq; tunc quammaximè obtinet, ſi tyrannis ope flagitioſorum fuerit acquiſita. Tacitus 1. Hiſt. 83.* Otho quanquam turbidis rebus & diverſis militum animis, cùm optimus quiſque remedium præſentis licentiæ poſceret: vulgus & plures ſeditionibus & ambitioſo imperio (*i. e. in quo principes ambitione coguntur vulgo indulgere*) læti, per turbas & raptus facilius ad civile bellum impellerentur; ſimul reputans, non poſſe principatum ſcelere quæſitum ſubitâ modeſtiâ & priſcâ gravitate retineri *mulcendo milites ſeditioſos coactus eſt ad præſens componere quos coercere non poterat. Neceſſe autem eſt ejuſmodi tyrannos apud omnes honeſtos & bonos in odio eſſe.* Divitibus porrò in ſtatu tyrannico aufferuntur bona: aut ſi id de facto fieri nequit, ſtruuntur iiſdem inſidiæ. *Sic divitiæ exitio fuere Sexto Mario. Tacitus 6. ann. 19.* Poſt quos Sextus Marius Hiſpaniarum ditiſſimus defertur inceſtaſſe filiam, & ſaxo Tarpejo dejicitur, ac ne dubium haberetur magnitudinem pecuniæ malo vertiſſe aurariaſque ejus, (*i. e. ne lateret, ſed cuique manifeſtum fieret non tam crimina quàm divitias & aurifodinas mortem peperiſſe*) quanquam publicarentur, *ſeu ærario adjudicarentur*, ſibimet Tiberius ſepoſuit. *Item Valerio*

Aſiati-

Aſiatico, de quo 11. *annal.* 1. Nam Valerium Aſiaticum bis conſulem, fuiſſe quondam adulterum ejus (*Pompejæ Sabinæ*) credidit: pariterque hortis inhians *Meſſalina uxor Cæſaris*, quos ille à Lucullo emptos inſigni magnificentiâ extollebat, Suilium accuſandis utriſque *Aſiatico & Pompejæ* immittit. Adjungitur *ab eâdem Meſſalinâ* Soſibius Britannici educator, qui per ſpeciem benevolentiæ moneret Claudium, auri vim atque opes principibus infenſas &c: *Idem contigit Statilio Tauro ab alterâ ejusdem Imperatoris conjuge Agrippinâ* 12.*ann.*59. At Claudius ſæviſſima quæque promere adigebatur ejusdem Agrippinæ artibus, quæ Statilium Taurum opibus illuſtrem hortis ejus inhians pervertit, accuſante Tarquitio Priſco. *Ex his diſcimus, tyrannos ductos vel avaritiâ vel quòd ipſis divitiæ præſertim cum virtute conjunctæ ſuſpectæ ſint divites pervertere.* *Tacit.* 1. *ann.* 13. Poſt quæ L. Arruntius haud multum diſcrepans à Galli oratione perinde offendit, quanquam Tiberio nulla vetus in Arruntium ira: ſed divitem, promptum, artibus egregiis & pari famâ publicè ſuſpectabat. *His accedit etiam invidia. neque enim ferre poſſunt tyranni, ut ullus civium magnificos opes oſtentet. Hinc Senecæ infenſi eundem variis criminationibus adoriebantur,* tanquam ingentes & privatum modum evectas opes adhuc augeret, quòdque ſtudia civium in ſe verteret, hortorum quoque amœnitate & villarum magnificentiâ quaſi principem ſupergrederetur. *Contrà Regulus licet* auctoritate, conſtantiâ, famâ, in quantum præumbrante imperatoris faſtigio datur, clarus, adeò ut Nero æger valetudine, & adulantibus circum, qui finem imperio adeſſe dicebant, ſi quid fato pateretur, reſponderit, habere ſubſidium Rempubl. im Memmio Regulo: vixit tamen, quiete defenſus, & quia novâ generis claritudine, neque invidioſis opibus erat. *Pauperibus tyranni imponunt labores partim ſui commodi cauſſâ, quia ſubditis utuntur velut inſtrumentis domeſticis; partim etiam quia populus otioſus facilè laſcivus redditur. Contrà vulgus hominum luxum & otium cupit, diſciplinam & laborem aſpernatur.* 1.*ann.* 16. *Hinc ſeditiones.* 1. *annal.* 31. inferioris exercitus miles in rabiem prolapſus eſt, orto ab unâ & viceſimanis quintaniſque initio & tractis primâ quoque ac viceſim legionibus, nam iiſdem æſtivis in finibus Ubiorum habebantur, per otium aut levia munia. Igitur audito fine (*morte*) Auguſti vernacula multitudo, nuper acto in urbe delectu, laſciviæ ſueta, laborum intolerans, implere cæterorum rudes animos. *Contingunt & odia, ſi plebs libertati dedita ſordidis laboribus implicatur. Exemplum præbet Tarquinius apud Liv. lib.* 1. *c.* 59. *de quo citatus Autor ita:* addita *crudelitati* ſuperbia regis, miſeriæque & labores

bores plebis in foſſas cloacasque exhauriendas demerſæ: Romanos homines victores omnium circa populorum opifices ac lapidicidas pro bellatoribus factos. His incenſam multitudinem perpulit *Brutus*, ut imperium regi abrogaret, exulesque eſſe juberet Tarquinium cum conjuge & liberis. *Ex his omnibus patet, in tyrannico imperio nihil tutum vel ſecurum nihil amicum, ſeu divitibus relinquantur ſeu adimantur bona, ſeu labores imponantur inopibus ſeu otium permittatur.*

7. Sextò quia nihil amabile habet tyrannus, omnia officia ſubditorum adhibitâ vi metuque pœnarum extorquere tenetur: hinc erga eum odium. *Egregiè enim Ennius*: quem metuunt oderunt: quem quisque odit, periiſſe expetit. *& Cic. 2. Offic.* Omnium autem rerum nec aptius eſt quicquam ad opes tuendas & tenendas, quàm diligi, nec alienius quàm timeri: *neq; enim poſſunt extra odium eſſe qui ſuorum animis metum è crudelitate incutiunt; ut paulò ante demonſtratum dedimus. Et quamvis aliquandiu in officio ſubditi contineri metu poſſint: nullam tamen fidem & in parendo conſtantiam habent. Ita Tacitus 1. Hiſt. 76.* Nuſquam fides aut amor *erga Imperatores*, metu ac neceſſitate hûc illuc mutabantur *i.e. in ejus verba jurabant quem præ altero metuebant.*

8. Septimò ut à nemine amentur tyranni, ſed ut partim in odio partim in contemptu ſint, vitiis ſuis efficiunt. *Idipſum jam demonſtravimus artic. 4. huj. membri. Quando ergò tyrannus vigore & prudentiâ deſtitutus deprehenditur, quod accidit vel per ætatem, quando vel ſenex decrepitus vel admodum Juvenis eſt, contemnendum ſe præbet; vel per alias cauſſas imprudentiam arguentes. (de quib. cit. art. 4.)* 2. Injuſtitia tyranni odium eidem parit, & quidem diverſis modis: *peccat enim vel contra Jus diſtributivum vel contra correctivum. Circa diſtributivum jus peccat, quando indignos præficit muneribus, hominibus ſervilibus & flagitioſis tribuendo honores & magnas dignitates, virtuoſos poſtponendo; miniſtris luxuriæ magna ſalaria, cæteris exigua ſtipendia conſtituendo. Circa correctivum Jus peccat tyrannus duobus modis, vel injuriis verbalibus realibusq; afficiendo ſubditos vel malè Judicia adminiſtrando & pecunias ex judiciis ſibi parando. Exemplum nobis ſuggerit apud Tacit. 2. Hiſt. 84. Mucianus. Qui pecuniam ſtruebat acquirere Jus dicendo non ſecundum Juſtitiam & veritatem; ſed ita, prout ex cauſa plurimum pecuniæ acquireretur, fovendo etiam delatores divitum, ut condemnatorum bona publicarentur; verba Taciti hæc ſunt:* Sed nihil æquè fatigabat, quàm pecuniarum conquiſitio: eos eſſe belli civilis nervos dictitans Mucianus, non jus aut verum in cognitionibus, ſed

ſolam magnitudinem opum ſpectabat paſſim delationes, & locupletiſſimus quisque in prædam correpti. *Superius etiam monuimus ſæpe ſub ſpecie adminiſtrandæ Juſtitiæ in puniendis criminibus tyrannos crudelitatem exercere, quod repetere ſuperfluum eſt.* 3. Ignavia tyrannis contemptum gignit. *Cujus exempla art. 4. n. 9. huj. membr. attulimus. Notiſſimum eſt exemplum Sardanapali, qui fertur interfectus, quòd à duce bellico deprehenderetur cum famellis, lanam ac telam tractans.* 4. Intemperantia tyrañi item liberorũ & miniſtrorũ ejusdẽ partim contemptũ partim odium eidẽ parit. *Odium quidẽ gignitur tyranno liberisq; ejus, ſi ſtupra & adulteria committant. Præter exempla art. 4. n. 10. allata exſtat luculentum in Tarquiniis propterea Româ ejectis. Frequens autem hoc eſt in tyrannorum liberis, ut antequam curãm imperii ſubeant ejusmodi flagitiis ſe polluant. Tacitus 4. H. 2.* Nomen ſedemque Cæſaris Domitianus *filius Veſpaſiani imperatoris* acceperat, nondum ad curas intentus, ſed ſtupris & adulteriis filium principis agebat. *Et qui aliter fieri contingit, quando liberi ſic educantur, ut turpiſſimis à teneris imbuantur cupiditatibus; quando ante pubertatem iisdem ſcorta adducuntur, vino epulisq; obruuntur, neq; ullum tempus iisdem ſobriis relinquitur. In contemptu ergò & odio tyrannos horumq; liberos vivere hoc modo contingit.* 5. Intemperantiam & luxuriam tyrannorum comitatur prodigalitas, hanc avaritia: unde rurſus odia & contemptus. *Quemadmodum ergò luxuria tyrannis horumq; miniſtris frequens eſt: ita & avaritia. Ut enim voluptates corporis; ſic & pecunia, quâ parantur, in infinitum appetuntur. Unde fit, ut, dum potentiâ quoq; inſtructi ſunt, miſeris auferant quicquid habent. Quam ob cauſſam Tacito avaritia & arrogantia præcipũa validorum vitia vocantur. 1. Hiſt. 51.* 6. Odium præ cæteris vitiis tyrannis parit ſuperbia. *Hujus rurſus præter ſuperius allata exemplum præbent Tarquinii.*

9. Ex hiſce diſcimus, tyrannidem eſſe formam maximè infirmam & nihil diuturni habentem. *Nam omnis ſocietas conſervatur & una manet per Jus & amicitiam. At tyrannidi nihil Juris & amicitiæ ineſt. Demonſtravimus enim, Jus & illud in quo tyrannis fundata eſt, & id quo regitur nullum eſſe: utpote cùm illud ſit perverſus amor tyranni erga ſe, hoc verò beſtialis ipſius voluntas. Amicitia propterea omnis ceſſat, quia tyrannus quicquid eſt in odio & contemptu penes ſubditos eſt. Quem autem odimus & contemnimus ei officia amicitiæ, quæ amicus inferior ſuperiori debet, exhibere ex animo non poſſumus.*

10. Cùm ergò loco Juris & amicitiæ tyrannidi inſint odiũ & contemptus; odiũ facit, ut ſubditi velint tyrannidẽ tollere; contemptus, ut concipiant ſe poſſe, & ita concurrentibus utrisq; nihil eſt quod

quod eam ulterius conſervet. *Nā licet homines quid velint, non tamē faciunt, niſi concipiant ſe poſſe facere; nec ſi poſſint quid perficere, id ipſum facere aggrediuntur, niſi & velint. Sed quod quiſq; vult & putat ſe poſſe facere hoc facit. ut tradidimus in articuli 4. part. 2. Quapropter deprehendimus multos tyrannorum ab amicis & familiaribus e medio ſublatos eſſe. Nam nimia familiaritas contemptum parit.*

11. Quia etiam quæ pariunt iram odii cauſſæ exiſtunt, impreſſiones quæ fiunt ex irâ ſunt vehementiores, eæ quæ ex odio ſuſcipiuntur periculoſiores. *Nam qui ex irâ operantur ſine conſilio quaſi ex furore quodam invehuntur: odium autem cum conſilio conjunctum eſt, & ita periculoſum magis eſt tyranno. Quicquid enim mali adhibito conſilio ſtruitur, majoribus cum inſidiis fit, eiq; minus obviam iri poteſt.*

12. Impreſſionum præterea aliæ fiunt in principatum aliæ in ipſum principem. *Nam ſuprà oſtendimus alios motus fieri ad ipſum ſtatum evertendum, alios ad hoc, ut ſtatus maneat, ſed qui nunc præſunt removeantur. Sic Brutus non modò ut regem Tarquinium tolleret, ſed & ipſum regium ſtatum everteret, movebat: quando cultrum ex vulnere Lucretiæ extractum manantemque cruore præ ſe tenens ita ajebat:* Per hunc caſtiſſimum, ante regiam injuriam, ſanguinem juro, Vos dii teſtes facio, me L. Tarquinium ſuperbum, cum ſceleratâ conjuge & omni liberorum ſtirpe, ferro, igni, quâcunque dehinc vi poſſim, exſequuturum. nec illos nec alium quenquam regnare Romæ paſſurum.

13. Quæ impreſſiones ex irâ fiunt magis petunt corpus ipſum tyranni quàm ſtatum. *Nam ira in certam aliquam perſonam eam ſcil. quæ iram deſpiciendo adverſus ſe concitavit directa eſt: & hoc ipſo part. 2. ab odio eam differre diximus: tendit enim ira ad vindictam, ut malum ſentiat perſona deſpiciens. Unde porrò patet contemptum, contumeliam & impeditionem facere, ut ſubditi petant corpus tyranni. Nam tres hæ cauſſæ iræ ſunt. Contumeliæ ſpecies ſunt injuriæ reales & verbales. Quapropter diſcimus ex hiſtoricis, multos tyrannos miſerè periiſſe ob verbera & convitia ſubditis illata. Nolumus exempla ab Ariſtotele lib. 5. de Republ. cap. 10. allata hic repetere.*

14. Quapropter tyrannicus ſtatus & ſubditos & ipſos tyrannos in extremam conjicit miſeriam. *Nam omnis liber homo ſerviens extremè miſer eſt; non minus autem & is qui cum perpetuo ſuæ vitæ periculo dominatur. Antigonus hinc ad vetulam quandam, quæ felicitatem ejus extollebat dixit: ſi noſſes, quantis malis hic panniculus (oſtenſa purpurâ) refertus eſſet, ne in ſterquilinio jacentem tolleres. Sunt enim tyranni æſopicæ ſui ſimiles ſemper mortem metuentes: quia ſciunt ſe æquè ac ſues mortem omnibus debere. Quin dubites quid deterius ſit, an tyran-*

nidi ſubeſſe vel præeſſe. Singuli enim ſubditi unum tyrannum, hic omnes ſubditos metuendos habet, etiam uxorem & liberos, cum quibus cæteris hominibus arctisſima amicitia intercedit. His omnibus accedit mala conſcientia. Exemplum nobis exhibet Tiberius 6. annal. 6. Qui literas ad ſenatum datas ita exorſus erat: Quid ſcribam vobis P. C. aut quomodo ſcribam, aut quid omninò non ſcribam hoc tempore, dî me deæque pejus perdant, quàm perire quotidiè ſentio, ſi ſcio. *His eleganter ſubjicit Tacitus:* Adeò facinora atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant *(i.e. ipſum cruciabant)* Neque fruſtrà præſtantiſſimus ſapientiâ *(Plato ſcil. philoſophorum princeps)* firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe adſpici laniatus & ictus; quando ut corpora verberibus; ita ſævitiâ, libidine, malis conſultis, animus dilaceretur.

ARTIC. VI.

DE CAUSSIS STATUM OLIGARCHICUM EVERTENTIBUS.

1. Sequitur, ut de cauſſis evertentibus Oligarchiam dicamus: eſt autem oligarchia, in quâ divites ſibi ſolis arrogant imperium & quo pro arbitrio heriliter imperant in pauperes eosque liberos homines. *Hic enim de perfectè vitioſis formis agimus.*

2. Primò itaque cùm ſoli divites imperent, ſuboritur apud plebejos invidia, gignens contentiones & tumultus. *Elegans hac de re exemplum eſt apud Livium lib. 6. cap. 34. Cùm enim Patres ita firmaſſe imperium viderentur, ut nullus putaretur ex plebe auſurus petere honores, contigit M. Fabii Ambuſti potentis viri ſorores alteram nimi . natu majorem patricio Ser. Sulpicio, alteram natu ſcil. minorem C. Licinio Stoloni illuſtri quidem viro, tamen plebejo nubere:* eaque affinitas haud ſpreta, gratiam Fabio apud vulgum quæſierat. *Fortè ita* incidit ut in Servii Sulpicii tribuni militum domo ſorores Fabiæ, quum inter ſe ſermonibus tempus tererent, lictor Sulpitii, quum is de foro domum ſe reciperet, forem, ut mos eſt, virgâ percuteret. quum ad id moris ejus inſveta, expaviſſet minor Fabia, riſui ſorori fuit, miranti id ignorare ſororem. Cæterùm is riſus ſtimulos parvis mobili rebus animo muliebri ſubdidit. *Scil. invidiâ concitata eſt mulier, cùm videret ſuæ ſororis fortunatum ex dignitate mariti matrimonium ſeque imparis inclitam, & tali quem nec honos nec dignitas comitaretur, quia nemo a proximis anteiri vult. A quâ propterea motus pater Ambuſtus* conſilia cum genero cœpit, adhibito L. Sextio ſtrenuo adoleſcente, &cu-

& cujus ſpei nihil præter genus patricium deeſſet, *eoq; res perducta victo ſenatu rogationes tribunitiæ acciperentur, & comitiis conſulum adversâ nobilitate habitis P. Sextius de plebe primus Conſul fieret.*

3. Secundò quia in divitibus ſæpè nulla virtus comparet, adeoque indignè ſui imperio deprehenduntur oritur inde ſtomachatio, præſertim ſi in numero plebis ſint virtutibus inſtructi. *Suprà namq; demonſtravimus divites nullum Jus verum habere, in quo ipſorum imperium fundatum ſit.*

4. Quia tertiò in oligarchiis cuncta reguntur voluntate divitum, pauperes ſerviliter tractant labores durisſimos imponendo: unde motus & ſeditiones. *Hac enim in re oligarchia cum tyrannide concurrit, quòd herile in utrâque formâ imperium in pauperes exerceatur: unde etiam in utrâq; par cauſſa ſeditionum exiſtit. Hinc anſam movendi petivêre tribuni plebis cùm Imperatores vellent populum Rom. ſub pellibus militare & hyemando bellum continuare. Liv. lib. 5. cap. 2.*

5. Quartò cùm divites in pauperes ſæviant & crudelitatem exerceant, metus inde & miſericordia; & hinc motus. *Dum enim ſupplicia metuunt pauperes ſtudent divites è medio tollere aut alios concitant motûs vel civitatem deſerunt & auffugiunt: aut ſi ipſi nulla metuant, ducuntur tamen miſericordiâ erga eos qui ſævæ patiuntur. Exemplum crudeliter tractati à divitibus moventis miſericordiam eſt apud Liv. lib. 2. cap. 23.*

6. Septimò vitia divitum imperantium faciunt, ut apud pauperes ſubditos in odio & contemptu ſint. *Nam 1. injuſtitia, avaritia, ſuperbia, intemperantia & libido faciunt, ut lædant ſubditos injuriis verbalibus & realibus eos afficiendo, pecuniam extorquendo imponendo ipſis tributa, vel etiam fœnus improbum exercendo. Cujus exemplum præbet Romana civitas, quæ* inteſtino inter patres plebemque flagrabat odio; maximè propter nexos ob æs alienum. Fremebant plebeji, ſe foris pro libertate & imperio dimicantes domi à civibus captos & oppreſſos eſſe, tutioremque in bello quàm in pace, inter hoſtes quàm inter cives libertatem plebis eſſe. *Liv. lib. 2. cap. 23. Solebant enim debitores, ſi ſolvendo non eſſent in vincula conjici. Id quod tamen tumultu facto abrogatum eſt. Quâ de re Liv. lib. 8 cap. 28. ita:* Eo anno plebi Romanæ velut aliud initium libertatis factum eſt, quod ligari nexi deſierint: mutatum autem jus ob unius fœneratoris ſimul libidinem, ſimul crudelitatem inſignem. L. Papirius is fuit. Cui cum ſe C. Publilius ob æs alienum paternum nexum dediſſet; quæ ætas formaque miſericordiam elicere poterat, ad libidinem & contumeliam animum accenderunt: & florem ætatis ejus fructum

adventitium crediti ratus, primo perlicere adoleſcentem ſermone inceſto eſt conatus: dein poſtquam adſpernabantur flagitium aures, minis territare, atque identidem admonere fortunæ: poſtremò cùm ingenuitatis magis, quàm præſentis conditionis memorem videret, nudari jubet, verberaque afferri. Quibus laceratus juvenis, quum ſe in publicum proripuiſſet, libidinem crudelitatemque conquerens fœneratoris, ingens vis hominum cum ætatis miſeratione atque indignitate injuriæ accenſa, tum ſuæ conditionis liberûmque ſuorum reſpectu in forum atque inde, agmine facto, ad curiam concurrit. &c.

7. Magis propium oligarchiæ principium motuum eſt ipſorum divitum inter ſe diſcordia & odium. *Nam cùm nihil firmum ſit quod diſcordat: ut enim concordiâ res parvæ creſcunt, ita magnæ dilabuntur: pauperes infenſi occaſionẽ arripiunt, & ita oligarchicos deturbant.* Gignitur autem diſcordia inter divites, quando qui in imperio ſunt ſtomachatione & invidiâ ducuntur erga eos, qui recentibus divitiis acquiſitis imperium adepti ſunt. *Nam non poſſunt homines ſe continere, quin ſubitas oſtentent divitias: unde ſuâ ſtultitiâ augent invidiam & ſtomachationem. Ita Fabius* Valens diu ſordidus *per inopiam,* repentè dives, mutationem fortunæ malè tegebat, accenſis egeſtate longâ cupidinibus immoderatus, & inopi juventâ ſenex prodigus. Item, quando ditiores qui ſunt alios divites â maximis magiſtratibus excludere, & ita Oligarchiam oligarchiæ inſerere conantur: aut ſi aliam ob cauſſam divites nonnulli à magiſtratu capeſſendo arceantur. *Nam divites qui excluduntur ducti contemptu ſeſe pauperibus jungunt populique auxilium advocant: unde oligarchia vel in tyrannidem vel in popularem aliquem ſtatum commutatur.*

8. Contingit etiam in oligarchiis ſæpè ex numero divitum nonnullos ſuperbiâ ductos tyrannidem affectare. *Sunt enim improbi homines ita comparati, ut nec parem quandoque præ ſuperbiâ ferre queant. Solent autem mediante demagogiâ quâdam id conari perficere. Nam vel alios divites in ſuas partes trahunt vel plebem. Simulant enim qui affectat tyrannidem cum aliis potentibus amicitiam & ſocietatem, mox collegas, ſi vident tyrannidem firmatam è medio tollentes. Sic Auguſtus cum M. Antonio & Lepido triumviratum iniens, mox poſtquam Lepidum juſſerat privatum eſſe & Antonium interfecerat,* poſito triumviri nomine, conſulem ſe ferens, & ad tuendam plebẽ tribunitio jure contentum, ubi militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit; inſurgere paulatim, munia Senatûs, magiſtratuum, legum in ſe trahere, nullo adverſante 1. *ann.* 2. *Ex quo diſcimus duplici*

plici demagogiâ uſum eſſe Auguſtum; primâ erga potentes, & his remotis alterâ erga plebem. Aliud exemplum exhibet Sp. Mælius eques Romanus, qui frumentum populo ſuâ impenſâ largitus & ob id conciliatâ plebe regnum affectabat. De quo Livius lib. 4. cap. 13. ita: Tum Sp. Mælius ex equeſtri ordine, ut illis temporibus, præ dives, rem utilem peſſimo exemplo, pejore conſilio eſt aggreſſus. frumento namque ex Etruriâ, privatâ pecuniâ per hoſpitum clientiumque miniſteria coempto largitiones frumenti facere inſtituit: plebemque hoc munere delinitam, quacunque incederet conſpectus elatusque ſupra modum hominis privati, ſecum trahere, haud dubium conſulatum favore ac ſpe deſpondentem. Ipſe, ut eſt humanus animus inſatiabilis eo quod fortuna ſpondet, ad altiora & non conceſſa tendere, & quoniam conſulatus quoque eripiendus invitis patribus eſſet, de regno agitare.

9. Contingit etiam præcipuè in Oligarchiis cauſſam ſeditionum eſſe, ſi divites qui imperii capaces ſunt abſumpſerint ſua bona & unà cum facultatibus etiam imperium amittant. *Nam hi aut moliuntur nova, dum vel ipſi tyrannidem invadere ſtudent vel aliis id tentantibus adſiſtunt; aut pecuniam publicam furantur, unde vel cum plebe vel cum cæteris divitibus contendere coguntur.*

10. Cùm itaque & divites inter ſe diſcordent, neuterque alteri fidem habeat, externo milite uti, & ei qui medius eſt vel cuidam extraneo imperium in eundem tradere ſolent: unde contingit tyrannidē naſci. *Nā dux externo militi præfectus facilè ſibi favorē parare & hoc acquiſito tyrannidem invadere poteſt, dum prenſat gratiam militum. Id enim nonnunquam & tyrannis contingit, cujus exemplum præbet Sejanus præfectus prætorio à Tiberio conſtitutus, qui ipſum Tiberium aggredi & imperium invadere niſus eſt. De quo Tacitus 4. ann. 2.* Vim præfecturæ modicam antea intendit *i. e. uberiorem & majorem reddidit*, diſperſas per urbem cohortes una in caſtra conducendo: ut ſimul imperia acciperent, numeroque & robore, & viſu inter ſe, fiducia ipſis, in cæteros metus crederetur, *i. e. diſcerent quantum fidere ſibi ipſis quantum metûs aliis incutere valeant.* Prætendebat laſcivire militē diductum: ſi quid ſubitum ingruat, majore auxilio pariter ſubveniri. & ſeverius acturos *i. e. meliori diſciplinâ habitum iri*, ſi vallum ſtatuatur procul urbis illecebris. Ut perfecta ſunt caſtra, inrepere paulatim militares animos adeundo, appellando: ſimul centuriones ac tribunos ipſe diligere.

11. Fit nonnunquam magis ex accidenti, quàm vitio eorum qui præſunt, mutari oligarchiam, ſi ex certo aliquo & quantitate determi-

ſunt: quales erant in Romanâ juventute adoleſcentes, *poſt exactos reges*, quorum in regno libîdo ſolutior fuerat, æquales ſodalesque adoleſcentium Tarquiniorum, adſueti more regio vivere: qui eam tum æquato jure omnium licentiam querentes, libertatem aliorum in ſuam vertiſſe ſervitutem inter ſe conquerebantur. Regem hominem eſſe, à quo impetres, ubi Jus ubi injuria opus ſit: eſſe gratiæ locum eſſe beneficio; & iraſci & ignoſcere poſſe: inter amicum atque inimicum diſcrimen noſſe: leges rem ſurdam, inexorabilem eſſe, ſalubriorem melioremque inopi quàm potenti: nihil laxamenti nec veniæ habere, ſi modum exceſſeris: periculoſum eſſe in tot humanis erroribus ſolâ innocentiâ vivere. *Liv. lib. 2. cap. 3. Scil. plures ſemper improbi, qui vitioſis actionibus delectantur, quàm probi ſunt; & illi ſæpenumerò peſſimam ſubeunt ſervitutem, quò vitioſas actiones impunè exercere poſſint, & ita delectantur aliquandiu principis vitioſis actionibus: ſed quemadmodum mali homines tandem ſeipſos oderunt: ita quoque malâ ſubortâ conſcientiâ ſubditi tyrannum, cujus ductu vitioſis actionibus immerſi ſunt, odiſſe tandem ſolent. Sic cùm Nero carmina in ſcenâ recitaret, & flagitante populo, ut omnia ſua ſtudia publicaret, ingrederetur theatrum cunctis cythara legibus obtemperans i. e. obſervans omnia quibus cytharœdi adſtricti erant. plebs applaudebat.* crederes, *inquit Tacitus 16. ann. 4. & ſeq.* lætari, ac fortaſſe lætabantur, per incuriam publici flagitii. Sed qui remotis è municipiis ſeveramque adhuc, & antiqui moris retinentes Italiam, quique per longas provincias laſciviæ inexperti, neque adſpectum illum tolerare neque labori inhoneſto, *ut ſcil. clamore & manuum colliſione cytharœdum illum laudarent*, ſufficere. *Sed quamvis apud paucos tacito voto bonus & innocens princeps pro peſſimis ac flagitioſiſſimus expetatur, quia rari ſunt boni: ſuboritur tamen tandem & in improbis aliquod faſtidium principum, quorum flagitia ac dedecus publicè noſcuntur. 2. Hiſt. 37. init. Ex his patet, licet tyrannus improbis ſuis actionibus apud peſſimos quosq; & iiſdem vitiis immerſos amicitiam paret, hanc tamen diuturnam & conſtantem non eſſe, & talem qualem vitioſi ſecum ipſis habent. Hûc referri poteſt illud Euripidis*

> οὐδὲν τυράννου δυσμενέστερον πόλει,
> ὅπου τὸ μὲν πρώτιστον οὐκ εἰσὶ νόμοι
> Κοινοί. κρατεῖ δ' εἷς τὸν νόμον κεκτημένος.

6. Quintò quia ſuprà diximus, Jus tyranni eſſe, ſublatâ libertate omnibus velut ſervis uti, & à divitibus pecuniam extorquere, pauperes laboribus & graviſſimis ſervitiis onerare, virtuoſos ſup-

ſupprimere & flagitioſos extollere: neceſſe eſt tyrannum apud eos, qui libertatis & divitiarum amantes, laboribus verò adſueti non ſunt & apud omnes bonos quoque, qui aliàs amicitiæ & unitatis amantes exiſtunt in perpetuo vivere odio. *Libertatem namque naturâ & bruta amant 4. Hiſt. 17. quam aut tenere aut ante ſervitium mori decet 2. annal. 15. pro quâ vincendum aut cadendum. 14. annal. 35. fin. ſerviunt enim quibus major vitæ quàm gloriæ cupido, ingenuis hominibus deſtinatum eſt cum libertate occidere. 4. ann. 50. Quapropter plenum odii eſt & inimicitiarum imperium herile in liberos homines exercitum. Et quia liberorum hominum duo ſunt genera: alii enim ſunt virtuoſi & hi iterum vel recens acquiſitas virtutes habent vel majorum ſuorum, qui ſcil. ex illuſtri familiâ oriundi ſunt; alii virtutibus deſtituti & hi vel divites vel pauperes: tyranni virtuoſos & nobiles genere claroſq; ſupprimunt, ne virtutibus præmineant, flagitioſos fovent. Sic ſub Tiberio* incedebat deterrimo cuique licentia impunè probra & invidiam in bonos excitandi, arreptâ imagine Cæſaris: libertique etiam ac ſervi, patrono vel domino, cùm voces, cùm manus intentarent *i. e. injuriis verbalibus vel realibus afficerent*, ultrò metuebantur. *3. ann. 36. Quin ſæpè homines viliſſimi admoventur ad imperium excluſis nobilibus & virtuoſis. Ita Tacitus de Creſcente Neronis liberto 1. Hiſt. 76.* Nam in malis temporibus partem ſe Reipubl. fecerat. *i. e. In tyrannico ſtatu auſus erat vilis iſte homo ſe immiſcere curis Rempubl. concernentibus. Idq; tunc quammaximè obtinet, ſi tyrannis ope flagitioſorum fuerit acquiſita. Tacitus 1. Hiſt. 83.* Otho quanquam turbidis rebus & diverſis militum animis, cùm optimus quisque remedium præſentis licentiæ poſceret: vulgus & plures ſeditionibus & ambitioſo imperio (*i. e. in quo principes ambitione coguntur vulgo indulgere*) læti, per turbas & raptus facilius ad civile bellum impellerentur; ſimul reputans, non poſſe principatum ſcelere quæſitum ſubitâ modeſtiâ & priſcâ gravitate retineri *mulcendo milites ſeditioſos coactus eſt ad præſens componere quos coercere non poterat. Neceſſe autem eſt ejusmodi tyrannos apud omnes honeſtos & bonos in odio eſſe.* Divitibus porrò in ſtatu tyrannico auferuntur bona: aut ſi id de facto fieri nequit, ſtruuntur iiſdem inſidiæ. *Sic divitiæ exitio fuere Sexto Mario. Tacitus 6. ann. 19.* Poſt quos Sextus Marius Hiſpaniarum ditiſſimus defertur inceſtaſſe filiam, & ſaxo Tarpejo dejicitur, ac ne dubium haberetur magnitudinem pecuniæ malo vertiſſe aurariasque ejus, (*i. e. ne lateret, ſed cuique manifeſtum fieret non tam crimina quàm divitias & aurifodinas mortem peperiſſe*) quanquam publicarentur, *ſeu ærario adjudicarentur*, ſibimet Tiberius ſepoſuit. *Item Valerio*

Aſiati-

Aſiatico, de quo 11. *annal.* 1. Nam Valerium Aſiaticum bis conſulem, fuiſſe quondam adulterum ejus (*Pompejæ Sabinæ*) credidit: pariterque hortis inhians *Meſſalina uxor Cæſaris*, quos ille à Lucullo emptos inſigni magnificentiâ extollebat, Suilium accuſandis utriſque *Aſiatico & Pompejæ* immittit. Adjungitur *ab eâdem Meſſalinâ* Soſibius Britannici educator, qui per ſpeciem benevolentiæ moneret Claudium, auri vim atque opes principibus infenſas &c: *Idem contigit Statilio Tauro ab alterâ ejusdem Imperatoris conjuge Agrippinâ* 12.*ann*.55. At Claudius ſævisſima quæque promere adigebatur ejusdem Agrippinæ artibus, quæ Statilium Taurum opibus illuſtrem hortis ejus inhians pervertit, accuſante Tarquitio Priſco. *Ex his diſcimus, tyrannos ductos vel avaritiâ vel quòd ipſis divitiæ præſertim cum virtute conjunctæ ſuſpectæ ſint divites pervertere. Tacit.* 1. *ann.* 13. Poſt quæ L. Arruntius haud multum diſcrepans à Galli oratione perinde offendit, quanquam Tiberio nulla vetus in Arruntium ira: ſed divitem, promptum, artibus egregiis & pari famâ publicè ſuſpectabat. *His accedit etiam invidia. neque enim ferre poſſunt tyranni, ut ullus civium magnificos opes oſtentet. Hinc Senecæ infenſi eundem variis criminationibus adoriebantur*, tanquam ingentes & privatum modum evectas opes adhuc augeret, quòdque ſtudia civium in ſe verteret, hortorum quoque amœnitate & villarum magnificentiâ quaſi principem ſupergrederetur. *Contrà Regulus licet* auctoritate, conſtantiâ, famâ, in quantum præumbrante imperatoris faſtigio datur, clarus, adeò ut Nero æger valetudine, & adulantibus circum, qui finem imperio adeſſe dicebant, ſi quid fato pateretur, reſponderit, habere ſubſidium Rempubl. im Memmio Regulo: vixit tamen, quiete defenſus, & quia novâ generis claritudine, neque invidioſis opibus erat. *Pauperibus tyranni imponunt labores partim ſui commodi cauſſâ, quia ſubditis utuntur velut inſtrumentis domeſticis; partim etiam quia populus otioſus facilè laſcivus redditur. Contrà vulgus hominum luxum & otium cupit, diſciplinam & laborem aſpernatur.* 1.*ann.* 16. *Hinc ſeditiones.* 1. *annal.* 31. inferioris exercitus miles in rabiem prolapſus eſt, orto ab unâ & viceſimanis quintanisque initio & tractis primâ quoque ac viceſim legionibus, nam iisdem æſtivis in finibus Ubiorum habebantur, per otium aut levia munia. Igitur audito fine (*morte*) Auguſti vernacula multitudo, nuper acto in urbe delectu, laſciviæ ſueta, laborum intolerans, implere cæterorum rudes animos. *Contingunt & odia, ſi plebs libertati dedita ſordidis laboribus implicatur. Exemplum præbet Tarquinius apud Liv. lib.* 1. *c.* 59. *de quo citatus Autor ita*: addita *crudelitati* ſuperbia regis, miſeriæque & labores

bores plebis in foſſas cloacasque exhauriendas demerſæ: Romanos homines victores omnium circa populorum opifices ac lapidicidas pro bellatoribus factos. His incenſam multitudinem perpulit *Brutus*, ut imperium regi abrogaret, exulesque eſſe juberet Tarquinium cum conjuge & liberis. *Ex his omnibus patet, in tyrannico imperio nihil tutum vel ſecurum nihil amicum, ſeu divitibus relinquantur ſeu adimantur bona, ſeu labores imponantur inopibus ſeu otium permittatur.*

7. Sextò quia nihil amabile habet tyrannus, omnia officia ſubditorum adhibitâ vi metuque pœnarum extorquere tenetur: hinc erga eum odium. *Egregiè enim Ennius*: quem metuunt oderunt: quem quisque odit, periiſſe expetit. *& Cic. 2. Offic.* Omnium autem rerum nec aptius eſt quicquam ad opes tuendas & tenendas, quàm diligi, nec alienius quàm timeri: *neq; enim poſſunt extra odium eſſe qui ſuorum animis metum è crudelitate incutiunt; ut paulò ante demonſtratum dedimus. Et quamvis aliquandiu in officio ſubditi contineri metu poſſint: nullam tamen fidem & in parendo conſtantiam habent. Ita Tacitus 1. Hiſt. 76.* Nuſquam fides aut amor *erga Imperatores*, metu ac neceſſitate hùc illuc mutabantur *i.e. in ejus verba jurabant quem præ altero metuebant.*

8. Septimò ut à nemine amentur tyranni, ſed ut partim in odio partim in contemptu ſint, vitiis ſuis efficiunt. *Idipſum jam demonſtravimus artic. 4. huj. membri. Quando ergo tyrannus vigore & prudentiâ deſtitutus deprehenditur, quod accidit vel per ætatem, quando vel ſenex decrepitus vel admodum Juvenis eſt, contemnendum ſe præbet; vel per alias cauſſas imprudentiam arguentes. (de quib. cit. art. 4.)* 2. Injuſtitia tyranni odium eidem parit, & quidem diverſis modis: *peccat enim vel contra Jus diſtributivum vel contra correctivum. Circa diſtributivum jus peccat, quando indignos præficit muneribus, hominibus ſervilibus & flagitioſis tribuendo honores & magnas dignitates, virtuoſos poſtponendo; miniſtris luxuriæ magna ſalaria, ceteris exigua ſtipendia conſtituendo. Circa correctivum Jus peccat tyrannus duobus modis, vel injuriis verbalibus realibusq; afficiendo ſubditos vel malè Judicia adminiſtrando & pecunias ex judiciis ſibi parando. Exemplum nobis ſuggerit apud Tacit. 2. Hiſt. 84. Mucianus. Qui pecuniam ſtudebat acquirere Jus dicendo non ſecundum Juſtitiam & veritatem; ſed ita, prout ex cauſâ plurimum pecuniæ acquireretur, fovendo etiam delatores divitum, ut condemnatorum bona publicarentur; verba Taciti hæc ſunt:* Sed nihil æquè fatigabat, quàm pecuniarum conquiſitio: eos eſſe belli civilis nervos dictitans Mucianus, non jus aut verum in cognitionibus, ſed

ſolam magnitudinem opum ſpectabat paſſim delationes,& locupletiſſimus quisque in prædam correpti. *Superius etiam monuimus ſepè ſub ſpecie adminiſtrandæ Juſtitiæ in puniendis criminibus tyrannos crudelitatem exercere, quod repetere ſuperfluum eſt.* 3. Ignavia tyrannis contemptum gignit. *Cujus exempla art. 4. n. 9. huj. membr. attulimus. Notiſſimum eſt exemplum Sardanapali, qui fertur interfectus, quòd à duce bellico deprehenderetur cum fæmellis, lanam ac telam tractans.* 4. Intemperantia tyrañi item liberorũ & miniſtrorũ ejusdẽ partim contemptũ partim odium eidẽ parit. *Odium quidẽ gignitur tyranno liberisq; ejus, ſi ſtupra & adulteria committant. Præter exempla art. 4. n. 10. allata exſtat luculentum in Tarquiniis propterea Româ ejectis. Frequens autem hoc eſt in tyrannorum liberis, ut antequam curam imperii ſubeant ejusmodi flagitiis ſe polluant. Tacitus 4. H. 2.* Nomen ſedemque Cæſaris Domitianus *filius Veſpaſiani imperatoris* acceperat, nondum ad curas intentus, ſed ſtupris & adulteriis filium principis agebat. *Et qui aliter fieri contingit, quando liberi ſic educantur, ut turpiſſimis à teneris imbuantur cupiditatibus; quando ante pubertatem iisdem ſcorta adducuntur, vino epulisq; obruuntur, neq; ullum tempus iisdem ſobriis relinquitur. In contemptu ergò & odio tyrannos horumq; liberos vivere hoc modo contingit.* 5. Intemperantiam & luxuriam tyrannorum comitatur prodigalitas, hanc avaritia: unde rurſus odia & contemptus. *Quemadmodum ergò luxuria tyrannis horumq; miniſtris frequens eſt: ita & avaritia. Ut enim voluptates corporis; ſic & pecunia, quâ parantur, in infinitum appetuntur. Unde fit, ut, dum potentiâ quoq; inſtructi ſunt, miſeris auferant quicquid habent. Quam ob cauſſam Tacito avaritia & arrogantia præcipua validorum vitia vocantur. 1. Hiſt. 51.* 6. Odium præ cæteris vitiis tyrannis parit ſuperbia. *Hujus rurſus præter ſuperius allata exemplum præbent Tarquinii.*

9. Ex hiſce diſcimus, tyrannidem eſſe formam maximè infirmam & nihil diuturni habentem. *Nam omnis ſocietas conſervatur & una manet per Jus & amicitiam. At tyrannidi nihil Juris & amicitiæ ineſt. Demonſtravimus enim, Jus & illud in quo tyrannis fundata eſt, & id quo regitur nullum eſſe: utpote cùm illud ſit perverſus amor tyranni erga ſe, hoc vero beſtialis ipſius voluntas. Amicitia propterea omnis ceſſat, quia tyrannus quicquid eſt in odio & contemptu penes ſubditos eſt. Quem autem odimus & contemnimus ei officia amicitiæ, quæ amicus inferior ſuperiori debet, exhibere ex animo non poſſumus.*

10. Cùm ergò loco Juris & amicitiæ tyrannidi inſint odiũ & contemptus; odiũ facit, ut ſubditi velint tyrannidẽ tollere; contemptus, ut concipiant ſe poſſe, & ita concurrentibus utrisq; nihil eſt quod

quod eam ulterius conſervet. *Nã licet homines quid velint; non tamẽ faciunt, niſi concipiant ſe poſſe facere; nec ſi poſſint quid perficere, idipſum facere aggrediuntur, niſi & velint. Sed quod quiſq; vult & putat ſe poſſe facere hoc facit. ut tradidimus in articuli 4. part. 2. Quapropter deprehendimus multos tyrannorum ab amicis & familiaribus è medio ſublatos eſſe. Nam nimia familiaritas contemptum parit.*

11. Quia etiam quæ pariunt iram odii cauſſæ exiſtunt, impreſſiones quæ fiunt ex irâ ſunt vehementiores, eæ quæ ex odio ſuſcipiuntur periculoſiores. *Nam qui ex irâ operantur ſine conſilio quaſi ex furore quodam invehuntur: odium autem cum conſilio conjunctum eſt, & ita periculoſum magis eſt tyranno. Quicquid enim mali adhibito conſilio ſtruitur, majoribus eum inſidiis fit, eiq; minus obviam iri poteſt.*

12. Impreſſionum præterea aliæ fiunt in principatum aliæ in ipſum principem. *Nam ſuprà oſtendimus alios motus fieri ad ipſum ſtatum evertendum, alios ad hoc, ut ſtatus maneat, ſed qui nunc præſunt removeantur. Sic Brutus non modò ut regem Tarquinium tolleret, ſed & ipſum regium ſtatum everteret, movebat: quando cultrum ex vulnere Lucretiæ extractum manantemque cruore præ ſe tenens ita ajebat:* Per hunc caſtisſimum, ante regiam injuriam, ſanguinem juro, Vos dii teſtes facio, me L. Tarquinium ſuperbum, cum ſceleratâ conjuge & omni liberorum ſtirpe, ferro, igni, quâcunque dehinc vi poſſim, exſequuturum. nec illos nec alium quenquam regnare Romæ paſſurum.

13. Quæ impreſſiones ex irâ fiunt magis petunt corpus ipſum tyranni quàm ſtatum. *Nam ira in certam aliquam perſonam eam ſcil. quæ iram deſpiciendo adverſus ſe concitavit directa eſt: & hoc ipſo part. 2. ab odio eam differre diximus: tendit enim ira ad vindictam, ut malum ſentiat perſona deſpiciens. Unde porrò patet contemptum, contumeliam & impeditionem facere, ut ſubditi petant corpus tyranni. Nam tres hæ cauſſæ iræ ſunt. Contumeliæ ſpecies ſunt injuriæ reales & verbales. Quapropter diſcimus ex hiſtoricis, multos tyrannos miſerè periiſſe ob verbera & convitia ſubditis illata. Nolumus exempla ab Ariſtotele lib. 5. de Republ. cap. 10. allata hic repetere.*

14. Quapropter tyrannicus ſtatus & ſubditos & ipſos tyrannos in extremam conjicit miſeriam. *Nam omnis liber homo ſerviens extremè miſer eſt; non minus autem & is qui cum perpetuo ſuæ vitæ periculo dominatur. Antigonus hinc ad vetulam quandam, quæ felicitatem ejus extollebat dixit: ſi noſſes, quantis malis hic panniculus (oſtenſa purpurâ) refertus eſſet, ne in ſterquilinio jacentem tolleres. Sunt enim tyranni æſopicæ ſui ſimiles ſemper mortem metuentes; quia ſciunt ſe æquè ac ſues mortem omnibus debere. Quin dubites quid deterius ſit, an tyrannidi*

nidi ſubeſſe vel præeſſe. Singuli enim ſubditi unum tyrannum, hic omnes ſubditos metuendos habet, etiam uxorem & liberos, cum quibus cæteris hominibus arctisſima amicitia intercedit. His omnibus accedit mala conſcientia. Exemplum nobis exhibet Tiberius 6. annal. 6. Qui literas ad ſenatum datas ita exorſus erat: Quid ſcribam vobis P. C. aut quomodo ſcribam, aut quid omninò non ſcribam hoc tempore, dî me deæque pejus perdant, quàm perire quotidiè ſentio, ſi ſcio. *His eleganter ſubjicit Tacitus:* Adeò facinora atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant *(i.e. ipſum cruciabant)* Neque fruſtrà præſtantiſſimus ſapientiâ *(Plato ſcil. philoſophorum princeps)* firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe adſpici laniatus & ictus; quando ut corpora verberibus; ita ſævitiâ, libidine, malis conſultis, animus dilaceretur.

ARTIC. VI.
DE CAUSSIS STATUM OLIGARCHICUM EVERTENTIBUS.

1. Sequitur, ut de cauſſis evertentibus Oligarchiam dicamus: eſt autem oligarchia, in quâ divites ſibi ſolis arrogant imperium & quo pro arbitrio heriliter imperant in pauperes eosque liberos homines. *Hîc enim de perfectè vitioſis formis agimus.*

2. Primò itaque cùm ſoli divites imperent, ſuboritur apud plebejos invidia, gignens contentiones & tumultus. *Elegans hac de re exemplum eſt apud Livium lib. 6. cap. 34. Cùm enim Patres ita firmaſſe imperium viderentur, ut nullus putaretur ex plebe auſurus petere honores, contigit M. Fabii Ambuſti potentis viri ſorores alteram nimi . natu majorem patricio Ser. Sulpicio, alteram natu ſcil. minorem C. Licinio Stoloni illuſtri quidem viro, tamen plebejo nubere:* eaque affinitas haud ſpreta, gratiam Fabio apud vulgum quæſierat. *Fortè ita* incidit ut in Servii Sulpicii tribuni militum domo ſorores Fabiæ, quum inter ſe ſermonibus tempus tererent, lictor Sulpitii, quum is de foro domum ſe reciperet, forem, ut mos eſt, virgâ percuteret. quum ad id moris ejus inſveta, expaviſſet minor Fabia, riſui ſorori fuit, miranti id ignorare ſororem. Cæterùm is riſus ſtimulos parvis mobili rebus animo muliebri ſubdidit. *Scil. invidiâ concitata eſt mulier, cùm videret ſuæ ſororis fortunatum ex dignitate mariti matrimonium ſeque impari junctam, & tali quem nec honos nec dignitas comitaretur, quia nemo à proximis anteiri vult. A quâ propterea motus pater Ambuſtus* conſilia cum genero cœpit, adhibito L. Sextio ſtrenuo adoleſcente, &cu-

& cujus ſpei nihil præter genus patricium deeſſet, *eoq; res perducta victo ſenatu rogationes tribunicia acciperentur, & comitiis conſulum adverſa nobilitate habitis P. Sextius de plebe primus Conſul fieret.*

3. Secundò quia in divitibus ſæpè nulla virtus comparet, adeoque indignè ſui imperio deprehenduntur oritur inde ſtomachatio, præſertim ſi in numero plebis ſint virtutibus inſtructi. *Suprà namq; demonſtravimus divites nullum Jus verum habere, in quo ipſorum imperium fundatum ſit.*

4. Quia tertiò in oligarchiis cuncta reguntur voluntate divitum, pauperes ſerviliter tractant labores duriſſimos imponendo: unde motus & ſeditiones. *Hac enim in re oligarchia cum tyrannide concurrit, quod herile in utráque formâ imperium in pauperes exerceatur: unde etiam in utráq; par cauſſa ſeditionum exiſtit. Hinc anſam movendi petivêre tribuni plebis cùm Imperatores vellent populum Rom. ſub pellibus militare & hyemando bellum continuare. Liv. lib. 5. cap. 2.*

5. Quartò cùm divites in pauperes ſæviant & crudelitatem exerceant, metus inde & miſericordia; & hinc motus. *Dum enim ſupplicia metuunt pauperes ſtudent divites è medio tollere aut alios concitant motus vel civitatem deſerunt & auffugiunt: aut ſi ipſi nulla metuant, ducuntur tamen miſericordiâ erga eos qui ſæva patiuntur. Exemplum crudeliter tractati à divitibus moventis miſericordiam eſt apud Liv. lib. 2. cap. 23.*

6. Septimò vitia divitum imperantium faciunt, ut apud pauperes ſubditos in odio & contemptu ſint. *Nam 1. injuſtitia, avaritia, ſuperbia, intemperantia & libido faciunt, ut lædant ſubditos injuriis verbalibus & realibus eos afficiendo, pecuniam extorquendo imponendo ipſis tributa, vel etiam fœnus improbum exercendo. Cujus exemplum præbet Romana civitas, quæ* inteſtino inter patres plebemque flagrabat odio; maximè propter nexos ob æs alienum. Fremebant plebeji, ſe foris pro libertate & imperio dimicantes domi à civibus captos & oppreſſos eſſe, tutioremque in bello quàm in pace, inter hoſtes quàm inter cives libertatem plebis eſſe. *Liv. lib. 2. cap. 23. Solebant enim debitores, ſi ſolvendo non eſſent in vincula conjici. Id quod tamen tumultu facto abrogatum eſt. Quâ de re Liv. lib. 8. cap. 28. ita:* Eo anno plebi Romanæ velut aliud initium libertatis factum eſt, quod ligari nexi deſierint: mutatum autem jus ob unius fœneratoris ſimul libidinem, ſimul crudelitatem inſignem. L. Papirius is fuit. Cui cum ſe C. Publilius ob æs alienum paternum nexum dediſſet; quæ ætas formaque miſericordiam elicere poterat, ad libidinem & contumeliam animum accenderunt: & florem ætatis ejus fructum

adventitium crediti ratus, primo perlicere adoleſcentem ſermone inceſto eſt conatus: dein poſtquam adſpernabantur flagitium aures, minis territare, atque identidem admonere fortunæ: poſtremò cum ingenuitatis magis, quàm præſentis conditionis memorem videret, nudari jubet, verberaque afferri. Quibus laceratus juvenis, quum ſe in publicum proripuiſſet, libidinem crudelitatemque conquerens fœneratoris, ingens vis hominum cum ætatis miſeratione atque indignitate injuriæ accenſa, tum ſuæ conditionis liberumque ſuorum reſpectu in forum atque inde, agmine facto, ad curiam concurrit. &c.

7. Magis propium oligarchiæ principium motuum eſt ipſorum divitum inter ſe diſcordia & odium. *Nam cùm nihil firmum ſit quod diſcordat: ut enim concordiâ res parvæ creſcunt, ita magnæ dilabuntur: pauperes infenſi occaſionē arripiunt, & ita oligarchicos deturbant.* Gignitur autem diſcordia inter divites, quando qui in imperio ſunt ſtomachatione & invidiâ ducuntur erga eos, qui recentibus divitiis acquiſitis imperium adepti ſunt. *Nam non poſſunt homines ſe continere, quin ſubitas oſtentent divitias: unde ſuâ ſtultitiâ augent invidiam & ſtomachationem. Ita Fabius* Valens diu ſordidus *per inopiam,* repentè dives, mutationem fortunæ male tegebat, accenſis egeſtate longâ cupidinibus immoderatus, & inopi juventâ ſenex prodigus. Item, quando ditiores qui ſunt alios divites â maximis magiſtratibus excludere, & ita Oligarchiam oligarchiæ inſerere conantur: aut ſi aliam ob cauſſam divites nonnulli à magiſtratu capeſſendo arceantur. *Nam divites qui excluduntur ducti contemptu ſeſe pauperibus jungunt populique auxilium advocant: unde oligarchia vel in tyrannidem vel in popularem aliquem ſtatum commutatur.*

8. Contingit etiam in oligarchiis ſæpè ex numero divitum nonnullos ſuperbiâ ductos tyrannidem affectare. *Sunt enim improbi homines ita comparati, ut nec parem quandoque præ ſuperbiâ ferre queant. Solent autem mediante demagogiâ quâdam id conari perficere. Nam vel alios divites in ſuas partes trahunt vel plebem. Simulant enim qui affectant tyrannidem cum aliis potentibus amicitiam & ſocietatem, mox collegas, ſi vident tyrannidem firmatam è medio tollentes. Sic Auguſtus cum M. Antonio & Lepido triumviratum iniens, mox poſtquam Lepidum juſſerat privatum eſſe & Antonium interfecerat,* poſito triumviri nomine, conſulem ſe ferens, & ad tuendam plebē tribunitio jure contentum, ubi militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit; inſurgere paulatim, munia Senatûs, magiſtratuum, legum in ſe trahere, nullo adverſante 1. *ann.* 2. *Ex quo diſcimus du-*

plici

plici demagogiâ uſum eſſe Auguſtum; primâ erga potentes, & his remotis alterâ erga plebem. Aliud exemplum exhibet Sp. Mælius eques Romanus, qui frumentum populo ſuâ impenſâ largitus & ob id conciliatâ plebe regnum affectabat. De quo Livius lib. 4. cap. 13. ita: Tum Sp. Mælius ex equeſtri ordine, ut illis temporibus, præ dives, rem utilem peſſimo exemplo, pejore conſilio eſt aggreſſus. frumento namque ex Etruriâ, privatâ pecuniâ per hoſpitum clientiumque miniſteria coempto largitiones frumenti facere inſtituit: plebemque hoc munere delinitam, quacunque incederet conſpectus elatusque ſupra modum hominis privati, ſecum trahere, haud dubium conſulatum favore ac ſpe deſpondentem. Ipſe, ut eſt humanus animus inſatiabilis eo quod fortuna ſpondet, ad altiora & non conceſſa tendere, & quoniam conſulatus quoque eripiendus invitis patribus eſſet, de regno agitare.

9. Contingit etiam præcipuè in Oligarchiis cauſſam ſeditionum eſſe, ſi divites qui imperii capaces ſunt abſumpſerint ſua bona & unà cum facultatibus etiam imperium amittant. *Nam hi aut moliuntur nova, dum vel ipſi tyrannidem invadere ſtudent vel aliis id tentantibus adſiſtunt; aut pecuniam publicam furantur, unde vel cum plebe vel cum cæteris divitibus contendere coguntur.*

10. Cùm itaque & divites inter ſe diſcordent, neuterque alteri fidem habeat, externo milite uti, & ei qui medius eſt vel cuidam extraneo imperium in eundem tradere ſolent: unde contingit tyrannidẽ naſci. *Nã dux externo militi præfectus facilè ſibi favorẽ parare & hoc acquiſito tyrannidem invadere poteſt, dum prenſat gratiam militum. Id enim nonnunquam & tyrannis contingit, cujus exemplum præbet Sejanus præfectus prætorio à Tiberio conſtitutus, qui ipſum Tiberium aggredi & imperium invadere niſus eſt. De quo Tacitus 4. ann. 2.* Vim præfecturæ modicam antea intendit *i.e. uberiorem & majorem reddidit*, diſperſas per urbem cohortes una in caſtra conducendo: ut ſimul imperia acciperent, numeroque & robore, & viſu inter ſe, fiducia ipſis, in cæteros metus crederetur. *i. e. diſcerent quantum fidere ſibi ipſis quantum metûs aliis incutere valeant.* Prætendebat laſcivire militẽ diductum: ſi quid ſubitum ingruat, majore auxilio pariter ſubveniri. & ſeverius acturos *i. e. meliori diſciplinâ habitum iri*, ſi vallum ſtatuatur procul urbis illecebris. Ut perfecta ſunt caſtra, inrepere paulatim militares animos adeundo, appellando: ſimul centuriones ac tribunos ipſe diligere.

11. Fit nonnunquam magis ex accidenti, quàm vitio eorum qui præſunt, mutari oligarchiam, ſi ex certo aliquo & quantitate determi-

terminato cenſu imperent. *Nam auctâ felicitate temporum pecuniâ, augetur & numerus imperantium, & contingit imperium tandem ad pleroſq; vel omnes pervenire.* *It.* Si numerus pauperum augeatur præter expectationem, ut quanto ſuperent quale i. e. potentiam divitum.

ARTIC. VII.

DE CAUSSIS DEMOCRATIAM EVERTENTIBUS.

1. *Agimus hic de deterrimâ democratiâ, in quâ plebs dominatur in divites heriliter, & ſuâ voluntate velut lege quâdam omnia gubernat, continens in ſe homines viliſſimos, vitioſiſſimos, pauperrimos.*

2. Primò itaque quia in democratiâ peſſimâ maximos magiſtratus viliſſimi homines gerunt & in Senatu Judiciiſque prævalent, longè vehementior quàm in oligarchiis gignitur ſtomachatio. *Nam in divitibus quedam dignitatis umbra eſt tribuens prærogativam; in democraticis nihil reperitur quod prætendi queat.*

3. Neceſſe quoque eſt invidiam erga imperantes majorem eſſe. *Nam quo quis digniorem ſe reputat bono quod alter habet, eò magis invidet. Digniores autem ſe exiſtimant divites imperio, & ſibi ſolis competere, adeoq; pauperes poſſidere bonum, quod ſibi debetur, arbitrantur. Maximam ergò apud hos eſſe invidiam conſequens eſt.*

4. Cùm porrò voluntas vulgi in democratiis ſit illud primum unde motus totius civitatis pendent, nihil boni civitas operari poteſt. *Nam vulgi voluntas tota corrupta eſt; vivit enim vulgus prout rapiunt affectus. Et hoc modo fit, ut beſtia quædam multorum capitum in hac formâ præſit.*

5. Totum ergò imperium vulgi in divites & virtute claros viros eſt violentum & moleſtum. *Nam beſtiæ nemo volens paret: ignominioſum enim eſt & parentibus pudorem injicit, vilibus hominibus & fæci populi ſubjectum eſſe. Quâ de cauſsâ non niſi inviti & metu pœnarum ſub imperio detinentur qui parent.*

6. Plenum præterea injuriarum & peccatorum imperium democraticum eſt. *Nam plerumq; agit vulgus ex quâdam injuſtitiâ & imprudentiâ; hæc facit ut peccet in ſuis actionibus; illa ut noceat.*

7. Injuſtum, quod vulgus imperans facit, omne magis lædit bona & facultates quàm exiſtimationem. *Nam quicquid vulgus committit magis lucri quàm voluptatis gratiâ facit: vulgus enim hîc vocamus quod virtutibus & divitiis deſtituitur. Hoc facultatem lædendi alios habens ſemper lucri gratiâ lædit. Unde fit, ut divites fugientes damna & metuentes amiſſionem facultatum moveant ſeditiones.*

8. Præcipuum mutationum & tumultuum principium in demo-

democratiis ſunt, demagogi. *Cum enim plebs ſine aliquo capite eſſe nequeat, utitur ſuis ductoribus, qui eidem adulantes velut homines viles divites clarosq; viros vexant; divites quidem, dum eorundem bonis inſidias ſtruunt; claros viros, quia tolerare eosdem non poſſunt velut moribus contrarios. Hinc objectant hiſce falſa crimina, quo damnati publicis judiciis e medio tollantur. Teſtimonium nobis præbent ex Romanâ hiſtoriâ tribuni plebis, qui multa damna variasq; ignominias claris viris intulerunt, quorum præcipui fuêre duo Scipiones Africanus & Aſiaticus. De quibus Livius lib. 38. cap. 50. & ſeqq.* P. Scipioni Africano, *inquit*, (ut Valerius Antias auctor eſt) duo Q. Petillii diem dixêrunt. Id prout cujusque ingenium erat interpretabantur. Alii non tribunos pl. ſed univerſam civitatem, quæ id pati poſſet, incuſabant. Duas maximas orbis terrarũ urbes ingratas uno prope tempore in principes inventas, Romam ingratiorem: ſi quidem victa Carthago victum Annibalem in exilium expuliſſet, Roma victrix victorem Africanum expellat. Alii, Neminem unum civem tantum eminere debere, ut legibus interrogari non poſſit: nihil tam æquandæ libertatis eſſe, quàm potentiſſimum quemq; poſſe dicere cauſſam. Quid autem tutò cuiquam, nedum ſummam rempubl. permitti, ſi ratio non ſit reddenda? qui Jus æquum pati non poſſit, in eum vim haud injuſtam eſſe. Hæc agitata ſermonibus, donec dies dicendæ cauſſæ venit. nec alius antea quisquam, nec ille ipſe Scipio conſul cenſorve majore omnis generis hominum frequentiâ, quàm reus illo die in forum eſt deductus. *Hic Scipio, ne amplius tribunitiis injuriis vexaretur, in voluntarium exilium Liternum conceſſit.* Major *enim* animus & natura erat, ac majori fortunæ adſuetus, quàm ut reus eſſe ſciret, & ſubmittere ſe in humilitatem cauſſam dicentium. *Scil. nequam illi homines ſplendere, alienâ invidiâ volunt & ſpolia ex triumphis clariſſimorum virorum petere. Hæc ſine dubio cauſſa fuit, quare imperatores invaſuri tyrannidem ſimularent, ſe tribunitiâ poteſtate contentos eſſe, quò ſcil. velut demagogi plebis uterentur favore, ſenatus decreta & clariſſimos quosq; viros evertere poſſent. Tacit. 1. annal. 2. Auguſtus* poſito triumviri nomine, conſulem ſe ferens, & ad tuendam plebem tribunicio jure contentum &c. *Ita poſt finem Auguſti* Tiberius cuncta per conſules incipiebat, tanquam vetere Republ. & ambiguus imperandi. ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, niſi tribunitiæ poteſtatis præſcriptione poſuit ſub Auguſto acceptæ. 1. *annal.* 7. Scil. id ſummi faſtigii vocabulum Auguſtus reperit, ne regis aut dictatoris nomen adſumeret, ac tamen appellatione aliquâ cætera imperia præmineret. *Unde diſcimus demagogiam in cauſſâ eſſe, quare democra-*

tia degenerent in tyrannides: demagogus enim artis militaris peritus ſit tyrannus. Nam cùm demagogi hûc illuc trahant vulgus, omnia tandem horum voluntate geruntur, ſiuntque principium omnium actionum in Reſpubl.

9. In democratiis contingit omnia negotia publica fieri venalia. *Nam plebs ex comitiis & judiciis ſibi quærit pecuniam. Lucri enim gratiâ omnia facit. Sic Romæ qui ambibant honores ſuffragia plebis emebant. Hinc Jugurtha Româ abiens exclamabat, ò Roma venalis, modò quispiam foret qui te emere cuperet. Adeò enim plebem invaſerat avaritia, ut teſte Plutarcho in Cæſare absq; rubore in comitiis menſæ argento plena ponerentur: non aliter ac ſi ſub haſtâ venderentur & quidem publicè magiſtratus. Et ita contingit ubi eliguntur ex divitibus magiſtratus: at ubi hoc non fit, coguntur divites tributa ſolvere, quò plebs quando comitiis judiciisque intereſt ſportulas conſequatur. Ita Pericles fertur auctoritatem populi auxiſſe, dum judicia populi reddidit mercenaria. Plut. in vit. Periclis.*

10. Sunt etiam democratiæ multâ improbitate refertæ, unde harum interitus. *In his namq; vivit quisq; prout vult: quia democratiarum finis eſt libertas, quam definiunt facultatem vivendi prout quisq; vult. (Unde & JCti Romani ſuam definitionem petivêre emendantes ipſam adjectâ limitatione, niſi ſi quid vi aut jure prohibeatur) Conceſſâ autẽ facultate vulgo faciendi quod vult, innumera graviſſimaq; committi flagitia neceſſe eſt, furta, adulteria ſtupra &c. ex quibus nil niſi extrema pernicies emergere poteſt.*

11. Quandoq; tamen contingit & in his naſci homines virtutibus deditos & magnis laboribus eaſdem ſibi parantes, quod quando fit, mutationes conſequuntur. *Nullus enim excellens admittet, ut à plebe in ſe dominium exerceatur. Hinc aut voluntarium exilium eligunt, ut modo de Scipione narravimus; aut verò plebem compeſcere & ſubjicere ſibi ſtudent, quod fit, quando excellentia in virtutibus accedit potentia & amor imperandi: omnia enim pericula hi ſubeunt modò principatum obtineant.* Declaravit id temeritas C. Cæſaris, qui omnia Jura divina & humana pervertit, propter eum, quem ipſe ſibi opinionis errore finxerat, principatum. *Cic. 2. offic. ut verò unus incipiat excellere virtutibus & potentiâ, bello evenit. Id quod exemplum modo laudati Cæſaris docet.*

12. *Hactenus conſideravimus formas civitatum ſeu Reſpublicas eas, quæ ſuâ naturâ injuſtitiam inimicitias & odia in ſe continent & proinde haud diu ſe ſiſtere poſſunt, hasq; ſubjecimus velut oppoſitas optimæ Reipubl. quæ ſuâ naturâ Juſtitiam & amicitiam velut principia conſer-*

vantia

vantia in ſe habet: conſequens eſt, ut ſpeculemur eas, quæ à vitioſisſimis abeunt & vel minus injuſtitiæ & odii inimicitiaque vel nihil habent quo interire poſſint.

CAP. III.

DE FORMIS IN QUIBUS VITIOSITAS CUM QUIBUS HACTENUS ENARRATÆ FORMÆ CONJUNCTÆ SUNT LEGIBUS EMENDATUR VEL TOLLITUR.

1. Formæ, quibus occurritur injuſtitiæ, inimicitiis odiisve, continent aliquid in ſe deſtruens, impediens vel emendans cauſſas evertendi & diſſolvendi ſocietatem civilem, quæ inſunt formis vitioſis hactenus enarratis. *Nam quæ cauſſam tollunt, deſtruunt, impediunt vel mitigant alicujus mali, etiam tollunt malum ipſum.*

2. Videtur autem præcipuum emendandi cauſſam omnis malitiæ quæ vitioſis formis ineſt remedium id quo impeditur vel emendatur corrupta imperantium voluntas. *Nam hæc eſt præcipuum principium omnis tumultûs omniumq́; turbarum in Rebuspublicis: ut ex præcedd. conſtat. Videtur autem optimum remedium eſſe, ſi legi magis quàm voluntati imperantium imperium committatur. Quapropter dum de formis minus vitioſis tractatum inſtituimus, meritò ab iis quæ legibus reguntur, initium facimus.*

MEMBR. I.

DE REBUSPUBL. QUÆ LEGIBUS REGUNTUR.

ARTIC. I.

DE COMMODIS LEGUM.

1. Nullas leges nullumque Jus ſcriptum obſervari in optimâ Republ. ſed imperantes pro ſuâ prudentiâ vivere benè, ultrò facere juſta & honeſta, unà parentibus vivam legem exiſtere virtutumque imaginem, & inde firmam aliquam & conſtantisſimam gigni amicitiam; contrà in vitioſisſimis formis voluntatem corruptam imperantium regere & odiorum contemptusque cauſſam exiſtere, in præcedd. diximus. cùmque hæc voluntas, quæ tanquam Jus debebat conſervare civitatem, diſſolvat eandem: ſtante & poſitâ hac, malo aliter occurri non poteſt, quàm ſi reſtringatur & temperetur nec penitus libera relinquatur: id quod fit, ſi qui præſunt cogantur

ex legibus imperare. *Hæc ratio procedendi in contemplatione facit, ut quæ de legibus dicenda ſunt exactè & ex ſuis cauſſis cognoſcamus, naturamq́; earum eò magis aperiamus. Et hancce in ſpeculationem induxit me Tacitus 3. annal. 26. Quando ait:* Vetuſtiſſimi mortalium, nullâ adhuc malâ libidine, ſine probro ſcelere, eòque ſine pœnâ aut coercitionibus agebant, neque præmiis opus erat, cùm honeſta ſuopte ingenio *i. e. propter ſe & quòd honeſta eſſent* peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. *vel ut Ovidius loquitur 1. Metamorph.*

Proque metu populum ſine vi pudor ipſe regebat:
Nullus erat juſtis reddere jura labor.

Scil. quod demonſtravimus ſuperius, in optimâ republ. omnes Jure non ſcripto uti & ultrò facere quæ decet, nec legibus indigere, id cum poëtis fingit Tacitus olim contigiſſe, ut quænam ſint proprietates optimæ Reſpubl. oſtendat. At poſtquam exuta æqualitas *i. e. poſt quam nonnulli ſeſe efferrent & cæteris prævalere niterentur*, & pro modeſtiâ ac pudore ambitio & vis incedebat *i. e. & alii callidis artibus alii violentis remediis & apertè imperia invadere laborarent omni exutâ modeſtiâ*; provenêre dominationes *i. e. herilia imperia & cumprimis tyrannides*, multosque apud populos æternum manſere; *eas ſcil. qui ſervili erant ingenio & herilibus imperiis adſuefieri poterant.* Quidam ſtatim aut poſtquam Regum pertæſum leges maluerunt. *Vides lector, Tacitum narrantem contigiſſe quod philoſophum decet ſpeculari, anſam nobis præbuiſſe ſubtilius in legum vim & naturam ſpeculandi.*

2. Eſt autem propriiſſimè loquendo lex oratio ſeu propoſitio dirigens actiones imperantium & parentium à voluntate utrorumque profecta. *Nam part. 1. diximus, leges dirigere actiones humanas ita: quòd ſint propoſitiones univerſales, ſub quibus homines caſus ſingulares ſubſumentes concluſionem ſuis actionibus comprehendunt. Quod enim in theoreticis ſyllogiſmis eſt concluſio, hoc in practicis eſt operatio. Quapropter patet, nos rectè legem per orationem vel propoſitionem definiviſſe. Requiritur verò ad perfectam legem conſenſus imperantium & parentium. Si enim ſoli imperantes poteſtatem legum ferendarum habeant, imperium exercent hæ in nolentes & à juſſibus herilibus parum differunt: quid enim intereſt, an qui voluntatem habet corruptam in ſcriptis promulget ſuam voluntatem an ore pronunciet: imperat enim utroque modo corrupta voluntas in nolentes & invitos. Ad hoc fortaſſe ejuſmodi lex minus perfecta conducere poſſet, ne imperantes facilè voluntatem & quod ſemel placuit mutare queant. Ad perfectam ergò legis naturam videtur requiri & imperantium & parentium conſenſus. Hinc*

Ariſto-

Ariſtoteles lib.1.Rhet. cap. 15. ait: καὶ ὅλως αὐτὸς ὁ νόμος συνθήκη τις ἐστίν. Et omninò ipſa lex pactum quoddam eſt. *Id perfectam legem eſſe, & ita definitionem faciendam indicio erunt quæ circa hujus effectus & commoda dicturi ſumus.*

2. Lex facit,ut ſine affectibus imperetur. *Nam lex eſt oratio perpetuò permanens & nō mutabilis: homo autem qui ſuo intellectu practico præeſt ſolidâ prudentiâ & virtutibus parum inſtructus orationes, quas facit circa entia juſta & honeſta, ſæpè mutat; quia judicium intellectus in non virtuoſis rapitur quò ducunt affectus. Hinc Ariſtoteles 4. de Republ.cap. 16.* Qui mentem præeſſe atque imperare jubet, is Deum & leges imperare videtur jubere: qui verò hominem jubet addit & feram. *Hùc pertinet querela Juvenum apud Livium lib.2.cap.3. cujus ſuprà quoque mentionem fecimus;* Regem hominem eſſe, à quo impetres, ubi jus ubi injuria opus ſit: eſſe gratiæ locum eſſe beneficio; & iraſci & ignoſcere poſſe, inter amicum & inimicum diſcrimen noſſe. Leges, rem ſurdam, inexorabilem eſſe, ſalubriorem melioremque inopi quàm potenti: nihil laxamenti nec veniæ habere, ſi modum exceſſeris; periculoſum eſſe in tot humanis erroribus ſolâ innocentiâ vivere. *Scil. quod ſalutare legibus ineſt, hoc in eâdem reprehendebant homines nequam & improbi; quia ſua nequitiæ obviam huic iri videbant. Quoad hoc ergò vitioſitatem aliquam & cauſſam motuum tollunt, quod emendent vitioſam imperantium voluntatem, quæ hùc atque illuc affectibus rapitur multaque per contumeliam per gratiam facere ſuadet. dum enim coguntur adhærere legibus imperando, contingit, mentem quandam affectibus non corruptam præeſſe. Conſulitur ergò imperantibus per leges non aliter ac medicis qui ipſi ægrotantes aliorum conſilia audire ſolent. Corrigitur enim judicium imperantium, quod ſibi relictum perverſum eſt, à legibus & in viam reducitur.*

4. Secundò efficit lex,ut de imperio ſubditi conqueri & illud velut injuſtum accuſare nequeant. *Nam lex perfecta conſenſu parentiū condita valet tanquam ex pacto: unde fit, ut parentes, in quos ex lege quid ſtatuitur conqueri nequeant. Dicimus enim, volenti non fieri injuriam. Patet ergò leges facere, ne injuſtitia in civitate regnet.*

5. Minuitur tertiò odium & invidia erga imperantes qui non pro ſuâ ſed legum voluntate imperant. *Nam ſi quid minus arrideat, quando ſcil. malis pœnæ infliguntur, principium magis legibus quàm imperantibus ineſſe videbitur. Odium verò ob malum erga eum, in quo hujus principium non eſt, injuſtum eſt.*

6. Introducitur quoque mediantibus legibus æqualitas in infligendis pœnis, impediturque crudelitas, quam qui pro ſuâ vo-

luntate imperant exercent. *Nam licet varia peccatorum ſint genera; conſtitutis tamen ordinariis pœnis, quas ſine cauſſâ excedere non licet, terminis incluſa poteſtas puniendi à crudelitate imperitantes abſtinebit.*] *ut patet ex iis quæ parte 2. lib. 2. de delictis diſſeruimus.*

ARTIC. II.

DE LEGUM IMBECILLITATIBUS.

1. Leges non redddunt civitatem beatam, perfectam vacuamque ab omnibus debilitatibus. *Nam leges hanc vim non habent ut imperantes parentesque perfectè juſtos reddant. Juſtitia enim, quæ virtus eſt perfecta ex omnibus virtutibus conſtans, aliâ ratione non paratur, quàm ſi homines naturali prudentiâ & ad virtutes morales propenſione & inclinatione inſtructi diſciplinâ & adſuefactione à teneris perficiuntur. Leges verò tantùm præmiis alliciunt homines ad virtuoſas actiones edendas (quæ etiam à non virtuoſis edi poſſunt: contingit enim eum, qui non juſtus eſt, agere quod juſtus operatur metu ſcil. pœnæ vel ſpe præmii, non per ſe & amore virtutis) improbos à vitioſis actionibus metu pœnarum deterrent. Quo ipſo fit, ut ulterius nihil perficere queant, quàm ut homines à vitioſis actionibus abſtineant & virtuoſa non tamen virtuoſè agant. Cùm verò tunc beata ſit civitas, ſi ſinguli virtuoſè operentur: apparet leges hanc vim non habere, ut civitatem beatam, perfectam & ab omnibus debilitatibus vacuam reddant. Qui enim metu pœnarum abſtinent ab actionibus vitioſis & ſpe præmiorum operantur virtutibus conformia, ceſſantibus his aliter operabuntur: peccabuntq́; ſi impunè licebit. Manebitque adeò in his principium malorum; & ſic civitas adhuc ſuis imbecillitatibus laborabit, non obſtantibus legibus. Id ipſum Dolabella quamvis adulandi animo, verè tamen dixit,* legibus delicta puniri, mitius in eos à quibus metuuntur delicta, melius in paſſuros damna ex delictis provideri, ne peccetur. *3. ann. 68. fin.*

2. Ineſſe legibus & alia poteſt imbecillitas, ſi calliditas accedat in iiſdem ferendis. *Nam contingit leges callidè ferri in perniciem alterius partis civitatis quam altera ſuppreſſam vult, & hoc pacto injuſtos eſſe. Quemadmodum enim circa pacta contingit, ut dolo malo vel vi metuve inita injuſta fiant. (Circa hæc enim propterea pollicetur prætor reſtitutionem in integrum) ita & circa leges, quæ iiſdem in conſenſu ſubſiſtunt & pacta quædam ſunt. Qui enim omnia in ſe trahunt reliquos, quibus dominari nituntur, aut vi aut dolo ad conſentiendum in leges pernicioſas ſibi trahunt. Hoc ut ita doceamus, anſam rurſus nobis præbet elegans ille textus Taciti 3. annal. 26. quando ait:* Hæ leges primò rudibus hominum animis ſimplices erant *i. e. ſine fuco & fallaciis ferebantur.*

bantur. maximèque ſama celebravit Cretenſium, quas Minos; Spartanorum, quas Lycurgus; ac mox Athenienſibus quæſitiores *i. e. ſubtilius excogitatas* jam & plures Solon præſcripſit. *Scil. eo tempore cives committebant certis LLatoribus negotium condendi leges & ita ſine fuco condebantur, prout ſalutares videbantur toti civitati & ſingulis ejusdem partibus. Quando verò à partibus civitatis inter ſe contendentibus leges conficiuntur, ſemper altera ab alterâ vel vi vel fraudibus conſenſum parare nititur, ut ita ex legibus ſuam ſalutem alterius perniciem conſequatur. Quo ipſo contingit & injuſtas leges, taliaque comprehendentes, quæ in perniciem partium Reipubl. vergunt, condi. Tacitus hoc circa Rempubl. Rom. docet. l.3. ann. cap. 27. quando inquit:* Pulſo Tarquinio adverſum Patrum factiones multa populus paravit tuendæ libertatis & firmandæ concordiæ: creatique decemviri, & accitis quæ usquam egregia, compoſitæ XII. tabulæ, finis æqui Juris *i. e. ultimum Jus quod Roma conſentientibus ordinibus ſine fraudibus & vi accepit; cætera ſequentia vi & fallaciis condita ſunt.* Nam ſecutæ leges, etſi aliquando in maleficos ex delicto, ſæpius tamen diſſenſione ordinum, *ſenatûs patriciorum & plebis*, & apiſcendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava per vim latæ ſunt. *Ejusmodi fuère L. Apuleia, per quam pulſus eſt Metellus Numidius & L. Clodia, quâ Cicero.* Hinc Gracchi & Saturnini turbatores plebis; nec minor largitor nomine Senatûs Druſus; corrupti ſpe *civitatis communicandæ*, aut illuſi per interceſſionem ſocii. Ac ne bello quidem Italico, mox civili omiſſum, quin multa & diverſa *à tribunis plebis* ſciſcerentur; donec L. Sulla Dictator, abolitis vel converſis prioribus cum plura addidiſſet, otium ei rei, *ut ſcil. ſuper condendis legibus non amplius diſſenſiones eſſent*, haud in longum paravit, ſtatim turbidis Lepidi rogationibus. neque multò poſt. *Conſulatu Pompeji & Craſſi ſcil.* tribunis reddita licentia, quoquo vellent populum agitandi, *& ita pernicioſis legibus turbas movendi.* Jamque non modò in commune, ſed in ſingulos homines latæ quæſtiones: & corruptiſſimâ Republ. plurimæ leges. *Ex hiſce conſtat, mala Reipubl. legibus non tolli, ſi dolo & vi ferantur: adeoq; hæ in parte ſuos defectus habere, ut civitatem perfectè beatam reddere nequeant.*

3. Legum & hæc imbecillitas eſt, quòd quandoque oblivione, quandoque contemptu aboleantur, interdum graviora mala concitent, quàm quorum abolendorum gratiâ latæ ſunt. *Nam ſi levioribus utaris pœnis contemnuntur leges: neq; enim quales quales ſtatuas pœnas ſufficiet pro exſtirpandis vitiis præſertim inveteratis;* quia ne corporis quidem morbos veteres & diu auctos, niſi per dura & aſpera coerceas. corruptus ſcil. & corruptor, æger & flagrans animus haud

haud levioribus remediis reſtingvendus eſt, quàm libidinibus ardeſcit. tot à majoribus repertæ leges, tot quas D. Auguſtus tulit; illæ oblivione, hæ (quod flagitioſius eſt) contemptu abolitæ ſecuriorem luxum fecêre. nam ſi velis quod nondum vetitum eſt, timeas ne vetêre. atſi prohibita impunè tranſcenderis, neque metus ultrà, neque pudor eſt. 3 *ann.* 54. *Ex his diſcimus, ſi non ſatis virium leges habeant, nonnunquam eas anſam uberius peccandi præbere. Quòd ſi in puniendis improbis ſtrictè perſiſtas, movebunt improbi, qui à vitiis abſtinere nequeunt metu pœnarum. Exemplum præbet* Cæcina, *quem* juvenem Galba quæſtorem in Bæticâ, impigrè in partes ſuas transgreſſum, legioni præpoſuit; mox compertum publicam pecuniam avertiſſe, ut peculatorem flagitari juſſit. Cæcina ægrè paſſus, miſcere & *turbare* cuncta, *ſuam damnationem bello civili eludere* & *ita* privata vulnera Reipubl. malis operire ſtatuit. 1. *Hiſt.* 53.

4. Leges ſine adminiſtratoribus eſſe nequeunt, & inde rurſus quædam imbecillitates. *Nam niſi ſint legum defenſores, qui majeſtate quâdam pollentes vim addant iisdem, ut ſerventur, fruſtrà erunt latæ. Hanc vim defenſorum ſæpè perrumpunt improbi homines. Unde factum, ut vix ullus legumlatorum exiſtimârit legibus parari auctoritatem poſſe, ſine deorum cultu. Et hinc tam varia de diis ad multitudinis perſuaſionem & ad legum uſum fabuloſè ab Ethnicis excogitata ſunt. Id quod ipſe Ethnicus Ariſtoteles refert* 12. *Metaphyſ. cap.* 8. *Tacitus* 3. *ann. c.* 6. Nobis Romulus, ut libitum imperitavit: dein Numa religionibus & divino jure populum devinxit. *Hinc Cic. lib.* 2. *d. LL.* Sit igitur hoc jam à principio perſuaſum civibus, dominos eſſe omnium rerum ac moderatores deos, eaque quæ gerantur eorum geri judicio, ac numine, eoſdem optimè de genere hominum mereri, & qualis quisque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, quâ mente quâ pietate religiones colat, intueri, piorumque & impiorum habere rationem: his enim rebus imbutæ mentes haud ſanè abhorrebunt ab utili & à verâ ſententiâ. *Sed qui ad virtutes adſueti à teneris non ſunt, quemadmodum qui Platoni Titanum è genere dicuntur, & dîs cœleſtibus & magiſtratibus adverſantur: ut adeò leges ſæpè ſpretæ jaceant. His accedit, quòd* νομοφύλακες, *qui libros non modo, in quibus leges ſcriptæ habentur ſed etiam facta hominum obſervare & ad leges revocare debent ſæpè corrupti pecuniâ vel affectibus id negligunt. Huc pertinet, quod narrat Tacitus* 1. *ann.* 2. *provincias tyranni eum ſtatum, quem Auguſtus introducebat non abnuiſſe,* invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, poſtremò pecuniâ turbabantur. *Eſt porrò & alia cauſſa, quare legibus conſtituendi ſint adminiſtratores. Nam cùm leges de omnibus caſibus ferri*

tingentibus, nec in omnibus caſibus locum habeant: eſſe in civitate debent qui interpretentur leges, eaſdem extendendo ad caſus, de quibus nō loquuntur, & reſtringendo, ſicubi in hoc vel illo caſu non procedant. Cùm etiam ſenſus ſæpenumero obſcurus ſit, convenientem ſenſum erui neceſſe eſt. De interpretatione extenſivâ hoc teſtatur Julianus l. non poſſunt 12. ff. de LL. & Pedianus citante Ulpiano in l.13. ff. eod. Sed ſi ii, penes quos legum adminiſtratio eſt, improbi homines ſint, quid illæ proderunt? Poterunt etenim extendi ad caſus, ad quos extēdi nō debebant, & reſtringi in caſibus in quibꝰ nō debebant. Quin ſi paulò obſcuriores ſint, affingi iiſdē planè alienus ſenſus poterit: præſertim ſi authentica interpretatio adminiſtratoribus ſit conceſſa. Fiunt ergò hoc pacto ob improbitatem hominū leges quaſi cereæ & flexibiles in quamcunq; partē: & ita improbis exiſtentibus adminiſtratoribus parum præſidii iiſdem ineſt. De quo conqueritur Segeſtes apud Tacitum 1. ann. 58.

5. *Ex his patet, Reſpubl. in quibus cives ad perfectas virtutes non educantur, aliquid felicitatis conſequi, ſi qui præſunt ex legibus imperent, multis tamen adhuc imbecillitatibus laborare.*

MEMBR. II.

DE REBUSPUBL. PAULATIM A VITIOSISSIMIS ABEUNTIBUS.

1. Præmiſſis quibusdam, quæ circa legum utilitatem dicenda fuerunt, commodè nunc ſpecies Monarchiarum, Democratiarum, Oligarchiarumque à vitioſiſſimis formis abeuntium contemplari poterimus. *Nam multum tollitur malitia mediantibus legibus in ſingulis formis hiſce. ut ex præcedd. patet.*

ARTIC. I.

DE MONARCHIIS A VITIOSISSIMA TYRANNIDE ABEUNTIBUS.

1. *Prima ſpecies Monarchiarum à tyrannide abeuntium eſt regnum barbaricum.* Eſt autem barbaricum regnum monarchia quâ quis heriliter imperat in homines ſerviles & alio imperio regi neſcientes. *Hoc autem regnum firmius eſſe tyrannide inde conſtat; quia deſtituitur injuſtitiâ, quæ ineſt tyrannidi: neq; enim, ut in tyrannide, in liberos homines heriliter imperatur. Quin naturæ congruum eſt ejuſmodi regnum, utpote in tali imperio poſitum, quale natura parentium exigit. Eſt ergò tutum & diuturnum, quia fit in volentes ita regi & per conſequens legitimum eſt. Quicquid enim ex voluntate & conſenſu ſubditorum ſubſiſtit legitimum eſt: lex enim pactum quoddam eſt: ut præced. membr. oſtendimus. Habet tamen & hoc regnum ſuas imbecillitates. Nam ju-*

ſtitia ejus & firmitudo dependet à voluntate vulgi ingenio ſervili præditi, quâ immutatâ, neceſſe eſt & regnum fieri injuſtum & motibus percelli. Eſt autem vulgus 1. ſuperſtitioſum: adeoq; ſi rex aliquid tentet quod contra præconceptam opinionem eſt, quam vulgus de religione & cultu divino habet, ſtatim gignuntur turbæ. Hanc ob cauſſam Auguſtus Ægyptum ſingulariter ſibi regendam reſervare voluit. Tacit. 1. H. 11. Ægyptum copiasque, quibus coerceretur, jam inde à D. Auguſto equites Romani obtinent loco regum. Ita viſum expedire, provinciam aditu difficilem, annonæ fœcundam, ſuperſtitione ac laſciviâ *i. e. levitate animi* diſcordem & mobilem, inſciam legum, ignaram magiſtratuum domi retineri. 2. *Eſt & inſtabile ejuſmodi vulgus in iis, quibus non eſt adſuetum. Quapropter niſi regnum barbaricum ſit avitum & vulgus adſuetum familiæ certæ parére, nihil diuturni habet.* 3. *Vulgus ſervile & barbaricum amat domeſticos mores, incognitos odit. Nam de nullâ re judicare valens amplectitur tantùm ea quibus eſt adſuetum: incognita pro vitiis habet. Hinc quamvis nonnunquam à peregrinis reges petiiſſe barbari deprehendantur: niſi tamen ſtatim mores ipſorum domeſticos adſumpſerint reges, iterum de regno depulſi ſunt. Elegans hac de re eſt exemplum apud Tacitum 2. ann. 1 & ſeqq. de Vonone quem Parthi Româ petitum accepêre lætantes*, ut fermè ad nova imperia; *mox aſpernati ſunt, cùm ſubiret eos pudor, quaſi degeneraverint, petendo alio ex orbe regem, nec inter ipſos educatum, ſed* hoſtium artibus infectum *i. e. moribus gentis hoſtilis imbutum.* Accendebat dedignantes & ipſe *Vonones* diverſus à majorum inſtitutis, raro venatu, ſegni equorum curâ, quoties per urbes incederet lecticæ geſtamine, faſtuque erga patrias epulas. Irridebantur & græci comites *i. e. oratores & hiſtorici græci, quibus more Romanorum utebatur*, ac viliſſima utenſilium annulo clauſa *i. e. vaſcula in quibus cibus potusve ſervabatur obſignata.* Sed prompti aditus, obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia; & quia ipſorum moribus aliena, perinde odium pravis & honeſtis. *Ex hiſce patet, quænam barbaricis regnis inſint imbecillitates.*

2. Secunda monarchiarum ſpecies eſt regnum æſymneticum. Definitur Ariſtoteli æſymnetia, tyrannis optiva, ſeu conſenſu & ſuffragio populi delata. *Differtq; à tyrannide peſſimâ, quòd fundata ſit in Jure voluntario; & per conſequens legitima ſit. Quicquid enim ex voluntate & conſenſu illius in aliquem ſtatuitur, juſtum, vel ad minimum non injuſtum eſt. Non eſt autem æſymnetia unius generis; quia alia confertur ad totam vitam & ita indeterminata eſt, alia eſt determinata vel certo tempore vel uſu, quando confertur ad certas res gerendas, quibus finitis & illa finitur. Ortum autem habent æſymnetiæ à neceſſita-*

te, quando populus liber videns, ſe aliâ ratione ſalvum non eſſe, eligit aliquem eiq́, concedit imperium herile. Hoc circa Dictaturam, quæ ſpecies, quædam æſymnetiæ fuit, teſtatur Livius lib. 2. cap. 18. quando ait: Supra belli Latini metum id quoque acceſſerat; quòd triginta jam conjuraſſe populos, concitante Octavio Mamilio, ſatis conſtabat. In hac tantarum expectatione rerum, ſollicitâ civitate, dictatoris primùm creandi mentio orta. *Hoc itidem vult Tacitus, quando ait 1. ann. 1.* Dictaturæ ad tempus ſumebantur *i. e. pro tempore prout exigebat neceſſitas. Nam quando herile imperium uni commiſſum eſt, ſtrictius cives parére coguntur: id quod tempore neceſſitatis ſalutare eſt. Liv. citat. loc.* Creato dictatore primum Romæ, poſtquam præferri ſecures viderunt, magnus plebem metus inceſſit, ut intentiores eſſent ad dicto parendum, neque enim ut in Conſulibus, qui pari poteſtate eſſent, alterius auxilium, neque provocatio erat: neque ullum uſquam niſi in curâ parendi auxilium. Sabinis etiam creatus Romæ dictator (eò magis, quòd propter ſe creatum crediderant) metum incuſſit. *Eſt autẽ æſymnetia magno cũ periculo civitatis conjuncta. Nam ſi conferatur ad tempus, appetitur ab iis qui præſunt ad vitam; ſi datur ad vitã facilè tranſit in perpetuã tyrannidem; quia ſtudent qui præſunt imperiũ ad ſuos poſteros propagare & dum vivunt tyrannidem ita firmant, ut liberis facilè aufferri nequeat. Teſtatur hoc ipſum hiſtoria Julii Cæſaris & aliorum perpetuam dictaturam ſibi aſſerentium.*

3. Tertia monarchiarum ſpecies eſt regnum Laconicum, quod maximè legibus adſtrictum nihil poteſtatis regi relinquit, præterquam quando extra urbem eſt in bello, & civibus ut dux militaris imperat. *Nam reges Laconici tempore belli habebant ut perpetui duces jus vitæ & necis. Eſt autem regnum laconicum aliud gentile & quaſi hereditarium, aliud electitium. Recedit ergo regnum hoc à tyrannide, quia rex legibus ſubjicitur, quando domi agit, & lege imperat. Sed laborat & hoc imbecillitatibus, quod ſcil. ejuſmodi reges perpetuò occupati ſint, quò liberentur à legum obſervantiâ, contrà cives nitantur vim legum in eos conſervare, nimis rigidè quandoque adverſus eos procedendo*

4. Quarta ſpecies eſt regnum heroicum, eſtque monarchia ob benè merita alicui vel familiæ integræ, ut ex hac ſemper unus præſit, conceſſa. *Eſtq́, & hæc in lege & voluntate parentium fundata & præterea in meritis vel imperantium ipſorum vel familia, ex quâ ſunt oriundi. Differtq́, præ cæteris longiſſimè à tyrannide; quia fundata eſt partim in juſto legitimo ex voluntate ſcil. parentium deſcendente, partim quodammodo in naturali, quia datur ob beneficia & merita vel ipſius regis vel majorum ejuſdem, ex quibus oriundus eſt. Hoc autem regnum his imbecil-*

itatibus gaudet, quod regū filii in delitiis & voluptatibus educati ſæpenumerò beſtiis ſimiles fiant & proptereà ſummè contemnendos ſe præbeant, aut etiam maximis injuriis afficiant ſubditos extorquentes pecuniam iisdem, ut luxurioſè vivere queant. Verùm niſi extremè malitioſi evadant, non facilè imperium amittunt; quia videtur imperium his naturaliter deberi. Conſequitur & ſuum interitum nonnunquam, quando plures ſunt in familiâ qui de imperio contendunt.

ARTIC. II.
DE
SPECIEBUS OLIGARCHIARUM A PESSIMA RECEDENTIUM.

1. Habent & Oligarchiæ ſuas ſpecies quæ peſſimæ contradiſtinguntur. Emendatur autem in his quoque vitioſitas à legibus, dum Jure legitimo fit juſtum quod naturaliter non eſt, dumque qui præſunt non pro ſuo placito, ſed ex legibus imperant. *Nam part. I. demonſtravimus, ex quibus cauſſis quod naturaliter juſtum non eſt quandoque ex lege Juſtum fieri poſſit.*

2. *Ut autem ſingularum ſpecierum fundamenta, & in quantum à vitioſiſſimâ abeant, intelligamus, repetimus, vitioſiſſimam oligarchiam eam eſſe, in quâ ſine legibus pro ſuo arbitrio imperant divites ſuumque imperium pro lubitu in alios transferunt: unde plerumque hereditaria eſt, quia quilibet dat operam, ut ad liberos ſuos imperium transferat.*

3. Prima ergò ſpecies Oligarchiæ minus vitioſæ eſt, quando ea quidem eſt hereditaria & imperium qui præſunt unà cùm ſuis bonis ad liberos transferunt, ex legibus tamē imperant. *In hac oligarchiæ ſpecie ceſſant incommoda quæ inde oriuntur, quòd oligarchici pro ſuâ voluntate imperent, præcipiendo heriliter parentibus pernicioſa ſibi utilia & proficua, it. inde, quòd contra voluntatem parentium & in eos invitos imperetur: adeoque & in Jure legitimo hæc ſpecies fundata eſt & ſecundum jus legitimum in hac imperitatur. Originem autem huic ſpeciei præbet poteſtas divitum paulò minor, quàm requiritur, ut ſine lege pro arbitrio imperetur. Quapropter hoc agunt divites, ut ſecundum leges quidem exerceatur imperium, ſed hereditarium & ad liberos devolutum.*

4. Secunda ſpecies oligarchiæ à peſſimâ recedens eſt ea, quæ non hereditaria ſed electitia eſt, poteſtatem autem ex lege habent eligendi qui ipſi imperant & quidem ex numero eorum qui cenſum legibus definitum habent. *Contingit hæc ſecunda ſpecies paulò magis abiens à peſſimâ, quando divitum tanta potentia non eſt, ut imperium hereditarium facere queant: interim pauperum numerum ſuâ potentiâ excedentes, inhærent huic principio ſeu axiomati, divitibus velut ſupe-*

ſuperioribus imperium deberi ; & hoc ipſo obtinent, ut nemo alius admittatur quàm tantum vel tantum cenſum habens ; ſibique jus eligendi arrogant : ne fortaſſe quandoq; & ex aliis magiſtratus quærantur, & Jus cui innituntur evertatur. Habet hæc ſpecies incommoda quædam cum peſſimâ communia, quòd ſcil. ab imperio perſonæ debitum cenſum non poſſidentes ſemper excludantur, & proinde apud eos potiſſimum, qui ſatis prudentiæ habent, ut ipſi quoque imperare valeant, ſtomachatio & invidia oriatur. Commoda autem inſunt huic ſpeciei omnia, quæ à legibus proveniunt : & præter hæc etiam, quòd non temerè quilibet dives imperium conſequatur, ſed qui præ cæteris divitibus idoneus videtur: quia imperium non hereditarium, ſed electitium eſt : quo ipſo hæc ſpecies præcedenti primâ melior eſt.

5. Tertia ſpecies eſt, quando cenſus definitus talis eſt, cujus quamplurimi ſunt participes, qui propterea ex LLbus imperant : *Hæc ſpecies, præter commoda, quæ inſunt cæteris à peſſimâ oligarchiâ abeuntibus, & hoc habet, quòd nimirum non tam multi, ut in cæteris oligarchiis excludantur à participatione imperii. Unde eò minor invidia.*

6. Et hæ fermè ſunt ſpecies Oligarchicæ recedentes quidem paulatim à peſſimâ & vitioſitatem ejus emendantes, per hoc, quòd leges in hiſce imperent ; non tamen carentes ſuis imbecillitibus, quæ partim circa ſingulas enarratæ ſunt, partim etiam cognoſci poſſunt ex iis, quæ *membr.* 4. *art.* 2. de imbecillitatibus LL. diſſeruimus. *Nam cùm hæ formæ omnem ſuam bonitatem à Legibus habeant & præterea nullam, quâ legum defectus corrigantur : ſequitur eas laborare omnibus imbecillitatibus, cum quibus diximus leges conjunctas eſſe. Leges enim quamvis ſtudeant occurrere malis : non tamen efficere poſſunt, ut propterea ſinguli ſuo ſtatu contenti ſint. Ita v. g. leges oligarchicæ nonnunquam prohibent filios unà cum parentibus aut duos fratres ſimul imperare ; ne occaſio detur familiæ ad ſe ſolam trahendi imperium. At quia hoc ipſo multi divites ab imperio excluduntur, ſeditiones quamplurimæ inde gignuntur. Ita nonnunquam leges eligendi Jus conferunt plebi, quia ſalutare videtur, dum qui præſunt magis ex voluntate ſubditorum, tanquam ab hiſce electi imperant. Sed hoc ipſo ſæpenumero cauſa malorum exiſtunt ; dum divites plebejis blandiuntur, ambitu imperium quærentes. Item ſalutaris videtur in Oligarchiis lex, quâ jubentur magiſtratus reddere plebeiis rationes geſti officii : at hoc ſæpenumerò maximè detrimentoſum eſt. Nam divites magiſtratus non ritè gerunt, ſed ad placitum vulgi : gignunturque inde demagogi.*

7. Dantur & accidentia principium mutationum exiſtentia. Qualia ſunt quibus potentia immutatur. *Nam omnis oligarchia fundata eſt in divitum potentiâ, qua prævalent. Quod ſi hæc immutetur, con-*

cidit fundamentum, cui leges oligarchicæ ſuperſtructæ ſunt: Et ipſæ quoq; vim omnem amittunt; à potentioribus quippe perrumpuntur, v.g. ſi unius ex divitum numero potentia ita augeatur, ut hic ſolus cæteris prævaleat, ſtudebit hic tyrannidem invadere, & omne imperium ſibi arrogabit. Contingit hoc tempore belli ſi uni ex divitibus committitur exercitus ex ſtipendiariis militibus conſtans: hic enim favorem militum ſibi comparans potens evadit & validus ad ſupprimendum cæteros. Contrà etiam accidit, populum numero ſuperiorem reddi divitibus, quo ipſo mutatio in democratiam fit. Similiter etiam accidit, legibus determinatum eſſe certum cenſum, ſed florente civitate augeri facultates civium ita, ut plerią; cives fiant harum participes, quo facto ſtatus redditur popularis.

ARTIC III.

DE

SPECIEBUS DEMOCRATIARUM A PESSIMA RECEDENTIUM.

1. Naſcuntur ſpecies democratiarum à peſſimâ recedentes ex principio, quod facit plebejos cogi ad committendū imperium legibus. *Nam ſi legibus regantur vitioſæ formæ, malitiam harum mitigari demonſtravimus membr 1. artic. 1. hui cap. Eſt autem principium faciens, ut plebeji legibus committant imperium nec pro ſuâ voluntate imperent, ſi civitas non ſit potens nec provincias aut civitates ſibi ſubjectas habeat tributarias. Nam defectus tributorum & vectigalium efficit, ut plebeii pauperes nequeant comitiis & judiciis intereſſe, quod quando fit, legibus imperium committunt.*

2. Prima ergo ſpecies eſt, quando omnibus qui liberi homines ſunt aditus patet ad imperandum & participes ſunt conſiliorum & judiciorum, ſed legibus committunt imperium. *Hæc ſpecies inſigni illâ vitioſitate, quæ peſſimæ democratiæ ineſt deſtituitur. Nam in peſſimâ democratiâ imperat bellua multorum capitum voluntas nimirum corrupta plebejorum: at in hac lex, quæ eſt quædam conſtans & perpetua ratio, licet in arbitrio plebis fundata exiſtat. Oritur autem hæc forma, quando non ſuppetunt civitati tributa & vectigalia, ut pauperes qui interſunt judiciis ſportulas conſequi queant: hoc enim caſu legibus imperium relinquitur.*

3. Secunda ſpecies eſt, in quâ omnes liberi homines, qui nullâ infamiâ notati ſunt, participes exiſtunt imperii. *In hac enim ſecundum leges imperari neceſſe eſt: legem namą; eſſe oportet, quæ jubeat excludi infamiâ notatos. Deinde & virtutis quodammodo habetur ratio; quia coguntur qui participes eſſe volunt imperii, abſtinere à vitioſis actionibus infamiam importantibus. Quod ſecus ſe habet in peſſimâ democratiâ, in*

quâ

quâ voluntas peſſimorum & flagitioſiſſimorum hominum pro lege habenda venit.

4. Tertia ſpecies eſt, in quâ certus aliquis cenſus legibus determinatus eſt, quo inſtructi eſſe debent qui imperii participes eſſe volunt. *Hac itidem emendat vitioſitatem peſſimæ democratiæ; quia 1. legi committitur imperium 2. non admittuntur pauperrimi inſidias ſtruentes bonis divitum, ſed ii qui tantum cenſus habent, ut otiari poſſint.*

5. Quarta ſpecies eſt fundata in lege edicente æqualitatem divitum pauperumque, & reddente omnes æqualiter participes imperii. *In hac formâ divites non æquè ſubjacent imperio pauperum minusq; inſidiis ſunt expoſiti, ac in cæteris formis. Tantùm eatenus hic ſtatus democraticus eſt, quatenus pauperes numero ſuffragiorum exſuperant divites.*

6. Hæ omnes formæ peſſimâ democratiâ durabiliores ſunt: laborant tamen defectibus quas diximus ineſſe iis formis, quæ nihil boni præterquam à ſolis legibus habent. *Nam in hiſce demagogis non æquè locus eſt; quia ex legibus imperatur: in peſſimâ enim, ubi voluntas plebis pro lege habetur, trahitur plebs à blandis ductoribus, ut perpetret, quæ in perniciem divites detrudunt.*

CAP. IV.

DE DISTRIBVTIONE BONORUM MOBILIUM ET IMMOBILIUM IN FORMIS VITIOSIS, ET EADEM ITA FACIENDA QVO QUÆ COMMUNITER OPTIMA RESPUBL. EST EMERGAT.

1. Diſtributio bonorum præſertim immobilium in vitioſis formis qualis qualis nulla naturaliter juſta eſt. *Nam facultates nemini ſecundum juſtitiam diſtributivam rectè adſignantur, niſi dignus hiſce ſit. Nemo verò dignus iiſdem eſt, niſi verum earum uſum ſciat. verum autem uſum divitiarum ſoli liberales norunt. unde ſequitur, in nullâ republ. juſtè diſtribui & dividi res niſi in optimâ, in quâ cura habetur, quò omnes cives ſint virtuoſi.*

2. Quamvis verò diſtributio bonorũ ſeu rerum diviſio in cæteris præter optimam rebuspubl. nulla naturaliter juſta ſit: aliter tamen ea fit in monarchiis & oligarchiis, aliter in democratiis. Videtur quoque dari modus dividendi res ita, ut inde emergat aliqua conſtantior reſpubl. quàm cæteræ præter optimam rempubl. formæ ſunt. Quâ de cauſâ de his nunc diſſerendum erit.

MEMBR.

MEMBR. I.

De DIVISIONE RERUM SEU DISTRIBUTIONE BONORUM IN VITIOSIS FORMIS FIERI SOLITA.

1. In democratiis nulla certa ratio dividendi res ſeu mobiles ſeu immobiles adhibetur. *Nã quod attinet bona mobilia, quicquid inventũ vel occupatum fuerit, occupantibus cedit; omnes enim parem in occupandis rebus, quæ nullius ſunt, libertatẽ ſibi arrogant; cum democratiæ ſint in æqualitate & libertate fundatæ. Omnibus ergo facultas venandi, aucupandi, piſcandi concedi ſolet. Circa immobilia ab hoſtib9 capta pauperes dominium appetunt, ſibique adſignari deſiderant. Exemplo eſt apud Romanos lex agraria, quæ Caſſio & Virginio CSS. primùm promulgata;* nunquam deinde ſine maximis motibus rerum agitata eſt. *Liv. lib. 2. cap. 41.*

2. In monarchiis & oligarchiis venationes, piſcationes, aucupia ſibi arrogant qui imperant; bonorum immobilium poſſeſſiones non niſi cum onere ſervitia & tributa præſtandi pauperibus concedunt. *Herile namq; monarcharum & divitum in oligarchiis eſt imperium: adeoq; & ſervorum in modum ſubditos tractant: ut inſtar peculii habeant quicquid bonorum ipſis relinquitur.*

MEMBR. II.

De REPUBLICA MEDIORUM

1. Mediorum rempubl. voco in quâ diviſis civibus in tres claſſes, divitum nim. mediorum & pauperum; ea habetur mediorum ratio, ut præſint, potentiâ tali inſtructi, quâ ſuperiores exiſtere poſſint partim divitibus partim pauperibus, quò juncti alteri parti patienti injuriam, alteram ſuperare valeant.

2. Hæc forma eſt 1. aliena à vitiis quæ democratiis oligarchiisq; inſunt ob mores diſtortos divitum pauperumque. *Nam divites ſunt contumelioſi, nec facilè alios admittunt ad imperium, ſed ipſi ſemper imperare volunt tyrannidem affectantes; exercentq; in pauperes imperium herile: unde in Oligarchiis turbæ & ſeditiones naſcuntur. Contrà pauperes ſunt malitioſi, fraudulenti; aliorum bonis inſidias ſtruentes, it. humiles & abjecti, imperare neſcientes aptioresq; ad ſerviendum; quæ cauſſæ ſunt maximarum turbarum in democratiis. Unde ſequitur, mediorum in utroſq;, divites nimirum & pauperes imperium his vitiis non laborare, quibus oligarchiæ & democratiæ. Medii enim imperantes nec contumelioſi ſunt in pauperes æquè ac divites; nec divitibus ſtruunt inſidias, ac faciunt, qui pauperes ſunt; nec æquè ſunt ſubjecti invidiæ ac divites.*

3. In

3. Ineſt 2. huic mediorum Reipubl. conſtantior quædam concordia. *Nam tanta inter imperantes & parentes non eſt morum contrarietas, ac ubi divites in pauperes vel hi in illos imperant: medii enim partim cum divitibus, partim cum pauperibus congruunt; divitibus pauperibusq; planè inter ſe pugnantibus: minor ergò erit mediorum cum utriq; diſcordia, ceſſantibus odiis, quæ ex contrarietate oriuntur.*

4. Ex neceſſitate 3. coguntur & pauperes & divites quieſcere, adeoque non facilè in oligarchiam aut democratiam ſtatus mutabitur. *Nam moventibus pauperibus aſſiſtent imperantibus mediis divites; his moventibus, ſtabunt à partibus mediorum imperantium pauperes: & ita ope alterius partis parentium ſemper pars imperans ſatis munita erit adverſus eos, qui ſtatum turbare nituntur.*

5. *Ex his patet, quid reſpublica mediorum ſit, & quæ commoda habeat, quæ incommoda oligarchica & democratica emendet vel tollat.*

CAP. V.
DE FORMIS MIXTIS.

1. Vidimus *praeced cap. 4.* quâ ratione ex divitiarum proportione, ſi iis, qui mediocres divitias habent ſumma poteſtas committatur ſtabilis aliqua & media forma ſit conficienda; *& cap. 3. membr. 2.* quid poſſint leges in vitioſis formis, ſi ſecundum has imperetur. Nunc contemplabimur cum Ariſtotele *lib. 4. polit.* latiusque, quod ibi tradit Philoſophus perſequemur, quàm varia genera rerumpubl. ex mixtione legum oligarchicarum & democraticarum oriantur. Hæ enim mixtæ formæ ſine dubio ſpecies ſimplices oligarchicas & democraticas etiam eas, quæ legibus reguntur, bonitate ſuâ ſuperabunt. *Nam leges oligarchicæ latæ in ſalutem divitum & democraticæ in ſalutem pauperum defectus oligarchicos & democraticos retinent. Quin licet pro virtute feras leges deferendo virtuoſis imperium, orientur multa incommoda quæ oligarchiis inſunt. unde ſi leges oligarchicæ & democraticæ ariſtocraticæque miſcentur; nulla civitatis pars videtur conqueri poſſe, ſe præteritam eſſe.*

2. Mixtio legum oligarchicarum in ſalutem divitum & democraticarum in ſalutem pauperum vergentium vel ita fit, ut dignoſcere nequeas, utrum ſtatus propendeat ad oligarchiam an ad democratiam. i. e. ut forma videatur eſſe & democratica & oligarchica, & tamen etiam neutra, *quam rempubl. perfectè mixtam vocabimus*, vel ita, ut ſtatus quodammodo ad oligarchiam propendeat, qui ariſto-

craticus nominari ſolet; *quia divites plerumque magis moribus exculti ſunt, magisque honeſtati operam dant, quàm pauperes*; vel ita,ut ſtatus propendeat ad democratiam, *qui popularis & politicus dici conſuevit.*

3. *Hinc tria diſtincta nobis gignuntur membra, nim. 1. de formis perfectè mixtis 2. de ariſtocratiis.3 de populari ſeu politico ſtatu. Quibus accedet quartum de mixtione quæ diverſimodè fit reſpectu trium præcipuarum civitatis partium.*

MEMBR. I.
DE
REPUBLICA EX DEMOCRATIA ET OLIGARCHIA PERFECTE MIXTA.

1. Mixtio democratiæ & oligarchiæ tribus contingit modis. Primus eſt, quando ex utrâque formâ ſumuntur leges circa idem. *v.g. lex democratica eſt*; pauperes qui interſunt judiciis,accipiunto ſportulas; *oligarchica*, divites qui judiciis non interſunt, mulctam danto. *Utraque lex circa judicia in eâdem republ. lata reddit formam mixtam ſecundum primum modum.*

2. Secundus miſcendi modus eſt, ſi medium ſumatur eorum quæ in oligarchiâ & democratiâ recepta ſunt. *v.g. eſto civitas,quam ſi reddere oligarchicam velis,legem conficere talem neceſſe habeas*: nemo admittitor ad magiſtratum niſi facultates ipſius 10000.aureos excedant; *ſin eam democraticam habere velis, ut talis tibi facienda lex ſit*: nemo admittitor cujus bona 4000. excedunt: *gignetur ſtatus mixtus, ſi lex fiat*: ii creantor magiſtratus, quorum bona nec infra 4000. ſunt nec 10000. excedunt. *Hâc enim lege latâ ſtatus nec democraticus nec oligarchicus dici poteſt; ſed potius incidit in rempubl. quam mediorum cap. 4. membr.2. vocabamus.*

3. Tertius miſcendi modus eſt, quando ex duobus, quorum alterum oligarchiæ, alterum democratiæ proprium exiſtit, fit una lex. *v.g. ſi lex fiat*: nulla cenſus ratione habitâ fiat magiſtratuum electio. *eſt hæc compoſita ex duobus, quorum alterum democratiæ,alterum oligarchiæ eſt proprium. Nam magiſtratus eligi oligarchicum eſt; ex nullo cenſu ſumi, democraticum.*

4. His tribus modis mixtione legum factâ gignetur forma, quâ totâ inſpectâ non apparet utrum magis ad oligarchiam an ad democratiam propendeat; & quamvis durante hac formâ ceſſent querelæ: rarò tamen hoc legum æquilibrium & non niſi magnâ curâ adhibitâ conſervari poteſt. *Nam facilè contingit alteram partem potentiâ prævalere, quæ leges tales non diu admittit. Videtur id innuere*

Tacitus

Tacitus 4. annal. 33. quando ait: Nam cunctas nationes & urbes, populus, aut primores aut ſinguli regunt, delecta ex his & conſtituta *i. e. mixta in eum modum, quo nunc diximus,* Reipubl. forma laudari facilius quàm evenire; vel ſi evenit, haud diuturna eſſe poteſt. *Cujus cauſſa nulla alia eſt, quàm quòd facilè contingat, aliquam partem prævalere; quia à medio & æqualitate facilimè abitur; idque tunc potiſſimum contingit, ſi civitas ſit potens & in pace conſtituta. Tacit. 2. H. 38.* Nam rebus modicis æqualitas facilè habebatur, ſed ubi ſubacto orbe & æmulis urbibus regibusve exciſis, ſecuras opes concupiſcere vacuum fuit, *i. e. ſine externo metu domi potentiam quærere datum eſt;* prima inter patres plebemque certamina exarſere. *Quæ autem forma non niſi metu externorum ſubſiſtit ex ſe diuturna non eſt. Scil. Romanorum æqualitas, quam intendebant legibus non ſatis firmis erat munita. Id verò niſi fiat, & leges æqualitatem præcipientes ſtrictè ſerventur, facilis contingit mutatio.*

MEMBR. II.
DE ARISTOCRATIIS.

Ariſtocratiæ duorum generum ſunt: & quidem 1. vocantur ariſtocratiæ, ſi mixtione ex oligarchicis & democraticis legibus factâ reſultet ejusmodi forma, quæ ad oligarchiam propendeat. 2. Si ex virtute divitiis & popularitate fiat mixtio, ita tamen ut eorum, qui divites & virtuoſi ſunt, præcipua ratio habeatur. *Nam ut ſolius virtutis reſpectus habeatur non niſi in optimâ republicâ contingit.*

2. Eſt verò ariſtocratiæ communis quædam ſpecies Nobilium imperium. *Nam nobilitas eſt quiddam in divitiis & virtutibus majorum conſiſtens. Ergò imperium nobilium eſt forma quædam ex divitiis & virtutibus mixta.*

3. Habent ariſtocratiæ principia everſionum cum oligarchiis communia. *Nam quando qui divites ſunt aut divites & virtuoſi ſimul reliquis præferuntur, naſcitur æque ac in oligarchiis, in quibus divites omnia ſuperiora habent, in excluſis ab honoribus invidia quædam, præſertim ſi ij ſint excluſi qui magnos ſpiritus habent & concipiunt ſe virtuoſis ſimiles. Contingit autem tales exiſtere multos; quia in communibus hisce ariſtocratiis prudentia & fortitudo virtutes eæ ſunt, quarum ratio habetur; exiſtimant verò audaculi & callidi homines ſe fortes & prudentes eſſe. Sunt ergò communes ariſtocratiæ ratione excluſionis eorum qui divites & virtuoſi non ſunt, quædam oligarchiæ.*

4. Eſt ergò prima cauſſa evertens ariſtocratias, quod his in formis excludantur multi à participatione imperii. *Nam ſ[num]. præc.*

 oſtendi-

oſtendimus, multos dari, qui prudentes & fortes ſeſe eſſe concipiunt, & proinde ducti invidiâ erga imperantes conqueruntur, ſe iniquè ab imperio excludi.

5. Secunda cauſſa eſt, ſi qui in imperio ſunt cæteros præ ſe contemnant. *Nam ita morati ſunt, qui unâ vel alterâ virtute & non perfectâ prœditi ſunt, ut æquè ac divites cæteros vilipendant & contemnant; ſive reliqui nihil virtutis habeant, ſive aliâ quâdam virtute inſtructi ſint. Sic experientia hodiè teſtatur, eos, qui ſtudio rei militaris dant operam, floccipendere eruditos. Inde autem odia & iræ oriuntur in contemptu affectis. Par eſt ratio in iis ariſtocratiis, quæ ſunt formæ mixtæ ad oligarchiam propendentes, ſi qui locupletes ſunt & imperio eminent ſtudium ſuum ad contumelioſa facinora & cupiditates immoderatas atque injuſtas conferunt.*

6. Tertia cauſſa eſt, ſi divites & virtuoſi jam præeminentiâ quâdam gaudentes ſtudeant omnia ſuperiora habere. *Nam qui unicâ aliquâ virtute velut fortitudine tantùm pollent arripiunt occaſionem ſibi aliquam monarchiam parandi, tunc, quando magiſtratus diuturnos gerunt ex virtute bellicâ.*

7. *Quæ reliqua in oligarchiis principia motuum exiſtentia etiam ariſtocratiis ineſſe poſſint, facilè ex his, quæ circa oligarchias ſuperius tradita ſunt, peti poteſt. Nunc verò ſingulas ariſtocratiarum ſpecies conſiderabimus.*

ARTIC. I.
DE
ARISTOCRATIA QUÆ MIXTA FORMA EST PROPENDENS AD OLIGARCHIAM.

1. Debilis admodum hæc forma eſt, quæ ex divitiis & popularitate mixta propendet ad oligarchiam. *Nam & perfectè mixtas formas propterea haud diuturnas eſſe paulò ante diximus, quòd facilè ab æquilibrio abiri ad alteram partem poſſit, legibus non ſatis firmis exiſtentibus. Quid ergò ſperandum, ſi ſtatus verſus alteram partem jam prominet, prævalentibus nullâ virtute inſtructis, quâ cupiditates honorum reprimere valeant?*

ARTIC. II.
DE
ARISTOCRATIIS, IN QUIBUS PRÆEMINENTIAM HABENT QUI DIVITES ET VIRTUOSI SUNT.

1. Præter generales cauſſas, quas *init. huj. membr.* enarravimus, reperimus ſpeciales, & hujus formæ, in quâ virtuoſi præeminen-

minentiã habent propriás, quibus corrumpuntur *nim.* 1. ſi plebs bellicoſa exiſtens vel lędatur vel in paupertate vivat, aut aliã ob cauſſam ſuo ſtatu contenta nõ ſit. *Nã fortitudo illa virtus eſt potiſſima, ob quã præeminentia dari ſolet: at proinde ariſtocratiæ, de quibus hîc agimus, locũ habent in civitatibus bellicoſis: facilè autem proſilit plebs bellis adſveta, ſi vel egeſtate laboret, vel aliàs ſtatu ſuo contenta non exiſtat. Teſtatum hoc facit reſpubl. Romana. Ita Livius lib.* 2. *cap.* 23. Sed & bellum Volſcum imminebat, & civitas ſecum ipſa diſcors inteſtino inter patres plebemque flagrabat odio, maximè propter nexos ob æs alienum. Fremebant, ſe foris pro libertate & imperio dimicantes, domi à civibus captos & oppreſſos eſſe: tutioremque in bello quàm in pace, inter hoſtes, quàm inter cives libertatem plebis eſſe.

2. Haud levis motuum cauſſa & hæc eſt, ſi virtuoſi perverſa æmulatione ducti odia inter ſe foveant, *Nam hic eſt mos eorum qui unâ vel alterâ & non perfectâ virtute præditi ſunt, ut æmulatio, quæ aliàs ſolâ virtute delectantium virtutem non modò ipſam, ſed & amicitiam auget, (gratiſſimum enim eſt perfectè virtuoſis de virtute certare) mera gignat odia. Ponamus duos fortes, utrosque autem aut ambitioſos, ſuperbos & inanis gloriæ cupidos aut avaros: pariet horum æmulatio mera odia: quia certamen non æquè eſt circa virtutes, quàm de gloriâ aut divitiis, quas virtutibus ſuis ſibi parare ſtudent. Et inde fit, ut hæc æmulatio non æquè tendat ad excitandas mutuò virtutes, quàm ad hoc, ut alter alterum ſupprimat, ipſiusq́; famam minuat. Talis æmulatio exiſtebat inter Cæcinam & Valentem de quibus Tacitus* 2. *H.* 30. Hinc æmulatio ducibus. Cæcina *Valentem* ut fœdum & maculoſum *i. e. ſordidum & infamem*; ille *Valens* ut vanum ac tumidum *i. e. arrogantem & ſuperbum* irridebant. *Scil. ut alter alterius gloriam vel commoda alia ob virtutes minuat, ſolent invicem vitia objicere, cum quibus virtutes conjunctæ imminutionem quandam patiuntur. Vergit quippe talis æmulatio ad hoc, ut alter alterius fortunam moretur.* 3 *Hiſt.* 65. *init. Quæ cauſſa eſt, quare viri fortes æmulorum plerumque impatientes ſint. Tacit.* 15. *annal.* 6. Sed neque Corbulo æmuli patiens. & 4. *annal.* 3. Nam Druſus impatiens æmuli. *Sic Piſo Druſum* haud fratris Germanici *interitu trucem*, quàm remoto æmulo æquiorem ſibi ſperabat. *Ex his patet, quomodo æmulatio minus perfectè virtuoſorum cauſſa motuum exiſtat.*

ARTIC. II.

DE REPUBLICA NOBILIUM SEU PATRICIORUM.

1. Rempubl. nobilium ſeu patriciorum voco, in quâ præeminen-

nent, qui nituntur divitiis & virtutibus majorum. *Nam, ut paulò antè diximus, nobilitas quædam dignitas eſt poſita in divitiis & virtutibus avitis.*

2. Habet autem & hæc ariſtocratia ſimiles cum oligarchiis cauſſas corrumpentes, & primò quidem, ſi ſint qui divitias recens acquiſitas propriasque virtutes habent æquè ac nobiles, excludantur autem ob defectum generis à participatione imperii. *Hi enim & ſtomachatione & invidiâ laborant, & propterea tumultuum auctores exiſtunt.*

3. Secunda cauſſa eſt, ſi non ex omnibus familiis imperent, ſed ex quibusdam, fiatque familiarum diſtinctio. *Nam in ejusmodi ariſtocratiis ſimiliter ſe res habet, ac quando oligarchiæ oligarchia eſt inſerta. Hinc multi fiunt tumultus, ſi familiæ antiquiores eas, quæ recentiores ſunt, præ ſe contemnant.*

4. Tertia cauſſa ſeditionum eſt, quòd nobiles ſoleant contemnere plebejos tanquam habentes aliquod bonum quod ab his parari nequit. Præcipuum autem contemptûs genus eſt, quòd plebejos à communione matrimoniorum arceant. *Id quoque comprobat Reſpubl. Romana, in quâ hæc plebis adverſus patres ſeditionis cauſſa fuit.*

5. Frequens etiam eſt, ut nobiles à majorum virtutibus degenerantes nihil retineant imperio dignum, ſed luxuriæ & otiandi libidine ducti ſe contemnendos præbeant. *Nihil enim magis vile videtur eſſe, quàm parta à majoribus tueri non poſſe.*

6. Exiſtunt etiam nobilium inter ſe diſcordiæ cauſſæ motuum. *Similiter enim & in oligarchiis ſe res habet, quando divites inter ſe contendunt.*

7. Tandem contingit nobiles luxuriâ corruptos ſua bona avita abſumere, & pro parandâ pecuniâ ærarium ſpoliare aut alia crimina committere.

MEMBR. III.

DE

STATU POLITICO SEU POPULARI.

1. Politiam communem ſuprà definivimus eam formam, quæ mixta ex oligarchiâ & democratiâ ad hanc paululum propendet.

2. Eſt verò hæc longè firmior, quàm illæ mixtæ formæ quæ ad oligarchiam propendent, de quibus modò egimus. *Nam in politiis magis tenditur ad æqualitatem, quæ facit homines eſſe æquiori animo & præſenti ſtatu magis contentos.*

3. Non

3. Non ergò facilè contingere poteſt, ut hæc forma intereat, niſi fortaſſe nimium aucto populo, & plebe tribunos nactâ, forma planè in democratiam degeneret.

MEMBR. IV.

DE

RATIONE DIVERSIMODE MISCENDI FORMAS QUOAD TRES PRÆCIPUAS CUJUSQUE CIVITATIS PARTES.

I. Tres ſunt partes præcipuæ, ex quibus omnis ſtatus Reipubl. æſtimandus venit, (*id quod ſuperius per ſuas cauſſas demonſtravimus*) Senatus, Magiſtratus & Judicia, & quarum reſpectu variæ mixtiones contingere poſſunt. *Nam contingit judicia eſſe ariſtocratica, magiſtratus oligarchicos ſenatum democraticum: Imò fit, ut alij magiſtratus oligarchici ſint alij democratici. Contingit etiam aliam partem eſſe purè oligarchicam vel purè democraticam aliam mixtam. Unde gignitur mixtio infinitis modis varians, fiuntq; formæ mixtæ infinitæ. Quapropter, quò de ſingulis formis exactiſſimè judicium fieri poſſit, qualiter mixtæ ſint; conſiderandum erit, quæ ſingulis in partibus oligarchica, democratica vel ariſtocratica ſint, initio facto ab eâ parte quæ ſenatus vocatur.*

ARTIC. I.

DE

SENATU.

1. Senatum voco eam civitatis partem, quæ deliberat de rebus ad Rempubl. & ſalutē totius civitatis pertinentib9. *Velut de pace, bello, fœderibus, muniendâ urbe vel regione, de legibus ferendis, de exportandis & importandis, de monetâ & qualis cujusq; metalli valor eſſe debeat, de vitâ libertate, jure civitatis, civibus adimendis vel conſervandis, it. de rationibus à ſupremis magiſtratibus reddendis.*

2. Fit ergò Senatus vel democraticus vel oligarchicus vel ariſtocraticus vel monarchicus vel mixtus. *Nam deliberant vel de omnibus omnes, aut nonnulli, hiq; vel divites vel virtuoſi aut unus. Omnes de omnibus deliberare eſt democraticum; nonnullos de omnibus oligarchicum vel ariſtocraticum; unum de omnibus monarchicum eſt. At ſi de quibusdam omnes, de reliquis nonnulli deliberent, mixtus quidam ratione ſenatus naſcitur ſtatus.*

3. Redditur ſenatus democraticus non uno modo. *Nam variis modis contingit, omnes de omnibus deliberare; vel enim ſolis magiſtratibus deliberandi poteſtas conceditur, omnes autem viciſſim magiſtratum gerunt; vel omnes conveniunt & vota ferunt rogantibus magiſtratibus, idque vel tributim vel ſine tribuum diſtinctione.*

4. Uterque

4. Uterque modus, & quando de omnibus omnes deliberant, & quando omnes viciſſim imperant cum deliberandi poteſtate arguit peſſimam democratiam; minus tamen mala eſt ea democratia in quâ tributim, quàm in quâ ſine tribuum diſtinctione vota ferunt; quemadmodum & ea minus mala eſt, in quâ omnes conveniunt ut deliberent, quàm in quâ magiſtratibus conceditur poteſtas deliberandi. *Nam melius videntur plebeji deliberare, ſi omnes conveniant, quàm ſi pauci ſibi relinquantur: exinde enim, quòd omnes aliquam particulam ſanæ mentis conferunt, totum aliquod effici poteſt melius eo, quod unus vel alter ſolus ſibi relictus decernit. Sed quando omnes conveniunt deliberandi cauſſâ, melius eſt ſi tributim ferantur vota. Nam in hac formâ non æquè demagogus aliquis facilè populum in ſuam ſententiam trahere valet.*

5. Democratiarum meliorũ, quæ legibus reguntur, hoc propriũ eſt, nonnulla magiſtratibus, nonnulla omnibus conſultanda comitti. *Nã indiciũ hoc eſt, plebem omnibus rebus gerendis adeſſe non poſſe, & proinde legib9 imperium concedere. v. g. ſi omnes deliberent de legibus ferendis it. de pace & bello; reliqua magiſtratibus committantur, indicium hoc prabet, plebem non ſemper convenire poſſe & propterea legibus imperium relinquere.*

6. Optimæ democratiæ ſignum eſt, ſi ſinguli magiſtratus à populo electi præficiantur iis rebus, quæ non niſi à peritis & prudentibus geri poſſunt, ijsq; deliberandi de rebus quibus præfecti ſunt, poteſtas concedatur; omnes verò conveniant, ſi rationes à magiſtratibus reddendæ ſint, aut ſi de pace & bello deliberandum ſit. *Nam in hac democratiâ ſingula fiunt ſecundum cujusque virtutem, & quod plebs habet ab ipſius facultate non eſt alienum: poteſt enim ea facilius de imperiis aliorum judicare, quàm ipſa imperare & deliberare.*

7. Senatus oligarchicus vel ariſtocraticus eſt, quando nonnulli de omnibus conſultant. *Si enim pauci divites, qui ad poſteros transferunt imperium quod ſine legibus exercent, de omnibus deliberant, indicat hoc peſſimam oligarchiam. Quòd ſi verò pauci divites de omnibus deliberantes vel ex legibus imperent & eligantur vel à lege vel ab omnibus vel ab ipſis, qui præſunt, divitibus; incidit reſpublica ratione ſenatûs in aliam aliquam mitiorem oligarchiæ ſpeciem.*

8. Ex mixtione eorum, quæ dicta ſunt, ſenatus modò politicus modò ariſtocraticus fit. *Nam ſi divites habeant poteſtatem deliberandi de pace & bello, omnes verò de legibus ferendis, de rationibus à magiſtratibus repetendis, fit forma ariſtocratica: ſtatus enim verſus oligarchiam propendet. Quòd ſi de omnibus deliberant magiſtratus, de aliis electi, de aliis*

de aliis iiſque potiſſimis ſortitò creati: ſtatus eſt politicus; quia ad democratiam propendet.

ARTIC. II.
DE JUDICIIS.

1. Circa judicia primum omnium conſiderandum eſt, quàm variæ ſint res, de quibus fiant: *Nam quæ ſunt de rebus parvi momenti, vix in conſiderationem veniunt: parum enim refert, quinam hiſce interſint. Sunt autem res majoris momenti, de quibus ſi non rectè judicatum fuerit, ſeditiones oriri ſolent: ejuſmodi judicia ſunt quæ inſtituuntur de crimine læſæ majeſtatis vel in ſtatum vel in perſonas, quæ præſunt, commiſſum. it. de Reſiduis & repetundarum. it. Judicium appellationum. it. quod ſuſcipitur inter magiſtratus & privatos de multarum irrogatione, quando privati diſceptant, eam non eſſe legitimè factam. it. de contractibus & hereditatibus majoris momenti. Cætera judicia partim criminalia partim civilia, quæ ſunt de contractibus & negotiis exigui momenti parum aut nihil faciunt ad ſtatum cognoſcendum, qualis ratione judiciorum ſit.*

2. Quod judicia majoris momenti concernit, duo ſpectanda veniunt. 1. Ex quorum numero. 2. Quomodo conſtituantur judices. *Nam judices vel ex omnium vel ex quorundam civium numero ſumuntur, & quidem vel ſorte vel per electionem. Quando eliguntur vel omnes eligunt vel certe quidam.*

3. Judices ſumi ex omnium numero & quidem ſorte eſt maximè democraticum. Quòd ſi verò eligantur, aut in nonnullis eligantur, in nonnullis ſorte creentur; aut divites ſorte, pauperes electione: ſtatus fit mixtus ad popularem magis inclinans.

4. Judices ſumi ex quorundam & quidem divitum, nobilium vel virtuoſorum numero oligarchicum ariſtocraticumque eſt. Quamvis & hîc nonnullæ iterum occurrant differentiæ, *Nam vel per ſortem vel per electionem creantur; vel in nonnullis per ſortem, in aliis per electionem; vel primo ex paucis per electionem & ex his iterum per ſortem. Quibus modis à peſſimâ oligarchiâ abitur.*

5. Quod ſi tandem nonnulli judicent ex quorundam numero, de aliis ex omnium ſumpti, ſeu ſortitò ſeu per electionem, mixtus quidam ſtatus Judiciis ineſt.

6. Poſſet quidem exiſtimari, non alienum eſſe ab hoc loco, ſi jubeantur quoque perpendi ii qui Judices eligunt: verùm hoc potius pertinet ad tertiam partem Civitatis nimirum magiſtratum. *Nam qui Judices dant Juriſdictioni præſunt: eſt autem Juriſdictio poteſtas*

 exer-

exercendi Judicia publica, dandi ſcil. Judices & exequendi horum ſententias, quod magiſtratus proprium eſt.

ARTIC. III.
DE MAGISTRATIBUS.

1. Quò appareat, qualis ſit ſtatus ratione magiſtratuum, conſideranda ſunt 1. conſtitutio. 2. Qualitas eorundem. *Nam quod conſtitutionem horum concernit, neceſſe eſt, eos vel ſorte creari vel eligi. 2. vel ex omnium vel ex quorundam numero. 3. vel omnes creandi poteſtatem habere vel nonnullos. Quoad qualitatem conſiderari poteſt. 1. an cum aliis an ſolitariè imperent. 2. quibus in rebus poteſtatem exerceant. 3. an perpetuò an ad tempus idque vel longum vel breve imperent: & an uni ſemel an reiteratò detur magiſtratus. 4. an ſit neceſſarius an non neceſſarius.*

2. Indicat ergò ſtatum creatio magiſtratuum 1. ſi perpendatur, penes quosnam ſit poteſtas eosdem creandi; an penes omnes cives, an penes quosdam, & hos iterum vel ſortitò creatos vel electos ſeu à lege ſeu à civibus: an nonnullos magiſtratus quidam, nonnullos omnes conſtituant. Si conſideretur, ex quorum numero creentur, an ex omnium vel quorundam, an ſortitò an per electionem; & porrò, an omnes ex omnium aut quorundam, an quidam ex omnium, quidam ex quorundam numero. Creationem omnium magiſtratuum fieri per electionem ex quorundam, divitum nim. nobilium & virtuoſorum numero, oligarchiam & ariſtocratiam quandam ſapit; ſorte & ex numero omnium, democratiam; alios ſorte, alios electione; alios ex cenſu, alios ex virtute, alios ex omnibus, mixtam quandam formam arguit, quæ qualis ſit, ex ſuperius dictis cognoſci poteſt.

3. Quod qualitatem magiſtratuum concernit, conſiderandi potisſimum illi, qui neceſſarii exiſtunt. Neceſſarii ſunt ſine quibus civitas eſſe nequit. Qui quales ſint hac methodo inveſtigari posſunt. Civitas indiget magiſtratibus vel tempore belli vel tempore pacis. Tempore belli neceſſarii ſunt præfecti urbis, qui hujus cuſtodiam habeant, duces qui regunt vel totum exercitum vel partem ejusdem; & vel terrâ vel mari ut claſſis & triremium præfecti. Tempore pacis neceſſarii ſunt 1. rebus ſacris. 2. Senatui. 3. Judiciis. 4. negotiis ad ſufficientiam bonorum ſpectantibus præfecti. Rerum divinarum curam habent magiſtratus qui ſacerdotibus, ædibus ſacris, rebusque Deo conſecratis præpoſiti ſunt. Senatorii magiſtratus ſeu ſenatui præfecti ſunt, qui ſenatum ſeu eam partem civitatis,

vitatis, penes quam eſt poteſtas deliberandi de rerum ſummâ convocant, vota & decreta conſignant ac promulgant. Rebus Iudicialibus præſunt Prætores penes quos eſt Iurisdictio i. e. poteſtas publica judicia exercendi, dandi ſcil. actiones, & judices, quodque judicatum fuerit, executioni mandandi, quique legum cuſtodiam habent. Quæ ad ſufficientiam ſpectant dirigunt qui vectigalibus, ſumptibus faciendis, annonæ, rebus venalibus, foro, portubus, agris, ædificiis præſunt. Non neceſſarii ſunt, qui tantùm ad benè eſſe faciunt: ut cenſores morum, quorum alii mulieribus alii viris alii pueris horumque educationi & exercitiis præſunt. it. qui ſpectacula edunt. *Hi non neceſſarii ariſtocraticum quid indicant; quia faciunt ad benè eſſe.*

4. Iudicium ergò ſecundum ſingula iſta, cujus formæ propria ſint, faciendum. *Nam magiſtratus ſorte creari democraticum, eligi oligarchicum & ariſtocraticum, partim ſorte creari partim eligi mixtæ formæ proprium eſt &c.*

CAP. VI.
DE
IMPERIIS FORMARUM AB OPTIMA REPUBL. RECEDENTIUM.

1. Quid & quale ſit imperium optimæ Reipubl. ſupra dictum eſt. *Nimirum imperium eſt illa poteſtas, quam civitas in extraneos qui cives non ſunt i. e. in populos, provincias & municipia exercet; idque taliter facit, qualiter id juſtum eſſe recta ratio dictat: nunc videndum, quo pacto imperia cæterarum formarum ab optimâ republ. abeuntium ſeſe habeant & ab optimo illo imperio optimæ civitatis abeant.*

2. Imperia, prout communiter introducta reperiuntur, vel principatus vel respublicæ appellantur. *Id eleganter obſervavit Machiavellus vir aliàs ſubtilis, ſed atheos, uti videtur; quippe omnibus ſuis ſcriptis, quæ edidit, ſatis teſtatus, ſe non credere, Deum aliquam rerum humanarum curam habere, ſecutus hac in re quamplurimos Italorum. Quâ de re aliquando in extremo Judicio ipſi reſpondendum erit. Nos ſanè part. 3. ſatis luculenter demonſtravimus, inter Deum hominesque intimam quandam intercedere amicitiam. Ceterùm ſepoſitis nunc hiſce, rationes hujus à Machiavello factæ diviſionis reddemus: idque propterea, quia videmus nonnullos, qui imperium à civitate non ſeparant, hac in re labi; dum exiſtimant, id eſſe commentum Italorum à veteri Philoſophiâ alienum. Nimirum in republicâ optimâ ſi vel unus vel optimates impe-*

rant ſecundum ſuas virtutes reſpublica ab imperio facilè diſtingui poteſt; quia monarcha in cives civiliter in extraneos & provinciales heriliter imperat, ut latére nequeat quid imperium, quid Reſpubl. At in formis recedentibus à republicâ optimâ contingit plerumque, monarcham eodem uti imperio in civitatem, quæ caput imperii eſſe debebat & in municipia; ut inter municipium (quod nihil aliud eſt, quàm ſortem civili ſocietati ſimilis ſub imperio exiſtens) & civitatem nullà diſtinctio compareat: in oligarchiis verò & democratiis imperium exercentibus de civitate municipiis contradiſtinctâ ſatis conſtat. Hinc fit, quòd omne imperium exercitum à formis vitioſis ſit vel principatus vel Reſpublica. v.g. cùm imperatores Romani tyrannidem invaderent: manſit imperium Romanum Reſpublica, quamdiù ſcil. tyranni Urbi Romanæ imaginem veteris Reipubl. relinquebant. Poſtquam verò imperium in græciam transferebatur, Roma à municipio nihil differebat. Patet ergo, imperia, qualia communiter ſunt, in quibus inter imperium civile in primariam civitatem & herile in municipia exercitum nulla fit diſtinctio, meritò in principatus & Reſpubl. dividi. Nam in oligarchiis & democratiis imperantibus civitas, quæ caput eſt, comparet. Ut adeo ſatis ſubtiliter proceſſerit Machiavellus, quem hac de cauſſâ ſecuti ſumus.

3. *Primò ergò generaliter de Imperiis vitioſarum formarum dicturi ſumus; deinde de principatibus & Rebuspublicis ſeorſim agemus.*

MEMBR. I.
DE IMPERIIS QUALIA COMMUNITER SUNT IN GENERE.

1. De imperiorum interitu & duratione generaliter judicium facturus haud inconvenienter procedes, ſi primum omnium naturam & ingenium provincialium, qui ſub imperio ſunt, inſpexeris. *Nam aliæ provinciæ diu ſub imperio jam fuerunt adſuetæ vel Reipubl. aut principi parére; vel hactenus ſui juris fuerunt & in libertate.*

2. Quæ hactenus ſemper ſub eâdem Republ. fuerunt, aut familiæ, ex quâ princeps oriundus eſt, parére adſuetæ ſunt nō facilè imperiū reſpuunt, aut ſeditiones movent. *Nam conſuetudo altera natura eſt, & ſine moleſtiâ, ut demonſtravimus part. 2. Adeoque imperium in provinciam parére adſuetam non periclitatur, niſi à veteri imperandi conſuetudine & à majorum inſtitutis abeatur.*

2. Provinciæ novæ vel antea paruerunt vel liberæ fuerunt. Quæ antea paruerunt movent, quando incipiunt alio imperii genere regi, quàm antea rectæ fuerunt. *Nam licet vulgus hominum interdum*

terdum lætum ſit ad nova imperia 2.annal.2, meliorum vanâ expectatione: mox tamen novum imperium ſentientes, cui adſueti non ſunt, faſtidire incipiunt, & jugum quod imprudenter ſubierunt abjicere. Nam quod fit contra conſuetudinem vulgi moleſtum eidem eſt. Contingit autem provincias alia ratione regi quàm debebant, ſi imperantes ab his planè diverſorum morum diverſeque linguæ ſint. Peccant ergò qui provinciis imperio adjunctis reges diverſorum morum aut ex familiâ, cui parére non adſueti ſunt, præficiunt. Tacit.14. ann.26. advenit Tigranes à Nerone ad capeſſendum imperium dilectus, Cappadocum ex nobilitate, regis Archilai nepos; ſed quòd diu obſes apud urbem fuerat, usque ad ſervilem patientiam demiſſus; nec Conſenſu acceptus, durante apud quosdam favore Arſacidarum.

4. Provinciæ quæ liberæ fuerunt antequam ſubigerentur difficilius conſervantur. *Nam & injuſtum eſt novum imperium quod in liberos homines exercetur & tale, quod ferre ſubjugati planè reſpuunt. Quapropter Romani Capuam, Carthaginemque devictas, maluerunt evertere, quàm integras ſub jugo conſervare. De Capuâ Livius lib.26.c.16. ita:* De urbe *Capuâ* agroque reliqua conſultatio fuit; quibusdam delendam cenſentibus, prævalidam, propinquam, inimicam. Cæterùm præſens utilitas vicit. Nam propter agrum, quem omni fertilitate terræ ſatis conſtabat primum in Italiâ eſſe, urbs ſervata eſt, ut eſſet aliqua oratorum ſedes urbi frequentandæ multitudo incolarum libertinorumque & inſtitorum, opificumque retenta: ager omnis & tecta publica populi Romani facta. Cæterum habitari tantùm tanquam urbem Capuam, frequentarique placuit: corpus nullum civitatis, nec Senatus nec plebis concilium, nec magiſtratus eſſe. ſine conſilio, ſine imperio multitudinem, nullius rei inter ſe ſociam, ad conſenſum inhabilem fore. Præfectum ad jura reddenda ab Româ quotannis miſſuros.

5. Generaliter autem in omnibus qualibuscunque provinciis naſcuntur tumultus & ſeditiones primò ſi tributis novis aut ſupra modum auctis provinciales onerantur. *Nam vetera onera ſine avaritiâ & crudelitate magiſtratuum provinciæ tolerant, novis turbantur Tacitus 4.ann.6. fin.* Idem 3.*ann*.40. *verb.* Igitur per conciliabula. &c.

6. Sunt autem provinciæ aliæ pacatæ & quieſcentes aliæ in motu & manu militari compeſcendæ. Pacatæ commoventur ad ſeditiones præſidum malitiâ: ſi ſint avari, crudeles, corpora provincialium verberibus tractantes, bona iisdem adimentes 4.*ann.6.it.* ſuperbi 3.*ann*.40. *verb.* ſævitiâ ac ſuperbiâ præſidentium. *Sunt enim*

ſævitia:

ſufficiant: mercenarij quoque ad pugnandum non æquè gloriâ quam ſpe prædæ trahuntur: ut adeò ignavi fiant, ſi provinciæ ipſis diripiendæ non concedantur. Id quod maximo cum malo conjunctum eſt.

11. Amittitur quoque plerumque imperium ſi auxiliario milite utatur civitas imperans. *Nam præpotentes in auxilium vocati victores exiſtentes ſibi, quod in manu habent plerumque retinent. Poſſumus huc referre illud Taciti 13. ann. 19.* Nihil rerum mortalium tam inſtabile, ac fluxum, quàm fama potentiæ non ſuâ vi nixæ. *Exemplum porrò ille nobis exhibet in civitate Seleucenſium quando ait 6. ann. 42.* Civitas potens, ſepta muris neque in barbarum corrupta *i. e. nec barbarorum ritu vivens*, ſed conditoris Seleuci *i. e. legum quas ille tulit retinens.* Trecenti opibus aut ſapientiâ delecti, ut Senatus, ſua populo vis: *i. e. ſtatus eorum mixtus eſt ex divitiis, virtute & popularitate ſeu libertate.* & quoties concordes agunt, ſpernitur Parthus: ubi diſſenſêre, dum ſibi quiſque contra æmulos ſubſidium vocant, accitus in partem adverſus omnes valeſcit.

12. Cùm tandem omne imperium firmum ſit amicitiâ & deſtruatur eo, quod amicitiam tollit: duo autem ſint quæ evertant amicitiam nim. 1. ea quæ pariunt contemptum. 2. quæ gignunt inimicitiam & odium: tum verò comprimis quicquid contemptûs cauſſa exiſtit imperia evertit. *Nam imperia fundata ſunt in quâdam potentiâ & vi, nullaque ſubditorum erga imperantes amicitia propemodum eſt, quàm quæ ex admiratione potentiæ oritur. Omnia itaq; ea quæ faciunt auctoritatem imperantium evileſcere imperiis detrimento ſunt. Qualia ſunt 1. Si qui imperant, nullâ rerum magnarum tractatione ſubditis ſeſe commendent, ſed imbelles exiſtant, & nervis rerum agendarum deſtituti, aut nullâ potentiâ innixi. 2. Si metuant ſubditos. Hinc nonnunquam qui ſecuritati ſuæ ſtudentes arma ſubditis detrahunt, arces munitas in ſuis municipiis exſtruunt ſibi nocent, non modo diffidentiam erga ſubditos, ſed etiam metum prodentes.*

13. Cernitur & in everſione Imperiorum divina quædam poteſtas. *Præterquam enim quod nos Chriſtiani ex revelato Dei verbo ſciamus, Deum peccatis hominum accenſum regna & imperia evertere: deprehendimus etiam ſenſiſſe ethnicos, nullam nonnunquam aliam cauſſam ſubverſionis potuiſſe ſubeſſe quàm iram Numinis. Ita Tacitus 16. ann. 16. quando triſtes exitus tam præclarorum Romæ virorum deflet in hæc prorumpit verba:* Ira illa numinum in res Romanas fuit, quam non ut in cladibus exercituum, aut captivitate urbium ſemel editam tranſire licet. *Multa namque adverſa imperiis ita eveniunt, ut nullâ prudentiâ corrigi queant. Nec ſufficit tunc, quo evitentur mala, quod Machia-*

quorum plerique ſervilis animi ſunt & malitioſi, obtineri poteſt, ut ſincerè ament, ſed magis metu regi volunt: interim tamen, ſi manifeſto appareat, principem profuſione ſanguinis delectari, extra inſidias vivere nequit. Hæc fermè circa principes latum imperium habentes ſingulariter notanda veniunt; cætera congruunt cum iis quæ ſuprà de tyranni de & monarchiis diximus.

MEMBR. III.
DE REBUSPUBLICIS.

1. Raro reperiuntur Reſpublicæ imperium amplum habentes. *Nam ſi ſit civitas quædam gloriæ cupida & imperii, plerumque in tyrannidem tranſit rebus auctis. Id teſtatum facit Romana Reſpubl. de quâ Tacitus 2.H.38. ita:* Vetus ac jam pridem inſita mortalibus cupido cum imperii magnitudine adolevit erupitque. *Erat enim initiò ſtatus oligarchicus, ſed cum auctâ poteſtate plebs, quæ foris imperabat, domi ſervire nollet,* inter patres plebemque certamina exarſere *degeneravitque ſtatus in democraticum: neque enim plebs bellicoſa oligarchiam ſeu imperium divitum herile tolerat.* Mox è plebe infimâ C Marius & nobilium ſævisſimus L. Sulla victam armis libertatem in dominationem verterunt. Poſt quos Cn. Pompejus occultior non melior. Et nunquam poſtea niſi de principatu quæſitum. *Scil. quâ in civitate ex imperio gloria pro ſummo bono habetur, quilibet gloriæ cupidus imperium tanquam maximam quandam felicitatem in infinitum affectat; fitque dominandi cupido omnibus affectibus flagrantior, nec redditur civitas quieta, donec omnes uni paruerint. Id quod etiam Romanæ contigit civitati, quæ nunquam potuiſſet eſſe felix, niſi Auguſtus* cuncta diſcordiis civilibus feſſa nomine principis ſub imperium accepiſſet. 1. *ann.* 1. *Et hæc cauſſa eſt, quare pleraque imperia ſint principatus.*

ARTIC. I.
DE OLIGARCHIARUM DOMINATIONE.

1. Nulla oligarchia diu videtur dominari poſſe. *Nam oligarchia aut utitur propriis civibus pauperibus ſcil. in acquirendo imperio in extraneos, & volunt pauperes unà imperii eſſe participes, ut init. huj. membr. docuimus, mutaturque ſtatus in democraticum: aut utitur militibus externis, & oriuntur illa incommoda quæ membr. 1. n. 9. & ſeqq. huj. cap. tradita ſunt. Huic accedit contentio inter divites imperandi cupidos & propterea de imperio certantes, illudque dilacerantes.*

ARTIC. II.
DE DOMINATIONE DEMOCRATIARUM.

1. Democratiarum dominatio diuturnior eſt quàm Oligarchiarum. *Nam in oligarchiis tractat plebs Rempubl. ut alienam; in democratiis quilibet proprium negotium gerere ſibi videtur, quando pro amplificatione imperii pugnant; & ita democratiæ civium militant militiâ nec indigent mercenariis, atq; in hiſce pro gloriâ pugnatur.*

2. Imminuunt tamen dominationem. 1. quòd nihil conſilii propemodum latére poſſit: *quæ enim ab omnibus communiter cernuntur in propatulo ſunt. Quâ in re feliciores ſunt principatus, in quibus poteſtas decernendi penes unum eſt.* 2. nimia pauperum avaritia: *hi enim participes dominationis provincialium facultates imminuunt, motusque concitant; dum provincialibus repetundarum eos convenientibus non ſuccurritur. Quo ipſo moti provinciales in Imperio Romano principatum præ republ. expetivére. Tacit. 1. ann. 2.* Neque provinciæ illum rerum ſtatum *principatum ſcil. Auguſti* abnuebant, ſuſpecto Senatûs populique imperio ob certamina potentium & avaritiam magiſtratuum, invalido legum auxilio, quæ vi ambitu, poſtremò pecuniâ turbabantur.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER III.
DE RATIONE STATUS.

CAP. I.
QUID SIT RATIO STATUS.

1. Variæ ſunt circa definitionem rationis ſtatûs ſententiæ. *Nam nonnulli tradiderunt, rationem ſtatus nihil aliud eſſe,* quàm regimen aut artem gubernandi. *Qui tamen videntur erraſſe, propterea, quòd communiter credatur ratio ſtatus ſpectare utilitatem eorum maximè qui Rempubl. gerunt, cùm ars gubernandi magis tendere videatur ad ſalutem ſubditorum. Alii definiverunt* prudentiam conſultatricem. *Videtur tamen prudentia conſultatrix latius patere, quàm ratio ſtatus;*

quia hæc ſolùm circa res verſatur, quæ præbent medium conſervandi rempublicam in ſalute imperantium poſitam; illa verò ad longè plura ſe extendit. Alii diſtinxere rationem ſtatus in veram & apparentem; veram eandem eſſe dixerunt cum prudentiâ civili; apparentem eam, quæ propriè nomen rationis ſtatûs ſortita ſit. *Hanc negant prudentiam eſſe, quòd cum nullâ virtute morali ſit conjuncta: ſed docent eſſe pædiam quandam velut habitum ſcientiâ & prudentiâ imperfectiorem. Alii velut Scipio Ammiratus diſcurſ. ad Tacit. definivere eam* contraventionem Juris communis, publicæ majorisq; utilitatis gratiâ. *Qui videntur rationi ſtatus eandem naturam tribuere, quam habet privilegium. Unde Clapmarius l. 4. c. 4. de arc. rerump. definit rationem ſtatus jus quoddam ſupremum ſeu privilegium bono publico introductum, contra jus commune ſeu ordinarium, ſed tamen à lege divinâ non alienum. Verùm videtur & rationi ſtatus locus eſſe in rebuspubl. in quibus nulla lex, nullum Jus commune eſt, ut in peſſimâ tyrannide. Occaſione definitionis, quòd ratio ſtatus definiatur contraventio Juris communis publicæ majorisque utilitatis gratiâ, incidimus & in hanc quæſtionem & dubitationem, an etiam ratio ſtatus cadat in ſubditos; Ponamus dari tyrannum, cujus imperium excutere publicæ utilitatis intereſt: id cum aliter fieri nequeat, quàm veneno eum tollendo: quæritur, an id fiat per rationem ſtatus. Aliud quoque ſuboritur dubium, an ſcil. ratio ſtatus locum tantùm habeat in bonis formis an & in vitioſis. Nam in formis peſſimis nullæ leges ſunt, in iis, quæ à peſſimis recedunt reperiuntur leges, ſed ſtatui conformes, ut non opus ſit contra eas venire. Eſt & alia definitio, quòd ratio ſtatûs ſit* bona conſultatio de majoribus regiminis politici commodis omni aliâ ratione ſoluta. *Quam ita conficiunt qui rationem ſtatus in hoc ponunt, quòd ſit quippiam, quo malæ principum actiones contra ſalutem publicam in commodum proprium tendentes teguntur & excuſantur. Ut adeò ex mente horum formis bonis ad ſalutem ſubditorum tendentibus nulla ratio ſtatus inſit. Fortaſſe ergò mens horum eſt, rationem ſtatus eſſe illud externum quo unaquæque forma indiget ad ſui conſervationem, quæ per ſe ſatis firma non eſt. Quo in ſenſu ratio ſtatus erit quoddam quaſi fulcimentum Reipubl. per ſe non ſatis firmæ conſiſtens in aſtutiis & calliditatibus ad conſervationem requiſitis, (quas hic bonam conſultationem vocare videntur) prævalentibus omnibus rationibus aliud quiddam Juſtum ſuadentibus. (id enim videntur his verbis,* aliâ ratione ſoluta, *indicare) Alii inquirunt prius in naturam ſtatus, eumque definiunt,* dominium ſtabile in populos, *unde infertur rationis ſtatûs hæc definitio,* quòd ſit notitia mediorum idoneorum ad conſtituendum, conſervandum, ampliandumque dominium ita vel ita comparatum. *Quæ definitio occaſionem nobis*

præbet anbitandi, an etiam ratio ſtatus ſe extendat ad formas conſtituendas & introducendas. Et ſanè non videtur alienum à communi uſurpatione: ſi enim invadens tyrannidem indigeat pecuniâ, eamque callidis artibus extorqueat, interrogatus quare id faciat, reſpondebit rationem ſtatus id expoſcere. Tale eſt quod faciebat Mucianus imperium Veſpaſiano obtenturus. Hic enim, cùm pecuniam velut belli civilis nervos conquirere opus haberet, non jus aut verum in cognitionibus, ſed magnitudinem opum ſpectabat *i.e. acquirere pecuniam ſibi ſtudebat ex Judiciis, dum non ſecundum Jus judicabat, ſed prout quàmplurimum pecuniæ cauſſa afferret.* paſſim delationes & locupletisſimus quisque in prædam correpti. *i.e. reperiebantur qui divites deferrent condemnandos, ut bona ipſorum publicarentur & in fiſcum redigerentur.* quæ gravia atque intoleranda, ſed necesſitate armorum excuſata. *Scil. Imperium Vitellio aliâ ratione adimi non poterat, quàm armis, hæc non aliter parari quàm pecuniâ poterant; neceſſitas ergò armorum erat ratio ſtatûs, quâ ſcelera Mucianus excuſabat circa pecuniam quærendam commiſſa. Tacitus 2. Hiſt. 84. Septalius, cujus tractatum de ratione ſtatus de Italico in latinum verſum edidit affinis meus cariſſimus Joannes Garmers ſumit,* rationem ſtatûs poſitam eſſe totam in cognoſcendis mediis, iisque adhibendis quæ idonea ſunt ad inſtituendum conſervandumque regnum vel dominium ſive illud bonum ſit ſive vitioſum. *Unde colligit, aliam rationem ſtatus eſſe bonam, aliam malam & vitioſam, illam ſcil. bonam, quæ tendit ad bonam formam; malam, quæ tendit ad malam introducendam vel conſervandam: & inde porrò deducit, rationem ſtatus definiri non facilè & ſine defectu poſſe, ſed diſtinctis definitionibus tradendam eſſe naturam rationis ſtatûs bonæ pravæq́, aut ſi unâ definitione natura exponenda ſit, dicendum, rationem ſtatûs eſſe* habitum intellectûs practici, qui dicitur prudentia vel ſagacitas; per quem homines poſt conſultationem deliberant de mediis modisque, quibus introducere vel conſervare posſint illam formam dominii, in quâ ſunt conſtituti. *Sed ſi ſumimus rationem ſtatûs tale quippiam eſſe, quid ea differet à politicâ ſcientiâ?*

2. Nos perpenſis paulò accuratius ſingulis, quæ communiter de ratione ſtatus enunciantur, definimus eam Hypotheſin in formâ aliquâ Reipubl. vel introducendâ vel conſervandâ fundatam reddentem licitum (*ut ſcil. videatur juſtum aut ad minimum non injuſtum,*) quod fortaſſe aliàs & ſimpliciter loquendo tale non eſt. *Nam quicquid in optimâ Republ. obtinet eſt ſimpliciter juſtum, & quod licitum ſit ratione ſtatus non excuſatur. Quicquid præter hoc conſervat formas ab opti-*

ab optimâ Republ. abeuntes ex hypotheſi, poſito ſcil. hanc vel illam formam introducendam vel conſervandam eſſe juſtum eſt.

3. Ex hac definitione peti poteſt cauſſa, quare Improbi homines ſceleratas ſuas actiones ratione ſtatus defendere nitantur. *Habet namque ratio ſtatûs ſpeciem Juſti. Jus enim initio elementorum poſuimus eſſe quiddam quo civitas ſalva eſt. Et quia unumquodque eſt ſalvum per ſuam formam; forma autem civitatis eſt Respubl. Hinc quicquid ſtante hypotheſi in Republ. aliquâ fundatâ agendum eſt Juſtum videtur, quia eſt quiddam per quod civitas ſalva eſſe videtur. Ratione ſtatus ergò velut Jure quodam tegere ſuam nequitiam improbi ſtudent.*

4. Invenias tamen & valde reprehendentes rationem ſtatus, & dicentes, eſſe eam nomen novum à principum paraſitis excogitatum honeſti juſtique ſpeciem præ ſe ferens, quo improbas & ſceleratas actiones excuſent. *v.g. quando Turcarum imperator initio imperii fratres ſuos occidit, tyrannus homines ſtudio gloriæ deditos tollit, democratia in excellentes oſtraciſmum introducit &c. Scil. quemadmodum quod ex hypotheſi tantùm verum eſt ſimpliciter falſum exiſtit: ita quoque quod ex hypotheſi tantùm juſtum vel licitum eſt ſimpliciter juſtum non eſt, ſed ſublatâ hypotheſi quandoque magis injuſtum; adeoque quod jubet ratio ſtatus ſæpe numero, ſi ſimpliciter illud conſideres, maximè injuſtum eſt.*

5. Solent & quod dictitat ratio ſtatus ſub nomine neceſſitatis excuſare. *Idque patet ex exemplo Muciani num. 3. allato, quando neceſſitas armorum afferebatur pro excuſandis ſceleribus ſpecie judiciorum perpetratis. Cauſſa eſt quia ex hypotheſi verum vel juſtum dicimus, quod illo vel illo poſito neceſſarium eſt ut ſit. Ita ex hypotheſi verum dicimus, aſinum habere pennas; quia poſito quòd volet neceſſe eſt eum pennas habere. Idque facit, ut quod ratio ſtatûs dictitat excuſationem mereatur & ad minimum non injuſtum eſſe videatur; quia & aliàs neceſſitas à vitio & crimine excuſat.*

6. *Ita apertâ naturâ rei rationes errorum & quibus cauſſis inducti rationem ſtatus tam diverſimodè definierint detegere poſſumus. Qui rationem ſtatûs definiverunt regimen aut artem gubernandi hac cauſſâ moti ſunt, quia qui quid pro conſervando vel introducendo utile & neceſſarium callidè reperire poſſunt cenſentur artem gubernandi noviſſe. Et quia utilia & neceſſaria pro ſtatu introducendo vel conſervando reperire calliditatem requirit: nonnulli rationem ſtatûs ſumpsêre pro ipſo habitu callidè reperiendi media utilia & neceſſaria: unde factum, ut prudentiam nominarint vel habitum prudentiæ ſimilem. Qui rationem ſtatus contraventionem juris communis publicæ utilitatis gratiâ definiverunt, moti ſunt hac ratione, quia deprehenderunt id quod per rationem ſtatus excuſatur*

 cum

cum eo quod juſtum ſimpliciter eſt nonnunquam pugnare. Similiter videre poſſumus, quid velint qui rationem ſtatus definiunt bonam conſultationem de majoribus regiminis politici commodis omni aliâ ratione ſolutam. Nimirum viderunt hi, eos, qui ſecundum rationem ſtatûs operantur, callidè conſultando reperire media pro conſervando ſtatu, præferenda aliis quæ honeſtas ſed minori cum utilitate & commodo ſuggerit. Septalius verò non perpendens optimæ Reipubl. ineſſe jus ſimpliciter, & exiſtimans omnes tam bonas quàm malas formas jure hypothetico conſervari, ſumpſit rationem ſtatus pro ipſâ prudentiâ civili, quâ inveniuntur media conſtituendi & conſervandi formas bonas & vitioſas.

7. Cognitâ hoc pacto naturâ rationis ſtatus, & poſito, quòd ſit quiddam licitum, juſtum & ſalutare hominibus non ſimpliciter ſed ex hypotheſi fundatâ in aliquâ formâ recedente ab optimâ republica, ſpecies rationis ſtatûs & methodum, quam circa ejusdem ſpeculationem ſervare licebit, inveſtigare poterimus. *Nam hypotheſis præbens cauſſas agendorum conſiſtit in Republicâ vel introductâ vel introducendâ. Agenda verò pertinent vel ad eos qui ſunt in parendi vel ad eos, qui ſunt in imperandi conditione: ut ita tota doctrina de Ratione ſtatûs quatuor capitibus abſolvi queat.* Dicemus ergò 1. de ratione ſtatûs concernente eos, qui imperium & præſentem formam conſervare volunt. 2. de ratione ſtatûs eorum, qui imperium parare vel novam formam introducere nituntur. 3. de ratione ſtatûs parentium in formâ firmatâ & conſiſtente, 4. de ratione ſtatus parentium in formâ immutandâ vel ſub imperio de cujus immutatione jam laboratur.

CAP. II.

DE RATIONE STATUS OBTINENTE IN OMNIBUS FORMIS AB OPTIMA REPUBL. ABEUNTIBUS.

1. *Duo ſunt quorum cura habenda eſt, ut ſalva ſint civitas & imperium. Itaque duo ſunt potiſſima capita Rationis ſtatus, alterum tradens modum conſervandi formam in civitate; alterum oſtendens, quomodo imperium ſalvum & incolume conſervandum ſit.*

2. Generaliter autem notandum eſt, Rationem ſtatus conſiſtere in his, quæ cauſſas motuum impediunt, tollunt, ſupprimunt ne vires exſerere valeant. *Quapropter ex ſuperius traditis principiis motuum & ſeditionum facilè erit colligere, quanam ratio ſtatus pro conſervatione Rerumpubl. & imperiorum exigat.*

PARS

PARS PRIOR CAPITIS SECUNDI
DE RATIONE STATUS CIVITATIS.

MEMBR. I.
DE HIS QUÆ RATIO STATUS IN CIVITATIBUS, QUÆ FORMIS UTUNTUR AB OPTIMA RECEDENTIBUS, EXIGIT, QUO SEDITIONES ET TUMULTUS PRÆCAVEANTUR VEL EXCITATÆ COMPONANTUR.

1. Tria ſunt quæ præcipit ratio ſtatus obſervanda. 1. impedientia cauſſas. 2. occaſiones motuum quæ vel imperantibus vel ſubditis inſunt. 3. agenda, ſeditionibus jam concitatis. *Nam ſi cauſſæ impediri nequeant, quò minus vires exſerant, præcavendæ ſunt occaſiones. Quòd ſi ſubditi occaſiones nacti fuerint, & ſeditio ſuborta ſit, danda opera, ut illa compeſcatur. Inſunt autem cauſſæ motuum vel imperantibus vel ſubditis.*

ARTIC. I.
DE PRÆCEPTIS RATIONIS STATUS CONCERNENTIBUS CAUSSAS ET PRINCIPIA MOTUUM QUÆ INSUNT IMPERANTIBUS.

1. *Primum motuum principium in formis vitioſis eſt, quòd de Jure diſtributivo diverſæ ſint hominum opiniones & de fundamento diſtribuendi honores in Republ. convenire nequeant. Ne autem hæc cauſſa vires ſuas exſerere valeat, ſuadet ratio ſtatûs,* ne cuiquam concedatur facultas liberè de ſtatu Reipubl. diſſerendi. *Nam ſi non liberè loqui poſſint homines quid ſentiant: manet opinio hominum occultata nec vires ſuas poteſt exerere. Idque ita obſervari in Rebuſpubl. vitioſis teſtatur experientia: Rara namque eſt temporum felicitas, ubi ſentire quæ velis & quæ ſentias dicere licet. 1. Hiſt. 1. fin.* Conſtitui quoque in eos, qui de juſtitiâ ſtatus diſputant, graviſſima pœna poteſt, n.m. criminis læſæ Majeſtatis. *Hac ſeveritate enim pœnæ deterriti ne quidem cogitare talia audebunt. It.* prohibendum eſt omne otium. *Nam ejuſmodi ſpeculationes otioſos homines deſiderant, Si ergò laboribus perpetuis detineantur ſubditi; alia habebunt quæ meditentur.* Sed tutiſſima omnium ratio eſt, de vitioſitate ſtatus quid remittere & excluſos ad minimum in ſpeciem ad rempubl. admittere. *Nam tutius eſt hoc*

agere:

turpe, damnoſum, moleſtum. Virtus ergò quaſi propria imperantium in peſſimis formis eſt ſimulatio & diſſimulatio, videturque communiter optimè imperare, qui optimus diſſimulandi artifex eſt. *Et hæc eſt illa politica hodierna, de quâ aulici tantopere gloriantur, ars nimirum diabolica, utpote eludens illud ipſum, in quo Chriſtianorum vita conſiſtere debet, veram nimirum caritatem. Imperantes exemplar quod imitari poſſint habent Tiberium, de quo Tacitus 4. ann. 71.* Nullam æquè Tiberius, ut rebatur, ex virtutibus ſuis quàm diſſimulationem diligebat, eò ægrius accepit, recludi quæ premeret. *Hoc diſſimulandi artificio uſus quoq́; eſt Otho, cùm neceſſitas id ſuaderet. Tacitus 1. Hiſt. 71.* Otho interim contra ſpem omnium, non delitiis, neque deſidiâ torpeſcere. dilutæ voluptates, diſſimulata luxuria, & cuncta ad decorem imperii compoſita.

5. Simulabunt ergò imperantes pietatem, prudentiam, Juſtitiam &c. iis, quòs ſuprà *part. 3. lib. 8. cap. 2.* tradidimus modis: *Pietatem ſimulantes qui imperant efficiunt, ſe videri amicos Deo & proinde inviolabiles & ſanctos. Deum enim offendit qui amicum ipſius lædit. Trahit etiam pietas ſecum omnes virtutes: & proinde qui pius putatur exiſtimatur omnibus virtutibus cæteris inſtructus. Et hæc cauſſa eſt, quare olim reges ſimularint, ſe ex diis procreatos; quare itidem Cæſares prætenderint ſuos majores inter divos relatos eſſe. Quia ipſi patiebantur ſuas imagines & ſtatuas deorum inſtar coli. Ita adulator ille apud Tacitum 3. annal. 36. diſſerebat:* principes inſtar deorum eſſe. *Pietatem porrò ſuprà cit. part. 3. ita ſimulandam diximus ne hypocriſis appareat, nec tali ſuperſtitione, quæ deridendum imperantem ſubditis præbeat.* Prudentiam ſimulare ſummopere conducit imperantibus; *quia hæc imperantium propria virtus eſt. Simulatur autem prudentia, ut cit. part. 3. docuimus, nihil temerè agendo, ad res novas non trepidando, rebus proſperis non nimis ſecurè agendo, nihil ſuſcipiendo quod non utile & ſalutare appareat, inania miſſa faciendo, nihil damnoſum ſubeundo, niſi ſub ſpe majoris emolumenti, nihil gerendum ſuſcipiendo niſi quod poſſibile ſit, non cuivis fidem tribuendo aut cujusvis conſilia audiendo, in cauſſas actionum cujusq́; ſedulo inquirendo. Præ cæteris autem artibus inſerviet imperantibus hoc,* ſi omnia fortuita ſibi velut cauſſæ primæ adſcribant. *Ita cùm ſoror Germanici Livia Druſo nupta duos virilis ſexus ſimul enixa eſſet, non temperavit Tiberius, quin jactaret apud patres* nulli ante Romanorum ejuſdem faſtigii viro geminam ſtirpem editam. nam cuncta etiam fortuita ad gloriam vertebat. *2. annal. 84.* *Ii.* Si ex rebus ab aliis geſtis ſibi gloriam captent ſuæ prudentiæ vel ad minimum ſuis auſpiciis adſcribendo quod geſtum eſt. *Sic Tiberius confecto in Galliâ bel-*

lo adverſus rebellantes, Senatui patratum bellum narravit, fide ac virtute legatos, ſe conſiliis ſuperfuiſſe. 2. *annal.* 84. *Sic Otho victis Sarmatis lætus gloriam belli in ſe trahebat*, tanquam & ipſe felix Bello, & ſuis ducibus ſuisque exercitibus Rempubl. auxiſſet. 1. *Hiſt.* 79. *Porrò* quæ ſuæ prudentiæ deſunt poteſt qui imperat bonis conſiliariis ſupplere. *adeoq́; imperantium eſt operam dare magnoſque impendere ſumptus, ut bonos ſortiantur conſiliarios. Sic cum multi Romæ Neronem reprehenderent velut juvenem & tantæ moli regendæ imparem* : alii contra melius eveniſſe diſſerebant, quàm ſi invalidus ſenectâ & ignaviâ Claudius militiæ ad labores vocaretur ſervilibus juſſis obtemperaturus. Burrhum tamen & Senecam multarum rerum experientiâ cognitos. 13. *annal.* 6. *Quia porrò prudenter circa minutiſſima ſunt ſolliciti*, imperantium eſt vitare incuriam & curare τὸ μικρὸν. *Nam prudens in ore habet illud Tiberii*: nihil ſpernendum 2. *annal.* 40. *Et ita patet, quid imperantes agere oporteat, ut ſimulando prudentiam amabiles fiant.* Altera virtus imperantium propria eſt Juſtitia, quam proinde unà cum prudentiâ præ ſe ferre debent. *Diximus autem cit. p. 3. Juſtum eum videri qui ex legibus omnia agit. Unde non modò ob hoc quod num. 2. h. art. tradidimus, ſed etiam quò videatur juſtus, imperantis eſt hoc agere, ut videatur ex LLbus imperare. Tum etiam ſimulabitur Juſtitia, ſi quis vel ſemel aliquē præclarũ Juſtitiæ actũ edat: ut ſi ſtrictè fidē ſervet, ubi non ſervare liberum erat. Hæc cauſſa eſt, quare politici omni laude dignum deprædicent in principe, pactam fidem ſervare, atque vitæ integritatem ſine omni dolo malo retinere. Quamvis contrà nonnulli doceant: nihil glorioſum eſſe, quod non ſcuto fraudis tectum ſit. Volunt enim hi, ſatius eſſe imperantem apparere callidum quàm ſimplicem, omnem autem eum qui juſtitiam nimium colit ſimplicem videri.*

6. Quoad reliquas virtutes ſufficiet imperantibus occultare vitia virtutibus oppoſita. *Nam vulgus vivens in civitate, in quâ nulla virtutum cura habetur, de actionibus virtuoſorum judicare nequit: unde nec qui eas edunt amabiles ſe hiſce reddere poſſunt. Quemadmodum enim muſicus elegantiſſimam harmoniam edens apud ruſticos non cum admiratione auditur ſed negligitur: ita & comparatum eſt circa virtuoſos, qui ſpecimina virtutum vulgo exhibent. Sufficere ergo videtur vitia occultare quæ odium & contemptum pariunt. Quinam autem ſint modi vitia occultandi, ne hominum incurras odium & contemptum part. 3 lib. ult. cap. 3. docuimus, nim. 1. ſi principium malæ & vitioſæ actionis, derivetur in aliam perſonam. 2. ſi factum 3. facta vitioſa occultentur. Quæ latius ibi tradita hîc nolumus repetere. Ut verò generalibus ibi traditis magis ſpecialia quæ imperantes concernunt hic addamus:* Conſultum eſt, imperantes vitioſos non ſæpè prodire in conſpectum. *Hæc cauſſa eſt, quare*

quare nonnulli tradant, decere reges pro conſervandâ majeſtate ſuâ, ut rarò ſe conſpiciendos præbeant: idque plerumque Hiſpani docere ſolent. Et habemus exemplum Romanorum imperatorum, quos oriens conſtanter coluit propterea, quia non conſpiciendos acceperat. Tacitus 2. Hiſt. 6. auditique ſæpius in Syriâ Judæâque Cæſares quàm inſpecti ſunt. *Conducit ſecundò & hoc,* ut puniant vitia, quibus maximè inquinati ſunt. *Nam quæ quis punit odiſſe videtur: contrà quibus quis vitiis inquinatus eſt, ea diſſimulare & punire non ſolet. Tacitus 2. Hiſt. 56.* Valens ob lucra & quæſtus infamis, eoque alienæ etiam culpæ diſſimulator. *i. e. & ob hanc cauſſam rapinas in militibus non puniebat. Maximè autem conſultum eſt imperantibus* attendere ob quæ anteceſſores in contemptu & odio fuerunt eaque fugere, aut ad minimum fugam præ ſe ferre. *Obſervavit hoc Nero,* quando Curiam ingreſſus, & de auctoritate Patrum, & conſenſu militum, *quomodo ſcil. hiſce imperator creatus ſit, quædam* præfatus, conſilia ſibi & exempla capeſſendi egregiè imperii memoravit: nec juventam armis civilibus aut domeſticis diſcordiis imbutam: nulla odia, nullas injurias, nec cupidinem ultionis afferre. Tum formam futuri principatûs præſcripſit ea maximè declinans, quorum recens flagrabat invidia. Non enim ſe negotiorum omnium judicem fore, ut clauſis unam intra domum accuſatoribus & reis, paucorum potentia graſſaretur. *i. e. ut, quemadmodum hactenus pauci principes, familiares in domo ejusdem judicia exercerent.* Nihil in penatibus ſuis venale *i. e. non admiſſurum, ut quisquam familiarium pecuniâ corrumpatur, tanquam obtenturus à principe, ut quid contra juſtitiam pronuncietur,* aut ambitioni pervium: diſcretam domum & Rempubl. Teneret antiqua munia Senatus, Conſulum tribunalibus Italia & publicæ provinciæ aſſiſterent. Illi *Conſules ſcil.* Patrum aditum præberent; ſe mandatis exercitibus conſulturum. 13. *annal.* 4.

7. Imperantium in civitatibus nullam virtutum curam habentibus eſt, amicitiæ utili operam dare, ne damnoſi ſed utiles videantur civitati. *Nam vulgus virtutum expers omnia ex utilitate æſtimat.* Præ cæteris ergò malis hoc fugere debent imperantes, ne damnoſi videantur & lædentes vitam, famam, exiſtimationem, pudicitiam aut poſſeſſiones. *His enim apud vulgus extremum conciliatur odium. Quapropter conſultum eſt, cædes peragendas per alios committere, quo principium non ſentiatur æquè imperantibus ineſſe. Sic Tiberius Sempronium Gracchum è medio tollens curavit milites à L. Aſprenate mitti, quò in hunc fama cædis verteretur. 1. ann. 53. fin. Eſt & conſultum, cædes ſub ſpecie Juſtitiæ committere, & ita in removendo è medio delatores*

 res

res conſtituere, qui eoſdem de crimine accuſent, quo judicati pereant. Obſervavit hoc Tiberius & eò rem perduxit ut, quod maximè exitiabile tulère ipſius tempora, primores Senatûs etiam infimas delationes exercerent, alii propalàm, multi per occultum: neque diſcerneres alienos à conjunctis, amicos ab ignotis, quid repens aut vetuſtate obſcurum: perinde in foro in convivio quâque de re locuti incuſabantur, ut quis prævenire & reum deſtinare poterat; pars ad ſubſidium ſui, *ut alios ſuis calumniis in Judicio evertendo ipſi tuti eſſent*, plures infecti quaſi valetudine & contactu. *6. annal. 7. Teſtatur idem Tacitus hujus temporibus repertum primum eſſe hoc artificium quo exederetur Reſpubl. 2. annal. 27. verb.* quia tum primùm reperta, quæ per tot annos Rempubl. exedere. *Hinc & delatores ſummopere defendit. Tacitus 4. annal. 30. memorat eum pro delatoribus ita locutum*: irritas leges & Rempubl. in præcipiti eſſe, niſi foverentur delatores: ſubverterent potius Jura, quàm cuſtodes eorum amoverent. Sic, *inquit Tacitus*, delatores, genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam ſatis coërcitum per præmia eliciebatur. *Honores ergo & divitias præmium delatoribus conſtituere debent imperantes, quò tollendos tollere è medio poſſint; interim Judicio facto & ſententiâ ferali dictatâ ægrè quaſi ferre mortes civium.* Si pudicitiam alicujus honeſtæ fæminæ per intemperantiam læſerint, prætendendum hoc factum eſſe ex amore vehementiori erga puellam. *Nam ita minus ægrè ferent cognati ignominiam tanquam ab amore quodam profectam.* In tributis exigendis quibus læduntur hominum poſſeſſiones & facultates prætendi debet neceſſitas belli. *Nam quæ ex neceſſitate fiunt agentem ab odio excuſant. Ita multa gravia tributa, multaque intoleranda exactiones neceſſitate armorum initio excuſantur, in pace tamen manent. 2. H. 84. verb.* quæ gravia &c. *Conducet etiam præcipuos civium inſtigare, ut ultrò contribuant pecuniam exigendam. Nam nihil querelâ & odio dignum vel injuſtum videtur dici poſſe quod homines honeſti ultrò faciunt. Decipi autem cæteri poſſunt, ſi ultrò conferentib. plus præmii loco refundatur. Sic* propriis quoque opibus Mucianus bellum juvit, largus privatim, quò avidius de Republ. ſumeret. Cæteri conferendarum pecuniarum exemplum ſecuti rariſſimus quiſque eandem in recuperando licentiam habuerunt. *2. Hiſt. 84. Sunt & alii modi callidè extorquendi pecuniam ita, ne exactiones tanquam ex avaritiâ factæ pariant imperantibus odium. nimis.* Si in vitia frequentiſſima, quæ aliàs pœnis corporalibus affici ſolent, conſtituantur pœnæ pecuniariæ. *Videbuntur enim imperantes ex ſingulari clementiâ facere quod ex avaritiâ fit. Ita ex cælibum pœnis lex Papia Poppea augebat ærarium*

rarium. Tacitus 3. annal. 25. Legem Papiam Poppaam ſenior Auguſtus poſt Julias rogationes incitandis *i. e. intendendis* cœlibum pœnis, & augendo ærario ſanxerat. *Hac enim lege introductum, ut delinquentes adverſus eandem, ſi nollent habere præmia & privilegia parentum, ſentirent pœnas, vel ut Tacitus loquitur cap. 28. eod.* ſi à privilegiis parentum ceſſaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret: *ſed cuſtodes huic legi dati* altius penetrabant *i. e. per interpretationem extenſivam faciebant, ut quamplurimi obnoxii fierent multæ*, urbemque & Italiam, & quod uſquam civium corripuerant: multorumque exciſi ſtatus *i. e. everſæ fortunæ*, & terror omnibus intentabatur *i. e. vix reperiebatur, qui à pœnis hujus legis immunis eſſe poſſet. Eſt & hic callidus modus quaſi ex benevolentiâ ſubditorũ acquirere, ſi hoc agatur, ut nullũ teſtamentum facilè ratum ſit, ſed infringatur (id quod facile fieri poteſt. Singulis ad ſubtiliſſimam juris rationem examinatis) niſi in quo imperantes heredes inſtituti ſunt, vel legatum adepti. Obtinuit hic mos initio ſtatim monarchiæ Romanæ: ſed Tiberius hoc non ſufficiens ad occultandam avaritiam ratus, ſi hereditatem ex Teſtamento caperet, nullius* hereditatem adiit, niſi cùm amicitiâ meruiſſet. Ignotos & aliis infenſos, eoque principem nuncupantes procul arcebat. 2. *annal.* 48.

8. Pro colendâ cum ſubditis amicitiâ utili conducit felicitatem eorum ſpectare, in quânam re eandem poſitam habeant, & huic adipiſcendæ conſulere. *Eſt autem felicitas hominum curam virtutis non habentium varia: alii enim honores, alii divitias, alii voluptates appetunt: alii pro ratione temporis aliud vel aliud, afflicti bello pacem, morbo proſperam valetudinem tanquam ſummum ſuum bonum appetunt. Amicitiam ergò ſibi parabunt imperantes, ſi in hiſce utiles exiſtant. Tiberius*, ſævitiam *ſeu caritatem* annonæ incuſante plebe, ſtatuit frumento precium quod emptor ſolveret, *vilius ſcil. ut pauperes emere poſſent*, binoſque numos ſe additurum negotiatoribus in ſingulos modios. *ob quod nomen patris patriæ ingeminabant recuſatum tamen ab eodem. Callidum commentum eſt in pericula & damna ſubditos conjicere & poſtea ſe liberatorem exhibere. Ita Auguſtus maximum apud cives Romanos favorem quæſivit, cùm* cuncta diſcordiis civilibus, *quarum tamen & ipſe auctor fuerat*, feſſa ſub imperium accepit, *pacemque orbi Romano reſtituit.* 1. *annal.* 1. *Solent nonnulli imperantium odia fovere civium & parti perſecutionem patienti ſe jungere; ita enim amicitiam & benevolentiam partis, cui ſuccurrunt ſibi parant.*

9. Quamplurima etiam plebi jucunda ſunt, quibus propterea imperantes jucundam quandam comparare amicitiam poſſunt. *Nam & vilibus hominibus jucundi eſſe poſſunt imperantes. Id quod fit, ſi*

ſimulent, ſe ſubditorum ſingularem curam habere. (Quemadmodum enim moleſtum eſt & inimicitiam parit negligi & contemni, ita jucundum & benevolentiam concilians in precio eſſe) Hoc medio ſibi magnum favorem conciliavit Vitellius, quando inferiorem Germaniam ingreſſus, hyberna legionum cum curâ adierat *i. e. ita, ut ſatis appareret, eum omnia intentè & maximâ cum diligentiâ facere*: redditi pleriſque ordines *i. e. reſtitutus honeſtior militiæ locus iis, qui pœna nomine ad inferiorem ordinem rejecti erant*; remiſſa ignominia; allevatæ notæ *i. e. notati infamiâ in integrum reſtituti ſunt*: plura ambitione *i. e. pleraque fiebant ſine merito eorum, quibus ſuccurrebatur*, quædam judicio: in quibus ſordem & avaritiam Fonteii Capitonis, adimendis aſſignandiſque militiæ ordinibus integrè mutaverat. Nec conſularis legati menſurâ, ſed in majus omnia accipiebantur. *i. e. quòd tam exactam curam militum haberet, in ipſo laudabatur à militibus non tantummodo ut legatum decens, ſed tanquam profectum ab homine maximum faſtigium commerito.* 1. *H.* 2. Conducit & imperantibus eam partem plebis colere, quam nemo æſtimat. *Nam quò magis quis negligitur à cæteris hominibus, eò jucundior eſt qui negligentibus ſuperior exiſtens colit neglectos. Ita Tiberius*, ut mors Sulpicii Quirini publicis exequiis frequentaretur petivit à Senatu. *Cujus ratio hec fuit, quòd* Tiberium quoque Rhodi agentem, *cùm nemo ipſius curam haberet*, coluerat. 3. *annal.* 48. *Par eſt ratio, ſi imperantes cum iis colloquuntur, quos nemo aliàs alloquio dignaretur.* Prodeſt Imperantibus etiam ad benevolentiam captandam ſubditos ſingulos nominibus appellare poſſe. *Nam hoc indicium eſt, eos ſubditorum curam habere, unde jucundi iiſdem ſiunt. Hic erat modus, quem Otho adhibebat in parando militum favore invaſurus imperium, dum militum ſtudia affectabat*, in itinere, agmine, in ſtationibus, vetuſtiſſimum quemque militum nomine vocans, ac memoriâ Neroniani comitatûs (*erat enim ob memoriam bonorum præteritorum jucundius*) contubernales *appellando*, alios agnoſcere *i. e. priſtinæ amicitiæ admonere*, quoſdam requirere *i. e. deſiderare & rogare ubi eſſent* & pecuniâ aut gratiâ juvare. *Sunt quoque imperantes jucundi ſubditis pulchro corpore gaudentes, quod tamen donum naturæ eſt: unde nec eſt quod præſenti loco de hoc tractemus.* Jucundiores præterea ſubditis ſunt imperantes ſeſe ad illorum mores accommodantes. *Nam quemadmodum honeſta amicitia virtuoſis eſt plena jucunditatis, ita iis, qui non virtuoſi ſunt ſimilitudo morum: Ita Caligula imitatus veſtimenta militum magnum ſibi horum favorem paraverat. Caligula, inquit Tacitus* 1. *annal.* 41. infans in caſtris genitus, in contubernio legionum eductus, quem militari vocabulo Caligulam (*à caligis ſeu calceis*

teis militaribus) appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi ſtudia eo tegmine pedum induebatur.

10. Si amabile aliud nullum ſuperſit, poterunt imperantes cum ſubditis, quorum benevolentiam habere intereſt, affinitatem contrahere & ita mediantibus connubiis amicitiam ſibi parare. *Ita Antonius Tarentino Brunduſinoque fœdere & nuptiis Octaviæ ſororis Auguſti illectus ab eodem ſubdolæ affinitatis pœnas morte exſolvit. 1. annal. 10.*

ARTIC. II.

DE IIS QUÆ RATIO STATUS IN DECLINANTIBUS AB OPTIMA REPUBL. FORMIS JUBET ATTENDERE RATIONE PRINCIPORUM CAUSSARUM MOTUUM QVÆ SUBDITIS INSUNT.

1. Imperantium munus eſt, vigilare & in ſuorum ſubditorum animos inquirere. *Nam ſi noverint quomodo animati ſubditi ſint, quæque foveant conſilia, maturè malis occurrere ſtatumque ſuum tueri poſſunt. Juxta vulgatum illud: tela prævisa minus nocent. Qualia autem ſint conſilia ſingulorum occulta, non niſi per amicos inquiri poteſt: Ita enim comparatum eſt cum hominibus, ut plerumque habeant quos cenſent intimos amicos, quibus arcana pectoris revelant.* Decet ergò imperantes in vitioſis formis alere exploratores, qui intimam cùm præcipuis civium, à quibus quid mali metuitur ſimulatam tamen colant amicitiam arcana ipſorum explorantes. *Ejuſmodi explorator fuit Firmius Catus Senator intimam cum Libone Druſo colens amicitiam & juvenem improvidum poſtea deferens 2. annal. 27. & ſeqq. It. Latinius Latiaris. 4. annal. 68. & cap. 69. fin. Taciti verba hæc ſunt.* Non aliàs magis anxia & pavens civitas, etiam adverſum proximos congreſſus, colloquia, notæ ignotæque aures vitari, etiam muta atque inanima, tectum & parietes circumſpectabantur. *Item* conducit imperantibus in amicitiam recipere & fovere uxores civium ſervosque: *hæ enim perſonæ quotidie in familia civium verſantes arcana revelare poſſunt.* Prodeſt quoque diſcordias ſerere inter ſubditos: *ita enim ſeſe mutuò obſervabunt & prodent. privata enim odia impellunt homines ad ſuſcipiendam curam boni publici: quò ſub ſpecie boni publici privata ſua odia exercere poſſint. Exemplum eſt in Helvidio Priſco. 13. annal. 28. fin.*

2. Circa ſingulos ſubditos duo inquirenda ſunt; an velint & an exiſtiment ſe poſſe quid novi moliri. *Nam quod quiſque vult & poteſt hoc facit. Id paulo ſuperius docuimus ex eleganti textu Taciti*

1. *ann.* 13

1. *annal.* 13 *verba hæc ſunt*; Auguſtus ſupremis ſermonibus cùm tractaret, quinam adipiſci principem locum ſuffecturi abnuerent, aut impares vellent, vel iidem poſſent cuperentque. *Ex quibus verbis diſcimus, tria genera ſubditorū perpendenda habere imperantes, nim. eos, qui quid novi moliri volunt & non poſſunt; eos, qui poſſunt & nolunt, & tertiò eos, qui & volunt & poſſunt. Ii qui poſſunt & nolunt, aut volunt non tamen poſſunt, metuendi non æquè ſunt: at ab iis, qui & volunt & poſſunt cavere omnibus modis ſibi debent imperium tenentes.*

3. Iis qui volunt & poſſunt moliri nova occurri poteſt, 1. ſi planè è medio tollantur clandeſtinis remediis vel fovendo delatores, qui calumnioſè ipſos accuſent, quò ad ultimum ſupplicium condemnentur. *De quâ re num. 7. præced. diſſeruimus: ubi docuimus, quo pacto ſoleant tyrannicè imperantes ſuam crudelitatem occultare.* vel veneno extinguendo. *De generibus venenorum & quænam quibusvis caſibus præeligenda, principia ſuggerere poteſt conſultatio Agrippinæ* 12. *annal.* 66. 2. Si cogantur ſemper in conſpectu verſari. *Nam nihil novi tunc moliri facilè poſſunt: latere enim decet nova tentantes. Ita Tiberius Ceſar L. Arruntium, quem Auguſtus non indignum imperio, & ſi caſus daretur auſurum ſupremis ſermonibus dixerat* 1. *annal.* 13. *inter aulicos receptum ſemper in conſpectu habuit. Quod ſtolidè & ſine cauſsâ Vitellius circa Cluvium imitatus eſt.* 2. *Hiſt.* 65. 3. Si aliis occupationibus detineantur. *Nam ita dediſcent nova moliri. Ita refert de Britannico exercitu Tacitus* 1. *H.* 9. *in illo nihil irarum, nec aliæ legiones, per omnes civilium bellorum motus, innocentius egiſſe. ſeu quia procul & oceano diviſæ*; ſeu crebris expeditionibus doctæ hoſtem potius odiſſe. *Simile quid faciendum circa cives, qui nova moliri videntur & velle & poſſe, ut ſcilicet variis iisque arduis occupationibus, & quidem iis locis, in quibus nullam occaſionem arripere poſſunt, diſtenti à propoſito ſuo arceantur, & ſimul etiam periculis objiciantur. Sic* Tiberio haud ingratum accidit, turbari res Orientis, ut eâ ſpecie Germanicum ſuetis legionibus, *ſeu quarum favorem longâ conſuetudine ſibi paraverat*, abſtraheret, noviſque provinciis impoſitum dolo ſimul & caſibus objectaret, *i. e. malitioſis artibus & periculis exponeret.* 4. Si qui clari fieri poſſunt aliis modis ſupprimantur. *Imperantium enim eſt dare operam, ne quiſquam ſubditorum facilè emergere & clarus fieri queat. Referri huc poteſt illud Taciti, quod narrat de Memmio Regulo*: Eo anno mortem obiit Memmius Regulus auctoritate, conſtantiâ, famâ, in quantū præumbrante imperatoris faſtigio datur, clarus, 14. *ann.* 47. *Modum autē ſupprimendi ſubditos, ne ſtudeant inclareſcere, commonſtrat quod habet Tacitus* 3. *annal.* 55. *quando ait*: luxus menſæ à fine Actiaci bel-

ci belli, ad ea arma quîs S. Galba rerum adeptus eſt per annos centum profuſis ſumptibus exerciti paulatim exolevêre. Cauſſas ejus mutationis quærere lubet. Dites olim familiæ nobilium, aut claritudine inſignes, ſtudio magnificentiæ prolabebantur. nam etiam tùm plebem, ſocios, regna colere & collicitum, ut quisque opibus, domo, paratu ſpecioſus per nomen & clientelas illuſtrior habebatur. Poſtquam cædibus ſævitum, & magnitudo ſamæ exitio erat; cæteri ad ſapientiora convertere. *Ex hiſce diſcimus ſupprimi poſſe ſubditos, ne ſtudeant emergere, ſi plura exempla poſita ob oculos habeant eorum, qui ſplendori dediti in extrema pericula præcipites acti ſunt.*

4. Maximè autem ſalutare eſt imperantibus in vitioſis formis, ut ſubditos adſuefaciant adulationibus & ſtudiis ſervilibus. *Nam hoc pacto obtinent amicitiam quæ propria eſt hominum quibus heriliter imperatur, ut patet ex iis quæ lib. ult. part. 3. de adulatoribus diximus. nec quicquam ſtomachationis & invidiæ metuendum habebunt. Nam qui ſervilis & abjecti ingenii ſunt nec ſtomachantur nec invident. Ut verò ſubditi evadant ſerviles conſequentur imperantes.* 1. Idoneâ educatione. *Si ſcil. à teneris adſueſiant adulationibus, moribusque ſervilibus.* 2. conſtitutis in adulatores & ad ſervitium promptos præmijs. *Hoc pacto initio ſtatûs tyrannici cives Romani adſueſiebant adulationibus: Nobiles enim quantò quis ſervitio promptior, opibus & honoribus extollebantur, 1. ann. 2 Vulgus verò Romanum adeò edoctum erat adulari 1. Hiſt. 90. ut tandem adulandi libidine flagraret 4. H. 49. Et quia ſtatim cum tyrannide ars adulandi cœperat, vetus hoc in Republ. malum vocatur Tacito 2. ann. 32. Nec difficile eſt cives ita adſuefacere: eſt enim adulatio malum, quod poſtquam in uno radices egit ſuo contactu reliquos ſecum trahit. Sic cùm Aſia Tiberio delubrum exſtruxiſſet, ſtatim Hiſpania ulterior miſſis ad Senatum legatis oravit, ut ſibi idem facere liceret. 4. ann. 37.*

5. *Præmiſſis hiſce generalibus, percurremus ſpecies cùm eorum qui volunt tum & illorum qui poſſunt, & ſi quæ peculiaria media ſingulis obviam eundi dantur, aut quæ ex generalibus ſingulis magis convenientia perſcrutabimur. Demonſtratum autem ſuperius, omnes velle nova vel fugiendæ miſeriæ vel adipiſcendæ felicitatis gratiâ. Principium fugiendi miſeriam eſt ſentire ſe miſerum eſſe. Sentiunt autem miſeriam, qui imperantium calliditates quorſum tendant ex ſignis conjiciunt. Quapropter ſolent tyrannicè imperantes odiſſe & perſequi arcana ſcrutantes. Hinc M. Terentius apud Tacitum 6. ann. 6.* abditos principis ſenſus *i. e. arcana illius*, & ſi quod occultius parat, exquirere illicitum, anceps. *Fugientes miſeriam ſunt qui vel ob paupertatem vel ob declinandam turpitudinem aut aliam aliquam moleſtiam id faciunt.* Circa eos qui paupe-

 tate

tate adigi ad res novas poſſunt datur medium, ſi nimirum maturè his ſuccurratur. *Ita Tiberius* cenſus quorundam ſenatorum juvit *i. e. ſupplevit ipſorum opes, ne cogerentur ſenatû abire 2. annal. 37. Idque medium adhibendum tunc potiſſimum eſt, quando ſine ſuâ culpâ in paupertatem ſunt conjecti, id quod innuit Tacitus 13. annal. 34. Non nimis etiam frequentandum in Republicâ hoc medium, ob mala alia, quæ ſecum trahit, monet Tiberius, quando reſpondet Hortali precibus:* dedit tibi Hortale D. Auguſtus pecuniam, ſed non compellatus, nec ea lege, ut ſemper daretur, langueſcit alioqui induſtria *i. e. remittetur de labore & ſtudio facultates ſuas conſervandi*, intendetur ſocordia, ſi nullus ex ſe metus aut ſpes. *Quod attinet eos, qui honoris cupidi ſtudio gloriæ moliuntur nova, hæc videtur optima ratio iiſdem occurrendi*, ſi removeantur è medio: *neque enim quiſquam virtutibus emergere volens diu tolerandus: Id enim tyrannicè imperantibus moris eſſe facere, teſtatur Tacitus 1. H. 2.* Nobilitas, opes, omiſſi geſtique honores pro crimine; & ob virtutes certiſſimum exitium. *Conſtat etiam ex variis exemplis, quorum quædam ex Tacito noſtro narraſſe ſufficiat. 16. ann. 15. ita inquit:* Oſtorius longinquis in agris apud finem Ligurum id temporis erat. eò miſſus centurio, qui cædem ejus maturaret. Cauſſa feſtinandi ex eo oriebatur, quòd Oſtorius multâ militari famâ, & civicam coronam apud Britanniam meritus, ingenti corporis robore armorumque ſcientiâ metum Neroni fecerat. *Sic Turcarum imperator metuens à fratribus inſidias laqueo eos maturè tollere ſolet. Eſt autem & mitior via, cujus antea mentionem fecimus, ſi nimirum affectantes imperium aliis occupationibus diſtringantur aut maturè ipſis aliud imperium invadendum objiciatur. id quod circa filium ſuum ita practicavit Pharaſmanes 12. annal. 44.* Volunt etiam imperantes invadere ſubditi qui ducuntur odio, invidiâ, æmulatione, qui propterea plerumque è medio tolli ſolent. *Hiſce namque affectibus erga imperantes ducti ſine dubio vitæ eorundem inſidias ſtruunt.*

6. Diximus de his qui concipiunt ſe poſſe ſuperius, eſſe nimirum eos qui putant ſe vel numero vel potentiâ vel virtute vel fortunâ ſuperiores exiſtere. Iis qui numero ſuperare poſſunt occurritur, ſi ita diſponantur, ne vires ſuas circumſpicere & ſcire valeant. *Collegimus hoc ex eo, quod Tacitus de legionibus adverſus Vindicem contractis 1. Hiſt. 51. ait:* Nimis potentibus nunquam fides tribuenda. *Nam nunquam ſatis fida potentia, ubi nimia eſt. Tacit. 2. H. 92. Eſt autem non unius modus occurrendi potentibus. primò enim odia concitanda aut ſimultates, ne potentes ſuis clientibus fidem tribuere poſſint. 2. vires ſub aliquo honeſto prætextu diſtrahendæ. Simile*

quip-

*quippiã fecit Valens in militibus à quibus ſeditionẽ metuebat 2. H.*28. Nõ autem tantùm iis, qui potentes ſunt, ſed etiam his, qui potentiam parant, occurrendum maturè eſt. *Tales ſunt qui favorem plebis aut provinciæ cujuſdam 16. ann. 23. vel etiam militum parare ſtudent. 1. ann. 69. 6. ann.* 10. *&* 1. *ann.* 52. Virtute ſe ſuperiores eſſe poſſe putant homines feroces audaces & confidentes, *plus quam civilia agentes, ut loquitur Tacitus* 1. *annal.* 12. *Sunt autem feroces imperantium potentiam vilipendentes, qualis erat Calpurnius Piſo* 4. *ann.* 21. *It.* qui artis militaris peritiam aliquam habent, corpusque laborum & inediæ patiens. *His autem poteſt & aliâ ratione quam occidendo eoſdem occurri, ſi nimirum adſueviant voluptatibus. His enim vel fortiſſimos trahi ad ignaviam teſtatur exercitus Vitellii 2. H.*62. *&* 93. *It.* aſtuti & callidi, ſimulatores, eloquentiâ pollentes. *Hi enim ſuis artibus ſuperiores ſe poſſe exiſtimant. Imago hominis ab imperantibus metuendi exhibetur in Sejano 4. annal.* 1. Corpus illi laborum tolerans, animus audax, ſui obtegens, in alios criminator, juxta adulatio & ſuperbia, palàm compoſitus pudor, intus ſumma apiſcendi libido; ejusque cauſſâ modò largitio & luxus, ſæpius induſtria ac vigilantia, haud minus noxiæ quoties paranda regno finguntur.

ARTIC. III.

DE PROHIBENDIS SEDITIONUM OCCASIONIBUS.

1. Occaſio conſiſtit in medio, quod fortè fortunâ in tempore offertur, à quo initium operandi fieri poteſt, reddens operationem quæ impoſſibilis videbatur poſſibilem, & eam quæ difficilis erat facilem. *Unde fit, ut occaſio alliciat homines ad faciendum quod aliàs non facerent.* Quapropter imperantium, qui aliis modis motus prohibere nequeunt, eſt occaſionibus occurrere: *Ita namque multi acerbiſſimi motus impedientur.*

2. Conſiſtunt autem occaſiones plerumque in rebus parvis. *Solent enim ſeditioſi plerumque à parvis initium movendi facere. Unde etiam docet Ariſtoteles, ſeditiones non de parvis, ſed ex parvis rebus eſſe.* Quæ cauſſa eſt, quare plerumque qui imperant negligant occaſiones nec iis occurrant. *Quæ enim parva ſunt non curantur.* Prudentium autem eſt iis omnibus modis occurrere: *ſunt enim malorum principia & faciunt, ut fiat, quòd aliàs non fieret.*

3. Rixæ potentum etiam de rebus ludicris occaſiones bellorum inteſtinorum eſſe ſolent, omnibus propterea modis præcavendæ. *Nam utraque pars adhærentes ſibi amicos & clientes habet; quod*

facit civitatem in partes ſcindi. Arripiunt namque turbandi occaſionem qui ſeditiones amant auxilium patronis rixantibus ferendo. Imperantium ergò eſt, rixas potentum impedire omnibus modis, aut his maturè occurrere.

4. Alia occaſio conſiſtit in adverſâ imperantium & proſperâ parentium, præſertim in bello, fortunâ. *Nam inde arripiunt occaſionem ſubditi nova moliendi. Ita Artabano infeliciter res gerente Vitellius ſollicitavit ſubditos*, deſererent regem ſævum in pace & adverſis præliorum exitioſum. Igitur Sinnaces patrem Abdageſem, alioſque occultos *i. e. clandeſtinæ conjurationis ſocios* conſulit, & tunc continuis cladibus promptiores ad defectionem trahit; adfluentibus paulatim, qui metu magis quàm benevolentiâ ſubjecti repertis auctoribus *i. e. ſeditionum ducibus* ſuſtulerant animum: *Ex quo colligimus*, Imperantes ſi videant, ſe uti adverſâ fortunâ, quammaximè curioſos eſſe debere, ne ſubditi quicquam moveant.

5. Otium quoque occaſionem præbet. *Nam otia dant vitia, i.e. laſciviam pariunt. Tacit. lib. de Mor. Germ.* otioſæ armatorum manus facilè laſciviunt. *Ita otio tumultuabantur miles Pannonicus 1. annal. 16. & Germanicus 1. annal. 31.* Quâ de cauſsâ exigit nonnunquam ratio ſtatûs, bella cum exteris fovere, quò in his occupati cives deſiſtant inteſtina bella meditari, aut alios labores ſubditis imponere.

6. Eſt & alia occaſio, ſi petituri corpus imperantium latére poſſunt. *Nam omnes peccandi occaſionem inde petunt, quando latére poſſunt, quando interitus inimici qui petitur ad caſum trahi poteſt. 2. annal. 55.* Decet ergò imperantes eſſe abſtruſos & triſtisſima quæque maximè occultare. *Id quod feciſſe Tiberium teſtatur Tacitus 1. annal. 24. init.*

7. Nonnunquam & defectus annonæ, eaque quæ hunc pariunt (*quale quid ante aliquot annos in noſtrâ patriâ contingebat ob corruptam monetam*) occaſionem tumultuandi præbent. *Idque tunc potisſimum contingit, quando imperantes in cauſsâ ſunt. Sic Domitio & Camillo CSS* gravitate annonæ juxta ſeditionem ventum, multaque & plures per dies in theatro licentius efflagitata, quàm ſolitum adverſum Imperatorem. *6. annal. 13. Ne ergò tumultuandi occaſio præbeatur*, maturè ſævitiæ annonæ occurrendum. *Id quod Tiberium feciſſe legimus 2. ann. 59. & 4. ann. 6.*

8. Alia occaſio eſt, ſi imperantes ſint incauti. *Eſt enim frequens, eos, qui alios aggredi volunt, incautos petere. Sic Rheſcuporis per epulas & vinolentiam incautum Cotyn catenis onerabat. 2. ann. 65.* Decet ergò imperantes ſemper meditari mala imminentia & pericula,

etiam ubi nulla ſunt fingere, quò omnes collegæ vel conſiliarii ſemper vigilent.

9. Attendendum quoque, an in viciniâ ſint, quorum auxilio ſubditi uti poſſint. *Nàm horum auxiliis freti occaſionem movendi ſubditi arripiunt. Contingit autem à vicinis juvari ſubditos, ſi formâ illi utantur contrariâ: ita democratici prompti ſunt ad auxilia ſubditis in Oligarchiis ferenda.* Imperantium ergò eſt dare operam, quò vicinos ſibi habeant faventes, aut ſi per contrarias, quas amplectuntur, formas id fieri nequeat, ut maturè vicinorum vires infringantur.

10. Datur & occaſio, ſi milites, quorum præſidio imperantes utuntur, iiſdem infenſi ſint, aut diſperſi, aut duces diſſideant. *Ita ducum Cæcina & Valentis diſſidia infregére imperium Vitellionis.* 2. *H.* 92.

11. Inhibetur ſubditis & occaſio, ſi omnia conventicula ſeriò prohibeantur. *Nam à facultate conveniendi occaſiones concitandi turbas petunt. Secreta namque colloquia & conventicula ſuſpecta Imperantibus eſſe debent.* 15. *ann.* 55, *fin.* Imprimis autem ab iis ſibi cavere debent, vel pœnas dictitare iiſdem, qui ſingulari artificio cœtus facere poſſunt. *Qualis erat Percennius,* dux olim theatralium operarum *i. e. plauſores hiſtrionibus conquirens,* dein gregarius miles procax linguâ, & miſcere cœtus hiſtrionali ſtudio doctus. 1. *annal.* 16.

12. Magnum quoq; momentum hac in occaſione ſitum eſt, ſi plebs ſeditioſa ducem nacta fuerit. *Nam ſine duce plebs nihil perficere poteſt. Ergò* nova cupientibus auſſeratur dux & auctor. 16. *annal.* 22. *Nec exiſtimare debent imperantes, difficilè fore parentibus ducem nanciſci*; motis enim rebus dux facilè reperitur. 14. *annal.* 61.

ARTIC. IV.
DE SEDITIONIBUS SUBORTIS COMPONENDIS.

1. *Quia contingit, ſeditiones in vitioſis formis ſuboriri, quomodocunque adornatis cunctis, quæ ratio ſtatûs jubet; noſſe etiam decet modos occurrendi ſeditionibus jam flagrantibus. Nec hoc alienum à noſtro propoſito eſt: conducit enim ad inquirendas rationes & cauſſas legum latarum circa pœnas infligendas crimen læſæ Majeſtatis committentibus.*

2. Indiciis ergò de ſeditione ſubortâ factis, non cunctari decet imperantes. *Nam aſpernantes indicia alunt dubitatione bellum inteſtinum.* 3. *Ann.* 41. *fin.*

3. Prima autem cura eſſe debet de eomittendo, qui idoneus ſit ad animos hominum ſibi conciliandos. *Nam qui hoc artificio non inſtructus eſt, magis irritabit ſeditioſos. Valent autem ad captan-*

ptandos animos qui eloquentiâ pollent. It. qui in favore apud ſeditioſos ſunt. Idque obſervavit Galba præmittens in caſtra ad componendos ſeditioſos milites Piſonem juvenem magno nomine & recenti favore. 1. H. 34.

4. Finis perſuadentis eſſe debet, ut trahat ad pœnitentiam ſeditioſos. *Obtinetur hic 1. ſi argumentis oſtendatur impoſſibilitas conſequendi id, ad quod tendunt ſeditioſi v.g. ſolos non ſufficere, reliquos eſſe quietos. Fecit hoc Germanicus milites tumultuantes allocutus 1. ann. 34. circ. fin.* 2. Contumacibus pœnas, pœnitentibus ſpem veniæ vel etiam præmia pollicendo. *Nam ſi videant, ſe præmiorum nomine tantum conſecuturos, quantum periculis, quibus ſe injiciunt, tuta potius arripiunt, periculoſa ſeponentes: conducetque tunc ingeminare illud, quod habetur apud Tacitum 1. ann. 28.* Tarda ſunt quæ in commune expoſtulantur: privatam gratiam ſtatim mereare, ſtatim recipias. *Hac cauſſa eſt, quare pœnitentibus & prudentibus ſocios criminis læſæ Majeſtatis non modò venia, ſed etiam præmia promittantur, l. quisquis 5. §. ult. C. ad L. Jul. Maj. Contumaces qui ſunt nec verbis flectuntur, pœnis minisq; adigendi. Nam* nihil in vulgo modicum, terrent, nî paveant, ubi pertimuerint impunè contemnuntur, 1. *ann.* 25. *In ſummâ periculorum præmiorumq; oſtentatorem eſſe oportet eum, qui componere ſeditioſos nititur.* 1. *H.* 24.

5. Alterum remedium eſt, ſeditioſos diſſociare. *Quemadmodum enim conſociatio improborum promovet ſeditionem, ita diſſociatio eam impedit. Hinc cùm agreſtium Cilicum nationes commotæ eſſent,* rex ejus oræ Antiochus blandimentis adverſus plebem, fraude in ducẽ, cùm barbarorum copias diſſociaſſet; Troſobore pauciſque primoribus interfectis, cæteros clementiâ compoſuit. 12. *annal.* 55. *Idem medium obſervatum tradit Tacitus 2. H.* 28. Cumprimis autem danda eſt opera, quò concitati & auxiliares ab auctoribus ſeparentur. *Hoc namque factu facilè eſt, promiſſis præmiis aut veniâ iis, qui commoti ſunt; & ſic manebit auctores ſua pœna. Ita Tiberius Tacfarinate movente, dat negotium Blæſo,* cæteros quidem ad ſpem proliceret arma ſine noxâ ponendi, ipſius autem ducis quoquo modo potiretur. 3. *annal.* 73. *add.* 1. *ann.* 29. & 30. *Conducit & quandoq; callidum Germanici commentum adigendi commotos, ut ipſi de auctoribus pœnas ſumant.* 1. *ann.* 48. *Quandoq; contrà, ſi ita magis conſultum videatur, duces ſeditioſorum ſub ſpecie amicitiæ avocandi ſunt. Facit hoc Galba, abducto per ſpeciem amicitiæ Verginio duce germanici exercitûs moventis 1. H. 8. unde illa ſeditio implacabilis videtur, in quâ dux non apparet 1. ann. 32. Interdum lento veneno auctores ſeditionum imperantes tollere ſolent: interdum inimicos ipſorum in eoſdem concitare.*

6. Extre-

6. Extremis autem & jam flagrante incendio, utendum audaciâ, ſi cætera media non proſint. 1. *ann.* 38. *Scil. coercendi tumultuantes, labantes inhibendi, boni in ſuo propoſito firmandi.* 1. *Hiſt.* 56. *init.*

MEMBR. II.
DE
RATIONE STATUS TYRANNICA.

1. Duplex ratio ſtatûs tyrannica traditur ab Ariſtotele, quarum altera eſt violenta tollens & impediens cauſſas & principia motuum, quæ inſunt ſubditis, altera in ſimulatione conſiſtens amicitiã & benevolentiam intendens ſubditorũ erga tyrannũ talẽ, quali qui in regio vivunt ſtatû ſuum regem proſequuntur. *Nam cauſſæ & principia motuum in tyrannico ſtatû partim inſunt ipſi tyranno partim ſubditis. Unde fit, ut aut tyrannus nullam ſui rationem habens tantum operam det, quò ceſſent cauſſæ nec prorumpant vimq́ exſerant quæ inſunt ſubditis; aut verò diſſimulet, quæ ſibi inſunt, odium & inimicitiam parientia, contrà ſimulet ſe inſtructum iis, quibus reges amabiles eſſe ſolent. Utroque enim hoc modo obtineri poteſt, ut quis pro libitu imperet & voluntas ipſius ſit jus dirigens civitatem.*

ARTIC. I.
DE
RATIONE STATUS TYRANNICA IMPEDIENTE PRINCIPIA MOTUUM IN SUBDITIS SOLIS.

1. Tyranni nihil remittere de ſuâ malitiâ aut diſſimulare volentis eſt operam dare 1. ne ſubditi velint movere 2. ne concipiant ſe poſſe vel poſſint. 3. ut præſcindantur ipſis occaſiones. *Nam qui volunt & poſſunt movere occaſionem oblatam arripiunt & movent.*

2. Quod ergò *cap.* 2. *membr.* 1. *art.* 2. docuimus, imperantium ſcil. eſſe, ut explorent ſubditorum animos & conſilia, quò ſciant quinam velint quid novi moliri, id tyrannus ratione ſtatûs de quâ nunc agimus, quammaximè obſervare debet. *Conveniens ergo huic rationi ſtatûs eſt.* 1. mulieribus licentiam maximam imperiumquę in maritos concedere. *Nam hoc pacto obtinebitur, ut maritorum conſilia enuncient & facta, ex quibus, quales ſint, præſumptiones peti queant.* 2. ſervos remiſſius tractare, horum libertatibus favendo, dominorumque ſeveritatem coercendo. *Nam & hi facta dominorum detegent; ſique neceſſitas exegerit, à partibus tyranni ſtabunt.* Nec eſt, quòd à mulieribus & ſervis inſidias tyrannus metuat. *Nam quid ad hos, quali imperio civitas regatur?* 3. Exploratores fovere ſimulantes intimam amicitiam & prodentes quæ arcana viderunt & audiverunt. *Nam*

ita

ita nihil occultum obſcurumq́; manebit eorum, quæ cives agunt dicuntve: præſertim ſi exploratores omnibus cœtibus & conventibus ſeſe immiſceant. Idque etiam ad hoc conducit, ne cives quicquam audeant liberè loqui eorum, quæ ad ſtatum pertinent.

3. Qui ergò deprehenduntur tales, ut velint & poſſint novi quid moliri vel è medio tolluntur à tyrannis. *Nam cum tyranni in imperio ſibi conſervando felicitatem habeant poſitam: nihil injuſtum ipſis reputatur quod pro imperio conſervando facit: tollunt ergò & removent quicquid nocere poteſt. Ferocibus ergò hominibus & potentiâ tali inſtructis, ut quid novi tentare valeant vitam adimunt.* vel etiam hoc agitur cum iis, ut in publico tyranniq; conſpectû quotidiè verſari teneantur. *Nam nihil novi tentare poſſunt qui ſemper in conſpectu hominum verſantur.* vel 3. laboribus & aliis gerendis implicantur. *Dum enim alia gerenda habent nova meditari nequeunt.*

4. Tutiſſimum tyrannis eſt, curam impendere, ut ſerviles reddantur ſubditi, conſtitutis præmiis in eos qui ad ſervitia prompti ſunt, pœnis in refractarios; vel etiam curam educationis habendo, ut ſerviliter educentur. *Nam ſi animi civium ſerviles redditi ſint, magis in volentes exercebitur tyrannis, incidetq́; in ſpeciem regni barbarici. Et licet ſuam libertatem meditentur, nihil tamen tentare audent; nihil enim magni aggreditur, qui abjecti animi eſt.* Quò verò ſerviles reddantur ſubditi, conducit hoc agere, ut negligantur diſciplinæ & ſtudia liberalia, contrà verò cives paraſitico more diſcant quærere voluptates corporis: *ita namque neceſſe eſt eos maximè ſerviles evadere. Et in ſummâ lex tyrannica eſt: Virtus pro crimine habeatur quò quiſque ſervitio promptior eò major habetor.*

5. Quod verò *cit. art. 2. num.* 5. tradidimus, ne ducti paupertate moveant ſubditi, dandam eſſe operam, quo ſuccurratur civibus pauperibus & paupertas eorum ſublevetur, id tyrannidi, de quâ nunc agimus conveniens non eſt. *Nam tyranni potius eſt ſubditos in paupertatem conjicere, ne potentes evadant & quid novi moliri valeant. Quod verò Tiberium & cæteros Romæ tyrannos id feciſſe legimus, ut cit. num.* 5. *oſtendimus; id propterea factum, quia fingebant, priſtinam Rempublicam, & hoc agebant, ut imago veteris mixta formæ ex oligarchiâ & democratiâ fupereſſet, in quâ ratio ſtatûs dictabat tale medium pro conſervatione adhiberi.*

6. Omnes porrò tyrannum æmulantes ſupprimi aut malè perire neceſſe eſt. *Nam tyrannicum eſt, neminem tolerare gravitati morum & magnificentiæ deditum: ſoli namque tyranni magnifieri & in honore eſſe volunt: in hoc namque felicitatem ſuam poſitam habent, ut præ*

cæteris

cæteris & inſtar deorum honorentur & colantur. Omnibus itaque æmulis & gravitate magnificentiâque cum tyranno certantibus & liberaliter viventibus adimenda eſt excellentia. Si enim tanquam everſores imperii in odio ſunt æmuli tyranni, facilè cæteri diſcent cautius mercari & humiliter ſe gerere.

6. Ne poſſint cives quicquã movere, nevè concipiant ſe poſſe, conducunt quæ ſuprà tradidimus obſervanda, ne vel numero vel potentiâ vel virtute vel fortunâ ſuperiores ſe eſſe poſſe homines exiſtiment. Et quidem ne numero evadant ſuperiores, ſeminandæ diſcordiæ vel hoc agendum, ut invicem ſint incogniti. *Nam inanis eſt numerus qui unus non eſt; fit autem numerus unus amicitiâ, ut demonſtravimus part. 3. itaque omnis impedienda eſt inter cives amicitia: fit autem hoc vel ſi manent incogniti, vel ſi cogniti ſint, ut diſcordes exiſtant inimicitiis mutuis ſeſe perſequentes. Hoc pacto namque omnis fides & amicitia inter cives ceſſabit. Sin nec hoc obtineri queat, fovenda ſunt bella cum vicinis multis, dividendi cives & auxiliaribus miſcendi, ne vires ſuas diſcant.*

7. Ne potentes evadant cives, conducit eoſdem pauperare. *Nam in divitiis potiſſima potentia conſiſtit. Redduntur autem pauperes, ſi coguntur alere prætorianos tyranni milites, & tributa ſolvere pro muniendâ urbe & exſtruendis ſplendidis ædificiis. It. vectigalia magna ſolvere. Quemadmodum de Dionyſio narrat Ariſtoteles, tanta ipſum tributa & vectigalia exegiſſe, ut omnes res familiares tributo conferendo quinquennio eſſent exhauſtæ.*

8. Ne virtute bellicâ cives ſe ſuperiores eſſe poſſe concipiant, feroces & audaces qui ſunt & artis militaris peritiam habentes vel tollendi vel in voluptatem & luxuriam rapiendi ſunt. *Nam voluptatibus enervantur hominum animi.*

9. Ne occaſionem invadendi tyrannum ſubditi arripiant, omne otium ipſis adimendum eſt. *Nam, ut ſuperius diximus, otiando laſcivi redduntur ſubditi. Ne in otio vivant conducit iterum quod num. 7. rationem ſtatûs tyrannicam ſuadere diximus*, nim. pauperes reddere eoſdem. *Si enim pauperes ſint, in otio vivere nequeunt, ſed coguntur omnem operam impendere, quò neceſſaria ad victum ſibi parent. It.* in perpetuis laboribus eos detinere. *Ita enim nihil otii ad inſidiandum iis reliquum erit. Hujus rei exemplum, inquit Ariſtoteles, præbent pyramides quæ ſunt in Ægypto, & Cyſelidarum Coloſſi, donaque diis conſecrata, & ædes Jovis Olympii à Piſiſtradidis ædificata, & opera Samia à Polycrate facta. Hæc enim omnia ad unum & idem valent, nim. ad civium occupationem & paupertatem.*

10. Omnia tandem conventicula prohibere tyranni intereſt. *Nam ita præripitur occaſio ſocietatem adverſus tyrannum ineundi.*

11. Reſtat, ut de tyranni amicitiâ utili & jucundâ dicamus, quomodo eam colere poſſit. *Nam nihil honeſti tyranno ineſt: unde ſi quid amicitiæ colit, ad utilem vel jucundam referendum eſt.* Jucundam tyrannum colere amicitiam cum ſubditis tutum non eſt. *Neque enim in familiaritatem recipiendus eſt, cui nullam fidem tribuere queas. Jubet ergò ratio ſtatûs peregrinorum uti converſatione, & eos ad convivia & quotidianam vitæ conſuetudinem adhibere potius quàm cives. Nam cives tyranni hoſtes ſunt, peregrini autem cum ipſo de principatu non certant, nec ad ſe pertinere putant, quomodo imperet. Sed nec his etiam amiciſſimis fides tribuenda. Familiares enim qui ſunt præ cæteris occaſionem habent ſtruendi inſidias. Ad quod etiam peregrini trahi poſſunt corrupti pecuniâ à civibus.*

12. Ne autem planè inutilis ſubditis videatur, utilem quandam cum ſubditis colere poteſt amicitiam, ſi nimirum bella foveat. *Nam bellis implicati ductu hujus carere non poterunt, & itaquædam utilis intercedet amicitia. Sed ſuam hanc amicitiam impetrabit, quemadmodum improbi ſolent, reddendo homines infelices, quò utiles videantur infelicibus ſuccurrendo.*

13. Ex his dictis colligimus cum Ariſtotele, tria eſſe, quæ ratio ſtatûs tyranno apertam tyrannidem exercenti attendenda præſcribit: *nim.* 1. ut cives, qui ſub imperio ſunt, humiles & abjecti animi ſiant. 2. ut nulla inter eos admittatur amicitia, ſed hoc potius agatur, ne alter alteri fidat; *ubi enim nulla fides, ibi nec adverſus tyrannum congredi poſſunt.* 3. ut omni copiâ bonorum & potentiâ deſtituti concipiant ſe nihil movere poſſe. *Nemo enim aggreditur eas res, quas novit ſe perficere non poſſe: ergò nec tyrannidem evertendam, ſi deſit agendi facultas. Ad hos fines obſervandos ratio ſtatûs tyrannorum voluntates revocat: quos meritò corporeos diabolos nominaveris, omnem amicitiam & felicitatem humanam intervertentes.*

14. *Cùm verò dixerimus ſuprà, moventium alios ſtatum petere, alios caput imperantium, frequentiſſimum eſt in tyrannico ipſam vitam tyrannorum peti.* Cui malo occurrere tyrannis difficilimum. *Nam mille invadentibus facilè reſiſtas; at clandeſtinè per venena inſidiantibus aut etiam invadere paratis gloriæ ſtudio, licet in ipſo momento vitam amittant ſuam, non itidem. Quapropter hi præ cæteris accuratiſſimam cuſtodiam deſiderant.*

ARTIC.

ARTIC. II.

DE ALTERA RATIONE STATUS TYRANNICA IN SIMULATIONE REGII STATUS CONSISTENTE.

1. Alter conſervandi tyrannidem modus conſiſtit in emendatione & diſſimulatione cauſſarum motuum quæ tyrannis inſunt: & ex enarratis ſuprà ſtatum tyrannicum evertentibus addiſcendus eſt.

2. Ne ergò indignus videatur imperio tyrannus nec ſtomachationem invidiamque apud ſubditos excitet, alere debet adulatores, qui coram populo merita ipſius majorumque & virtutes extollant. *Diximus enim part. 3. lib. ult. adulatores etiam vitioſos deprædicare poſſe velut in virtutibus excellentes.* Secundo debet virtute inſtructos & imperio dignos civibus regendis præficere, & ejuſmodi honoribus ornare, ut non facilè de ſuo ſtatu conqueri posſint. *Nam ita ceſſabit querela, quam aliàs cauſſatur tyrannis omnes præter unum ab imperio excludens: decipientur enim honorum cupidi, exiſtimantes ſe imperii ſatis participes, ſi tyrannus miniſterio horum utatur in adminiſtratione Reipubl. Quemadmodum apud Romanos introducto ſtatu tyrannico tandem contingebat, ut magiſtratus nil aliud eſſent, quàm ſtatus tyrannici miniſtri.* In his ergò eligendis reſpiciet monarcha ad proportionem virtutum. *Nam ſi ſecundum dignitatem & merita cujusq; miniſteria diſtribuit, videbitur fons & origo omnium honorum juſtusque eorundem diſtributor. Ceſſabit ergò omnis ſtomachatio & invidia, ſingulis, qui honorum cupidi ſunt à tyranno conſequentibus ſua miniſteria, quæ circa Rempubl. regendam præbeant. Obſervabit autem & hos tyrannus, ut officia publica & præmia ob res benè geſtas ipſe conferat, executionem verò pœnarum certo magiſtratui mandet. Nam ita quod benevolentiam parit ipſe aget, odia & invidiam in alios derivabit. Ne autem qui imperii participes fiunt potentià abutantur, ſingulis in magno magiſtratu conſtitutis addet collegam actiones illius obſervantem: quemadmodum Auguſtus Præſidi Ægypti jungebat Juridicum Alexandriæ. Dabit etiam operam, ne facile magnis muneribus præficiat quos paulo antè dicebamus velle & poſſe imperium invadere.*

3. Conducit etiam, tyrannum leges condere pro ſuo arbitrio. *Nam ſi leges ferantur conſentientibus civibus, ſtatus deſinit tyrannicus eſſe, quia non in volentes imperatur. Deceptio tamen gignetur, ſi is pro ſuo lubitu leges ferat, quaſi ex legibus imperet: & ita ceſſabunt motus, qui inde oriri ſolent, quod ſubditi videant, ſe ad nutum & volun-*

 tatem

tatem unius vivere cogi; licet nihilominus & in rei veritate voluntati tyranni pareant.

4. Præcipuum principium everſionis tyrannidis eſt, quòd ſubditi liberi homines videant, tyrannum in ſuam propriam ſalutem imperare ſeque illius ſervos exiſtere: Conſervabit ergò ſtatum tyrannus, ſi ita ſe gerat, ut videatur eſſe potius diſpenſator & adminiſtrator civitatis velut alicujus familiæ. *Nam hoc pacto regem imitabitur & videbitur ſubditorum gratiâ eſſe, nec æquè ſuam ac ſubditorum utilitatem quærere.* Videbitur autem procurator & adminiſtrator boni publici, ſi ſe offerat ad rationes reddendas de acceptis & expenſis. *Sed opponas, nihil hoc pacto prodeſſe tyrannidem, cùm hujus finis ſit ex imperio felicem eſſe; hoc autem, ex republ. tantum pecuniæ ſibi parare, quò voluptuosè & luxuriosè vivere queat. Reſpondemus Tyranno, non obſtante, quod ſeſe offerat ad rationes reddendas, pecuniam deficere non poſſe, propterea, quòd ſummâ in civitatẽ poteſtate gaudeat. It.* ſi tributa exigere videatur ad uſus domeſticos neceſſarios & ad belli opportunitates. *Nam & hoc pacto videbitur potius procurator & adminiſtrator quàm ſuum proprium negotium gerere. Dum namque fingit, quicquid pecuniæ ad ſplendorem familiæ exigit, id fieri Reipubl cauſâ, cujus interſit, caput ejuſdem peregrinis ſplendorem & pompam exhibere: ſingula videbitur Reipubl. gratiâ facere.* Abſtinere ergò debet à nimiâ profuſione & quidem eâ, quæ in privatam luxuriam & non in totius Reipubl. ſplendorem fit. *Nam ſumptus facere in ſcorta & peregrinos homines luxuriæ inſervientes commovet maximam iram ſummumque apud ſubditos odium: ſæviunt enim & iraſcuntur ſubditi, quando vident, ſe quicquid laboribus aſſiduis tenuiter & parcè vivendo acquiſiverunt, cogi tyranno dare, ut ita temerè profundat, & viliſſimis hominibus largiatur.*

5. Alterum everſionis tyrannidis potiſſimum principium eſt, quòd tyranni ob vitia ſua in odio & contemptu ſint. Virtutes ergò ſimulandæ, vitia diſſimulanda, eo modo, quo diximus *membr.* 1. *art.* 2. *h. c.* ut videatur rex qui tyrannus exiſtit. *Simulabit ergò tyrannus.* 1. pietatem. *Nam pietatem comitari cætera virtutes ſolent, ut adeò ſi pius videatur tyrannus omnes quoque reliquas virtutes habere, & ſervans legum eſſe exiſtimetur. Nam minus timent, inquit Ariſtoteles, ſubditi, ne quid ſibi incommodi præter leges importetur, ſi principem religioſum eſſe, & metu deorum contineri & deos curare exiſtiment. Conducit etiam hypocriſis tyranno ad hoc, ne cenſeant ſubditi, ſe poſſe quicquam adverſus hunc obtinere. Nam qui faventem Deum habet, adverſus eum fruſtrà & planè infeliciter motus ſuſcipiuntur; fortunâ*

enim

enim proſperâ ſuperior exiſtit. & ita, ut rurſus loquitur Ariſtoteles, minus ad inſidias ſe conferunt ſubditi tyranno comparandas, tanquam deos habenti belli ſocietate conjunctos. 2. prudentiam. *Nam prudentia eſt illa virtus, quâ reges benè imperant. Quapropter tyranni eſt aut ſcientiam rerum civilium ſibi parare, aut prudentum conſiliariorum ope uti.* 3. Juſtitiam, *quæ altera eſt potiſſima virtus imperantium propria. Id quod obtinebit vel unum inſigne ſpecimem hujus virtutis proprium edens; tum etiam, ſi non patiatur locupletes & pauperes ſeſe mutuis injuriis afficere: hoc ipſo enim non modò juſtus videbitur, ſed putabunt tam pauperes quàm locupletes, ſe ſine tyranno defenſore ſalvos eſſe non poſſe. it. ſi ſtudeat ſecuritati viarum, puniendo latrones &c.* 4. Magnanimum; *præ ſe ferendo gravitatem ſine aſperitate; id quod obtinebit, ſi hoc agat, ut qui cum eo loquuntur & converſantur eum non metuant nec horreant ſed vereantur & pudore proſequantur. Quod ipſum ex doctrinâ de pudore, quæ in ſcientiâ civili tradenda eſt, hauriendum eſt. add. tradita part. 3. lib. ult. c. 2. membr. 5.* 5. Magnificum. *Idque obtinebit exornando urbem ædificiis & mœnibus, licet id faciat non de propriis ſed publicis pecuniis: apparebit enim magnificus ut adminiſtrator pecuniarum publicarum, quo ipſo duplicem ob cauſſam amabilis fiet, & quia ſcit, quinam ſumptus ſingulis rebus conveniant, & quia ſe adminiſtratorem boni publici exhibet.* 6. Humanum & affabilem. *Id quod obtinebitur, ſi nobiles & præcellentiores ad congreſſus admittat, plebem autem populari oratione quandoque mulceat. Videbitur enim ita imperium regio ſimilius tanquam non in humiles & abjectos, ſed homines liberalioris ingenii.* Contrà diſſimulabit tyrannus vitia, quibus vel odium vel contemptum incurrit. *Faciet ergo contrarium ejus, in quo communiter tyranni peccant, exiſtimantes ſibi omnia licere, nim. ut non modò per integros multos dies in luxuriâ & comeſſationibus vivant, ſed & ſuarum libidinum conſcios omnes reddant, quò tanquam felices & fortunati iis fiant admirabiles: dico contrarium hujus obſervandum eſſe, temperandumque voluptatibus, aut, ſi id per intemperantiam fieri nequeat, occultandas illas eſſe, ne in oculos hominum incurrentes contemptum tyranno gignant. Quin non modò hoc ipſo contemptum fugiet tyrannus, ſed etiam præſcindet occaſionem inſidias ſtruentibus. Incauti namque ſunt luxurioſi: Incauti autem occaſionem præbent ſui invadendi.* Nam neque is qui ſiccus ac ſobrius eſt impreſſionem facientibus patet, aut dignus eſt qui contemnatur; neque is qui vigilat atque excubat; ſed is qui dormit. *inquit Ariſtoteles.* Nullum etiam contemnet aut injuriâ ſeu reali ſeu verbali afficiet tyrannus; idque cumprimis obſervabit circa eos, qui honorum cupidi ſunt. *Nam quemadmodum divitiarum cupidi valdè dolent, ſibi injuriam inferri circa*

pecunias: ita vehementiſſimè dolent honorum ſtudioſi, ſe ignominiâ affici. Quòd ſi verò quis vel pœnâ ignominiam inferente vel pecuniariâ afficiendus eſt, ſimulandũ nec ex avaritiâ nec ex cõtemptu id fieri, ſed provenire ex paterno animo caſtigandi. Sin etiam contigerit, quem ignominiâ affectum eſſe, uberiori honore compenſandum eſt. ut docuimus part. 3. lib. ult. cap. 3. artic. 4. A contemnendis hominibus tyrannus etiam uxorem, liberos & omnes ſuos familiares abſtinere debet. *Nam quod hi committunt, in ipſum tyrannum redundat. unde ob uxorum contumelias multæ trannides interierunt. teſte Ariſt. 5. polit.*

6. Ejuſmodi tyrannus diu exercens tyrannidem non perfectè malus videtur remanere poſſe. *Nam qui multas virtuoſorum proprias actiones edit, licet ſimulatè id faciat; ſucceſſu tamen temporis bonis agendis adſueſcit; vitiaque occultans, licet id faciat imperii firmandi tantùm gratiâ, dediſcit tamen mala agere. Quapropter eum Ariſtoteles dimidiâ parte bonum, dimidiâ malum eſſe dicit.*

MEMBR. III.

DE RATIONE STATUS OLIGARCHICA.

1. *Primum motûs principium in oligarchiis præbet diſputatio de fundamento Jure nim. diſtributivo: dolentque & ſtomachantur excluſi ab imperio præſertim duriter à divitibus tractati. Quòd ſi ergò oligarchici inhærere velint ſuæ opinioni & nihil remittere, ſed ſibi omnia ſuperiora ſumere, cæteris nihil honorum relinquere, nullus alius conſervandi ſtatum modus eſt, quàm inhibere diſputationes de ſtatû ſub graviſſimis pœnis, ut generaliter de conſervatione ſtatûs diximus. Satius tamen ſemper eſt tutiſſimam viam eligere & de vitioſitate formæ quid remittendo cauſſam conquerendi de injuſto iudem adimere quàm relinquere.* Ne ergò pauperes in Oligarchiis conqueri poſſint, ſe excluſos ab imperio, mandandi his quoque ſunt magiſtratus lucroſi, tales tamen, qui ad ſummam imperii non ſpectant. *Nam contenti erunt pauperes, ſi & honoris quiddam & ex eodem præterea lucrum captent. Nec novum eſt, alicui magiſtratum mandari cum honore & lucro conjunctum, qui tamen nihil gerendum habeat ad rempubl. faciens: ita enim Conſules Romani maximo honore gaudebant, adeò ut & ipſi imperatores conſulatum nonnunquam ſubirent: nihil quicquam tamen poteſtatis habebant. Quapropter videtur cauſſa conquerendi pauperibus & ſtomachatio omnis adimi poſſe, ſi divitibus mandetur magiſtratus magnâ cum curâ & ſollicitudine, pauperibus cum honore & lucro conjunctis & ſine onere atque laboribus.*

2. Temperanda quoque eſt divitum voluntas ex inordinatis ipſo-

tis ipſorum moribus reſultans, ne ignominiâ & injuriis verbalibus realibusve ſubditos afficiant. *Nam hanc tutiſſimam viam ſuperius eſſe diximus, cùm de ratione ſtatûs in genere ageremus. Compeſcuntur autem divitum mores & immutantur vel legibus vel educatione (hi namque duo modi ſunt perverſos alicujus mores emendandi) legibus, ſi ita ferantur, ut graviores pœnæ conſtituantur in divites divitumque liberos auſos ignominiâ & injuriâ afficere ſubditos, quàm in pauperes ſe mutuò lædentes. Cumprimis autem prohibendum eſt omne injuſtum pauperum facultates lædens. Nam patiuntur tandem pauperes ſe vilipendi: at lædi etiam in bonis ſuis ipſis intolerabile eſt. Cùm autem plus perficiat educatio legibus: danda eſt opera, quò à teneris divitum liberi parentibus in imperio ſucceſſuri ita educentur. Optima itaq; ratio eſt ſtatum oligarchicum conſervandi divitum liberos oligarchicè educari. Eſt autem ea educatio oligarchica, non quâ divitum liberi diſcunt pauperes contemnere & ſupprimere, ſed quâ ducuntur ad hoc, ut ab omni contemptu & ignominiâ abſtineant. Sic enim moderato Jure oligarchico, quod in voluntate divitum conſiſtit, ceſſabunt quæ ſuperius tradebamus ex jure oligarchico damna oriri. Sed cùm contrarium communiter obſervetur & divites ſuorum liberorum felicitatem in hoc conſiſtere exiſtiment, ſi ex ignominiâ pauperum lætentur, eoſque ſupprimant; etiam educationem ita faciunt: ſed hoc pacto ſtatum omnem ſuum evertunt.*

3. Ex virtutibus ſimulanda eſt præ cæteris magnificentia & liberalitas; ex vitiis diſſimulanda avaritia. *Erunt namque divites in admiratione apud pauperes, ſi in honorem Dei ſplendida exſtruant templa; in amore, ſi liberales videantur. Maximè autem fugere avaritiam divites debent, ne pecuniam publicam furentur, aut ex magiſtratu, quem gerunt, diteſcere ſtudeant. Nam pauperes non æquè indignè ferunt, ſe excludi ab honorum ac à divitiarum participatione. Quo enim quis indiget, id quammaximè appetit: Si itaque videant pauperes indigentes nummis, ſe eoſdem ex magiſtratu acquirere poſſe: non quieſcent niſi illius participes redditi. Contrà magiſtratibus ſterilibus exiſtentibus, lætabuntur, ſi ſuis rebus ſupereſſe & ad vitam neceſſaria acquirere poſſe. Difficultas autem maxima in oligarchiis ſeſe offert; quia difficile eſt medium ſervare & virtutem obtinere: aut enim divites qui præſunt reipubl. avari exiſtunt aut prodigi; ſi avari ſint & pecuniam publicam ſuffurentur, motus pauperum excitant; ſi prodigi exiſtant, patrimonium ſuum profundentes, ut tandem cenſu definito deſtituti excludantur à participatione imperii, ipſi rebus novis ſtudent. Tantum ſcil. incommodorum infert virtutum neglectus. Poſito tamen, cives ad virtutes non educari nec curam harum haberi, alia ratio non ſupereſt, quàm ut operationibus malis hominum bonis legibus occurratur. Ne ergò divites avaritiam exercentes pe-*

cuniam publicam in ſuos uſus convertant; ſalutare eſt, pecuniam publicam magiſtratum ineuntibus publicè & in conſpectu civium cunctorum tradi rationumque exempla per curias & tribus ſervari. Iis qui magiſtratum benè geſſerunt & bona publica optimè adminiſtrarunt honores legibus decerni. *Et quia ſeditiones etiam ſuboriuntur, ſi divites potentes fœnus improbum exerceant: conducit ſtatui oligarchico conſervando legem ferre prohibentem in mutuo omnes uſuras, vel quantitatem earundem ita definientem, ut modicæ ſumantur. Nam ſi divites egentium neceſſitatibus ſine uſuris ſubveniant, benevolentiam ſingularem ſibi conciliabunt.*

4. Et quia in ſpecie Oligarchiæ intereunt ob contentiones divitum inter ſe, dum oligarchia oligarchiæ inſeritur, conducit pro ſalute oligarchiæ ſervare æqualitatem & popularitatem inter divites. *Nam ſervatâ æqualitate & cultâ amicitiâ tali, qualis inter æquales eſt, querelæ omnes & contentiones inter divites ceſſabunt: nec dabitur pauperibus occaſio quid machinandi contra divites: quam aliàs rixæ earundem largiuntur. Quapropter oligarchiæ ſalutares erunt leges democraticæ divitibus applicatæ. Uti namque fundamentum legum democraticarum eſt æqualitas: ita debet eſſe earum quæ divitibus in oligarchiis præſcribuntur. Lex ergò eſto:* breves v. g. ſemeſtres ſunto magiſtratus: *quò ſcil. omnes qui divites ſunt magiſtratuum ſint participes. Nam hoc ipſum quoque in democratiis ita ſervari ſolet. Habebit hæc lex & alium uſum, nim. ne exiſtere poſſit præpotentior invadens tyrannidem. Nam diuturnitas magiſtratuum præbet iis, qui cæteris ditiores & potentiores ſunt, occaſionem tyrannidem invadendi. Adeoq; non ob unam cauſſam magiſtratus breves eſſe debent in oligarchiis.*

5. Conducit etiam divitum imperio terrores incuti & divites qui in imperio ſunt perpetuo metu detineri. *Nam hoc ipſum reddet divites vigilantes & ne per ſuam negligentiam & incuriam præbeant pauperibus occaſionem nova moliendi & imperium excutiendi. Cùmque metus ſit affectus natus ex phantaſiâ imminentis mali: fingendum ſemper erit magiſtratibus, qui præſunt, ea quæ longè remota ſunt præſentia: quò cæteri divites, qui in conſilio ſunt, perpetuò ſuas curas impendant conſervationi Reipubl.*

6. Contentionibus omnibus divitum & potentiorum maturè obviam eundum eſt. *Nam principiis & initiis parvis obſtandum, nimis ſerò paratur medicina, ſi jam invaluerint. Fit autem hoc, ſi lites potentiorum fortè fortunâ ſuborta ſtatim per arbitros componantur, & cæteri partibus acceſſuri inhibeantur.*

7. Ne etiam ex accidenti oligarchia tranſeat in democratiam

tiam, ſi præfinito cenſu augeantur facultates fiatque ſtatus democraticus: conſultum eſt vel quotannis vel tertio, quarto, quintove anno cenſum inſtituere & perluſtratis civium bonis edicere cenſum, ejuſque magnitudinem definire, retentâ proportione eâ, quæ initiò fuit obſervata.

8. Si accidat præter ſpem, unum quendam & amicorum & pecuniarum copiis & magnitudine cæteris prævalere, quod quando contingit, oligarchiæ in tyrannides tranſire ſolent, oſtraciſmo adhibito, jubendus eſt aliquandu extra civitatem eſſe. *Nam cùm durum ſit innocentes è medio tollere: periculoſum tamen ſit, ejuſmodi viros in civitate verſari: decet quidem mediantibus legibus præcavere, ne accidat, ut unus aliquis cæteros omnes potentiâ ſuperet: ſed ſi præter ſpem nihilominus contigerit tale quippiam: ex neceſſitate ad hoc recurrendum eſt medium. At quomodo occurritur huic malo? nimirum ita, ſi proſperâ fortunâ & nimiâ felicitate ferocientes arceantur à magiſtratibus præſertim majoribus, ſed hi potius committantur reliquis minori felicitate utentibus.*

9. Cæterùm quod in tyrannide frequentisſimum eſt, ut petatur ipſum corpus imperantis, id non æquè facile eſt factû in oligarchiis: *Omnes enim divites ſimul è medio tollere uno tempore clandeſtinis artibus vix perfici poteſt. Sed faciunt divites hac in re ſui copiam, quando in ſenatu magno ſunt i. e. deliberandi cauſsâ de rebus maximi momenti uno in loco convenerunt. Quapropter decet eos tunc temporis vigilare & locum ubi convenerunt magnis præſidiis firmatum habere.*

MEMBR. IV.

DE RATIONE STATUS DEMOCRATICA.

1. *Primum motuum principium eſt in democratiis fundamentum injuſtum, nimirum æqualibus æqualia tribuenda, omnes autem eſſe æquales: ſtomachantur enim divites ſe æquales reputari pauperibus. Sed æqualitas facilius toleratur quàm inæqualitas: ferre enim, ut & alii imperent indigni, quàm ut excludaris ab imperio tolerabilius eſt.* Quòd ſi autẽ divitibus favendum, quò prærogativam habere videantur; excogitandi ſunt magiſtratus nihil poteſtatis habentes, cum magno tamen ſplendore & apparatu conjuncti: *Ita quippe præ pauperibus divites ſingulare quippiam obtinebunt, republicâ tamen manente ſalvâ: præſertim ſi hos gerentibus imponatur neceſſitas multas impenſas faciendi.*

2. Secundum principium turbarum in democratiis eſt perverſa voluntas plebis imperantis, omnia in detrimentum & everſionem divitum facientis. *Nam plebs bellua quædam eſt multorum capitum*

pitum. Quapropter neceſſe eſt, ut huic perverſæ voluntati obviam eatur vel legibus vel bonâ educatione; legibus quidem graviſſimâ pœnâ conſtituentibus in pauperes divitum bonis inſidias ſtruentes. Et ſi divites enervandi ſunt, callidè id fieri poteſt offerendo ipſis magiſtratus cũ onere impenſarũ faciendarũ conjunctos, velut in ludos & ſpectacula. Omniũ autẽ optimũ mediũ adverſus mala hæc democratiæ eſt educatio democratiæ conveniens. Nã quales cunq; feras leges, niſi cives fuerint à teneris adſuefacti, ultrò hiſce parere, nihil perficies ſalutare Reipubl. Non verò exiſtimandum eſt, hanc eſſe educationem democratiæ convenientem, ſi pauperum liberi imbuantur odiis erga divites & inſidiis faciendis bonis & facultatibus eorundem, vivantq; prout libuerit. Taliter enim educationẽ faciunt qui finẽ democratiæ habent libertatem, eamq; definiunt facultatem faciendi quod cuilibet lubet. Ita ergò educandi ſunt liberi pauperum, ut adſueſiant legibus convenienter vivere. *Conducit quoque democratiis, ne voluntate nudâ pauperum & plebejorum hinc inde nutante & variabili, ſed legibus magis, callidisq; artibus eò flectere animos pauperum ut ut agriculturæ dent operam, aſſignatis iisdem ex liberalitate vel etiam leviori precio venditis & diſtractis agris. Nam hoc pacto laboribus irretiti, dum otiari nequeunt, legibus imperium paulatim concedent, & à peſſimâ democratiâ abibitur.*

3. Et quia præcipuum motuum principium in democratiis ſunt demagogi ſeu tribuni plebis, qui vel ipſi tyrannidem invadunt, ſi bellicoſi homines ſint, vel blanditiis ſuis trahunt plebem, ut omnia faciant in perniciem divitum: danda cumprimis opera eſt, ut tribuni eligantur homines modeſti, legum tenaces & qui voluntatem plebis inordinatam temperare valeant. *Nam cum voluntas plebis immoderata formam democraticam evertat, temperamento indiget, cujus effectores tribuni plebis eſſe poſſunt.* Videtur & ſalutare ſtudium eloquentiæ exterminare & odium huic conciliare, nec admittere, ut tribuni plebis eligantur eloquentiâ imbuti, niſi modeſti & legum tenaciſſimi ſint. *Nam eloquentiâ præditi trahunt plebem in quascunq; partes.* Lex quoque ferri debet, ne quisquam potens & artis militaris peritꝰ tribunus plebis creetur. *Nam ſi imbelles & impotentes homines huic muneri præficiantur, præripietur occaſio invadendi tyrannidem.* Conſultũ etiam videtur, tribunos initio ſui officii jurejurando obſtringi & ita cogi jurare, quod nolint quicquam in perniciem divitum moliri. *Nam ita non facilè audebunt contra divites quicquam ſtatuere, nec plebs eos velut perjuros audiet.*

4. Spectat tamen ad tribunos excitare plebem, ut vigilet & ſui ſtatûs conſervandi curam habeat. *Nam plebis incurioſitas occaſionem præbet divitibus imperium invadendi. Fingere ergò pericula*

debent

debent ubi nulla ſunt, quo plebs in perpetuo metu & terrore detineatur.

5. Salutare autem & huic formæ eſt magiſtratus non diuturnos eſſe. *Nam cùm ſtatus democraticus poſitus ſit in quâdam æqualitate: omnes verò ſimul imperare & magiſtratu fungi nequeant: (quis enim pareret?) magiſtratus deferendi ſunt non diuturni, quò ita ſucceſſu temporis omnes magiſtratûs participes fiant. Conducit deinde & hoc, ne unus præpotens diu magiſtratu fungens anſam arripiat invadendi tyrannidem. Quòd ſi autem contigerit, alicujus potentiam honoribus ſupra modum auctam eſſe, paulatim eadem & per minima procedendo imminuenda erit. Nam violenta ablatio parit tumultus.*

6. Si exiſtant potentes & feroces apti ad tyrannidem invadendam, vel ſupprimendi ſunt vel oſtraciſmo coercendi. *Nam oſtraciſmus, quo jubentur qui potentes ſunt extra civitatem aliquandiu eſſe, ad id inventus eſt, ne opus ſit vitam adimere præpotentibus & Reipubl. formidabilibus. Supprimuntur autem qui præ cæteris felices & fortunati potentéſque ſunt, ſi nullis præficiuntur muneribus, ſed ab his excluduntur. Contrà magiſtratus minus potentibus mandantur.*

MEMBR. V.

DE RATIONE STATUS FORMARUM QUÆ SALUTEM SUAM IN LEGIBUS FUNDATAM HABENT.

1. *Diximus ſuperius, circa vitioſas formas rem optimè geri, ſi legibus potius committatur imperium, quàm ſolis hominibus: unde & deduximus ſpecies Oligarchiarum & democratiarum à peſſimis & vitioſiſſimis abeuntes. Sed quia & legibus ſui defectus inſunt: differendum eſt & de his quæ jubet ratio ſtatûs obſervare, quò legum ſua maneat auctoritas.*

2. Quò ergò leges in vigore maneant, ſalutare eſt, ſingulos magiſtratus initio officii in leges jurare, *ſe nimirum earum cuſtodes exſtituros nec latum unguem uſq; ab iiſdem receſſuros eſſe; Daturosq; operam, ne interpretando quiſque ſibi leges aptas faciat, ſed ſuos potius mores ad eas accommodet.*

3. Ne verò magiſtratus interpretationibus ſophiſticis vel extendẽdo trahant leges ad caſus, ad quos nullâ rectâ ratione accõmodari poſſunt, aut reſtringendo limitent eaſdem, ubi limitandæ non ſunt, aut etiam affingant iiſdem ſenſum, quem habere nequeunt: conſultum eſt vel collegio pontificum ſacra tractantium vel prudentibus quibuſdam & ſapientibus hominibusque ſpeculativæ

vitæ deditis & à vitâ civili alienis interpretationem committere, & jubere magiſtratus horum conſiliis uti, ſi fortaſſe obſcuritas quædam legum obveniat. *Nam hi non immixti negotiis ſtatûs ſecundum conſcientiam & ſine affectibus leges interpretabuntur; præſertim ſi jurejurando adſtringantur ad interpretationem legum ſecundum conſcientiam faciendam.*

4. Authenticam autem interpretationem, quæ adhibetur quando prudentes, qui ipſi poteſtatem ferendarum legum non habent, nullum ſenſum eruere valent, penes totum populum eſſe conveniens eſt. *Nam uti totius populi conſenſu leges ferri Reipubl. cuivis tranquillitatem parit: ita & conveniens eſt, authenticam interpretationem penes omnes eſſe. Si enim parti prævalenti relinquatur, in oligarchiis divitibus, in democratiis plebi: redit imperium ad perverſam voluntatem imperantium diſſidia & contentiones, diſſociationemque civitatis gignentem.*

5. In omnibus ergò formis vitioſis non modò oligarchiis & democratiis ſed & monarchiis emendatur vitioſitas & redduntur ſtatus diuturniores, ſi quantum fieri poteſt, cuncta legum imperio committantur. *Nam quò magis leges imperant, eò minus odii & invidiæ in imperantes redundat: redduntur quinetiam qui in imperio ſunt minus imperioſi & ita civibus magis tolerabiles. Quapropter conducit in hiſce formis quamplurimas habere leges.*

MEMBR. VI.
DE RATIONE STATUS MIXTARUM FORMARUM.

1. Mixtæ formæ hominibus ſalutares ſunt; *quia quod in democratiâ pauperibus, in oligarchiâ divitibus conducit, hoc ſumitur & miſcetur:* vix tamen mixta forma introduci facilè poteſt, aut ſi introducta ſit diuturna exiſtit, *Nam in omnibus civitatibus inter ſe pugnant quantum & quale: quantum voco pauperes, qui non niſi numero prævalere poſſunt; quale, eos qui virtute & potentiâ divitiarum externorumq; amicorum plurimum poſſunt. Plerumque autem prævalet vel quantum vel quale; & quod prævalet prædominari alteri parti nititur, nec mixtionem aliquam perfectam admittit. Hinc Tacitus 3. ann. 33.* Cunctas nationes & urbes populus, primores, aut ſinguli regunt; delecta ex his & conſtituta *i. e. mixta* Reipubl. forma laudari facilius quàm evenire, vel ſi evenit haud diuturna eſſe poteſt; *quia ſcil. facilimè contingit, aliquam partem prævalere.*

2. Ratio

2. Ratio ergò ſtatûs jubet collatis invicem quanto & quali convenienter & ſecundum potentiam utriuſque mixtionem facere, ut ſcil. prævalente quanto ſtatus paulatim ad democratiam; prævalente quali, ad oligarchiam inclinet, utrâque æqualium virium exiſtente, perfecta mixtio fiat. *Nam niſi ita fiat, ſemper pars prævalens movebit videns, ſe nullâ prærogativâ gaudere.*

3. Diuturniores autem ſunt ſtatus populares, propendentes ad democratiam, ariſtocratiis ſeu formis ad oligarchiam inclinantibus. *Nam & quod numero ſuperat potentius eſt, quàm quod quali; quia numerus manet; virtus, fortitudo nim. ſæpè luxuriâ & voluptatibus labefactatur, amici deficiunt, divitiæ per adverſam fortunam diſpereunt. Unde in mixtis formis conveniens erit rationi ſtatûs, quantum fieri poteſt, favere quanto: diuturniorem namque hoc pacto formam exiſtere neceſſe eſt.*

4. Conſtitutâ aliquâ Republ. mixtâ & ex ſimplicibus formis delectâ, maxima cura civium habenda eſt, ut legibus ſtrictè pareant, ne vel minimum in legibus ſervandis negligatur. *Nam ſi à minimo abitum ſit, ſtatim deviatum à medio eſt & datur anſa longius evagandi: unde vel ad oligarchiam vel ad democratiam abitur.*

5. Plurimum autem in mixtis formis valet τὸ μικρὸν: *ſtudent enim qui prævalere nituntur in minimo progredi, exigētes ſibi cōcedi, quod primo intuitu exigui momenti videtur; dehinc huic paulatim addunt, donec ſucceſſu temporis integer ſtatus mutetur: quemadmodum enim nemo animadvertit lapidem cavari à guttâ, ſed elapſu temporis cavatum quilibet videt: ita contingit in Rebuspubl. potiſſimum mixtis mutationem non ſentiri ſed ſtatum mutatum eſſe.* Ratio ergò ſtatûs exigit in mixtis formis τὸ μικρὸν obſervare nec negligere. *Niſi enim hoc fiat, occultè ſerpit ac ſe inſinuat legum violandarum atque inſtitutorum civitatis negligendorum conſuetudo. Quemadmodum totum patrimonium parvi ſumptus exhauriunt ſi ſæpè fiant. Non apparet autem mutatio; quia non profunditur univerſa familia: decipitur enim ab iis rebus mens, tanquam falſo quodam ſyllogiſmo; cujusmodi eſt ſophiſtica ratio: Si unumquodque parvum eſt: ergo & omnia: hoc autem eſt, ut ſit verum, eſt ut non ſit. Totum enim & omnia non ſunt parva ſed ex parvis componuntur. Huic igitur principio ſtatim opponenda cuſtodia & cautio eſt. verba ſunt Ariſtotelis 5. politic. cap. 8.*

6. *His in genere præmiſſis, conveniens eſt de ſingulis ſpeciebus mixtarum formarum quid ſubjicere.*

tutis ſed magis gloriæ aut lucri cauſsâ id facere ſolent: unde horũ æmulationes magis lucri & gloriæ, quàm ipſius virtutis augendæ gratiâ ſunt, & proinde pernicioſæ, ut in præcedd. docuimus. Quapropter propriũ ſuũ commodũ perpẽdentes virtuoſi æmulationes pravas ſeponere, & tanquã omnes virtute pares inter ſe vivere debent, ſcientes, dum alter alterum præ ſe contemnit & ſupprimere laborat, omnium au&oritatem vileſcere. *Conducit autem pro hoc obtinendo, virtuoſis ſemper ob oculos ponere mala ex pravis æmulationibus naſcentia, & pericula inde imminentia. Hoc pacto inter Veſpaſianum & Mucianum concordiam aluiſſe Titum filium Veſpaſiani teſtatur Tacitus 2. Hiſt. 5. quando ait:* Cæterum *Mucianus* Syriæ, *Veſpaſianus* Judææ præpoſitus, vicinis provinciarum adminiſtrationibus invidiâ *(æmulatione)* diſcordes, exitu demum Neronis, poſitis odiis in medium conſuluêre, primùm per amicos, dein præcipua concordiæ fides Titus prava certamina communi utilitate aboluerat.

ARTIC. II.
DE
RATIONE STATUS NOBILIUM IMPERANTIUM.

1. Nobilium Rempubl. conſervant. 1. ſi virtutibus & ſufficientibus divitiis inſtructi à dignitate patriciatûs non excludantur. *Nam ita plebeji magis quieſcent ſcientes, ſe non planè à participatione imperii excludi; ſed datâ pecuniâ ſe dignitatem generis, ex quâ æſtimatur aptitudo conſequendi honores & munera in Republ. conſequi poſſe. Salutare itaque eſt, legem ferri, ut quilibet benè meritus de patriâ & ſufficientibus divitiis inſtructus in numerum nobilium ſeu patriciorum recipiatur.*

2. Vitare quoque nobiles debent differentias familiarum, ne altera alteram præ ſe contemnat, ſed æqualitas ſervetur. *Nam quod de divitibus diximus, interire oligarchias, ſi inter ſe diſſideant & oligarchia oligarchiæ inſeratur; id quoque locum habet, ſi nobiles, qui præſunt, inter ſe concordes non vivant, nec æqualitati ſtudeant.*

3. Quammaximè verò hoc agere debent, ne quenquam plebejorum contemnere videantur. *Nam odium, quod parit invidia, augetur, ſi præterquam quòd videant homines, ſe ab imperio excluſos perpetuò parere cogi, etiam contemnuntur.*

4. Salutare etiam eſt Reipubl. huic, id agere, ne familiæ nonnullæ ſupra modum diteſcant, neve etiam ita facultates imminuantur, quò minus ex dignitate familiæ vivere queant. *Nam ſi aliqua familia ſupra modum diteſcit, metuenda tyrannis eſt, ſi verò in pauperta-*

pertatem conjiciatur, timendi tumultus. Videtur verò pro bonis nobilium in debito ſtatû conſervandis conducere legem circa ſucceſsiones facere modò admittentem omnes filios ad ſucceſſionem, modò excludentem nonnullos v.g. eousque quousque ſinguli 50000. conſequi poſſunt, cæteros à ſucceſsione excludendos; ſin unus filiorum plus 50000. conſequatur, admittendas ad hereditatem quoque eſſe filias & ex numero agnatorum vel cognatorum debitâ bonorum quantitate deſtitutos.

5. Circa matrimonia hæ leges videntur conducere, ut quidem nobili conceſſum ſit plebejam ducere uxorem. *Nam hoc pacto cum plebejis affinitas juncta arctiorem reddet nobilium & plebejorum amicitiam.* At ut plebejus ducat fæminam nobilem, prohibitum eſſe debet. *Nam fœminæ nobiles per ſuperbiam alliciunt plebejos maritos ad faciendas ſeditiones & invadendam nobilium dignitatem.*

6. Nobilium porrò liberi non ad luxuriam, voluptates corporis & mollitiem, ſed ad bellicos labores educandi ſunt. *Nam luxuria & mollities contemptum iiſdem parit.*

MEMBR. VII.

DE RATIONE STATUS MONARCHICA.

1. *Quæ ſit ratio ſtatûs tyrannicæ & quibus modis tyrannides conſervandæ, ſuperius tradidimus: ſequitur, ut de ratione ſtatûs monarchicâ diſſeramus:* differunt autem monarchiæ à tyrannidibus, quòd hæ nil aliud ſint, quàm dominationes & herilia imperia in liberos homines & proinde merè injuſtæ; illæ verò juſtæ & in volentes. *Nam regnum barbaricum licet, in herili imperio conſiſtat, juſtum tamen eſt & naturale; quia homines barbari & ſerviles alio regi imperio nequeunt. Laconicum regnum fundatum in legibus juſtum eſt; æſymneticum, quamvis ex neceſſitate ſit, non tamen in nolentes eſt. Heroica autem regna, quæ certæ alicui familiæ ob benè merita conferuntur præ cæteris ſunt juſta, & ſe habent ad regnum optimum & perfectiſſimum, quemadmodum ariſtocratiæ communes ad illam optimam ariſtocratiam, in quâ optima Reſpublica conſiſtit. Nam optimus rex omnibus virtutibus inſtructus eſt. monarchæ, de quibus hic agimus, unâ vel alterâ, Juſtitiâ nim. & fortitudine.*

2. Monarchiæ nullâ ſtomachatione nullâ invidiâ laborant. *Nam omnes monarchiarum ſpecies in volentes exercentur: & hoc ipſo à tyrannide differunt. Id enim patet ex iis, quæ ſuprà de regno barbarico, Laconico, æſymnetico & heroico diximus. Heroicum autem etiam in jure*

diſtribu-

diſtributivo naturali fundatum eſt: quia confertur alicui familiæ ob virtutes & benemerita.

3. Exiguam proinde in hiſce, & cumprimis in Heroicis regnis vim habet ratio ſtatûs. *Nam heroica regna ex ſe ſatis firma ſunt & in jure optimo fundata, meritis ſcil. erga Rempubl. à virtute provenientibus, ut adeò non ſit quòd ad externa & accidentalia recurratur conſervantia: modò lege aut conſuetudine ſatis firmiter conſtitutum ſit, ad quosnam ex familiâ tranſire imperium debeat, ne contentiones oriantur circa ſucceſſionem in regno: modò etiam reges & principes curam habeant educationis liberorum, quò à teneris adſueſiant pietati, prudentiæ, Juſtitiæ, magnificentiæ & ſimilibus virtutibus. Quod enim precabatur Tiberius à dîs, ut ſibi ad finem uſque vitæ quietam & intelligentem humani divinique juris mentem darent lib. 4. annal. 38. hanc ut educatione conſequantur liberi, heroes operam dare debent, cumprimis autem, ut diſcant à teneris judicare de conſiliis & quæ ſuggeſta à conſiliariis magis ſalutaria eligere. Sæpè namque contingit conſiliarios ambitioſos cæterorum optima conſilia eludere & ſua inculcare principibus accipienda, omnisq; egregii conſilii quod non ipſi attulerunt, inimicos exiſtere 1. Hiſt. 26. fin. Quod juſtitiam concernit, duo diſcenda potiſſimum regum liberis 1. ut norint dignis attribuere officia, ne cogantur toti dependere ab iis, qui pro aliis eadem ambiunt: eſt namque pernicioſum & principi & Reipublicæ alienâ ambitione trahi. 3. annal. 69. 2. ut judicia poſſint exercere & ipſi, ſi quando opus eſt jus dicere.*

4. Reſpectu tamen ſubditorum & diverſorum Reipubl. temporum Ratio ſtatûs varia & diverſa ſuadet. Eſtque regum bonorum ſeſe ſubditorum ingeniis accommodare. *Voco autem accommodare ſeſe ingeniis ſubditorum, quando reges perpendunt, qualiter animati ſint ſubditi, quidque à regibus ſuis boni ſibi optent inquirere, & hujus auctorem exiſtere. Optima ſcil. gubernandi ratio eſt, ſi rex perpendat, quid ſibi fieri vellet eo in loco, in quo ſubditi ejus, poſitus, & hoc ipſis tribuat.* Utiliſſimus *ſcil. principi* idem ac breviſſimus bonarum malarumque rerum delectus, cogitare quid aut noluerit ſub alio principe aut fieri voluerit. 1. *H.* 16. *Sunt autem ſubditi trium generum: alii ſunt planè ſerviles, quales Armenios fuiſſe refert Tacitus* 13. *ann.* 34. *fin. alii liberalis ingenii, alii qui nec totam ſervitutem nec totam libertatem ferre poſſunt. Id Galba quo imperio gubernandi Romani eſſent Piſoni inculcabat teſte Tacito* 1. *H.* 16. *fin. qui verba Galbæ hæc refert*: Neq; enim hîc, ut in cæteris gentibus, quæ regnantur, certa dominorum domus & cæteri ſervi: ſed imperaturus es hominibus, qui nec totam ſervitutem pati poſſunt, nec totam libertatem. *Alii porrò ſubditorum ſunt*

prompti ad bona agenda, alii ſegnes nec facilè juſſa exequentes: in quos proinde diverſum debet eſſe regimen: boni enim laudibus & præmiis, ſegnes exemplo pœniſq; excitandi.

5. Quò porrò reges benè educati conſtantes in ſuis virtutibus permaneant, nullã fidẽ tribuere adulatoribus & pravæ dominationis magiſtros fugere debent. *Hoc Galba ſuũ, quẽ adoptabat Piſonẽ docebat his verbis:* Fidem, libertatem, amicitiam, præcipua humani animi bona tu quidem ſervabis: ſed alii per obſequium imminuent. Irrumpet adulatio, blanditiæ peſſimum veri affectûs venenum, ſua cuiq; utilitas. *i. e. ſuadebunt & ſalutare dictabunt quod cuique utile eſt.* Nam ſuadere principi quod oporteat multi laboris, aſſentatio erga principem quemcunque ſine affectu peragitur. *i. e. aſſentari principi facilè & nullam ſollicitudinem parit. Quapropter boni principis eſt ejuſmodi conſiliarios eligere, qui ſepoſito omni placendi ſtudio qua reverà ſalutaria ſunt ſuadeant. Contrà verò pravæ dominationis magiſtri, qui ex principibus bonis malos, ex malis peiores reddunt procul habendi. Sic Vitellius adventu fratris & irrepentibus dominationis magiſtris ſuperbior & atrocior redditus. 2. H. 63. Ita quoque Veſpaſianus inter initia imperii ad obtinendas iniquitates haud perinde obſtinatus, donec indulgentia fortunæ & pravis magiſtris didicit auſuſq; eſt. 1. H. 84.*

6. Optimum omnium regnorum, prout eſſe poſſunt, ubi virtutis cura haberi nequit, eſt, in quo regis proprium eſt territorium, & propterea Rex in regno eſt, quod paterf. in ſuâ domo. *Nam ejuſmodi reges principeſq; ſuos ſubditos fovent quemadmodum paterfam. eos, quos habet in ſuâ familiâ. Quò plures enim quòque ditiores habet ſubditos, eò ſeſe feliciorem eſſe novit. & non niſi ſtolidus princeps ille erit, qui ſubditos ſuos deſtruit: ut ita in tali principatu nullius mali principium exiſtere poſſit, niſi ſit extremè ſtolidus & imprudens. Præterea, licet princeps ejuſmodi ſummè avarus, crudelis ac ſuperbus exiſtat, nullum tamen propterea jus competere poteſt ſubditis ſtatum immutandi vel principem è medio tollendi: ſed ſi tolerare imperium nequeant, abire ipſis conceſſum erit.*

PARS POSTERIOR CAPITIS SECUNDI

DE RATIONE STATUS IN IMPERIIS CONSERVANDIS ET AMPLIFICANDIS.

1. *Duo ſunt quæ de Ratione ſtatûs imperiorum dici poſſunt. 1. quomodo imperia ſint conſervanda. 2. quomodo ſint amplificanda. Quapro-*

propter & duobus membris abſolvemus quæ hac in poſteriori cap. 2. parte dicenda ſunt.

MEMBR. I.
DE
IMPERIIS CONSERVANDIS.

1. *De conſervatione imperiorum ita dicturi ſumus, ut primo tradamus, quæ ratio ſtatûs ſuadeat in genere; deinde quæ notanda in ſpecie circa principatus & Reſpublicas veniant.*

PARS PRIMA
MEMBRI PRIMI
DE
CONSERVATIONE IMPERIORUM IN GENERE.

1. Principium conſervandi imperia cuncta eſt partim vicinis, partim etiam ſubjectis provinciis terrori eſſe. *Nam ſuperiorem neminem agnoſcimus, niſi terrori nobis exiſtat.*

2. Tria verò faciunt, ut populus terrori ſit aliis populis. 1. Virtus. 2. Potentia. 3. Fortuna, ſi adſint vel adeſſe videantur. *Nam populus his inſtructus concipitur ſuperior reliquis eſſe poſſe. Unde fit, ut populi ceteri partim ſubacti partim alii vicini eum revereantur. Hoc autem obtento, firmum ſatis eſt imperium. Quapropter ut hæc adſint, danda eſt opera, vel ad minimum, ut adeſſe videantur.*

ARTIC. I.
DE
VIRTUTE CONSERVANTE IMPERIA.

1. Virtus triplex imperia conſervat, Fortitudo nimirum, ars militaris & Prudentia. *Nam hiſce inſtructi terrorem aliis incutere poſſumus.*

2. Fortitudo paratur conſervaturque 1. arcendo cives à voluptatibus. *Namque quicquid corrumpit militum mercenariorum fortitudinem; etiam nocet civibus Reipubl. vel principatûs dominantis, qui ſuâ fortitudine vicinis vel etiam ſubjectis provinciis terrori eſſe debent. At omnes hiſtoriæ teſtantur, milites corrumpi voluptatibus & luxuriâ. Tacitus 2. Hiſt. 93.* Miles plenis caſtris & redundante multitudine, in porticibus aut delubris & urbe totâ vagus, non principia noſcere, non ſervare vigilias, neque labore firmari: per illecebras urbis & inhoneſta dictu, corpus otio, animum libidinibus imminuebat. *& 13. annal.* 24. Fine anni ſtatio cohortis aſſidere ludis ſolita demo-

vetur, ut miles theatrali licentiæ non permixtus incorruptior ageret. *Et teſtatur experientia, florentiſſimas civitates, quarum præcipua fuit Roma, ſtatim ac auctæ opibus frui voluptatibus cœperunt uſas quoque eſſe mercenariis militibus harumque cives ignavos eſſe redditos.* 2. pudorem injiciendo, ſi ignaviæ cives ſeſe dedere incipiant. *Nam ut pudore incuſſo à cæteris vitiis, ita & ab ignaviâ deterrentur homines.* 3. æmulationes fovendo. *Nam affectus æmulationis ad virtutes colendas excitat homines. Sic Muciani exercitus, licet in pace ageret, excitabatur tamen æmulatione & ſtudio æquandi laudes exercitûs Veſpaſiani. Tacitus 2. Hiſt.* 4. Sed æmulatio & proximi exercitûs gloria repulerat ſegnitiam.

3. Ars militaris ſummè neceſſaria eſt populo imperare volenti. *Ita enim ait Vegetius l.3. de Re Militari.* Quis dubitat, artē bellicā rebus omnibus eſſe potiorē, per quā libertas retinetur, & dignitas propagatur, provinciæ conſervantur & imperiū? Hanc quondam relictis doctrinis omnibus Lacedæmonii, & pòſt coluêre *Romani & lib.1. cap.1. Nullâ aliâ re* videmus populū Romanum orbē ſubegiſſe terrarū, niſi armorum exercitio, diſciplinâ caſtrorum uſuque militiæ. Quid enim adverſus Gallorum multitudinem paucitas Romana valuiſſet? Quid adverſus Germanorum proceritatem brevitas potuiſſet audere? &c. Sed adverſus omnia profuit tyronem ſolerter eligere, jus (ut ita dixerim) armorum docere, quotidiano exercitio roborare, quæcunque evenire in acie, atque in prœliis poſſunt, omnia in campeſtri meditatione prænoſcere, ſeverè in deſides vindicare. *Nutrit quoque ars militaris confidentiam. Nam nemo facere metuit, quod ſe benè didiciſſe confidit.* Paratur autem ars militaris. 1. ſcientiâ. 2. exercitio eorum quæ ad artem pertinent 3. tolerantiâ variarum moleſtiarum. *Nam hæc duo, ſcientia & exercitatio in omni arte parandâ requiruntur. Datur enim, ut in cæteris artibus, ita & in hac quædam architectonica ſcientia, quam excultam habere debent Duces bellici, quorum ſcientiâ & prudentiâ cuncta reguntur. Et hanc quidem ſcientiam tradere hujus loci non eſt, ſed dabitur aliquando, ſi Deus vitam concesſerit, tempus de hac quid ſcribendi. Nunc quæ ad exercitium & tolerantiam pertinent potiſſimum perſequemur.* Conſiſtunt autem exercitia. 1. in Curſu & ſaltu. *Nam interdum opus eſt impetu in hoſtem, interdum ut celeritate præoccupent loca oportuna hoſtibus eadem capere nitentibus; interdum ut fugientes apprehendant. Saltui adſuefieri propterea utile eſt, quò foſſa tranſiliri vel impediens altitudo celeriter ſuperari queat. Quod ipſum docet & Vegetius lib. 1. c. 9.* 2. In natando. *Non enim pontibus ſemper flumina tranſeuntur, quandoque hoſtis ſecurus ex improviſo*

tranata

tranato flumine invadi poteſt. Quòd profuerit ars natandi, exemplum habemus in Tacito 2. Hiſtor. 35. Cùm enim gladiatores Othonis navibus tenderent ad Inſulam in medio fluminis ſitam; præventi ſunt à Germanis nandi peritis, qui ſub Vitellio militabant. verba Taciti hæc ſunt: & erat inſula amne medio, in quam gladiatores navibus molientes Germani nando prælabebantur. *Ideoque Romani veteres, quos tot bella & continuata pericula ad omnem rei militaris erudierant artem, campum Martium vicinum Tyberi elegerunt; in quo Juventus poſt exercitium armorum ſudorem pulveremque dilueret, ac laſſitudinem curſûs natandi labore deponeret. teſte Vegetio l.1.c.10.* 3. in facultate tractandi equos & aſcendendi deſcendendique, *Neminem enim vel modicâ belli experientiâ inſtructum latet utilitas celeriter & cum armis inſiliendi equos & deſiliendi.* 4. In armorum uſu. *Non enim veſtium nitor, vel auri vel argenti, gemmarumque copiæ hoſtes aut ad reverentiam aut ad gratiam inclinant, ſed ſolo terrore ſubiguntur armorum. Conſiſtit autem uſus armorum 1. in hoc, ut hiſce nos defendamus, 2. ut iisdem hoſtem lædamus. Alia quoque arma ſunt ad hoc comparata, ut iisdem cominus pugnemus, quibus ritè tractandis inſervit ars pugilatoria; alia ut his eminus lædamus hoſtem, quæ diriguntur ad uſum jaciendo: horumque exercitium in eo poſitum eſt, ut tyrones diſcant non fruſtrà jacere. Multum namque peccatur in bello telis in falſum jactis. Quod probè monuit Sabinus apud Tacitum 4. ann. 50. fin.* 5. In portandis oneribus. *Nam in arduis expeditionibus contingit graves ſarcinas quandoq; portandas eſſe. Quod ne difficile ſit uſu facile reddendum eſt.* 6. In muniendis caſtris. *Nam miles in his exercitatus ſemper vallum ſecum quaſi circumfert, ut ſicubi opus ſit, hoc utatur tutus adverſus quælibet pericula imminentia.* 7. In ordinibus ſervandis. *Quid enim exercitum retinet magis ſalvum in prælio quàm ſervati ordines?*

4. Nullâ in arte moleſtiarum variarum tolerantia æquè neceſſaria eſt ac in militari. *Præter labores enim multos, frigoris, caloris, inediæ, vigiliarum moleſtiæ ferendæ veniunt. Hæc tolerantia ut conſervetur, nunquam otioſi relinquendi ſunt rem militarem tractantes. Nam conſuetudo facit, ut nulla moleſtia moleſta ſit: at facilè illa amitti poteſt otio & deſidiâ. Tacitus 1. annal. 16.* Caſtris æſtivis tres ſimul legiones habebantur, præſidente Junio Blæſo: qui fine Auguſti & initiis Tiberii auditis, ob Juſtitium aut gaudium intermiſerat ſolita munia. eo principio laſcivire miles, diſcordare, peſſimi cujusque ſermonibus præbere aures, denique luxum & ocium cupere, diſciplinam & laborem aſpernari. *Quapropter Duces optimi primum omnium de tolerantiâ in militibus gignendâ ſolliciti eſſe ſolent. Elegans exemplum*

nobis exhibet Corbulo apud Tacitum lib.13. ann.35. verba Taciti hæc ſunt: Corbuloni plus molis (*laboris*) adverſus ignaviam militum, quàm contra perfidiam hoſtium erat: quippe Syriâ transmoti legiones, pace longâ ſegnes, munia armorum ægerrimè tolerabant &c. Retentus omnis ab ipſo exercitus ſub pellibus, quamvis hyeme ſævâ adeò, ut obducta glacie niſi effoſſa, humus tentoriis locum non præberet. Ambuſti multorum artus vi frigoris, & quidam inter excubias exanimati ſunt. Ipſe cultu levi, capite intecto, in agmine in laboribus frequens adeſſe; laudem ſtrenuis, ſolatium invalidis, exemplum omnibus oſtendere. *Ex hujus ducis inſignis geſtis diſcimus, optimum medium reddendi milites tolerantes eſſe, ſi ipſe dux exemplo præeat. Hac enim re egregium exhibuit ſpecimen Corbulo ſemper. De quo idem Tacitus* 14. *ann.* 24. Ipſe *Corbulo* exercitusque ut nullis ex prælio damnis, ita per inopiam & labores fatiſcebant, carne pecudum propulſare famem adacti. Ad hæc penuria aquæ, fervida æſtas, longinqua itinera, ſolâ ducis patientiâ mitigabantur, eodem plura, quàm gregario milite, tolerante.

5. Prudētia oſtentata cōſervat itidē imperia. *Nā incutit quoq; terrore partim provinciis ſubjectis partim vicinis imperiis & civitatibus.* Oſtentatur autē prudentia in imperiis 1. ſingularitate conſiliorū. *Nā ſingularis videtur prudentia in eo, qui nō vulgatis conſiliis utitur, ſed talibus, quæ recedunt à communi uſu. Tale fuit Levini Conſulis, cùm intra caſtra hoſtem exploratorem reperiſſet: juſſit enim hunc circumducere & exercitum oſtendere.* 2. In novorum inſtrumentorum mediorumque quibus finis aliquis obtinetur, inventione. *Ita v.g. Hannibal cum ad præalti fluminis tranſitum elephantos non poſſet pellere, juſſit ferociſſimum elephantorum ſub aure vulnerari, & eum qui vulneraſſet, tranſnato ſtatim flumine procurrere: quo facto, Elephantus exaſperatus ad perſequendum doloris ſui auctorem, tranavit amnem, & reliquis idem audendi fecit exemplum. Frontinus lib. 1. ſtratag. c. 7.* 3. traducendo negotia & potiſſimum bellica in eum ſtatum quo commodisſima nobis ſunt, hoſtibus maximè damnoſa. *Ita Fabius Maximus gerens bellum adverſus Hannibalem ſucceſſibus prœliorum inſolentem & vehementem cunctando reſtituit. Sic Themiſtocles adventante Xerxe, cui Athenienſes nullâ ratione pares eſſe poterant, auctor his fuit, ut relictis Athenis ſtatum belli ad navale prœlium transferrent. Ex his patet, veriſſimum eſſe, quod dixit Tiridates apud Tacitum* 15. *ann.* 1. *fin.* Non ignaviâ magna imperia contineri.

AR-

ARTIC. II.

DE POTENTIA QUA CONSERVANTUR IMPERIA.

1. Præcipua potentiæ pars eſt concordia. *Nam debile eſt quicquid diſcordat, & in contemptu. Quia quilibet novit, facilè disjici poſſe quod motibus & diſcordiis laborat. Tale autem terrori non eſt. Malum hoc plurimum nocuit Romanis. Referre proinde hûc lubet quod narrat Livius lib. 2. cap. 44.* Inde ad Vejens bellum profecti, quo undique ex Etruriâ auxilia convenerant, non tam Vejentium gratiâ concitatâ; quàm quòd in ſpem ventum erat, diſcordiâ inteſtinâ diſſolvi rem Romanam poſſe. Principesque in omnium Etruriæ populorum conciliis fremebant; æternas opes eſſe Romanas, niſi inter ſemetipſos ſeditionibus ſæviant. Id unum venenum, eam labem civitatibus opulentis repertam, ut magna Imperia mortalia eſſent.

2. Alterum in quo conſiſtit potentia eſt militia. Eſtque hæc vel propria vel auxiliaris. utraque vel mercenaria vel non mercenaria. *Nam contingit auxiliares nobis jungi vel acceptâ mercede vel communis utilitatis gratiâ.*

3. *Ut autem de propriâ militiâ initium differendi faciamus, quæſtionem enucleabimus, quam tractare politici ſolent, quidnam melius ſit in propriâ militiâ, an uti civibus ſine mercede & legere milites, an datâ mercede eos conducere. Videtur uſum mercenariorum militum confirmare hodierna conſuetudo. Quis enim regum Europæorum aliâ quàm mercenariorum utitur militiâ? Ceteri omnes artis rudes exiſtimantur & ignavi. Contrà Machiavellus c. 10. de Principe arma mercenaria planè rejicit. Et ſanè non omnes rationes ipſius quas affert inanes ſunt. Nam 1. cùm omnia mercenarii milites utilitatis, nihil propemodum honeſtatis gratiâ faciant, quæſtu ceſſante etiam denegant officia. 2. Omnem civium pecuniam abſumunt, eoſque in extremam paupertatem redigi faciunt: cùm contrà ſi ipſi cives verſentur in militiâ, prædam ex hoſtibus lucrentur. 3. Sunt plerumque flagitioſi homines, quibus nulla fides pietasq; ineſt; ſtruentes ipſis, quibus ſerviunt, inſidias; adeò, ut quò major horum ſit copia, eò in majori periculo Reſpubl. exiſtere videatur. Verùm ſciendum eſt, ejusmodi quæſtiones non ita generaliter nullâ habitâ ratione formarum Reipublicæ definiendas eſſe. Nam fortaſſe nonnullis Rebuspubl. conducit nullos admittere mercenarios milites, ponas aliquam formam, in quâ ſinguli cives fortes ſuo ſtatu ſunt contenti, nec imperans à parente quicquam metuendum habet. Quòd ſi verò cives ſint ignavi, acquirendis tamen di-*

vitiis

vitiis dediti, neceſſariò adhibendi ſunt mercenarii milites. Nam diſciplinâ ſeveriori in mercenarios obtineri poteſt, ut juſſa ducum ſtrenuè exequantur & ita præſtent quod à civibus ignavis nunquam obtineretur: his contrà licet in pace vivere & acquirere, unde alantur milites. Verſantur tamē hi cives unà in ſummo periculo, ſi utantur quoq; duce mercenario. Nam hic aut ignavus eſt, & nihil proderit; aut ſtrenuus, & tentabit invadere tyrannidem in manu ſuâ exercitus habens. Conſultiſſimum tamen ſemper eſt in omnibus civitatibus magnum Imperium habentibus, & cives informare à teneris in arte militari, eos, qui fortes naturâ apparent, ſeligendo & exercendo. Nam hi ducti honeſtate & amore erga patriam pugnabunt reverâ fortes exiſtentes & rem bellicam majori cum conſtantia exercentes. Quapropter duces etiam ejusmodi milites gloriâ, qui verò præſunt mercenariis ſpe prædæ concitare ad pugnandum ſolent. Exemplum eſt apud Tacitum 6. ann. 34. quando ait: Cæterum directa acie Parthus imperium orientis, claritudinem Arſacidarum, contràque ignobilem Hiberum mercenario milite diſſerebat. *i. eſt. hortabatur ſuos dicendo, ſeſe pugnare pro orientis Imperio & nobiliſſimâ Arſacidarum familiâ; contrà hoſtem ignobilem omnem potentiam habere poſitam in mercenario milite.* Pharaſmanes integros ſemet à Parthico dominatu *i.e. dux adverſæ partis diſſerebat, ſe nunquam hactenus Imperio Parthorum ſubjectos fuiſſe.* quantò majora peterent *i. e. quò nobiliorē hoſtē aggrederentur,* plus decoris victores, aut ſi terga darent, flagitii atque periculi laturos. ſimul horridam ſuorum aciem, picta auro Medorum agmina; hinc viros, inde prædam oſtendere. *Nec tamen propterea diſſuaderem in totum uſum mercenariorum, licet ipſa civitas habeat exercitatos milites. Nam non facilè in unâ civitate aut uno populo reperiuntur ad omnia negocia bellica feliciter peragenda idonei: ut proinde non ſine ſalute imperii ex variis regionibus etiam conducendi ſint milites mercenarii, & adhibendi ad uſus, ad quos maximè idonei ſunt. Alii enim populi robore alii celeritate magis pollent; alii loca aſpera inrepere conſueti: quorum ſingulorum diverſi & diſtincti ſunt uſus. Variant quin etiam ratione plagarum mundi homines; quia ſeptentrionales ſunt fortiores & frigora ferre adſueti; meridionales callidiores. Quapropter utile erit, ſeligere ad ſingulos uſus præſtantiſſimos ex variis terræ locis, eosque civibus jungere. Nec obſtant incommoda quæ politici allegare ſolent; quia adhibitâ ratione ſtatus facilè his occurri poteſt. Decet enim eum, qui mercenariis militibus utitur, ſeſe accommodare ad mores horum, & ſemper lucri aliquam ſpem oſtendere, nunquam verò admittere, ut tribuni vel centuriones ſtipendia intervertant, aut à gregariis militibus mercedem vacationis (quod Romanis uſitatum fuit) exigant. De quâ*

re

re Tacitus 1. *H.*46.*quando ait*; Flagitatum, ut vacationes *i. e. precia vacationum à muneribus* prȩſtari centurionibus ſolitæ remitterentur. namque gregarius miles, ut tributum annuum *ſeu ordinarium* pendebat. pars manipulis, pars per comeatus, aut in ipſis caſtris vaga, dum mercedem centurioni exſolveret *i. e. modò tantum corraderent quantum centurionibus pro vacatione ſolvendum eſſet*, neque modum oneris quisquam neque genus quæſtûs penſi habebat. *i.e. neque conſiderabant, quanta onera eſſent injuncta, quibusque artibus pecunia quæreretur.* per latrocinia & raptus, aut ſervilibus miniſteriis militare otium redimebant. Tum locupletiſſimus quisque miles, labore ac ſævitiâ fatigari, donec vacationem emeret. *i.e centuriones, quemcunque ditisſimum noverant, ei eò plus laborum injungebant verberibus in eundem ſævientes donec pecuniam ſolveret.* Ubi ſumptibus exhauſtus ſecordiâ elanguerat, inops pro locuplete, inërs pro ſtrenuo in manipulum redibat. Sed Otho ne *prohibendo iſtam mercedem*, centurionum animos averteret, ex fiſco ſuo vacationes annuas exſoluturum promiſit: rem haud dubiè utilem, & à bonis poſtea principibus perpetuitate diſciplinæ firmatam. *Ita dico, dandam operam eſſe, ne tribuni à gregariis militibus pecunias exigant. Sed potius hoc agendum, ut in perpetuâ ſpe lucri detineantur, & ubi cauſſæ bellandi prætenduntur, magnitudo prædæ unà oſtendatur: niſi enim hoc fiat, ſtatim querelas movent, dicentes*, militiam gravem, infructuoſam, *paucis* aſſibus in diem animam & corpus æſtimari. 1.*ann.*17. & 1.*H.*51. *Nec oneratur ſumptibus nimiis civitas, ſi bella in exteris geruntur regionibus, & militibus conceditur poteſtas liberè latrocinandi. Cæterùm in ampliſſimo Imperio omnia mercenariis militibus peragere conſultum non eſt. Romanum enim imperium hoc genere militum everſum nemo ignorat, qui in hiſtoriâ Romanâ hoſpes non eſt.*

4. Nunquam auxiliares copiæ adhibendæ, niſi neceſſitate exigente, & tunc involvendi ſunt bello vicini, à quibus auxilia petimus æquè ac ſi ſuam cauſſam agant. *Nam ſi ſociis danda ſalaria ſunt, facilè contingit Rempubl. planè enervari. Quapropter adverſus hoſtes noſtros incitare debemus eorum æmulos & invidos.*

5. Conſiſtit quoque potentia imperii in hoc, ſi & urbs & regio munita ſit. Eſt verò regio munita, ſi hoſti ſit aditus difficilis. *Quomodo autem hoc perficiendum ſit, hujus loci non eſt dicere.*

ARTIC. III.
DE
FORTUNA CONSERVANTE IMPERIA.

1. Terrori quoque eſt Respubl. aliis civitatibus & provinciis

Aaaaa ſi Deum

ſi Deum videatur habere faventem, & tunc fortunatam eam dicimus. *Nam quæ Respubl. Deo grata eſſe videtur, ſancta & inviolabilis habetur. Hinc fortunatam Rempublicam vel principatum revereri populi ſolent: fortunata enim ea dicitur, cujus actionibus Numen ſuâ benignitate adeſſe videtur. Ita Alexander M. terrori erat cunctis populis non modo ſuâ virtute, ſed & fortunâ. Ita enim de eo refert Curtius lib. 10. cap. 5. n. 35.* Fatendum eſt, cùm plurimum virtuti debuerit, plus debuiſſe fortunæ; quam ſolus omnium mortalium in poteſtate habuit. Quoties illum à morte revocavit? quoties temerè in pericula vectum perpetuâ felicitate protexit? Vitæ quoque finem eundem illi, quem gloriæ ſtatuit. Expectavere eum fata, dum oriente perdomito, aditoq; oceano, quicquid mortalitas capiebat impleret.

2. Videbitur autem ſancta civitas imperans & Deum ſingulariter faventem habere, ſi habeatur in eâdem locus ſingulari modo ſacer. *Tale fuit inventum Regis Romanorum Servij Tullij, qui, ut loquitur Liv. lib. 1. c. 45.* auctâ civitate, magnitudine urbis, formatis omnibus domi ad belli & ad pacis uſus, ne ſemper armis opes acquirerentur, conſilio augere imperium conatus eſt, ſimul & aliquod addere urbi decus. Jam tum erat inclytum Dianæ Epheſiæ fanum: id communiter à civitatibus Aſiæ factum fama ferebat. Quum conſenſum Deosque conſociatos laudaret mirè Servius inter proceres Latinorum, cum quibus publicè privatimque hoſpitia amicitiasque de induſtriâ junxerat, ſæpè iterando eadem, perpulit tandem, ut Romæ fanum Dianæ populi Latini cum populo Romano facerent. Ea erat confeſſio, caput rerum Romam eſſe: de quo toties armis certatum erat.

ARTIC. IV.

DE REGIMINE PROVINCIARUM.

1. Provinciæ ſunt vel veteres & aſſuetæ parére vel novæ & recens acquiſitæ. *De hiſce dicturi ſumus, quando de imperio amplificando tractabimus: de illis hoc in loco agemus.*

2. Regimen provinciarum veterum & parére adſuetarum ita inſtituendum, ne querelæ oriantur ob nimiam ſævitiam, ſed ut prompti ſint provinciales ſolvere tributa & præſtare ſervitia. *Nam duo ſunt quorũ gratiâ imperium in provincias exercetur: nim. 1. ut tributa & vectigalia pendant & 2. ut præſtent ſervitia. In imperiis enim communibus commercia relinquuntur provincialibus, modò ſolvantur tributa & vectigalia.*

3. Potiſſi-

3. Potiſſimum medium,quo adhibito querelæ provincialiũ parére adſuetorum ceſſant,eſt,majorum inſtituta & conſuetudinem non tranſgredi. *Hi namque ſunt mores vulgi, ut contentum ſit ſuo ſtatu cui adſuetum eſt, novis ſupra modum percellatur. Conducitque adeò, quod obſervavit Tiberius eo tempore, cùm adhuc moderatè uteretur imperio, dum nimirum prævidit*, ne provinciæ novis oneribus turbarentur, utque vetera *onera* ſine avaritiâ aut crudelitate magiſtratuum tolerarent. 4. *annal.* 6.

4. In ſervitiis tributisq; augendis poteſt obſervari τὸ μικρὸν *i.e. ut procedatur per minima, addendo ſemper aliquid inſenſibile. Nã vulgus hominum præſentibus intentum futura non ſpeculatur. Quapropter ſingula ſeorſim minutiſſima admittit tanquam exigui momenti. Verùm apud nos hodiè ſtratagema hoc tam frequens eſt, ut ruſtici nolint in ſervitiis minimum admittere, ſed præcisè in hæreant conſuetudini, niſi vi majore adigantur.*

5. Quòd ſi autem neceſſitas exigat ſubitam tributorum graviorum impoſitionem, conſultum eſt terrorem incutere mediante famâ, quaſi provinciæ immineant hoſtes & bella expectanda ſint: addenda etiam prodigia, quibus metus imminentium malorum firmatur. *Eſt namque vulgus ſuperſtitioſum, novis facilè percellitur, nec niſi affectibus ſuis vivit. Quâ de cauſâ movendi prius affectus ſunt, ſi ab eodem quid impetrare velis. Præ cæteris verò affectibus metus conducit ad illud movendum & impellendum, cui mediantibus prodigiis incuſſo temperare nequeunt. Tacitus* 1. *annal.* 29. Nihil in vulgo modicum; terrent, ni paveant: ubi pertimuerint, impunè contemnuntur.

6. Præmiis quoque pœnisque Præſides provinciarum adducendi, ut benè fungantur ſuo munere. *Nam ſi præſides præmia ſua aliunde expectanda habeant, non ex provincialibus æquè diteſcere ſtudent; præſertim ſi unà metuendas habeant graviſſimas pœnas ob crimen repetundarum conventi. Præmia verò non tribuenda ſunt ob publicas laudes à provincialibus impetratas. Nam hoc ſi fit, indulgenter nimis tractant provinciales, malitiæ ipſorum connivendo, quò favorem & laudem mereantur. Sed occultè in regiminis modum, quo ſinguli utuntur, inquirendum eſt.*

7. His obſervatis antiquæ provinciæ facilè quieſcunt. *Nam in antiquis provinciis obruta jacet memoria libertatis & quomodo melius vivi poſſit ignoratur. & difficulter admodum trahuntur homines paci & otio adſueti ad motus: præſertim ſi & hoc agatur, ne turbatores pacis admittantur ad intrandum provincias.*

PARS SECUNDA MEMBRI PRIMI
DE
CONSERVATIONE IMPERIORUM QUÆ RESPUBLICÆ VOCANTUR.

1. Reſpublica vel benè mixta eſt, & imperium conſervatur non aliis modis, quàm nunc dictum eſt. (*Nam de nullâ re quàm de imperio in tali formâ ſollicitos cives neceſſe eſt*) vel minus benè eſt mixta, ſed vel propendet ad oligarchiam vel ad democratiam: & majori opus eſt labore, ut imperium conſervetur. *Nam impotentisſima eſt civitas imperans internis diſcordiis laborans: ut demonſtravimus part. 1. hui. membr. art. 2. Quapropter dicendum nobis de duplici genere Rerumpubl. penes quas imperium eſt, nim. de iis quæ ad democratiam & iis quæ ad oligarchiam inclinant.*

ARTIC. I.
DE
RERUMPUBLICARUM AD OLIGARCHIAM INCLINANTIUM IMPERIO CONSERVANDO.

1. Reſpublicæ inclinantes ad Oligarchiam vel unà fundatæ ſunt in aliquâ virtute & quærunt pauperum ſalutem, vel ad deterrimam accedunt pauperum detrimentum intendentes. Oligarchiæ ſeu Ariſtocratiæ quærentes commodũ pauperũ poſſunt uti militiâ ex civibus lectâ: id quod cæteræ oligarchiæ, in quibus perpetuæ inter patricios divites, virtuoſos & inter plebẽ contentiones facere nequeunt. *Nam quando premitur plebs & herili vexatur imperio, ſtatim fremunt, ſe foris pro libertate & imperio dimicare, domi à civibus opprimi; tutioremque inter hoſtes quàm inter cives libertatem plebis eſſe. Liv. lib. 2. cap. 23. Quin & ipſa civitas imperans in contemptu apud finitimos eſt, ſi aliqua pars ipſius militaris ſervilis eſt: nihil autem quod in contemptu eſt terrori exiſtit. Tale quippiam contingebat Romanis, cùm tyrannidem exercerent decemviri, Livius lib. 3. cap. 38.* Deploratur in perpetuum libertas: nec vindex quisquam exiſtit, aut futurus videtur. nec ipſi ſolùm deſponderant animos, ſed contemni cœpti erant à finitimis populis: imperiumque ibi eſſe, ubi non eſſet libertas indignabantur. Sabini magnâ manu incurſionem in agrum Romanum fecêre. latèque populati, cùm hominum atque pecudum inulti prædas egiſſent, recepto ad Eretum, quod paſſim vagatum erat, agmine, caſtra locant, ſpem in diſcordiâ Romanâ ponentes.

2. In

2. In omni ergò Oligarchiâ quæ lectâ utitur militiâ & pauperes ad bella admittit debet 1. ceſſare herile imperium. *Nam, ut modò dictum, herile imperium parit non modò contemptum, ſed & diſcordias excitat, quibus impotens redditur civitas.* 2. Plebs debet prædæ particeps reddi. *Nam qui ad victoriam conferunt, etiam participes eſſe debent fructuum victoriæ: aliàs enim oriuntur querelæ, peccaturq́; contra Juſtitiam diſtributivam. Immobilia, quæ commodè dividi nequeunt in publico ſervari debent, ut inde parentur belli neceſſaria: redditis plebi rationibus. Hæc ſi obſervaſſent patricii Romani, nec ipſi agros hoſtibus ademptos occupaſſent, & ita plebem fraudaſſent prædâ: non cum tantis motibus agitata fuiſſet lex agraria.* 3. Commodum quoque videtur, habitâ ratione liberorum, diviſionem prædæ fieri. *Nam hoc pacto plebs allicitur ad procreationem liberorum; id quod bellicoſæ civitati & imperium affectanti maximè ſalutare eſt. Id & factitatum apud Romanos teſtatur Livius lib. 5. cap. 30. Vejentibus enim devictis SCtum factum,* ut agri Vejentani ſeptena jugera plebi dividerentur: nec patribus familiæ tantùm, ſed ut omnium in domo liberorum capitum ratio haberetur; vellentque in eam ſpem liberos tollere.

3. In Oligarchiis, in quibus patricii imperant, ſalutare eſt, plebejos, qui virtutem ſuam bello oſtentarunt, & ſatis bonorum ſibi acquiſiverunt, in numerum nobilium recipere. *Nam hoc modo plebeji magis erunt contenti ſtatu, proniores que ad fortitudinem & belli artes excolendas.*

4. Quæ verò Oligarchiæ ad peſſimam accedunt, & in plebe ſupprimendâ occupatæ ſunt magis conſervant ſtatum alendo mercenarios milites & plebem ab uſu armorum arcendo. quamvis nec ſic diuturnitas quædam & conſtantia imperii ſperanda ſit. *Nam alendo gregarios milites & prohibendo arma plebi, redditur hæc imbellis & inepta ad quicquam movendum. Quin adacta ad alendos milites tota enervatur, ut nihil potentiæ ipſa retineat. Habent præterea divites nobilesque qui præſunt in milite mercenario præſidium. Ut adeò in vitioſâ hac formâ magna utilitas mercenarii militis eſſe videatur. Sed nec ſine periculo eſt ipſa Oligarchia. Nam Oligarchici aut utuntur duce peregrino aut proprio ex numero divitum vel patriciorum: de utroque metus eſt, ne nova moliatur & tyrannidem invadat. Adeoque niſi magna cura & vigilantia adhibeatur, ope mercenarii militis Oligarchia facilè in tyrannidem abire poteſt. Id quod etiam Ariſtotelem obſervaſſe videmus lib. 5. politic.*

ARTIC. II.

De POLITIARUM ET DEMOCRATIARUM IMPERIO CONSERVANDO.

1. Politiarum imperium maximè diuturnum eſt, modò obſerventur cætera, quæ facere decet civitatem imperare volentem. *Nam hæ formæ tutò uti poſſunt lectâ militiâ: adeòque ſi excolunt artem militarem & à teneris adſueſiunt fortitudini; nihil facilè erit, quod imperium ipſarum infringere valeat; omnibus in commodis, cum quibus mercenaria militia conjuncta eſt, ceſſantibus.*

2. Ducum autem munere viciſſim fungi debent electi ex virtute bellicâ, potentiâ & divitiis poſtpoſitis. *Nam potentiâ & divitiis deſtituti & ad tempus tantùm imperantes in bello ſtatum evertere nequeunt. Hoc plurimum conduxit ad imperii Romani ſplendorem, non obſtante, quòd perpetua inter patricios & plebem lis eſſet. Sic ſpes unicâ populi Romani L. Quintius Cincinnatus quatuor jugerum colebat agrum operi agreſti intentus, cùm ab legatis rogaretur, ut togatus mandata Senatûs audiret, & hic togam properè è tugurio proferre uxorem Raciliam juberet, abſterſoque pulvere ac ſudore, velatus procederet conſalutatus Dictator. Liv. lib. 3. c. 26. Quod quando obſervatur, plerumque duces fiunt qui per ſingula officia militaria gradatim progreſſi; ſecus ac ubi potentia & divitiæ reſpiciuntur, ut in Oligarchiis: ſunt namque hi duces laborum patientes & ſeveri, diſciplinam militarem conſervantes, maximeque experientiæ. Id de Rufo teſtatur Tacitus 1. annal. 20. quando ait:* Quippe Rufus diu manipularis, dum centurio, mox caſtris præfectus, antiquam duramque militiam revocabat, invictus operis ac laboris, & eò immitior, quia toleraverat. *& de Cecinâ 1. annal. 64.* Quadrageſimum id ſtipendium Cæcina parendi aut imperandi habebat, *i. e. quadrageſimum annum partim miles partim dux exiſtens militaverat:* ſecundarum ambiguarumque rerum ſciens, eoque interritus.

3. Danda in politiis quoque opera civium copiæ parandæ. Id quod fit, vel ſi cives alliciuntur ad procreationis liberorum ſtudium, vel etiam ſi bellicoſiſſimi quique ex peregrinis in numerum civium recipiuntur. *Ita creſcebat Roma Albæ ruinis, duplicato civium numero. Liv. lib. 1. cap. 30.*

PARS TERTIA
MEMBRI PRIMI

De CONSERVATIONE PRINCIPATUUM.

1. *Quæ ſit Ratio ſtatûs monarchici tyrannicique in civitatibus, ſuperius,*

ſuperius, quantum ad præſens propoſitum, ſufficienter dictum eſt: nunc hoc loco tractandum eſt de Ratione ſtatûs imperiorum, quæ ſub Regibus ſunt & principatus hodiè vocari ſolent.

2. Principatus alii ſunt meri alii mixti. Meros principatus voco eos, in quibus abſoluta omnium rerum poteſtas uni competit principi imperanti in omnes tanquam provinciales. Principatus mixti ſunt, qui conſtant ex principatu & Republica. Reſpublica conjuncta Principatui vel ineſt civitati cuidam, quæ imperii caput eſt, vel nulli civitati ineſt. *Sic Romanum imperium ante tempora Conſtantini M. erat mixtus principatus; quia Senatus Romanus, in quo poſita erat Reſpublica civitatis Romanæ tanquam capitis imperii, unà imperabat ad minimum in ſpeciem: ſed tempore Conſtantini M. dividentis imperium in orientale & occidentale, & Italiam cæteris provinciis annumerantis, redditus eſt principatus merus magis: dicebat enim hic imperator, ubique Romam eſſe. Eſt & germanicus ſtatus mixtus & plerorumq; per Europam regnorum; quia proceres regnorum in conſilium vocari ſoliti aliquam Rempubl. & imaginariam civitatem repræſentant, licet nulla civitas uſpiam appareat, ob hoc, quòd non habitent in unâ quâdam Urbe. Meri principatus ſunt Turcicum Perſicumque imperium & alia per Aſiam & Africam. Quapropter tribus articulis propoſituri ſumus quæ de principatibus tradenda ſunt.*

ARTIC. I.

DE PRINCIPATIBUS MERIS ET ABSOLUTIS.

1. Principatus abſoluti potentiſſimi ſunt ad ſubſiſtendum, ſed everſi ſecurius poſſidentur ab occupantibus. *Nam in praecedd. oſtendimus, diſcordiis maxima imperia collabi. At una eademque perſona imperans ſecum ipſa diſcors eſſe non poteſt. Sed contrà hac, familiâq; ipſius, penes quam imperium eſt, ſublatâ, ſecurius poſſidetur imperium invaſum: nullus enim eſt, à quo novus princeps ſibi metuendum habeat.*

2. Quapropter nihil magis facto opus eſt, quàm ut princeps ſuæ perſonæ conſulat, ne vel in contemptum vel odium incidat. Id quod fit, ut ſuperius, cùm de Ratione ſtatûs monarchicâ ageremus, dictum eſt. 1. abſtinendo à voluptatibus, præſertim ſi præcipui duces bellici ſint abſtinentes. *Nam plerumque principes ampliſſimum imperium habentes non involuti curis militaribus, quia omnibus copiis abundant, voluptatibus alliciuntur, ut quid committant, quo contemnendos*

dos ſe prabeant. Q. Curt. lib. 6. cap. 2. de Alexandro hac refert: Sed ut primum inſtantibus curis laxatus eſt animus militariũ rerum, quàm quietis otiique patientior, excepere eum voluptates: & quem arma Perſarum non fregerant, vitia vicerunt. Intempeſtiva convivia, & perpotandi pervigilandique inſana dulcedo, ludique & greges pellicum, omnia in externum lapſa ſunt morem. *Erant autem amici ipſi* tenaces diſciplinæ ſuæ, ſoliti parco ac parabili victu ad implenda naturæ deſideria defungi. Hinc ſæpius comparatæ in caput ejus inſidiæ. 2. à ſuperbiâ. *Nam & hac ſolet principes latiſſimum imperium obtinentes pra cateris vitiis comitari. Naturam enim ipſam hominum valent commutare res ſecunda, & rarò quisquam erga bona ſua ſatis cautus eſt. Curt. lib. 10. cap. 2. n. 40. Idem l. 6. c. 6. n. 1. de Alexandro M.* Hic verò palàm cupiditates ſuas ſolvit, continentiamque & moderationem in altiſſimâ quâque fortunâ eminentia bona, in ſuperbiam ac laſciviam vertit. Patrios mores diſciplinam Macedonum regum ſalubriter temperatam, & civilem habitum, velut leviora magnitudine ſuâ ducens, Perſicæ regiæ, par deorum potentiæ faſtigium æmulabatur. Jacere humi venerabundos pati cœpit. 3. à Jactantiâ & contumeliis, quæ ſuperbiam comitantur. *Hinc enim oriuntur inſidia, has ſequuntur cades conjuncta cum miſeratione. Videatur idem Curt. lib. 6. c. 7. & ſeqq. & l. 8. c. 1. n. 22. it. c. 6. & ſeqq.* 4. ab aſſentatoribus. *Eſt enim aſſentatio perpetuum maximorum principum malum, horum opes ſepius quàm ipſe hoſtis evertens. Curt. l. 8. c. 5. n. 6. fin. Verùm de hiſce plura ſuperius jam diſſeruimus.*

3. Maximè ſalutare ejuſmodi principibus eſt ſanctos ſe reddere & inviolabiles. *Nam maximè ſecuri ſunt, quos exiſtimat vulgus non niſi ſub graviſſimâ Dei pœnâ ladi poſſe. Id gentiles tentarunt perficere fingendo, ſe ex Deo vel Deâ quâdam natos. Qua etiam videtur fuiſſe intentio Alexandri M.* Jovis filium non ſe dici tantùm, ſed & credi volentis. *Curt. lib. 8. cap. 5. n. 5.* æmulantis præterea Liberum Patrem *id. l. 9. cap. 10. n. 24. & ſeqq. Verùm quia id fingebat non credentibus Macedonibus ſuis, ſuperbia ipſius adſcriptum eſt. Ob quod Hermolaus, qui adverſus Alexandrum conjuraverat, eum ſic alloquebatur*: Tu Macedonas genua voluiſti tibi ponere, venerarique te ut Deum: tu Philippum patrem averſaris, & ſi quis deorum ante Jovem haberetur, faſtidires etiam Jovem. *Curt. l. 8. c. 7. n. 13.*

ARTIC. II.

DE

PRINCIPATU CUM REPUBLICA ALICUJUS CIVITATIS, QVÆ CAPUT IMPERII EST, CONJUNCTO.

1. Prin-

1. Principatus conjunctus cum Republ. alicujus civitatis, quæ caput imperii eſt, debilis admodum eſt, & facilè invadi poteſt, ſed occupatus non facilè conſervari. *Nam quicquid diſcordat impotens eſt: at principium quo regitur ejuſmodi imperium laborat diſcordiis, quæ inter principem & civitatem, & inter ordines civitatis imperantis intercedere ſolent. Hinc fit, quod ordines cujusdam, qui infenſus principi eſt amicitiam comparans facilè invadere imperium queat & nonnunquam principem ipſum intervertere: ſed nunquam ſecurè imperium poſſidere valeat. Nam licet princeps cum ſuâ familiâ ſublatus ſit, manet tamen Reſpublica, quæ adverſus novum hunc principem ſemper nova molitur.*

2. Duo ſunt modi in ejuſmodi principatibus imperandi, quorum alter tyrannicus hunc habet ſcopum, ut civitas, quæ caput imperii eſt, ſupprimatur & municipio adæquetur; alter ut civibus imperantis civitatis ita imperetur, quò contenti ſuo ſtatu eſſe poſſint. Prior modus obtinetur, quando 1. princeps omnem militiam per cunctas provincias ad ſe trahit. *Nam Reſpublica omni militiâ deſtituta nihil habet potentiæ: unde nec quicquam novi adverſus principem moliri poteſt. Obſervavit hoc Auguſtus imperator, quando ſenatui concedens provincias pacatas, ſibi ſumens regendas cæteras, in quâ bella gerenda erant, omnem ita militiam Romanam ſibi propriam habere cœpit.* 2. quando Rempublicam ad paucos reducit. *v. g. ſi ſtatu exiſtente politico, jus comitiorum populo adimit ſub ſpecie quaſi convocari totus populus toties, quoties neceſſitas exigit non poſſit, & ad paucos Senatores transferat. Nam paucos Senatores facilius eſt adigere, ut nihil decernant aliud quam quod principi placuerit: id quod fit ſi refractarii & qui liberius quæ ſentiunt in Senatu proferunt maximis afficiantur malis. Hac calliditate uſus eſt Tiberius transferendo comitia è campo Martio ad Patres. 1. annal. 15.* 3. Quando provincialium privilegia auget & civibus adæquat. *Nam hoc pacto tacitè obtinetur, ut tandem inter civitatē & municipia nulla amplius ſit diſtinctio. Sic Claudius imperator Eduis Galliæ populis jus Senatorum dedit, cauſſatus non eſſe novū, ut Jus Senatûs extendatur, & tributariis, qui hoc antè non habuerant. Refertur enim Patres ſic allocutus 11. ann. 24. fin.* Omnia P. C. quæ nunc vetuſtiſſima creduntur nova fuêre. Plebeij magiſtratus poſt patritios, Latini poſt plebejos, cæterarum Italiæ gentium poſt Latinos: Inveteraſcet hoc quoque; & quod hodiè exemplis tuemur inter exempla erit. *Deinde Antoninus Imperator omnes, qui ſub orbe Romano ſunt, juſſit cives Romanos eſſe.* 4. Quando municipia in provinciis magnitudine & munitione exæquat civitati & ibi quoque reſidet.

Nam ita tandem inter civitatem & municipia cætera nulla erit differentia. Ita tempore Conſtantini M. tandem Roma, quæ hactenus civitas & caput imperii fuerat, reddita eſt municipium. Sed hic modus conſervandi principatum, quamvis reddat principis imperium liberius, in perpetuo tamen vitæ periculo detinet principem, redditque monarchiam amplam parrum ſtabilem, ſi contingat principem ignavum eſſe, multisque bellis afflictari. Nam quicunque tali in imperio favorem militum nactus fuerit, princeps evadit altero dejecto: ſoli enim vi & potentiæ mercenariorum militium innititur.

3. Si civitas retinenda eſt caput imperii, danda opera eſt 1. ut bonæ leges ſcribantur, ex his imperetur, iisque ſtrictè inhæreatur. *Nam unius imperium perpetuum facilius tolerant cives, ſi ex lege ſit* 2. ne cives ſerviliter tractentur, ſed civiliter & ſecundum leges. *Nam dominantes aliis facilè ducuntur pudore, ſi quid ſervile patiantur, ut quid novi moliantur. Gignit quin etiam civitati imperanti contemptum, ſi domi ſerviat, ut & paulò antè docuimus.* 3. ut hæc ſola ſit populoſiſſima & ſatis munita. *Nam id magis ſalutare eſt hac in formâ quàm ſi paſſim per provincias variæ arces exſtructæ ſint. Eſt enim hoc modo vis unita, quæ fortior exiſtit.* 4. ut, qui mittuntur in provincias, præſides non diu præſint. *Nam hoc modo nihil novi facilè tentare poſſunt.* 5. ut ipſe princeps pervagetur ſingulas provincias & quid firmum quid ægrum cognoſcat. *Nam ita nihil facilè latebit principem, diſcentque præſides, ſe non ſuum ſed principis negotium in provinciis gerere.* 6. ut provinciis, in quibus bella gerenda ſunt, vel ipſe princeps interſit, vel ſi id fieri nequeat, non uni civi omnia gerenda committat, ſed alium eidem ſemper adjungat. *Nam obſervatorem habens præſes nihil novi moliri poterit. Præter hæc omnia in civitate faciet, quæ ſuperius eum, qui vult bonus monarcha videri, decere docuimus.*

ARTIC. III.
DE
CÆTERIS MIXTIS PRINCIPATIBUS.

1. Sunt nonnulli principatus & quidem in Europâ haud pauci, qui principis & ſtatuum Conſilio reguntur, adeoque admixtam aliquam Rempublicam, ſine civitate tamen capite, habent. *Ita Rex Angliæ leges conditurus vel abrogaturus junctum ſibi habet parlamentum conſtans ex domo ſuperiori & inferiori. Sic in regno Bojemiæ Majeſtatem cum rege communem habent ſtatus, Barones nimirum Equites & civitates. Sic etiam rex Poloniæ Senatu inconſulto neque bellum cuiquã facit neque fœdus publicè cum quoquã icit, neque tributa, vectigalia aut telonia*

telonia nova inſtituit, neq; alienat quicquam de bonis regni, neque quicquam ad Rempublicam pertinens majoris momenti ſtatuit. Leges autem novas condere, pècuniam extra ordinem publicè imperare, ſucceſſorem ſibi deſignare ne cum Senatu quidem poteſt abſq; conſenſu cæteræ nobilitatis, ſive equeſtris & militaris ordinis.

2. Cæterum modus imperandi in hiſce regnis itidem duplex eſt, ac in iis, in quibus civitas caput imperii eſt. *Nam quid intereſt ad poteſtatem Regis limitandam & reſtringendam, homines conſtituentes Rempubl. unà habitare in urbe vel ſparſim? Quapropter princeps vel imperabit, ſtatuum poteſtatem imminuendo aut conſervando; imminuendo, ſi* 1. militiam ipſe omnem gubernat 2. poteſtatem deliberandi de præcipuis ad paucos reducit, qui ad nutum ipſi9 vivere tenentur. *aut contra* 3. paucòrum dynaſtarum potentium poteſtatem deliberandi de rebus ad imperium pertinentibus ad plures eosque ſibi faventes extendit. *Quòd ſi autem ſtatuum dignitas atq; auctoritas infringi nequit, principis eſt* 1. ex legibus imperare 2. ſtatus non ſerviliter ſed planè civiliter tractare. 3. non tamen unius vel alterius vires ſupra modum augere, nec facilè uni ex ſtatibus ſummam belli gerendi committere, ſed quantum fieri poteſt, intereſſe bellis & ſingula per ſe gerere. Cum primis autem princeps ſingulas ſingulorum dynaſtarum provincias ſedulò viſitabit, & hoc aget, ut ſæpius in aulâ principis compareant, ne obliviſcantur ejusdem, ſed perpetuò eundem revereantur, ſcientes, ſe ſuperiorem habere, quem agnoſcant.

MEMBR. II.

DE AMPLIFICANDIS IMPERIIS.

1. *Inſatiabilis imperandi cupido facit, ut homines ſtudeant imperia perpetuò augere: idq; eò magis, quia communis hæc eſt hominum opinio,* non ignaviâ magna imperia contineri; virorum armorumque faciendum certamen. Id in ſummâ fortunâ æquius quod validius. & ſua retinere privatæ domûs; de alienis certare regiam laudem eſſe. *i.e. ſuis rebus contentum & aliena non rapere in privatis laudabile eſſe, reges decere alienorum auferendorum & ſibi acquirendorum gratiâ bella gerrere. Tacit. 15. ann. 1. Cùm ergò aliàs homines avidi ſint, virium alienarum, multò magis id ſtudebunt facere, ſi videant cum injuſto lucro gloriam conjunctam eſſe & immortale nomen. Ne ergò quicquam omittamus, quod ad Rationem ſtatûs pertinere videtur: nonnulla de amplificando imperio dicenda nobis erunt.*

2. Amplificatur & augetur imperium, novas civitates provinciasque adjiciendo: id quod fit vel vi vel dolo & fraudib9. *Quapropter duobus articulis comprehendemus quæ de hac materiâ dicenda nobis veniunt.*

ARTIC. I.

DE IMPERIO VI AUGENDO.

1. Si vi quâdam vicinas civitates provinciasque adjicere velis, danda opera eſt, ut prius virtutem & potentiam earum imminuas. *Nam hi ipſis terrori ſunt aliis & adverſus quoscunque vim facturos ſe tueri poſſunt.*

2. Virtus vicinorum infringitur, ſi virtuoſi, quibus inſtructi ſunt callidis artibus è medio tollantur. *Ita cùm Sextus filius Tarquinii Superbi, ſimulando ſe ob injuriam patris profugum, receptus Gabiis ſatis virium jam collectum ad omnes conatus videret, & è ſuis unum ſciſcitantem Romam ad patrem mitteret, quidnam ſe facere vellet: huic nuncio nihil voce reſponſum eſt; ſed rex velut deliberabundus, in hortum ædiũ tranſiens ſequente nuncio filii tacitus ſumma papaverum capita baculo decuſſit. Sexto filio quid vellet parens, quidve præciperet tacitis ambagibus ſtatim patuit. primoresq́; civitatis, criminando alios apud populum, alios ſuâ ipſos invidia opportunos interemit. Liv. l 1. c. 54*

3. Potentia imminuitur 1. ſerendo diſcordias in civitate vel provinciâ ſubjugandâ. *Nulla enim, quamvis minima natio, poteſt ab adverſariis perdeleri, niſi propriis ſimultatibꝰ ſeipſa conſumpſerit. Nã civile odium ad inimicorum perniciem præceps eſt, ad utilitatem ſuæ defenſionis incautum. Veget. lib. 3. de Re milit. Ejuſmodi ſtratagemate uſus eſt Druſ9 in Germanos, ſuggerente conſilium Tiberio. Tacitus. 2. ann 62.* Haut leve decus Druſus quæſivit inliciens Germanos ad diſcordias, utque fracto jam Maroboduo uſq́; in exitium inſiſteretur. *i.e. ne ullum ſe colligendi ſpatium iis daretur. Hinc fit, quod diſcordia hoſtium velut occaſio arripiatur ad eos invadendos: Idem 1. ann. 55. Germanicus* quanquam in æſtatem ſummâ ope *bellum* parabat, initio veris & repentino in Cattos excurſu præcepit. *i.e. inchoavit antè quàm deſtinaverat.* Nam ſpes inceſſerat, diſſidere hoſtem in Arminium ac Segeſtem. *i.e. hos duos duces fovere diverſas factiones. Dignum eſt quod huc referamus factum Marci Coriolani, qui ut ignominiam damnationis ſuæ adverſus patriam ulciſceretur. populationem patriciorum agrorum inhibuit, deuſtis vaſtatisq́; plebejorum: ut diſcordiam moveret, quâ conſenſus Romanorum diſtringeretur. Liv. lib. 2. cap. 39. Conſultum autem*

eſt

eſt diſcordias diu fovere, ut eo magis exacerbentur odia; non ſtatim primo tumultu, niſi vocatum in auxilium intervenire. Nam externus timor maximum concordiæ vinculum quamvis ſuſpectos infenſosque inter ſe jungit animos. *ut loquitur Livius cit. loc.* 2. Concitando in vicinos ſubjiciendos ipſorum vicinos invidos æmulosque. *Ita Sabini ad defectionem adverſus Romanos ſollicitarunt Vejentes. Liv. lib.* 1. *c.* 30. Et Nero duos veteres reges Agrippam Jocchum expedire copias, quîs Parthorum fines ultrò intrarent mandat. *Tacit.* 13. *ann.* 7. *Sic Corbulo Mardos immiſſis Hyberis vaſtavit,* hoſtilemque audaciam externo ſanguine ultus eſt. *Tacit.* 14. *ann.* 23. 3. Munitas civitates præſidiis nudando & commeatum earum perdendo. *Ita Fabius Maximus, vaſtatis Campanorum agris, ne quid eis ad fiduciam obſidionis ſupereſſet, receſſit ſementis tempore, ut frumentum, quod reliquum habebāt, in ſationes conferrent: reverſus deinde renata protrivit & ad famem redactis potitus eſt. Ut præſidiis nudentur urbes munitæ, conſequi poſſumus, ſi alio vocantes hoſtem efficiamus, ut ipſe præſidia è munitiſſimis civitatibus tollat.*

4. In invadendis vicinis obſervandæ ſunt occaſiones. Nim. ut invadas eos. 1. quando ſunt incauti. *Nam hæc occaſio communiter ab optimis ducibus obſervari ſolet, quando nullus apud hoſtem belli timor. Sic Germanicus Cæſar invadebat Germanos, cùm feſtam tractarent noctem, ac ſolennibus epulis ludicram. Fiunt autem vicini incauti, quando ſimulamus impotentiam & propoſitum quieſcendi, aut nos ita alienis bellis intricatos, ut nihil novi tentare valeamus.* 2. quando bellis inteſtinis laborantes aut aliàs in periculo verſantes indigent auxilio. *Ita ope & auxiliis indigi Campani, cùm hæc à Romanis denegarentur coacti ſunt ſe his dedere, quò ſuppetias impetrarent. Liv. lib.* 7. *c.* 31. *Quò autem ab infirmioribus in auxilium vocetur Reſpublica, obtinet ſuâ virtute bellicâ, potentiâ & in adjuvandis ſociis fide. Hoc eleganti ſtratagemate uſi Romani ſociis defendendis ac juvandis terrarum omnium potiti ſunt; It. Philippus Alexandri M. pater, de quo Juſtinus lib.* 8. *c.* 1. Philippus rex Macedoniæ velut è ſpeculâ quâdam libertati omnium Græciæ civitatum inſidiatus, dum contentiones civitatum alit, auxiliū inferioribus ferendo, victos pariter ac victores ſubire regiam ſervitutem coegit. *Hæc omnium optima occaſio eſt vicinos invadendi & ſubjiciendi: habet namq; honeſti ſpeciem miſeris ſuppetias ferre & in protectionem eoſdem recipere.*

5. Si vi occupatur aliqua vicina provincia, danda eſt operâ, ut præcipua & munitiſſima urbs ſtatim initio occupetur. *Ita Vitelliani duces Galliam Ciſalpinam intrantes Veronam occupare primo loco*

 decre-

decreverunt. Id quod rectè factum dicit Tacitus propterea, quod potens eſſet civitas, cujus exemplum alias pertinaces civitates terrere poſſet, & movere, ut itidem ſe dederent: quin ſuis opibus exercitum Vitellianum juvare potuit. verba ejus 3. Hiſt. 5. hæc ſunt: In Veronenſibus precium fuit. exemplo opibusque partes juvere.

6. Devictâ provinciâ aliquâ, nihil reliquendum per quod rurſus bellum excitari à ſubjectis poſſit. *Nam niſi hoc obſervetur, contingit rurſus amitti quod magno labore partum eſt. Obſervandum hac in re eſt monitum Alexandri M. apud Curt. lib. 6. c. 3.* Sicut in corporibus ægris nihil quod nociturum eſt medici relinquunt: ſic nos, quicquid obſtat imperio, recidamus. Parva ſæpe ſcintilla contempta magnum excitavit incendium. Nil tutò in hoſte deſpicitur: quem ſpreveris valentiorem negligentiâ facies.

7. Non exiſtimandum autem eſt, devictos populos jam imperio ſubjectos: *longè enim difficilius eſt, devictos ſubjugo detinere, quàm bello eosdem ſubjicere. Florus lib. 4. c. 12.* Difficilius eſt provincias obtinere, quàm facere. viribus parantur jure retinentur. *Tutum itaque non eſt, provinciam victam potius quàm domitam habere.*

8. Præcipuum medium conſervandi provincias devictas eſt deductio coloniarum: de quibus, quatenus proſint. & quis modus ſit deducendi & deductas in officio ſuo detinendi nunc dicendum eſt. *Nam conducunt coloniæ primò ad hoc, ne opus ſit præſidia alere: deinde, ut notari poſſint & obſervari provinciales, ne quid novi moliri audeant, & tandem, ut ſucceſſu temporis adſueſiant parere. Et quia devicti populi aut ſunt prudentiores aut barbari; & illi rurſus vel feroces vel molles & effeminati: conducunt potiſſimum coloniæ, ſi devictis populis ferociſſimis & libertati deditis maxima horum pars, quæ armis adſueta eſt, trucidetur vel hinc inde ad ſervitia diſpergantur, & agri vacui in coloniam deductis adſignentur. deinde & ſi devicti populi ſint barbari, qui ſuos agros hactenus nondum ſatis excoluerunt: cùm enim barbari nondum imperiis aſſueti rigidâ cervice jugum ſubeant, ut loquitur Alexander M. apud Curtium lib. 6. c. 3 tempore opus eſt, dum mitioribus ingeniis imbuuntur, & efferatos mollior conſuetudo permulcet. Optimum hic uſum præbere Colonias quis non videt? Quò autem proſint coloniæ notandum eſt.* 1. eos deducendos qui bellicoſi ſunt. *Nam tales eſſe debent, qui vim rebellantium ſuſtineri poſſint, donec mittantur auxilia. Quam ob cauſſam Romani ſolebant veteranos mittere, & quidem integras legiones. cujus ratio patet ex iis, quæ tradit Tacitus 14 ann. 27. quando ait:* Non enim, ut olim, univerſæ legiones deducebantur cum tribunis & centurionibus, & ſui cujusque ordinibus, militibus ut conſenſu & caritate

tateRempubl. efficeret,ſed ignoti inter ſe, diverſis manipulis,ſine rectore, ſineaffectibus mutuis,quaſi ex alio genere mortalium repentè in unum collecti, numerus magis quàm colonia. *Scil,tales mitti debent,qui apti ſunt ad conſtituendam inter ſe Rempublicam. Aut ergò veteranihoc pacto ſunt deducendi,aut cives invicem cogniti apti ut aſſueſiant armis tractandis.* 2. Hos atque tales ità mitti aſſignatis agris nonſufficit, ſed requiritur etiã, ut colonia optimè muniatur. *Nam arduum non eſt exſcindere coloniamnullis munimentisſeptam.* ut *loquitur Tacitus* 14.*annal*.31.*fin.Ex quo textu & hoc diſcimus ; ipſam Rempublicã de muniendâ coloniâ ſolicitã eſſe debere,nec id deductis in coloniam committere.Nam hi amœnitati potiusquàm uſui conſulunt.i.e. ſinguli quid privatimjucundum ſit magis quærunt,quàm quod publicè utileeſt*.3.Requiritur,ut crebrò mittantur præfecti novi inColoniam. *Nam ita impeditur,quo min⁹ qui eas inhabitant degenerent in mores provincialium & ab his ſeducti in Rempublicam quid moliantur.*

9. Alterum medium, quo domari & ſub jugo detineri devicti populi poſſunt.eſt,fidelibus & ſervire perſeverantibus amicitiam&benevolentiam; novere conatis graviſſima infligere ſupplicia.*Hæc enim duo ſunt quibus homines præparantur,ut voluntatemſuam improbam & nocere paratam emẽdare diſcant. Occaſionem hæc docendi petii ex geſtis Corbulonis prudentiſſimi ducis, quæ narrantur à Tacito* 14.*ann*.24. *Verba ej⁹ hæc ſunt:*In regionem Taurantiam*Corbulo* transgreſſus improviſum periculum vitavit.Nam haud procul tentorio ejus non ignobilis barbarus cum telo repertus,ordinem inſidiarũ ſeque auctorem & ſocios per tormenta edidit. Convictique & punitiſunt qui ſpecie amicitiæ dolum parabant.Nec multò poſt legati Tigranocerta miſſi,patêre mœnia afferunt,intentos populares ad juſſa *i. e. incolas paratos eſſe facere imperata.*Simul hoſpitale donum,coronam auream tradebant. Accepitque cum honore, nec quidquam urbi detractum. quo promptı9 obſequium integri retinerent,*i.e. ut retentis ſalvis rebus ſuis tantò fideliores Romanis forent.*

10. præter hæc etiam datur medium domandi devictos, quod principatuum proprium eſt,nim. ſi princeps in devictâ provinciâ ipſe degat,& provincialibus imperet,accommodando ſeſe ad illorum mores. Quâ in re tamen unà adhibenda cautio eſt,ne populus principalis provinciæ quaſi neglectus & inſuper habitus inde odium in principem conjiciat. *Nam præſentia principis tanquam victoris deterret devictos, quominus quid novi moliantur; & benevolentia ejusdem conciliat amicitiam. Sed ſi princeps, quò captet favorem devicti populi, ita ſe accommodet hujus moribus, ut videatur hos potiores*

tiores ſuis habere, facilè ſibi eo ipſo principalis populi odium parare poteſt. Sic Alexander M. devictorum Perſarum mores aſſumens eos ſibi adeò devicit, ut eum moreretur, comis hi ſuo more detonſis, in lugubri veſte, cum conjugibus ac liberis, non ut victorum & modò hoſtem, ſed ut gentis ſuæ juſtiſſimum regem lugerent. Adſueti ſub regibus vivere, non aliũ, qui imperaret ipſis, digniorem fuiſſe confitebantur. Curt. lib. 10. cap. 5. num. 17. ſed hoc ipſo ita popularium animos oculosq́ offendit, ut à plerisque amicorum pro hoſte haberetur. Id. lib. 6. cap. 2. num. 2.

ARTIC. II.
DE
IMPERIO DOLIS AUGENDO.

1. Provinciæ dolo alliciendæ vel ſui juris vel alieno imperio ſubjectæ ſunt. His, ut ſuo nativo imperio ſe ſubtrahant, reddendi ſunt imperantes exoſi, promiſſâ magnâ ſub novo imperio felicitate & ſecuritate. *Nam pronæ ſunt hominum aures ad res novas, præſertim, ſi id ſe conſequi poſſe putent, in quo poſitam habent felicitatem ſuam. Ita Rhadamiſtus conſilio patris Pharaſmanis patruum ſuum circũvenit & regno privare ſtuduit.* Simulatâ *enim* adverſus patrem diſcordiâ, tanquam novercæ odiis impar, *adit* patruum, multâque ab eo comitate in ſpeciem liberûm cultus, primores Armeniorum ad res novas illicit, ignaro & ornante inſuper *patruo* Mithradate. *Tacit. 12. annal. 44. fin.*

2. Populus, qui ſui Juris eſt, alliciendus eſt in ſocietatem bellicam pactis unà initis, ut tot vel tot viros in auxilium mittat, mox, ut horum loco aliquid pecuniæ conferat quotannis pro defenſione illius ſuſceptâ. *Nam hæc pecunia ſine difficultate naturam tributi induere poteſt. Hoc pacto ſoliti ſunt Romani ſocios ſuos circumvenire. In ſummâ, hoc agendum, ut ſocii per reverentiam cedant, deinde procedendo per minima magis magisque intendendum imperium. De Batavis narrat Tacitus 4. Hiſt. 12. eos opibus Romanis ſocietate validiorum nondum attritos viros tantum armaque imperio miniſtraſſe. Sed cum Vitellii miniſtri non obſervarent modum in comiter hiſce tractandis nata eſt ſeditio. (procedendum enim eſt ſecundum τὸ μικρὸν.) Idem d. 4. Hiſt. cap. 14. Poſſem hîc me latius diffundere: ſed fatigatur mens nequitiis enarrandis. Hæc pro ratione Inſtituti ſufficiant: quæ propterea commemorantur, ut rationes & cauſſæ pateant Juris publici cujuscunque regni & ſtatûs.*

CAP. III.

DE RATIONE STATUS IMPERIUM INVADENTIUM NOVAMQUE FORMAM INTRODUCENTIUM.

1. *Non videtur alienum & hoc in loco tradere ea, quæ jubet Ratio ſtatûs obſervare circa immutationes Rerumpubl. quando imperium callidè invadendum vel nova forma introducenda eſt. Et quia eorum, qui invaſuri ſunt imperium aut aliquid novi molituri, prima cura eſſe debet, ut lateant; initium à modis latendi facturi ſumus.*

MEMBR. I.

DE MEDIIS LATENDI QVIBUS UTI NECESSE HABENT QVI QVID NOVI MOLITURI SUNT.

1. Novi quid tentaturos primum omnium oportet operam dare, ne videantur velle aut poſſe nova moliri. *Nam de quibus conjecturam habent imperantes, quòd velint poſſintque novi quid tentare, his maturè occurrere ſolent.*

2. Ne autem videantur velle quid adverſus imperium vel imperantes tentare, conducit 1. hypocriſis ſeu ſimulatio pietatis. *Nam qui pii putantur & Deum colentes, præſumuntur præcepta ejus obſervare, ac proinde cuicunque magiſtratui etiam improbo reverentiam & obedientiam debitam exhibere.*

3. Prodeſt 2. ſimulare humilitatem & animum à cupiditate imperandi planè alienum. *Sic in Sejano palàm compoſitus pudor, intus ſumma apiſcendi libido 4. ann. 1. Ut verò videatur quis alienus ab animo affectandi imperiũ, obtinebit, ſi ſæpius de periculis & moleſtiis, cum quibus conjunctum eſt, diſſerat cum iis, qui hoc ad imperantes iterum deferunt. Simile fecit Tiberius, qui invaſurus vel potius confirmaturus tyrannidem ſolitus eſt ita loqui:* Cuncta mortalium incerta, quantò quis plus adeptus fuerit, tantò eum magis in lubrico eſſe.

4. Tertiò ſimulandus animus cupidus quietis. *Nam quietem qui amant nihil novi facilè moliuntur. Præ ſe autem ferunt quietem, qui de moleſtiis laborum quotidiè conqueruntur; & inquietos, ſi qui ſunt, deferunt. Nam qui pœnas ſtruunt delinquentibus videntur delicta odiſſe.*

5. Conducit 4. ſpecimina nonnulla fidelitatis imperantibus exhibere. Sic Germanicus quantò ſummæ ſpei propior, *i.e.*

 quò

videbatur facilius imperium obtinere poſſe, tantò impenſius pro Tiberio niti. *i.e. eò fideliorem in imperio Tiberii conſervando ſeſe exhibebat. Exemplum ſpeciminis, quo fidelitatis opinionem ſibi conciliavit Sejanus apud Tiberium, exhibetur à Tacito 4.ann. 59. quando ait:* ac forte illis diebus oblatum Cæſari anceps periculum, auxit vana rumoris: præbuitque ipſi materiam, cur amicitiæ conſtantiæque Sejani magis fideret. Veſcebantur in villâ, cui vocabulum Speluncæ, nativo in ſpecu, ejus os lapſis repentè ſaxis obruit quosdam miniſtros. hinc metus in omnes & fuga eorum, qui convivium celebrabant. Sejanus genu, vultuque & manibus ſuper Cæſarem ſuſpenſus oppoſuit ſeſe incidentibus. atque habitu tali repertus à militibus qui ſubſidio venerant. Major ex eo, & quanquam exitioſa ſuaderet, ut non ſui anxius, cum fide audiebatur.

6. Quintò prodeſt conformem ſe moribus imperantium exhibere. *Nam qui eorundem cum altero morum eſt, potius amicitiam ejus ſibi parare ſtudet, quàm ut eum ſubvertat.*

7. Septimò quicquid mali inſertur ab imperantibus, ſimulare non ingratum eſſe. *Nam qui hoc ſimulat videtur cum ſuo ſtatu ſemper contentus, nec quicquam novi machinari.*

8. Ne quis videatur poſſe quid novi tentare, convenit ſimulare ſimplicitatem. *Nam ſimplices qui ſunt & nullâ calliditate nihil magnum aggredi audent. Talis erat apud Romanos Brutus, qui exactis regibus novum pro libertate populi introducebat ſtatum.*

9. Secundò inertiam. *Sic Salvium Titianum fratrem Othonis ſua juvit inertia & ignavia, ut ſub Vitellio ſalvus eſſet. Tacitus 2. Hiſt. 60.* Salvius Titianus Othonis frater nullum diſcrimen adiit pietate & ignaviâ excuſatus *i.e. quòd fratrem ſalvâ pietate deſtituere non potuerit, nec Vitellio ob ignaviam formidabilis exiſteret.*

10. Tertiò laborum impatientiam, vel etiam ſe otio deditum. *Sic Memmius Regulus, licet ob auctoritatem, conſtantiam famam clarus adeò ut ab ipſo Nerone dignus imperio cenſeretur*: vixit tamen quiete defenſus *i. e. quòd videretur otii & quietis ſtudioſus*, & quia novi generis claritudine nec invidioſis opibus erat. 14. *annal.* 47.

11. In univerſum autem prodeſt nova tentaturis omnia ſigna, ex quibus quis alteri inſidias ſtruere colligitur, evitare. *Talia ſunt* 1. ſubitò & nimium præterque ſolitum blandiri, *Tacitus* 13. *annal.* 13. Tum Agrippina, *mater Neronis quæ hactenus ſeveram ſe erga filium exhibuerat*, verſis artibus per blandimenta juvenem aggredi, ſuum potius cubiculum ac ſinum offerre contegendis, quæ prima ætas & ſumma fortuna expeterent. Quin & fatebatur intempeſtivam

vam ſeveritatem, & ſuarum opum, quæ haud procul imperatoriis aberant, copias tradebat. Ut nimia nuper coercendo filio; ita rurſus intemperanter demiſſa. Quæ mutatio neque Neronem fefellit, & proximi amicorum metuebant, orabantque caveri inſidias mulieris ſemper atrocis tum & falſæ. *i. e. tam repentinam mutationem Nero ſuſpectam habuit & alere quid monſtri non modò ipſe, ſed ejus amici viderunt.* 2. Nimis meditatè loqui. *Referatur huc exemplum, quod habet Tacitus 4. ann. 68.* 3. Scrutari arcana. *Hinc M. Terentius apud Tacitum 6. ann. 8.* abditos principis ſenſus, & ſi quid occultius parat, exquirere illicitum. 4. nimio ſilentio uti. *Nam ſemper aliquid monſtri alunt qui magis cum fortunâ principis quàm principe ipſo loquuntur.* 4. Parare ſibi media rebus novis inſervientia. *v. g. corradere pecuniam, militum favorem ſibi conciliare, ſecreta cum amicis tractare colloquia 13. ann. 18 verb.* at matris.

12. Tandem ſi vi ſolâ invadere imperium quis velit, adhibebit celeritatem. *Nam tyrannidem nemo niſi celeriter maturatam ſecretò invadit, & publicè armat, cujus ſumma eſt, aſſumpto diademate ac purpurâ videri antequam ſciri. inquit Oroſius lib. 7. cap. 40.* Sin verò fraudibus meris uti velis; ſequentis membri præcepta proderunt.

MEMBR. II.
DE IPSA MUTATIONE REIPUBL. DUM FIT, OCCULTANDA.

1. Quò ipſa mutatio occultetur, & ne qui in Republ. ſunt ſentiant eam fieri, conducit 1. obſervare τὸ μικρὸν i.e. ita mutando Rempubl. procedere ne ſentiatur mutatio fieri ſed facta eſſe. *Sunt enim multa in naturâ etiam ita comparata, ut eadem non moveri ſed mota eſſe tandem videamus: ita nemo videt gramen creſcere ſed creviſſe, nemo videt lapidem ſtillicidio cavari ſed cavatum. Pari ratione procedendum eſt in Republ. immutandâ, ſi velis mutationem latere. Tale quippiam ſub imperatoribus contigiſſe videmus libentiam judicandi vulgantibus, de quâ in liberâ Republ. tot diſſenſiones inter ordines civitatis, equeſtrem, ſenatorium & plebejum erant.* Nam Auguſtus apud equeſtres, qui Ægypto præſiderent, lege agi, decretaque eorum perinde haberi juſſerat, ac ſi magiſtratus Romani conſtituiſſent: mox alias per provincias; & in urbe pleraque conceſſa ſunt, quæ olim à prætoribus noſcebantur. Claudius omne Jus tradidit, de quo toties ſeditione aut armis certatum, cùm Semproniis rogationibus equeſter

ordo in poſſeſſione Judiciorum locaretur, aut rurſum Serviliæ leges Senatui judicia redderent.

2. Secundò hoc agendum, ut imago veteris Reipubl. ſuperſit. *Id potiſſimum in mutandâ Reipubl. & firmandâ tyrannide obſervavit Tiberius Tacit. 3. ann. 60.* Sed Tiberius vim principatûs ſibi firmans imaginem antiquitatis Senatui præbebat poſtulata provinciarum ad diſquiſitionem patrum mittendo. *Ex hoc Taciti textu diſcimus, ſimulari veterem Rempubl. ſupereſſe ſi quandoque actus concedatur veteris Reipubl. proprius. Hinc idem Tacitus 13. annal, 28.* Manebat nihilominus quædam imago Reipubl. Nam inter Vibullum prætorem & plebei tribunum Antiſtium ortum certamen, quòd immodeſtos fautores hiſtrionum, & à prætore in vincula ductos tribunus omitti juſſiſſet. *i. e. interceſſiſſet, quaſi adhuc veteri Republ.* Comprobavêre patres incuſatâ Antiſtii licentiâ &c. *Elegans præter hunc eſt textus 1. annal. 77.* Actum de ſeditione hiſtrionum apud Patres, dicebanturque ſententiæ, ut prætoribus jus virgarum in hiſtriones eſſet. Interceſſit Haterius Agrippa, tribunus plebei, increpitusque eſt Aſinii Galli oratione, ſilente Tiberio, qui ea ſimulacra libertatis Senatui præbebat. *Hæc ita miſeros peragere Tiberius permittebat, quo conciperent, ſe adhuc in Republ. liberâ, in quâ perpetua cum tribunis erant contentiones, vivere.* Manet 2. veteris Reipubl. imago, ſi leges priſtinæ retineantur. *Nam retentis LLbus videtur priſtina Reſpubl. ſupereſſe. Tacitus 4. ann. 6.* ſua conſulibus, ſua prætoribus ſpecies. Minorum quoque magiſtratuum exercita poteſtas; legesq; ſi majeſtatis quæſtio eximeretur, bono in uſu. *Hinc monet Ariſtoteles, non ſemper ex LLbus ſtatum Reipubl. dignoſci poſſe propterea, quòd retentis legibus ſtatus nonnunquam mutetur.* Callidum quoque 3. eſt pro imagine Reipubl. retinendâ admittere, ut judicia in cauſſis privatorum veteri more tractentur. *Nam hoc parum ad ſtatum facit, interim ſpeciem Reipubl. priſtinæ conſervat. De Tiberio Tacitus ita:* ſi quando cum privatis diſceptaret, forum & jus. *i. e. patiebatur ſecum in Jure lege agi per procuratores.* 4. Retentis magiſtratuum vocabulis & ornamentis, cultuque, nihil aut parum poteſtatis ipſis relinquere. *Tacitus 1. annal. 3.* Domi res tranquillæ, eadem magiſtratuum vocabula: *munia autem in ſe traxerat Auguſtus 1. ann. 2.* 5. Subire magiſtratum magnæ poteſtatis in veteri Republ. *Nam ita ſub ſpecie veteris Reipubl. tyrannis exerceri poteſt. Sic Auguſtus invaſurus tyrannidem ſimulabat,* ſe tribunicio jure contentum *1. ann. 2. Nam ita captabat benevolentiam apud plebem tanquam defenſor ejusdem & conſequebatur facultatem infringendi omnia SCta, adeoque ſuo nutu regendi Rempubl. Tacitus*

3. ann. 56.

3. *ann.* 56. Id ſummi faſtigii vocabulum Auguſtus reperit, ne regis aut Dictatoris nomen adſumeret, ac tamen appellatione aliquâ cætera imperia præmineret.

3. Subtiliſſimus eſt modus: mutationem ita inſtituere, ut nihil dignitati cujusquam ademptum, ſed ea aucta potius compareat. *Ita cùm Tiberius comitia è campo Martio in curiam transferret i.e. populo jus comitiorum adimeret, & patribus daret deliberanda, quæ in comitiis tractabantur: videbatur hoc ipſo aucta poteſtas Senatorum; populus autem nihil amiſiſſe; quia Tiberius velut tribunus non admittebat, ut ſenatus quicquam in perniciem populi decerneret. Sed cùm Senatores nihil decernere auderent, quod præviâ imperatoris Oratione non eſſet præſcriptum: accidebat hoc pacto, omnem de rebus magnis deliberandi & decernendi poteſtatem in imperatorem transferri. Tacit. 1. annal. 15.* Tum primùm è campo comitia ad Patres translata ſunt. nam ad eam diem, & ſi potiſſima arbitrio principis, quædam tamen ſtudiis tribuum fiebant: neque populus ademptum jus quæſtus eſt, niſi inani rumore.

MEMBR. III.
DE
IMPERANTIBUS IN REPUBL. EVERTENDA CALLIDE SUPPRIMENDIS.

1. Qui de imperio dejiciendi invadendi vel tollendi ſunt callidis artibus devinciendi ſunt quò arcana pectoris revelent, & incauti fiant. *Nam ſi eos incautos reddideris jam adeptus es occaſionem eos invadendi & deturbandi, ſive id fiat vi ſive clandeſtinis artibus. Id fecit Sejanus invaſurus imperium:* Tiberium *enim* variis artibus devinxit adeò, ut obſcurum adverſum alios ſibi uni incautum intectumque efficeret. *Tale conſilium ſuſceptum à Rhadamiſto, cùm patruum è regno ejecturus eſſet: quò enim incautum eum opprimeret,* ſimulatâ adverſus patrem diſcordiâ, tanquam novercæ odiis impar pergit ad patruum Mithradatem, multâque ab eo comitate in ſpeciem liberûm cultus, primores Armeniorum ad res novas illicit, ignaro & ornante ſeu inſtruente inſuper Mithradate.

2. Danda & opera eſt, ut fiant exoſi & contemptibiles. *Nam his duobus ſolent imperia everti. Hæc ſumma erat conſilii quod ſuggerebatur Quadrato 12. ann. 48. Semina odiorum adverſus Rhadamiſtum jacienda, tutum Romanis Rhadamiſtum inviſum & infamem eſſe.*

3. Antequam ipſi imperantes tollantur è medio, ſi aliâ ratione ſupprimi nequeunt, removendi ſunt ſucceſſuri in imperio.

Hoc pacto enim occultius & ſecurius proceditur, ſi ſucceſſuri paulatim tollantur. Facit pro nequitiâ cognoſcendâ conſilium à Sejano ſuſceptum, quod habet Tacitus 4. ann. 3. cujus verba hæc ſunt: Cæterùm plena Cæſarum domus, juvenis filius, nepotes adulti, moram cupitis adferebant. *i. e. cùm videret Sejanus, ſublato Tiberio adeſſe liberos ipſi in imperio ſucceſſuros, hosq; ipſius intentione obſiſtere, quominus ipſe imperii compos fieri poſſit.* & quia vi tot ſimul corripere intutum, dolus intervalla ſcelerum poſcebat. placuit tamen occultior via, & à Druſo incipere, in quem recenti irâ ferebatur.

4. Ipſi imperantes variis artibus tolli poſſunt, ſeu fictis in eos criminibus, quò jure videantur necari, vel venenis aut aliis mediis, quæ animus horret enarrare, quorum magnam copiam diabolus ſuis inſtrumentis ſuggerit.

MEMBR. IV.
DE PARANDA CALLIDE POTENTIA.

1. Pro parandâ potentiâ conducit ferociſſimos & potentiſſimos civitatis ſibi reddere ſocios & commune cum his imperium ſimulare, mox ſingulos removere, quò penes ſolum invadentem maneat potentia. *Nam non omnes ſunt eo animo, quo Mucianus erga Veſpaſianum erat:* ſi vincimus, *ajebat,* honorem quem dederis habebo: diſcrimen ac periculum ex æquo partiemur. *2. H. 77. plerique tendunt ad hoc, ut participes ſint imperii. Hoc movit Auguſtum, ut triumviratum & ſocietatem cum Lepido & Antonio iniret, quò hoſtes ſuos debellare, ferociſſimos quosq; tollere, & ita tandem exuto Lepido, interfecto Antonio imperium ſolus invadere poſſet. 1. ann. 2. & 10. Poſſunt autem æmuli imperii variis artibus removeri, de quibus ſuperius diximus.*

2. Qui imperium non affectant ſtrenui tamen in bello ſunt ſpe novarum rerum lactandi. *Nam inani ſpe multi homines decipiuntur, ut res periculoſiſſimas ſubeant. Quapropter invaſurus imperium artificio debet inſtructus eſſe excitandi in hominibus ſpes vanas. Conſiſtit autem ſpes in phantaſiâ magnorum & multorum bonorum futurorum.*

3. Maxima autem cura in parando exercitu poſita eſſe debet. *Media perficiendi hoc ipſum hæc ſunt.* 1. danda opera eſt, ut exercitus regendus committatur. *Nam hoc ipſo occaſio datur exercitum ad ſe trahendi.* 2. Imperantes infenſi militibus reddendi, culpatâ horum avaritiâ, crudelitate nimiâque ſeveritate. *Fecit hoc Otho adverſus Galbam 1. H. 37.* 3. Favor militum parandus. *Nam apud milites omne conſiliis robur & ſine his quamvis egregia invalida ſunt. 1. H. 38.*

1. Hiſt. 38. Allicere autem & ad ſe trahere milites quis poteſt donis. Ita Auguſtus pellexit donis militem 1. ann. 2. Quod ipſum imitantes cæteri imperatores fecerant, ut omne imperium in manu militum eſſet. Otho per ſpeciem convivii, i.e. quaſi ſportulas convivales daret quoties Galba apud eum epularetur cohorti excubias agenti viritim centenos numos dividi curavit. 1. Hiſt. 24. Lubet hîc enarrare artificium, quo uſus eſt Sejanus, de quo Tacitus 4. ann. 2. Vim præfecturæ modicam antea intendit *i.e. cùm factus eſſet præfectus prætorio auxit hujus muneris potentiam, quæ antea erat exigua:* diſperſas per urbem cohortes una in caſtra conducendo: ut ſimul imperia acciperent. *i.e. prætendens, hoc pacto omnes ſimul juſſa ducis audire,* numeroque & robore & viſu interſe fiduciâ ipſis in cæteros metus crederetur. *i. e. dum quotidiè ſe mutuò conſpiciunt milites, fieri ut & vires ſuas & quantum fiduciæ ſibi eſſe debeat, quantumque metûs aliis incutere valeant, æſtimare diſcant.* Prætendebat laſcivire militem diductum: ſi quid ſubitum ingruat, majore auxilio pariter ſubveniri. & ſeveriùs acturos *i.e. ſeveriori ſub diſciplinâ eos habitum iri,* ſi vallum ſtatuatur procul urbis illecebris. Ut perfecta ſunt caſtra, irrepere paulatim militares animos, adeundo, appellando, ſimul centuriones ac tribunos ipſe diligere. *Ex quo haurimus 4. ducem facilè ſibi totum exercitum fidelem reddere poſſe, ſi tribunos & centuriones ſuos amicos & fideles eidem præficiat. Conducit pro favore militum* 5. Remittere de ſeveritate diſciplinæ. *Sic Piſo* poſtquam Syriam ac legiones attigit, largitione, ambitu, infimos manipularium juvando, cum veteres centuriones, ſeveros tribunos demoveret, locaque eorum clientibus ſuis, vel deterrimo cuique attribueret, deſidiam in caſtris, licentiam in urbibus, vagum ac laſcivientem per agros militem ſineret, eouſque corruptionis provectus eſt, ut ſermone vulgi parens legionum haberetur. 2. *ann.* 55. 6. Comem eſſe & humanum erga milites eorumq; facta laudibus prædicare. *Sic Germanicus* facta ſingulorum militum extollere; vulnera intuens, alium ſpe, alium gloriâ, cunctos alloquio & curâ, ſibique & prœlio firmabat. 1. *ann.* 71. *Hæc & ſimilia faciunt ad conciliandam potentiam, ſine quâ fruſtrà res novæ tentantur.*

MEMBR. V.

QVÆ OBSERVANDA CIRCA PRIMORES CIVITATIS.

1. Primoribus civitatis facienda eſt ſpes honoratioris vitæ, addenduſque iiſdem dignitatum cumulus. *Nam hac re illecti favebunt actionibus nova quærentis. Id obſervavit Otho teſte Tacito 1. H. 77.*

quam-

2. Amplificatur & augetur imperium, novas civitates provinciasque adjiciendo: id quod fit vel vi vel dolo & fraudib9. *Quapropter duobus articulis comprehendemus quæ de hac materiâ dicenda nobis veniunt.*

ARTIC. I.
DE
IMPERIO VI AUGENDO.

1. Si vi quâdam vicinas civitates provinciasque adjicere velis, danda opera eſt, ut prius virtutem & potentiam earum imminuas. *Nam his ipſis terrori ſunt aliis & adverſus quoscunque vim facturos ſe tueri poſſunt.*

2. Virtus vicinorum infringitur, ſi virtuoſi, quibus inſtructi ſunt callidis artibus è medio tollantur. *Ita cùm Sextus filius Tarquinis Superbi, ſimulando ſe ob injuriam patris profugum, receptus Gabiis ſatis virium jam collectum ad omnes conatus videret, & è ſuis unum ſciſcitantem Romam ad patrem mitteret, quidnam ſe facere vellet: huic nuncio nihil voce reſponſum eſt; ſed rex velut deliberabundus, in hortum ædiū tranſiens ſequente nuncio filii tacitus ſumma papaverum capita baculo decuſſit. Sexto filio quid vellet parens, quidve præciperet tacitis ambagibus ſtatim patuit. primoresq́ civitatis, criminando alios apud populum, alios ſuâ ipſos invidia opportunos interemit. Liv. l 1. c. 54*

3. Potentia imminuitur 1. ſerendo diſcordias in civitate vel provinciâ ſubjugandâ. *Nulla enim, quamvis minima natio, poteſt ab adverſariis perdeleri, niſi propriis ſimultatib⁹ ſeipſa conſumpſerit. Nā civile odium ad inimicorum perniciem præceps eſt, ad utilitatem ſuæ defenſionis incautum. Veget. lib. 3. de Re milit. Ejusmodi ſtratagemate uſus eſt Druſ9 in Germanos, ſuggerente conſilium Tiberio. Tacitus. 2. ann: 62.* Haut leve decus Druſus quæſivit inliciens Germanos ad diſcordias, utque fracto jam Maroboduo uſq́; in exitium inſiſteretur. *i. e. ne ullum ſe colligendi ſpatium iis daretur. Hinc fit, quòd diſcordia hoſtium velut occaſio arripiatur ad eos invadendos: Idem 1. ann. 55. Germanicus* quanquam in æſtatem ſummâ ope *bellum* parabat, initio veris & repentino in Cattos excurſu præcepit. *i. e. inchoavit antè quàm deſtinaverat.* Nam ſpes inceſſerat, diſſidere hoſtem in Arminium ac Segeſtem. *i. e. hos duos duces fovere diverſas factiones. Dignum eſt quod hìc referamus factum Marci Corìolani, qui ut ignominiam damnationis ſuæ adverſus patriam ulciſceretur. populationem patriciorum agrorum inhibuit, deuſtis vaſtatisq́ plebejorum: ut diſcordiam moveret, quâ conſenſus Romanorum diſtringeretur. Liv. lib. 2. cap. 39. Conſultum autem*

eſt

eſt diſcordias dinſo vere, ut eò magis exacerbentur odia; non ſtatim primo tumultu, niſi vocatum in auxilium intervenire. Nam externus timor maximum concordiæ vinculum quamvis ſuſpectos infenſosque inter ſe jungit animos. *ut loquitur Livius cit. loc.* 2. Concitando in vicinos ſubjiciendos ipſorum vicinos invidos æmulosque. *Ita Sabini ad defectionem adverſus Romanos ſollicitarunt Vejentes. Liv. lib.* 1. *c.* 30. Et Nero duos veteres reges Agrippam Jocchum expedire copias, quîs Parthorum fines ultrò intrarent mandat. *Tacit.* 13. *ann.* 7. *Sic corbulo Mardos immiſſis Hyberis vaſtavit*, hoſtilemque audaciam externo ſanguine ultus eſt. *Tacit.* 14. *ann.* 23. 3. Munitas civitates præſidiis nudando & commeatum earum perdendo. *Ita Fabius Maximus, vaſtatis Campanorum agris, ne quid eis ad fiduciam obſidionis ſupereſſet, receſſit ſementis tempore, ut frumentum, quod reliquum habebãt, in ſationes conferrent: reverſus deinde renata protrivit & ad famem redactis potitus eſt. Ut præſidiis nudentur urbes munitæ, conſequi poſſumus, ſi aliò vocantes hoſtem efficiamus, ut ipſe præſidia è munitiſſimis civitatibus tollat.*

4. In invadendis vicinis obſervandæ ſunt occaſiones. Nim. ut invadas eos. 1. quando ſunt incauti. *Nam hæc occaſio communiter ab optimis ducibus obſervari ſolet, quando nullus apud hoſtem belli timor. Sic Germanicus Cæſar invadebat Germanos, cùm feſtam tractarent noctem, ac ſolennibus epulis ludicram. Fiunt autem vicini incauti, quando ſimulamus impotentiam & propoſitum quieſcendi, aut nos ita alienis bellis intricatos, ut nihil novi tentare valeamus.* 2. quando bellis inteſtinis laborantes aut aliàs in periculo verſantes indigent auxilio. *Ita ope & auxiliis indigi Campani, cùm hæc à Romanis denegarentur coacti ſunt ſe his dedere, quò ſuppetias impetrarent. Liv. lib.* 7. *c.* 31. *Quò autem ab infirmioribus in auxilium vocetur Reſpublica, obtinet ſuâ virtute bellicâ, potentiâ & in adjuvandis ſociis fide. Hoc eleganti ſtratagemate niſi Romani ſociis defendendis ac juvandis terrarum omnium potiti ſunt; It. Philippus Alexandri M. pater, de quo Juſtinus lib.* 8. *c.* 1. Philippus rex Macedoniæ velut è ſpeculâ quâdam libertati omnium Græciæ civitatum inſidiatus, dum contentiones civitatum alit, auxiliũ inferioribus ferendo, victos pariter ac victores ſubire regiam ſervitutem coegit. *Hæc omnium optima occaſio eſt vicinos invadendi & ſubjiciendi: habet namq; honeſti ſpeciem miſeris ſuppetias ferre & in protectionem eoſdem recipere.*

5. Si vi occupatur aliqua vicina provincia, danda eſt opera, ut præcipua & munitiſſima urbs ſtatim initio occupetur. *Ita Vitelliani duces Galliam Ciſalpinam intrantes Veronam occupare primo loco*

decreverunt. Id quod rectè factum dicit Tacitus propterea, quod potens eſſet civitas, cujus exemplum alias pertinaces civitates terrere poſſet, & movere, ut itidem ſe dederent: quin ſuis opibus exercitum Vitellianum juvare potuit. verba ejus 3. Hiſt. 5. hæc ſunt: In Veronenſibus precium fuit. exemplo opibuſque partes juvere.

6. Devictâ provinciâ aliquâ, nihil relinquendum per quod rurſus bellum excitari à ſubjectis poſſit. *Nam niſi hoc obſervetur, contingit rurſus amitti quod magno labore partum eſt. Obſervandum hac in re eſt monitum Alexandri M. apud Curt. lib. 6. c. 3.* Sicut in corporibus ægris nihil quod nociturum eſt medici relinquunt: ſic nos, quicquid obſtat imperio, recidamus. Parva ſæpe ſcintilla contempta magnum excitavit incendium. Nil tutò in hoſte deſpicitur: quem ſpreveris valentiorem negligentiâ facies.

7. Non exiſtimandum autem eſt, devictos populos jam imperio ſubjectos: *longè enim difficilius eſt, devictos ſub jugo detinere, quàm bello eoſdem ſubjicere. Florus lib. 4. c. 12.* Difficilius eſt provincias obtinere, quàm facere. viribus parantur jure retinentur. *Tutum itaque non eſt, provinciam victam potius quàm domitam habere.*

8. Præcipuum medium conſervandi provincias devictas eſt deductio coloniarum: de quibus, quatenus proſint, & quis modus ſit deducendi & deductas in officio ſuo detinendi nunc dicendum eſt. *Nam conducunt coloniæ primò ad hoc, ne opus ſit præſidia alere: deinde, ut notari poſſint & obſervari provinciales, ne quid novi moliri audeant, & tandem, ut ſucceſſu temporis adſueſiant parere. Et quia devicti populi aut ſunt prudentiores aut barbari; & illi rurſus vel feroces vel molles & effeminati: conducunt potiſſimum coloniæ, ſi devictis populis ferociſſimis & libertati deditis maxima horum pars, quæ armis adſueta eſt, trucidetur vel hinc inde ad ſervitia diſpergantur, & agri vacui in coloniam deductis adſignentur. deinde & ſi devicti populi ſint barbari, qui ſuos agros hactenus nondum ſatis excoluerunt: cùm enim barbari nondum imperiis aſſueti rigidâ cervice jugum ſubeant, ut loquitur Alexander M. apud Curtium lib. 6. c. 3 tempore opus eſt, dum mitioribus ingeniis imbuuntur, & efferatos mollior conſuetudo permulcet. Optimum hic uſum præbere Colonias quis non videt? Quò autem proſint coloniæ notandum eſt.* 1. eos deducendos qui bellicoſi ſunt. *Nam tales eſſe debent, qui vim rebellantium ſuſtineri poſſint, donec mittantur auxilia. Quam ob cauſſam Romani ſolebant veteranos mittere, & quidem integras legiones. cujus ratio patet ex iis, quæ tradit Tacitus 14 ann. 27. quando ait:* Non enim, ut olim, univerſæ legiones deducebantur cum tribunis & centurionibus, & ſui cujuſque ordinibus, militibus ut conſenſu & caritate

tate Rempubl. efficeret, ſed ignoti inter ſe, diverſis manipulis, ſine rectore, ſine affectibus mutuis, quaſi ex alio genere mortalium repentè in unum collecti, numerus magis quàm colonia. *Scil. tales mitti debent, qui apti ſunt ad conſtituendam inter ſe Rempublicam. Aut ergò veterani hoc pacto ſunt deducendi, aut cives invicem cognitiapti ut aſſueſiant armis tractandû.* 2. Hos atque tales ità mitti aſſignatis agris non ſufficit, ſed requiritur etiã, ut colonia optimè muniatur. *Nam arduum non eſt exſcindere coloniam nullis munimentis ſeptam. ut loquitur Tacitus 14. annal. 31. fin. Ex quo textu & hoc diſcimus: ipſam Rempublicã de muniendâ coloniâ ſolicitã eſſe debere, nec id deductis in coloniam committere. Nam hi amœnitati potiusquàm uſui conſulunt. i. e. ſinguli quid privatim jucundum ſit magis quærunt, quàm quod publicè utile eſt.* 3. Requiritur, ut crebrò mittantur præfecti novi in Coloniam. *Nam ita impeditur, quo min⁹ qui eas inhabitant degenerent in mores provincialium & ab his seducti in Rempublicam quid moliantur.*

9. Alterum medium, quo domari & ſub jugo detineri devicti populi poſſunt, eſt, fidelibus & ſervire perſeverantibus amicitiam & benevolentiam; movere conatis graviſſima infligere ſupplicia. *Hæc enim duo ſunt quibus homines præparantur, ut voluntatem ſuam improbam & nocere paratam emedare diſcant. Occaſionem hæc docendi petii ex geſtis Corbulonis prudentiſſimi ducis, quæ narrantur à Tacito 14. ann. 24. Verba ej⁹ hæc ſunt:* In regionem Taurantiam *Corbulo* transgreſſus improviſum periculum vitavit. Nam haud procul tentorio ejus non ignobilis barbarus cum telo repertus, ordinem inſidiarũ ſeque auctorem & ſocios per tormenta edidit. Convictique & puniti ſunt qui ſpecie amicitiæ dolum parabant. Nec multò poſt legati Tigranocerta miſſi, patêre mœnia afferunt, intentos populares ad juſſa *i. e. incolas paratos eſſe facere imperata.* Simul hoſpitale donum, coronam auream tradebant. Accepitque cum honore, nec quidquam urbi detractum, quo prompti⁹ obſequium integri retinerent, *i. e. ut retentis ſalvis rebus ſuis tantò fideliores Romanis forent.*

10. præter hæc etiam datur medium domandi devictos, quod principatuum proprium eſt, nim. ſi princeps in devictâ provinciâ ipſe degat, & provincialibus imperet, accommodando ſeſe ad illorum mores. Quâ in re tamen unà adhibenda cautio eſt, ne populus principalis provinciæ quaſi neglectus & inſuper habitus inde odium in principem conjiciat. *Nam præſentia principis tanquam victoris deterret devictos, quominus quid novi moliantur; & benevolentia ejuſdem conciliat amicitiam. Sed ſi princeps, quò captet favorem devicti populi, ita ſe accommodet hujus moribus, ut videatur hos potiores*

tiores ſuis habere, facile ſibi eo ipſo principalis populi odium parare poteſt. Sic Alexander M. devictorum Perſarum mores aſſumens eos ſibi adeò devicit, ut eum moreretur, comis hi ſuo more detonſis, in lugubri veſte, cum conjugibus ac liberis, non ut victorum & modò hoſtem, ſed ut gentis ſuæ juſtiſſimum regem lugerent. Adſueti ſub regibus vivere, non aliũ, qui imperaret ipſis, digniorem fuiſſe confitebantur. Curt. lib. 10. cap. 5. num. 17. ſed hoc ipſo ita popularium animos oculosq; offendit, ut à plerisque amicorum pro hoſte haberetur. Id. lib. 6. cap. 2. num. 2.

ARTIC. II.
DE
IMPERIO DOLIS AUGENDO.

1. Provinciæ dolo alliciendæ vel ſui juris vel alieno imperio ſubjectæ ſunt. His, ut ſuo nativo imperio ſe ſubtrahant, reddendi ſunt imperantes exoſi, promiſſâ magnâ ſub novo imperio felicitate & ſecuritate. *Nam prona ſunt hominum aures ad res novas, præſertim, ſi id ſe conſequi poſſe putent, in quo poſitam habent felicitatem ſuam. Ita Rhadamiſtus conſilio patris Pharaſmanis patruum ſuum circũvenit & regno privare ſtuduit.* Simulatâ *enim* adverſus patrem diſcordiâ, tanquam novercæ odiis impar, *adit* patruum, multâque ab eo comitate in ſpeciem liberũm cultus, primores Armeniorum ad res novas illicit, ignaro & ornante inſuper *patruo* Mithradate. *Tacit. 12. annal. 44. fin.*

2. Populus, qui ſui Juris eſt, alliciendus eſt in ſocietatem bellicam pactis unà initis, ut tot vel tot viros in auxilium mittat, mox, ut horum loco aliquid pecuniæ conferat quotannis pro defenſione illius ſuſceptâ. *Nam hæc pecunia ſine difficultate naturam tributi induere poteſt. Hoc pacto ſoliti ſunt Romani ſocios ſuos circumvenire. In ſummâ, hoc agendum, ut ſocii per reverentiam cedant, deinde procedendo per minima magis magisque intendendum imperium. De Batavis narrat Tacitus 4. Hiſt. 12. eos opibus Romanis ſocietate validiorum nondum attritos viros tantum armaque imperio miniſtraſſe. Sed cum Vitellii miniſtri non obſervarent modum in comiter hiſce tractandis nata eſt ſeditio. (procedendum enim eſt ſecundum τὸ μικρὸν.) Idem d. 4. Hiſt. cap. 14. Poſſem hîc me latius diffundere: ſed fatigatur mens nequitiis enarrandis. Hæc pro ratione Inſtitutꝰ ſufficiant: quæ propterea commemorantur, ut rationes & cauſſæ pateant Juris publici cujuscunque regni & ſtatûs.*

CAP. III.

DE RATIONE STATUS IMPERIUM INVADENTIUM NOVAMQUE FORMAM INTRODUCENTIUM.

1. *Non videtur alienum & hoc in loco tradere ea, quæ jubet Ratio ſtatûs obſervare circa immutationes Rerumpubl. quando imperium callidè invadendum vel nova forma introducenda eſt. Et quia eorum, qui invaſuri ſunt imperium aut aliquid novi molituri, prima cura eſſe debet, ut lateant; initium à modis latendi facturi ſumus.*

MEMBR. I.

DE MEDIIS LATENDI QVIBUS UTI NECESSE HABENT QVI QVID NOVI MOLITURI SUNT.

1. Novi quid tentaturos primum omnium oportet operam dare, ne videantur velle aut poſſe nova moliri. *Nam de quibus conjecturam habent imperantes, quòd velint poſſintque novi quid tentare, his maturè occurrere ſolent.*

2. Ne autem videantur velle quid adverſus imperium vel imperantes tentare, conducit 1. hypocriſis ſeu ſimulatio pietatis. *Nam qui pii putantur & Deum colentes, præſumuntur præcepta ejus obſervare, ac proinde cuicunque magiſtratui etiam improbo reverentiam & obedientiam debitam exhibere.*

3. Prodeſt 2. ſimulare humilitatem & animum à cupiditate imperandi planè alienum. *Sic in Sejano palàm compoſitus pudor, intus ſumma apiſcendi libido 4. ann. 1. Ut verò videatur quis alienus ab animo affectandi imperiũ, obtinebit, ſi ſæpius de periculis & moleſtiis, cum quibus conjunctum eſt, diſſerat cum iis, qui hoc ad imperantes iterum deferunt. Simile fecit Tiberius, qui invaſurus vel potius confirmaturus tyrannidem ſolitus eſt ita loqui :* Cuncta mortalium incerta, quantò quis plus adeptus fuerit, tantò eum magis in lubrico eſſe.

4. Tertiò ſimulandus animus cupidus quietis. *Nam quietem qui amant nihil novi facilè moliuntur. Præ ſe autem ferunt quietem, qui de moleſtiis laborum quotidiè conqueruntur; & inquietos, ſi qui ſunt, deferunt. Nam qui pœnas ſtruunt delinquentibus videntur delicta odiſſe.*

5. Conducit 4. ſpecimina nonnulla fidelitatis imperantibus exhibere. Sic Germanicus quantò ſummæ ſpei propior, *i.e.*

videbatur faciliùs imperium obtinere poſſe, tantò impenſius pro Tiberio niti. *i.e. eò fideliorem in imperio Tiberii conſervando ſeſe exhibebat. Exemplum ſpeciminis, quo fidelitatis opinionem ſibi conciliavit Sejanus apud Tiberium, exhibetur à Tacito 4.ann. 59. quando ait*: ac fortè illis diebus oblatum Cæſari anceps periculum, auxit vana rumoris: præbuitque ipſi materiam, cur amicitiæ conſtantiæque Sejani magis fideret. Veſcebantur in villâ, cui vocabulum Speluncæ, nativo in ſpecu, ejus os lapſis repentè ſaxis obruit quosdam miniſtros. hinc metus in omnes & fuga eorum, qui convivium celebrabant. Sejanus genu, vultuque & manibus ſuper Cæſarem ſuſpenſus oppoſuit ſeſe incidentibus. atque habitu tali repertus à militibus qui ſubſidio venerant. Major ex eo, & quanquam exitioſa ſuaderet, ut non ſui anxius, cum fide audiebatur.

6. Quintò prodeſt conformem ſe moribus imperantium exhibere. *Nam qui eorundem cum altero morum eſt, potius amicitiam ejus ſibi parare ſtudet, quàm ut eum ſubvertat.*

7. Septimò quicquid mali infertur ab imperantibus, ſimulare non ingratum eſſe. *Nam qui hoc ſimulat videtur cum ſuo ſtatu ſemper contentus, nec quicquam novi machinari.*

8. Ne quis videatur poſſe quid novi tentare, convenit ſimulare ſimplicitatem. *Nam ſimplices qui ſunt & nullâ calliditate nihil magnum aggredi audent. Talis erat apud Romanos Brutus, qui exactis regibus novum pro libertate populi introducebat ſtatum.*

9. Secundò inertiam. *Sic Salvium Titianum fratrem Othonis ſua juvit inertia & ignavia, ut ſub Vitellio ſalvus eſſet. Tacitus 2. Hiſt. 60.* Salvius Titianus Othonis frater nullum diſcrimen adiit pietate & ignaviâ excuſatus *i.e. quòd fratrem ſalvâ pietate deſtituere non potuerit, nec Vitellio ob ignaviam formidabilis exiſteret.*

10. Tertiò laborum impatientiam, vel etiam ſe otio deditum. *Sic Memmius Regulus, licet ob auctoritatem, conſtantiam famam clarus adeò ut ab ipſo Nerone dignus imperio cenſeretur*: vixit tamen quiete defenſus *i. e. quòd videretur otii & quietis ſtudioſus*, & quia novi generis claritudine nec invidioſis opibus erat. 14. *annal.* 47.

11. In univerſum autem prodeſt nova tentaturis omnia ſigna, ex quibus quis alteri inſidias ſtruere colligitur, evitare. *Talia ſunt* 1. ſubitò & nimium præterque ſolitum blandiri, *Tacitus 13. annal.* 13. Tum Agrippina, *mater Neronis quæ hactenus ſeveram ſe erga filium exhibuerat*, verſis artibus per blandimenta juvenem aggredi, ſuum potius cubiculum ac ſinum offerre contegendis, quæ prima ætas & ſumma fortuna expeterent. Quin & fatebatur intempeſtivam

vam ſeveritatem, & ſuarum opum, quæ haud procul imperatoriis aberant, copias tradebat. Ut nimia nuper coercendo filio; ita rurſus intemperanter demiſſa. Quæ mutatio neque Neronem fefellit, & proximi amicorum metuebant, orabantque caveri inſidias mulieris ſemper atrocis tum & falſæ. *i. e. tam repentinam mutationem Nero ſuſpectam habuit & alere quid monſtri non modò ipſe, ſed ejus amici viderunt.* 2. Nimis meditatè loqui. *Referatur huc exemplum, quod habet Tacitus 4. ann. 68.* 3. Scrutari arcana. *Hinc M. Terentius apud Tacitum 6, ann. 8.* abditos principis ſenſus, & ſi quid occultius parat, exquirere illicitum. 4. nimio ſilentio uti. *Nam ſemper aliquid monſtri alunt qui magis cum fortunâ principis quàm principe ipſo loquuntur.* 4. Parare ſibi media rebus novis inſervientia. *v. g. corradere pecuniam, militum favorem ſibi conciliare, ſecreta cum amicis tractare colloquia 13. ann. 18. verb.* at matris.

12. Tandem ſi vi ſolâ invadere imperium quis velit, adhibebit celeritatem. *Nam tyrannidem nemo niſi celeriter maturatam ſecretò invadit, & publicè armat, cujus ſumma eſt, aſſumpto diademate ac purpurâ videri antequam ſciri. inquit Oroſius lib. 7. cap. 40.* Sin verò fraudibus meris uti velis; ſequentis membri præcepta proderunt.

MEMBR. II.
DE IPSA MUTATIONE REIPUBL. DUM FIT, OCCULTANDA.

1. Quò ipſa mutatio occultetur, & ne qui in Republ. ſunt ſentiant eam fieri, conducit 1. obſervare τὸ μικρὸν i.e. ita mutando Rempubl. procedere ne ſentiatur mutatio fieri ſed facta eſſe. *Sunt enim multa in naturâ etiam ita comparata, ut eadem non moveri ſed mota eſſe tandem videamus: ita nemo videt gramen creſcere ſed creviſſe, nemo videt lapidem ſtillicidio cavari ſed cavatum. Pari ratione procedendum eſt in Republ. immutandâ, ſi velis mutationem latere. Tale quippiam ſub imperatoribus contigiſſe videmus licentiam judicandi vulgantibus, de quâ in liberâ Republ. tot diſſenſiones inter ordines civitatis, equeſtrem, ſenatorium & plebejum erant.* Nam Auguſtus apud equeſtres, qui Ægypto præſiderent, lege agi, decretaque eorum perinde haberi juſſerat, ac ſi magiſtratus Romani conſtituiſſent: mox alias per provincias; & in urbe pleraque conceſſa ſunt, quæ olim à prætoribus noſcebantur. Claudius omne Jus tradidit, de quo toties ſeditione aut armis certatum, cùm Semproniis rogationibus equeſter

 ordo

ordo in poſſeſſione Judiciorum locaretur, aut rurſum Serviliæ leges Senatui judicia redderent.

2. Secundò hoc agendum, ut imago veteris Reipubl. ſuperſit. *Id potiſſimum in mutandâ Reipubl. & firmandâ tyrannide obſervavit Tiberius Tacit. 3. ann. 60.* Sed Tiberius vim principatûs ſibi firmans imaginem antiquitatis Senatui præbebat poſtulata provinciarum ad diſquiſitionem patrum mittendo. *Ex hoc Taciti textu diſcimus, ſimulari veterem Rempubl. ſupereſſe ſi quandoque actus concedatur veteris Reipubl. proprius. Hinc idem Tacitus 13. annal. 28.* Manebat nihilominus quædam imago Reipubl. Nam inter Vibullum prætorem & plebei tribunum Antiſtium ortum certamen, quòd immodeſtos fautores hiſtrionum, & à prætore in vincula ductos tribunus omitti juſſiſſet. *i. e. intercesſiſſet, quaſi adhuc veteri Republ.* Comprobavêre patres incuſatâ Antiſtii licentiâ &c. *Elegans præter hunc eſt textus 1. annal. 77.* Actum de ſeditione hiſtrionum apud Patres, dicebanturque ſententiæ, ut prætoribus jus virgarum in hiſtriones eſſet. Intercesſit Haterius Agrippa, tribunus plebei, increpitusque eſt Aſinii Galli oratione, ſilente Tiberio, qui ea ſimulacra libertatis Senatui præbebat. *Hæc ita miſeros peragere Tiberius permittebat, quo conciperent, ſe adhuc in Republ. liberâ, in quâ perpetuæ cum tribunis erant contentiones, vivere.* Manet 2. veteris Reipubl. imago, ſi leges priſtinæ retineantur. *Nam retentis LL. bus videtur priſtina Reſpubl. ſupereſſe. Tacitus 4. ann. 6.* ſua conſulibus, ſua prætoribus ſpecies. Minorum quoque magiſtratuum exercita poteſtas; legesq; ſi majeſtatis quæſtio eximeretur, bono in uſu. *Hinc monet Ariſtoteles, non ſemper ex LL. bus ſtatum Reipubl. dignoſci poſſe propterea, quòd retentis legibus ſtatus nonnunquam mutetur.* Callidum quoque 3. eſt pro imagine Reipubl. retinendâ admittere, ut judicia in cauſſis privatorum veteri more tractentur. *Nam hoc parum ad ſtatum facit, interim ſpeciem Reipubl. priſtinæ conſervat. De Tiberio Tacitus ita:* ſi quando cum privatis diſceptaret, forum & jus. *i. e. patiebatur ſecum in Jure lege agi per procuratores.* 4. Retentis magiſtratuum vocabulis & ornamentis, cultuque, nihil aut parum poteſtatis ipſis relinquere. *Tacitus 1. annal. 3.* Domi res tranquillæ, eadem magiſtratuum vocabula: *munia autem in ſe traxerat Auguſtus 1. ann. 2.* 5. Subire magiſtratum magnæ poteſtatis in veteri Republ. *Nam ita ſub ſpecie veteris Reipubl. tyrannis exerceri poteſt. Sic Auguſtus invaſurus tyrannidem ſimulabat,* ſe tribunicio jure contentum *1. ann. 2. Nam ita captabat benevolentiam apud plebem tanquam defenſor ejusdem & conſequebatur facultatem infringendi omnia SCta, adeoque ſuo nutu regendi Rempubl. Tacitus*

3. ann. 56.

3. *ann.* 56. Id ſummi faſtigii vocabulum Auguſtus reperit, ne regis aut Dictatoris nomen adſumeret, ac tamen appellatione aliquâ cæte a imperia præmineret.

3. Subtiliſſimus eſt modus: mutationem ita inſtituere, ut nihil dignitati cujusquam ademptum, ſed ea aucta potius compareat. *Ita cùm Tiberius comitia è campo Martio in curiam transferret i.e. populo jus comitiorum adimeret, & patribus daret deliberanda, quæ in comitiis tractabantur: videbatur hoc ipſo aucta poteſtas Senatorum; populus autem nihil amiſiſſe; quia Tiberius velut tribunus non admittebat, ut ſenatus quicquam in perniciem populi decerneret. Sed cùm Senatores nihil decernere auderent, quod præviâ imperatoris Oratione non eſſet præſcriptum: accidebat hoc pacto, omnem de rebus magnis deliberandi & decernendi poteſtatem in imperatorem transferri. Tacit. 1. annal.* 15. Tum primùm è campo comitia ad Patres translata ſunt. nam ad eam diem, & ſi potiſſima arbitrio principis, quædam tamen ſtudiis tribuum fiebant: neque populus ademptum jus quæſtus eſt, niſi inani rumore.

MEMBR. III.

DE IMPERANTIBUS IN REPUBL. EVERTENDA CALLIDE SUPPRIMENDIS.

1. Qui de imperio dejiciendi invadendi vel tollendi ſunt callidis artibus devinciendi ſunt quò arcana pectoris revelent, & incauti fiant. *Nam ſi eos incautos reddideris jam adeptus es occaſionem eos invadendi & deturbandi, ſive id fiat vi ſive clandeſtinis artibus. Id fecit Sejanus invaſurus imperium:* Tiberium *enim* variis artibus devinxit adeò, ut obſcurum adverſum alios ſibi uni incautum intectumque efficeret. *Tale conſilium ſuſceptum à Rhadamiſto, cùm patruum è regno ejecturus eſſet: quò enim incautum eum opprimeret,* ſimulatâ adverſus patrem diſcordiâ, tanquam novercæ odiis impar pergit ad patruum Mithradatem, multâque ab eo comitate in ſpeciem liberûm cultus, primores Armeniorum ad res novas illicit, ignaro & ornante ſeu inſtruente inſuper Mithradate.

2. Danda & opera eſt, ut fiant exoſi & contemptibiles. *Nam his duobus ſolent imperia everti. Hæc ſumma erat conſilii quod ſuggerebatur Quadrato* 12. *ann.* 48. *Semina odiorum adverſus Rhadamiſtum facienda, tutum Romanis Rhadamiſtum inviſum & infamem eſſe.*

3. Antequam ipſi imperantes tollantur è medio, ſi aliâ ratione ſupprimi nequeunt, removendi ſunt ſucceſſuri in imperio.

1. *Hiſt.* 38. *Allicere autem & ad ſe trahere milites quis poteſt donis. Ita Auguſtus pellexit donis militem* 1. *ann.* 2. *Quod ipſum imitantes cæteri imperatores fecerant, ut omne imperium in manu militum eſſet. Otho per ſpeciem convivii, i.e. quaſi ſportulas convivales daret quoties Galba apud eum epularetur cohorti excubias agenti viritim centenos numos dividi curavit.* 1. *Hiſt.* 24. *Lubet hic enarrare artificium, quo uſus eſt Sejanus, de quo Tacitus* 4. *ann.* 2. Vim præfecturæ modicam antea intendit *i.e. cùm factus eſſet præfectus prætorio auxit hujus muneris potentiam, quæ antea erat exigua*: diſperſas per urbem cohortes una in caſtra conducendo: ut ſimul imperia acciperent. *i.e. prætendens, hoc pacto omnes ſimul juſſa ducis audire*, numeroque & robore & viſu inter ſe fiduciâ ipſis in cæteros metus crederetur. *i. e. dum quotidiè ſe mutuò conſpiciunt milites, fieri ut & vires ſuas & quantum fiduciæ ſibi eſſe debeat, quantumque metûs aliis incutere valeant, æſtimare diſcant.* Prætendebat laſcivire militem diductum: ſi quid ſubitum ingruat, majore auxilio pariter ſubveniri. & ſeveriùs acturos *i.e. ſeveriori ſub diſciplinâ eos habitum iri*, ſi vallum ſtatuatur procul urbis illecebris. Ut perfecta ſunt caſtra, irrepere paulatim militares animos, adeundo, appellando, ſimul centuriones ac tribunos ipſe diligere. *Ex quo haurimus* 4. *ducem facilè ſibi totum exercitum fidelem reddere poſſe, ſi tribunos & centuriones ſuos amicos & fideles eisdem præficiat. Conducit pro favore militum* 5. Remittere de ſeveritate diſciplinæ. *Sic Piſo* poſtquam Syriam ac legiones attigit, largitione, ambitu, infimos manipularium juvando, cum veteres centuriones, ſeveros tribunos demoveret, locaque eorum clientibus ſuis, vel deterrimo cuique attribueret, deſidiam in caſtris, licentiam in urbibus, vagum ac laſcivientem per agros militem ſineret, eousque corruptionis provectus eſt, ut ſermone vulgi parens legionum haberetur. 2. *ann.* 55. 6. Comem eſſe & humanum erga milites eorumq; facta laudibus prædicare. *Sic Germanicus* facta ſingulorum militum extollere; vulnera intuens, alium ſpe, alium gloriâ, cunctos alloquio & curâ, ſibique & prœlio firmabat. 1. *ann.* 71. *Hæc & ſimilia faciunt ad conciliandam potentiam, ſine quâ fruſtrà res novæ tentantur.*

MEMBR. V.

QVÆ OBSERVANDA CIRCA PRIMORES CIVITATIS.

1. Primoribus civitatis facienda eſt ſpes honoratioris vitæ, addendusque iisdem dignitatum cumulus. *Nam hac re illecti favebunt actionibus nova quærentis. Id obſervavit Otho teſte Tacito* 1. *H.* 77.

quatī

quando ait: Sed Otho pontificatus Auguratûsque honoratis jam ſenibus cumulum dignitatis addidit. *i.e. viros ſenes geſtis honoribus claros honoratiores reddidit, cooptando in collegium pontificum & augurum.* & recens ab exilio reverſos nobiles adoleſcentulos, avitis ac paternis ſacerdotiis in ſolatium recoluit. *i.e. in ſolatium reſtituit his ſacerdotia, quæ patres avique eorum obtinuerant.*

2. Sollicitari quoque poſſunt ad ſocietatem. *Cujus cauſſam præced. membr. tradidimus. Conſultum verò eſt & tunc id facere, licet potentia hiſce non multum augeatur: ut ſcil. participes redditi imperii in ſpeciem & amici invadentis imperium eò fideliores exiſtant. Sic Catualda validâ manu fines Marcomannorum ingreſſus ſollicitavit primores ad ſocietatem, 2. ann. 62.*

3. Fidelibus & ſervitio promptis tribuendi ſunt ampliſſimi honores. *Nam præmiis talibus allecti cæteri ruent in ſervitia. vid. 1. ann. 2. verb.* cæteri nobilium. &c.

MEMBR. VI.
DE
PARANDA PLEBIS BENEVOLENTIA.

1. Captatur vulgi amicitia 1. largitionibus. *Nam ex utilitate vulgus omnem amicitiam æſtimat. Sic Auguſtus pro captando favore plebis frumentum menſtruum diſtribui curavit. 1. ann. 2. verb. populum annonâ.*

2. Secundò novum & diu exoptatum bonum populo exhibendo. *Hoc pacto namque lætus ipſi & amabilis novus ſtatus exiſtet, qualis contingebat Romanis cùm Auguſtus poſt diuturna bella exoptatam pacem ipſis reſtitueret. Tacitus 1. ann. 2.* cunctos dulcedine otii pellexit.

3. Tertiò libertatis aliquam imaginem concedendo. *Nam libertas omnibus jucunda.*

4. Quartò ingeniis ac moribus eorundem ſeſe accommodando. *Nam moleſtum eſt vulgo & barbaris quicquid moribus ipſorum contrarium eſt. Tacitus 2. ann. 56.* Regem illa tempeſtate *Parthi* non habebant amoto Vonone, ſed favor nationis inclinabat in Zenonem, quòd is primâ ab infantiâ inſtituta & cultum Armeniorum æmulatus, venatu, epulis, & quæ alia barbari celebrant, proceres plebemque juxta devinxerat.

MEMBR. VII.
DE
CURA PROVINCIARUM HABENDA AB EO QVI IMPERIUM INVASURUS EST.

1. Provinciæ Reipubl. ſubjectæ vel ſunt imbelles & invalidæ, vel tales quibus vis ineſt ſeſe opponendi imperium invadentibus. Imbellium rationem habere non exigit neceſſitas, *Nam inermes provinciæ cuicunque ſervitio expoſitæ ſunt, & in precium belli cedunt. Tacit. 1. Hiſt. 11.*

2. Quæ autem provinciæ vi aliquâ valent, circa has non cunctandum, ſed 1. injectâ trepidatione aliquâ ſtatim invadendæ ſunt. *Hec cauſſa movebat milites, ut ſuaderent Vitellio, invadendas eſſe provincias maturè. Tacitus 1. Hiſt. 62.* Mira inter exercitum imperatoremque diverſitas. Inſtare miles, arma poſcere, dum Galliæ trepident, dum Hiſpaniæ cunctentur, non obſtare hyemem, neque ignavæ pacis moras. invadendam Italiam, occupandam urbem, nihil in diſcordiis civilibus feſtinatione tutius, ubi facto magis quàm conſilio opus eſſet. *Quo autem ſeſe ſubjiciant, perſuaſionibus initiò uti ſalutare eſt, objectâ ſpe meliorum; quibus ſi non moventur, vim adhiberi neceſſe eſt. Id obſervavit Vitellius injungens Fabio Valenti, ut Gallias perſuaſionibus in partes traheret, vel ſi imperium reſpuerent, in tranſitu eaſdem popularetur. Tacitus 1. H. 61.* Fabius Valens allicere vel ſi abnuerent vaſtare Gallias, & Cottianis Alpibus Italiam irrumpere.

3. Occupatæ provinciæ bellicoſæ præſidiis ſunt muniendæ. *Nam licet ſimulent ſubjectionem; fides tamen iis nulla tribui poteſt; quia ruunt quò metus quò ſpes commodi ducit, ſuntque, qui mores ſunt vulgi, inſtabiles. Sic Corbulo* ne *Friſii* juſſa exuerent, præſidium immunivit. 11. *ann.* 19.

4. Non tamen initiò duriter; ſed ita tractandæ, ut harum benevolentia captetur: id quod fit 1. minuendo tributa. *Nam in hoc provinciæ imperiis ſubjectæ omnem ſuam felicitatem poſitam habent: Id namque unicè exoptant, ut à tributis immunes fiant. Circa Cappadoces à Romanis id obſervatum teſtatur Tacitus. 2. ann. 56.* At Cappadoces in formam provinciæ redacti Q. Veronium Legatum accepêre. & quædam ex regiis tributis deminuta, quò mitius Romanum imperium ſperaretur. 2. Cætera privilegia, quæ habent, augendo. *Talia Othonem initio imperii largitum provinciis privilegia teſtatur Tacitus 1. H. 78. Nam* Hiſpalenſibus & Emeritenſibus familiarum adjectiones *i. e. ut novas familias in ſuam coloniam adoptare poſſent,* Lingonibus univerſis civitatem Romanam, provinciis Bæticæ Maurorum civitates dono dedit; nova jura Cappadociæ, nova Africæ, oſtentui magis quàm manſura. 3. Inania & ſervitium indicantia negligere, vimque potius imperii quærere. *Nonnulli quidem exiſtimant, niſi*

provinciales adhibitis ceremoniis ſeſe ſubmiſerint, ſe nondum poſſeſſionem in provinciis adeptos eſſe: ſed falluntur: dum enim actu aliquo ſervili ſuam ſubjectionem declarare tenentur, moleſtiâ ex novo imperio afficiuntur. Ejusmodi inania neglexêre Romani. Exemplum eſt apud Tacitum 15. annal. 31. Et digreſſus, *inquit, Tiridates* Pacorum apud Medos, Vologeſen Ecbatanis reperit, non incurioſum fratris: quippe & propriis nunciis *i.e. ſuo non fratris nomine* à Corbulone petierat, ne quam imaginem ſervitii Tiridates perferret. *i.e. ne quid facere nimium humile & rege indignum teneretur ad conteſtandam ſuam ſubjectionem.* neu ferrum traderet, aut complexu provincias obtinentium arceretur. *i.e. ſalutatione proconſulum prohiberetur*, foribusve eorũ adſiſteret *i.e. ante fores eorum tardè admiſſus præſtolari cogeretur*: tantusque Romæ, quantus Conſulibus, honor eſſet. Scil. externæ ſuperbiæ ſueto non erat notitia noſtri: apud quos jus imperii valet, inania tranſmittuntur. *i. e. erat faſtui adſuetus Tiridates, cui barbari reges operam dare ſolent, facilitatem Romanorum ignorans: hi namque ſolennitates non curant contenti ſe habere imperium.*

5. Provinciæ porrò, quæ ſub imperio ſunt, vel regibus gubernantur vel præſidibus, qui in eas mittuntur. His quæ regibus gubernantur interdum præponendus novus rex venit, quod quando accidit, eligendus eſt ex eâ familiâ, cui provinciales parere adſueti ſunt, aut moribus talibus, quales amant nec adverſantur. *Nam favor erga familiam, cui parére adſueti ſunt barbari non facilè remittitur; vid. Tacit.* 14. *ann.* 26. Si rex provinciæ alicujus deponi nequeat & bellicoſus ſit, ut in ſervitio non facilè detineri queat, in belli ſocietatem aſſumendus, & cum eodem intima fingenda amicitia. *Nam hoc ipſo ſuam ſe conſecuturam plenam libertatem ſperabit nec amicitiam & auxilium reſpuet.*

6. Præſidum in provinciis captanda benevolentia & in eorum locum, qui provincialibus accepti non ſunt, ſubſtituendi qui alieni ſunt à parientibus luxum, formidinem, contemptum, apti autẽ ad conciliandum hominum favorem & benevolentiam. *Hoc namq; modo fiet, ut de ſtatû ex novo imperio lætiori ſibi gratulentur qui in provinciis ſunt. Aptiſſimi qui imperii initio provinciis præficiantur ſunt moribus inſtructi, qualibus præditus erat Licinius Mucianus, de quo Tacitus* 1. *Hiſt.* 10. *Mucianus* apud ſubjectos *i. e. imperio ipſius traditos*, apud proximos *i.e. amicos & ſodales*, apud collegas, variis illecebris potens: & cui expeditius fuerat tradere imperium quàm obtinere. *i. e. qui facilius alii imperium invadenti auxilio eſſet, quàm ipſe imperium invaderet.*

MEMBR.

MEMBR. VIII.

De
IMPERIO NOVO FIRMANDO.

1. Pro firmando imperio novo facit 1. bonus prætextus abrogandi vetus. *Nam eò juſtius videtur novum, quò juſtior videtur cauſſa impugnandi vetus. Poſſunt autem prætextus peti* 1. à religione, *Nam vulgus ſuperſtitioſum eſt, nec facilè tolerat quod contra receptam & patriam religionem facit.* 2. à libertate. *Nam nihil juſtius videtur, quàm populum à ſævitiâ, crudelitate tyrannorum & relictorum heriliter imperantium liberare. Nihil etiam acceptius præſtantiusque eſt tyrannorum depulſoribus inquit Aurel. Victor. de Cæſar.* 3. à quâlibet aliâ felicitate, quam cives & qui ſub imperio intendunt. *Nam juſtum videtur quicquid pro amovendâ infelicitate hominum ſuſcipitur.*

2. Secundò danda eſt opera iis qui novum imperium invaſerunt, quò videantur hoc voluntate ſubditorum accepiſſe. *Nam juſtum reputatur quod ex voluntate ſubditorum tenetur imperium. Hæc inter alias cauſſa fuit, quare Tiberius initio imperii cuncta per Conſules inciperet tanquam vetere Republ. & ambiguus imperandi. Nam* ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, niſi tribunitiæ poteſtatis præſcriptione poſuit ſub Auguſto acceptæ. Verba edicti fuère pauca, & ſenſu permodeſto. de honoribus parentis conſulturum; neque abſcedere à corpore: idque unum ex publicis muneribus uſurpare. Sed defuncto Auguſto ſignum prætoriis cohortibus ut imperator dederat excubiæ. arma, cætera aulæ. miles in forum, miles in curiam comitabatur. literas ad exercitus tanquam adepto principatu miſit: nuſquam cunctabundus, niſi cùm in ſenatû loqueretur. *i.e. in ſenatu tantùm ſimulabat ſe nolle eſſe imperatorem.* Cauſſa præcipuè ex formidine, ne Germanicus, in cujus manu tot legiones, immenſa ſociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium, quam expectare mallet. Dabat & famæ, ut vocatus electusque potius à Republ. videretur, quàm per uxorium ambitum & ſenili adoptione irrepſiſſe. 1. *annal.* 7.

3. Diſſimulanda 3. honorum cupiditas. *Nam ita videbitur boni publici gratiâ imperium occupatum, eritque erga novellum imperantem major favor. Obtinetur hoc, ſi evitantur tituli & ambitioſa vocabula, aliique inanes honores. Ex hoc principio Seneca informavit Neronem, ut ſtatuas ſibi argento vel auro ſolidas adverſus offerentes prohiberet: Et quanquam cenſuiſſent patres, ut principium anni inciperet menſe Decembri, quo ortus erat Nero, veterem religionem Kal. Januar. inchoando anno retineret. 13. ann.* 10.

4. Quartò quod omnibus imperantibus ratio ſtatus dictitat, ut ſcil. præ ſe ferant virtutes, occultent vitia, id multo magis eos, qui imperium quod invaſerunt confirmare volunt, obſervare decet. *Dum enim præ ſe ferunt virtutes, videntur non injuſtè occupaſſe imperium, ſed tanquam debitum. Sunt autem virtutes, quæ præ cæteris à novellis imperantibus ſimulandæ ſunt clementia & liberalitas. Nam vulgus nihil magis exoptat, quàm lucrum & delictorum impunitatem. Quam ob cauſſam Seneca Neronem inſtigabat, ut initio imperii ſuam clementiam non modò deprædicaret, ſed & nonnunquam oſtentaret. Tacitus* 13. *ann.* 11. Secutaque lenitas in Plautium Lateranum, quem ab odulterium Meſſalinæ ordine remotum reddidit Senatui, clementiam ſuam obſtringens crebris orationibus; quas Seneca teſtificando, quàm honeſtè præciperet vel jactandi ingenii, voce principis vulgabat: *Idem Tacitus reprehendit Mithradatem, quod clementiâ, quæ initio novi regni utilis eſt, uſus non ſit, quando dicit*, atrociorem *eum fuiſſe*, quàm novo regno conduceret. 11 *ann.* 9. *Liberalitate ſolâ Tiberius, crudeliſſimus alias, effecit, ut cæterorum vitiorum oblivi ſcerentur cives. Tacit.* 2. *ann.* 48. Magnificam in publicum largitionem auxit Cæſar haud minus gratâ liberalitate, quòd bona Æmiliæ Muſæ locupletis inteſtatæ petita in fiſcum, *velut caduca*, Æmilio Lepido, cujus è domo videbatur; & Patulei divitis equitis Romani hereditatem (quamquam ipſe heres in parte legeretur) tradidit M. Servilio, quem prioribus neque ſuſpectis tabulis ſcriptum compererat; nobilitatem utriusque pecuniâ juvandam præfatus. *Vitia verò ea potiſſimum ſunt fugienda aut diſſimulanda, ob quæ dejecti de imperio à civibus vel imperio ſubjectis fuêre reprehenſi. Id ipſum obſervavit Vitellius initio imperii, quando aulica officia non ut anteriores principes ſuis libertis, ſed equitibus Romanis deferebat. Tacitus* 1. *H.* 58. Vitellius magiſteria principatûs per libertos agi ſolita in equites Romanos diſponit. *Cumprimis autem adulatorum blanditiis, quibus ſeduci ſolent qui novum imperium ſunt adepti, reſiſtendum. Nam & prudentes viri nonnunquam ſeſe patiuntur ſeduci, ut nimis tyrannicè imperent.*

5. Amici & fideles extollendi & magnis rebus præficiendi. *Nam hoc pacto in his augebitur ſtudium, & cæteri eadem præmia expectantes illos imitabuntur. Tacitus* 1. *Ann.* 3. Cæterùm Auguſtus ſubſidia dominationis *i. e. ut novam ſuam tyrannidem firmaret*, Claudium Marcellum, ſororis filium admodum adoleſcentem, Pontificatu & curuli ædilitate; M. Agrippam ignobilem loco, bonum militiâ & victoriæ ſocium geminatis Conſulatibus extollit.

6. Hominum in arte bellicâ peritorum & potentiorum, qui pu-

putantur fideles futuri conciliatâ amicitiâ, benevolentia, mediante affinitate, paranda. *Nam hominum virtutibus parum deditorum vix ulla alia conſtantior & firmior poteſt reperiri amicitia. Sic Auguſtus M. Agrippam, de quo num. præced. diximus, quamvis ignobilis eſſet, ob peritiam in arte militari, defuncto Marcello, cui Julia filia Auguſti erat juncta, generum ſumpſit. 1. ann. 3. Et Vitellius Valerium Aſiaticum Belgicæ provinciæ firmandi imperii cauſsâ generum adſcivit. 1. H. 59. verb.* acceſsêre.

7. Si ſint nonnulli ex potentioribus metuendi, qui tamen tolli non poſſunt, his conſultum dare imperium aliquod ſed jungere collegas contumaces & refractarios. *Nam ita futurum, ut non modò nihil præclarum potentiæ augendæ cauſsâ gerere poſſint, ſed etiam in inſidias collegarum incidant. Sic cùm à Germanico ſibi metueret Tiberius, orienti eum præfecit; jungens eidem Piſonem hominem ferocem & parêre neſcientem. Tacitus 2. ann. 43.* Tunc decreto Patrum permiſſæ Germanico provinciæ, quæ mari dividuntur *i. e. trans mare mediterraneum ſitæ ſunt*, majuſque imperium quoquo adiſſet, quàm his qui ſorte *i. e. proconſules* aut miſsû principis *i. e. præſides* obtinerent. Sed Tiberius demoverat Creticum Silanum, per affinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni vetuſtiſſimo liberorum ejus pacta erat; præfeceratque Qn. Piſonem ingenio violentum & obſequii ignarum, inſitâ ferociâ à patre Piſone & præter paternos ſpiritus, uxoris quoque Plancinæ nobilitate & opibus accendebatur. vix Tiberio concedere, liberos ejus ut multum infrà deſpectare: nec dubium habebat, ſe delectum, qui Syriæ imponeretur ad ſpes Germanici coercendas.

8. Securum quoque redditur novum imperium præſertim tyrannicum electis & conſtitutis ſucceſſoribus multis. *Nam fruſtrà exiſtimabunt tolerare imperium nolentes tolli eos qui in imperio ſunt, ſi videant ſucceſſores adeſſe. Exemplum præbet Auguſtus, qui* Agrippam ſocium poteſtatis *tribunitiæ & hoc* defuncto, Tiberium Neronem dilegit, ne ſucceſſor in incerto foret. Sic cohiberi aliorum ſpes rebatur: Simul modeſtiæ Neronis & ſuæ magnitudini fidebat. 3. *annal. 56.*

9. Cumprimis autem hoc agendum eſt, ne qui ſub imperio ſunt ſpe fruſtrentur, quâ ducti mutationem Reipublicæ admiſerunt. *Quippe humanæ mentes fruſtratæ boni ſpe aſperius offenduntur, cùm mutato rectore flagitioſe ærumnarum vis manet. ut loquitur Aurel. Vict. de Cæſar.*

videbatur faciliùs imperium obtinere poſſe, tantò impenſius pro Tiberio niti. *i.e. eò fideliorem in imperio Tiberii conſervando ſeſe exhibebat. Exemplum ſpeciminis, quo fidelitatis opinionem ſibi conciliavit Sejanus apud Tiberium, exhibetur à Tacito 4.ann.59. quando ait*: ac fortè illis diebus oblatum Cæſari anceps periculum, auxit vana rumoris: præbuitque ipſi materiam, cur amicitiæ conſtantiæque Sejani magis fideret. Veſcebantur in villâ, cui vocabulum Speluncæ, nativo in ſpecu, ejus os lapſis repentè ſaxis obruit quosdam miniſtros. hinc metus in omnes & fuga eorum, qui convivium celebrabant. Sejanus genu, vultuque & manibus ſuper Cæſarem ſuſpenſus oppoſuit ſeſe incidentibus. atque habitu tali repertus à militibus qui ſubſidio venerant. Major ex eo, & quanquam exitioſa ſuaderet, ut non ſui anxius, cum fide audiebatur.

6. Quintò prodeſt conformem ſe moribus imperantium exhibere. *Nam qui eorundem cum altero morum eſt, potius amicitiam ejus ſibi parare ſtudet, quàm ut eum ſubvertat.*

7. Septimò quicquid mali infertur ab imperantibus, ſimulare non ingratum eſſe. *Nam qui hoc ſimulat videtur cum ſuo ſtatu ſemper contentus, nec quicquam novi machinari.*

8. Ne quis videatur poſſe quid novi tentare, convenit ſimulare ſimplicitatem. *Nam ſimplices qui ſunt & nullâ calliditate nihil magnum aggredi audent. Talis erat apud Romanos Brutus, qui exactis regibus novum pro libertate populi introducebat ſtatum.*

9. Secundò inertiam. *Sic Salvium Titianum fratrem Othonis ſua juvit inertia & ignavia, ut ſub Vitellio ſalvus eſſet. Tacitus 2. Hiſt. 60.* Salvius Titianus Othonis frater nullum diſcrimen adiit pietate & ignaviâ excuſatus *i.e. quòd fratrem ſalvâ pietate deſtituere non potuerit, nec Vitellio ob ignaviam formidabilis exiſteret.*

10. Tertiò laborum impatientiam, vel etiam ſe otio deditum. *Sic Memmius Regulus, licet ob auctoritatem, conſtantiam famam clarus adeò ut ab ipſo Nerone dignus imperio cenſeretur*: vixit tamen quiete defenſus *i. e. quod videretur otii & quietis ſtudioſus*, & quia novi generis claritudine nec invidioſis opibus erat. 14. *Annal.* 47.

11. In univerſum autem prodeſt nova tentaturis omnia ſigna, ex quibus quis alteri inſidias ſtruere colligitur, evitare. *Talia ſunt* 1. ſubitò & nimium præterque ſolitum blandiri, *Tacitus* 13. *annal.* 13. Tum Agrippina, *mater Neronis quæ hactenus ſeveram ſe erga filium exhibuerat*, verſis artibus per blandimenta juvenem aggredi, ſuum potius cubiculum ac ſinum offerre contegendis, quæ prima ætas & ſumma fortuna expeterent. Quin & fatebatur intempeſti-

vam ſeveritatem, & ſuarum opum, quæ haud procul imperatoriis aberant, copias tradebat. Ut nimia nuper coercendo filio; ita rurſus intemperanter demiſſa. Quæ mutatio neque Neronem fefellit, & proximi amicorum metuebant, orabantque caveri inſidias mulieris ſemper atrocis tum & falſæ. *i. e. tam repentinam mutationem Nero ſuſpectam habuit & alere quid monſtri non modò ipſe, ſed ejus amici viderunt.* 2. Nimis meditatè loqui. *Referatur huc exemplum, quod habet Tacitus 4. ann. 68.* 3. Scrutari arcana. *Hinc M. Terentius apud Tacitum 6, ann. 8.* abditos principis ſenſus, & ſi quid occultius parat, exquirere illicitum. 4. nimio ſilentio uti *Nam ſemper aliquid monſtri alunt qui magis cum fortunâ principis quàm principe ipſo loquuntur.* 4. Parare ſibi media rebus novis inſervientia. *v. g. corradere pecuniam, militum favorem ſibi conciliare, ſecreta cum amicis tractare colloquia 13. ann. 18 verb.* at matris.

12. Tandem ſi vi ſolâ invadere imperium quis velit, adhibebit celeritatem. *Nam tyrannidem nemo niſi celeriter maturatam ſecretò invadit, & publicè armat, cujus ſumma eſt, aſſumpto diademate ac purpurâ videri antequam ſciri. inquit Oroſius lib. 7. cap. 40.* Sin verò fraudibus meris uti velis; ſequentis membri præcepta proderunt.

MEMBR. II.

DE IPSA MUTATIONE REIPUBL. DUM FIT, OCCULTANDA.

1. Quò ipſa mutatio occultetur, & ne qui in Republ. ſunt ſentiant eam fieri, conducit 1. obſervare τὸ μικρὸν i.e. ita mutando Rempubl. procedere ne ſentiatur mutatio fieri ſed facta eſſe. *Sunt enim multa in naturâ etiam ita comparata, ut eadem non moveri ſed mota eſſe tandem videamus: ita nemo videt gramen creſcere ſed creviſſe, nemo videt lapidem ſtillicidio cavari ſed cavatum. Pari ratione procedendum eſt in Republ. immutandâ, ſi velis mutationem latere. Tale quippiam ſub imperatoribus contigiſſe videmus libentiam judicandi vulgantibus, de quâ in liberâ Republ. tot diſſenſiones inter ordines civitatis, equeſtrem, ſenatorium & plebejum erant.* Nam Auguſtus apud equeſtres, qui Ægypto præſiderent, lege agi, decretaque eorum perinde haberi juſſerat, ac ſi magiſtratus Romani conſtituiſſent: mox alias per provincias; & in urbe pleraque conceſſa ſunt, quæ olim à prætoribus noſcebantur. Claudius omne Jus tradidit, de quo toties ſeditione aut armis certatum, cùm Semproniis rogationibus equeſter

ordo in poſſeſſione Judiciorum locaretur, aut rurſum Serviliæ leges Senatui judicia redderent.

2. Secundò hoc agendum, ut imago veteris Reipubl. ſuperſit. *Id potiſſimum in mutandâ Reipubl. & firmandâ tyrannide obſervavit Tiberius Tacit. 3. ann. 60.* Sed Tiberius vim principatûs ſibi firmans imaginem antiquitatis Senatui præbebat poſtulata provinciarum ad diſquiſitionem patrum mittendo. *Ex hoc Taciti textu diſcimus, ſimulari veterem Rempubl. ſupereſſe ſi quandoque actus concedatur veteris Reipubl. proprius. Hinc idem Tacitus 13. annal, 28.* Manebat nihilominus quædam imago Reipubl. Nam inter Vibullum prætorem & plebei tribunum Antiſtium ortum certamen, quòd immodeſtos fautores hiſtrionum, & à prætore in vincula ductos tribunus omitti juſſiſſet. *i.e. interceſſiſſet, quaſi adhuc veteri Republ.* Comprobavêre patres incuſatâ Antiſtii licentiâ &c. *Elegans præter hunc eſt textus 1. annal. 77.* Actum de ſeditione hiſtrionum apud Patres, dicebanturque ſententiæ, ut prætoribus jus virgarum in hiſtriones eſſet. Interceſſit Haterius Agrippa, tribunus plebei, increpitusque eſt Aſinii Galli oratione, ſilente Tiberio, qui ea ſimulacra libertatis Senatui præbebat. *Hæc ita miſeros peragere Tiberius permittebat, quo conciperent, ſe adhuc in Republ. liberâ, in quâ perpetuæ cum tribunis erant contentiones, vivere.* Manet 2. veteris Reipubl. imago, ſi leges priſtinæ retineantur. *Nam retentis LLbus videtur priſtina Reſpubl. ſupereſſe. Tacitus 4. ann. 6.* ſua conſulibus, ſua prætoribus ſpecies. Minorum quoque magiſtratuum exercita poteſtas; legesq; ſi majeſtatis quæſtio eximeretur, bono in uſu. *Hinc monet Ariſtoteles, non ſemper ex LLbus ſtatum Reipubl. dignoſci poſſe propterea, quòd retentis legibus ſtatus nonnunquam mutetur.* Callidum quoque 3. eſt pro imagine Reipubl. retinendâ admittere, ut judicia in cauſſis privatorum veteri more tractentur. *Nam hoc parum ad ſtatum facit, interim ſpeciem Reipubl. priſtinæ conſervat. De Tiberio Tacitus ita:* ſi quando cum privatis diſceptaret, forum & jus. *i. e. patiebatur ſecum in Jure lege agi per procuratores.* 4. Retentis magiſtratuum vocabulis & ornamentis, cultuque, nihil aut parum poteſtatis ipſis relinquere. *Tacitus 1. annal. 3.* Domi res tranquillæ, eadem magiſtratuum vocabula: *munia autem in ſe traxerat Auguſtus 1. ann. 2.* 5. Subire magiſtratum magnæ poteſtatis in veteri Republ. *Nam ita ſub ſpecie veteris Reipubl. tyrannis exerceri poteſt. Sic Auguſtus invaſurus tyrannidem ſimulabat,* ſe tribunicio jure contentum *1. ann. 2. Nam ita captabat benevolentiam apud plebem tanquam defenſor ejusdem & conſequebatur facultatem infringendi omnia SCta, adeoque ſuo nutu regendi Rempubl. Tacitus*

3. ann. 56.

3.*ann.*56. Id ſummi faſtigii vocabulum Auguſtus reperit, ne regis aut Dictatoris nomen adſumeret, ac tamen appellatione aliquâ cætera imperia præmineret.

3. Subtiliſſimus eſt modus: mutationem ita inſtituere, ut nihil dignitati cujusquam ademptum, ſed ea aucta potius compareat. *Ita cùm Tiberius comitia è campo Martio in curiam transferret i.e. populo jus comitiorum adimeret, & patribus daret deliberanda, quæ in comitiis tractabantur: videbatur hoc ipſo aucta poteſtas Senatorum; populus autem nihil amiſiſſe; quia Tiberius velut tribunus non admittebat, ut ſenatus quicquam in perniciem populi decerneret. Sed cùm Senatores nihil decernere auderent, quod præviâ imperatoris Oratione non eſſet præſcriptum: accidebat hoc pacto, omnem de rebus magnis deliberandi & decernendi poteſtatem in imperatorem transferri. Tacit. 1. annal. 15.* Tum primùm è campo comitia ad Patres translata ſunt. nam ad eam diem, & ſi potiſſima arbitrio principis, quædam tamen ſtudiis tribuum fiebant: neque populus ademptum jus quæſtus eſt, niſi inani rumore.

MEMBR. III.
DE IMPERANTIBUS IN REPUBL. EVERTENDA CALLIDE SUPPRIMENDIS.

1. Qui de imperio dejiciendi invadendi vel tollendi ſunt callidis artibus devinciendi ſunt quò arcana pectoris revelent, & incauti fiant. *Nam ſi eos incautos reddideris jam adeptus es occaſionem eos invadendi & deturbandi, ſive id fiat vi ſive clandeſtinis artibus. Id fecit Sejanus invaſurus imperium:* Tiberium *enim* variis artibus devinxit adeò, ut obſcurum adverſum alios ſibi uni incautum intectumque efficeret. *Tale conſilium ſuſceptum à Rhadamiſto, cùm patruum è regno ejecturus eſſet: quò enim incautum eum opprimeret,* ſimulatâ adverſus patrem diſcordiâ, tanquam novercæ odiis impar pergit ad patruum Mithradatem; multâque ab eo comitate in ſpeciem liberûm cultus, primores Armeniorum ad res novas illicit, ignaro & ornante ſeu inſtituente inſuper Mithradate.

2. Danda & opera eſt, ut fiant exoſi & contemptibiles. *Nam his duobus ſolent imperia everti. Hæc ſumma erat conſilii quod ſuggerebatur Quadrato 12. ann. 48. Semina odiorum adverſus Rhadamiſtum jacienda, tutum Romanis Rhadamiſtum inviſum & infamem eſſe.*

3. Antequam ipſi imperantes tollantur è medio, ſi aliâ ratione ſupprimi nequeunt, removendi ſunt ſucceſſuri in imperio.

1. Hiſt. 38. Allicere autem & ad ſe trahere milites quis poteſt donis. Ita Auguſtus pellexit donis militem 1. ann. 2. Quod ipſum imitantes cæteri imperatores fecerant, ut omne imperium in manu militum eſſet. Otho per ſpeciem convivii, i.e. quaſi ſportulas convivales daret quoties Galba apud eum epularetur cohorti excubias agenti viritim centenos numos dividi curavit. 1. Hiſt. 24. Lubet hîc enarrare artificium, quo uſus eſt Sejanus, de quo Tacitus 4. ann. 2. Vim præfecturæ modicam antea intendit *i.e. cùm factus eſſet præfectus prætorio auxit hujus muneris potentiam, quæ antea erat exigua:* diſperſas per urbem cohortes una in caſtra conducendo: ut ſimul imperia acciperent. *i.e. prætendens, hoc pacto omnes ſimul juſſa ducis audire*, numeroque & robore & viſu interſe fiduciâ ipſis in cæteros metus crederetur. *i. e. dum quotidiè ſe mutuò conſpiciunt milites, fieri ut & vires ſuas & quantum fiduciæ ſibi eſſe debeat, quantumque metûs aliis incutere valeant, æſtimare diſcant.* Prætendebat laſcivire militem diductum: ſi quid ſubitum ingruat, majore auxilio pariter ſubveniri. & ſeveriùs acturos *i.e. ſeveriori ſub diſciplinâ eos habitum iri*, ſi vallum ſtatuatur procul urbis illecebris. Ut perfecta ſunt caſtra, irrepere paulatim militares animos, adeundo, appellando, ſimul centuriones ac tribunos ipſe diligere. *Ex quo haurimus 4. ducem facilè ſibi totum exercitum fidelem reddere poſſe, ſi tribunos & centuriones ſuos amicos & fideles eidem præficiat. Conducit pro favore militum* 5. Remittere de ſeveritate diſciplinæ. *Sic Piſo* poſtquam Syriam ac legiones attigit, largitione, ambitu, infimos manipularium juvando, cum veteres centuriones, ſeveros tribunos demoveret, locaque eorum clientibus ſuis, vel deterrimo cuique attribueret, deſidiam in caſtris, licentiam in urbibus, vagum ac laſcivientem per agros militem ſineret, euſque corruptionis provectus eſt, ut ſermone vulgi parens legionum haberetur. 2. *ann. 55.* 6. Comem eſſe & humanum erga milites eorumq; facta laudibus prædicare. *Sic Germanicus* facta ſingulorum militum extollere; vulnera intuens, alium ſpe, alium gloriâ, cunctos alloquio & curâ, ſibique & prœlio firmabat. *1. ann. 71. Hæc & ſimilia faciunt ad conciliandam potentiam, ſine quâ fruſtrà res novæ tentantur.*

MEMBR. V.

QVÆ OBSERVANDA CIRCA PRIMORES CIVITATIS.

1. Primoribus civitatis facienda eſt ſpes honoratioris vitæ, addendusque iiſdem dignitatum cumulus. *Nam hac re illecti favebunt actionibus nova quærentis. Id obſervavit Otho teſte Tacito 1. H. 77.*

quan-

quando ait: Sed Otho pontificatus Auguratûsque honoratis jam ſenibus cumulum dignitatis addidit. *i.e. viros ſenes geſtis honoribus claros honoratiores reddidit, cooptando in collegium pontificum & augurum.* & recens ab exilio reverſos nobiles adoleſcentulos, avitis ac paternis ſacerdotiis in ſolatium recoluit. *i.e. in ſolatium reſtituit his ſacerdotia, quæ patres avique eorum obtinuerant.*

2. Sollicitari quoque poſſunt ad ſocietatem. *Cujus cauſſam præced. membr. tradidimus. Conſultum verò eſt & tunc id facere, licet potentia hisce non multum augeatur: ut ſcil. participes redditi imperij in ſpeciem & amici invadentis imperium eò fideliores exiſtant. Sic Catualda validâ manu fines Marcomannorum ingreſſus ſollicitavit primores ad ſocietatem, 2. ann. 62.*

3. Fidelibus & ſervitio promptis tribuendi ſunt ampliſſimi honores. *Nam præmiis talibus allecti cæteri ruent in ſervitia. vid. 1. ann. 2. verb.* cæteri nobilium. &c.

MEMBR. VI.
DE
PARANDA PLEBIS BENEVOLENTIA.

1. Captatur vulgi amicitia 1. largitionibus. *Nam ex utilitate vulgus omnem amicitiam æſtimat. Sic Auguſtus pro captando favore plebis frumentum menſtruum diſtribui curavit. 1. ann. 2. verb. populum annonâ.*

2. Secundò novum & diu exoptatum bonum populo exhibendo. *Hoc pacto namque lætus ipſi & amabilis novus ſtatus exiſtet, qualis contingebat Romanis cùm Auguſtus poſt diuturna bella exoptatam pacem ipſis reſtitueret. Tacitus 1. ann. 2.* cunctos dulcedine otii pellexit.

3. Tertiò libertatis aliquam imaginem concedendo. *Nam libertas omnibus jucunda.*

4. Quartò ingeniis ac moribus eorundem ſeſe accommodando. *Nam moleſtum eſt vulgo & barbaris quicquid moribus ipſorum contrarium eſt. Tacitus 2. ann. 56.* Regem illa tempeſtate *Parthi* non habebant amoto Vonone, ſed favor nationis inclinabat in Zenonem, quòd is primâ ab infantiâ inſtituta & cultum Armeniorum æmulatus, venatu, epulis, & quæ alia barbari celebrant, proceres plebemque juxta devinxerat.

MEMBR. VII.
DE
CURA PROVINCIARUM HABENDA AB EO QVI IMPERIUM INVASURUS EST.

1. Pro-

1. Provinciæ Reipubl. ſubjectæ vel ſunt imbelles & invalidæ, vel tales quibus vis ineſt ſeſe opponendi imperium invadentibus. Imbellium rationem habere non exigit neceſſitas, *Nam inermes provinciæ cuicunque ſervitio expoſitæ ſunt, & in precium belli cedunt. Tacit. 1. Hiſt. 11.*

2. Quæ autem provinciæ vi aliquâ valent, circa has non cunctandum, ſed 1. injectâ trepidatione aliquâ ſtatim invadendæ ſunt. *Hæc cauſſa movebat milites, ut ſuaderent Vitellio, invadendas eſſe provincias maturè. Tacitus 1. Hiſt. 62.* Mira inter exercitum imperatoremque diverſitas. Inſtare miles, arma poſcere, dum Galliæ trepident, dum Hiſpaniæ contentur, non obſtare hyemem, neque ignavæ pacis moras. invadendam Italiam, occupandam urbem, nihil in diſcordiis civilibus feſtinatione tutius, ubi facto magis quàm conſilio opus eſſet. *Quo autem ſeſe ſubjiciant, perſuaſionibus initio uti ſalutare eſt, objectâ ſpe meliorum; quibus ſi non moventur, vim adhiberi neceſſe eſt. Id obſervavit Vitellius injungens Fabio Valenti, ut Gallias perſuaſionibus in partes traheret, vel ſi imperium reſpuerent, in tranſitu eoſdem popularetur. Tacitus 1. H. 61.* Fabius Valens allicere vel ſi abnuerent vaſtare Gallias, & Cottianis Alpibus Italiam irrumpere.

3. Occupatæ provinciæ bellicoſæ præſidiis ſunt muniend . *Nam licet ſimulent ſubjectionem; fides tamen iis nulla tribui poteſt; quia ruunt quo metus quo ſpes commodi ducit, ſuntque, qui mores ſunt vulgi, inſtabiles. Sic Corbulo* ne *Friſii* juſſa exuerent, præſidium immunivit. 11. *ann.* 19.

4. Non tamen initiò duriter; ſed ita tractandæ, ut harum benevolentia captetur: id quod fit 1. minuendo tributa. *Nam in hoc provinciæ imperiis ſubjectæ omnem ſuam felicitatem poſitam habent. Id namque unicè exoptant, ut à tributis immunes fiant. Circa Cappadoces à Romanis id obſervatum teſtatur Tacitus. 2. ann. 56.* At Cappadoces in formam provinciæ redacti Q. Veronium Legatum accepêre. & quædam ex regiis tributis deminuta, quò mitius Romanum imperium ſperaretur. 2. Cætera privilegia, quæ habent, augendo. *Talia Othonem initio imperii largitum provinciis privilegia teſtatur Tacitus 1. H. 78. Nam* Hiſpalenſibus & Emeritenſibus familiarum adjectiones *i. e. ut novas familias in ſuam coloniam adoptare poſſent*, Lingonibus univerſis civitatem Romanam, provinciis Bæticæ Maurorum civitates dono dedit; nova jura Cappadociæ, nova Africæ, oſtentui magis quàm manſura. 3. Inania & ſervitium indicantia negligere, vimque potius imperii quærere. *Nonnulli quidem exiſtimant, niſi*

provinciales adhibitis ceremoniis ſeſe ſubmiſerint, ſe nondum poſſeſſionem in provinciis adeptos eſſe: ſed falluntur: dum enim actu aliquo ſervili ſuam ſubjectionem declarare tenentur, moleſtiâ ex novo imperio afficiuntur. Ejuſmodi inania neglexêre Romani. Exemplum eſt apud Tacitum 15. annal. 31. Et digreſſus, *inquit, Tiridates* Pacorum apud Medos, Vologeſen Ecbatanis reperit, non incurioſum fratris: quippe & propriis nunciis *i.e. ſuo non fratris nomine* à Corbulone petierat, ne quam imaginem ſervitii Tiridates perferret. *i.e. ne quid facere nimium humile & rege indignum teneretur ad conteſtandam ſuam ſubjectionem.* neu ferrum traderet, aut complexu provincias obtinentium arceretur. *i.e. ſalutatione proconſulum prohiberetur,* foribuſve eorũ adſiſteret *i.e. ante fores eorum tardè admiſſus præſtolari cogeretur:* tantusque Romæ, quantus Conſulibus, honor eſſet. Scil. externæ ſuperbiæ ſueto non erat notitia noſtri: apud quos jus imperii valet, inania tranſmittuntur. *i. e. erat faſtui adſuetus Tiridates, cui barbari reges operam dare ſolent, facilitatem Romanorum ignorans: hi namque ſolennitates non curant contenti ſe habere imperium.*

5. Provinciæ porrò, quæ ſub imperio ſunt, vel regibus gubernantur vel præſidibus, qui in eas mittuntur. His quæ regibus gubernantur interdum præponendus novus rex venit, quod quando accidit, eligendus eſt ex eâ familiâ, cui provinciales parére adſueti ſunt, aut moribus talibus, quales amant nec adverſantur. *Nam favor erga familiam, cui parére adſueti ſunt barbari non facilè remittitur; vid. Tacit. 14. ann. 26.* Si rex provinciæ alicujus deponi nequeat & bellicoſus ſit, ut in ſervitio non facilè detineri queat, in belli ſocietatem aſſumendus, & cum eodem intima fingenda amicitia. *Nam hoc ipſo ſuam ſe conſecuturam plenam libertatem ſperabit nec amicitiam & auxilium reſpuet.*

6. Præſidum in provinciis captanda benevolentia & in eorum locum, qui provincialibus accepti non ſunt, ſubſtituendi qui alieni ſunt à parientibus luxum, formidinem, contemptum, apti autẽ ad conciliandum hominum favorem & benevolentiam. *Hoc namq; modo fiet, ut de ſtatû ex novo imperio lætiori ſibi gratulentur qui in provinciis ſunt. Aptiſſimi qui imperii initio provinciis præficiantur ſunt moribus inſtructi, qualibus præditus erat Licinius Mucianus, de quo Tacitus 2 Hiſt. 10. Mucianus* apud ſubjectos *i. e. imperio ipſius traditos,* apud proximos *i.e. amicos & ſodales,* apud collegas, variis illecebris potens: & cui expeditius fuerat tradere imperium quàm obtinere. *i. e. qui facilius alii imperium invadenti auxilio eſſet, quàm ipſe imperium invaderet.*

MEMBR.

MEMBR. VIII.

DE IMPERIO NOVO FIRMANDO.

1. Pro firmando imperio novo facit 1. bonus prætextus abrogandi vetus. *Nam eò juſtius videtur novum, quò juſtior videtur cauſſa impugnandi vetus. Poſſunt autem prætextus peti* 1. à religione, *Nam vulgus ſuperſtitioſum eſt, nec facilè tolerat quod contra receptam & patriam religionem facit.* 2. à libertate. *Nam nihil juſtius videtur, quàm populum à ſævitiâ, crudelitate tyrannorum & reliquorum heriliter imperantium liberare. Nihil etiam acceptius præſtantiusque eſt tyrannorum depulſoribus, inquit Aurel. Victor. de Cæſar.* 3. à quâlibet aliâ felicitate, quam cives & qui ſub imperio intendunt. *Nam juſtum videtur quicquid pro amovendâ infelicitate hominum ſuſcipitur.*

2. Secundò danda eſt opera iis qui novum imperium invaſerunt, quò videantur hoc voluntate ſubditorum accepiſſe. *Nam juſtum reputatur quod ex voluntate ſubditorum tenetur imperium. Hæc inter alias cauſſa fuit, quare Tiberius initio imperii cuncta per Conſules inciperet tanquam vetere Republ. & ambiguus imperandi.* Nam ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, niſi tribunitiæ poteſtatis præſcriptione poſuit ſub Auguſto acceptæ. Verba edicti fuêre pauca, & ſenſu permodeſto. de honoribus parentis conſulturum; neque abſcedere à corpore: idque unum ex publicis muneribus uſurpare. Sed defuncto Auguſto ſignum prætoriis cohortibus ut imperator dederat excubiæ, arma, cætera aulæ. miles in forum, miles in curiam comitabatur. literas ad exercitus tanquam adepto principatu miſit: nuſquam cunctabundus, niſi cùm in ſenatû loqueretur. *i.e. in ſenatu tantùm ſimulabat ſe nolle eſſe imperatorem.* Cauſſa præcipuè ex formidine, ne Germanicus, in cujus manu tot legiones, immenſa ſociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium, quam expectare mallet. Dabat & famæ, ut vocatus electusque potius à Republ. videretur, quàm per uxorium ambitum & ſenili adoptione irrepſiſſe. 1. *annal.* 7.

3. Diſſimulanda 3. honorum cupiditas. *Nam ita videbitur boni publici gratiâ imperium occupatum, eritque erga novellum imperantem major favor. Obtinetur hoc, ſi evitantur tituli & ambitioſa vocabula, aliique inanes honores. Ex hoc principio Seneca informavit Neronem, ut ſtatuas ſibi argento vel auro ſolidas adverſus offerentes prohiberet: Et quanquam cenſuiſſent patres, ut principium anni inciperet menſe Decembri, quo ortus erat Nero, veterem religionem Kal. Januar. inchoando anno retineret.* 13. *ann.* 10.

 4. Quar-

4. Quartò quod omnibus imperantibus ratio ſtatus dictitat, ut ſcil. præ ſe ferant virtutes, occultent vitia, id multo magis eos, qui imperium quod invaſerunt confirmare volunt, obſervare decet. *Dum enim præ ſe ferunt virtutes, videntur non injuſtè occupaſſe imperium, ſed tanquam debitum. Sunt autem virtutes, quæ præ cæteris à novellis imperantibus ſimulandæ ſunt clementia & liberalitas. Nam vulgus nihil magis exoptat, quàm lucrum & delictorum impunitatem. Quam ob cauſſam Seneca Neronem inſtigabat, ut initio imperii ſuam clementiam non modò deprædicaret, ſed & nonnunquam oſtentaret. Tacitus 13. ann. 11.* Secutaque lenitas in Plautium Lateranum, quem ab adulterium Meſſalinæ ordine remotum reddidit Senatui, clementiam ſuam obſtringens crebris orationibus; quas Seneca teſtificandi, quàm honeſtè præciperet vel jactandi ingenii, voce principis vulgabat: *Idem Tacitus reprehendit Mithradatem, quod clementiâ, quæ initio novi regni utilis eſt, uſus non ſit, quando dicit,* atrociorem *eum fuiſſe,* quàm novo regno conduceret. 11 *ann. 9. Liberalitate ſolâ Tiberius, crudeliſſimus alias, effecit, ut cæterorum vitiorum obliviſcerentur cives. Tacit. 2. ann.* 48. Magnificam in publicum largitionem auxit Cæſar haud minus gratâ liberalitate, quòd bona Æmiliæ Muſæ locupletis inteſtatæ petita in fiſcum, *velut caduca,* Æmilio Lepido, cujus è domo videbatur; & Patulei divitis equitis Romani hereditatem (quamquam ipſe heres in parte legeretur) tradidit M. Servilio, quem prioribus neque ſuſpectis tabulis ſcriptum compererat; nobilitatem utriusque pecuniâ juvandam præfatus. *Vitia verò ea potiſſimum ſunt fugienda aut diſſimulanda, ob quæ dejecti de imperio à civibus vel imperio ſubjectis fuêre reprehenſi. Id ipſum obſervavit Vitellius initio imperii, quando aulica officia non ut anteriores principes ſuis libertis, ſed equitibus Romanis deferebat. Tacitus 1. H. 58.* Vitellius magiſteria principatûs per libertos agi ſolita in equites Romanos diſponit. *Cumprimis autem adulatorum blanditiis, quibus ſeduci ſolent qui novum imperium ſunt adepti, reſiſtendum. Nam & prudentes viri nonnunquam ſeſe patiuntur ſeduci, ut nimis tyrannicè imperent.*

5. Amici & fideles extollendi & magnis rebus præficiendi. *Nam hoc pacto in his augebitur ſtudium, & cæteri eadem præmia expectantes illos imitabuntur. Tacitus 1. Ann. 3.* Cæterùm Auguſtus ſubſidia dominationis *i. e. ut novam ſuam tyrannidem firmaret,* Claudium Marcellum, ſororis filium admodum adoleſcentem, Pontificatu & curuli ædilitate; M. Agrippam ignobilem loco, bonum militiâ & victoriæ ſocium geminatis Conſulatibus extollit.

6. Hominum in arte bellicâ peritorum & potentiorum, qui pu-

putantur fideles futuri conciliatâ amicitiâ, benevolentia, mediante affinitate, paranda. *Nam hominum virtutibus parum deditorum vix ulla alia conſtantior & firmior poteſt reperiri amicitia. Sic Auguſtus M. Agrippam, de quo num. praeced. diximus, quamvis ignobilis eſſet, ob peritiam in arte militari, defuncto Marcello, cui Julia filia Auguſti erat juncta, generum ſumpſit. 1. ann. 3. Et Vitellius Valerium Aſiaticum Belgicæ provinciæ firmandi imperii cauſsâ generum adſcivit. 1. H. 59. verb.* acceſsêre.

7. Si ſint nonnulli ex potentioribus metuendi, qui tamen tolli non poſſunt, his conſultum dare imperium aliquod ſed jungere collegas contumaces & refractarios. *Nam ita futurum, ut non modò nihil præclarum potentiæ augendæ cauſsâ gerere poſſint, ſed etiam in inſidias collegarum incidant. Sic cùm à Germanico ſibi metueret Tiberius, orienti eum præfecit; jungens eidem Piſonem hominem ferocem & parére neſcientem. Tacitus 2. ann. 43.* Tunc decreto Patrum permiſſæ Germanico provinciæ, quæ mari dividuntur *i. e. trans mare mediterraneum ſitæ ſunt*, majuſque imperium quoquo adiſſet, quàm his qui ſorte *i. e. proconſules* aut miſsû principis *i. e. præſides* obtinerent. Sed Tiberius demoverat Creticum Silanum, per affinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni vetuſtiſſimo liberorum ejus pacta erat; præfeceratque Qn. Piſonem ingenio violentum & obſequii ignarum, inſitâ ferociâ à patre Piſone & præter paternos ſpiritus, uxoris quoque Plancinæ nobilitate & opibus accendebatur. vix Tiberio concedere, liberos ejus ut multum infrà deſpectare: nec dubium habebat, ſe delectum, qui Syriæ imponeretur ad ſpes Germanici coercendas.

8. Securum quoque redditur novum imperium præſertim tyrannicum electis & conſtitutis ſucceſſoribus multis. *Nam fruſtrà exiſtimabunt tolerare imperium nolentes tolli eos qui in imperio ſunt, ſi videant ſucceſſores adeſſe. Exemplum præbet Auguſtus, qui* Agrippam ſocium poteſtatis *tribunitiæ & hoc* defuncto, Tiberium Neronem dilegit, ne ſucceſſor in incerto foret. Sic cohiberi aliorum ſpes rebatur: Simul modeſtiæ Neronis & ſuæ magnitudini fidebat. *3. annal. 56.*

9. Cumprimis autem hoc agendum eſt, ne qui ſub imperio ſunt ſpe fruſtrentur, quâ ducti mutationem Reipublicæ admiſerunt. *Quippe humanæ mentes fruſtratæ boni ſpe aſperius offenduntur, cùm mutato rectore flagitioſè ærumnarum vis manet. ut loquitur Aurel. Vict. de Cæſar.*

CAP. IV.

DE RATIONE STATUS PARENTIUM IN FORMA REIPUBL. VITIOSA FIRMATA ET SUBSISTENTE.

1. Indigent & ſubditi in vitioſis imperiis ratione ſtatus. *Nam nulla hiſce ex ejusmodi formis, qua talibus, ſperari felicitas poteſt. Quapropter ſingulari arte videtur quærenda.*

2. Et virtuoſorum quidem nulla alia ratio ſtatûs ſupereſt, quàm ut parent ſeſe ad mortem fortiter ſubeundam, ſi ita exigat neceſſitas & voluntas hominum vitioſorum penes quos imperium eſt. *Nam rara eſt temporum felicitas ut vitioſâ in formâ ſentire quæ velis & dicere quæ ſentias poſſis 1. H. 1. At virtuoſi ſuam liberã voluntatem ſibi adimi non patiuntur: ſed manent firmi & conſtantes in ſuâ ſententiâ, liberèq; loquuntur, nec quicquam reticent, quod honeſtas eloqui jubet. Quapropter nil niſi odium imperantium in peſſimis formis metuendum habent: nec quicquam aliud ſupereſt, quod præclarè agere poſſint, quàm ut mortem fortiter & conſtanter patiantur. Virtuoſi enim & delectationem capiunt ex morte virtutis & honeſtatis gratiâ ſubeundâ. Conducit hîc referre ex annal. 16. cap. ult. exemplum Thraſeæ Pæti, qui accepto SCto, quo jubebatur mori,* Helvidium & Demetrium in cubiculùm inducit; profectis utriuſque brachii venis, poſtquam cruorem effudit, humum ſuper ſpargens propius vocato Quæſtore, Libemus, inquit Jovi liberatori! Specta juvenis *me morientem*, & omen quidem Dî prohibeant! cæterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expedit conſtantibus exemplis *i. e. quibus ſalutare eſt, fortium virorum exempla inſpicere & animum firmare ad mortem pari conſtantiâ ſubeundam.*

3. *Verùm cùm rari ſint virtuoſi, plerique ſtolidos exiſtimant virtuoſos ſibi non melius conſulentes, & media varia exquirunt felicitatem aliquam in vitioſis formis parandi & conſervandi: ut adeò de Ratione ſtatûs horum nonnulla nobis dicenda ſint. Perficiemus autem hoc traditurí 1. in genere de vitioſis formis. 2. in ſpecie de ſtatu tyrannico, utpote in quo difficillimum eſt ſe, bona & vitam ſuam conſervare.*

MEMBR. I.

CONTINENS GENERALIA CIRCA RATIONEM STATUS VIVENTIUM IN VITIOSIS FORMIS.

1. *Videmur haud ſubtilius Rationem ſtatûs, quæ viventibus in ſtatu*

vitioſo

vitioſo obſervanda eſt, generaliter tradere poſſe, quàm id factum eſt à Tacito 4. ann. 33. Ex cujus verbis univerſalia quadam collegimus; quæ cum ſuis rationibus & cauſſis hic tradituri ſumus.

2. Raro contingit, dari formam, in quâ non reperiatur aliqua pars civitatis aliquo modo ex formâ Reipubl. infelix: ac proinde variis mediis indigens, ad quæ ex neceſſitate confugere opus habeat, quò ſalva ſit. *Nam mixtæ formæ, in quibus omnium tàm virtuoſorum, quàm divitum & plebejorum ſalus quæritur, rariſſimè inveniuntur, aut ſi dentur, non diu durant: prævalet enim plerumque vel divitum vel plebejorum pars, ut ſuperius demonſtravimus: ita enim Tacitus ait init. cit. cap.* cunctas nationes & urbes populus, aut primores aut ſinguli regunt. delecta ex his & conſtituta Reipubl. forma laudari facilius quàm evenire; vel ſi evenit haud diuturna eſſe poteſt.

3. In omni formâ vitiosâ Ratio ſtatûs id exigit, ut qui in eâdem vivunt ſeſe accommodent moribus imperantium ſeu eorum qui prævalent. *Nam qui moribus ſeſe imperantium accommodare norunt, in amicitiâ horum ſunt & hac fruentes ſalvi exiſtunt. Inſervient itaq; Rationi ſtatûs quæ part. 3. lib. ult. de moribus variorum hominum diſſeruimus: ut nim. qui in ſtatû democratico vivunt norint mores vulgi; qui in oligarchiâ, mores divitum & nobilium; qui in tyrannico, ſingulorum tyrannorum. Verba Taciti cit. cap. hæc ſunt:* Itaque ut olim plebe validâ *i. e. cùm ſtatus Romanus inclinaret ad democratiam,* vel cùm Patres pollerent, *i. e. cùm prævalerent patricii & ſtatus vergeret in oligarchiam,* noſcenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur; Senatûq; & optimatum ingenia, qui maximè perdidicerant, callidi temporum & ſapientes credebantur: ſic converſo ſtatu, neque aliâ rerum, quàm ſi unus imperitet, hæc *quæ in libris annalium & hiſtoriarum de tyrannide in Romanâ civitate tractantur,* conquiri tradique in rem fuerit. *Ex quibus patet, rationem ſtatûs exigere, ut viventes in ſtatu aliquo vitioſo cumprimis imperantium mores addiſcant, & ſeſe iiſdem accommodent.*

4. *Sed quid eſt ſeſe moribus imperantium accommodare? an facere quæ volunt, & ipſorum malitiam augere? ut fecit Otho* gratus Neroni æmulatione luxûs. *1. Hiſt. 13. Quid autem hoc aliud eſt, quàm & ſe & totam civitatem in peſſima mala & pericula præcipitare? Nam firmare improbos homines eſt in malitiâ ſibi malum ſtruere. Hinc videmus in democratiis demagogos, in oligarchiis & tyrannidibus adulatores rarò felicem eventum ſuis blanditiis & adulationibus adeptos eſſe. Quemadmodum enim, auctâ malitiâ improbi ſeipſos tandem oderunt, ita & eos, quorum auxilio & perſuaſionibus deteriores redditi ſunt.* Quapropter tutum

non

non erit in vitioſis formis, ita te prævalentium moribus accommodare, ut horum malitiam ſtudeas augere, miniſtrum ſcelerum te præbendo.

5. Tutiſſimum ergò eſt viventibus in formâ aliquâ vitioſâ obſervare præceptum Taciti, quod *cit. cap.* habet, & naturam imperantium temperanter habere. *i. e. non concitare erga ſe vel etiam alios improbum & malitioſum imperantium animum ad intemperatè utendum ſuâ poteſtate. Quemadmodum enim à beſtiâ aliquâ feroci & robuſtâ ſtolidè ſperes felicitatem & commoda: ita quoque ab imperantibus in vitioſis formis. Sufficit ſi hoc agas ne tu ipſe lædaris vel ne alii te inſtigante à beſtiâ quæ præeſt, in pericula conjiciantur. Unde ſequitur, eos optimè ſecundum rationem ſtatûs vivere in formis vitioſis, qui callidis artibus temperare & mitigare indomitam improbitatem imperantium norunt, ne hæc vel ſibi vel aliis noceatur; contrà eos in extrema pericula præcipites agi, qui ſuis blanditiis beſtialem imperantium animum erga alios commovent, vel etiam ipſi eum in ſe irritant. Similes itaque ſunt in vitioſis formis viventes barbaris, qui diabolum adorant, ne is noceat.*

6. Ex præmiſſis deducimus, conducere preſſis tyrannide plebis, divitum, nobilium vel unius alicujus, noſſe modos larendi, quos *cap. 3. membr. 1.* enarravimus. *Si namq; velis tutus eſſe à tyranno, prima tibi erit cura impendenda, ne lædendi cauſſam ipſi præbeas.* Omnis itaque excellentia occultanda. *Nam nullâ in Republ. vitioſâ nimia alicujus excellentia toleratur, præſertim ſi militum favore ſit munita. Quæ res evertit Germanicum. ut patet ex 1. ann. 69. & aliis locis.* Quantò autem quis excellentior apparet, tantò ſubmiſſiorem erga imperium tenentes ſeſe exhibere debet. *Hoc ſub Tiberio cogebantur obſervare Viri illuſtres, quò ſalvi eſſent. 1. ann. 7.* At Romæ ruere in ſervitium Conſules, Patres, Eques, quantò quis illuſtrior, tantò magis falſi ac feſtinantes. *i. e. quantò magis quisque eminebat, tantò magis dominationem Tiberii ſeſe amplecti ſimulabat.* Occultatur etiam excellentia, ſi quis abſtineat ab omnibus rebus præclaris & eximiam gloriam parientibus. *Nam ex his velut ſignis excellentia colligitur. Quantum autem detrimenti attulerit quæſita gloria in variis Reipubl. formis, exempla Græcorum nos docere poſſunt: nos autem inſiſtentes propoſito noſtra, ex ſolo Tacito id deducemus. Sic Corbulo, ut oſtentaret virtutem ſuam,* ſemina rebellionis præbuit. *i. e. anſam ipſis dedit inſurgendi adverſus Romanos: ſed hæc* ut læta apud plerosque, ita apud quosdam ſiniſtrâ famâ. cur hoſtem conciret, adverſa in Rempubl. caſura *i. e. ſi improſperè quid contigerit, damnum Reip. fore:* ſin proſperè egiſſet formidoloſum paci virum inſignem & ignavo principi prægravem.

Ideò

Ideò Claudius adeò novam in Germanias vim prohibuit; ut referri præſidia cis Rhenum juberet. Jam caſtra in hoſtili ſolio molienti Corbuloni hæ literæ redduntur. Ille re ſubitâ, quanquam multa ſimul offunderentur, metus ex imperatore, contemptio ex barbaris, ludibrium apud ſocios, nihil aliud prolocutus, quàm, beatos quondam duces Romanos, ſignum receptui dedit. 11. *ann.* 19. *Sic Rubellius Plautus coactus eſt in Syriam ſecedere & cum conjuge ibi habitare, quòd omnium ore celebraretur idoneus, qui Neroni ſuccederet.* 14. *annal.* 22. *Unde enim gloria egregiis viris, & pericula gliſcunt.* 15. *annal.* 23. *fin.*

MEMBR. II.
DE
RATIONE STATUS EORUM QVI VIVUNT IN TYRANNIDE.

1. Viventibus in ſtatu tyrannico prima cura eſſe debet, ut compertos habeant mores tyranni. *Nam ſine horum cognitione nec hujus parare amicitiam nec odia illius effugere poſſunt. v. g. an ſit acuti & ſubtilis, an hebetis ingenii, aut an adverſetur conſilia uxoris. an uxori devinctus, qualis fertur Claudius fuiſſe* 11. *ann.* 28. *Si namque uxorius vir ſit tyrannus, tentanda eſt uxoris amicitia. It. an ſit conſtans in opinionibus an patiatur ſe facilè perſuaderi. Nam ſi mobilis ſit, non facilè ſibi aliisq; relinquendus. Id obſervavit Narciſſus circa Claudium* 11. *annal.* 33. & 34.

2. Inquirendum 2. quinam tyranno præ cæteris ſint amici, horumque amicitia paranda. *Nam quod communiter fit, ut amicorum noſtrorum amici noſtri quoq; amici reddantur, id quoq; in tyranno ita obtinet, præſertim cùm ad hunc nullus fermè quàm per miniſtros pateat aditus.* Non tamen cum his, qui circa tyrannum ſunt, intimiorem iniri amicitiam tutum eſt. *Nam horum periculum, quando gratia tyranni in odium mutatur, extendit ſeſe quoque ad ipſorum amicos. Exemplum notabile eſt in Sejano Tiberii intimo conſiliario, cum quo pereunte quamplurimi alii perierunt. Lubet huc referre quæ habet Tacitus* 4. *annal.* 74. *Cùm Tiberius & Sejanus in Campania eſſent & in urbem ire recuſarent*, venêre eò patres, eques, magna pars plebis anxii erga Senatum: cujus durior congreſſus *i. e. quem accedere non facilè dabatur*, atque eò per ambitum & ſocietate conſiliorum parabatur, *i. e. familiaritas ejus non aliter obtineri poterat, quàm prenſando miniſtros & conſiliis eius pro potentiâ ſibi parandâ ſuſceptis ſeſe immiſcendo.* Satis conſtabat, auctam ei arrogantiam, fœdum illud in propatulo ſervitium

ſpectanti, *i. e. cùm videret ſenatorum publicas easque ſerviles adulationes*. quippe Romæ ſveti diſcurſus: & magnitudine Urbis incertum, quod quisque ad negotium pergat. Ibi campo aut litore jacentes, nullo diſcrimine noctem ac diem juxta gratiam aut faſtus janitorum perpetiebantur. *i. e. æquè ſerviliter à janitoribus tractabantur & admiſſi & repulſi.* donec id quoque vetitum *i. e. donec id quoque, ut ſcil. ita à janitoribus tractarentur, impetrare non amplius potuerunt.* & revenêre in urbem trepidi, quos non ſermone non viſu dignatus erat. quidam malè alacres *i. e. quidam ad alloquium & amicitiam admiſſi malo ſuo læti*, quibus infauſtæ amicitiæ gravis exitus imminebat. *i. e. quibus poſtea cum ipſo ab amicitiam ejus pereundum erat. add. quæ narrat Tacitus lib. 5. & 6. ann. de iis quæ poſt Sejani interitum amicis ipſius contigere. Ita ergò tractandi ſunt tyrannorum amici & tali modo colendi, tanquam mox in ſummo odio exſtituri. Nam aut quid novi moliuntur ducti contemptu in principem ob nimiam familiaritatem, aut aliâ ratione amicitia diſſolvitur. Docet hoc nos Tacitus 3. ann. 30. exemplo Criſpi Salluſtii*, qui incolumi Mecœnate proximus, mox præcipuus cui ſecreta imperatorum *Auguſti & Tiberii* inniterentur, & interficiendi Poſtumi Agrippæ conſcius ætate provectâ, ſpeciem magis in amicitiâ principis, quàm vim tenuit *i. e. non tantum amplius valuit apud principem quàm communiter crederetur.* Idque & Mecœnati acciderat: fato potentiæ rarò ſempiternæ: an ſatias capit, aut illos cùm omnia tribuerunt, aut hos cùm jam nihil reliqvum ſit quod cupiant?

3. Cui contingit familiariter cum tyranno vivere, quod tamen nō nimis avidè quærendum, tractare eum tenetur ut beſtiam aliquam ad iram & odium facilè mobilem. *Nam in tyrannis nulla conſtantia amicitiæ ſperanda, quemadmodum & in hominibus omnibus nullâ virtute præditis. Aliquandiu miniſtros ſcelerum fovent, mox horum pertæſi alios eligunt. Sic Tiberius*, qui ſcelerum miniſtros, ut perverti ab aliis nolebat, ita plerumque ſatiatus, & oblatis in eandem operam recentibus, veteres & prægraves *i. e. moleſtos & odioſos* afflixit. 4. *ann.* 71. *Voluptatibus enim & honoribus dediti adſuetiq́, tyranni quicquid non ſatis jucundum eſt moleſtum, quod non ſatis ſervile honoribus pernicioſum exiſtimant. Quapropter periculoſa eſt omnis cum tyrannis converſatio: nec omnia ipſis reticenda nec cuncta narranda. Elegans exemplum eſt apud Tacitum* 11. *ann.* 28. *& ſeqq. Cùm enim Meſſallina uxor imperatoris, hoc abſente, nupſiſſet Silio, idque nunciaretur:* domus principis inhorruerat: *i. e. aulici Claudii trepidi erant & perturbati*, maximèque quos penes potentia, & ſi res verterent, *i. e. ſi ad alium imperium*

perium

perium tranſiret, formido. Subibat *etiam* ſine dubio metus *ne fruſtrà contenderent apud principem*, reputantes hebetem Claudium & uxori devinctum multasque mortes juſſu Meſſallinæ patratas. Rurſus ipſa facilitas imperatoris fiduciam dabat, ſi atrocitate criminis prævaluiſſent, poſſe opprimi damnatam antequam ream. Sed in eo diſcrimen verti, ſi defenſio audiretur, utque clauſæ aures etiam confitenti forent. *Additis ſequentibus, quæ Narciſſus tentavit, ejusque periculis, quibus hoc ipſe ſubjectus fuit, manifeſtum redditur, quàm periculoſum ſit familiarem tyranno eſſe. Hinc ſolent aulici quæ moleſta ſunt aliis mandare principi narranda.* 11. *ann.* 29. *nonnulli dant operam orationi verbisq; ambiguis, ſi ipſi quid enarrare vel proloqui in præſentiâ principis coguntur. Sic* inter diverſas voces *Claudii* principis, cùm modò incuſaret flagitia uxoris, aliquando ad memoriam conjugii& infantiam liberorum revolveretur, non aliud prolocutum Vitellium fama fuit, quàm ò facinus! ò ſcelus! Inſtabat quidem Narciſſus aperire ambages, & veri copiam facere; ſed non ideò pervicit Vitellium, quin ſuſpenſa & quò ducerentur inclinatura reſponderet. *i. e. quin loqueretur ambigua & quæ poſſet interpretari quomodocunque vellet & prout exitus exigeret.* 11. *ann* 34.

4. Quia verò vix poſſibile eſt, ut quis tyranno amicus ſit, niſi adulator exiſtat, danda quidem opera adulationibus, ſed ita ut tectè hoc fiat. *Quâ de re & quomodo fieri debeat, dictum eſt part.* 3. *lib. ult. Nam qui cum tyrannis converſatur debet ſe exhibere humilem & ſervilem, admiratioremque & veneratorem eorundem: Id autem adulator eſt. Sed quia non volunt videri amatores adulatorum; ne tacitè fateantur ſe nihil amabile habere: callidus modus adhibendus eſt, ut ſcil. adulatio ita fiat, ne ſentiatur fieri*: moribus *enim* corruptis adulatio perinde anceps, ſi nulla, & ubi nimia eſt. 4. *ann.* 17. Unde anguſta & lubrica *facilèque in utramque partem peccans* oratio, ſub principe, qui libertatem metuit, adulationem odit. 3. *ann.* 87. *Quòd temperare adulationibus poſſet L. Piſo, id eum reddidit clarum; vita tamen periculo in tyrannide exemit. Tacit.* 6. *ann.* 10. Per idem tempus L. Piſo pontifex, rarum in tantâ claritudine, fato obiit *i. e. naturali morte diſceſſit*: nullius ſervilis *ſeu adulatoria* ſententiæ *in Senatu* ſponte auctor. & quoties neceſſitas ingrueret ſapienter moderans. *i. e. quoties ſerviendum temporibus & adulatorium quid dicendum eſſet, ita ſe gerens, ne adulari videretur. Referri huc poteſt, quod de Lepido refert Tacitus* 4. *ann.* 20. *Quando ait*: Hunc ego Lepidum, temporibus illis gravem & ſapientem virum fuiſſe comperio. Nam pleraque ab ſævis adulationibus aliorum in melius flexit *i. e. adulationes cum ſævitiâ conjunctas mitigavit*;

neque tamen temperamenti egebat *i. e. non nimiâ libertate utebatur*; cùm æquabili *nec temporibus mutatâ* auctoritate & gratiâ apud Tiberium viguerit. Unde dubitare cogor, fato & ſorte naſcendi, ut cætera, ita principum inclinatio in hos, offenſio in illos: an ſit aliquid in noſtris conſiliis, liceatque inter abruptam contumaciam *i. e. pertinacem ſubjectionis detrectationem*, & deforme obſequium *i. e. turpem & ſervilem adulationem* pergere iter ambitione ac periculis vacuum. *i. e. quâ nec adulando gratia captatur & pericula imperio principis parendo præcaventur. Ex quo diſcimus, quantum fieri poteſt, ab adulationibus abſtinendum eſſe.*

5. Odium & inſidias tyranni effugiet. 1. qui non in arcana ejus inquirit. *Nam ſuſpectus principi eſt qui arcana ejus ſcrutatur* 6. *ann.* 8. 2. qvi ſimulat ſe nihil eorum intelligere, quæ tyrannus diſſimulare & occultare nititur. *Nihil enim ſubditos magis exoſos tyrannis reddere poteſt, quàm ſi verbulo prodant, ſe ſentire quod obſcurum eſſe volunt. Exemplum exhibet Tacitus* 1. *ann.* 11. *Verſæ, inquit,* inde à *patribus* ad Tiberium preces, *ut ſuſciperet imperium*, & ille variè diſſerebat, de magnitudine imperii, ſuâ modeſtiâ, ſolam D. Auguſti mentem tantæ molis capacem; ſe in partem curarum ab illo vocatum didiciſſe, quàm arduum, quàm fortunæ ſubjectum regendi cuncta onus. proinde in civitate tot illuſtribus viris ſubnixâ, non ad unum omnia deferrent, plures facilius munera Reipublicæ ſociatis laboribus executuros. Plus in oratione tali dignitatis quàm fidei erat: Tiberioque etiam in rebus, quas non occuleret, ſeu naturâ ſeu adſuetudine ſuſpenſa ſemper & obſcura verba: tunc verò nitenti, ut ſenſus ſuos penitus abderet, in incertum & ambiguum magis implicabantur. At patres, quibus unus metus, ſi intelligere viderentur, in quæſtus, lachrymas, vota effundi &c. *Ex quo apparet nihil magis periculoſum eſſe, quàm prodere, ſe tyranni ſimulationes & diſſimulationes intelligere.* 3. qui flagitia tyranni ignorat. *Referri huc poteſt quod de Nerone narrat Tacitus* 13. *ann.* 25. Q. Voluſio, P. Scipione CSS otium foris, fœda domi laſcivia, quâ Nero itinera urbis & lupanaria & diverticula, veſte ſervili, in diſſimulationem ſui, *ſeu ne agnoſceretur,* compoſitus pererrabat, comitantibus qui raperent ad venditionem expoſita, & obviis vulnera inferrent; adverſus ignaros adeò, ut ipſe quoque acciperet ictus & ore præferret. Julius quidam Montanus Senatorii ordinis, ſed qui nondum honorem capeſſiſſet, congreſſus fortè per tenebras cum principe, quia vim tentantem acriter repulerat, deinde agnitum oraverat, quaſi exprobraſſet, mori adactus eſt. 4. Qui cavet ſibi à ſimulantibus intimam amicitiam & ſervorum ſuorum odia vitat. *Nam hi ſunt quibus proditi*

diti miſeri in extremas anguſtias & pericula vitæ devolvuntur. Referri hùc poteſt exemplum Laſaris, cujus & ſuperius mentionem fecimus ex 4. ann. 68. Defatigatur calamus hiſce ſcribendis: plura enim afferre poſſem; ut ergò brevibus omnia concludam, afferam textum ex Tacito 1. Hiſt. 3. compendio quaſi exhibentem quæ in tyrannide quisq; fugienda habet. Nobilitas, *inquit*, opes, omiſſi geſtique honores pro crimine & ob virtutes certiſſimum exitium. *i. e. Sub tyrannis, quorum res geſtas narraturus ſum, occidebantur alii, quia ex nobili familiâ erant oriundi, alii, quia ex geſtis magiſtratibus illuſtres erant; alii, quia metuentes inde periculum magiſtratus refugiebant; virtutibus verò inſtructi mortem effugere non poterant.* Nec minus præmia delatorum inviſa, quàm ſcelera. *i. e. Fovebant quoque tyranni delatores, aſſignatis præmiis, ob quæ uti & ob ſcelera ſua inviſi erant:* cùm alii ſacerdotia & conſulatus ut ſpolia *i. e. ut exuvias hominum innocentium ſuis delationibus enecatorum*, adepti, procurationes *ſeu adminiſtrationem pecuniæ* alii & interiorem potentiam *i. e. familiaritatem principis* agerent verterent cuncta *i. e. omnia prædæ haberent.* Odio & terrore corrupti in dominos ſervi. *i. e. ſervi adacti ad prodendos & deferendos dominos ſuos, partim quòd illos odiſſent, partim quòd tormentis & minis cogerentur*, in patronos liberti: & quibus deerat inimicus, per amicos oppreſſi. *Ex his quæ quisque vitanda in tyrannide habeat, quò ſalvus ſit & incolumis tanquam per compendium diſci poſſunt.*

CAP. V.

DE RATIONE STATUS VIVENTIUM IN FORMA DE CUJUS MUTATIONE LABORATUR.

1. Periculoſiſſimum eſt vivere in civitate, quæ motibus turbatur. *Nam quia eventus bellorum eſt dubius, neutri parti te tutò adjungere poteris.*

2. Quapropter Ratio ſtatûs ejusmodi in formâ jubet occultare animum & ita te gerere, ut videaris in neutram partem inclinare; nec ulli adverſus, ſi neutri te jungere ob imbecillitatem virium ſalutare ſit. *Nam hæc eſt omnium tutiſſima via, quam ingredi datur. Cuicunque enim faveat fortuna, ſecurus eſſe & ſine periculo victoris dominationem expectare poteris. Hinc cùm Otho & Vitellius certarent de imperio; minus prudenter multi Senatorum Romanorum Othonem in caſtra comitati ſunt, cùm tamen nec conſilio nec viribus Othonem juvare poſſent. Quapropter devicto Othone in ſummis fuerunt anguſtiis. Tacit. 2. H. 52.*

 Poſito

Poſito ubique bello, magna pars Senatûs extremum diſcrimen adiit profecta cum Othone ab urbe, dein Mutinæ relicta. Illuc de adverſo prælio allatum. Sed milites ut falſum rumorem aſpernantes *i.e. Othoniani milites qui ibidem erant nuntiis de victo ſuo imperatore nullam fidem tribuentes,* quòd infenſum Othoni Senatum arbitrabantur, cuſtodire ſermones, vultum habitumq; trahere in deterius. *i.e. obſervabant verba geſtusq; ſenatorum, an læti eſſent tam triſti Othonis exitu.* conviciis poſtremò ac probris cauſſam & initium cædis quærebant. cùm alius inſuper metus Senatoribus inſtaret, ne prævalidis jam Vitelli partibus, cunctanter excepiſſe victoriam *i.e. paulò tardius gratulati Vitellio de victoriâ* crederentur. Ita trepidi & utrinq; anxii coëunt. *Ex quibus apparet, quas in anguſtias recidant qui imbelles ſectantur partes de imperio certantes: ut adeò ſecurum maximè ſit ejuſmodi hominibus, temporibus inſervire & ita ſe gerere, ne ullam in partem videantur inclinare. Quamvis non diffitear, honeſtatem ſuadere, ut eligas partem, cui adhæreas, & cum hac præſentem potius ſubeas mortem, quàm ejuſmodi fœdis artibus conſerves vitam. Sed agimus hîc de eo, quod Ratio Status ſuadet faciendum, ſi vitam & bona conſervare velis: aut ſi talis ſit cauſſa duorum tyrannorum, ut neutri tutò accedere poſſis.*

3. Media occultandi ſunt, ſi nihil eorum, quæ ad ſtatum Reipubl. ſpectant ſolus, ſed inter plures agas. *Nam victor adeptus imperium non facilè in omnes ſævit. Et eſt aliâs modus latendi, inter multos facere, quod ſolus impunè facere nequeas. Ad hoc remedium confugiebant Senatores, qui Mutinæ erant. Tacit. d.l.2.H.c.51. cujus verba hæc ſunt:* Nemo privatim expedito conſilio, inter multos ſocietate culpæ tutior, *i.e. Nullus Senatorum quicquam ſolus decernebat, ſed ſinguli ſeſe numero aſſociabant, ſcientes, ſe ita tutiores fore & magis latitaturos.*

4. Aliud medium latitandi eſt, vitare omnes occaſiones, quibus, quali animo quis ſit, declarare cogitur. *Nam ſi admiſeris talem occaſionem, extra periculum non eris, quicquid agas. Id illis, qui Mutinæ erant contingebat Senatoribus, non ſatis præcaventibus, ne decuriones Mutinenſes pro Othonianis partibus nimis apertè agerent. Tacit. d. l.* Onerabat paventium curas Ordo Mutinenſis, arma & pecuniam offerendo, appellabatque Patres Conſcriptos, intempeſtivo honore. *i.e. Ordo decurionum Mutinenſium reddebat Senatores ſuſpectos, quaſi adhærerent partibus Othonis, dum his arma & pecuniam, quaſi pro Othone pugnaturis offerebat, & magnifico illo utebatur nomine, eos appellando Patres conſcriptos, ac ſi ibi repræſentarent Senatum Romanum ſummæ rerum conſulentem.*

5. Tertium medium eſt, ambiguè omnia proferre, ſi de publicis

cis diſſerendum ſit. *Quemadmodum enim ſophiſtæ & divinatores, qui genethliaci & calendariographi vocari ſolent, utuntur orationibus ambiguis, quarum ſenſum quo velint detorquere poſſint, ut videantur vera dixiſſe: ita Ratioſtatûs ſuadet ejusmodi obſcuritatibus operam dare temporibus Reipubl. adverſis: & quando mutationes imminent. Fecere hoc Eprius cæterique Senatores, quorum hactenus exemplo uſi ſumus. Tacit.* 2.*Hiſt*.53. Notabile jurgium inde fuit.quo Licinius Cæcina Marcellum Eprium ut ambigua diſſerentem. *i. e. talia loquentem, quò verba & Vitellio & Othoni, uter horum victor exſtiturus eſſet, probare poſſet,* invaſit. Nec cæteri ſententias aperiebant. *i.e. idem quod Eprius & cæteri faciebant Senatores, nec quisquã horũ claris verbis ſenſa animi aperiebat.*

6. Alterum, quod Ratio ſtatus monet facere, eſt, dare operam, ut maturè exploretur, quorſum victoria inclinet, quò in tempore victori ſervitia offerri poſſint. *Nam talem te exhibere decet, quaſi anxius fueris victoria ſuperantis expectator, ſi huic amicus eſſe velis Exemplum rurſus nobis præbent miſeri illi Senatores, de quibus Tacitus cit. loc.* Et rediêre omnes Bononiam conſiliaturi. Simul medio temporis plures nuncii ſperabantur. Bononiæ diviſis per itinera *i.e. hinc inde collocatis cuſtodibus,* qui recentiſſimum quemque *nuncium* percunctarentur. interrogatus Othonis libertus cauſſam digreſſûs, habere ſe ſuprema ejus mandata reſpondit. Ipſum viventem quidem relictum, ſed ſolâ poſteritatis curâ & abruptis vitæ blandimentis *i. e. nihil Othonem amplius meditatum eſſe, quàm quid poſt mortem ſuam fieri vellet.* Hinc admiratio & plura interrogandi pudor. Atque omnium animi in Vitellium inclinavêre. *Cui ridere placet, legat quæ Tacitus addit ſeq. cap.* 54.

7. Eſt & aliud medium, quod ſuggerit Ratioſtatûs honeſtum magis, ſed minꝰ tutũ pro conſervandâ vitâ & nõ niſi ſingulari virtute inſtructis ſalutare; nim. parti alteri eiq; Juſtiori ſe jungere, ſtrenueq; pro ipſiꝰ ſalute agere, rebus verò malè cedentibus, fateri, victori ſe adverſarium fuiſſe, promittere huic eandem fidẽ quam exhibuit devicto. *Nam ſæpè conſtantiâ & virtute permoti victores ejusmodi hominibus veniam non modo dant, ſed etiam honores addunt. Exemplum elegans præbet Marius Celſus apud Tacit*, 1. *Hiſt*. 71. Marium Celſum, *inquit*, Conſulem deſignatum, per ſpeciem vinculorum ſævitiæ militum ſubtractum acciri in Capitolium *Otho* jubet. Clementiæ titulus è viro claro & partibus inviſo petebatur. *i. e. Otho volebat videri clemens ſervando vitam viri ob virtutes celebris & ſuis hoſtibus odioſi.* Celſus conſtanter ſervatæ erga Galbam fidei crimen confeſſus exemplũ ultrò imputavit. *i. e. non negavit Celſus, ſe talem ſeſe exhibuiſſe Galbæ,*

qua-

qualem quisque Imperator ſuos erga ſe eſſe optat : nec decere principem hujuſmodi ignorata exempla habere ; ſeque eandem fidem Othoni ſemper præſtiturum. Nec Otho quaſi ignoſceret, ſed ne hoſtis metum reconciliationis adhiberet, *i. e. Nec ſic Otho cum illo egit, quaſi culpam condonaret, ſed quaſi factum probaret, nec Vitellium adverſus ſe acriorem redderet deſperatione reconciliationis*, ſtatim intra intimos amicos habuit, & mox bello inter duces delegit. manſitque Celſo velut fataliter etiam pro Othone fides integra & infelix, *i. e. ſtetit ex eo die Celſus fidus pro Othone, quaſi in fatis eſſet optimi viri, infelicibus Imperatoribus cum ſui infelicitate fideliſſimum exiſtere.*

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER IV.

DE REPUBLICA ROMANA ET VARIA HUJUS MUTATIONE.

1. *Multum prodeſt ad interpretationem legum, quæ in Juris civilis corpore continentur cognitio Reipublicæ Romanæ, quàm variis modis illa mutata fuerit. Id quod fiet manifeſtum cuilibet vel primum librum Digeſtorum inſpicienti. Quapropter ſpeculabimur ſtatum rei Romanæ, qualis quoque tempore fuerit, addentes rationes & cauſſas mutationum, quò una hactenus traditorum uſus compareat. Duobus autem capitibus cuncta comprehendemus: priori dicturi ſumus de ſtatu, qualis fuerit ante tempora imperatorum; poſteriori, de imperatorum regimine.*

CAP. I.

DE STATU REI ROMANÆ QUALIS FUIT ANTE TEMPORA IMPERATORUM.

MEMBR. I.

DE SEPTEM REGIBUS.

1. Alter annus Numitoris, qui erat ante Chriſtum natum 750. novæ urbi initium dedit, quam Romulus & Remus fratres gemini in iis locis, ubi expoſiti, ubi educati erant condidere, collectis ex Albanis, Latinis, Paſtoribusque tribus hominum millibus. Sed mox Romulus, occiſo Remo, qui novos muros in ludibrium tranſilierat, ſolus imperio potitus eſt, & conditoris nomine urbs condita appellata.

ARTIC. I.

ARTIC. I.

DE REGE ROMULO.

1. Romulus primus Romanorum rex palatinum primum, in quo ipſe erat educatus, muniit: ſacra diis aliis Albano ritu, græco Herculi, ut ab Evandro inſtituta erant fecit. *Liv. lib. 1. Nam ſine cultu divino regi præſertim ejuſmodi barbarus populus non poterat.*

2. Rebus divinis ritè perpetratis, vocatâque ad concilium multitudine, quæ coaleſcere in populi unius corpus nullâ re, præterquam legibus poterat, Jura dedit: quæ ita ſancta generi hominum agreſti fore ratus, ſi ſeipſe venerabilẽ inſignibus imperii feciſſet, quum cætero habitu ſe auguſtiorem, tùm maximè lictoribus XII. ſumptis fecit. *Liv. lib. 1. cap. 8. Nam leges nihil proſunt, niſi ſit adminiſtrator earum, qui Majeſtatem habens terrori ſit populo.*

3. Centum deinde creavit Senatores, ſive quia is numerus ſatis erat: ſive ſoli centum erant qui creari patres poſſent. (*Patres certè ab honore, patriciiq; progenies eorum appellati*) *Solent enim reges, & intereſt quoque eorum, optimos quosq; eligere, cum quibus conſilia Reipubl. communicent: dictitat etiam natura, conſiliis jungi eos, qui & ætate & prudentiâ præ cæteris pollent.*

4. Res erat unius ætatis, populus virorum: itaque mulieres à Sabinis petitæ, quia non dabantur vi captæ ſunt. Inde bellum triſte & rurſus ex hoc repentè læta pax,& ex duabus civitatibus una. (*Titus enim Tatius regnum Romulo ſociaverat & cum Curibus Sabinis Romam tranſierat: unde Romani Quirites dicti*) *Liv. lib. 1. cap. 13. Nam affinitas principium amicitiæ, ob identitatem ſanguinis, non admittebat diuturnum bellum.*

5. Diviſus poſtea populus in Curias triginta. conſcriptæ etiam centuriæ tres equitum. Ramnenſes à Romulo; ab Tito Tatio Titienſes appellati. & inde non modò commune, ſed & concors etiã regnum duobus regibus fuit, donec Titus Tatius merito ſuo occideretur. *Liv. eod. Nam quicquid diſcordiarum ex communione regni naſci & diverſitate gentium poterat, nova affinitas & hinc nata ſanguinis identitas tollebat.*

6. Hunc Romulum ſomniarunt in cœlum translatum, auctore Proculo Julio, qui viſum à ſe affirmaverat auguſtiori formâ eumque Quirinum à diis appellari. *Eſt namque vulgus proclive ad ſuperſtitiones & quibuscunque facilè ducitur.*

ARTIC. II.
DE
NUMA POMPILIO SECUNDO REGE ROMANORUM.

1. Mortuo Romulo, patrum animos certamen regni ac cupido verſabat. nec dum à ſingulis, quia nemo magnopere eminebat in novo populo, pervenerant factiones: inter ordines certabatur. Oriundi ab Sabinis, ne, quia poſt Tatii mortem ab ſuâ parte non erat regnatum in ſocietate æquâ, poſſeſſionem amitterent, ſui corporis creari regem volebant. Romani veteres regem peregrinum aſpernabantur. *Nam docuimus lib. 2. hujus partis, querelas naſci, ſi non conveniant cives circa fundamenta Juſtitiæ diſtributivæ. Oriundi ex Sabinis argumentabantur, æqualibus deberi æqualia, & ita ex eorum numero eligendum regem, quò viciſſitudo, ut decet inter æquales, obſervetur. Contrà Romani veteres ſibi tanquam vetuſtioribus præcipuum quiddam deberi concipiebant.*

2. Cùm convenire non poſſent, placuit interregnum in hunc modum: decem decuriis factis, ſingulisque in ſingulas decurias, qui ſummæ rerum præeſſent, creant: decem imperitabant, unus cum inſignibus imperii & lictoribus erat: quinque dierum ſpacio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat. *Liv. lib. 1. cap. 17. Metus namque externus hanc interea ſuadebat concordiam, cum multarum circa civitatum irritatis animis Roma ſine imperio eſſe non poſſet.*

3. Non tamen diuturnum erat imperium fremente plebe, multiplicatam ſervitutem, centum pro uno dominos factos: creatus deinde à patribus, ita volente populo, Numa Pompilius vir inclytæ Juſtitiæ & religionis, qui tunc Curibus Sabinis habitabat. *Nam regio imperio vulgus Romanum erat adſuetum, & propterea plurium ferre non poterat: mos namq; vulgi & barbarorum eſt ſuetis gaudere. Rectè ergò fecêre patres obſecuti plebi creando novum regem. Ferebant autem ex veteribus Romanis oriundi propterea hunc aliunde originem & quidem ex Sabinis trahentem; quia nullus tunc apud Romanos erat imperio aptior. Scilicet virtus, cui natura imperium detulit, vel invidentibus imperat.*

4. Hic Numa ita regno potitus urbem novam, conditam vi & armis jure legibusque ac moribus metu deórum incuſſo, ſimulatis congreſſibus nocturnis cum deâ Egeriâ, de integro condere paravit. *Multitudo namq; barbarorum erat adſueta bellis, quam domare alia ratio non dabatur, niſi poſitis aliquandiu armis & cultu divino legibusque introductis: cultum autem divinum non niſi ſimulatis illis congreſſibus ob-*

tinere

tinere potuit; quia in animos vulgi non deſcendit cultus ſine aliquo miraculi commento.

5. Dies hic diviſit in faſtos, ſeu judiciales, & nefaſtos, quibus non decebat judicia exercere. *Nam neceſſe eſt, in civitatibus ordinem obſervari, quò cives debito modo ſingulis rebus invigilare valeant.*

6. Tum ſacerdotibus creandis animum adjecit, quanquam ipſe plurima ſacra obibat, ea maximè, quæ poſtea ad flaminem Dialem pertinebant. *Nam intereſt imperantium conciliare ſibi opinionem, quaſi ſint Deo proximi ejusq; intimi amici: ita enim nemo audebit eos invadere.*

7. Legit & virgines Veſtæ, Albâ oriundum ſacerdotium & genti conditoris haud alienum, quas virginitate & aliis ceremoniis ſanctas fecit. *Nam ſanctum & immaculatum eſſe videtur, quod à coitu venereo aliquod beſtialitatis præ ſe ferente abſtinet. Potuiſſetque diutius hoc medio faſcinare vulgus imperitum pontifex Romanus, ſi a peccatis ſodomiticis hominum in ordinem clericorum receptorum ætas juvenilis permiſiſſet.*

8. Subjecit etiam pontificis ſcita publica & privata ſacra, ut eſſet quò conſultum plebes veniret, ne quid divini Juris, negligendo patrios ritus, peregrinosque aſciſcendo, turbaretur. *Nam plebs ſuperſtitioſa perpetuum & conſtantem deſiderat cultum divinum, turbasq; maximas concitat in ſuâ, quam de colendo Deo ſemel concepit, opinione turbata.*

9. Eâ hoc modo pietate pectora imbuerat; ut fides ac Jusjurandum pro ſummo legum ac pœnarum metu civitatem regerent. *Nam leges nil niſi externas & in oculos incurrentes actiones coercent; quæ occulta ſunt nemo niſi Deus ipſe Judicare poteſt. Unde adverſus incognita & latentia, quæ ab unoquoque metuimus, ſecuritatem mediante jurejurando quærere ſolemus. Quæ cauſſa eſt, quare reges initio ſuorum imperiorum jurejurando ſubditos ſuos adſtringant, quo adverſus inſidias ſecuri ſint & fideles eos ſibi habeant. Plena ergò ſecuritas non eſt ſine jurejurando, jusjurandum fruſtrà eſt ſine pietate. Inculcanda ergò pietas civibus. Et hoc eſt, quod præced. libr. ex Ariſtotele docuimus, ethnicos plerosque Deum verum ignorantes direxiſſe cultum, quem dis exhibuerunt, ad obſervantiam legum.*

10. Ita Romuli Numæque inſtitutis tum valida tum temperata & belli & pacis artibus viguit civitas. *Errant namq; qui putant, civitatem felicem ſatis fore, ſi tantùm ad bella gerenda præparata ſit: bellum enim perpetuò gerens civitas miſera eſt, quia finem, cujus gratiâ*

bella ſunt, nunquam obtinet: bellum enim gerimus, ut pacem conſequamur. Fit præterea ejuſmodi civitas cœtus latronum.

ARTIC. III.

DE TULLO HOSTILIO.

1. Numæ morte ad interregnum res rediit: inde Tullum Hoſtilium, cujus clara pugna adverſus Sabinos fuerat, regem populus juſſit, Patres auctores facti. *Priori interregno enim erat introductus mos, ut auctorib. patribus & jubente populo fieret, quod firmum ratumque in civitate eſſe deberet. Salutare fuiſſet civitati Romanæ, ſi hoc modo ſemper electi fuiſſent reges ex virtute & non ex potentiâ, ſuppreſſis ſemper potentioribus. Nam quod dicunt, electitia regna plena contentionum eſſe, ac proinde conducere regnis, ſi hereditaria ſint; id obtinet tunc, quando cuncta ex potentiâ magis quàm ex virtute æſtimantur.*

2. Hic non ſolùm proximo regi diſſimilis, ſed ferocior etiam Romulo fuit, tum ætas vireſque, tum avita quoque gloria animum ſtimulabat. *Liv. lib. 1. cap. 22. Nimia enim juventus in rege reddidit eum ferociorem, ſenectus paulò tardiorem. Quapropter ſalutare fuit civitati, paulò juniorem Numæ ſubſtituere regem, ne otio dedita & imbellis redderetur. Profuit & hoc, quòd elegerint virum nobilem non degenerem. Nam qui degeneres non ſunt majorum ſuorum virtutibus ad res præclaras gerendas excitantur.*

3. Callidus tamen exſtitit in captandâ populi gratiâ. *Nam cùm qui ex tergeminis fratribus Horatiis ſupererat victor ſororem trucidaſſet & in Jus raperetur, rex, ne ipſe tam triſtis ingratique ad vulgus Judicii, aut, ſecundum judicium, ſupplicii auctor eſſet; concilio populi advocato, duumviros, qui judicarent, creavit. Liv. lib. 1. cap. 26. Scil. præviderat rex, mortem victoris eo tempore ipſi irrogatam, quo jam præmia ſuæ victoriæ expectabat, miſericordiam apud plebem moturam eſſe, affectum ejuſmodi qui auctori ſupplicii odium paraturus eſſet.*

4. Crevit ſub hoc rege Roma Albæ ruinis. (*Dirutis enim Albæ tectis cives Albanos Romam tranſtulerat*) duplicatus civium numerus. Cœlius additus urbi mons, & quò frequentius habitaretur, eam ſedem Tullus regiæ cepit, ibique deinde habitavit. Principes Albanorum in patres, ut ea quoque pars Reipubl. creſceret, legit. *Nam conducit bellicoſæ civitati & imperium affectanti, ſi mediante procreatione liberorum numerus in bello cæſorum ſuppleri nequeat, peregrinos devictos eoſque bellicoſos in civitatem recipere, Juriumque civitatis participes reddere, exciſâ ipſorum civitate: poſſunt namque hi cives redditi contenti ſuo ſtatu eſſe melius, quàm ſi ſervituti ſubjiciantur.*

Fit-

Fitque hoc modo civitas terrori vicinis, auctâ per numerum civium potentiâ.

ARTIC. IV.
DE
ANCO MARTIO

1. Mortuo Tullo, res, ut inſtitutum jam inde ab initio erat, ad patres redierat. hique interregem nominaverant, quo comitia habente, Ancum Martium regem populus creavit. Patres fuêre auctores. *Liv. lib. 1. c. 32.*

2. Numæ Pompilii nepos, filiâ ortus Ancus Martius erat, qui ut regnare cœpit, & avitæ gloriæ memor, & quia proximum regnum cætera egregium, ab unâ parte haud ſatis proſperum fuerat, aut neglectis religionibus aut pravè cultis, longèque antiquiſſimũ ratus, ſacra publica, ut ab Numâ inſtituta erant, facere; omnia ea, ex commentariis regis pontificem maximum in album relata proponere in publico juſſit. Inde contemptus Anco apud vicinos, his vero animus, deſidem Romanum regem inter ſacella & aras regnum agentem. *Nam ocioſum quod videtur contemptum ſibi creat.*

3. Itaque Ancus, demandatâ curâ ſacrorum flaminibus, ſacerdotibusque aliis, exercitu novo conſcripto, profectus, Politorium urbem Latinorum vi cepit. ſecutusque morem regum priorum, qui rem Romanam auxerant hoſtibus in civitatem accipiendis, multitudinem omnem Romam traduxit. & cùm circa palatium ſedem veteres Romani, Sabini Capitolium atque arcem, Cœlium montem Albani impleſſent: Aventinum novæ multitudini datum: quibus adjecit poſtea alios hoſtes devictos. *Nam neceſſitas tunc urgebat civitatem numero augêri: aliàs enim id non tutum eſt, ſed principium ſeditionum exiſtit, ſi ex diverſis & diſtinctis nationibus vel gentibus conſtet civitas. Quâ de cauſâ tali in caſu maturè occurrendum malis, quæ ex civium diverſitate gigni ſolent.*

4. Nec urbs tantùm hoc rege crevit, ſed etiam ager finesq; Sylva Mæſia Vejentibus adempta: uſque ad mare imperium prolatum, & in ore Tiberis Hoſtia urbs condita. *Proficuum id fuit Romanis prope mare urbem habere, ut ita quæ neceſſaria eſſent civitati aliunde inferri poſſent. Nam lib. 1. hui part. demonſtravimus ſalutare eſſe civitati, vicinam mari eſſe.*

ARTIC. V.
DE
TARQUINIO PRISCO.

1. Mortuo Anco Martio Tarquinius Priſcus qui peregrinus

Tarquiniis Romam venerat, in familiaritatem regis receptus, & tutor liberorum ab ipſo conſtitutus, à populo regiam dignitatem obtinuit. *Liv. lib. 1. c. 35. Nam virtutis tunc ad huc ratio habebatur, & in novo populo repentina omnis & ex virtute nobilitas.*

2. Ergò virum cætera egregium, ſecuta, quam in petendo habuerat, etiam regnantem ambitio eſt: nec minus regni ſui firmandi, quàm augendæ Reipubl. memor, centum in Patres legit, qui deinde minorum gentium ſunt appellati. factio haud dubia regis, cujus beneficio in curiam venerant. *Liv. lib. 1. cap. 35. Nam cùm Tarquinius Priſcus, utpote peregrinus nullos ex conſanguinitate & affinitate eosq; potentes haberet amicos: firmare regnum aliâ ratione non potuit, quod recens acceperat, quàm beneficiis ſibi conciliando amicos & potentiam ipſis in Republ. tribuendo.*

3. Numero etiam equitum alterum tantum adjecit, ut mille & trecenti equites in tribus centuriis eſſent. *Liv. lib. 1. cap. 36. Deerat enim ſuis viribus auctâ civium multitudine equus.*

4. Bellis deinde geſtis, poſtquam Collatinos in deditionem receperat, Egerio fratre ibidem in præſidio relicto, nomenque omne Latinum domuerat; pax facta. Inde majore animo pacis opera inchoata, quàm quantâ mole geſſerat bella, ut non quietior domi populus eſſet, quàm militiæ fuiſſet. *Intereſt enim civitatis bellicoſæ & aliis gentibus imperituræ, nunquam cives relinquere otioſos; ne ocio & deſidiâ corrumpantur.*

5. Tandem quò ſibi regnum firmaret, & regiam dignitatem ad poſteros transferret, filiam ſuam optimæ indolis Juveni Servio Tullio, non obſtante, quòd ex ſervâ matre natus eſſet, nuptum dedit: ſed hoc pacto adverſus ſe eò magis irritavit duos Anci filios, quos impuberes tutor eorum exiſtens ab imperio excluſerat: cùm enim ſemper antea pro indigniſſimo habuerant, ſe patrio regno tutoris fraude pulſos, regnare Romæ advenam, non modò civicæ, ſed ne Italicæ quidem ſtirpis: tum impenſius his indignitas creſcere, ſi ne à Tarquinio quidem ad ſe rediret regnum, ſed præceps inde porrò ad ſervitia caderet. Ferro igitur eam contumeliam arcere ſtatuentes Tarquinium Priſcum in regiâ trucidari curant. *Scil. imprudenter ſatis factum à Tarquinio, quod, cùm ſciret apud liberos Anci ſtomachationem excitatam, utpote qui non niſi injuſtiſſimum imperium ejus judicare poterant, tanquam ſibi ademptum & peregrino datum (ſtomachantur enim præ cæteris, qui quod ſibi deberi putant alterum velut indignum habere vident: quod namq; quis novum poſſidet hoc indignè poſſidere videtur) ſtomachantibus non occurrerit, vel removendo eosdem calli-*

de è

de è medio, vel quod magis regium, affinitatem cum iisdem contrahendo & ſpem imperii faciendo. Sed indignitatem iſtam auxit contumeliam iisdem inferendo, cùm ſervilis originis in imperio iis præponeret hominem. Quod ipſum ſufficiens fuit motuum principium, ut lib. 2. demonſtravimus.

ARTIC. VI.
DE SERVIO TULLIO.

1. Servius Tullius primus injuſſu populi voluntate Patrum regnavit. *Nam inter mortem Tarquinii, Priſci uxor ejus Tanaquil populum allocutus, juſſit eum bono animo eſſe, ſopitum fuiſſe regem ſubito ictu. ferrum haud altè in corpus deſcendiſſe. Jam ad ſe rediiſſe. Interim Servio Tullio jubere populum dicto audientem eſſe. Eum Jura redditurum, obiturumque alia regis munia. Servius cum trabeâ & lictoribus prodiit; ac ſede regiâ ſedens alia decrevit, de aliis conſulturum ſe eſſe regem ſimulavit, & per aliquot dies, quum jam exſpiraſſet Tarquinius, celatâ morte per ſpeciem alienæ fungendæ vicis ſuas opes firmavit. Liv. lib. 1. cap. 40.*

2. Poſtquam obtinuit imperium, non jam publicis magis conſiliis quàm privatis munire opes, & ne qualis Anci liberûm animus adverſus Tarquinium fuerat, talis adverſus ſe Tarquinii liberûm eſſet, duas filias juvenibus regiis Lucio atque Arunti Tarquiniis junxit. Nec rupit tamen fati neceſſitatem humanis conſiliis, quin invidia regni etiam inter domeſticos infida omnia atque infeſta faceret. *Nam docuimus lib. 2. huj. part. affectum imperandi vehementiſſimum eſſe, nec parentibus nec cognatis parentem, ſed omnem naturalem caritatem evertentem. Nec juvat ſpem facere imperii. Nam cupido facit, ut homines malint rapere quàm expectare illud ipſum.*

3. Cenſum poſthæc inſtituit, rem ſalubrem tanto imperio, ex quo belli pacisque munia non viritim, ut ante, ſed pro habitu pecuniarum fierent. Tum claſſes, centuriasque, & hunc ordinem ex cenſu fundamentum & onerum & munerum bellicorum collocans, utebatur principio oligarchico in ordinandâ Republ.

4. Suffragium quoque non, ut à Romulo traditum cæteri ſervaverant reges, eâdem vi eodemque Jure promiſcuè omnibus datum eſt: ſed gradus facti, ut neque excluſus quisquam ſuffragio videretur, & vis omnis penes primores civitatis eſſet. Equites vocabantur primi, octoginta inde primæ claſſis centuriæ; ibi ſi variaret, quod rarò incidebat, ut ſecundæ claſſis vocarentur: nec ferè unquam ita deſcenderent, ut ad ad infimos pervenirent. *Liv. lib. 1. cap. 43. Nam conducit monarchias reddere oligarchicas; facilius enim*

monar-

monarcha cum primoribus & paucis ſuſcipiens conſilium temperare ſingula poteſt, quàm ſi tota multitudo moderanda & compeſcenda eſt. Id obſervabat etiam Tiberius comitia è campo Martio ad patres transferens.

5. Civitatem non modò numero auxit civium, & urbem ad eam multitudinem amplificavit, addendo duos colles, Quirinalem Viminalemque. *Liv. lib. 1. cap. 44.* Sed & formatis omnibus domi ad belli & pacis uſus, ne ſemper armis opes acquirerentur, conſilio augere imperium conatus eſt, ſimul & aliquod addere urbi decus: dum perpulit Latinos, ut Romæ fanum Dianæ cum populo Romam facerent. *Liv. lib. 1. cap. 45. Nam hoc ipſo tacitè fatebantur, caput rerum Romam eſſe, de quo toties armis certatum fuerat. Nullus enim modus melior datur callidè alliciendi homines ad exhibendam loco alicui & per hunc civitati reverentiam, quàm ſuperſtitio: ei enim loco, ubi concipitur peculiaris deus habitare, honorem coguntur offerre.*

4. Mota hinc ſeditio à Juvene Tarquinio, cui ſuam filiam nuptum dederat. *Nam paulò ante tradidimus homines imperii cupidos nulli parcere affinitati, nulli Juri amicitiæ.* Spargebat Juvenis, Servium injuſſu populi regnare; & quamvis hic callidis artibus à populo impetraret, ſe juberi regem: non tamen per hoc ſpem imperii Tarquinio minuit. *Nam fruſtrà erat, quòd jam diu in poſſesſione regni exiſtens Servius juſſum populi exigeret, patres hoc ipſo offendens. Neque enim malum tollitur, niſi principio ſublato: at hoc erat ſuperbia Tarquinii & uxoris ipſius filiæ: erat namque juvenis ardentis animi, & domi uxor Fullia inquietum animum ſtimulabat. Removendus ergò fuiſſet Tarquinius è civitate & præficiendus coloniæ vel urbi ab hoſtibus occupatæ, vel particeps reddendus imperii, aut planè tollendus, quod fieri potuiſſet, ſi objectus fuiſſet belli periculis. Non itaque quievit Tarquinius, donec Servium occidiſſet.*

ARTIC VII.
DE
TARQUINIO SUPERBO.

1. Occiſo Servio Tullio, Tarquinius, cui ſuperbo cognomen facta indiderunt, regnum ſcelere partum non melius adminiſtravit quàm acquiſierat. *Nam primores patrum, quos Servii rebus faviſſe credebat, interfecit. aliaque egit, quæ non niſi in peſſimâ tyrannide fieri ſolent: erat enim inquinatus vitiis tyrannorum propriis, ſuperbiâ & crudelitate.*

2. Peſſimam ergò tyrannidem ſolâ vi innixam exercuit, 1. corpus armatis ſtipando. *Id enim coguntur facere tyranni, quibus nihil amabile ineſt, ſed potius talia agunt, quæ odium, iram, invidiam*

ſtoma-

ſtomachationem apud ſubditos gignunt. 2. Judicia criminalia ſine conſiliis per ſe ſolum exercendo. *Nam hoc modo poterat non tantum criminum reos, ſed & ſuſpectos & inviſos vel etiam eos, à quibus nihil aliud quàm prædam ſperare poſſet, occidere.* 3. Imminuendo Patrum auctoritatem. *Nullos namque in locum trucidàtorum legit, quò contemptior paucitate ordo eſſet, minusque, per ſe nihil agi, indignarentur. Primus enim hic regum traditum à prioribus morem de omnibus Senatum conſulendi ſolvit, domeſticisque conſiliis rempubl. adminiſtravit, bellum, pacem, fœdera, ſocietates per ſe ipſe cum quibus voluit, injuſſu populi ac Senatus fecit, diremitque.* 4 Peregrinis auxiliis ſe muniendo. *Nam Latinorum ſibi maximè gentem conciliabat, neque hoſpitia modò cùm primoribus eorum, ſed affinitates quoque jungebat. Liv. lib. 1. c. 49.* 5. Plebi labores graves imponendo. *Nam adhibebat eos primò exſtructioni templi (quod plebs minus gravabatur) poſtea verò ad foros in circo faciendos, cloacamque maximam, receptaculum omnium purgamentorum urbis ſub terram agendam. idem lib. 1. c. 56. Exhibet ergò Tarquinius peſſimi tyranni exemplar ſtudioſis politices.*

3. Sed ejusmodi tyrannis in populum bellicoſum non diu ſubſiſtere potuit. Itaque non modò corpus tyranni petitum, ſed etiam ſtatus regius planè ſublatus eſt auctore Junio Bruto ſorore regis nato, Juvene longè alio ingenio, quàm cujus ſimulationem induerat. *Docuimus namque præced. libr. eum, qui immutaturus ſtatum & nova moliturus eſt, debere noſſe artem ſimulandi humilitatem, ſimplicitatemque animi, ignaviam &c. Id quod obſervavit Brutus. Hic enim* ex induſtriâ factus ad imitationem ſtultitiæ, quum ſe ſuaque prædæ regi eſſe ſineret, Bruti quoque haud abnuit cognomen: ut ſub ejus obtentu cognominis, liberator ille populi Romani, animus latens opperiretur tempora ſua. *Liv. lib. 1. c. 56. Quæ etiam obtinuit, poſtquam Filius Tarquinii Lucretiæ intuliſſet ſtuprum, & eadem ſibi ademiſſet vitam: prehenſo enim cultro cruento, quo ſe fœmina illa occiderat, juravit ſe L. Tarquinium ſuperbum cum ſceleratâ conjuge & omni liberorum ſtirpe quâcunque vi exſecuturum, nec illos nec alium quenquam regnare Romæ paſſurum. Idem eod. c. 59.*

4. Rem autem Junius Brutus ita perfecit. Elatum domo Lucretiæ corpus ipſe viduus & cæteri Collatiæ in forum pro ſe quisque ſcelus regium ac vim queſti detulerunt. *Nam plebs non melius commoveri ad iram poterat, quàm mediante miſericordiâ; hæc autem ſubjectione cadaveris defunctæ Lucretiæ ob oculos civium: ita enim*

docuimus in ſuperioribus, miſericordiam excitari. Et ita movit populum tum patris mœſtitia, tum Brutus, caſtigator lachrymarum atq; inertium querelarum auctorque, quod viros, quod Romanos deceret, arma capiendi adverſus hoſtilia auſos. Ferociſſimus quisque juvenum cum armis voluntarius aderat. ſequebatur & cætera juventus. habitaque ad populum oratio à Bruto nequaquam ejus pectoris ingeniique, quod ſimulatum ad eum diem fuerat, de vi ac libidine S. Tarquinii, de ſtupro infando Lucretiæ, & miſerabili cæde: addita ſuperbia ipſius regis, miſeriæque & labores plebis in foſſas cloacasque exhauriendas demerſæ. Romanos homines victores omnium circa populorum opifices ac Lapidicidas pro bellatoribus factos. *Nam quò minus convenienter quis patitur contumelias eò major in eo ira. ut part. 2. lib. 1. docuimus.* His ſimilibusque memoratis Brutus accenſam multitudinem perpulit, ut imperium regi abrogaret, exulesque eſſe juberet L. Tarquinium cum conjuge ac liberis.

5. Status ita regius, qui 244. annis duraverat, rejectus & novus introductus eſt.

MEMBR. II.
DE
STATU REI ROMANÆ, QUALIS FUIT A TEMPORE EJECTORUM REGUM USQUE AD LL. XII. TABB.

ARTIC. I.
DE
NOVÆ REIPUBL. INTRODUCTIONE.

1. Exactis regibus, id quod factum eſt anno ante Chr. N. 506. Junius Brutus cum L. Tarquinio Collatino Lucretiæ marito Conſul creatur: & ita ſtatus tyrannicus in aliquam mutatur oligarchiam, quæ non longè à peſſimâ aberat, niſi qvòd virtutis aliquid haberet admixta. *Nam creabantur ex equitum numero duo Conſules ejusdem potentiæ cum regibus. Ita namque Liv. lib. 2. c. 1.* "Libertatis autem originem inde magis, quia annuum imperium conſulare factum eſt, quàm quòd deminutum quicquam ſit ex regiâ poteſtate, numeres." Omnia jura omnia inſignia primi Conſules tenuêre. Id modò cautum eſt, ne ambo faſces haberent, duplicatus terror videretur.

2. Brutus

2. Brutus prior concedente collegâ faſces habuit: qui non acrior vindex libertatis fuerat, quàm deinde cuſtos fuit. Omnium primum avidum novæ libertatis populum, ne poſtmodum flecti precibus aut donis regiis poſſet, jurejurando adegit, neminem Romæ paſſuros regnare. *Eſt namque plebs læta ad nova; ſed mox eorum pertæſa ad priſtina & adſueta redit. Ut docuimus p. 3. lib. ult. Quapropter meritò Brutus ſecuritatem ſibi, adhibito jurejurando, quæſivit.*

3. Deinde quò plus virium in Senatu frequentia etiam ordinis faceret, cædibus regis deminutum Patrum numerum, primoribus equeſtris gradûs lectis, ad trecentorum ſummam complevit. *Id namque erat 1. contrarium facto ex actis regis: decet autem eum qui in novo imperio præeſt, facere contraria iis, ob quæ qui ab imperio depulſus eſt in omnium odio fuit. 2. & ſalutare reddere ditiſſimos, quales erant qui in equeſtri erant ordine (Servius enim Tullius primum ordinem, qui equitum erat, ex maximis divitiis definiverat) participes Conſiliorum. Unde patet reverà aliquam oligarchiam introductam eſſe; quod ſcil. ex ditiſſimorum numero Patres; ex Patrum Conſules crearentur.*

4. Rerum deinde divinarum habitâ curâ, & quia quædam publica ſacra per ipſos reges factitatæ erant, ne ubi ubi regum deſiderium eſſet, regem ſacrificulum creavit: idque ſacerdotium pontifici ſubjecit: ne additus nomini honos aliquid libertati, cujus tunc prima cura erat, officeret. *Liv. l. 2. c. 2. Scil. multa fiunt ex affectibus ab hominibus & ſæpè metuitur, ubi nihil metuendum eſt: multa quoque ridicula ſuadet ſuperſtitio. Nomen regis exoſum & terroris plenum retinendum in ſacrificio faciendo dictitabat ſuperſtitio, ſubjiciendum pontifici metus ex nomine. Quemadmodum & L. Tarquinius Collega Bruti ob inviſum nomen Tarquiniorum ſe conſulatu abdicare coactus eſt, quò vanum ex nomine metum plebs adimeret. Creatusque eſt Conſul & Bruto Collega factus P. Valerius, cujus ope is reges exegerat.*

5. Hoc modo præparato novo ſtatui natum mox periculum, dum Juvenes nobili genere orti, quorum in regno libido ſolutior fuerat, æquales, ſodaleſque adoleſcentium Tarquiniorum, adſueti more regio vivere, de accipiendis clam nocte in urbem regibus conſilium ſuſcipiunt. *Ducebantur enim moleſtiâ ex præſenti ſtatu, quia jucundâ illâ ſodalium amicitiâ, quam cum regiis adoleſcentibus coluerunt & licentiâ in luxuriâ & rebus venereis hoc ipſo privabantur hi Juvenes, aliud æquivalens objicere vel exactiſſimam curam horum habere &*

 labo-

laboribus bellicis detinere, vel aliâ ratione omnes occaſiones præſcindere. Sed ſumptâ de adoleſcentibus pœnâ; ſervo Indici data pecunia, libertas & civitas: ut in utramque partem arcendis ſceleribus nobile exemplum eſſet.

6. Pugnatum poſtea cum Tarquiniis, ceciditque Junius Brutus Conſul. Publius Valerius Conſul redux; cùm debuiſſet hoc primum operam dare, ut collega ſibi crearetur, ſciens ſolitudinem plebi de ſuâ libertate ſollicitæ ſuſpectam, id negligit. Hinc ex favore invidia non modò ſed ſuſpicio etiam cum atroci crimine orta. *Nam Regnum eum affectare fama ferebat, quia nec collegam ſurrogaverat in locum Bruti & ædificaverat in ſummâ Veliâ: unde ſuſpicio, ibi alto & munito loco arcem fore.*

7. P. Valerius *ſuſpicionem declinare niſus* vocato ad concilium populo ſummiſſis faſcibus in concionem adſcendit: Gratum id multitudini ſpectaculum fuit, ſummiſſa ſibi eſſe imperii inſignia, confeſſionemque factam, populi quàm Conſulis vim & majeſtatem ſuperiorem eſſe. *Liv. lib. 2. c. 7.* ſed minimè pro ratione ſtatûs. *Nam cùm ſtatus eſſet oligarchicus, debuiſſent patres inania quædam plebi tribuere, & ex eâdem creare magiſtratus cum honore, ſine poteſtate tamen; ſibi verò ſummam poteſtatem reſervare. Sed contrà Valerius effecit, ut inſignia & titulos honoreſque patres gererent, poteſtas penes populum eſſet. Unde ſtatus ſubſiſtere non potuit. Potuiſſet ſufficere ad adimendam plebi ſuſpicionem ædes extructas demolire, aliisque civibus collem permittere.*

8. Gratæ deinde in vulgus leges ejus fuêre, quas ſolus & antequam collegam acciperet tulit, ut ſua unius in his gratia eſſet, (unde & Publicolæ cognomen ipſi factum) ante omnes, de provocatione ad populum adverſus magiſtratus, ſacrandoque cum bonis capite ejus, qui regni occupandi conſilia iniiſſet: ſed minus prudenter pro ſtatu. *Nam quid hoc aliud fuit, quàm patriciis inanem ſplendorem & vana inſignia reſervare, plebi autem ipſam poteſtatem tradere; & ita ſtatum evertere, neque tamen conſequi, ut plebs ſuo ſtatu eſſet contenta? Nam vulgi mores ſunt, ut inania ſpectet.*

ARTIC. II.
DE
DICTATORE PRIMUM CREATO.

1. Poſthumo Cominio & T. Curtio CSS. ſupra belli latini metum id quoq; acceſſerat, quòd triginta jam conjuraſſe populos concitante

citante Octavio Mamilio ſatis conſtabat. in hac tantarum expectatione rerum ſollicitâ civitate, Dictatoris primum creandi mentio orta, magiſtratûs tali rerum ſtatu ſummè ſalutaris & neceſſarii, *Liv. lib.2.c 18.* *Nam nimia populi libertas & reſtrictam CSS. imperium civitate in anguſtiis poſitâ efficiebat, ut ſegnius, quàm neceſſitas exigeret juſſa expedirentur: opus ergò fuit magiſtratu abſolutam poteſtatem ejus vitæ neciśque habente, quò metu adacti intentiores eſſent ad dicto parendum & ſtrenuè perficiendum munus injunctum. Habetque Dictatura aliquam regni æſymnetici naturam; quia volentes Romani abſoluto alicujus imperio ad tempus ſeſe ſubjiciebant.*

2. Creatus autem eſt Dictator 1. ſi aut belli externi aut ſeditionis domeſticæ vis tanta eſſet, ut auctoritas conſularis non ſufficeret. 2. ſi clavus figendus eſſet ſedandæ peſtilentiæ cauſſâ. 3. ſi abſentibus CSS. celebranda eſſent comitia.

3. Jus eligendi eum penes Conſulem fuit. *Nam non quemadmodum cæteri magiſtratus comitiis centuriatis à populo; ſed à Conſule dicebatur: unde & nomen ſuum videtur habuiſſe.*

4. Erat autem Dictatoris poteſtas quoad hoc CSS. poteſtate longè major, quòd non eſſet diviſa, ſed penes unum, à quo provocari non poterat. *Nam ab altero Conſule ad alterum ibatur, ab utriśq; provocabatur ad populum: in dictatore verò nullam uſquam niſi in curâ parendi auxilium.*

5. Ne verò occaſione hujus magiſtratûs tyrannidem invadere quis poſſet, brevis nec diuturnus fuit, ultra ſex menſes regulariter non datus. *Nam nihil aliud erat, quò in magiſtratu tantæ potentiæ impediri Tyrannis poſſet, quàm brevitas temporis, quodque finito magiſtratu cogerentur reſpondere de geſto officio. Et hoc eſt quod Ariſtoteles inculcat lib.5. politic. magiſtratus majoris potentiæ debere eſſe breves & non diuturnos, & quod Dictator dicebat apud Liv.lib.4.c.24. maximam Reipubl. cuſtodiam eſſe, ſi magna imperia non ſint diuturna & temporis modus imponatur, quibus jus imponi non poſſit.*

6. Quamvis autem magiſtratus hic reverà tyrannicus eſſet & haud pauci eodem eſſent functi, nullus tamen ante Syllæ tempora legitur hâc ſuâ poteſtate uſus vel abuſus. *Cauſſa mihi hæc fuiſſe videtur, quia finito magiſtratu, ſi quicquam injuſtè poteſtate abuſi commiſiſſent, tribunos metuendos habebant, à quibus iiſdem dies dicebatur. Primus tamen Lucius Cornelius Sylla oſtendit, tyrannidem huic magiſtratui*

involutam

involutam: id quod hactenus ignoraverant Romani. Hunc ſecutus Julius Cæſar, qui Dictaturam perpetuam adeptus tyrannidem invaſit, effecitque ut poſtea nullus tyrannorum dictatoris nomine amplius uteretur. Redditum enim erat exoſum æquè ac regum nomen.

7. Soliti autem ſunt Dictatores, quàm primum dicti à CSS. eſſent, ſibi adſciſcere & eligere magiſtrum equitum virum illuſtrem: qui quidem haberet quoque imperium in cives, eſſet tamen ſubjectus Dictatori, ut ſine permiſſu ejus nihil ipſe facere poſſet. *Teſtantur hoc exempla nonnulla eorum, qui injuſſu Dictatorum etiam feliciter rem adverſus hoſtes gerentes diſcrimen vitæ ſubierunt, & nonniſi precibus populi à pœnâ mortis liberati ſunt. Quales fuêre Q. Fabius & M. Minucius.*

ARTIC. III.

DE INITIIS DISCORDIARUM INTER PATRES ET PLEBEM, ET IN SPECIE DE SEDITIONE OB IMPOTENTIAM FOENERATORUM, QUÆ CAUSSA FUIT, UT TRIBUNI PLEBIS CREARENTUR.

1. Appio Claudio & P. Servilio CSS. anno ſcil. ante C. N. 492. mortuus eſt Cûmis Tarquinius S. cujus morte nunciatâ erecti patres, erecta plebs. Sed Patribus nimis luxurioſa fuit ea lætitia; & plebi, cui ad eam diem ſummâ ope inſervitum erat, injuriæ à primoribus fieri cœpêre. *Liv. lib. 2. c. 21. Scilicet hactenus metus externus, quem Tarquinius S. inferebat, adegerat patres, ut concordes cum plebe viverent & horum favorem nimiis blanditiis ambirent. Unde injuriæ, ſoluto metu, à patribus illatæ & majorem iram concitarunt.*

2. Bellum Volſcum imminebat, & civitas ſecum ipſa diſcors inteſtino inter Patres plebemque flagrabat odio; maximè propter nexos ob æs alienum. *Demonſtravimus namque lib. 2. & 3. huj. part. plebem tandem ferre imperium divitum & contumelias eorum, modo aliquid utilitatis expectandum ab iisdem habeat, aut ad minimum non impediatur in commodis rei familiaris: adeoque divitum eſſe, hoc potiſſimum operam dare, quò commodo & emolumento ſint pauperibus. Hujus contrarium cùm Patres obſervaſſent blandiendo plebejis, eosque ſupra modum venerando, contrà immenſo fœnore bona ipſorum exhauriendo: non potuerunt non graviſſimæ inde oriri ſeditiones. Viguiſſet autem patrum ſtatus, ſi neceſſitati plebejorum ſuccurriſſent ſine fœnore mutuam*

tuam pecuniam dando, ſibi contrà poteſtatem omnem ſummam reſervando. Excogitandi etiam fuiſſent magiſtratus nonnulli cum lucro conjuncti, ſine poteſtate tamen aliquâ, jure eligendi & conferendi Patribus relicto: ita enim beneficiis ab his aucti didiciſſent eosdem venerari. Hac namque & non aliâ ratione divites pauperum amicitiam impetrant. Quid ergò inſecutum eſt, Patribus non intelligentibus aut facere nolentibus quod ratio ſtatus oligarchica exigebat? Fremebant, *inquit Liv.* plebeji, ſe foris pro libertate & imperio dimicantes, domi à civibus captos & oppreſſos eſſe. *(conjiciebantur enim in compedes ad præſtandas serviles operas qui non ſolvendo erant) Odium plebejorum erga Patricios ſponte gliſcens inſignis alicujus calamitas accendit, qui cum omnium ſuorum majorum inſignibus ſe in forum projecit, populum ad miſericordiam movendo: unde natus clamor & tumultus non in foro ſe continens, ſed totam urbem pervadens.*

3. Durante ſeditione narratur, Volſcos infeſto exercitu ad urbem oppugnandam venire, quæ audita (adeò duas ex unâ civitate diſcordia fecerat) longè aliter Patres ac plebem affecêre. Exultare gaudio plebes, ultores Patrum adeſſe dicere Deos, alius alium confirmare ne nomina darent: Cum omnibus potius, quàm ſolos perituros; Patres militarent, ut penes eosdem pericula belli, penes quos præmia eſſent. *Ita namque comparatum eſt cum irâ accenſis, ut propriam ſalutem negligant, modò vindictam adipiſci poſſint.*

4. Compoſita tunc ſeditio, ut profiterentur plebeij nomina, à Servilio CS. cui ingenium magis populare, quàm collegæ Appio Claudio erat. Edixerat enim, ne quis civem Romanum vinctum aut clauſum teneret, quominus ei nominis edendi apud conſules poteſtas fieret. Ne quis militis, donec in caſtris eſſet, bona poſſideret, aut venderet. *Benè quidem in præſens, ſed magno cum malo in tempus futurum: ita namque didicerant plebeji, ſe ſuis motibus extorquere poſſe quod vellent. Rectius conſuluiſſent ſibi Patres, ſi malo in tempore præveniſſent ſtatim initio ſine fœnore mutuando pecuniam, ſuccurrendo miſeris & ita ſibi benevolentiam conciliando.*

5. Fuſis hoſtibus & intra paucos dies bello feliciter peracto promiſſa Conſulis edicto comprehenſa fidemq; ſenatûs plebs expectabat: quam Appius & inſitâ ſuperbiâ animo, & ut collegæ vanam faceret fidem, quàm aſperrimè jus de creditis pecuniis dicebat. Exinde graviores quàm antea tumultus, contentionesq; tamdiu

ARTIC. IV.
DE
L. AGRARIA PRIMUM LATA.

1. Civitate bellicoſâ exiſtente & hoſtibus bona immobilia adimente, ratio ſtatûs oligarchica requiſiverat, ut hæc publica fierent, ſervis bello captis ad agros colendos & cætera opera ruſtica perficienda adhibitis: quibus potuiſſent præponi ex plebe curam habentes, ut ritè agri colerentur, dato ſalario. (*Nam hic magiſtratus ad ſummam rei non ſpectat*) Reditusque potuiſſent impendi in ſtipendia plebejis militantibus ſolvenda. *Quantum id profuturum fuiſſet pro favore plebis obtinendo, indicat, quod tradit Liv. lib. 4. c. 59. fin & c. 60.* Et ne qua contentio naſceretur, quaſi patres illos reditus in ſuos verterent uſus: rationes, vocatis ex ſingulis claſſibus, qui his reddendis nomine plebis intereſſent, reddi debuiſſent. *Nam hoc modo potuiſſent in ſtatu oligarchico, ſalvo patrum imperio, omnia eſſe quieta.* Sed quum id non fieret, patribus contrà publicos agros in ſuos uſus convertentibus, natæ ſunt inde querelæ, & diſſenſiones.

2. Sp. Caſſio & Proculo Virginio CSS. anno ſcil. A. Chr. N. 483. cum Hernicis fœdus ictum â Romanis, agri partes duæ ademptæ: inde dimidium Latinis, dimidium plebi diviſurus Conſul Caſſius erat. Adjiciebat huic muneri agri aliquantum, quem publicum poſſideri à privatis criminabatur. Id multos quidem Patrum, ipſos poſſeſſores, periculo rerum ſuarum terrebat. Sed & publica patribus ſollicitudo inerat, largitione Conſulem periculoſas libertati opes ſtruere. Tum primum promulgata lex agraria, nunquam deinde ſine maximis motibus rerum agitata. *Nam ſine dubio Caſſius videns, agros publicos interverti, occaſionem inde cæpit favorē plebis non modò Romanæ ſed & exterorum, Latinorum nimirum, captandi & tyrannidem ita invadendi. Quapropter & ipſius collega plebi diſſuaſit, ne acciperet donum, prædicens, agros illos ſervitutem iis, qui acceperint, laturos. regno viam fieri.*

3. Quamvis verò, his CSS. quum plebes metuens ne Caſſius ſibi machinaretur regnum, donum illius velut præſentem regni mercedem aſpernata, legem ratam non juberet: dulcedo tamen hujus legis ipſa per ſe dempto auctore ſubibat animos, accenſaque ea cupiditas eſt malignitate patrum, qui devictis eo anno Volſcis Æquiſque, militem prædâ fraudavêre. captum ex hoſtibus Fabius Conſul vendidit & in publicum redegit. *Nam cùm nulla populo ra-*

 tiones

tiones redderentur de publicis, pro amiſſis vel potius in utilitatem patrum converſis habebantur redacta in publicum. Hinc querelæ; quia præmia belli penes ſolos patres eſſe videbantur. Et ita recedebatur à Juſto diſtributivo, quod omnibus diſtribuere bona communia jubet, qui quid ad victoriam contulerunt. Scil. bona mobilia capta ab hoſtibus fuiſſent ſingulis pro meritis ſuis & iis quæ ad victoriam contulerant tribuenda.

4. Crebrius poſtea tribuni plebis urſêre hanc legem: ut Cæſone Fabio & Sp. Furio CSS. *Liv. lib. 2. c. 43.* it. M. Fabio & Cn. Manlio CSS. *Id. lib. 2. c. 44.* urſit & ipſe Cæſo Fabius denuò CS. creatus initio Conſulatûs, priusquam quisqvam agrariæ legis auctor exſiſteret tribunus, occuparent Patres ipſi ſuum munus facere: captivum agrum plebi quam maximè æqualiter darent. verum eſſe habere eos, quorum ſanguine ac ſudore paratus ſit. *Prudenter ſatius ut ultrò datum à Patribus videretur, quod magnâ cum ignominiâ eorundem extorqueri poſſet.* Aſpernati tamen Patres ſunt: quæſti quoque quidam, nimiâ gloriâ luxuriare & evaneſcere vividum quondam illud Cœſonis ingenium. *Nimirum exiſtimant divites & nobiles in oligarchiis, de ratione ſtatûs eſſe, etiam juſta quæ ſunt plebejis denegare. Sed hoc ſtatum invertit. ut lib. 2. cap. 2. h. part. demonſtratum dedimus. Perrexêre* ergò Tribuni, quærendo priſtina mala domi, ſi quando foris deerant. Plebem ſuo veneno agrariâ lege, in reſiſtentes agitare patres, nec in univerſos modò ſed in ſingulos. *Liv. l. 2. c. 52.* Nec quietum unquam, ſed paci externæ ſemper continuabatur diſcordia domi. *Id. eod. c. 54.* L. Valerio & Tiberio Æmilio CSS. iterum certamina ordinum de L. agrariâ, & Appio Claudio velut acerrimo adverſario legis, & ob hoc plebi maximè inviſo dies dicta à tribunis. *Id. eod. c. 61.* Eadem certamina repetita Tiberio Æmilio iterum & Q. Fabio CSS. & obtenta fuiſſet lex, niſi Antium, quæ tunc capta erat deducta colonia fuiſſet, dato iisdem ex agro vicino ex hoſtibus capto. ut ita ſine querelis poſſeſſorum agri publici plebs in agros iret: quamvis non deeſſet multitudo, quæ poſcere Romæ agrum mallet, quàm alibi accipere. *Liv. lib. 3. c. 1. Et inde tribuni plebis in urgendâ lege agrariâ perſeverarunt. Idem eod. & seqq. capp. Anno ante Chr. N. 412. rogatio promulgata à tribunis nonnullis: quicquid agri ex hoſtibus captum eſſet & occupatum divideretur, quâ Patres in ſummas anguſtias redacti amiſiſſent ſua bona, niſi ſex cæteri tribuni à patribus blanditiis præparati eſſent, ut intercederent: Liv. l. 4. c. 48. Ea tandem invaſit homines dulcedo occupandi agros hoſtium devictorum, ut ſtatuerent tribuni, civitatem dividendam, &*

parti-

partiVejos habitandos deſtinarent. Liv.lib.5.c.24. Diviſi hinc agri Vejentani plebi ſeptena jugera,nec patribus familia tantùm, ſed ut omnium in domo liberorum ratio haberetur, vellentque in eam ſpem liberos tollere. Diviſus & paulo poſt agerPomtinus Liv.l.6.&c.

ARTIC. V.

DE

AUCTA TRIBUNORUM MALITIA ET POTENTIA.

1. Auxit malitiam tribunorum 1. Lex de creandis tribunis; cujus auctor Volero tribunus plebis rogationem ad populum ferens, ut plebeji magiſtratus tributis comitiis fierent. Haud parva res ſub titulo primâ ſpecie minimè atroci,ferebatur: ſed quæ patriciis omnem poteſtatem per clientium ſuffragia creandi,quos vellent, tribunos auferret. *Hæc res nos monet, ut hoc loco de comitiis populi Romani, ſeu conventibus ejusdem ferendorum ſuffragiorum gratiâ actis nonnulla dicamus. Comitia primò omnia calata vocata ſunt à calando ſeu vocando. quod nomen poſtea ſingulariter retentum & aſſignatum iis comitiis, quæ pro collegio pontificum habebantur vel teſtamentorum condendorum cauſsâ fiebant. Gell. l.15.c. 27. (Hinc naſcebantur teſtamentorum duo genera, alterum calatis comitiis dictum, alterum in procinctu. §.1.Inſt.de teſtam.ordin.) Poſtea tria comitiorum genera orta:* Curiata *ſcil.*Centuriata & tributa.

DE

COMITIIS CURIATIS.

Omnium prima fuère curiata, in quibus per curias ſuffragia ferebantur, quibus omnia initio peragebantur, antequam centuriata & tributa introducerentur,adeò ut & hiſce ante legemVoleronis tribuni plebis crearentur. Sed & poſtea obſoleta ſunt.

Fuère autem curiæ tribuum partes, & quidem triginta numero. Nam Romulus populum in tres tribus (unde fortaſſe ita appellatæ ſunt)& has ſingulas in decem curias diviſerat, ſingulis aliquem honoratum virum præponendo: teſtantibus Dionyſ. lib.2.& Plutarcho in vitâ Romuli.

Jus habendi comitia & convocandi fuit in ſtatu regio penes reges, in liberâ Rep. penes patricios magiſtratus, nim.Conſules,Dictatores,Prætores, Pontifices, Interreges. Nam habebantur hæc comitia auſpicatò & Patribus auctoribus.

Jus ſuffragii fuit penes cives Romanos, eos tantùm, qui in curias deſcripti Romæ & non extra urbem habitabant.

Modus celebrandi comitia iſta hæc fuit. 1. edicebantur ab aliquo

magiſtratu patricio. 2. Convocatio populi fiebat per 30. lictores. 3. adhibebantur auſpicia de cœlo. cogebaturque magiſtratus comitia celebraturus parere obnunciationi, ſi obſervatum de cœlo eſſet, fas non eſſe cum populo agi. 4. Si non obnunciatum eſſet, rogatio, cujus ſuffragium à populo petebatur, publicè recitabatur. 5. præſes comitiorum curias in ſuffragium mittebat his verbis: ſi ita vobis videtur, diſcedite in Curias Quirites & ſuffragium inite. Dionyſ. l. 4. 6. Si rogatio non futura è re populi videretur, tribuni plebis intercedebant verbo Veto: *& tunc ſuffragia nulla ferebantur, ſed comitia diſſolvebantur vel in alium diem proferebantur. 7. Non vetantibus tribunis, diſcedebat populus in curias & de rogatione conſultabat. 8. ſingulæ curiæ ſorte vocatæ exibant vota ferentes, primâ vocatâ mali ominis exiſtente proferebantur comitia. 9. Quod maxima pars curiarum juſſiſſet ratum habebatur. Hinc ſi ſedecim conſenſiſſent priores, finis comitiorum erat: ſin diſſentirent, cæteræque vocabantur, dum ſedecim conſenſiſſent. 10. Olim decretum curiarum ad patres relatum, ut auctores fierent.*

Centuriata comitia à centuriis ita dicta; quòd in hisce populus per centurias ſuffragia ferret, originem habent à Servio Tullio rege. Nam Servius Tullius populum in quinque claſſes diremit. In primâ claſſe fuêre primo octodecim centuriæ equitum, quorum dilectus ſumptus ex opulentisſimis nobilium. Secundò octoginta centuriæ peditum, quorum cenſus erat poſſeſſio haud minor viginti minis. quadraginta Centuriæ Juniorum, primum locum in acie tenentium, & quadraginta ſeniorum erant, qui domi eſſent urbem cuſtodientes. Arma hos geſtare juſſit clypeum, loricam ex ære, galeamque & ocreas, tela haſtam & gladium. In ſecundâ claſſe minimus cenſus erat ſeptuaginta minarum; comprehendebanturque viginti centuriæ, decem Juniorum & decem ſeniorum; illis ſecundus in acie locus erat. Paria arma cum illis quæ geſtabant pedites primæ claſſis, niſi quòd loricam non haberent & loco clypeorum ſcuta. In tertiâ claſſe cenſus erat ad minimum quinquaginta minarum, itidem viginti centuriæ, decem juniorum & decem ſeniorum, quibus non modò loricæ ſed & ocreæ prohibitæ erant. In quartâ claſſe minimus cenſus viginti minarum; viginti centuriæ, decem ſeniorum & decem Juniorum. Arma hi juſſi habere ſcuta, haſtas gladios & ultimum in acie locum obtinere. In quintâ claſſe cenſus erat ad minimum minarum duodecim & dimidiæ, triginta centuriæ, quindecim ſeniorum & quindecim juniorum, qui cum fundis & jaculis militabant extra ordines. His centuriis annexæ ſunt quatuor inermes centuriæ, duæ ad armorum & machinarum fabricam annumeratæ ſecundæ claſſi; duæ tubicinum & cornicinum quartæ claſſi inſertæ, pari ætatis;

tatis diſcrimine. Reliqui quaſi ſextam claſſem conſtituentes minus duodecim & dimidiâ minis poſſidentes immunes à tributis & militiâ redditi, ſuperarunt vel æquarunt omnes in quinque claſsibus comprehenſos. Ut adeò cuivis facilè pateat, ſtatum ad oligarchiam propendiſſe.

In Centuriatis comitiis 1. creabantur majores magiſtratus Gell. lib. 15. cap. 14. Dion. lib. 5. 2. rogabantur leges à magiſtratibus ſenatoriis ſeu majoribus auctoritate Senatûs, quæ in noſtro Jure leges in ſpecie ſic dictæ vocantur. 3. exercebantur Judicia perduellionis. Hinc Cicero pro Sextio: Legibus XII. tab. ſancitum, ne de capite civis, niſi comitiis centuriatis ageretur.

Jus convocandi pro magiſtratibus creandis habuêre Conſules, Dictatores, Interreges; pro legibus condendis, Conſules, Dictatores & prætores, horumque urbanus potiſſimùm, ſi Conſules abeſſent; qui itidem vocare ad comitia ſolebant, ſi judicia tractanda eſſent.

Jus ſuffragiorum competebat civibus in centurias redactis & in quinque claſſibus conſtitutis.

Modus celebrandi comitia 1. Patres auctores facti SCto juſſerunt magiſtratum comitia edicere. 2. Quo facto, Senatorii magiſtratus diem certum edixere Gell. lib. 13. c. 14. propoſitis etiam quæ futuris comitiis eſſent tractanda. 3. Capiebantur auſpicia; quia obnunciatione factâ à magiſtratu majori peragi comitia non poterant. 4. Magiſtratus comitia habiturus urbem egrediebatur in campum martium, atque tabernaculum capiebat, quem olim ſequebantur cives armati ſub ſignis in ſuis quinque centuriis. 5. Concione habitâ proponebatur rogatio, hac formulâ Velitis jubeatis Quirites &c. *6. Magiſtratus jubebat populum in ſuas centurias diſcedere ad ſuffragium ferendum. 7. Ordo ſuffragiorum diverſis temporibus erat diverſus. Nam tempore Servii Tullii, teſte Dionyſio lib. 4. ad ſuffragium prima evocata octodecim equitum centuriæ & peditum octoginta primæ claſſis. Hæ ſi conſentirent, definita erat ſententia, nec cæterarum claſſium centuriæ rogabantur; quia prima Claſſis ſuperabat numero reliquas quatuor claſſes ſimul ſumptas. Quòd ſi verò non convenirent centuriæ primæ claſſis, vocabantur centuriæ viginti duæ claſſis ſecundæ, & ita deinceps. Quo ipſo rarò contingebat, ultimæ claſſis ſuffragium audiri. Hic modus velut nimis oligarchicus in liberâ Republ. mutatus eſt, & ex omnium numero per ſortem vocata centuria, penes quam eſſet primum ſuffragium, prærogativa appellata; poſt expletas autem tribus, cum eſſent triginta quinque, factis duabus ſortitionibus vocata eſt primò prærogativa tribus, ſecundò ex hac tribu prærogativa centuria. Prærogativam centuriam in ſuffragio ferendo ſequebantur centuriæ pri-*

mæ claſſis equitum ſcil. & peditum ordine: quibus conſentientibus cum prærogativâ centuriâ finita erant comitia, non verò conſentientibus cum prærogativâ & inter ſe, ſecundæ claſſis ſuffragia audiebantur.

DE TRIBUTIS COMITIIS.

Tributa comitia à tribubus ita appellata ſunt. Erant autem tribus partes populi Romani regionibus in urbe & extra urbem diſtinctæ: quorum numerus, cùm tres eſſent initiò, excrevit ad triginta quinque.

Jus convocandi habuêre etiam tribuni plebis, qui ſemper in creandis tribunis poſt Legem Voleronis præſides fuerunt comitiorum.

Jus ſuffragii habuêre omnes cives in tribus relati.

Modus à cæteris comitiis diverſus fuit; quia fiebant inconſulto Senatu & inauſpicato Dionyſ. lib. 9. quamvis obnunciationi parendum eſſet. Concione ergò factâ populus diſcedebat in tribus, fiebatque de ordine omnium & ſingularum tribuum ſortitio, longè aliter ac centuriatis comitiis, miſſis ſcil. in urnam omnibus tribubus.

Ex his omnibus patet quid Volero intenderit, ſuâ lege de creandis tribunis plebis, nimirum, ut ſingulis tribubus ſorte vocatis ad ſuffragia, nullâ equitibus prærogativâ relictâ, & præſidibus ipſis tribunis præcaveri poſſet, ne patricii ſuis clientibus tribunitiam poteſtatem darent, ſed eligi ſemper aut plerumque poſſent patriciorum adverſarii à partibus plebis ſtantes. Obtinuit ergo tandem, patribus fruſtrà contranitentibus, lex Voleronis, & tum primùm tributis comitiis tribuni plebis creati ſunt.

2. Acceſſit ſecundò multum potentiæ tribunis aucto horum numero. *Nam eodem tempore tres acceſſerunt. Liv. lib. 2. c. 58.* CSS. C. Horatio & Q. Minutio, cùm bellum cum Sabinis gerendum eſſet, extorſerunt Senatui, ut liceret decem creare. *Liv. lib. 3. cap. 30.*

3. Tertiò quoque adaucta eſt ſupra modum tribunorum poteſtas cum L. Valerio & M. Horatio CSS. lex centuriatis comitiis lata eſſet, ut quod tributim plebes juſſiſſet populum teneret. *Liv. lib 3. c. 55. Nam hac lege tribuniciis rogationibus telum acerrimum datum eſt, ſtatuſque cœpit magis ad democratiam inclinare, conceſſâ plebejis magiſtratibus poteſtate rogare leges, quibus & patricii obligarentur. Hæc eſt origo plebiſcitorum, ex quibus collecta & in Jus, quo hodiè quoque utimur, relata traduntur §. lex eſt 6. inſtit. de Jure nat. gent. & civ. Sed & hæc ab imprudentiâ patrum ſectantium ſpeciem externam imperii & ſplendorem, [illegible] veritate ſummam rerum poteſtatem ad plebem transferentium.*

Quid

Quid enim abſurdius eſſe poteſt in mixtâ Republ. quàm blandis populi ductoribus poteſtatem rogandi leges concedere?

4. Quartò cùm ab iiſdem hiſce Conſulibus expreſſè renovatum, ut Tribuni pl. ſacroſancti eſſent. *Liv. eod. Sanxerant enim, ut qui tribunis plebis, ædilibus, judicibus, decemviris nocuiſſet, ejus caput Jovi ſacrum eſſet, familia ad ædem Cereris, liberi liberæque venum iret.*

5. Quòd cuique magiſtratui finito officio, diem dicere poſſent. *Sic cum Furius dictator terrorem incuteret plebi, quò deſiſterent obſequi tribunorum libidinibus: hi contra tulerunt ad plebem, idque plebes ſcivit, ut ſi M. Furius quid pro dictatore geſſiſſet, quingentum millium æris ei mulcta eſſet. Liv. l.6.c.38. Unde augentes hanc ſuam licentiam etiam ipſos conſules in carcerem conjici juſſerunt, ut docebitur infrà.*

MEMBR. III.
DE DECEMVIRATU ET LL. XII. TABB. LATIS.

ARTIC. I.
DE CAUSSIS OB QUAS EX GRÆCIA PETITA SUNT LEGES.

1. L. Lucretio & Sp. Veturio CSS. ſecundæ belli res urbanos motus excitaverunt, dum C. Terentillus Arſa tribunus pl. CSS. abſentibus ratus locum tribuniciis actionibus datum, per aliquot dies Patrum ſuperbiam ad plebem criminatus; maximè in conſulare imperium, tanquam nimium nec tolerabile liberæ civitati invehebatur: nomine enim tantùm minus invidioſum, reipſa propè atrocius quàm regium eſſe. quippe duos pro uno dominos acceptos immoderatâ, infinitâ poteſtate: qui ſoluti atque effrenati ipſi omnes metus legum omniaque ſupplicia verterent in plebem. Quæ ne æterna illis licentia ſit, legem ſe promulgaturum, ut quinque viri creentur, legibus de Imperio conſulari ſcribendis. Quod populus in ſe jus dederit, eo conſulem uſurum: non ipſos libidinem ac licentiam ſuam pro lege habituros. *Peccaverant namque Patres iterum contra ea, quæ in ſuperioribus de Ratione ſtatus oligarchicâ diſſeruimus, nim. dare debere imperantes operam, quò videantur ex legibus potius quàm pro libero arbitrio & voluntate ſuâ corruptâ imperare. Id debuiſſ-*

debuiſſent obſervare patricij imperium in populum bellicoſum & libertati deditum, nimiisque blanditiis jam corruptum exercere volentes. Sed malè, quod ultrò facere debebant, tribunis extorquendum relinquebant: cujus initium fecit Terentillus, quem cæteri tribuni ſecuti ſunt.

2. Legem, cujus auctor Terentillus erat, urſère tribuni, donec tandem lenius cum Patribus agerent, petentes, ſi ipſis plebeiæ leges diſplicerent, ut illi communiter legumlatores & ex plebe & ex patribus, qui utriſque utilia ferrent, quæque æquandæ libertatis eſſent, ſinerent creari. Rem non aſpernabantur Patres: daturum leges neminem niſi ex Patribus ajebant. Quum de legibus tantùm conveniret, de latore tantùm diſcreparet: miſſi legati Athenas, juſſique inclytas leges Solonis deſcribere & aliarum Græciæ civitatum inſtituta, mores, Juraque noſcere. *Hic iterum errarunt Patres pro conſervando ſuo ſtatu facturum autumantes, ſi ipſi excluſis plebejis conderent legem. Nam mox parata fuisſent ſeditiones & tribuni criminantes, leges in ſalutem patrum, perniciem plebejorum ſcriptas eſſe, & parum feciſſent ad quietem, ſi patres id obtinuiſſent. Ex accidenti ergò contigit ſalubrius remedium apprehendi & leges ex Græciâ peti.*

ARTIC. II.
DE
DECEMVIRIS CREATIS ET LL. XII. TABB. CONDITIS.

1. CSS. P. Seſtio & L. Menenio, anno ſcil. V. C. 302. redierant legati cum Atticis legibus, eò intentius inſtabant tribuni, ut tandem ſcribendarum legum initium fieret. Placet creari X. viros ſine provocatione. & ne quis eo anno alius magiſtratus eſſet. Admiſcerenturne plebeii controverſia aliquandiu fuit. Poſtremò conceſſum patribus, modò ne lex Icilia de Aventino, aliæq; ſacratæ leges abrogarentur. *Liv. lib. 3. c. 32. Neutra pars hic obſervavit quod eſſet de ratione ſtatus; patres ſuum imperium intendere laborantes, & decem ex ſuo numero occaſionem invadendi tyrannidem præbentes, plebeii hoc ipſum patribus concedentes.*

2. Anno ergò trecenteſimo altero, quàm condita Roma erat, iterum mutatur forma civitatis ab conſulibus ad X. viros, quemadmodum ab regibus antè ad conſules venerat translato imperio. Minus inſignis, quia non diuturna mutatio fuit. *Nam quopacto aliqua conſtantia huic magiſtratui ineſſe potuit, cum populus libertati ſupra modum deditus non poſſet ferre imperium CSS. valde limitatum jam & reſtrictum.*

3. Con-

3. Confectæ ab his leges in X. tabb. populo oblatæ ſunt: quumque ad rumores hominum de unoquoque legum capite edito, ſatis correctæ viderentur, centuriatis comitiis decem tabb. leges perlatæ ſunt: qui nunc quoq; in hoc imenſo aliarũ ſuper alias acervatarum legum cumulo, fons omnis publici privatique eſt Juris. *Quibus X. tabulis paulo poſt adhuc duæ adjectæ ſunt.*

ARTIC. III.
DE DECEMVIRALI POTESTATE ABROGATA.

1. Principium motuum, quibus decemviratus abrogatus eſt, exſtitit Appius Claudius, qui ſeipſum comitiis creaverat, adſumptis collegis nequaquam ſplendore vitæ paribus, quos rejecerat. *Nam cùm moliretur ſibi tyrannidem, ratio ſtatus flagitabat, ut honeſtos viros ſupprimeret, & ſibi faceret collegas quos in ſuos mores formare poſſet.*

2. Cauſſæ motuum hæ fuêre 1. prorumpebat ſuperbia, rari aditus, colloquentibus difficiles. *Demonſtravimus enim ſuprà, ſuperbiam magiſtratibus odium invidiamque parere.* 2. Incutiebant populo terrorem, dum, neglectâ conſuetudine priorum decemvirorum, ut unus tantùm faſces haberet, & hoc inſigne regium in orbem, ſuam cujusque vicem per omnes iret, ſubitò omnes cùm duodenis faſcibus prodibant, centumviginti lictoribus forum replentes. Decem regum hæc ſpecies erat, multiplicatusque terror, non infimis ſolùm, ſed primoribus Patrum, ratis cædis cauſſam ac principium quæri. *Hoc autem fugiendum magiſtratibus ſuprà demonſtravimus, dandamque operam, ne ſine cauſſâ metus civibus incutiatur, & crudelitatis tyrannicæ ſigna edantur. Sed non ſubſtitère Xviri in minis, ſecuta etiam crudelitas, dum virgis ſecuribusque ſævierunt.* 3. Hominum non cauſſarum toti erant, ut apud quos gratia vim æqui haberet. *Oſtendimus verò ſuperius, malam adminiſtrationem Juſtitiæ cauſſam motuum exiſtere. Quod in Xviris eò magis obtinebat; quia in hunc finem ſingulariter à populo creati erant, ut injuſtitiam æqualiter ſecundum leges adminiſtrarent.* Ultimum, ob quod etiam Tarquinii ejecti erant, fuit, quòd Appium virginis plebejæ ſtuprandæ libido cepit. quam cùm ſpe precioque pellicere ad ſtuprum non poſſet, ſentiens omnia pudore ſepta vindicanti in ſervitutem addixit: quò ancillã pronunciatã inſtrumentum ſuæ libidinis haberet. Ob quod puella, quia aliâ ratione in libertatem vendicari non poterat à patre ipſo ictu cultri è medio ſublata. Hinc miſericordia

apud vulgus erga parentes puellæ; erga Appium ſtomachatio, odium & ira, cum ſpe recuperandæ libertatis. Plebe Aventinum occupante eò res devenit, ut decemviri magiſtratu ſeſe abdicare cogerentur. *Nam cùm nihil omitterent Xviri, quod motuum principium exiſtere poſſet, ſubſiſtere imperium ipſorum diutius non potuit.*

3. Creati denuò tribuni plebis, & per interregem Conſules duo L. Valerius & M. Horatius, quorum Conſulatus popularis ſine ullâ Patrum injuriâ, nec tamen ſine offenſione fuit. *Nam docuimus ſuprà, perverſum amorem ſui in hominibus à virtutibus alienis facere, ut quicquid aliorum bonis accedit, id ſuis opibus decedere exiſtiment: & ita omnem impediri amicitiam, quâ civitas conſervatur. Idem contigit circa Patricios Romanos; qui quicquid cernerent prodeſſe libertati plebis ſuis damnis annumerabant. Sed non negandum eſt, potuiſſe conſules hosce aliis modis ſe populares exhibere, tribuendo plebejis magiſtratum lucroſum, non tamen ad ſummam rei ſpectantem. Sed dum, ut paulò antè, cum de auctâ tribuniciâ poteſtate diſſereremus, diximus, plebiſcitis vim legis attribuerunt, hisque & patres obligari centuriatis comitiis conſtituerunt, præterea etiam de provocatione legem rogarunt: ne quis ullum magiſtratum ſine provocatione crearet, qui creaſſet, eum jus faſq; eſſet occidi, neve ea cædes capitalis noxæ haberetur, modum in popularibus ſeſe exhibendis exceſſerunt, & non ſine imprudentiâ plebi tribuerunt id, cujus loco aliud dandum fuiſſet. Hoc tamen ab ipſis factum approbo, quòd inſtituerint, ut SCta in ædem Cereris ad ædiles plebis deferrentur, quæ ante arbitrio Conſulum ſupprimebantur vitiabanturque. Nam hoc ipſo non minuebatur ſed firmabatur imperium patriciorum, dum impediebantur callida artificia, quæ diuturna eſſe non ſolent, ſed magis nocent quàm proſunt. Non obſtante autem, quòd Conſules hi nimium populares fuerint; ratio ſtatus requiſiviſſet, ut patres odium erga Conſules diſſimulaſſent, quaſi & ſuum donum fuiſſet quod Conſules dederant: ita namq; captaſſent plebis benevolentiam omnes; præſertim cùm facta infecta reddere non poſſent; impediviſſent etiam, quod hi Conſules ſuis blanditiis intenderant, nimirum, ne ſingularem inde à plebe obtinerent gratiam: ſed maluerunt odium erga eos ſuum declarare, triumphum quem meruerant denegando: quo ipſo effecerunt, ut hi conſules rogatione tribunorum ad plebem factâ injuſſu Senatûs primi triumpharent, non ſine magno ejusdem præjudicio & contemptu. Nam tùm primùm ſine auctoritate Senatus, populi juſſu triumphatum eſt. Liv. lib. 3. c. 63. fin. Quin potuiſſent hoc ipſo iſtis duobus conſulibus anſam præbere invadendi tyrannidem aliquam. Id quod ſatis arguunt quæ mox Livius c. 64. ſubjicit.*

MEMBR.

MEMBR. IV.
DE
TRIBUNIS MILITARIBUS CUM POTESTATE CONSULARI CREATIS ET LEGE CIRCA CONNUBIA LATA.

1. *Demonſtravimus lib. 3. cap. 1. cum de Ratione ſtatûs Nobilium Imperantium ageremus: diſſenſiones & diſcordias oriri in hac oligarchia ſpecie 1. ex contemptu, ſi plebeji arceantur à nobilium conjugio. 2. Si plebeji videant, ſe ſemper arceri ab imperio, quicquid etiam virtutis & divitiarum ſibi acquirant: & propterea Rationem ſtatûs, quò nobilium imperium conſervetur, exigere, ut lex fiat: plebejorum filias ad matrimonium nobilium, non nobilium filias ad plebejorum admittendas: (Nam fœminæ nobiles nuptæ plebejis irritant maritos ad dignitatem nobilium invadendam.) deinde recipiendos nonnunquam ex plebejorum numero in nobilitatem, qui virtutes & divitias ſibi pararunt idoneas; eosque paris cum cæteris nobilibus dignitatis reddendos. Sed hæc neglecta, imò horum contraria obſervata effecerunt, ut dum patres nihil tribuerent plebejis, ſtatum ſuum conſervare non poſſent. Legem namque tulerant Xviri prohibentem connubia inter Patres & plebejos. Liv. lib. 4. c. 4.*

2. M. Gerutio & C. Curtio CSS. de connubio Patrum & plebis C. Canulejus tribunus pl. rogationem promulgavit, quâ contaminari ſanguinem ſuum patres, confundique jura gentium rebantur. *Liv. l. 4. c. 1. Hic namque mos nobilium eſt, ut ſtatim ſtomachentur, ſi videant, ſe bono, quod habent, ſolos frui non poſſe, exiſtimantes ſe ſpecie à cæteris hominibus differre.*

3. Eodem tempore quoque mentio primum illata à tribunis, ut alterum ex plebe Conſulem liceret fieri, eò proceſſit deinde, ut rogationem novem tribuni promulgarent, ut populo poteſtas eſſet ſeu de plebe ſeu de patribus vellet, Conſules faciendi. *Liv. eod. Nam cùm nullus virtuoſorum divitumque & benè in bello de Republ. meritorum in numerum Patrum reciperetur, & ita omnibus cæteris virtuoſis præcluderetur aditus ad honores, quid aliud inde conſequi potuit, quam mutatio ſtatûs & nova ordinatio, ut ſcil. etiam liceret ex plebejorum numero magiſtratus majores creare: præſertim cùm in civitate bellicoſâ quotidiè daretur occaſio fortitudinem exercendi & oſtentandi?*

4. Magnam hoc tempore Patres iterum prodidere imprudentiam. *Nam cùm ipſi debuiſſent offerre modum, quo plebeji ad dignitatem patriciatûs pervenire poſſent, imperatâ etiam aliquâ pecuniæ ſummâ pro eâdem obtinendâ: ſimpliciter reſiſtere petitis plebejorum maluerunt: & roganti tribuno, cur plebejum fieri Conſulem non oporteret,*

Senatus parum utiliter in præſens certamen reſpondit, quòd nemo plebejus auſpicia haberet: ideoque Xviros connubium diremiſſe, ne incertâ prole auſpicia turbarentur: Plebes ad id maximè indignatione exarſit, quòd auſpicari tanquam inviſi dis immortalibus negarentur poſſe. Liv. lib. 4. c. 6.

5. Factum inde, quùm & tribunum acerrimum auctorem plebs nacta eſſet, & ipſa cum eo pertinaciâ certaret, ut patres in legem de connubio ferendam conſentirent, exiſtimantes tribunos contentionem ita de plebejis conſulibus depoſituros eſſe. Sed cùm tribuni cœteri Carulejo, qui legem connubiorum extorſerat gloriâ cedere nollent, & Patres imminente bello dilectum alio modo impetrare non poſſent, eò deducta res eſt, ut patres conſentirent in tribunos militum Conſulari poteſtate promiſcuè ex patribus & plebe creandos. de Conſulibus nihil mutaretur, eoque contenti tribuni contenta plebs fuit. *Liv. eod. Scil. hæc fuit ſemper Patrum ſtoliditas, ut inania & ſplendorem externum affectarent, in rei veritate poteſtatem omnem in plebem transferrent. Cujus ſuæ ſtultitiæ pœnas mox quoque pendere coacti ſunt. Nam indictis comitiis de tribunis militaribus creandis, patricios à petendis honoribus deſperatio primò; irritatâ plebe, adipiſcendi honoris, deinde indignatio, ſi cum his gerendus eſſet honos, deterruerunt: nec etiam ambiviſſent, niſi coacti à primoribus fuiſſent, ne ceſſiſſe poſſeſſione Reipubl. viderentur. Quis miſerior tunc hiſce fuit, ſuâ imprudentiâ jam omne imperium in eos, quos participes eſſe nolebant, jamjam translaturis. Longè prudentior tunc plebs, quæ tribunos omnes tunc creavit patricios, contenta eo, quòd habita ratio plebejorum eſſet. Quo ipſo ſatis oſtenderunt, ſtatum longè melius à Patribus conſervari potuiſſe, ſi in ſpeciem aliquid ab ipſis conceſſum fuiſſet: prout cum Ariſtotele docuimus lib. 3. huj. part.*

6. Anno ergò trecenteſimo decimo ab urbe conditâ, ante Chr. N. 441. primum tribuni militum pro Conſulibus magiſtratum inierunt. *Liv. eod.* Omnes ex patriciorum numero, teſte Dionyſio. Mox Imperio ſeſe abdicantes tanquam minus auſpicatò creati: dictique ab interrege denuò Conſules per aliquot annos, donec plebs morte Sp. Melii alienata à patribus Tribunos militares conſulari poteſtate iterum crearet. *Ab eo tempore modò Conſules modò tribuni militares creati ſunt, ſemper tamen ex patriciorum numero, donec cùm tributum eſſet grave plebi ex plebe primus nominatus eſt Licinius Calvus. Liv. lib. 5. c. 12. aliquandiu poſt ex plebejis ſumpti, ut patricii viderentur imperium, quod antea ſibi ſolis appetiverant, amiſiſſe.*

MEMBR.

MEMBR. V.
DE
CENSORIBUS CREATIS.

1. Annus quo M. Geganius & T. Quintius Conſules erant. ante Chr. N. 439. Cenſuræ initium fuit, rei à parvâ origine ortæ. quæ deinde tanto incremento aucta eſt, ut morum diſciplinæque Romanæ penes eam regimen, ſenatus, equitumque centuriæ, dedecoriſque diſcrimen ſub ditione ejus magiſtratûs, publicorum jus privatorumque locorum, & vectigalia populi Romani ſub nutu atque arbitrio eſſent. *Liv. lib. 4. c. 1.*

2. Ortum autem initium rei eſt, quòd in populo per multos annos incenſo, neque differri cenſus poterat, neque conſulibus, quùm tot populorum bella imminerent, operæ erat id negotium agere. Et patres, quanquam rem parvam, tamen quò plures patricii magiſtratus in Republ. eſſent, læti accepêre. *Ex quibus patet, quare initiò cenſorius magiſtratus exiguus fuerit; conſtitit nimirum magis in miniſterio quondam, quàm in imperio ſplendido & magnifico: nihil ſcil. cenſoribus tunc ſubjectum erat, quàm ſcribarum miniſterium, cuſtodiæque & tabularum cura. Debuiſſent ergò Cenſorem, velut miniſtrum Conſulum, poteſtati eorundem ſubjicere. Sed cùm ei darent propriam & ſummam in cenſendo poteſtatem, & patriciis committeretur; ſplendor ſtatim quidam acceſſit tribuens eidem majorem honorem, quàm merebatur.*

3. Augendæ poteſtatis haud exigua fuit occaſio, quòd cùm cæteri magiſtratus eſſent annui hic quinquennalis exiſteret. *Quæ cauſſa erat, quare Mamercus Emilius dictator cenſuram minuere intendens tulit legem, ne hic magiſtratus ultra annum & dimidium duraret. (Quâ de re Liv. lib. 4. c. 24.) Maximam dicebat Reipubl. cuſtodiam eſſe, ſi magna imperia diuturna non eſſent, & temporis modus imponeretur, quibus Juris imponi non poſſet. Alios magiſtratus annuos eſſe, quinquennalem cenſuram: grave eſſe iiſdem per tot annos maximâ parte vitæ obnoxios vivere; ſe legem laturum, ne pluſquam annua ac ſemeſtris eſſet cenſura. Cenſores autem poſtquam dictator ſe dictaturâ abdicaſſet, inde arripuêre occaſionem poteſtatem, quam ſtuduerat imminuere, augendi, & eundem tribu moverunt. Quam quidem rem ingenti animo tuliſſe fertur, cauſſam potius ignominiæ intuens quàm ignominiam: patres tamen, quanquam deminutum cenſuræ Jus nollent, exemplo acerbitatis cenſoriæ offenſi: quippe quum ſe quisque diutius ac ſæpius ſubjectum cenſoribus*

fore cerneret, quàm cenſuram geſturum. Populi certè tanta indignatio coorta dicitur, ut vis à cenſoribus nullius auctoritate præterquam ipſius Mamerci deterreri quiverit.

MEMBR. VI.
DE CONSULATU PLEBEJIS CONCESSO ET CREATIS PRÆTORIBUS ÆDILIBUSQUE CURULIBUS.

1. Anno ante Chr. N. 372. quantò magis proſperis bellis tranquilla omnia foris erant, tantò in urbe vis patrum indies miſeriæq; plebis creſcebant: quùm eo ipſo, quod neceſſe erat ſolvi, facultas ſolvendi impediretur. Itaq; cùm jam ex re nihil dari poſſet, famâ & corpore judicati atq; addicti creditoribus ſatisfaciebant, pœnaq; in fidem ceſſerat. Adeò ergò obnoxios ſubmiſerant animos, non infimi ſolùm, ſed principes etiam plebis, ut ne ad plebejos quidem magiſtratus capeſſendos petendosq; ulli viro acri experientiq; animus eſſet: poſſeſſionemq; honoris uſurpati modò è plebe per paucos annos, recuperaſſe in perpetuum patres viderentur. *Nam quò major læſio ex uſurariâ pravitate, quam patres exercebant, contingebat plebeiis, eò vehementiori odio & irâ adverſus eos flagrabant: neq; enim tantummodo imminuebantur horum facultates, ut poſtea nexi addicerentur operis præſtandis; ſed etiam impediebantur in honoribus, quorum adipiſcendorum jus multis contentionibus acquiſierant. Unde cùm magno cum detrimento rei familiaris jacturam quoq; facerent honorum, quos jam adepti & in manu habere viderentur (eſt enim hæc incommodatio cum maximâ moleſtiâ conjuncta) vehementiſſimâ adverſus patres concitabantur irâ. Omnes itaq; cauſſæ ſeditionum uni huic malo inerant: ignominia, quæ comitabatur debitores; impeditio in honoribus, quæ in virtuoſis gloriæ cupidis, quorum magna copia in plebe Romanâ quotidiè bellis exercitâ reperiebatur, magnam erga reliquos parit invidiam; & amiſſio facultatum ob fœnus improbum à patribus exercitum. Quibus principiis ita ſtantibus, plebeij ſuo ſtatu non potuerant eſſe contenti. Nihil ergò profeciſſe patrum varia conſilia, quibus, ſtantibus hiſce principiis, ſtatum ſuum integrum & ſalvum ſe conſervare poſſe exiſtimarant, mirum non eſt.*

2. Ne id, quod patres ita adepti erant, nimis lætum iisdem eſſet, parva, ut plerumq; ſolet, rem ingentem moliundi cauſſa intervenit. *Eleganter enim monuit Ariſtoteles 5. politic. & nos hujus cauſſam*

cauſſam dedimus lib. 3. cap. 2. membr. 1. art. 3. huj. part. ſeditiones eſſe de rebus magnis ſemper, licet ex parvis principiis originem habeant. Cujus elegans hîc nobis exhibetur exemplum, quod deſcriptum eſt à Livio lib. 6. c. 34. Marci Fabii Ambuſti potentis viri, quum inter ſui corporis homines, tum etiam ad plebem, quod haudquaquam inter id genus contemptor ejus habebatur, filiæ duæ nuptæ, Ser. Sulpitio major; minor C. Licinio Stoloni erat; illuſtri quidem viro tamen plebejo: eaque ipſa affinitas haud ſpreta, gratiam Fabio apud vulgum quæſierat. *Hoc autem matrimonium in ſtatu nobilium prohibitum eſſe debere, docuimus, cùm de ratione ſtatûs ageremus, contrà licitum, ut nobilis plebejam ducat.* Fortè ita incidit, ut in Servii Sulpicii tribuni militum domo ſorores Fabiæ, quum inter ſe ſermonibus tempus tererent, lictor Sulpicii, quum de foro ſe domum reciperet, forem, ut mos erat, virgâ percuteret, & adid, moris ejus inſueta, expaviſſet minor Fabia, riſui ſorori fuit, miranti id ignorare ſororem. Cæterùm is riſus ſtimulos parvis mobili rebus animo muliebri ſubdidit, dolorem ſuum patri confeſſa poſtea eſt, quòd juncta impari eſſet, nupta in domo, quam nec honor nec gratia intrare poſſet. Inde pater Fabius Ambuſtus conſilia inire cum genero cœpit, adhibito L. Sextio ſtrenuo adoleſcente, & cujus ſpei nihil præter genus patricium deeſſet. *Liv. l. 6. c. 34. Ita ex re parvâ, muliebri ſcil. impotentiâ, res maximi momenti mutatio ſcil. ſtatus Reſpubl. Romanæ originem traxit.*

3. Creati hinc tribuni pl. Licinius gener Fabii & L. Sextius promulgavêre leges omnes adverſus opes patriciorum, & pro commodis plebis: unam de ære alieno, ut deducto eo de capite, quod uſuris pernumeratum eſſet, id quod ſupereſſet, triennio æquis portionibus perſolveretur; alteram de modo agrorum, ne quis plus quàm quingenta agri jugera poſſideret; tertiam, ne tribunorum militum comitia fierent, ſed Conſulum, & utique alter ex plebe crearetur. Cuncta ingentia, & quæ ſine certamine maximo obtineri non poſſent. *Nam ita ſtatus planè evertebatur, ut nihil oligarchici ſupereſſet. Ceterùm obtinuiſſent ſtatim quod vellent tribuni iſti, niſi cæteri blanditiis patrum illecti interceſſiſſent. Sed ejusmodi effugia nihil habent diuturni: Satius enim eſt principia & cauſſas morborum tollere, quàm neglectis hiſce in ſymptomatibus curandis ſubſiſtere, iras hominum morborumque Reipubl. cauſſas augere. Similes ſunt hi homines febricitantib9, qui præſentẽ moleſtiã calidæ intemperiei frigidâ potione ſedare ſtudentes cauſſã morbi, & cum hac moleſtias ex calore nimio augent. Licinius enim*

enim & Sextius denuò tribuni creati nullos curules magiſtratus creari paſſi ſunt, eaque ſolitudo magiſtratuum, & plebe reficiente duos tribunos, & his comitia tribunorum militum tollentibus, per quinquennium urbem tenuit. Liv.l.6.c.35.

4. Cûm diu certatum eſſet inter plebem patresque, duo tribuni decimùm à plebe hanc poteſtatem adepti de decemviris ſacrorum ex parte de plebe creandis legem pertulêre: creati quinque patrum, quinque plebis: graduque eo via facta ad Conſulatum videbatur. *Quâ victoriâ interea contenta plebs permiſit, ut iterum tribunorum militarium comitia haberentur. Nam plebs modo obtinuiſſet remiſſionem uſurarum, ſolutis in ſortem computatis, contenta facilè fuiſſet, nec quicquam Licinius obtinere potuiſſet, ſed manſiſſet ſtatus patribus integer. Corruiſſet quippe ita argumentum, quo Licinius & Sextius utebantur, remiſſionem uſurarum aliâ ratione plebem conſequi non poſſe niſi Conſularis dignitatis particeps reddita fuerit.*

5. Anno ante Chr. N. 362. devictis à Furio Camillo Gallis per ingentia certamina dictator Furius Senatusque victus, ut rogationes tribuniciæ acciperentur: & comitia Conſulum adverſâ nobilitate habita, quibus L. Sextius de plebe primus Conſul factus. Et ne is quidem finis certaminum fuit, quia patricii ſe futuros auctores negabant, prope ad ſeceſſionem plebis res, terribileſque alias minas civilium certaminum venit: cùm tamen per dictatorem conditionibus ſedatæ diſcordiæ ſunt, conceſſumque ab nobilitate plebi de Conſule plebejo; à plebe nobilitati de Prætore uno, qui Jus in urbe diceret, ex Patribus creando. *Mira hæ rurſus ineptiæ Patrum: ſi enim initio diſcordiarum quid de uſuris remiſiſſent & plebejos ad pretorium magiſtratum, quò Jus dicere in cauſſis debitorum poſſent, admiſiſſent, quieta fuiſſet Respubl. & ſtatus patriciis integer magis conſervatus. Creatus autem tunc primus Pretor ex patriciis Sp. Furius M. filius Camillus. Liv.l.6.c.ult.*

6. Eodem tempore duo quoq; Ædiles curules ex patriciorum numero creati ſunt. *Nam ab diutinâ irâ tandem in concordiam redactis ordinibus, quum dignam eam rem Senatus cenſeret eſſe, & Deorum cauſſâ ludos faciendos: recuſantibus id munus ædilibus plebis, conclamatum eſt à patriciis juvenibus, ſe id honoris Deûm cauſſâ libenter acturos, ut ædiles fierent. Quibus cùm ab univerſis gratiæ actæ eſſent, factum SCtum, ut duos viros ædiles ex patribus dictator populum rogaret. Æditatem ita primi ex patriciis nacti Cn. Quintius Capitolinus & P. Cornelius Scipio. Liv. 7. c. 1.*

7. Con-

7. Contenti ſic patres fuère pro unius magiſtratûs communicatione plebeiis factâ tres novos adepti; miſeri, non conjicientes, plebem, ſi nacta jam ſit Conſulatum tanquam magiſtratum ſupremum; ſe ſine ſingulari difficultate & reliquorum participem aliquando fore. Longè ſtolidi9 fuit, ſi exiſtimarunt, hoc modo patricios liberè uſuras impoſterum exercere poſſe. *Nam manentibus principiis motuum & auctâ facultate movendi (id quod contigit admiſſis ad conſulatum plebeiis) nulla quies ſperari poteſt. Hinc C. Martio Rutilo & Cn. Manlio CSS. Judicia populi Romani triſtia in fœneratores facta; lexq́; lata de unciario fœnore. quod ſolent interpretari pro 12. ſingulis annis unum. Tacitus 6. ann. 16. tradit LL. XII. tabl. ſanctum, ne quis unciario fœnore amplius exerceret, cùm antea ex libidine locupletium agitaretur; dein rogatione tribunicia ad ſemuncias redactam & poſtremò vetitam verſuram.*

8. Poſt aliquot annos, non ſufficiente uno prætore, cùm multa peregrinorum jus civitatis non habentium turba Romæ judicia ſuſciperet, alter prætor creatus eſt, ut duo præeſſent Juriſdictioni: alterq; urbanus alter peregrinus dictus. *Nam tunc temporis qui ſub orbe Romano erant non omnes erant cives Romani juriſq́; civilis participes; ſed nonnulli ſolo gentium Jure fruebantur. Quæ cauſſa eſt, quare Romano Jure ea quæ juris gentium ſunt ab iis quæ ſunt juris civilis tantâ diſtinguantur diligentiâ. Sic v.g. teſtamenti factio erat juris civilis non gentium; quia nullus peregrinus quicquam ex teſtamento capere poterat. Quapropter prætor peregrin⁹ jus dicebat iis in cauſſis, quæ ex ſolo jure gentium decidendæ eſſent. Id quod fiebat ſi vel peregrino cum peregrino aut cum cive lis intercederet: Et apud hunc non quemadmodum apud Urbanum lege agi poterat. Cæterum creati hi comitiis centuriatis à populo Jdictionem incertam conſequebantur: deſignati verò ex SCto ſuas Jdictiones urbanam ſcil. & peregrinam ſortiebantur.*

9. Officium & poteſtas porrò prætorum, qui Jdictioni præerant, conſiſtebat in adminiſtratione legum, de cauſſis civilibus ſeu pecuniariis præcipientium: quâ ſuâ poteſtate valdè abutebantur. *Nam adminiſtratio legum in hoc conſiſtit, ut ſuccurratur defectibus legum, de quibus nonnulla diximus lib. 2. c. 3. membr. 1. art. 2. h.p. Scil. 1 quia leges ex utilitate Reipubl. hominumque feruntur: non omnibus autem temporibus omnia proſunt, nec omnibus caſibus pro diverſitate accidentium & circumſtantiarum applicari poſſunt: adminiſtratoris legum eſt videre, quæ leges ſint antiquandæ, & à quibus in dicendo Jure certis temporibus vel caſibus ſit abeundum. 2. Quia non omnes caſus*

legibus comprehendi poſſunt: adminiſtrationis eſt, ſi caſus legibus non definitus occurrat, vel à ſimili procedendo vel pro ſuo arbitrio ſtatuendo quod à mente legumlatorum non alienum eſt, id quod deeſt ſupplere. Hinc Julianus l. 12. ff. de LL. Non poſſunt omnes articuli ſingulatim aut SCtis comprehendi, ſed cum in aliquâ cauſſa ſententia earum manifeſta eſt, is qui J.dictioni præeſt ad ſimilia procedere atq; ita Jus dicere debet. *Et Ulpianus l. ſeq.* Nam, ut ait Pedius, quotiens lege aliquid, unum vel alterum introductum eſt, bona occaſio eſt, cætera quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione vel certè Jdictione ſuppleri. *Solebant ergò prætores initio ſui imperii, antequam Jus dicerent, edicta ſua proponere, ut cuiq; conſtaret de Jure quod dicturi eſſent: quibus Jus civile partim confirmabant (ut ſcirent cives à quonam non eſſent abituri) partim emendabant, partim quod eidem deerat ſupplebant. Quo ipſo ſibi legiſlatoriam quandam poteſtatem parabant. Nam quid edictum aliud quam annua lex eſt? inquit Cic. & Imperator Nov. 26. c. 1. tradit, prætorem Romanorum Imperatoris ſimul & legiſlatoris locum in ſuâ Republ. tenuiſſe.*

10. Majeſtatem prætorum oſtentabant inſignia hæc: prætexta, ſella curulis, haſta & miniſtri, ſcribæ nimirum accenſi & lictores. *Nam ad legum adminiſtratorem quoque pertinet vim addere ſuâ auctoritate & ita contumacibus terrori eſſe: Inſignium autem nonnulla cum conſulum inſignibus communia erant, velut ſella curulis & prætexta it. lictores: quamvis prætor Urbanus tantùm duobus teſte Cenſorino de die natali, vel ſex, ut narrant Polybius & Plutarchus, uterentur.*

11. Anno ante Chr. N. 231. cum Sicilia & Sardinia in provinciæ formam redactæ eſſent, Senatus Romanus ſtatuit, quatuor prætores creandos, quorum bini jus dicerent in urbe, tertius Siciliæ præeſſet, quartus Sardiniæ. *Flor. in epit. Nam cùm imperatorum vicibus hi duo fungi deberent, olim autem imperatores & duces prætores, quaſi præitores vocarentur: prætorum nomen & his tribuere voluerunt. Creati autem à populo quatuor ſunt, de Jdictione & provinciis poſtea ſortiti. Creſcentibus dehinc provinciis & latius pateſcente imperio ſex cœperunt creari: idque primum factum Sempronio & Q. Minutio CSS. anno ante Chr. N. 196. teſte Livio.*

12. Erat ergò Jdictio inter prætores & populum diviſa. *Nam prætores ſolam habebant Jdictionem civilem i.e. poteſtatem publicè exercendi Judicia de cauſſis civilibus & pecuniariis, quæ* κατ᾽ ἐξοχὴν *Juriſdictio vocabatur. Penes populum autem erat Juriſdictio criminalis, quæ merum imperium dici conſueverat i. e. poteſtas exercendi Judicia criminalia, quæ & publica vocabantur. Nulli namque magiſtratuum*

cenſe-

concedebat populus de capite civis ſtatuere. *Id quod etiam tradit Pomponius l.2.§.Exactis de O.J. ne per omnia regiam poteſtatem conſules haberent, inquit, lege latâ factum eſt: ut ab his provocatio eſſet; neve poſſent in caput civis Romani animadvertere injuſſu populi: ſolum relictum eſt eis, ut coercere poſſent & in vincula publica duci juberent. Porrò hanc ſuam Jdictionem criminalem populus exercebat olim creatis Quæſtoribus quaſi quæſitoribus, qui inquirerent, prout crimen publicâ animadverſione dignum incidebat. At poſtea quæſtiones perpetuæ conſtitutæ ſunt Cenſorino & Manilio CSS. anno ante Chr. N.147. ut refert Cic. in Bruto. Creatique ſex prætores, quorum duo præeſſent Jdictioni, reliqui quatuor Judicia publica exercerent. Quo tempore videtur prætoribus gladius inſignium nomine additus, Jdictionem criminalem ſeu merum imperium denotans. Unde fortaſſe manat definitio meri imperij, quam habet Ulpianus l.3.ff.de Jdictione. quòd ſcil. ſit habere gladii poteſtatem ad animadvertendum in facinoroſos. Non tamen exiſtimandum eſt, eos Juriſdictionem criminalem ſibi propriam conſecutos eſſe: nomine enim populi tanquam hujus propriam eam exercebant. Hæc cauſſa etiam erat, quare prætores Jdictionem mandare poterant, merum imperium non item. Nam hoc ſpecialiter lege ſibi delegatum habebant. ut oſtendit Papinianus l.1.ff. de offic:ei. cuj. Cùm enim populus ſibi merum imperium reſervaſſet, nec tamen ipſe ſemper cognoſcere de cauſis criminalibus poſſet; præſcribebat certam & perpetuam formam de certis criminibus Judicia exercendi: quemadmodum antea ſeorſim ſingulis quæſtoribus in ſingulis caſibus incidentibus præſcripſerant: ut ita delegati populi eſſent, & nullam propriam de delictis publicis haberent Jdictionem.*

MEMBR. VII.

DE SEDITIONIBUS QUÆ FIRMATO LIBERÆ REIPUBL. IMPERIO CONTIGERUNT AD AUGUSTUM USQUE.

1. Æquatis plebejis & equitibus, nulla per ducentos fermè annos notabilis contigit ſeditio, ſed populus Romanus in firmando & augendo imperio occupatus ſeſe glorioſum exhibuit. *Nam querelæ plebis ceſſabant: nec dabatur æquè ſeditioſis tribunis anſa eandem comitandi: creabantur enim ex plebe non modò Conſules ſed etiam Dictatores velut M. Claudius Marcellus Anno ante Chr. N.322. Cenſores, ut Q. Cæcilius Metellus & Q. Pompejus Rufus ambo de plebe anno A.C.N.129. Introductum etiam circa annum A. C. N. 321. crudelitate*

delitate L. Papirij occaſionem præbente, ne liceret amplius ob pecuniam debitam civem in vinculis detinere. Liv. Omniaque fuiſſent ita tranquilla, niſi tribuni pl. quandoque certamen inter primores civitatis patricios & plebejos interjeciſſent. Quales erant primò Q. & Cn. Ogulnij, qui cùm nihil haberent, quo plebem infimam accenderent, ipſa capita plebis Conſulares triumphalesque plebejos aggreſſi ſunt: quorum honoribus nihil, niſi promiſcua ſacerdotia, deerat: quæ tamen poſt contentiones aliquot, obtinebantur, ut ſcil. & ex plebejis pontifices augureſque crearentur. Liv. lib. 10. c. 6. & ſeqq. Contigit hoc anno A. C. N. 298. Quo eodem anno lex de provocatione à magiſtratibus ad populum tertiò lata eſt Liv. eod. cap. 9. it. C. Flaminius, qui legem invitis patribus ferebat, ut Picenum regio, unde Senones Galli pellebantur, Romanis militibus dividerentur: quæ cauſſa fuit, ut bellum Gallicum exoriretur. Polyb. lib. 2. It. duo Q. Petilli, qui incomparabili heroi Scipioni Africano Hannibalis victori diem dixêre. Liv. lib. 38. c. 50. it. qui CSS. Licinium & Poſtumium delectum ſeverè agentes in carcerem conjiciebant. Epit. Liv. it. Cornelium Scipionem & Junium Brutum. Æquitati, quàm plebes obtinuit acceſſere virtutes illuſtrium virorum: frugalitas Curii Dentati, *qui poſt triumphum bis in eodem magiſtratu & de Samnitibus & Sabinis actum, teſte Cicer. ad foculum ſedens, & coquendis rapis vacans aurum Samnitium aſpernatus eſt: malle ſe, dictitans, aurum habentibus imperare, quàm aurum habere, quòd talis cœna auro non indigeret.* Liberalitas Senatorum, *qui cùm in ærario pecunia non eſſet, nec privati ulterius claſſem alere poſſent, omne aurum & argentum æsq; ſignatum, quod habebant, in publicum conferebant & Reipubl. mutuò dabant. Quam liberalitatem ſecuta etiam plebs: atque ita dum Remp. ſuis opibus tutabantur, ſuas opes ſimul conſervabant; referente hæc Livio.* Fortitudo & prudentia quam plurimorum heroum, *quos hîc narrare ſuperfluum foret. Ut non immeritò Florus quando lib. 2. c. 19. ad enarrandas res geſtas illius temporis, quod nos nunc contemplaturi ſumus, progreditur, tranſitionem im fecerit.* Hactenus populus Romanus pulcher, egregius, pius, ſanctus atque magnificus: reliqua ſecula ut grandia æquè, ita vel magis turbida & fœda, creſcentibus cum ipſâ magnitudine imperii vitiis. *Scil. magnitudo imperii nullum populum virtutibus deſtitutum felicem, ſed potius ſubminiſtrando vitiis inſtrumenta miſerrimum reddit. Veriſſimum enim eſt, quod demonſtravit Ariſtoteles & nos ſuprà quoque oſtendimus, virtuoſis ſolis deberi opes & imperium, ut pote dignis & habilibus, qui hiſce uti valeant; idque dictitante Juſtitiâ diſtributivâ. Quapropter omnis Reſpubl. quò magis bonis abundat, eò*

plus

plus opera virtutibus, cum primis autem frugalitati, temperantiæ, modeſtiæ civium operam dare debet.

2. Peracto ergò omni bello Punico & remoto Carthaginis metu, ſublatâque imperii æmulâ, domitis item Africâ, Macedoniâ, Siciliâ, Hiſpaniâ, non gradu, ſed præcipiti curſu à virtute deſcitum, ad vitia transcurſum, vetus diſciplina deſerta, nova inducta, in ſomnum â vigiliis, ab armis ad voluptates converſa civitas. *Vellej. lib. 2. Nam pacis artes veramque felicitatem in operatione ſecundum virtutes reliquas, ſoli fortitudini adſveti ignorantes Romani, ſubminiſtratis voluptatum inſtrumentis interitum ex vitiis effugere nō potuerunt. Id enim contingere civitatibus latiſſimè imperantibus lib. 3. c. 3. huj. partis docuimus.*

3. Natæ ergò denuò gravisſimæ ſeditiones, quarum cauſſas tribunicia poteſtas excitavit, quæ ſpecie quidem plebis tuendæ, cujus in auxilium comparata erat, re autem dominationem ſibi acquirens, ſtudium populi ac favorem agrariis, frumentariis, judiciariis legibus aucupabatur. *Flor. l. 3. c. 13. Qui enim aliter fieri poteſt, ſi in civitate plebis & patriciorum odiis flagrante demagogi & blandi ductores plebi dantur maximâ cum poteſtate? Hæc enim ſolere demagogos facere, ſatis perſpicuè docuit Ariſt. 5. politic. Ex quo quæ ſuprà de democratiis tradita ſunt hauſimus.*

ARTIC. I.
DE
TIBERII GRACCHI SEDITIONE.

1. Primam certaminum facem Tiberius Gracchus accendit. Flor. l. 3. c. 14. *Poſtquam enim turpiſſimum Mancinus cum Numantinis fœdus inierat, & ob id, quòd Senatus hoc ratum habere nollet, Numantinis dederetur, qui tamen eum acceptare noluerunt, Oroſ. lib. 5. c. 4. & 5. immanem deditioiſta civitatis movit diſſenſionem. Et quidem Tiberius Gracchus, quo quæſtore & auctore, id fœdus ictum erat, nunc graviter ferens aliquid à ſe factum infirmari, nunc ſimilis vel judicii vel pœnæ cum Mancino metuens diſcrimen, tribunus plebis creatus, vir alioqui vitâ innocentisſimus, ingenio florentiſſimus, propoſito ſanctisſimus, ut loquitur Vellej. l. 2. tantis denique adornatus virtutibus, quantas & perfecta natura & induſtria mortalis conditio recipit P. Mutio Scævolâ & L. Calpurnio conſulibus, anno A.C.N. 131. deſcivit à bonis (Cauſſam hanc motuum nos ſuprà tradidimus nimirum ignominiam & metum pœnæ) pollicitus toti Italiæ civitatem (Quamvis enim Romani multos populos ut*

liberos

liberos ſociosque ſuos tractarint, comiter in eos exercentes imperium: ita tamen comparatum eſt, ut hæc fraus diu latére nequeat. Quapropter cernentes qui ſub orbe Romano erant civium prærogativam (jus civitatis ſibi parare omnibus modis niſi ſunt: ut adeò medium movendi id Grachus callidè apprehenderit) ſimul etiam promulgatis agrariis legibus, omnibus ſtatum concupiſcentibus, ſumma imis miſcuit & in præruptum atque anceps periculum adduxit Rempubl.

2. Quo verò propoſitum perficeret, Octavio collegæ pro bono publico ſtanti imperium abrogavit: III viros agris dividendis coloniisq; deducendis creavit ſe ſocerumq; ſuum conſularem Appium, & Gracchum fratrem.

3. Sed P. Scipio Naſica, cùm eſſet conſobrinus Tib. Gracchi, patriam cognationi præferens, & quicquid publicè ſalutare non eſſet, privatim alienum exiſtimans cives hortatus, qui ſalvam vellent rempubl. ſe ſequerentur. Tum optimates, Senatus, atq; equeſtris ordinis pars melior, major, & intacta perniciofis conſiliis plebs, irruere in Gracchum, ſtantem in areâ cùm catervis ſuis & concientem penè totius Italiæ frequentiam. Is fugiens decurrensq; clivio Capitolino, fragmine ſubſellii jctus vitam, quàm glorioſiſſimè degere potuerat, immaturâ morte finivit. *Vellej. lib. 2. Rectè id quidem tunc factum, quòd in tempore occurrerit Scipio ſeditioni & ſeditioſum Gracchum in flagrante crimine occidit: ita enim omnibus viſus eſt jure oppreſſus. Sed manſit nihilominus principium & cauſſa motuum ſcil. quòd qui in Italiâ eſſent nollent eſſe excluſi à Jure civitatis: cui compoſitâ ſeditione ſtatim occurrendum fuiſſet. Danda quoq; fuiſſet opera, ut conditis ſalutaribus legibus obviam iretur ejusmodi & ſimilibus factionibus, ne dimicationum vis maneret impunita. Quamvis enim Scipio fecerit quod eſſet ſalutare Reip. res tamen fuit plena ſcandali, cùm privatus concitavit homines ad Gracchum occidendum. Neq; enim ibi conſiſtunt exempla, unde cœperunt, ſed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latiſſimè evagandi ſibi viam faciunt: & ubi ſemel recto deerratum eſt, in præceps pervenitur. Hoc ergò factum cùm Scipioni impunè eſſet, imò laudabile, initium in urbe Româ civilis ſanguinis, gladiorumq; impunitatis fuit. Inde jus vi obrutum, potentiorq; habitus prior, diſcordiaq; civium, antea conditionibus ſanari ſolita, ferro dijudicata, bellaq; non cauſſis inita, ſed prout eorum merces fuit. Verba hæc ſunt Velleii, ex quibus doctrinæ gratiâ hoc haurimus, bella privatorum omnibus modis inhiberi debere, nihilq; juſtum reputandum quod non viâ legum perfectum eſt.*

ARTIC.

ARTIC. II.

DE C. GRACCHI SEDITIONE.

1. Decem interpoſitis annis, qui Tiberium Gracchum, idem Cajum fratrem ejus occupavit furor, tam virtutibus ejus omnibus, quàm huic errori ſimilem, ingenio etiam eloquentiâq; longè præſtantiorem. *Cauſſa & principium motus, cujus auctor erat, nullum aliud ipſi fuiſſe videtur, quàm ſuperbia & ira, hæc ut mortis fraternæ; illa ut legum fraternarum vindex exiſteret. Duo iſta fecêre ut vellet; eloquentia vigorq; ingenii, ut putaret ſe poſſe imperium conſequi.*

2. Hic ergò Cajus, cùm ſummâ quiete animi, civitatis princeps eſſe poſſet; ejuſdem exempli cum fratre tribunatum ingreſſus, longè majora & acriora repetens leges ferre niſus eſt. 1. Ut populo frumentum venderetur triente & ſemiſſe. 2. Ut agri, qui à privatis per vim occupati erant plebi dividerentur. 3. Ut ex numero equitum eligerentur ſexcenti qui Judicia adminiſtrarent. 4. Ut coloniæ Carthaginem & alia in loca deducerentur. Et hoc pacto nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum deniq; in eodem ſtatu reliquit. *Fuêre hæc poſtulata Gracchi haud aliena ab æquitate, talia tamen, quibus ſine maximis tumultibus ſatisfieri non poſſet. Æquiſſimum videbatur, miſeræ plebi ex ærario ſubveniri; agros ſudoribus bellicis acquiſitos injuſtis poſſeſſoribus adimi; ſedes & habitationes victoribus loca vacua devictarum gentium tribui; ſenatu regente provinciam tantum auctoritatis equitibus concedi, ut judicia adminiſtrent. Sed hæc ipſa in perniciem redibant, & miſera Reſpubl. in exitium ſuum merces erat. Nam & à Senatu in equitem tranſlata judiciorum poteſtas, vectigalia i.e. imperii patrimonium ſupprimebat. Et emptio frumenti ipſos Reipubl. nervos, exhauriebat ærarium. Reduci plebs in agros unde poterat ſine poſſidentium everſione, qui ipſi pars populi erant? & tamen relictas ſibi à majoribus ſedes ætate, quaſi jure hereditario poſſidebant. verba ſunt. Flori l. 3. c. 13. Scil. quando in principio erratur, progreſſus malorum tandem contingit in infinitum. Debuiſſet initio ſtatim, cùm exigua portio agrorum occupata eſſet, reſtitutio plebi fieri, aut ad minimum in publicum colendus, ex hoſtibus captus ager tradi; & aliud quodcunq; potius fieri, quàm ut tribuni plebis admitterentur. Præbet itaq; exemplum Reſpubl. Romana ſuo interitu commonefaciens omnes civitates, ut ſibi caveant à demagogis, aut ſi ſint, malitiæ ipſorum omnibus modis occurrant.*

3. Tantum

Senatus parum utiliter in præſens certamen reſpondit, quòd nemo plebejus auſpicia haberet: ideoque Xviros connubium diremiſſe, ne incertâ prole auſpicia turbarentur: Plebes ad id maximè indignatione exarſit, quòd auſpicari tanquam inviſi dìs immortalibus negarentur poſſe. Liv. lib.4. c.6.

5. Factum inde, quùm & tribunum acerrimum auctorem plebs nacta eſſet, & ipſa cum eo pertinaciâ certaret, ut patres in legem de connubio ferendam conſentirent, exiſtimantes tribunos contentionem ita de plebejis conſulibus depoſituros eſſe. Sed cùm tribuni cœteri Carulejo, qui legem connubiorum extorſerat gloriâ cedere nollent, & Patres imminente bello dilectum alio modo impetrare non poſſent, eò deducta res eſt, ut patres conſentirent in tribunos militum Conſulari poteſtate promiſcuè ex patribus & plebe creandos. de Conſulibus nihil mutaretur, eoque contenti tribuni contenta plebs fuit. *Liv. eod. Scil. hæc fuit ſemper Patrum ſtoliditas, ut inania & ſplendorem externum affectarent, in rei veritate poteſtatem omnem in plebem transferrent. Cujus ſuæ ſtultitiæ pœnas mox quoque pendere coacti ſunt. Nam indictis comitiis de tribunis militaribus creandis, patricios à petendis honoribus deſperatio primò; irritatâ plebe, adipiſcendi honoris, deinde indignatio, ſi cum his gerendus eſſet honos, deterruerunt: nec etiam ambiviſſent, niſi coacti à primoribus fuiſſent, ne ceſſiſſe poſſeſſione Reipubl. viderentur. Quis miſerior tunc hiſce fuit, ſuâ imprudentiâ jam omne imperium in eos, quos participes eſſe nolebant, jamjam translaturis. Longè prudentior tunc plebs, quæ tribunos omnes tunc creavit patricios, contenta eo, quòd habita ratio plebeiorum eſſet. Quo ipſo ſatis oſtenderunt, ſtatum longè melius à Patribus conſervari potuiſſe, ſi in ſpeciem aliquid ab ipſis conceſſum fuiſſet: prout cum Ariſtotele docuimus lib.3. huj. part.*

6. Anno ergò trecenteſimo decimo ab urbe conditâ, ante Chr. N. 441. primum tribuni militum pro Conſulibus magiſtratum inierunt. *Liv. eod.* Omnes ex patriciorum numero, teſte Dionyſio. Mox Imperio ſeſe abdicantes tanquam minus auſpicatò creati: dictique ab interrege denuò Conſules, per aliquot annos, donec plebs morte Sp. Melii alienata à patribus Tribunos militares conſulari poteſtate iterum crearet. *Ab eo tempore modò Conſules modò tribuni militares creati ſunt, ſemper tamen ex patriciorum numero, donec cùm tributum eſſet grave plebi ex plebe primus nominatus eſt Licinius Calvus. Liv. lib. 5. c. 12. aliquandiu poſt ex plebejis ſumpti, ut patriciis viderentur imperium, quod antea ſibi ſolis appetiverant, amiſiſſe.*

MEMBR.

MEMBR. V.

DE CENSORIBUS CREATIS.

1. Annus quo M. Geganius & T. Quintius Conſules erant, ante Chr. N. 439. Cenſuræ initium fuit, rei à parvâ origine ortæ, quæ deinde tanto incremento aucta eſt, ut morum diſciplinæque Romanæ penes eam regimen, ſenatus, equitumque centuriæ, dedecorisque diſcrimen ſub ditione ejus magiſtratûs, publicorum jus privatorumque locorum, & vectigalia populi Romani ſub nutu atque arbitrio eſſent. *Liv. lib. 4. c. 8.*

2. Ortum autem initium rei eſt, quòd in populo per multos annos incenſo, neque differri cenſus poterat, neque conſulibus, quùm tot populorum bella imminerent, operæ erat id negotium agere. Et patres, quanquam rem parvam, tamen quò plures patricii magiſtratus in Republ. eſſent, læti accepêre. *Ex quibus patet, quare initiò cenſorius magiſtratus exiguus fuerit; conſtitit nimirum magis in miniſterio quondam, quàm in imperio ſplendido & magnifico: nihil ſcil. cenſoribus tunc ſubjectum erat, quam ſcribarum miniſterium, cuſtodiaque & tabularum cura. Debuiſſent ergò Cenſorem, velut miniſtrum Conſulum, poteſtati eorundem ſubjicere. Sed cùm ei darent propriam & ſummam in cenſendo poteſtatem, & patriciis committeretur; ſplendor ſtatim quidam acceſſit tribuens eidem majorem honorem, quàm merebatur.*

3. Augendæ poteſtatis haud exigua fuit occaſio, quòd cùm cæteri magiſtratus eſſent annui hic quinquennalis exiſteret. *Quæ cauſſa erat, quare Mamercus Æmilius dictator cenſuram minuere intendens tulit legem, ne hic magiſtratus ultra annum & dimidium duraret. (Quâ de re Liv. lib. 4. c. 24.) Maximam dicebat Reipubl. cuſtodiam eſſe, ſi magna imperia diuturna non eſſent, & temporis modus imponeretur, quibus Juris imponi non poſſet. Alios magiſtratus annuos eſſe, quinquennalem cenſuram: grave eſſe iiſdem per tot annos maximâ parte vitæ obnoxios vivere; ſe legem laturum, ne pluſquam annua ac ſemeſtris eſſet cenſura. Cenſores autem poſtquam dictator ſe dictaturâ abdicaſſet, inde arripuêre occaſionem poteſtatem, quam ſtuduerat imminuere, augendi, & eundem tribu moverunt. Quam quidem rem ingenti animo tuliſſe fertur, cauſſam potius ignominiæ intuens quàm ignominiam: patres tamen, quanquam deminutum cenſuræ Jus nollent, exemplo acerbitatis cenſoriæ offenſi: quippe quum ſe quisque diutius ac ſæpius ſubjectum cenſoribus*

fore cerneret, quam cenſuram geſturum. Populi certè tanta indignatio coorta dicitur, ut vis à cenſoribus nullius auctoritate præterquam ipſius Mamerci deterreri quiverit.

MEMBR. VI.
DE CONSULATU PLEBEJIS CONCESSO ET CREATIS PRÆTORIBUS ÆDILIBUSQUE CURULIBUS.

1. Anno ante Chr. N. 372. quantò magis proſperis bellis tranquilla omnia foris erant, tantò in urbe vis patrum indies miſeriæq; plebis creſcebant: quùm eo ipſo, quod neceſſe erat ſolvi, facultas ſolvendi impediretur. Itaq; cùm jam ex re nihil dari poſſet, famâ & corpore judicati atq; addicti creditoribus ſatisfaciebant, pœnaq; in fidem ceſſerat. Adeò ergò obnoxios ſubmiſerant animos, non infimi ſolùm, ſed principes etiam plebis, ut ne ad plebejos quidem magiſtratus capeſſendos petendosq; ulli viro acri experientiq; animus eſſet: poſſeſſionemq; honoris uſurpati modò è plebe per paucos annos, recuperaſſe in perpetuum patres viderentur. *Nam quò major læſio ex uſurariâ pravitate, quam patres exercebant, contingebat plebeiis; eò vehementiori odio & irâ adverſus eos flagrabant: neq; enim tantummodo imminuebantur horum facultates, ut poſtea nexi addicerentur operis præſtandis; ſed etiam impediebantur in honoribus, quorum adipiſcendorum jus multis contentionibus acquiſiverant. Unde cùm magno cum detrimento rei familiaris jacturam quoq; facerent honorum, quos jam adepti & in manu habere viderentur (eſt enim hæc incommodatio cum maximâ moleſtiâ conjuncta) vehementiſſimâ adverſus patres concitabantur irâ. Omnes itaq; cauſſæ ſeditionum uni huic malo inerant: ignominia, quæ comitabatur debitores; impeditio in honoribus, quæ in virtuoſis gloriæ cupidis, quorum magna copia in plebe Romanâ quotidiè bellis exercitâ reperiebatur, magnam erga reliquos parit invidiam; & amiſſio facultatum ob fœnus improbum à patribus exercitum. Quibus principiis ita ſtantibus, plebeij ſuo ſtatu non potuerant eſſe contenti. Nihil ergò profeciſſe patrum varia conſilia, quibus, ſtantibus hiſce principiis, ſtatum ſuum integrum & ſalvum ſe conſervare poſſe exiſtimarunt, mirum non eſt.*

2. Ne id, quod patres ita adepti erant, nimis lætum iisdem eſſet, parva, ut plerumq; ſolet, rem ingentem moliundi cauſſa intervenit. *Eleganter enim monuit Ariſtoteles 5. politic. & nos hujus*

cauſſam

cauſſam dedimus lib. 3. cap. 2. membr. 1. art. 3. huj. part. ſeditiones eſſe de rebus magnis ſemper, licet ex parvis principiis originem habeant. Cujus elegans hic nobis exhibetur exemplum, quod deſcriptum eſt à Livio lib. 6. c. 34. Marci Fabii Ambuſti potentis viri, quum inter ſui corporis homines, tum etiam ad plebem, quòd haudquaquam inter id genus contemptor ejus habebatur, filiæ duæ nuptæ, Ser. Sulpitio major; minor C. Licinio Stoloni erat; illuſtri quidem viro tamen plebejo: eaque ipſa affinitas haud ſpreta, gratiam Fabio apud vulgum quæſierat. *Hoc autem matrimonium in ſtatu nobilium prohibitum eſſe debere, docuimus, cùm de ratione ſtatûs ageremus, contrà licitum, ut nobilis plebejam ducat.* Fortè ita incidit, ut in Servii Sulpicii tribuni militum domo ſorores Fabiæ, quum inter ſe ſermonibus tempus tererent, lictor Sulpicii, quum de foro ſe domum reciperet, forem, ut mos erat, virgâ percuteret, & ad id, moris ejus inſueta, expaviſſet minor Fabia, riſui ſorori fuit, miranti id ignorare ſororem. Cæterùm is riſus ſtimulos parvis mobili rebus animo muliebri ſubdidit. dolorem ſuum patri confeſſa poſtea eſt, quòd juncta impari eſſet, nupta in domo, quam nec honor nec gratia intrare poſſet. Inde pater Fabius Ambuſtus conſilia inire cum genero cœpit, adhibito L. Sextio ſtrenuo adoleſcente, & cujus ſpei nihil præter genus patricium deeſſet. *Liv. l. 6. c. 34. Ita ex re parvâ, muliebri ſcil. impotentiâ, res maximi momenti mutatio ſcil. ſtatus Reipubl. Romanæ originem traxit.*

3. Creati hinc tribuni pl. Licinius gener Fabii & L. Sextius promulgavêre leges omnes adverſus opes patriciorum, & pro commodis plebis: unam de ære alieno, ut deducto eo de capite, quod uſuris pernumeratum eſſet, id quod ſupereſſet, triennio æquis portionibus perſolveretur; alteram de modo agrorum, ne quis plus quàm quingenta agri jugera poſſideret; tertiam, ne tribunorum militum comitia fierent, ſed Conſulum, & utique alter ex plebe crearetur. Cuncta ingentia, & quæ ſine certamine maximo obtineri non poſſent. *Nam ita ſtatus planè evertebatur, ut nihil oligarchici ſupereſſet. Cæterùm obtinuiſſent ſtatim quod vellent tribuni iſti, niſi cæteri blanditiis patrum illecti interceſſiſſent. Sed ejuſmodi effugia nihil habent diuturni; Satius enim eſt principia & cauſſas morborum tollere, quàm neglectis hiſce in ſymptomatibus curandis ſubſiſtere, ira hominum morborumque Reipubl. cauſſas augere. Similes ſunt hi homines febricitantib9, qui præſentẽ moleſtiã calidæ intemperiei frigidâ potione ſedare ſtudentes cauſſã morbi, & cum hac moleſtias ex calore nimio augent. Licinius enim*

enim & Sextius denuò tribuni creati nullos curules magiſtratus creari paſſi ſunt, eaque ſolitudo magiſtratuum, & plebe reficiente duos tribunos, & his comitia tribunorum militum tollentibus, per quinquennium urbem tenuit. Liv. l. 6. c. 35.

4. Cùm diu certatum eſſet inter plebem patreſque, duo tribuni decimùm à plebe hanc poteſtatem adepti de decemviris ſacrorum ex parte de plebe creandis legem pertulêre: creati quinque patrum, quinque plebis: graduque eo via facta ad Conſulatum videbatur. *Quâ victoriâ interea contenta plebs permiſit, ut iterum tribunorum militarium comitia haberentur. Nam plebs modo obtinuiſſet remiſſionem uſurarum, ſolutis in ſortem computatis, contenta facilè fuiſſet, nec quicquam Licinius obtinere potuiſſet, ſed manſiſſet ſtatus patribus integer. Corruiſſet quippe ita argumentum, quo Licinius & Sextius utebantur, remiſſionem uſurarum aliâ ratione plebem conſequi non poſſe niſi Conſularis dignitatis particeps reddita fuerit.*

5. Anno ante Chr. N. 362. devictis à Furio Camillo Gallis per ingentia certamina dictator Furius Senatuſque victus, ut rogationes tribuniciæ acciperentur: & comitia Conſulum adverſâ nobilitate habita, quibus L. Sextius de plebe primus Conſul factus. Et ne is quidem finis certaminum fuit, quia patricii ſe futuros auctores negabant, prope ad ſeceſſionem plebis res, terribileſque alias minas civilium certaminum venit: cùm tamen per dictatorem conditionibus ſedatæ diſcordiæ ſunt, conceſſumque ab nobilitate plebi de Conſule plebejo; à plebe nobilitati de Prætore uno, qui Jus in urbe diceret, ex Patribus creando. *Mira hæ rurſus ineptiæ Patrum: ſi enim initio diſcordiarum quid de uſuris remiſiſſent & plebejos ad pretorium magiſtratum, quò Jus dicere in cauſſis debitorum poſſent, admiſiſſent, quieta fuiſſet Reſpubl. & ſtatus patriciis integer magis conſervatus. Creatus autem tunc primus Pretor ex patriciis Sp. Furius M. filius Camillus. Liv. l. 6. c. ult.*

6. Eodem tempore duo quoq; Ædiles curules ex patriciorum numero creati ſunt. *Nam ab diutinâ irâ tandem in concordiam redactis ordinibus, quum dignam eam rem Senatus cenſeret eſſe, & Deorum cauſſâ ludos faciendos: recuſantibus id munus ædilibus plebis, conclamatum eſt à patriciis juvenibus, ſe id honoris Deûm cauſſâ libenter acturos, ut ædiles fierent. Quibus cùm ab univerſis gratiæ actæ eſſent, factum SCtum, ut duos viros ædiles ex patribus dictator populum rogaret. Ædilitatem ita primi ex patriciis nacti Cn. Quintius Capitolinus & P. Cornelius Scipio. Liv. 7. c. 1.*

7. Con-

7. Contenti ſic patres fuêre pro unius magiſtratûs communicatione plebeiis factâ tres novos adepti; miſeri, non conjicientes, plebem, ſi nacta jam ſit Conſulatum tanquam magiſtratum ſupremum; ſe ſine ſingulari difficultate & reliquorum participem aliquando fore. Longè ſtolidiꝰ fuit, ſi exiſtimarunt, hoc modo patricios liberè uſuras impoſterum exercere poſſe. *Nam manentibus principiis motuum & auctâ facultate movendi (id quod contigit admiſſis ad conſulatum plebeiis) nulla quies ſperari poteſt. Hinc C. Martio Rutilo & Cn. Manlio CSS. Judicia populi Romani triſtia in fœneratores facta; lexq; lata de unciario fœnore. quod ſolent interpretari pro 12. ſingulis annis unum. Tacitus 6. ann. 16. tradit LL. XII. tabl. ſanctum, ne quis unciario fœnore amplius exerceret, cùm antea ex libidine locupletium agitaretur; dein rogatione tribunicia ad ſemuncias redactam & poſtremò vetitam verſuram.*

8. Poſt aliquot annos, non ſufficiente uno prætore, cùm multa peregrinorum jus civitatis non habentium turba Romæ judicia ſuſciperet, alter prætor creatus eſt, ut duo præeſſent Juriſdictioni: alterq; urbanus alter peregrinus dictus. *Nam tunc temporis qui ſub orbe Romano erant non omnes erant cives Romani juriſq; civilis participes: ſed nonnulli ſolo gentium Jure fruebantur. Quæ cauſſa eſt, quare Romano Jure ea quæ juris gentium ſunt ab iis quæ ſunt juris civilis tantâ diſtinguantur diligentiâ. Sic v. g. teſtamenti factio erat juris civilis non gentium; quia nullus peregrinus quicquam ex teſtamento capere poterat. Quapropter prætor peregrinꝰ jus dicebat iis in cauſſis, quæ ex ſolo jure gentium decidendæ eſſent. Id quod fiebat ſi vel peregrino cum peregrino aut cum cive lis intercederet: Et apud hunc non quemadmodum apud Urbanum lege agi poterat. Cæterum creati hi comitiis centuriatis à populo Jdictionem incertam conſequebantur: deſignati verò ex SCto ſuas Jdictiones urbanam ſcil. & peregrinam ſortiebantur.*

9. Officium & poteſtas porrò prætorum, qui Jdictioni præerant, conſiſtebat in adminiſtratione legum, de cauſſis civilibus ſeu pecuniariis præcipientium: quâ ſuâ poteſtate valdè abutebantur. *Nam adminiſtratio legum in hoc conſiſtit, ut ſuccurratur defectibus legum, de quibus nonnulla diximus lib. 2. c. 3. membr. 1. art. 2. h. p. Scil. 1 quia leges ex utilitate Reipubl. hominumque feruntur: non omnibus autem temporibus omnia proſunt, nec omnibus caſibus pro diverſitate accidentium & circumſtantiarum applicari poſſunt: adminiſtratoris legum eſt videre, quæ leges ſint antiquandæ, & à quibus in dicendo Jure certis temporibus vel caſibus ſit abeundum. 2. Quia non omnes caſus*

legibus comprehendi poſſunt: adminiſtrationis eſt, ſi caſus legibus non definitus occurrat, vel à ſimili procedendo vel pro ſuo arbitrio ſtatuendo quod à mente legumlatorum non alienum eſt, id quod deeſt ſupplere. Hinc Julianus l. 12. ff. de LL. Non poſſunt omnes articuli ſingulatim aut SCtis comprehendi, ſed cum in aliquâ cauſſa ſententia earum manifeſta eſt, is qui J.dictioni præeſt ad ſimilia procedere atq; ita Jus dicere debet. *Et Ulpianus l. ſeq.* Nam, ut ait Pedius, quotiens lege aliquid, unum vel alterum introductum eſt, bona occaſio eſt, cætera quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione vel certè Jdictione ſuppleri. *Solebant ergò prætores initio ſui imperii, antequam Jus dicerent, edicta ſua proponere, ut cuiq; conſtaret de Jure quod dicturi eſſent: quibus Jus civile partim confirmabant (ut ſcirent cives à quonam non eſſent abituri) partim emendabant, partim quod eidem deerat ſupplebant. Quo ipſo ſibi legiſlatoriam quandam poteſtatem parabant. Nam quid edictum aliud quam annua lex eſt? inquit Cic. & Imperator Nov. 26. c. 1. tradit, prætorem Romanorum Imperatoris ſimul & legulatoris locum in ſuâ Republ. tenuiſſe.*

10. Majeſtatem prætorum oſtentabant inſignia hæc: prætexta, ſella curulis, haſta & miniſtri, ſcribæ nimirum accenſi & lictores. *Nam ad legum adminiſtratorem quoque pertinet vim addere ſuâ auctoritate & ita contumacibus terrori eſſe: Inſignium autem nonnulla cum conſulum inſignibus communia erant, veluti ſella curulis & prætexta it. lictores: quamvis prætor Urbanus tantùm duobus teſte Cenſorino de die natali, vel ſex, ut narrant Polybius & Plutarchus, uterentur.*

11. Anno ante Chr. N. 231. cum Sicilia & Sardinia in provinciæ formam redactæ eſſent, Senatus Romanus ſtatuit, quatuor prætores creandos, quorum bini jus dicerent in urbe, tertius Siciliæ præeſſet, quartus Sardiniæ. *Flor. in epit. Nam cùm imperatorum vicibus hi duo fungi deberent, olim autem imperatores & duces prætores, quaſi præitores vocarentur: prætorum nomen & his tribuere voluerunt. Creati autem à populo quatuor ſunt, de Jdictione & provinciis poſtea ſortiti. Creſcentibus dehinc provinciis & latius pateſcente imperio ſex cœperunt creari: idque primum factum Sempronio & Q. Minutio CSS. anno ante Chr N. 196. teſte Livio.*

12. Erat ergò Jdictio inter prætores & populum diviſa. *Nam prætores ſolam habebant Jdictionem civilem i.e. poteſtatem publicè exercendi Judicia de cauſſis civilibus & pecuniariis, quæ καθιζοχὴν Juriſdictio vocabatur. Penes populum autem erat Juriſdictio criminalis, quæ merum imperium dici conſueverat i. e. poteſtas exercendi Judicia criminalia, quæ & publica vocabantur. Nulli namque magiſtratuum*

concedebat populus de capite civis ſtatuere. Id quod etiam tradit Pomponius l.2.§.Exactis de O.J. ne per omnia regiam poteſtatem conſules haberent, inquit, lege latâ factum eſt: ut ab his provocatio eſſet; neve poſſent in caput civis Romani animadvertere injuſſu populi: ſolum relictum eſt eis, ut coercere poſſent & in vincula publica duci juberent. Porrò hanc ſuam Jdictionem criminalem populus exercebat olim creatis Quæſtoribus quaſi quæſitoribus, qui inquirerent, prout crimen publicâ animadverſione dignum incidebat. At poſtea quæſtiones perpetuæ conſtitutæ ſunt Cenſorino & Manilio CSS. anno ante Chr. N. 147. ut refert Cic. in Bruto. Creatique ſex prætores, quorum duo præeſſent Jdictioni, reliqui quatuor Judicia publica exercerent. Quo tempore videtur prætoribus gladius inſignium nomine additus, Jdictionem criminalem ſeu merum imperium denotans. Unde fortaſſe manat definitio meri imperij, quam habet Ulpianus l.3.ff.de Jdictione. quòd ſcil. ſit habere gladii poteſtatem ad animadvertendum in facinoroſos. Non tamen exiſtimandum eſt, eos Juriſdictionem criminalem ſibi propriam conſecutos eſſe: nomine enim populi tanquam hujus propriam eam exercebant. Hæc cauſſa etiam erat, quare prætores Jdictionem mandare poterant, merum imperium non item. Nam hoc ſpecialiter lege ſibi delegatum habebant. ut oſtendit Papinianus l.1.ff. de offic. ei. cuj. Cùm enim populus ſibi merum imperium reſervaſſet, nec tamen ipſe ſemper cognoſcere de cauſis criminalibus poſſet; præſcribebat certam & perpetuam formam de certis criminibus Judicia exercendi: quemadmodum antea ſeorſim ſingulis quæſtoribus in ſingulis caſibus incidentibus præſcripſerant: ut ita delegati populi eſſent, & nullam propriam de delictis publicis haberent Jdictionem.

MEMBR. VII.

DE SEDITIONIBUS QUÆ FIRMATO LIBERÆ REIPUBL. IMPERIO CONTIGERUNT AD AUGUSTUM USQVE.

1. Æquatis plebejis & equitibus, nulla per ducentos fermè annos notabilis contigit ſeditio, ſed populus Romanus in firmando & augendo imperio occupatus ſeſe glorioſum exhibuit. Nam querelæ plebis ceſſabant: nec dabatur æquè ſeditioſis tribunis anſa eandem concitandi: creabantur enim ex plebe non modò Conſules ſed etiam Dictatores velut M. Claudius Marcellus Anno ante Chr. N. 322. Cenſores, ut Q. Cæcilius Metellus & Q. Pompejus Rufus ambo de plebe anno A.C.N. 129. Introductum etiam circa annum A. C. N. 321. crudelitate

delitate L. Papirij occaſionem præbente, ne liceret amplius ob pecuniam debitam civem in vinculis detinere. Liv. Omniaque fuiſſent ita tranquilla, niſi tribuni pl. quandoque certamen inter primores civitatis patricios & plebejos interjeciſſent. Quales erant primò Q. & Cn. Ogulnij, qui cùm nihil haberent, quo plebem infimam accenderent, ipſa capita plebis Conſulares triumphalesque plebejos aggreſſi ſunt: quorum honoribus nihil, niſi promiſcua ſacerdotia, deerat: quæ tamen poſt contentiones aliquot, obtinebantur, ut ſcil. & ex plebejis pontifices augureſque crearentur. Liv. lib. 10. c. 6. & ſeqq. Contigit hoc anno A. C. N. 298. Quo eodem anno lex de provocatione à magiſtratibus ad populum tertiò lata eſt Liv. eod. cap. 9. it. C. Flaminius, qui legem invitis patribus ferebat, ut Picenum regio, unde Senones Galli pellebantur, Romanis militibus dividerentur: quæ cauſſa fuit, ut bellum Gallicum exoriretur. Polyb. lib. 2. It. duo Q. Petilli, qui incomparabili heroi Scipioni Africano Hannibalis victori diem dixêre. Liv. lib. 38. c. 50. it. qui CSS. Licinium & Poſtumium delectum ſeverè agentes in carcerem conjiciebant. Epit. Liv. it. Cornelium Scipionem & Junium Brutum. Æquitati, quàm plebes obtinuit acceſſere virtutes illuſtrium virorum: frugalitas Curii Dentati, *qui poſt triumphum bis in eodem magiſtratu & de Samnitibus & Sabinis actum, teſte Cicer. ad foculum ſedens, & coquendis rapis vacans aurum Samnitium aſpernatus eſt: malle ſe, dictitans, aurum habentibus imperare, quàm aurum habere, quòd talis cœna auro non indigeret.* Liberalitas Senatorum, *qui cùm in ærario pecunia non eſſet, nec privati ulterius claſſem alere poſſent, omne aurum & argentum æsq; ſignatum, quod habebant, in publicum conferebant & Reipubl. mutuò dabant. Quam liberalitatem ſecuta etiam plebs: atque ita dum Remp. ſuis opibus tuebantur, ſuas opes ſimul conſervabant; referente hæc Livio.* Fortitudo & prudentia quam plurimorum heroum, *quos hic narrare ſuperfluum foret. Ut non immeritò Florus quando lib. 2. c. 19. ad enarrandas res geſtas illius temporis, quod nos nunc contemplaturi ſumus, progreditur, tranſitionem im fecerit.* Hactenus populus Romanus pulcher, egregius, pius, ſanctus atque magnificus: reliqua ſecula ut grandia æquè, ita vel magis turbida & fœda, creſcentibus cum ipſâ magnitudine imperii vitiis. *Scil. magnitudo imperii nullum populum virtutibus deſtitutum felicem, ſed potius ſubminiſtrando vitiis inſtrumenta miſerrimum reddit. Veriſſimum enim eſt, quod demonſtravit Ariſtoteles & nos ſuprà quoque oſtendimus, virtuoſis ſolis deberi opes & imperium, ut pote dignis & habilibus, qui hiſce uti valeant; idque dictitante Juſtitiâ diſtributivâ. Quapropter omnis Reſpubl. quò magis bonis abundat, eò*

plus

plus operæ virtutibus, cumprimis autem frugalitati, temperantiæ, modeſtiæ civium operam dare debet.

2. Peracto ergò omni bello Punico & remoto Carthaginis metu, ſublatâque imperii æmulâ, domitis item Africâ, Macedoniâ, Siciliâ, Hiſpaniâ, non gradu, ſed præcipiti curſu à virtute deſcitum, ad vitia tranſcurſum, vetus diſciplina deſerta, nova inducta, in ſomnum â vigiliis, ab armis ad voluptates converſa civitas. *Vellej. lib. 2. Nam pacis artes veramque felicitatem in operatione ſecundum virtutes reliquas, ſoli fortitudini adſueti ignorantes Romani, ſubminiſtratis voluptatum inſtrumentis interitum ex vitiis effugere nõ potuerunt. Id enim contingere civitatibus latiſſimè imperantibus lib. 3. c. 3. huj. partis docuimus.*

3. Natæ ergò denuò graviſſimæ ſeditiones, quarum cauſſas tribunicia poteſtas excitavit, quæ ſpecie quidem plebis tuendæ, cujus in auxilium comparata erat, re autem dominationem ſibi acquirens, ſtudium populi ac favorem agrariis, frumentariis, judiciariis legibus aucupabatur. *Flor. l. 3. c. 13. Qui enim aliter fieri poteſt, ſi in civitate plebis & patriciorum odiis flagrante demagogi & blandi ductores plebi dantur maximâ cum poteſtate? Hæc enim ſolere demagogos facere, ſatis perſpicuè docuit Ariſt. 5. politic. Ex quo quæ ſuprà de democratiis tradita ſunt hauſimus.*

ARTIC. I.
DE
TIBERII GRACCHI SEDITIONE.

1. Primam certaminum facem Tiberius Gracchus accendit. Flor. l. 3. c. 14. *Poſtquam enim turpiſſimum Mancinus cum Numantinis fœdus inierat, & ob id, quòd Senatus hoc ratum habere nollet, Numantinis dederetur, qui tamen eum acceptare noluerunt, Oroſ. lib. 5. c. 4. & 5. immanem deditio iſta civitatis movit diſſenſionem. Et quidem Tiberius Gracchus, quo quæſtore & auctore, id fœdus ictum erat, nunc graviter ferens aliquid à ſe factum infirmari, nunc ſimilis vel judicii vel pœnæ cum Mancino metuens diſcrimen, tribunus plebis creatus, vir alioqui vitâ innocentiſſimus, ingenio florentiſſimus, propoſito ſanctiſſimus, ut loquitur Vellej. l. 2. tantis denique adornatus virtutibus, quantas & perfecta natura & induſtria mortalis conditio recipit P. Mutio Scævolâ & L. Calpurnio conſulibus, anno A.C.N. 131. deſcivit à bonis (Cauſſam hanc motuum nos ſuprà tradidimus nimirum ignominiam & metum pœnæ) pollicitus toti Italiæ civitatem (Quamvis enim Romani multos populos ut liberos*

ARTIC. II.
DE
C. GRACCHI SEDITIONE.

1. Decem interpoſitis annis, qui Tiberium Gracchum, idem Cajum fratrem ejus occupavit furor, tam virtutibus ejus omnibus, quàm huic errori ſimilem, ingenio etiam eloquentiâq; longè præſtantiorem. *Cauſſa & principium motus, cujus auctor erat, nullum aliudipſi fuiſſe videtur, quàm ſuperbia & ira, hæc ut mortis fraternæ; illa ut legum fraternarum vindex exiſteret. Duo iſta fecêre ut vellet; eloquentia vigorq; ingenii, ut putaret ſe poſſe imperium conſequi.*

2. Hic ergò Cajus, cùm ſummâ quiete animi, civitatis princeps eſſe poſſet; ejusdem exempli cum fratre tribunatum ingreſſus, longè majora & acriora repetens leges ferre niſus eſt. 1. Ut populo frumentum venderetur triente & ſemiſſe. 2. Ut agri, qui à privatis per vim occupati erant plebi dividerentur. 3. Ut ex numero equitum eligerentur ſexcenti qui Judicia adminiſtrarent. 4. Ut coloniæ Carthaginem & alia in loca deducerentur. Et hoc pacto nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum deniq; in eodem ſtatu reliquit. *Fuêre hæc poſtulata Gracchi haud aliena ab æquitate, talia tamen, quibus ſine maximis tumultibus ſatisfieri non poſſet. Æquiſſimum videbatur, miſeræ plebi ex ærario ſubveniri; agros ſudoribus bellicis acquiſitos injuſtis poſſeſſoribus adimi; ſedes & habitationes victoribus loca vacua devictarum gentium tribui; ſenatu regente provinciias tantum auctoritatis equitibus concedi, ut judicia adminiſtrent. Sed hæc ipſa in perniciem redibant, & miſera Reſpubl. in exitium ſuum merces erat. Nam & à Senatu in equitem translata judiciorum poteſtas, vectigalia i.e. imperii patrimonium ſupprimebat. Et emptio frumenti ipſos Reſpubl. nervos, exhauriebat ærarium. Reduci plebs in agros unde poterat ſine poſſidentium everſione, qui ipſi pars populi erant? & tamen relictas ſibi à majoribus ſedes ætate, quaſi jure hereditario poſſidebant. verba ſunt. Flori l. 3. c. 13. Scil. quando in principio erratur, progreſſus malorum tandem contingit in infinitum. Debuiſſet initio ſtatim, cùm exigua portio agrorum occupata eſſet, reſtitutio plebi fieri, aut ad minimum in publicum colendus, ex hoſtibus captus ager tradi; & aliud quodcunq; potius fieri, quàm ut tribuni plebis admitterentur. Præbet itaq; exemplum Reſpubl. Romana ſuo interitu commonefaciens omnes civitates, ut ſibi caveant à demagogis, aut ſi ſint, malitiæ ipſorum omnibus modis occurrant.*

Senatus parum utiliter in præſens certamen reſpondit, quòd nemo plebejus auſpicia haberet; ideoque Xviros connubium diremiſſe, ne incertâ prole auſpicia turbarentur: Plebes ad id maximè indignatione exarſit, quòd auſpicari tanquam inviſi dis immortalibus negarentur poſſe. Liv. lib.4. c.6.

5. Factum inde, quùm & tribunum acerrimum auctorem plebs nacta eſſet, & ipſa cum eo pertinaciâ certaret, ut patres in legem de connubio ferendam conſentirent, exiſtimantes tribunos contentionem ita de plebejis conſulibus depoſituros eſſe. Sed cùm tribuni cœteri Carulejo, qui legem connubiorum extorſerat gloriâ cedere nollent, & Patres imminente bello dilectum alio modo impetrare non poſſent, eò deducta res eſt, ut patres conſentirent in tribunos militum Conſulari poteſtate promiſcuè ex patribus & plebe creandos. de Conſulibus nihil mutaretur, eoque contenti tribuni contenta plebs fuit. *Liv. eod. Scil. hæc fuit ſemper Patrum ſtoliditas, ut inania & ſplendorem externum affectarent, in rei veritate poteſtatem omnem in plebem transferrent. Cujus ſuæ ſtultitiæ pœnas mox quoque pendere coacti ſunt. Nam indictis comitiis de tribunis militaribus creandis, patricios à petendis honoribus deſperatio primò, irritatâ plebe, adipiſcendi honoris, deinde indignatio, ſi cum his gerendus eſſet honos, deterruerunt: nec etiam ambiviſſent, niſi coacti à primoribus fuiſſent, ne ceſſiſſe poſſeſſione Reipubl. viderentur. Quis miſerior tunc hisce fuit, ſuâ imprudentiâ jam omne imperium in eos, quos participes eſſe nolebant, jamjam translaturis. Longè prudentior tunc plebs, quæ tribunos omnes tunc creavit patricios, contenta eo, quòd habita ratio plebejorum eſſet. Quo ipſo ſatis oſtenderunt, ſtatum longè melius à Patribus conſervari potuiſſe, ſi in ſpeciem aliquid ab ipſis conceſſum fuiſſet: prout cum Ariſtotele docuimus lib.3. huj. part.*

6. Anno ergò trecenteſimo decimo ab urbe conditâ, ante Chr.N.441. primum tribuni militum pro Conſulibus magiſtratum inierunt. *Liv. eod.* Omnes ex patriciorum numero, teſte Dionyſio. Mox Imperio ſeſe abdicantes tanquam minus auſpicatò creati: dictique ab interrege denuò Conſules, per aliquot annos, donec plebs morte Sp. Melii alienata à patribus Tribunos militares conſulari poteſtate iterum crearet. *Ab eo tempore modò Conſules modò tribuni militares creati ſunt, ſemper tamen ex patriciorum numero, donec cùm tributum eſſet grave plebi ex plebe primus nominatus eſt Licinius Calvus. Liv. lib.5. c.12. aliquandiu poſt ex plebejis ſumpti, ut patricii viderentur imperium, quod antea ſibi ſolis appetiverant, amiſiſſe.*

MEMBR.

MEMBR. V.
DE
CENSORIBUS CREATIS.

1. Annus quo M. Geganius & T. Quintius Conſules erant, ante Chr. N. 439. Cenſuræ initium fuit, rei à parvâ origine ortæ, quæ deinde tanto incremento aucta eſt, ut morum diſciplinæque Romanæ penes eam regimen, ſenatus, equitumque centuriæ, dedecoriſque diſcrimen ſub ditione ejus magiſtratûs, publicorum jus privatorumque locorum, & vectigalia populi Romani ſub nutu atque arbitrio eſſent. *Liv. lib. 4. c. 8.*

2. Ortum autem initium rei eſt, quòd in populo per multos annos incenſo, neque differri cenſus poterat, neque conſulibus, quùm tot populorum bella imminerent, operæ erat id negotium agere. Et patres, quanquam rem parvam, tamen quò plures patricii magiſtratus in Republ. eſſent, læti accepêre. *Ex quibus patet, quare initiò cenſorius magiſtratus exiguus fuerit: conſtitit nimirum magis in miniſterio quondam, quàm in imperio ſplendido & magnifico: nihil ſcil. cenſoribus tunc ſubjectum erat, quàm ſcribarum miniſterium, cuſtodiaque & tabularum cura. Debuiſſent ergò Cenſorem, velut miniſtrum Conſulum, poteſtati eorundem ſubjicere. Sed cùm ei darent propriam & ſummam in cenſendo poteſtatem, & patriciis committeretur; ſplendor ſtatim quidam acceſſit tribuens eidem majorem honorem, quàm merebatur.*

3. Augendæ poteſtatis haud exigua fuit occaſio, quòd cùm cæteri magiſtratus eſſent annui hic quinquennalis exiſteret. *Quæ cauſſa erat, quare Mamercus Æmilius dictator cenſuram minuere intendens tulit legem, ne hic magiſtratus ultra annum & dimidium duraret. (Quâ de re Liv. lib. 4. c. 24.) Maximam dicebat Reipubl. cuſtodiam eſſe, ſi magna imperia diuturna non eſſent, & temporis modus imponeretur, quibus Juris imponi non poſſet. Alios magiſtratus annuos eſſe, quinquennalem cenſuram: grave eſſe iiſdem per tot annos maximâ parte vitæ obnoxios vivere; ſe legem laturum, ne pluſquam annua ac ſemeſtris eſſet cenſura. Cenſores autem poſtquam dictator ſe dictaturâ abdicaſſet, inde arripuêre occaſionem poteſtatem, quam ſtuduerat imminuere, augendi, & eundem tribu moverunt. Quam quidem rem ingenti animo tuliſſe fertur, cauſſam potius ignominiæ intuens quàm ignominiam: patres tamen, quanquam deminutum cenſuræ Jus nollent, exemplo acerbitatis cenſoriæ offenſi: quippe quum ſe quiſque diutius ac ſæpius ſubjectum cenſoribus*

fore cerneret, quàm cenſuram geſturum. Populi certè tanta indignatio coorta dicitur, ut vis à cenſoribus nullius auctoritate præterquam ipſius Mamerci deterreri quiverit.

MEMBR. VI.

DE CONSULATU PLEBEJIS CONCESSO ET CREATIS PRÆTORIBUS ÆDILIBUSQUE CURULIBUS.

1. Anno ante Chr. N. 372. quantò magis proſperis bellis tranquillia omnia foris erant, tantò in urbe vis patrum indies miſeriæq; plebis creſcebant: quùm eo ipſo, quod neceſſe erat ſolvi, facultas ſolvendi impediretur. Itaq; cùm jam ex re nihil dari poſſet, famâ & corpore judicati atq; addicti creditoribus ſatisfaciebant, pœnaq; in fidem ceſſerat. Adeò ergò obnoxios ſubmiſerant animos, non infimi ſolùm, ſed principes etiam plebis, ut ne ad plebejos quidem magiſtratus capeſſendos petendosq; ulli viro acri experientiq; animus eſſet: poſſeſſionemq; honoris uſurpati modò è plebe per paucos annos, recuperaſſe in perpetuum patres viderentur. *Nam quò major leſio ex uſurariâ pravitate, quam patres exercebant, contingebat plebeiis; eò vehementiori odio & irâ adverſus eos flagrabant: neq; enim tantummodo imminuebantur horum facultates, ut poſtea nexi addicerentur operis præſtandis; ſed etiam impediebantur in honoribus, quorum adipiſcendorum jus multis contentionibus acquiſierant. Unde cùm magno cum detrimento rei familiaris jacturam quoq; facerent honorum, quos jam adepti & in manu habere viderentur (eſt enim hæc incommodatio cum maximâ moleſtiâ conjuncta) vehementiſſimâ adverſus patres concitabantur irâ. Omnes itaq; cauſſæ ſeditionum uni huic malo inerant: ignominia, quæ comitabatur debitores; impeditio in honoribus, quæ in virtuoſis gloriæ cupidis, quorum magna copia in plebe Romanâ quotidiè bellis exercitâ reperiebatur, magnam erga reliquos parit invidiam; & amiſſio facultatum ob fœnus improbum à patribus exercitum. Quibus principiis ita ſtantibus, plebeij ſuo ſtatu non potuerant eſſe contenti. Nihil ergò profeciſſe patrum varia conſilia, quibus, ſtantibus hiſce principiis, ſtatum ſuum integrum & ſalvum ſe conſervare poſſe exiſtimarunt, mirum non eſt.*

2. Ne id, quod patres ita adepti erant, nimis lætum iisdem eſſet, parva, ut plerumq; ſolet, rem ingentem moliundi cauſſa intervenit. *Eleganter enim monuit Ariſtoteles 5. politic. & nos hujus cauſſam*

cauſſam dedimus lib.3. cap.2. membr.1. art.3. huj. part. ſeditiones eſſe de rebus magnis ſemper, licet ex parvis principiis originem habeant. Cujus elegans hic nobis exhibetur exemplum, quod deſcriptum eſt à Livio lib. 6. c. 34. Marci Fabii Ambuſti potentis viri, quum inter ſui corporis homines, tum etiam ad plebem, quòd haudquaquam inter id genus contemptor ejus habebatur, filiæ duæ nuptæ, Ser. Sulpitio major; minor C. Licinio Stoloni erat; illuſtri quidem viro tamen plebejo: eaque ipſa affinitas haud ſpreta, gratiam Fabio apud vulgum quæſierat. *Hoc autem matrimonium in ſtatu nobilium prohibitum eſſe debere, docuimus, cùm de ratione ſtatûs ageremus, contrà licitum, ut nobilis plebejam ducat.* Fortè ita incidit, ut in Servii Sulpicii tribuni militum domo ſorores Fabiæ, quum inter ſe ſermonibus tempus tererent, lictor Sulpicii, quum de foro ſe domum reciperet, forem, ut mos erat, virgâ percuteret, & ad id, moris ejus inſueta, expaviſſet minor Fabia, riſui ſorori fuit, miranti id ignorare ſororem. Cæterùm is riſus ſtimulos parvis mobili rebus animo muliebri ſubdidit, dolorem ſuum patri confeſſa poſtea eſt, quòd juncta impari eſſet, nupta in domo, quam nec honor nec gratia intrare poſſet. Inde pater Fabius Ambuſtus conſilia inire cum genero cœpit, adhibito L. Sextio ſtrenuo adoleſcente, & cujus ſpei nihil præter genus patricium deeſſet. *Liv. l. 6. c. 34. Ita ex re parvâ, muliebri ſcil. impotentiâ, res maximi momenti mutatio ſcil. ſtatus Reipubl. Romanæ originem traxit.*

3. Creati hinc tribuni pl. Licinius gener Fabii & L. Sextius promulgavêre leges omnes adverſus opes patriciorum, & pro commodis plebis: unam de ære alieno, ut deducto eo de capite, quod uſuris pernumeratum eſſet, id quodupereſſet, triennio æquis portionibus perſolveretur; alteram de modo agrorum, ne quis plus quam quingenta agri jugera poſſideret; tertiam, ne tribunorum militum comitia fierent, ſed Conſulum, & utique alter ex plebe crearetur. Cuncta ingentia, & quæ ſine certamine maximo obtineri non poſſent. *Nam ita ſtatus planè evertebatur, ut nihil oligarchici ſupereſſet. Cæterùm obtinuiſſent ſtatim quod vellent tribuni iſti, niſi cæteri blanditiis patrum illecti interceſſiſſent. Sed ejuſmodi effugia nihil habent diuturni: Satius enim eſt principia & cauſſas morborum tollere, quàm neglectis hiſce in ſymptomatibus curandis ſubſiſtere, iras hominum morborumque Reipubl. cauſſas augere. Similes ſunt hi homines febricitantibus, qui præſentē moleſtiā calidæ intemperiei frigidâ potione ſedare ſtudentes cauſſā morbi, & cum hac moleſtias ex calore nimio augent. Licinius*

enim

enim & Sextius denuò tribuni creati nullos curules magiſtratus creari paſſi ſunt, eaque ſolitudo magiſtratuum, & plebe reficiente duos tribunos, & his comitia tribunorum militum tollentibus, per quinquennium urbem tenuit. Liv.l.6.c.35.

4. Cùm diu certatum eſſet inter plebem patresque, duo tribuni decimùm à plebe hanc poteſtatem adepti de decemviris ſacrorum ex parte de plebe creandis legem pertulêre: creati quinque patrum, quinque plebis: graduque eo via facta ad Conſulatum videbatur. *Quâ victoriâ interea contenta plebs permiſit, ut iterum tribunorum militarium comitia haberentur. Nam plebs modò obtinuiſſet remiſſionem uſurarum, ſolutis in ſortem computatis, contenta facilè fuiſſet, nec quicquam Licinius obtinere potuiſſet, ſed manſiſſet ſtatus patribus integer. Corruiſſet quippe ita argumentum, quo Licinius & Sextius utebantur, remiſſionem uſurarum aliâ ratione plebem conſequi non poſſe niſi Conſularis dignitatis particeps reddita fuerit.*

5. Anno ante Chr. N. 362. devictis à Furio Camillo Gallis per ingentia certamina dictator Furius Senatusque victus, ut rogationes tribuniciæ acciperentur: & comitia Conſulum adverſâ nobilitate habita, quibus L. Sextius de plebe primus Conſul factus. Et ne is quidem finis certaminum fuit, quia patricii ſe futuros auctores negabant, prope ad ſeceſſionem plebis res, terribilesque alias minas civilium certaminum venit: cùm tamen per dictatorem conditionibus ſedatæ diſcordiæ ſunt, conceſſumque ab nobilitate plebi de Conſule plebejo; à plebe nobilitati de Prætore uno, qui Jus in urbe diceret, ex Patribus creando. *Mira hæ rurſus ineptiæ Patrum: ſi enim initio diſcordiarum quid de uſuris remiſiſſent & plebejos ad prætorium magiſtratum, quò Jus dicere in cauſſis debitorum poſſent, admiſiſſent, quieta fuiſſet Reſpubl. & ſtatus patriciis integer magis conſervatus. Creatus autem tunc primus Prætor ex patriciis Sp. Furius M. filius Camillus. Liv.l.6.c.ult.*

6. Eodem tempore duo quoq; Ædiles curules ex patriciorum numero creati ſunt. *Nam ab diutinâ irâ tandem in concordiam redactis ordinibus, quum dignam eam rem Senatus cenſeret eſſe, & Deorum cauſſâ ludos faciendos: recuſantibus id munus ædilibus plebis, conclamatum eſt à patriciis juvenibus, ſe id honoris Deûm cauſſâ libenter acturos, ut ædiles fierent. Quibus cùm ab univerſis gratiæ actæ eſſent, factum SCtum, ut duos viros ædiles ex patribus dictator populum rogaret. Ædilitatem ita primi ex patriciis nacti Cn. Quintius Capitolinus & P. Cornelius Scipio. Liv. 7. c. 1.*

7. Contenti ſic patres fuêre pro unius magiſtratûs communicatione plebeiis factâ tres novos adepti; miſeri, non conjicientes, plebem, ſi nacta jam ſit Conſulatum tanquam magiſtratum ſupremum; ſe ſine ſingulari difficultate & reliquorum participem aliquando fore. Longè ſtolidi9 fuit, ſi exiſtimarunt, hoc modo patricios liberè uſuras impoſterum exercere poſſe. *Nam manentibus principiis motuum & auctâ facultate movendi (id quod contigit admiſſis ad conſulatum plebeiis) nulla quies ſperari poteſt. Hinc C. Martio Rutilo & Cn. Manlio CSS. Judicia populi Romani triſtia in fœneratores facta; lexq; lata de unciario fœnore. quod ſolent interpretari pro 12. ſingulis annis unum. Tacitus 6. ann. 16. tradit LL. XII. tabl. ſanctum, ne quis unciario fœnore amplius exerceret, cùm antea ex libidine locupletium agitaretur; dein rogatione tribunicia ad ſemuncias redactam & poſtremò vetitam verſuram.*

8. Poſt aliquot annos, non ſufficiente uno prætore, cùm multa peregrinorum jus civitatis non habentium turba Romæ judicia ſuſciperet, alter prætor creatus eſt, ut duo præeſſent Juriſdictioni: alterq; urbanus alter peregrinus dictus. *Nam tunc temporis qui ſub orbe Romano erant non omnes erant cives Romani jurisq; civilis participes: ſed nonnulli ſolo gentium Jure fruebantur. Quæ cauſſa eſt, quare Romano Jure ea quæ juris gentium ſunt ab iis quæ ſunt juris civilis tantâ diſtinguantur diligentiâ. Sic v.g. teſtamenti factio erat juris civilis non gentium; quia nullus peregrinus quicquam ex teſtamento capere poterat. Quapropter prætor peregrin9 jus dicebat iis in cauſſis, quæ ex ſolo jure gentium decîdendæ eſſent. Id quod fiebat ſi vel peregrino cum peregrino aut cum cive lis intercederet: Et apud hunc non quemadmodum apud Urbanum lege agi poterat. Cæterum creati hi comitiis centuriatis à populo Jdictionem incertam conſequebantur: deſignati verò ex SCto ſuas Jdictiones urbanam ſcil. & peregrinam ſortiebantur.*

9. Officium & poteſtas porrò prætorum, qui Jdictioni præerant, conſiſtebat in adminiſtratione legum, de cauſſis civilibus ſeu pecuniariis præcipientium: quâ ſuâ poteſtate valdè abutebantur. *Nam adminiſtratio legum in hoc conſiſtit, ut ſuccurratur defectibus legum, de quibus nonnulla diximus lib. 2. c. 3. membr. 1. art. 2. h.p. Scil. 1 quia leges ex utilitate Reipubl. hominumque feruntur: non omnibus autem temporibus omnia proſunt, nec omnibus caſibus pro diverſitate accidentium & circumſtantiarum applicari poſſunt: adminiſtratoris legum eſt videre, quæ leges ſint antiquandæ, & à quibus in dicendo Jure certis temporibus vel caſibus ſit abeundum. 2. Quia non omnes caſus*

legibus comprehendi poſſunt: adminiſtrationis eſt, ſi caſus legibus non definitus occurrat, vel à ſimili procedendo vel pro ſuo arbitrio ſtatuendo quod à mente legumlatorum non alienum eſt, id quod deeſt ſupplere. Hinc Julianus l. 12. ff. de LL. Non poſſunt omnes articuli ſingulatim aut SCtis comprehendi, ſed cum in aliquâ cauſſa ſententia earum manifeſta eſt, is qui J.dictioni præeſt ad ſimilia procedere atq; ita Jus dicere debet. *Et Ulpianus l. ſeq.* Nam, ut ait Pedius, quotiens lege aliquid, unum vel alterum introductum eſt, bona occaſio eſt, cætera quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione vel certè Jdictione ſuppleri. *Solebant ergò prætores initio ſui imperii, antequam Jus dicerent, edicta ſua proponere, ut cuiq; conſtaret de Jure quod dicturi eſſent: quibus Jus civile partim confirmabant (ut ſcirent cives à quonam non eſſent abituri) partim emendabant, partim quod eidem deerat ſupplebant. Quo ipſo ſibi legislatoriam quandam poteſtatem parabant. Nam quid edictum aliud quam annua lex eſt? inquit Cic. & Imperator Nov. 26. c. 1. tradit, prætorem Romanorum Imperatoris ſimul & legislatoris locum in ſuâ Republ. tenuiſſe.*

10. Majeſtatem prætorum oſtentabant inſignia hæc: prætexta, ſella curulis, haſta & miniſtri, ſcribæ nimirum accenſi & lictores. *Nam ad legum adminiſtratorem quoque pertinet vim addere ſuâ auctoritate & ita contumacibus terrori eſſe: Inſignium autem nonnulla cum conſulum inſignibus communia erant, velut ſella curulis & prætexta it. lictores: quamvis prætor Urbanus tantùm duobus teſte Cenſorino de die natali, vel ſex, ut narrant Polybius & Plutarchus, uterentur.*

11. Anno ante Chr. N. 231. cum Sicilia & Sardinia in provinciæ formam redactæ eſſent, Senatus Romanus ſtatuit, quatuor prætores creandos, quorum bini jus dicerent in urbe, tertius Siciliæ præeſſet, quartus Sardiniæ. *Flor. in epit. Nam cùm imperatorum vicibus hi duo fungi deberent, olim autem imperatores & duces prætores, quaſi præitores vocarentur: prætorum nomen & his tribuere voluerunt. Creati autem à populo quatuor ſunt, de Jdictione & provinciis poſtea ſortiti. Creſcentibus dehinc provinciis & latius pateſcente imperio ſex cœperunt creari: idque primum factum Sempronio & Q. Minutio CSS. anno ante Chr. N. 196. teſte Livio.*

12. Erat ergò Jdictio inter prætores & populum diviſa. *Nam prætores ſolam habebant Jdictionem civilem i. e. poteſtatem publicè exercendi Judicia in cauſſis civilibus & pecuniariis, quæ καθ' ἐξοχὴν Juriſdictio vocabatur. Penes populum autem erat Juriſdictio criminalis, quæ merum imperium dici conſueverat i. e. poteſtas exercendi Judicia criminalia, quæ & publica vocabantur. Nulli namque magiſtratuum*

concedebat populus de capite civis ſtatuere. Id quod etiam tradit Pomponius l.2.§.Exactis de O.J. ne per omnia regiam poteſtatem conſules haberent, inquit, lege latâ factum eſt: ut ab his provocatio eſſet; neve poſſent in caput civis Romani animadvertere injuſſu populi: ſolum relictum eſt iis, ut coercere poſſent & in vincula publica duci juberent. Porrò hanc ſuam Jdictionem criminalem populus exercebat olim creatis Quæſtoribus quaſi quæſitoribus, qui inquirerent, prout crimen publicâ animadverſione dignum incidebat. At poſtea quæſtiones perpetuæ conſtitutæ ſunt Cenſorino & Manilio CSS. anno ante Chr. N. 147. ut refert Cic. in Bruto. Creatique ſex prætores, quorum duo præeſſent Jdictioni, reliqui quatuor Judicia publica exercerent. Quo tempore videtur prætoribus gladius inſignium nomine additus, Jdictionem criminalem ſeu merum imperium denotans. Unde fortaſſe manat definitio meri imperii, quam habet Ulpianus l.3.ff.de Jdictione. quod ſcil. ſit habere gladii poteſtatem ad animadvertendum in facinoroſos. Non tamen exiſtimandum eſt, eos Jurisdictionem criminalem ſibi propriam conſecutos eſſe: nomine enim populi tanquam hujus propriam eam exercebant. Hæc cauſſa etiam erat, quare prætores Jdictionem mandare poterant, merum imperium non item. Nam hoc ſpecialiter lege ſibi delegatum habebant. ut oſtendit Papinianus l.1. ff. de officiei. cuj. Cùm enim populus ſibi merum imperium reſervaſſet, nec tamen ipſe ſemper cognoſcere de cauſis criminalibus poſſet; præſcribebat certam & perpetuam formam de certis criminibus Judicia exercendi: quemadmodum antea ſeorſim ſingulis quæſtoribus in ſingulis caſibus incidentibus præſcripſerant: ut ita delegati populi eſſent, & nullam propriam de delictis publicis haberent Jdictionem.

MEMBR. VII.

DE SEDITIONIBUS QUÆ FIRMATO LIBERÆ REIPUBL. IMPERIO CONTIGERUNT AD AUGUSTUM USQUE.

1. Æquatis plebejis & equitibus, nulla per ducentos fermè annos notabilis contigit ſeditio, ſed populus Romanus in firmando & augendo imperio occupatus ſeſe glorioſum exhibuit. *Nam querelæ plebis ceſſabant: nec dabatur æquè ſeditioſis tribunis anſa eandem comitandi: creabantur enim ex plebe non modò Conſules ſed etiam Dictatores velut M. Claudius Marcellus Anno ante Chr. N. 322. Cenſores, ut Q. Cæcilius Metellus & Q. Pompejus Rufus ambo de plebe anno A.C.N. 129. Introductum etiam circa annum A. C. N. 321. crudelitate*

delitate

delitate L. Papirij occaſionem prabente, ne liceret amplius ob pecuniam debitam civem in vinculis detinere. Liv. Omniaque fuiſſent ita tranquilla, niſi tribuni pl. quandoque certamen inter primores civitatis patricios & plebejos interjeciſſent. Quales erant primò Q. & Cn. Ogulnij, qui cùm nihil haberent, quo plebem infimam accenderent, ipſa capita plebis Conſulares triumphalesque plebejos aggreſſi ſunt: quorum honoribus nihil, niſi promiſcua ſacerdotia, deerat: quæ tamen poſt contentiones aliquot, obtinebantur, ut ſcil. & ex plebejis pontifices augureſque crearentur. Liv. lib. 10. c. 6. & ſeqq. Contigit hoc anno A. C. N. 298. Quo eodem anno lex de provocatione à magiſtratibus ad populum tertiò lata eſt Liv. eod. cap. 9. it. C. Flaminius, qui legem invitis patribus ferebat, ut Picenum regio, unde Senones Galli pellebantur, Romanis militibus dividerentur: quæ cauſſa fuit, ut bellum Gallicum exoriretur. Polyb. lib. 2. It. duo Q. Petilli, qui incomparabili heroi Scipioni Africano Hannibalis victori diem dixêre. Liv. lib. 38. c. 50. it. qui CSS. Licinium & Poſtumium delectum ſeverè agentes in carcerem conjiciebant. Epit. Liv. it. Cornelium Scipionem & Junium Brutum. Æquitati, quàm plebes obtinuit acceſſere virtutes illuſtrium virorum: frugalitas Curii Dentati, *qui poſt triumphum bis in eodem magiſtratu & de Samnitibus & Sabinis actum, teſte Cicer. ad foculum ſedens, & coquendis rapis vacans aurum Samnitium aſpernatus eſt: malle ſe, dictitans, aurum habentibus imperare, quàm aurum habere, quòd talis cœna auro non indigeret.* Liberalitas Senatorum, *qui cùm in ærario pecunia non eſſet, nec privati ulterius claſſem alere poſſent, omne aurum & argentum æsq; ſignatum, quod habebant, in publicum conferebant & Reipubl. mutuò dabant. Quam liberalitatem ſecuta etiam plebs: atque ita dum Remp. ſuis opibus tuebantur, ſuas opes ſimul conſervabant; referente hæc Livio.* Fortitudo & prudentia quam plurimorum heroum, *quos hîc narrare ſuperfluum foret. Ut non immeritò Florus quando lib. 2. c. 19. ad enarrandas res geſtas illius temporis, quod nos nunc contemplaturi ſumus, progreditur, tranſitionem im fecerit.* Hactenus populus Romanus pulcher, egregius, pius, ſanctus atque magnificus: reliqua ſecula ut grandia æquè, ita vel magis turbida & fœda, creſcentibus cum ipſâ magnitudine imperii vitiis. *Scil. magnitudo imperii nullum populum virtutibus deſtitutum felicem, ſed potius ſubminiſtrando vitiis inſtrumenta miſerrimum reddit. Veriſſimum enim eſt, quod demonſtravit Ariſtoteles & nos ſuprà quoque oſtendimus, virtuoſis ſolis deberi opes & imperium, ut pote dignis & habilibus, qui hiſce uti valeant; idque dictitante Juſtitiâ diſtributivâ. Quapropter omnis Reſpubl. quò magis bonis abundat, eò*

plus

plus operæ virtutibus, cum primus autem frugalitati, temperantiæ, modeſtiæ civium operam dare debet.

2. Peracto ergò omni bello Punico & remoto Carthaginis metu, ſublatâque imperii æmulâ, domitis item Africâ, Macedoniâ, Siciliâ, Hiſpaniâ, non gradu, ſed præcipiti curſu à virtute deſcitum, ad vitia transcurſum, vetus diſciplina deſerta, nova inducta, in ſomnum â vigiliis, ab armis ad voluptates converſa civitas. *Vellej. lib. 2. Nam pacis artes veramque felicitatem in operatione ſecundum virtutes reliquas, ſoli fortitudini adſueti ignorantes Romani, ſubminiſtratis voluptatum inſtrumentis interitum ex vitiis effugere nō potuerunt. Id enim contingere civitatibus latiſſimè imperantibus lib. 3. c. 3. huj. partis docuimus.*

3. Natæ ergò denuò gravisſimæ ſeditiones, quarum cauſſas tribunicia poteſtas excitavit, quæ ſpecie quidem plebis tuendæ, cujus in auxilium comparata erat, re autem dominationem ſibi acquirens, ſtudium populi ac favorem agrariis, frumentariis, judiciariis legibus aucupabatur. *Flor. l. 3. c. 13. Quî enim aliter fieri poteſt, ſi in civitate plebis & patriciorum odiis flagrante demagogi & blandi auctores plebi dantur maximâ cum poteſtate? Hæc enim ſolere demagogos facere, ſatis perſpicuè docuit Ariſt. 5. politic. Ex quo quæ ſuprà de democratiis tradita ſunt hauſimus.*

ARTIC. I.
DE
TIBERII GRACCHI SEDITIONE.

1. Primam certaminum facem Tiberius Gracchus accendit. Flor. l. 3. c. 14. *Poſtquam enim turpiſſimum Mancinus cum Numantinis fœdus inierat, & ob id, quod Senatus hoc ratum habere nollet, Numantinis dederetur, qui tamen eum acceptare noluerunt, Oroſ. lib. 5. c. 4. & 5. immanem deditioiſta civitatis movit diſſenſionem. Et quidem Tiberius Gracchus, quo quæſtore & auctore, id fœdus ictum erat, nunc graviter ferens aliquid à ſe factum infirmari, nunc ſimilis vel judicii vel pœnæ cum Mancino metuens diſcrimen, tribunus plebis creatus, vir alioqui vitâ innocentiſſimus, ingenio florentiſſimus, propoſito ſanctiſſimus, ut loquitur Vellej. l. 2. tantis denique adornatus virtutibus, quantas & perfecta natura & induſtria mortalis conditio recipit P. Mutio Scævolâ & L. Calpurnio conſulibus, anno A.C.N. 131. deſcivit à bonis (Cauſſam hanc motuum nos ſuprà tradidimus nimirum ignominiam & metum pœnæ) pollicitus toti Italiæ civitatem (Quamvis enim Romani multos populos ut liberos*

ARTIC. II.
DE
C. GRACCHI SEDITIONE.

1. Decem interpoſitis annis, qui Tiberium Gracchum, idem Cajum fratrem ejus occupavit furor, tam virtutibus ejus omnibus, quàm huic errori ſimilem, ingenio etiam eloquentiâq; longè præſtantiorem. *Cauſſa & principium motus, cujus auctor erat, nullum aliud ipſi fuiſſe videtur, quàm ſuperbia & ira, hæc ut mortis fraternæ; illa ut legum fraternarum vindex exiſteret. Duo iſta fecêre ut vellet; eloquentia vigorq; ingenii, ut putaret ſe poſſe imperium conſequi.*

2. Hic ergò Cajus, cùm ſummâ quiete animi, civitatis princeps eſſe poſſet; ejuſdem exempli cum fratre tribunatum ingreſſus, longè majora & acriora repetens leges ferre niſus eſt. 1. Ut populo frumentum venderetur triente & ſemiſſe. 2. Ut agri, qui à privatis per vim occupati erant plebi dividerentur. 3. Ut ex numero equitum eligerentur ſexcenti qui Judicia adminiſtrarent. 4. Ut coloniæ Carthaginem & alia in loca deducerentur. Et hoc pacto nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum deniq; in eodem ſtatu reliquit. *Fuêre hæc poſtulata Gracchi haud aliena ab æquitate, talia tamen, quibus ſine maximis tumultibus ſatisfieri non poſſet. Æquiſſimum videbatur, miſeræ plebi ex ærario ſubveniri; agros ſudoribus bellicis acquiſitos injuſtis poſſeſſoribus adimi; ſedes & habitationes victoribus loca vacua devictarum gentium tribui; ſenatu regente provincias tantum auctoritatis equitibus concedi, ut judicia adminiſtrent. Sed hæc ipſa in perniciem redibant, & miſera Reſpubl. in exitium ſuum merces erat. Nam & à Senatu in equitem translata judiciorum poteſtas, vectigalia i.e. imperii patrimonium ſupprimebat. Et emptio frumenti ipſos Reipubl. nervos, exhauriebat ærarium. Reduci plebs in agros unde poterat ſine poſſidentium everſione, qui ipſi pars populi erant? & tamen relictas ſibi à majoribus ſedes ætate, quaſi jure hereditario poſſidebant. verba ſunt. Flori l. 3. c. 13. Scil. quando in principio erratur, progreſſus malorum tandem contingit in infinitum. Debuiſſet initio ſtatim, cùm exigua portio agrorum occupata eſſet, reſtitutio plebi fieri, aut ad minimum in publicum colendus, ex hoſtibus captus ager tradi; & aliud quodcunq; potius fieri, quàm ut tribuni plebis admitterentur. Præbet itaq; exemplum Reſpubl. Romana ſuo interitu commonefaciens omnes civitates, ut ſibi caveant à demagogis, aut ſi ſint, malitiæ ipſorum omnibus modis occurrant.*

3. Tantum etiam ſuis perfecit legibus, ut equites acciperent judicia. *(quibus etiam per 40. annos usq; ad tempora Syllæ præfuerunt)* ipſe vero triumvir coloniam in ſolo Carthaginis dirutæ duceret.

4. Opimius Conſul, ut leges Gracchianas reſcinderet, Senatum poſtea inſtigavit, quò ſibi mandaretur, videret, ne quid detrimenti Respubl. caperet. Quo facto Gracchus cum Fulvio, quem collegam habebat, Aventinum montem occupavit, miſſo ad Conſulem Opimium filio Fulvii de pace. Sed Conſul ferocior repudiatâ pace ad tria millia civium occidit, & ſimul Fulvium Gracchumq; in Tyberim projici juſſit. *Ab utrâq; parte ſatis peccatum: Gracchi optimis ingeniis malè niſi miſerrimum ſibi pepererunt exitũ, qui ſi civilem dignitatis concupiſſent modum, quicquid tumultuando adipiſci geſtierunt, quietis obtuliſſet Respubl. Conſul Opimius deditoriis conditiones offerre potuiſſet, & jubere cum his lege agi. Hoc enim civile magis fuiſſet. Hinc Vellei. l. 2.* Factum Opimii, quod inimicitiarum quæſita eſſet ultio, minor ſecuta eſt auctoritas & viſa ultio privato odio magis quàm publicæ vindictæ data.

ARTIC. III.
DE
SEDITIONE APPULEJANA.

1. Anno A. C. N. 98. Marius Conſul tantum animorum clanculum dabat Servilio Glauciæ & Saturnino Appulejo, ut leges Gracchanas aſſerere & Senatum, ut in ipſorum verba juraret, cogere auderent.

2. Proceſſit eò malitia Saturnini, u Memmium Candidatum Conſulatûs interficeret, & Glauciam ſuæ nequitiæ collegam conſulem facere niteretur: lætus interea in tumultu accipiens ſe regem ſalutari. *Nim. inſatiabilis imperandi libido ita occupaverat animos Romanorum; ut occæcati & occupandi imperii facultatem ſe habere conciperent qui ab eodem longè aberant. Conſultiſſimum ergo fuiſſet Reipubl. bella cum externis fovere & cives feroces, glorioſos ſuperboſq; hoſtibus mactandos exponere: item leges tribunicias prohibentes agrorum numerum poſſidendo excedere ambabus manibus arripere: vel aliis modis opulentia hominum & potentia occurrere.*

3. Senatus

3. Senatus ergò in mandatis dabat Conſuli Mario, videret, ne reſpubl. detrimenti quid caperet. Et quamvis hic cum utroq; colluderet; adverſus redditur ipſis, quos tueri non poterat, ipſos abruptis fiſtulis in capitolio obſidet, poſtea ſeſe dedentes in curiam recipit, nihil omittens eorum, quæ ad vitam ipſorum conſervandam facere videbantur. ſed populus irrumpens in curiam nequam homines trucidavit.

ARTIC. IV.
DE
DRUSIANA SEDITIONE

1. L. Martio Philippo & Sex. Julio Cæſare CSS. M. Livius Druſus, vir nobiliſſimus & eloquentiſſimus, meliore in omnia ingenio, animoq; quàm fortunâ uſus, Senatui priſcum reſtituere cupiens decus Judicia ab equitibus ad eum transferre ordinem niſus eſt. *Cauſſa hac rurſus æqua videbatur. Nam poteſtatem judicandi legibus Gracchianis nacti equites, cùm in multos clariſſimos atq; innocentiſſimos viros ſeviiſſent, tum P. Rutilium, virum non ſeculi ſui, ſed omnis ævi optimum, interrogatum lege repetundarum, maximo cum gemitu civitatis damnaverant. Vell. l. 2. Videbatur & Ratio Status exigere, ne poteſtas judicandi huic ſoli parti civitatis ulterius permitteretur; hac enim ſubnixi equites fata fortunasq; patrum vitasq; principium habebant in manu; interceptisq; vectigalibus peculabantur ſuo jure Rempublicam. Senatus econtrario omne decus Majeſtatis amittebat. Flor. l. 3. c. 13.*

2. Sed his ipſis, quæ pro Senatu moliebatur, Senatum habebat adverſarium. *Nam non intelligebat Senatus, ſi qua de plebis commodis ab eo agerentur, veluti ineſcandæ, illiciendæq; multitudinis cauſſâ fieri, ut minoribus perceptis, majora permitteret. Deniq; ea fortuna Druſi fuit, ut malefacta collegarum, quàm ejus optimè ab ipſo cogitata Senatus probaret magis, & honorem, qui ab eo deferebatur, ſperneret; injurias quæ ab aliis intendebantur, æquo animo reciperet, & hujus ſummæ gloriæ invideret, illorum modicam ferret. Vell. l. 2. Nimirum invidia Senatorum erga collegam occæcabat eosdem, ut judicium de ipſius actionibus integrum facere nequirent.*

3. **Tum converſus Druſi animus, quando benè cœpta malè cedebant, ad dandam civitatem Italiæ.** *Nam hoc ipſo ſe muniebat adverſus Servilium Cæpionem equeſtris ordinis defenſorem. Flor. l. 3. c. 17.*

 4. Cum

4. Cùm adeſſet dies promulgandi legem de dandâ civibus Italiâ, fruſtrà obrogante Philippo CS. per vim lata juſſaque eſt. Sed cùm revertiſſet è foro, immenſâ & incognitâ, quæ illum comitabatur, multitudine cinctus, in atrio domûs ſuæ cultello percuſſus, qui affixus lateri ejus relictus eſt, intra paucas horas deceſſit. *Malè hìc iterum conſultum malo: manebat enim cauſſa & principium penes populos Italiæ, ſublato licet Druſo. Injuſtum namque exiſtimabant, ſe ſuâ ope Romanum Imperium in tantum evexiſſe faſtigium, non tamen de imperio participare. Quid verò æquius & magis in Juſtitiâ diſtributivâ fundatum exigi potuiſſet? Petebant, inquit Vellej. lib 2. eam civitatem, cujus imperium armis tuebantur: per omnes annos atq; omnia bella duplici numero ſe militum equitumque fungi, neque in ejus civitatis Jus recipi, quæ per eos in idipſum perveniſſet faſtigium, per quod homines ejuſdem & gentis & ſanguinis, ut externos alienosque faſtidire poſſet.*

ARTIC. V.
DE SOCIALI BELLO.

1. **Bellum ſociale originem traxit à L. Liciniâ Muciâ de civibus regundis latâ; & à Druſi ſeditione.** ***Nam cùm viderent Romani, omnes provincias herile imperium non admittere, quales erant bellicoſæ & libertati deditæ: diſtinxêre eaſdem, nonnullas recipiendo in ſocietatem bellicam comiter audientes imperium, nonnullis prætores præficiendo & collocatis præſidiis regendo. Et hoc callido invento putarunt fore, ut provinciales bellicoſi & libertatis amantes ſub imperio retineri poſſint. Et fortaſſe etiam ita contigiſſet: niſi nimis rigoroſe Conſules Lucius Licinius Craſſus & Q. Mutius Scævola urſiſſent differentiam civium Romanorum & latinorum, condentes legem, quâ negabant, rectum eſſe, ſi quis ſe pro cive gereret, qui civis non eſſet, teſte Cicerone. Cùmq; hac lege ſocij in ſuarum civitatum Jura redigerentur, ita alienati ſunt à Romanis, ut jus civitatis ſuo jure peterent, uſi hoc ſyllogiſmo.***

Qui æqualia conferunt ad Imperium in populos debent etiam participes imperii in eos eſſe.

Latini, Picentes, Etruſci, Campani, æqualia in bello ad imperium obtinendum ac ipſi cives in urbe contulerunt.

Ergò & his Jura civium & unà cum his imperium in populos bello ſubjectos debetur.

Jus horum fundatum ita erat in juſtitiâ diſtributivâ æſtimante perſonarum dignitatem ex eo quod quæq; ad finem ſocietatis obtinendum contulit

contulit. Potuiſſent autem Romani negare minorem propoſitionem; quia horũ ductu & auſpiciis bella geſta erant: ut adeò non præciſe jus civitatis ſoſiis dandum fuiſſet, ſed jus cum civibus Romanis de pace & bello deliberandi. Ceteræ ineptiæ, quòd cives Romani ſoli poteſtatem in liberos, matrimonia, Teſtamenti factionem, pleniſſimum in res ſuas dominium haberent, negligi potuiſſent: ita enim quietiores in Italiâ fuiſſent populi. Sed quemadmodum olim patricii denegabant plebejis matrimonia: Ita cives extraneis; negantes contrahi matrimonium niſi ſocietate conjugali inter cives Romanos initâ. His mediis potuiſſet ſociorum ſeditio impediri: Verùm cùm differentiâ civium & peregrinorum latâ lege ſubtilius obſervatâ daretur occaſio Tuſciæ civitatibus, quas viribus auxerant ſocii, poſtulare quod jus ipſis naturale addicere videbatur, & præterea ad ſpem conſequendi jus ſuum à Druſo erant erectæ: eodem oppreſſo in arma & oppugnationem urbis, ut vi obtinerent quod jure petentibus denegaretur accenſi ſunt.

2. Cœptum id bellum ab Aſculanis, qui Servium Prætorem Fonteiumq; legatum occiderunt: inde à Marſis exceptum in omnes penetravit regiones: natumq; bellum, cujus atrox fortuna fuit, quodq; omne imperium populi Romanī evertere potuiſſet. *Nam defecerunt Vejentes, Veſtini, Marſi, Peligni, Marrucini, Lucani, Samnites. Quâ populorum copiâ inſurgente factum, ut bello abſumerentur trecenta millia juventutis italicæ, duo Romani Conſules Rutilius ac deinde Cato occiderentur, fuſis multis in locis populi Romani exercitibus. Vellei. lib. 2. Suum namq; imperium Romanorum imperio oppoſuerant, quod Italicum appellabant, caputq; ejusdem Corvinium legerant.*

3. Nullâ aliâ ratione Romani ſalvi eſſe poterant, quàm recipiendo in civitatem qui arma aut non ceperant, aut depoſuerant maturius. Quo vires refectæ ſunt, Pompejo, Sullâq; & Mario fluentem procumbentemq; Rempubl. reſtituentibus. *Hoc quidem conſilium optimum fuit ad ſeparandos & in partes diſcindendos ſeditioſos. (Quod & ſuprà docuimus faciendum, ſeditionibus ſubortis) Sed in effectu effecit, ut Romani prærogativam, quam tanto ſanguine profuſo tueri nitebantur, amitterent. Primùm namq; Latinis, deinde Italicis omnibus in civitatem redeuntibus data civitas.*

ARTIC. VI.
DE SEDITIONE MARIANA CINNÆ ITEM ET SULLÆ DOMINATIONE.

I. Sequitur, ut dicamus de bello horrendo, quo in Urbe

4. Cùm adeſſet dies promulgandi legem de dandâ civibus Italiâ, fruſtrà obrogante Philippo CS. per vim lata juſſaque eſt. Sed cùm revertiſſet è foro, immenſâ & incognitâ, quæ illum comitabatur, multitudine cinctus, in atrio domûs ſuæ cultello percuſſus, qui affixus lateri ejus relictus eſt, intra paucas horas deceſſit. *Malè hic iterum conſultum malo: manebat enim cauſſa & principium penes populos Italiæ, ſublato licet Druſo. Injuſtum namque exiſtimabant, ſe ſuâ ope Romanum Imperium in tantum evexiſſe faſtigium, non tamen de imperio participare. Quid verò æquius & magis in Juſtitiâ diſtributivâ fundatum exigi potuiſſet? Petebant, inquit Vellej. lib 2. eam civitatem, cujus imperium armis tuebantur: per omnes annos atq; omnia bella duplici numero ſe militum equitumque fungi, neque in ejus civitatis Jus recipi, quæ per eos in idipſum perveniſſet faſtigium, per quod homines ejuſdem & gentis & ſanguinis, ut externos alienoſque faſtidire poſſet.*

ARTIC. V.
DE
SOCIALI BELLO.

1. Bellum ſociale originem traxit à L. Liciniâ Muciâ de civibus regundis latâ; & à Druſi ſeditione. *Nam cùm viderent Romani, omnes provincias herile imperium non admittere, quales erant bellicoſæ & libertati deditæ: diſtinxêre eaſdem, nonnullas recipiendo in ſocietatem bellicam comiter audientes imperium, nonnullis prætores præficiendo & collocatis præſidiis regendo. Et hoc callido invento putarunt fore, ut provinciales bellicoſi & libertatis amantes ſub imperio retineri poſſint. Et fortaſſe etiam ita contigiſſet: niſi nimis rigoroſè Conſules Lucius Licinius Craſſus & Q. Mutius Scævola urſiſſent differentiam civium Romanorum & latinorum, condentes legem, quâ negabant, rectum eſſe, ſi quis ſe pro cive gereret, qui civis non eſſet, teſte Cicerone. Cùmq; hac lege ſocij in ſ[illegible] civitatum Jura redigerentur, ita alienati ſunt à Romanis, ut jus civitatis ſuo jure peterent, uſi hoc ſyllogiſmo.*

Qui æqualia conferunt ad Imperium in populos debent etiam participes imperii in eos eſſe.

Latini, Picentes, Etruſci, Campani, æqualia in bello ad imperium obtinendum ac ipſi cives in urbe contulerunt.

Ergò & his Jura civium & unà cum his imperium in populos bello ſubjectos debetur.

Jus horum fundatum ita erat in juſtitiâ diſtributivâ æſtimante perſonarum dignitatem ex eo quod quæq; ad finem ſocietatis obtinendum contulit

contulit. Potuiſſent autem Romani negare minorem propoſitionem; quia horũ ductu & auſpiciis bella geſta erant: ut adeò non præciſe jus civitatis ſociis dandum fuiſſet, ſed jus cum civibus Romanis de pace & bello deliberandi. Cætera ineptia, quòd cives Romani ſoli poteſtatem in liberos, matrimonia, Teſtamentifactionem, pleniſſimum in res ſuas dominium haberent, negligi potuiſſent: ita enim quietiores in Italiâ fuiſſent populi. Sed quemadmodum olim patricii denegabant plebejis matrimonia: Ita cives extraneis; negantes contrahi matrimonium niſi ſocietate conjugali inter cives Romanos initâ. His mediis potuiſſet ſociorum ſeditio impediri: Verùm cùm differentiâ civium & peregrinorum latâ lege ſubtilius obſervatâ daretur occaſio Tuſciæ civitatibus, quas viribus auxerant ſocii, poſtulare quod jus ipſis naturale addicere videbatur, & præterea ad ſpem conſequendi jus ſuum à Druſo erant erectæ: eodem oppreſſo in arma & oppugnationem urbis, ut vi obtinerent quod jure petentibus denegaretur accenſi ſunt.

2. Cœptum id bellum ab Aſculanis, qui Servium Prætorem Fonteiumq; legatum occiderunt: inde à Marſis exceptum in omnes penetravit regiones: natumq; bellum, cujus atrox fortuna fuit, quodq; omne imperium populi Romani evertere potuiſſet. *Nam defecerunt Vejentes, Veſtini, Marſi, Peligni, Marrucini, Lucani, Samnites. Quâ populorum copiâ inſurgente factum, ut bello abſumerentur trecenta millia juventutis Italicæ, duo Romani Conſules Rutilius ac deinde Lato occiderentur, fuſis multis in locis populi Romani exercitibus. Vellei. lib. 2. Suum namq; imperium Romanorum imperio oppoſuerant, quod Italicum appellabant, caputq; ejusdem Corvinium legerant.*

3. Nullâ aliâ ratione Romani ſalvi eſſe poterant, quàm recipiendo in civitatem qui arma aut non ceperant, aut depoſuerant maturius. Quo vires refectæ ſunt, Pompejo, Sullâq; & Mario fluentem procumbentemq; Rempubl. reſtituentibus. *Hoc quidem conſilium optimum fuit ad ſeparandos & in partes diſcindendos ſeditioſos. (Quod & ſuprà docuimus faciendum, ſeditionibus ſubortis) Sed in effectu effecit, ut Romani prærogativam, quam tanto ſanguine profuſo tueri nitebantur, amitterent. Primùm namq; Latinis, deinde Italicis omnibus in civitatem redeuntibus data civitas.*

ARTIC. VI.

DE SEDITIONE MARIANA CINNÆ ITEM ET SULLÆ DOMINATIONE.

I. Sequitur, ut dicamus de bello horrendo, quo in Urbe

mediâ ac foro, quaſi arenâ cives cum civibus ſuis gladiatorio more concurrerunt. Cujus initium & cauſſa inexplebilis honorum Marii fames. (*Superbiam enim hominum ferocium & bellicoſorum ſeditionum cauſſam & principium eſſe ſuperius docuimus: quæ eò major in Mario fuit, quò è viliori familiâ oriundus honores primus adeptus eſt*) *Nam cùm bello Mithradatico Sullæ Aſia provincia ſorte obveniſſet, iſq; egreſſus urbe circa Nolam, quæ Urbs pertinaciſſimè arma retinebat, & ſola ex rebellantibus Italiæ Urbibus devincenda ſupererat; interea P. Sulpitius tribunus pl. diſertus, acer, opibus, gratiâ, amicitiis, vigore ingenii atq; animi celeberrimus, cum antea, rectiſſimâ voluntate in populum, maximam quæſiſſet dignitatem, quaſi pigeret eum virtutum ſuarum, & benè conſulta ei malè cederent, ſubitò pravus & præceps, C. Mario poſt ſeptuageſimum ætatis ſuæ annum omnia imperia & omnes provincias concupiſcenti Aſiam provinciam, quæ ut modo diximus Sullæ obvenit, addixit, legemq; ad populum tulit, quâ Sullæ imperium abrogaretur, C. Mario bellum decerneretur Mithradaticum; aliasq; leges pernicioſas & exitiabiles, neq; tolerandas liberæ civitati, tulit. Quin etiam C. Pompeii CS. filium eundemq; Sullæ generum, per emiſſarios factionis ſuæ interfecit.*

2. Sulla contracto exercitu ad urbem rediit, eamque armis occupavit, XII. auctores novarum peſſimarumque rerum, inter quos Marium cum filio & P. Sulpitio urbe exturbavit, ac lege latâ, exules fecit. Sed Marium ſervilis fuga exemit, imò fortuna alteri bello reſervavit. *Nam cùm Sullæ equites eum lemo conſectati abditum limo extraxiſſent, in carcerem Minturnenſium conjectus eſt. Ad quem interficiendum miſſus cum gladio ſervus publicus, natione Germanus, ut agnovit Marium, magno ejulatu expromens indignationem caſus tanti viri, abjecto gladio, profugit carcere. Tum cives ab hoſte miſereri paulò antè principis viri docti, inſtructum viatico, collatâq; veſte in navem impoſuerunt. At ille aſſecutus circa Ænariam filium, curſum in Africam direxit, inopemq; vitam in tugurio ruinarum Carthaginenſium toleravit, cùm Marius aſpiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri poſſent eſſe ſolatio.*

3. Exacto ex urbe Mario Conſul cùm Cn. Octavio creatus Cornelius Cinna Mario Sulpitioque non temperatior: hic immemor Jurisjurandi, quo obſtrinxerat ſe Sullæ de partibus ejus defendendis eidem diem dicit, quòd exercitu urbẽ occupaſſet. *Plutarch. in Sull.* utque adverſus abſentem ſe muniret, Italicis, qui recepti in civitatem in octo tribus contributi erant, adjectique triginta quinque tribubus Romanorum, in omnibus tribubus eos ſe diſtributurum pollicetur, *Nam hoc nomine ingentem totius Italiæ fre-*

quentiam

quentiam in urbem acciverat. Frangebatur enim hoc ipſo veterum civium dignitas, ut plus poſſent recepti in beneficium, quàm auctores beneficii. Sed Conſulatus ei ab Octavio abrogatur, inque locum ejus ſufficitur L. Cornelius Merula. Tum Cinna corruptis primò centurionibus ac tribunis, mox etiam ſpe largitionis, militibus, ac eo exercitu, qui circa Nolam erat, receptus Cajum Marium cùm filio ab exilio revocat & cum hoc pulſos. *Opus enim erat partibus, auctoritate & gratiâ, quam ita augeri poſſe putabat.* Patrato poſt cum Cn. Pompeio CS. ſub ipſis mœnibus prælio, victoque eodem, ingreſſus urbem Cinna de recipiendo Mario legem tulit. Mox Cajus Marius peſtifero civibus ſuis reditu intravit mœnia. *Nam inde excellentiſſimi & eminentiſſimi Civitatis viri variis ſuppliciorum generibus affecti. Superbiæ & crudelitati juncta eſt avaritia, hac illi cauſſam præbente: modus enim culpæ ex pecuniæ modo conſtituebatur: quiq; erat locuples fiebat nocens. Nihil videbatur turpe quod erat quæſtuoſum. Hæc nos docent, quàm infelix felicitas ſit imperium ingens civitatis virtute deſtitutæ: adeòq; ſuperius nos rectè tradidiſſe: imperium perniciοſum eſſe civitati, niſi cum hoc aucto creſcat virtus.*

4. Secundum deinde Conſulatum Cinna & ſeptimum Marius iniit, cujus initio morbo oppreſſus deceſſit. Dominatus eſt poſt Cinna tertium, quartumque Conſul creatus, donec reditum ex Græciâ Sullâ moliente ante hujus adventum, ſeditione ortâ ab exercitu interemptus eſt.

5. Sulla, trucidato Cinnâ, in Italiam reverſus ſemper pacis auctor fuit, & cum Conſule Scipione inter Cales & Theanum de autoritate Senatus, de ſuffragiis populi, de jure civitatis aliisque de rebus egit: ſed cùm inter ſe convenire non poſſent, & Sulla Scipionis caſtra oppugnaturus eſſet, univerſus exercitus Conſulis ſigna ad Sullam transtulit, Scipio dimiſſus eſt, & Maſſiliæ poſtea in exilio vixit.

6. Poſt Marium Conſulem Marii F. & Pontium Teleſinum Samnitium ducem victos Sulla à Flacco interrege creatus Dictator, cujus honoris uſurpatio per annos 102 intermiſſa, immodicæ crudelitatis licentiâ uſus eſt. *Nam octo millia deditorum inviâ publicâ trucidavit, tabulam proſcriptionis primus propoſuit, & univerſam Italiam cædibus replevit, inter quos Prænestinorum inermium duodecim millia occidit. Incuſſit nimirum Sullam lex Valleris Flacci interregis, jubens omnia rata quæ ipſe geſſit. De qua Cic. orat. 3. contra Rullum:* Omnium, *inquit*, legum iniquiſſimam, difficillimamque legis eſſe

arbitror

arbitror eam, quam L. Flaccus interrex de Sullâ tulit, ut omnia quæcunque ille feciſſet, eſſent recta. *Et lib. 1. de LL.* Nihilo credo magis illa juſta eſt quam Interrex noſter tulit, ut Dictator quem vellet civium, indictâ cauſſâ impunè poſſet occidere. *Itaq; Sulla plusquam regalem poteſtatem habens omnes, quos oderat morte mulctabat Cic. pro Ligario. Liberaq; per urbem cædes, percuſſoribus paſſim vagantibus, ut quemq; ira vel præda ſollicitabat, agitabantur. Oroſ. lib. 5. cap. 21. Primus quoq; infamem proſcriptionis tabulam induxit, proſcripſitq; ditiſſimos, proſcriptos jugulavit. Ne, ipſius mortis erat via ſimplex, inquit Oroſius cit. loc. aut una conditio, ut in nece civium ſaltem jus hoſtium ſervaretur, qui nihil à victis præter vitam exigunt. M. Marium ſiquidem de Caprili caſâ extractum, vinciri Sylla juſſit: Ductumque trans Tiberim ad Lutatiorum ſepulchrum, effoßis oculis, membriſque minutatim deſectis, vel etiam fractis trucidari. Liv. lib. 88. Ut adeò Sulla dictator creatus videretur, quò crudelitatis libido honeſti præcipuique nominis reverentiâ & armaretur & velaretur.*

7. Plebi quoq;, quæ partibus Marij faverat, infenſus Sulla leges tulit pro imminuendâ tribunitiâ poteſtate 1. Ne tribunis liceret alios magiſtratus capere. 2. ne ad eos provocatio eſſet. 3. ne leges ferre poſſent 4. ne ipſis concionari liceret. Solam intercedendi poteſtatem ijs relinquens. *Salutare hoc Reipubl. videtur, ſi cæteris malis quoq; occurriſſet: omnis tribunicia poteſtas abrogari non poterat, ſine infinitis turbis tanquam inveterata. Laudatq; hoc factum Syllæ Cicero lib. 3. de LL. quando ait:* Quamobrem in iſtâ quidem re vehementer Syllam probo, qui tribunis pl. ſuâ lege injuriæ faciendæ poteſtatem ademerit, auxilium ferendi reliquerit.

8. Judicandi quoq; poteſtatem, quem Gracchus ereptam Senatui ad equites tranſtulerat, ab equitibus ad Senatum reduxit. *Vellei. l. 2.*

9. Poſtquam ſatis ſævitum, occiſis centum millibus plebeiorum, Senatorum nonaginta, Conſularium quindecim, equeſtris ordinis duobus millibus & ſexcentis; ſponte dictaturâ abiens Cumas ſe contulit vitamq; finivit. *Plut. in Sulla.*

10. Mortui Sullæ acta cupidus rerum novarum per inſolentiam Lepidus reſcindere parabat; non quidem injuſtè ſed minus prudenter. *neq; enim ſine magno Reipubl. detrimento id fieri poterat. Nam proſcripti à Sullâ revocati à Lepido, quid aliud, quàm ad bellum vocabantur? quanquam enim proſcriptionum bona addicente Sullâ malè capta: repeditio tamen eorum, licet jure facta, labefactabat compoſitam*

poſitam civitatem, adeoq; ſine magnâ civitatis clade fieri non poterat, quod Lepidus intendebat. Quapropter Catulus collega Pompejus, & hi meritò ipſi reſtitere. A quibus etiam cùm comparaſſet ſibi exercitum victus Sardiniam receſſit; ibiq; morbo & pœnitentiâ interiit.

II. Anno tamen A. C. N. 68. M. Licinius Craſſus & Cn. Pompejus M. CSS. tribuniciam poteſtatem, cujus imaginem tantùm Sulla Dictator reliquerat, reſtituunt; Cotta verò Prætor judicandi munus, quod Sulla demptum rurſus equitibus Senatui reddiderat, æqualiter inter utrumq; ordinem partitus eſt. *Vellei. l. 2.*

ARTIC. VII.
DE
SEDITIONE CATILINARIA.

1. Demonſtravimus ſuprà, tumultus moveri ab iis, qui omnibus bonis abſumptis, non niſi ex novis rebus felices eſſe poſſunt, & propterea tractatu de Ratione ſtatus ſubjecimus media his occurrendi. Ne quicquam mali deeſſet Reipubl. Romanæ, Catilina ſpecimen excitatę ex hoc principio ſeditionis edidit: quem luxuria primum, tum hinc conflata egeſtas rei familiaris, ſimul occaſio, quòd in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur, in nefaria conſilia atq; opprimendæ patriæ ſuæ compulêre. *Nam cùm auctis opibus per imperium, quod ſibi paraverat civitas, quæſitorum bello uſum verum ignoraret, nec virtutum ullam haberet curam, cives voluptates corporis quærere, viri pati muliebria, mulieres pudicitiam in propatulo habere, veſcendi cauſſâ terrâ mariq; omnia exquirere, dormire prius, quàm ſomni cupido eſſet; non famem, aut ſitim, neq; frigus, neq; laſſitudinem opperiri, ſed ea omnia luxu ante capere. Quibus juventus, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebatur. In tantâ tamq; corruptâ civitate Catilina omnium flagitioſorum atq; facinoroſorum circum ſe tanquam ſtipatorum catervas habebat. Nam quicunq; impudicus, adulter, ganeo, alcâ, manu, ventre, pene, bona patria laceraverat; quiq; alienum æs grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret; præterea omnes undiq; parricidæ, ſacrilegi convicti judiciis, aut pro factis judicium timentes; ad hoc, quos manus atq; lingua perjurio & ſanguine civili alebat; poſtremo omnes, quos flagitium egeſtas, conſcius animus exagitabat hi Catilinæ proximi familiaresq; erant. Quòd ſi quis etiam à culpâ vacuus in amicitiam ejus inciderat; quotidiano uſu atq; illecebris facilè par ſimilisq; cæteris efficiebatur. Sed maximè adoleſcentium familiaritates appetebat, & uti cujusq; ſtudium*

ex

ex ætate flagrabat, aliis ſcorta præbere, aliis canes atq; equos mercari: poſtremò neq; ſumptui neq; modeſtiæ ſuæ parcere, dum illos obnoxios fidosq; ſibi faceret. Salluſt. de bell. Catil. His amicis ſociisq; confiſus Catilina, ſimul quod pleriq; Sullani milites largius ſuo uſi rapinarum & victoriæ veteris memores civile bellum expectabant, opprimendæ Reipubl. conſilium cepit. Peccaverat hîc multum Senatus, qui Cn. Pompejo in extremis terris bellum gerente tutas res domi tranquillasq; exiſtimantes nihil intuerentur; opportunas prorſus Catilinæ, qui Senatum confodere, Conſules trucidare, diſtingere incendiis urbem, diripere ærarium, totam denique Rempubl. funditus tollere conſtituerat.

2. Actum fuiſſet de pulcherrimo imperio, niſi peſſimi viri conjuratio in Ciceronem & Antonium Conſules incidiſſet; quorum alter induſtriâ rem patefecit, alter manu oppreſſit. *Nocturno namq; tempore conſcios conſiliorum congregavit, conjurationemque fecit. Cui cùm interfuiſſet Q. Curius, cui homini non minor vanitas inerat quàm audacia: neque quæ audierat, neque ſuamet ipſe ſcelera occultare; prorſus neque dicere neque facere quicquam penſi habebat. Erat ei cum Fulviâ muliere nobili ſtupri vetus conſuetudo. Cui cùm minus gratus eſſet, quòd inopiâ minus largiri poterat, repente glorians, mare monteſq; polliceri cœpit, minari interdum ferro, ni ſibi obnoxia foret. Tum Fulvia inſolentiæ Curii cauſſâ cognitâ, tale periculum Reipubl. haud occultum habuit: tantique adeò ſceleris indicium per hanc emerſit. Cicero verò habito Senatu in præſentem parricidam peroravit, habita oratione luculentâ atque utili Reipubl. quam poſtea ſcriptam edidit. Sed non amplius profectum, quàm ut Catilina hoſtis evaderet & incendium ſuum ruina reſtincturum Senatui minaretur. Antonius autem collega Ciceronis, parte conjurationis oppreſſâ, infeſtis ab Etruriâ ſignis patriam petentem Catilinam opprimit. Quàm atrociter dimicatum ſit, eventus docuit. nemo hoſtium bello ſuperfuit. Quem quis pugnando ceperat locum, eum amiſſâ animâ corpore tegebat. Catilina longè à ſuis inter hoſtium cadavera repertus eſt, pulcherrimâ morte, ſi pro patriâ ſic concidiſſet. Flor. lib. 4. cap. 1.*

ARTIC. VIII.

DE
TYRANNIDE JULII CÆSARIS, QUAM DICTATOR PERPETUUS CREATUS INVASIT.

1. *Hactenus ægrotantem Rempublicam Romanam cauſſasque miſeriarum ejusdem ſpeculati ſumus: nunc intuebimur illam morientem, cauſſas & principia mortis ejusdem perpendentes.*

2. Prin-

2. *Principium interitûs liberæ Reipubl. fuit ſuperbia Pompeji M. & Julii Cæſaris: quorum hic ſuperiorem, ille parem ferre non poterat.* Refert namq; Cic. 3. *Offic.* quem citat Svetonius, Cæſarem ſemper in ore habuiſſe Euripidis verſus, qvos ſic ipſe vertit:

Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratiâ
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

Vellejus autem *lib. 2.* mores Pompeji deſcribens ducem belli peritiſſimum, civem in togâ (niſi ubi vereretur, ne quem haberet parem) modeſtisſimum vocat.

3. *Hæc ſuperbia adegit utrumq; ut & inter ſe & cum Craſſo, qui immunis quidem voluptatibus in pecuniâ tamen & gloriâ concupiſcendâ nec modum norat nec capiebat terminum, ſocietatem potentiæ inirent, quæ urbi orbiq; terrarum, nec minus diverſo quoq; tempore ipſis exitiabilis fuit.* Hoc conſilium ſeqvendi Pompejus cauſſam habuerat, ut tandem acta in transmarinis provinciis, quibus multi invidiâ obtrectabant (nunquam enim eminentia invidiâ carent) per Cæſarem conſulem confirmarentur (Conſule enim J. Cæſare anno A. C. N. 57. inita hæc ſocietas eſt); Cæſar autem, quod animadvertebat, ſe cedendo Pompejæ gloriæ, aucturum ſuam, & invidiâ communis potentiæ in illum relegatâ confirmaturum vires ſuas; Craſſus, ut, quem principatum ſolus aſſequi non poterat, auctoritate Pompeji, viribus teneret Cæſaris. Firmata ſocietas affinitate inter Cæſarem & Pompejum: filiam enim Julii Cæſaris Pompejus M. uxorem duxit. *Vellei lib.* 2. Hæc namq; optima ratio eſt inter improbos firmandi amicitiam.

4. *Cæſar in ſuo conſulatu conſentientibus Pompejo & Craſſo legem tulit, ut ager Campanus plebi divideretur. Velej. & Dio.* Nam pro invadendo imperio benevolentia captanda erat: cui rei nullum melius inſerviebat medium. Et quamvis Bibulus collega Cæſaris cum actiones ejus magis vellet impedire quàm poſſet, majore parte anni ſe domi teneret; hoc tamen facto, qvo augere ſtudebat collegæ invidiam auxit potentiam. Lex namque perlata eſt ſvadentibus Pompejo & Craſſo atque circiter viginti hominum millia in agrum Campanum deducta ſunt. Eodem modo conatur Cæſar Ciceronem, quem ſentiebat ſibi adverſarium, evertere apud plebem, Clodium in eum concitando, qui tribunus factus plebi gratuitum frumentum dividebat.

5. *Adipiſcitur potentiam Cæſar, dum ipſi adſignantur Galliæ, vid. Dio. materia innumerorum triumphorum; Pompejus autem & Craſſus ducti invidiâ erga Cæſarem denuò conſulatum petunt, ut & ipſi provincias inſtrumenta potentiæ ſibi acqvirant. Tribunum hinc Conſules facti ſubornant, legem ferentem, ut alteri conſulum Syria, alteri Hiſpania in quin-*

quennium cum exercitu conferatur. Cui legi multi Rempubl. à motibus conſervare ſtudentes ſeſe oppoſuerunt. Nam tribuere homini ſuperbo potentiam magnam eamq; longam periculoſiſſima libertati res eſt. Meritò ergò cives boni cùm viderent, conſulatum ab his nec honeſtè petitum nec probabiliter geri, ſeſe oppoſuerunt.

6. *Utrinuq; potentia accrevit morte Crasſi.* Nam cùm Craſſo bellum Parthicum molienti Syria decreta esſet: diris cum ominibus eam in provinciam abiit, fruſtrà eum retinere conantibus tribunis plebis. Quorum execrationes, inquit Vellejus, ſi in ipſum tantummodo valuisſent, utile Imperatoris damnum ſalvo exercitu fuisſet Reipubl. Transgresſus ergò Euphratem fluvium à rege Orode unà cum parte majore exercitûs interemtus eſt.

7. *Septimo fermè anno Cæſar morabatur in Galliis, nullâ æſtate prætermisſâ, quâ non juſtisſimus triumphus emeritus esſet, cùm medium jam ex invidiâ Pompeji malè cohærentis inter Cn. Pompejum & C. Cæſarem concordiæ pignus, Julia filia Cæſaris, uxor Magni decesſit, atq; omnia inter deſtinatos tanto diſcriminis duces dirimente fortunâ, filius quoq; parvus Pompeji, Juliâ natus intra breve ſpacium obiit. Brevi poſt belli civilis exarſere initia. Pompeji cauſa melior, Cæſaris firmior erat; hic valentia illic ſpecioſa.* Nam Pompejum Senatûs auctoritas, Cæſarem militum armavit fiducia. Conſules Senatusque cauſſæ, non Pompejo, ſummam imperii detulerunt. Appius Claudius Cenſor Cæſari inimicus multos Senatu movit, qui omnes Cæſaris partes tum ſecuti ſunt, ſuâque hac imprudentiâ Cæſaris partes auxit. *Plutarch.* Claudio Marcello & Cornelio Lentulo nihil relictum à Cæſare, quod ſervandæ pacis cauſſâ tentari posſet: nihil receptum à Pompejanis: cùm alter Conſul juſto esſet ferocior; Lentulus verò ſalvâ Republ. ſalvus eſſe non posſet.

8. *Prælio hinc ſumpta eſt Theſſalia, & Philippicis campis, urbis, imperii, generis humani fata commisſa ſunt. trecenta amplius millia hinc & illinc præter auxilia regum ac Senatûs pugnarunt. Victus Pompejus aufugit in Ægyptum, ubi trucidatus ſub oculis uxoris & liberorum mortuus eſt. Cæſar devictis poſtea & Pompejanis liberis in patriam victor invehitur: actis triumphis in eum unum omnes congeſti honores: circa templa imagines, in theatro diſtincta radiis corona; ſuggeſtus in curiâ, faſtigium in domo; menſis in cœlo; ad hoc ipſe pater patriæ, perpetuusq; Dictator. noviſſimè dubium, an ipſo volente, oblata pro roſtris ab Antonio conſule regni inſignia. Quæ omnia velut infulæ in deſtinatam morti victimam congerebantur. Flor. lib. 4. c. 2.* Nam clementiam principis vicit invidia. Conſenſeruntq; in cædem ejus Brutus Casſius

ſius

ſius aliique Patricii, & ſedentem in curuli Senatus in curiâ invaſit; tribusq; & viginti vulneribus confecit. Sic ille, qui terrarum orbem civili ſangvine impleverat, tandem ipſe ſangvine ſuo curiam implevit.

CAP. II.
DE STATU REIPUBLICÆ ROMANÆ MONARCHICO.
MEMBR. I.
DE IMPERATORIBUS EX FAMILIA CÆSARUM ORIUNDIS.
ARTIC. I.
DE AUGUSTO.

1. *Populus Romanus, Cæſare & Pompejo trucidatis, rediiſſe in ſtatum priſtinæ libertatis videbatur: & redierat, niſi aut Pompejus liberos, aut Cæſar heredem reliquiſſet Auguſtum; vel, quod utroq; pernicioſius fuit, ſi non collega quondam, mox æmulus Cæſarianæ potentiæ ſuperfuiſſet Antonius.* Nam Antonius prælatum ſibi Octavium furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi juvenis ſuſceperat bellum, & jam parato exercitu in Ciſalpinâ Galliâ reſiſtentem motibus ſuis Decimum Brutum obſidebat. Octavius Cæſar ætate & injuriâ favorabilis, & nominis majeſtate, quod ſibi induerat, revocatis ad arma veteranis, privatus Conſulem aggreſſus obſidione Mutinæ liberavit Brutum, Antonium exuit caſtris.

2. *Octavius cruentiſſimi fœderis ſocietatem cum Lepido & Antonio iniit, Lepidum divitiarum cupido, quarum ſpes ex turbatione Reipubl.; Antonium ultiones de his, qui ſe hoſtem judicaſſent; Octavium ſuperbia contemtu irritata, inultusq; pater agitabant.* Qvum enim Senatus omnia honorificè de Octavio decreviſſet ante victum Antonium, poſt, cùm receſſiſſet metus & Antonius victus eſſet, Bruto & Caſſio provinciæ quas occupaverant lege datæ ſunt. Sexto Pompejo verò claſſis tributa. Octavio honores Conſulares decreti, nominatusq; per contemptum puer laudandus & tollendus: petitus Conſulatus ipſi denegatus. Motus hiſce Octavius pacem cum Antonio Lepidoq; fecit fœdusq; iniit. Convenére tres duces apud confluentes inter Peruſiam & Bononiam. Triumviratus invaſus Romanæ civitati hactenus incognitus. Oppreſſâque armis Republicâ, & quaſi hereditate qua-

dam inter eos diviſâ rediit Sullana proſcriptio; cujus atrocitas nihil in ſe minus habuit, quàm numerum 140. ſenatorum. Exitus fœdi, truces, miſerabiles, toto terrarum orbe fugientium. Romæ capita Cæſarũ in roſtris propoſita: verũ ſic qvoq; civitas lachrymas tenere nõ potuit, qvum reciſum Ciceronis caput in illis ſuis roſtris videretur; nec aliter ad videndum eum, quàm ſolebat ad audiendum concurreretur. Octavius Cæſar percusſoribus patris contentus fuit, cætera ſcelera Antonium Lepidumq; auctores habuerunt.

3. *Devictis Bruto & Caſſio, grave bellum Auguſtus cum Pompeji filio geſſit; cui cum Lepidus auxilio veniret, ſibiq; nimium tribuens, atrocibus verbis in Auguſtum inveheretur: Auguſtus ipſius exercitum corrupit inq; ſuas partes traxit. Lepidum autem deprecantem omnibus provinciis exuit, & in cuſtodiâ Romam miſit. Dio lib. 49.* Hoc factum præbet ſignum, pietatem erga parentem, & vindictam ab Auguſto aſſumptam tantum ut ſpecioſum prætextum, quo bella gerere & ſatis potentiæ ad invadendum imperium ſibi parare poſſet; Antonium verò & Lepidum ſpecie amicitiæ deceptos eſſe. Id quod faciendum circa rivales imperii, quando imperium occupatur, docuimus, cùm de Ratione ſtatûs ageremus.

4. *Exuto ita Lepido & victis Antonio & Cleopatrâ, cui Antonius precium libidinum Romanum imperium promiſerat, arma collegarum, quos triumvir habebat, in Auguſtum ceſſére, qui cuncta diſcordiis civilibus feſſa, nomine principis ſub imperium accepit. Tac. 1. ann. 1.* Nam inteſtinis & civilibus bellis fatigata miſera civitas pacem pro ſummo bono & unicâ ſuâ felicitate habebat. Quam cum ex Auguſti imperio conſequeretur: (pace enim toto orbi Romano reſtitutâ, auſus eſt Janum Geminũ cludere, bis tantũ ante ſeclusum ſeptingentorũ annorum ſpacio; ſub Numâ ſcil. rege & victâ primùm Carthagine) avidè illud tanquam unum ſuæ felicitatis medium arripiebat; exiſtimantes civitatem aliâ ratione unam permanere non poſſe, niſi tanquam unum corpus uno ſpiritu contineretur.

5. *Poſito itaq; triumviri nomine, Conſulem ſe ferens, & ad tuendam plebem tribunicio jure contentum: ubi militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit; inſurgere paulatim, munia Senatûs, magiſtratuum, legum in ſe trahere, nullo adverſante: cùm ferociſſimi per acies aut proſcriptione cecidiſſent. Cæteri nobilium, quo quis ſervitio promptior, opibus & honoribus extollerentur: ac novis ex rebus aucti, tuta & præſentia, quàm vetera & periculoſa mallent. 1. ann. 2.* Scil. nihil Auguſtus omiſit eorum quæ ratio ſtatûs in imperio Romano pro parandâ monarchiâ requirebat. Triumviratum inierat; quia ſolus

tan-

tantum potentiæ non habebat, ut ſupprimere omnes hoſtes & ulciſci patris mortem poſſet: ipſe quaſi ex pietate erga patrem ſæviens invidiam & odium à ſe declinabat, & in Antonium Lepidumq; transferebat, qui ducti crudelitate & avaritiâ ferociſſimos potentiſſimosque trucidabant & proſcribebant; qvò civitate his purgatâ neminem Auguſtus haberet, quem metueret. Et qvia regium dictatorisq; nomen erat odioſum, illud ob reges per crudelitatem & ſuperbiam exactos; hoc ob poteſtatem tyrannicam populo horrendam, quodq; jam prætextu hujus muneris Sylla dominationem invaſerat; utq; videretur circa ſtatum nihil immutare; ipſe Conſulatum iniit, unà tamen aſſumptâ tribuniciâ poteſtate, quâ poterat decreta Senatûs evertere & favorem apud populum tanquam defenſor ejus captare. Et ita fugiens inanes titulos imperium regium adeptus eſt, ſpecioſum adhibens nomen tribuni, quod maximam poteſtatem ſecum ferebat, ut patet ex iis, quæ de liberâ Republ. dicta ſunt. Militum quoq; benevolentiam captare non neglexit; id quod præcipuum in novâ tyrannide. Quicquid enim ubique militum eſſet ad certam ſtipendiorum præmiorumque formulam adſtrinxit: definitis pro gradu cujusque & temporibus militiæ, & commodis miſſionum; ne aut ætate aut inopia poſt miſſionem ſollicitari ad res novas poſſent. Utque perpetuo ac ſine difficultate ſumptus ad tuendos eos proſequendosque ſuppeteret, ærarium militare cum vectigalibus novis inſtituit. *Sueton. in Octav. cap. 49.* Utq; ærarium hoc militare augeret, legem Papiam Poppæam de maritandis ordinibus emendavit, ſtatuens, ut ſi vir vel uxor liberos non haberent, ejus quod alteri reliquiſſent, decima pars ærario militari adjudicetur. *Dio lib. 56. pr.* Ut & plebis captaret gratiam, Ægyptum in provinciæ formam redactam, feraciorem habilioremque annonæ urbicæ reddidit, foſſas omnes, in quas Nilus exæſtuat oblimatas longâ vetuſtate opere militari repurgando. *Idem in Octav. c. 18.* traduntq; Egeſippus & Joſephus, annonam quatuor menſium ſingulis annis populo Romano inde miniſtrari ſolitam. Quo minus ergò omnem ſummam in ſe traheret poteſtatem nihil impedivit. Ferociſſimi, ſi qui eſſent in triumviratu occiſi & proſcripti; adeoq; ſine Auguſti invidiâ remoti erant. Reliqui qui eſſent nobiles, quò humiliores ſe exhiberent & magis ſerviles erga principem eo plus honorum opumqꝫ conſequebantur. Et ita præmiis ad adulationes & vitam ſervilem ducebantur. Ex quibus patet, Auguſtum exactè obſervaſſe quæ Ratio ſtatûs in invadendo imperio requirebat. Quæ mirâ quadam brevitate incomparabilis Tacitus unâ periodo comprehendit.

6. *Neq; provinciæ illum ſtatum abnuebant, ſuſpecto Senatûs populiq;*

imperio ob certamina potentium, & avaritiam magiſtratuum: invalido legum auxilio, quæ vi ambitu poſtremò pecuniâ turbabantur. Quemadmodum enim inteſtina bella ipſam urbem caput imperii: ita quoque provincias in extremam conjecerant miſeriam: ut quemadmodum ægroti proſperam valetudinem; ita hæ pacem velut ſummum bonum exoptarent. Hactenus namq; detentæ erant in perpetuo metu, modò huc modò illuc tractæ, prætores & proprætores cæteriq; præfecti quæſtum ex officio ſuo quæſiverant. Et quamvis ex L. Repetundarum convenirentur: nihil tamen adverſus eos obtinebatur: dum qui de crimine repetundarum damnari debebant vel potentiâ ſuâ ſe defenderent, vel Judices populumq; ambirent vel etiam corrumperent. Adeoq; liberatæ ab hiſce malis provinciæ imperio Auguſti ſingularem ex eodem percipiebant felicitatem, præſentiq; ſtatui propterea favebant.

7. *Ceterùm Auguſtus ſubſidia dominationi Claudium Marcellum, ſororis filium admodum adoleſcentem, Pontificatu & curuli ædilitate; M. Agrippam ignobilem loco, bonum militiâ & victoria ſocium geminatis conſulatibus extulit, mox defuncto Marcello generum ſumpſit: Tiberium Neronem & Claudium Druſum privignos Imperatoriis nominibus auxit, etiamdum integrâ domo ſuâ.* Nam ſalutare eſt & Ratio ſtatûs in recens acquiſito imperio ſvadet, ut qui imperium adeptus eſt, ſtudeat hoc firmare amicis, non modò ob hoc, ut habeat quos conſiliorum participes faciat & adhibeat ad Rempubl. in partibus regendam; ſed & ut præſtò ſint, qui morienti ſuccedere posſint; ne ſi nulli ſint, anſam arripiant homines ſuperbi & feroces ad petendum corpus principis ſpe invadendi imperii. Id quod fruſtrà tentatur, ſi plures ſint qui ſuccedere posſint.

8. *Domi ergò res tranquillæ, eadem magiſtratuum vocabula. Juniores poſt Actiacam victoriam, etiam ſenes pleriq; inter bella civium nati, quotusquisq; reliquus, qui Rempubl. vidisſet? Igitur verſo civitatis ſtatu, nihil usquam priſci & integri moris. Omnis exutâ æqualitate juſſa principis aſpectare. 1. ann. 4.* Magnum namque robur ad novum imperium conſervandum habet, ſubditos ignorare bona priſtinæ Reipubl. Nam cum ignorantis nulla ſit cupido, præſentibus contenti præterita repetere ſubditi non laborant. Id contigit Imperio Auguſti poſt tot bella civilia geſta & exercitas à potentioribus tyrannides. Cùm ergò nullo amplius æqualitatis & libertatis deſiderio ducerentur, omnes tolerabant principatum; præcipui civium contenti ſi magiſtratus nominetenus & ſine potentiâ gererent.

9. *Provincias imperii idem Auguſtus cum Senatu diviſit, & quidem*

dem pacatiores, in quibus nulla bella eſſent gerenda, reliquit Senatui, in quas proconſules mittebantur; eas in quibus bella gerenda erant ſibi proprias retinuit. Callidum hoc fuit commentum, quo videbatur ſenatui magis quàm ſibi favere, in rei veritate autem hoc agebat, ut perpetuum in milites regimen retineret & jura belli ſibi propria faceret.

10. *Præfectum quoq; urbi, qui perpetuò præeſſet conſtituit.* Nam antea profectis domo regibus, ac mox magiſtratibus, ne urbs ſine imperio foret, in tempus deligebatur qui jus redderet, ac ſubitis mederetur. Feruntq; ab Romulo Dertram Romulium, poſt ab Tullo Hoſtilio Numam Martium, & ab Tarquinio ſuperbo Spurium Lucretium impoſitos. Dein Conſules mandabant. Cæterùm Auguſtus bellis civilibus Cilnium Mecœnatem equeſtris ordinis cunctis apud Romam atque Italiam præpoſuit. Mox rerum potitus ob magnitudinem populi ac tarda legum auxilia, ſumpſit è Conſularibus, qui coërceret ſervitia, & quod civium audacia turbidum niſi vim metuat. *6. ann. 11.* Scil. Auguſtus tacitè merum imperium ita ad præfectum ſuum transferre nitebatur concedendo poteſtatem animadvertendi in facinoroſos homines ſervos & nonnunquam cives, ſi ſubitum quiddam occurreret, quod legum auxilium expectare non admitteret. Poſtea cœperunt cauſæ criminales extra ordinem coram præfecto urbi tractari. *14. ann. 41.*

11. *JCtos quoq; viginti habuit, quibus conceſſum, ut quæ ſtatuerent perinde rata eſſent, ac SCta. Dio lib. 56.* Callidus hic quoque modus fuit imminuendi poteſtatem jus dicendi magiſtratibus, cum omnes, qui Jdictioni præerant, reſponſa JCtorum pro Jure agnoſcere tenerentur.

12. *Deceſſit tandem provectâ jam ſenectute cùm ægre corpore fatigaretur, ſeu morbo extinctus, ſeu ſcelere uxoris, quam ſuſpectabant marito venenum dediſſe. 1. ann. 5.*

ARTIC. II.
De
TIBERIO.

1. *Tiberius ſine dubio matris Liviæ fraudibus imperium adeptus eſt.* Artibus namq; hujus ab Auguſto, filius collega imperii, conſors tribunitiæ poteſtatis ſumptus eſt, & imago ejus ſignis militaribus exhibita non ſecus ac Auguſti. Hæc quoq; ſenem maritum adeò devinxerat, uti nepotem unicum Agrippam Poſtumum in Inſulam Planaſiam projiceret; rudem ſanè bonarum artium & robore corporis ſtolidè ferocem, nullius tamen flagitii, ob quod potuerit abdicari, compertum, *1. ann. 3.* ad quem viſendum rumores tulére poſteà vectum

Augu-

Auguſtum electis conſciis & comite uno Fabio Maximo; multas illic utrinque lacrymas, & ſigna caritatis, ſpemq; ex eo, fore, ut juvenis penatibus avi redderetur. Quod Maximum uxori Martiæ aperuiſſe, illa Liviæ, gnarum id Cæſari. neq; multò poſt extincto Maximo (dubium an quæſita morte) auditos in funere ejus gemitus ſemet incuſantis, quod cauſa exitii marito fuiſſet. Utcunq; ſe ea res habuit, vix dum ingreſſus Illyricum Tiberius, ingraveſcente valetudine Auguſti properis matris literis accitur. neque ſatis compertum eſt, ſpirantem adhuc Auguſtum apud urbem Nolam, an exanimem repererit. acribus namq; cuſtodiis domum & vias ſepſerat Livia: lætique interdum nuncii vulgabantur, donec proviſis quæ tempus monebat, ſimul exceſſiſſe Auguſtum, & rerum potiri Neronem fama tulit. *1. ann. 5.*

2. *Primum facinus novi principatûs fuit Poſtumi Agrippæ cædes: quem ignarum inermumq́, quamvis firmatus animo centurio ægrè confecit. Nihil de eâ re Tiberius apud Senatum diſſeruit. inter privatos familiaribus colloqviis patris juſſa ſimulabat, quibus præſcripſiſſet tribuno cuſtodiæ appoſito, ne cunctaretur Agrippam morte afficere, quandocunq́, ipſe ſupremum diem explevisſet.* Erat hoc artificium tyrannicum, quo Tiberius ſuam dominationem ſecuram reddere nitebatur; Auguſtum verò mandaſſe commentitium, faciens ad avertendam invidiam. Multa quidem ſine dubio ſævaq; Auguſtus de moribus adoleſcentis queſtus, ut exilium ejus SCto ſanciretur, ſuam domum quaſi Senatûs imperio ſubjiciens perfecerat. Cæterùm nunquam odio eò progreſſus eſt, ut quenquam ſuorum juberet occidi. Neq; mortem nepoti pro ſecuritate privigni illatam credibile erat. Propius ergò vero eſt, Tiberium ac Liviam, illum metu; hanc novercalibus odiis ſuſpecti & inviſi juvenis cædem feſtinaviſſe. *1. ann. 6.*

3. *Ceterùm quamvis defuncto Auguſto Tiberius ſignum prætoriis cohortibus ut imperator, literas etiam ad exercitus dediſſet, tanquam adepto principatu: cuncta tamen per Conſules incipiebat, tanquam veteri Republicâ, & ambiguus imperandi, ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, niſi tribunitiæ poteſtatis præſcriptione, poſcit ſub Auguſto acceptæ. 1. ann. 7.* Nam duo Tiberio pro novo imperio firmando agenda erant, nim ut relinqueret Reipubl. veterem ſpeciem; & ut vocatus electusq; potius à Republ. videretur, quam per uxorium Liviæ matris ſuæ ambitum, & ſenili adoptione irrepſiſſe. Quamvis Tacitus *fin. cap. 7.* hanc fuiſſe cauſſam ſuæ ſimulationis veram aſſerat: ut cognoſceret, quo erga ſe primores animo eſſent, & dum obſervabat vultus ſingulorum omnia ſiniſtrè interpretando, quò aliquando vitâ & bonis illos privaret, homines eò magis à novis rebus metum incutiendo deterreret.

3. *Hæc*

3. *Hoc principe primùm è campo comitia ad Patres tranſlata ſunt. Nam ad eam diem, etſi potiſſima arbitrio principis, quædam tamen ſtudiis tribuum fiebant. neq; populus ademptum ſibi jus queſtus eſt, niſi vano rumore: & Senatus largitionibus ac precibus ſordidis exſolutus libens tenuit, moderante Tiberio, ne plures quàm quatuor Candidatos commendaret, ſine repulſâ & ambitu deſignandos. 1. ann. 15.* Imminuenda etenim erat Tiberio populi vis & poteſtas: id quod aliâ ratione fieri non poterat, niſi præſciſſâ occaſione adulandi populo & ambiendi honores: conſtituit ergò, ne magiſtratus amplius comitiis in campo Martio celebrari ſolitis crearentur ſed à Senatu. Id quod gratum fuit Senatoribus, ne ſordidis precibus honores à populo flagitare tenerentur.

4. *Obſervabat deinde Tiberius Germanicum quem juſſu Auguſti adoptaverat.* Erat enim juveni civile ingenium, mira comitas & diverſa à Tiberii ſermone, vultu arrogantibus & obſcuris. Unde in hunc favor & ſpes: credebatur enim, ſi rerum potitus foret, libertatem redditurus. *1. ann. 33.* In Tiberio formido, ne Germanicus, in cujus manu multæ legiones, immenſa ſociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium quàm expectare mallet. *1. ann 7.*

5. *Quapropter poſtquam Germanicus ſeditiones militum largitionibus compoſuerat: multaq; præclara contra Germanos geſſerat: contigit res orientis turbari: id quod Tiberio haud ingratum accidit, ut eâ ſpecie Germanicum ſuetis legionibus abſtraheret, novisq; provinciis impoſitum dolo ſimul & caſibus objectaret.* Callidum hoc erat Tiberii conſilium & Rationi ſtatûs ipſius conforme. Neq; enim qui ducti gloriæ ſtudio potentes ſunt, ut imperium armis & jure præ cæteris petere poſſint, melius ſupprimi poſſint, quàm ſi dolis periculisq; objiciantur, & ſpecie honoris è medio removeantur. Miſit proinde Tiberius Germanicum in Orientem eiq; velut in extremas terras relegato adjutorem dedit Piſonem, cujus ut & Plancinæ ſcelere interceptus immeritâ morte periit.

6. *Mortuo Germanico, quò firmaret imperium, miſit literas ad Senatum, quîs tribuniciam poteſtatem Druſo petebat.* Id enim ſummi faſtigii vocabulum Auguſtus repererat, ne regis aut dictatoris nomen adſumeret, ac tamen appellatione aliquâ cætera imperia præmineret. M. deinde Agrippam ſocium ejus poteſtatis, quo defuncto Tiberium Neronem delegerat, ne ſucceſſor in incerto foret. Sic cohiberi pravas aliorum ſpes ratus. Quo tunc exemplo Tiberius Druſum ſummæ rei admovebat: cùm incolumi Germanico integrum inter duos judicium tenens neutrum alteri præpoſuiſſet. *3. ann. 56.*

7. *Cùm velut ſucceſſore imperii deſignato ſtabilivisſet potentiam Tiberius, imaginem antiquitatis Senatui præbebat, poſtulata provinciarum ad disquiſitionem patrum mittendo. Crebreſcebat enim græcas per urbes licentia atq; impunitas a'yla ſtatuendi. Complebantur templa peſſimis ſervitiorum. eodem ſubſidio oberati adverſum creditores, ſuſpectiq; capitalium criminum receptabantur. Igitur placitum, ut mitterent civitates Jura atq; legatos. Magnaq; ejus diei ſpecies fuit, quo Senatus majorum beneficia, ſociorum pacta, regum etiam, qui ante vim Romanam valuerant, decreta, ipſorumq; numinum religiones inſpexit; libero, ut quondam, quid firmaret mutaretve. 3. ann. 60.* Conveniens namq; erat Rationi ſtatûs præſentis tyrannici recens introducti, ut ſenatui concederetur actus in liberâ Republ. celebrari ſvetus: quò cerneretur imago veteris & nondum planè deperditæ Reipublicæ. Hæc cauſſa fuit, quare Tiberius legatos provinciarum apud Senatum agere ſpecie antiqui Juris concederet.

8. *C. Aſinio C. Antiſtio CSS. P. C. N. 23. novus Tiberio annus erat compoſitæ Reip. florentis domûs (nam Germanici mortem inter proſpera ducebat) cùm repentè turbare fortuna cœpit, ſævire ipſe aut ſævientibus vires præbere. Initium & cauſſa penes Ælium Sejanum, cohortibus prætoriis præfectum.* Nimirum nihil tutum nihil ſecurum tyrannis: metuerat Tiberius ne Germanicus filius ipſius adoptivus cæteros liberos naturales excluderet ab imperio, ſuaq; per hoc fata properarentur: & propterea callidis conſiliis ſtudebat eum è medio tollere: quo impetrato ſibi ſatis conſultum exiſtimabat. Sed nudando domum ſuam inſidiis majoribus affectantium imperium ſe expoſuerat. Et quia mira fuit ejani in evertendo Tiberio calliditas exhibens praxin eorum, quæ ſuperius de Ratione ſtatûs in invadendo imperio docuimus: non abs re erit ſingula quibus tentavit ad ſumma progredi ex Cornelii noſtri *lib. 4. annal.* enarrare. Ælius ergò Sejanus Tiberium ſibi adeò devinxit, ut obſcurum erga alios & animum occultare valentem ſibi uni incautum intectumque efficeret. Corpus illi laborum tolerans, animus audax, ſui obtegens, in alios criminator, juxta adulatio & ſuperbia: (ita cuim moratos aulicos eſſe decet, ut principi humiles cæteris ſuperbos & arrogantes ſeſe exhibeant) palam compoſitus pudor arguens animum modeſtum & ſuâ ſorte contentum; intus ſumma adipiſcendi libido & faſtigium imperatorium parandi cupiditas. Ejusq; cauſſâ modò largitio & luxus, ſæpius induſtria ac vigilantia, haud minus noxiæ, quoties parando regno finguntur. Licet hæc ex ſe & ſuâ naturâ talia ſint quæ nemini nocere videntur; ſi tamen velut media quædam pro obtinendâ tyrannide adhibentur, maximis cum damnis con-

juncta

junĉta ſunt. Vim præfecturæ modicam antea intendit, diſperſas per urbem cohortes una in caſtra conducendo; prætendens, ita ſimul imperatoris juſſa audire poſſe & vires ſuas addiſcere, ut ſciant, quantum his fidere debeant, cives verò norint, quos metuere conveniat. Quod tamen non modò ob fallacias Sejani, ſed & metuendas à milite prætoriano ſeditiones ſummè pernicioſum Tiberio erat. (Miles enim prætorianus otioſus cognoſcens vires ſuas novi quid tentat.) Prætendebat etiam laſcivire militem diductum & in hoſpitiis latitantem: ſi quid ſubitum ingruat, majori auxilio pariter ſubveniri, & ſub ſeveriori diſciplinâ eos habitum iri, ſi vallum ſtatuatur procul urbis illecebris. Ut perfecta ſunt caſtra irrepere paulatim militum animos, horumq; gratiam adeundo, appellando prenſare: ſimul centuriones ac tribunos ipſe diligere. (ita namq; obſequentes & fideles ſibi habebat). Neque abſtinebat à Senatu ambiendo & in partes ſuas trahendo, clientes ſuos honoribus aut provinciis ornando, facili Tiberio, atq; ita prono, ut ſocium laborum non modò in ſermonibus ſed apud Patres & populum celebraret, coliq; per theatra & fora effigies ejus interq; principia legionum ſineret. Cæterùm plena Cæſarum domus, juvenis filius, nepotes adulti, moram injiciebant ipſi, quo minus obtinere poſſet quæ appeteret. Et quia vi tot ſimul corripere intutum, dolus intervalla ſcelerum poſcebat. Placuit tamen occultior via, & à Druſo incipere, in quem recenti irâ ferebatur. Nam Druſus impatiens æmuli (ſenſerat enim Sejanum parare ſibi potentiam) & animo commotior, orto fortè jurgio intenderat manus Sejano, & contrà tendentis os verberaverat. Igitur cuncta tentanti promptisſimum viſum ad uxorem ejus Liviam convertere. Hanc ut amore incenſus adulterio pellexit. Et poſtquam primi flagitii potitus eſt, neq; fœmina amiſſâ pudicitiâ alia abnuerit; ad conjugii ſpem, conſortium regni, & necem mariti impulit. Atq; illa cui avunculus Auguſtus, ſocer Tiberius, ex Druſo liberi, ſeq; ac majores & poſteros homine ne quidem in urbe nato fœdabat, ut pro honeſtis & præſentibus flagitioſa expectaret. Diligitur venenum, quo paulatim irrepente fortuitus morbus aſſimularetur. Id Druſo datum per Lygdum ſpadonem. Necato Druſo nulla ſpes ſucceſſionis, niſi in nepotibus, Germanici nimirum filiis duobus, Druſo & Nerone, quos Tiberius Senatui mox recommendabat. Sed Senatus populusque Romanus domum Germanici reviviſcere occulti lætabantur. Sejanus verò, ubi videt mortem Druſi inultam interfectoribus, ſine mœrore publico eſſe, ferox ſcelerum animumque ex crimine ſumens, & quia primum flagitium ad placitum evenerat, volutare ſecum, quonam modo Germanici liberos perverteret, quorum non

dubia ſucceſsio. Veneno nihil hic perfici poterat: habebant namq; hi Germanici liberi fidisſimos pædagogos, nec mater ipſorum Agrippina ſtupro corrumpi ut Livia poterat. Contumacem ergò ejus & elatum animum inſectabatur. Et ne Liviam viduam Druſi, cui matrimonium promiſerat, fruſtrari videretur, componebat ad Cæſarem codicillos, quorum talis forma erat: Benevolentiâ patris Auguſti & bonis opinionibus Tiberii ita inſveviſſe, *ut ſpes votaq; ſua non prius ad Deos, quàm ad principum aures conferret.* Neque fulgorem honorum & ut præ cæteris emineret, unquam precatum: excubias ac labores, ut unum è militibus pro incolumitate imperatoris malle. Attamen quod pulcherrimum adeptum, ut affinitate Cæſaris dignus crederetur. Et quoniam audiveris, Auguſtum in collocandâ filiâ equitum Romanorum conditionem non ſpreviſſe, ſed cum conſultaret, cui eam nuptum daret, mentionem feciſſe etiam equitis Romani: Ita ſi maritus Liviæ quæreretur, rationem Cæſar haberet Sejani, ex affinitate nullam potentiam, nullas opes, ſed ſolam gloriam quærentis: ſe retenturum eſſe munus præfecti prætorii, nec deſerturum illud eſſe: ſatis æſtimare, firmari domum adverſus iniquas Agrippinæ offenſiones. Idque liberorum cauſſâ. nam ſibi multum ſuperque vitæ fore, quod tali cum principe expleviſſet. Cæſar verò hoc ipſius propoſitum disſuadens nihilominus omnem gratiam & benevolentiam pollicebatur. Sejanus metuens ne Tiberius ſuſpicaretur quæ in animo volutaret, aut ex aliis cognoſceret, quæ ſuſpicionem movere posſent, huc flexit, ut Tiberium ad vitam procul Româ amœnis locis degendam impelleret. Quod etiam artibus ſuis impetravit: quippe Tiberius, ut procul urbe degeret, in Campaniam ivit. Ubi magno in periculo Imperatori fidelem ſe præbens Sejanus cauſa extitit, quare imperator amicitiæ conſtantiæque ejus magis fideret. Tum verò inſectabatur Neronem Germanici filium maximum natu, tanquam Tiberii proximum ſucceſſorem, inſtigando quoque contra eum Druſum fratrem, ſpe objectâ principis loci, ſi priorem ætate etiam odio Tiberii labefactum dimoviſſet. Atrox Druſi ingenium, ſuper cupidinem potentiæ, & ſolita fratribus odia, accendebatur invidiâ; quòd mater Agrippina Neroni eſſet propenſior. Neque tamen Sejanus ita Druſum fovebat, ut non in eum quoque ſemina futuri exitii meditaretur, gnarus præferocem & inſidiis magis opportunum. Interea Tiberii mater moritur, cujus mors ſeveriori & crudeliori dominationi cauſſam præbuit. nam incolumi eâ, erat adhuc perfugium: quia Tiberio inveteratum erga matrem obſequium; neque Sejanus audebat auctoritati parentis anteire. Tunc velut frenis exſoluti proruperunt, misſæq; litte-

literæ, quibꝰ apud Senatū urgebatur Agrippinæ & Neronis condemnatio: verba inerant meditatæ aſperitatis: ſed non arma, non rerum novarum ſtudium, amores juvenum & impudicitiam nepoti objectabat, in nurum ne id quidem confingere auſus, arrogantiam oris & contumacem animum incuſavit. Aucta poſthæc mirum in modum potentia Sejani, jam & natalem ejus publicè celebrabant, ejusq; imagines colebant. Vix tamen tandem & aſtu magis ac dolo quam principali auctoritate Tiberius, certior de nequitiâ ejus redditus eum ſubvertit. Nam ut à ſe eum per ſpeciem honoris dimitteret, collegam ſibi aſſumſit in quinto conſulatu, quem longo abſens intervallo ob idipſum ſuſceperat. Deinde ſpe matrimonii cum Liviâ & Tribunitiæ poteſtatis deceptum, inopinantem criminatus eſt. *Sueton. in Tib. cap.65.* Vocatus ergò Sejanus in Senatum, quaſi tribunitiam poteſtatem juſſu Cæſaris accepturus occiditur ſcelerumq; ſuorum ſubitas pœnas dat, cadavere in gemonias conjecto & per triduum ludibrio habito.

9. *Interfecto Sejano, in amicos ejusdem ſævire, alios ſtatim occidere, alios in carcere detinere, donec ſupplicationibus irritatus, cunctos, qui carcere attinebantur, accuſatos ſocietatis cum Sejano necari juberet, miſerandum crudelitatis ſpectaculum exhibens.* Jacuit enim immenſa ſtrages: omnis ſexus, omnis ætas illuſtres, ignobiles, diſperſi aut aggregati, & in acervum conjecti, neq; propinquis aut amicis adſiſtere, inlachrymare, ne viſere quidem diutius dabatur. Sed circumjecti cuſtodes & in mœrorem cujusque intenti corpora putrefacta adſectabantur, dum in Tiberim traherentur: ubi fluitantia aut ripis appulſa, non cremare quisquam non contingere. Omnia humanitatis officia vi metu ſublata erant: quantoque major erat crudelitas, tanto minus conceſſum erat lugere. *6. ann. 19.*

10. *Druſum deinde nepotem ex Germanico fame enecat, cùm hic ſe miſerandis alimentis, mandendo è cubili tomento, nonum ad diem detinuiſſet. Quo deleto, mox Agrippina mater, cùm videret, Tiberium nihil de ſævitiâ remittere voluntate extincta, niſi ſi negatis alimentis, adſimulatus eſt finis, qui videretur ſponte ſumptus. 6. ann. c. 23. & c. 25.*

11. *Mors tyranni crudeliſſimi hæc fuit, cùm intercluſâ animâ & ceſſante reſpiratione creditus eſſet mortalitatem expleviſſe: multo gratantum concurſu, ad capienda imperii primordia C. Cæſar egrediebatur, & repentè adfertur, redire Tiberio vocem ac viſus, vocariq; qui recreandæ defectioni cibum adferrent. Pavor hinc in omnes, & cæteri paſſim diſpergi, ſe quisq; mœſtum aut neſcium fingere. Cæſar in ſilentium fixus à ſummâ ſpe noviſſima expectabat. Macro intrepidus opprimi ſenem injectu multæ veſtis jubet diſcediq; à limine. Sic finivit Tiberius octavo &*

ſeptuageſimo ætatis anno. P. C. N. 37. Egregius hic fuit, quoad privatus vel in imperiis ſub Auguſto fuit; occultus ac ſubdolus fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Druſus ſuperfuêre. Idem inter bona malaque mixtus, incolumi matre; inteſtabilis ſævitia ſed obtectis libidinibus, dum Sejanum dilexit, timuitve. Poſtremò in ſcelera ſimul ac dedecora prorupit, poſtquam remoto pudore & metu ſuo tantum ingenio utebatur.

ARTIC. III.
DE
CAJO CALIGULA.

1. *Cajus Caligula Druſo & Nerone fratribus juſſu Tiberii hoſtibus judicatis & occiſis ſolus ex Germanici filiis ſuperſtes Tiberio ſucceſſit, tantâq; cum populi lætitiâ jus arbitriumq; omnium rerum illi permiſſum eſt, ut tribus proximis menſibus ſupra centum ſexaginta millia victimarum ferantur cæſa.* Nam plerique militum ipſum infantem cognoverant, & univerſa plebs urbana ob memoriam Germanici patris miſerationemque afflictæ domus ei favebat. *Suet. in eod.* Incenderat & ipſe ſtudia hominum omni genere popularitatis, damnatos relegatosque reſtituendo; criminumque, ſi qua reſidua ex priore tempore manebant omnium gratiam faciendo. Nil enim magis recommendat principem, quàm ſi initio imperii emendet, de quibus anteceſſoris principatu querelæ ſunt actæ. Quo principio & axiomate obſervato etiam Rationes Imperii ab Auguſto proponi ſolitas, ſed à Tiberio intermiſſas publicavit. Tentavit & comitiorum more revocato ſuffragia populo reddere. Quas ob res inter reliquos honores decretus eſt ei clypeus aureus; quem quotannis certo die collegia ſacerdotum in capitolium ferrent, ſenatu proſequente; nobilibusque pueris ac puellis, carmine modulato, laudes virtutum ejus canentibus.

2. *Imperium ejus turbarunt & everterunt vitia 1. Superbia.* Nam parum abfuit, quin diadema ſumeret, ſpeciemque principatûs, quàm Auguſtus, ne regis vocabulum ipſum exoſum redderet, introduxerat, in regni formam converteret. Verùm admonitus, & principum & regum ſe exceſſiſſe faſtigium, divinam ex eo majeſtatem ſibi adſerere cœpit, templumque numini ſuo proprium & ſacerdotes & excogitatiſſimas hoſtias inſtituit. *Sueton. in eod. cap. 22.* Senatores quoque, quosdam ſummis honoribus functos ad eſſedum ſibi occurrere togatos per aliquot paſſuum millia, & cœnanti modò ad pluteum modò ad pedes ſtare ſuccinctos linteo paſſus eſt: omnesque reliquos ordines ſuperbè tractavit.

3. *Secundum ipſius vitium, quo in ſummo imperio infeliciſſimè vixit,*

xit. conſtitit in luxuriâ & prodigalitate. Omnium enim prodigorum ingenia ſuis ſumptibus ſuperavit, commentus novum balneorum uſum, portentoſiſſima genera ciborum atque cœnarum, ut precioſiſſimas margaritas aceto liquefactas abſorberet; convivis ex auro panes & obſonia apponeret. Fabricavit & de cedris liburnicas, gemmatis puppibus, verſicoloribus velis. Et hoc pacto immenſas opes à Tiberio relictas vicies ter millies ſeſtertiûm i.e. ultra centum milliones non toto vertente anno abſumpſit. *Dio lib. 58. fin.* Exhauſtus igitur atque egens ad rapinas convertit animum, vario & exquiſitiſſimo calumniarum & auctionum & vectigalium genere. Teſtamenta, in quibus non erat inſtitutus heres, reſcidit, ſubſtituens qui dicerent, ſe audiviſſe ex defuncto, quod animum habuerit, imperatorem dicendi heredem; eos à quibus heres dictus erat venenatis cupediis enecavit. Auctiones rerum ludicrarum inſtituit & cives ad emendum adegit, adeò ut hiſce nonnulli omnibus bonis exuerentur. Vectigalia nova atque inaudita per tribunos & centuriones exercuit, nullo genere rerum aut hominum omiſſo, cui non tributi aliquid imponeret. Leges de vectigalibus ita proponebat, ut ſciri ab omnibus non poſſent, quo bona caderent in commiſſum. Lupanar quoq; in palatio inſtituit, diſtinctiſque & inſtructis pro loci dignitate pluribus cellis, in quibus matronæ ingenuique ſtarent. Ac ne ex luſu quidem aleæ lucrum ſpernens, plus mendacio atque etiam perjurio lucrabatur. Edixit & ſtrenas ineunte anno ſe recepturum: ſtetitque in veſtibulo palatii ſui Kal. Januariis ad captandas ſtipes, quas plenis ante eum man bus ac ſinu omnis generis turba ferebat. *Suet. in eod. c. 42.*

4. *Tertium vitium fuit intemperantia in re venereâ.* Nam pudicitiæ neque ſuæ neque alienæ pepercit; pantomimos etiam dilexiſſe fertur commercio mutui ſtupri. Cum omnibus ſuis ſororibus ſtupri conſuetudinem fecit. Illuſtriores fœminas cum maritis ad cœnam vocatas, præterque pedes ſuos tranſeuntes, diligenter ac lentè, mercantium more conſideravit, etiam faciem manu allevans, ſi quæ pudore ſubmitterent. Quoties deinde libuiſſet, egreſſus triclinio, cùm maximè placitam ſevocaſſet, paulò poſt, recentibus adhuc laſciviæ notis reverſus vel laudavit palàm vel vituperavit; ſingula enumerans bona malave corporis atque concubitus. *Suet. in eod.*

5. *Utq; nihil tyrannici mali deeſſet, etiam crudelitatem exercuit.* Nam fratrem Tiberium inopinantem, repentè immiſſo tribuno militum interemit. Silanum item ſocerum ad necem, ſecundasq; novaculâ fauces compulit. Ad ſaginam ferarum noxios laniandos annotavit. Multos honeſti ordinis, deformatos prius ſtigmatum no-

tis

ctis ad metalla aut ad viarum munitiones, aut ad beſtias condemnavit, aut beſtiarum more quadrupedes caveâ coërcuit, aut medios ſerrâ disſecuit. Parentes ſupplicio filiorum ineſſe coëgit. Nec antè ſatiatus eſt, quàm membra & artus & viſcera hominis tracta per vicos atq; ante ſe congeſta vidisſet. Tragicum illud ſubinde jactavit:

Oderint, dum metuant.

Animum quoque remittenti ludoque & epulis dedito, eadem fuit dictorum factorumque ſævitia. Miles decollandi artifex quibuscunq; è cuſtodiâ capita amputabat. Ita bacchantem atque grasſantem non defuit plerisque animus adoriri. Sed unâ alterâque conſpiratione detectâ, aliis per inopiam occaſionis cunctantibus, duo conſilium communicaverunt perfeceruntque, primas aggrediendi partes Caſſio Chæreâ tribuno cohortis prætoriæ ſibi depoſcente.

ARTIC. IV.

De CLAUDIO.

1. *Claudius maximâ ætatis parte transactâ, quinquageſimo ætatis anno imperium cæpit, quamvis mirabili caſu.* Nam auditâ cæde Caligulæ, cùm ſeſe abdidisſet, latentem caſu offendens miles gregarius extraxit, & præ metu ad genua ſibi accidentem, Imperatorem ſalutavit. Poſtea lecticæ impoſitus, triſtis ac trepidus miſerante obviâ turbâ, quaſi ad pœnam raperetur inſons, in caſtra delatus fidemque militis præmio pigneratus eſt. *Suet. in eod. c. 10.*

2. *Nocuêre imperio ipſius* 1. *imprudentia & hebetudo ingenii, quæ efficiebant, ut uxoribus libertisq; addictus, non principem ſe, ſed miniſtrum ageret. Sueton. in eod. cap. 29.* Nam compendio cujusque horum, vel etiam ſtudio ac libidine, honores exercitus, impunitates, ſupplicia largitus eſt: & quidem inſciens plerumque & ignarus. Poſidem Spadonem Britannico triumpho inter viros militares haſtâ purâ donavit. Felicem Judææ prępoſuit trium reginarum maritum. Narciſſum & Pallantem decreto Senatus non præmiis modò ingentibus, ſed & quæſtoriis prætoriisque ornamentis ornari paſſus eſt. Uxorum verò prima Meſſallina multa ipſo inſcio crudelia perpetravit facinora. Poppææ perniciem feſtinavit, ſubornatis qui terrore carceris ad voluntariam mortem propellerent, adeò ignaro Cæſare, ut paucos poſt dies epulantem apud ſe maritum ejus Scipionem percontaretur, cur ſine uxore diſcubuiſſet? *11. ann. 2.* Unde natus in eum contemptus. Nam non modò cives ſed & Mesſallina ipſum vilipenderunt. Aſiaticus mori juſſus dixit, ſe honeſtius calliditate Tiberii vel impetu Caji Cæſaris periturum fuiſſe, quàm quod fraude muliebri & impudico

Vitel-

Vitellii ore caderet. *11, ann. 3.* Meſſallina verò uxor neglecto marito deperire Silium juventutis Romanæ pulcherrimum; non furtim ſed multo comitatu ventitare domum Silii, ipſi ſi prodiret in publicum adeſſe, largiri opes, honores; poſtremò, velut imperium à Claudio in Silium eſſet translatum, ſervi, liberti, paratus principis apud adulterum viſebantur. *11. ann. 12.* Secuta ſunt, quæ fabuloſa videntur, ut Silius cum Meſſallinâ uxore principis matrimonium publicè Romæ contraheret, inter convivas diſcumberet, oſcula, complexus, noctem denique licentiâ conjugali ageret: non audentibus miniſtris aulæ id prodere Claudio, reputantes hebetem eum & uxori devinctum, multasque mortes juſſu Meſſallinæ patratas. *2. ann. 28.* Nec dediſſet adultera pœnas, niſi Narciſſus mortem eidem acceleraſſet. *11. ann. 29. & ſeqq.* Dimotâ Meſſallinâ Agrippinam duxit fratris filiam, decretum prius poſtulans à Senatu, quò juſtæ inter patruos fratrumq; filias nuptiæ etiam impoſterum ſtatuerentur. Verſa ex eo civitas, & cuncta fœminæ obœdiebant, non per laſciviam, ut Meſſallina, rebus Romanis illudenti. addictum quaſi & virile ſervitium. Præ ſe enim ferebat Agrippina ſeveritatem & arrogantiam: nihil domi impudicum, niſi dominationi expediret: Inſatiabilis in eâ cupido habendi excuſabatur, quod ſine magnis opibus ſumptibusque imperium adminiſtrari non poſſet. *12. ann. 7.* Ipſa namq; non mariti honore ſed ſuo nomine & genere particeps imperii eſſe volebat. *12. ann. 37. fin.* Hujus artibus ſtupidus homo etiam perſvaſus eſt, ut Domitium filium ejus ſuum privignum adoptaret: Inſtigaverat enim Pallantem Agrippina, quem ſtupro ſibi obſtrictum reddiderat, ut ſtimularet Claudium, conſuleret Reipublicæ, Britannici filii ſui pueritiam robore circumdaret. Sic apud D. Auguſtum, quanquam nepotibus ſubnixum, viguiſſe privignos; à Tiberio, ſupra propriam ſtirpem, Germanicum adſumptum; ſe quoq; accingeret juvene, partem curarum capeſſituro. Quibus evictus biennio majorem natu Domitium filio antepoſuit. Rogataque lex, quâ Domitius in familiam Claudiam & nomen Neronis tranſiret. Nemo tunc ade[illegible] expers miſericordiæ fuit, quem non Britannici fortuna mœrore afficeret. *12. ann. 25. & 26.* Nero vigeſimo ætatis anno Conſulatum iniit, ſpectabat hunc populus decore imperatorio, Britannicum puerili habitu. *12. ann. 41.* Prodidit verò & Claudius ſuam imprudentiam ſermonibus, cùm ſæpè ita loqueretur, ut nec quis nec inter quos, quove tempore ac loco verba faceret ſcire ac cogitare exiſtimaretur. *Suet. in eod. cap. 40.*

3. *Cætera vitia, quæ imperium ipſius evertere poterant, fuerunt ſævitia & intemperantia; ſed non tanta quanta in Caligulâ.* Nam, quod

intemperantiam attinet, nunquam triclinio abſceſſit, niſi diſtentus ac madens; & ut ſtatim ſupino ac per ſomnum hianti pinna in os inderetur ad exonerandum ſtomachum. Libidinis quoque in fœminas fuit profuſiſſimæ, marium tamen omninò expers. *Suet. in eod. cap 33.* Sangvinarium ſævumq; fuiſſe indicat, quòd tormenta quæſtionum ſine dilatione exigeret & ipſe aſpiceret.

4. *Hoc autem proprium ſibi habuit vitium, quòd eſſet timidus ac diffidens.* Nam neq; convivia facilè inire auſus eſt, niſi ut ſpeculatores cum lanceis circumſtarent, militesq; vice miniſtrorum fungerentur. *Suet. cap. 35.*

5. *Nullâ in re prudentem ſe quàm in Cenſorio munere exhibuit.* Geſſit enim cenſuram diu intermiſſam non horridè. Oblatum enim adulteriis & corruptelis famoſum, nihil amplius quàm monuit, ut aut parcius ætatulæ indulgeret aut certè cautius: addiditq;: Quare enim ego ſcio, quam amicam habeas? Scilicet noverat, in hoc homine vitiis immerſo nihil aliud impetrari poſſe, quàm ut diſceret vitia occultare, ne publicè peccando ſcandalo eſſet. It. cum orantibus familiaribus dempſiſſet cuidam appoſitam notam, lituram tamen exſtituram addidit. *Suet. cap. 16.* Sic famoſos probris quonam modo Senatu depelleret anxius, mitem & recens repertam, quàm ex priſcâ ſeveritate rationem adhibuit; monendo, ſecum quisque de ſe conſultaret, peteret jus exuendi ordinis, facilem ejus rei veniam, ſe motos Senatu & excuſatos non diſtincturum: ut Judicium cenſorum ac pudor ſpontè cedentium permixti, ignominiam mollirent. Ob ea Vipſanius Conſul retulit, Patrem Senatûs appellandum eſſe Claudium, quippe promiſcuum patris patriæ cognomentum: nova in Rempubl. merita non uſitatis vocabulis honoranda. Sed ipſe cohibuit Conſulem ut nimium aſſentantem.

6. *In Jure dicendo autem plus diligentiæ & ſedulitatis quàm prudentiæ adhibuit.* Nam Jus & Conſul & extra honorem laborioſiſſimè dixit, etiam ſuis ſuorumq; diebus ſolennibus, nonnunquam antiquitus quoq; feſtis & religioſis. Sed in cognoſcendo & decernendo mirâ fuit animi varietate, modò circumſpectus & ſagax, modò inconſultus ac præceps, nonnunquam frivolus amentiq; ſimilis. *Suet. in eod. cap. 14. & 15.* Ridiculum inter alia eſt, quòd aliquando ita pronunciavit, *ſecundum eos ſe ſentire qui vera propoſuiſſent.* Simplicitas quoque & credulitas effecit, ut cauſſidicis qui his abutebantur pateſieret materia prædandi; nec quicquam publicæ mercis tam venale eſſet, quàm advocatorum perfidia: adeò ut Samius inſignis eqves Romanus quadringenties numorum millibus Suilio datis & cognitâ prævaricatio-

ricatione, ferro in domo ejus incubuerit, & Patres conſurgerent legem Cinciam flagitantes, quâ cavetur antiquitus, nequis ob cauſſam orandam pecuniam donumve accipiat. Id quod tamen contradicentibus advocatis Patres obtinere non potuerunt. *11. ann. 5. & ſeqq.*

7. *Profuit quoq; quòd Claudius ipſe Jus dixit ad potentiam Imperatorum augendam, prætorum & aliorum, qui ſibi ſolis Romæ Judicia arrogabant, minuendam: laudemq; acquiſivisſet hoc ipſo Claudius, niſi rurſus quid immiſcuisſet, quod aliquid in ipſo arguisſet imprudentiæ.* Nam D. Auguſtus apud equeſtres qui Ægypto præſiderent, lege agi, decretaque eorum perinde haberi juſſerat, ac ſi magiſtratus Romani conſtituiſſent: mox alias per provincias, & in urbe pleraque conceſſa ſunt, quæ olim à prætoribus noſcebantur. (Callida hæc fuit ratio Auguſti, prætorum circa Jdictionem potentiam imminuendi.) Claudius autem, omnem & civilem & criminalem Jdictionem in ſe trahens, omne jus non modò ipſe dixit, ſed & ſuis procuratoribus dicendi facultatem dedit (conſtituit enim & SCto cavit, parem vim rerum habendam à procuratoribus ſuis judicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet,) de quo toties ſeditione aut armis certatum in liberâ Republ. erat. Imprudentiæ opus ignominiamque afferens, quòd libertos procuratores ſuos, quos rei familiari præfecerat, ſibiq; & legibus adæquaverit. *12. ann. 60.*

8. *Agrippinæ uxoris dolis veneno extinctus, ut eò maturius in Imperio ſuccederet Nero, quem adoptaverat, & ut ipſa regimini eò magis intereſſe poſſet.* Cùm enim in magnâ curarum mole Claudius adverſâ valetudine corriperetur, refovendisque viribus Sinueſſam peteret: Agrippina ſceleris olim certa & oblatæ occaſionis propera, nec miniſtrorum egens de genere veneni conſultavit: ne repentino & præcipiti facinus proderetur; ſi lentum & tabidum dilexiſſet, ne admotus ſupremis Claudius & dolo intellecto ad amorem filii (Britannici) rediret. Exquiſitum aliquid placebat, quod turbaret mentem, & mortem differret. Sed cùm venenum à Locuſtâ ad hoc præparatum, ſolutâ alvo Claudii, debitum non ſortiretur effectum; Agrippina Xenophontem medicum adhibuit, qui tanquam niſus evomentis adjuvaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus ejus demiſiſſe creditur: haud ignarus, ſumma ſcelera incipi cum periculo, peragi cum præmio. *12. ann. 67.*

ARTIC. V.
De
NERONE.

1. *Nero callidis Agrippinæ matris ſuæ artibus adeptus eſt imperium.* Hæc namque uſa Pallante, qui Claudium perſuaderet, effecit, ut hic ſe-

intemperantiam attinet, nunquam triclinio abſceſſit, niſi diſtentus ac madens; & ut ſtatim ſupino ac per ſomnum hianti pinna in os inderetur ad exonerandum ſtomachum. Libidinis quoque in fœminas fuit profuſiſſimæ, marium tamen omninò expers. *Suet. in eod. cap. 33.* Sangvinarium ſævumq; fuiſſe indicat, quòd tormenta quæſtionum ſine dilatione exigeret & ipſe aſpiceret.

4. *Hoc autem proprium ſibi habuit vitium, quòd eſſet timidus ac diffidens.* Nam neq; convivia facilè inire auſus eſt, niſi ut ſpeculatores cum lanceis circumſtarent, militesq; vice miniſtrorum fungerentur. *Suet. cap. 35.*

5. *Nullâ in re prudentem ſe quàm in Cenſorio munere exhibuit.* Geſſit enim cenſuram diu intermiſſam non horridè. Oblatum enim adulteriis & corruptelis famoſum, nihil amplius quàm monuit, ut aut parcius ætatulæ indulgeret aut certè cautius: addiditq;: Quare enim ego ſcio, quam amicam habeas? Scilicet noverat, in hoc homine vitiis immerſo nihil aliud impetrari poſſe, quàm ut diſceret vitia occultare, ne publicè peccando ſcandalo eſſet. It. cum orantibus familiaribus dempſiſſet cuidam appoſitam notam, lituram tamen exſtituram addidit. *Suet, cap. 16.* Sic famoſos probris quonam modo Senatu depelleret anxius, mitem & recens repertam, quàm ex priſcâ ſeveritate rationem adhibuit; monendo, ſecum quisque de ſe conſultaret, peteret jus exuendi ordinis, facilem ejus rei veniam, ſe motos Senatu & excuſatos non diſtincturum: ut Judicium cenſorum ac pudor ſpontè cedentium permixti, ignominiam mollirent. Ob ea Vipſanius Conſul retulit, Patrem Senatûs appellandum eſſe Claudium, quippe promiſcuum patris patriæ cognomentum: nova in Rempubl. merita non uſitatis vocabulis honoranda. Sed ipſe cohibuit Conſulem ut nimium aſſentantem.

6. *In Jure dicendo autem plus diligentiæ & ſedulitatis quàm prudentiæ adhibuit.* Nam Jus & Conſul & extra honorem laborioſiſſimè dixit, etiam ſuis ſuorumq; diebus ſolennibus, nonnunquam antiquitus quoq; feſtis & religioſis. Sed in cognoſcendo & decernendo mirâ fuit animi varietate, modò circumſpectus & ſagax, modò inconſultus ac præceps, nonnunquam frivolus amentiq; ſimilis. *Suet. in eod. cap. 14. & 15.* Ridiculum inter alia eſt, quòd aliquando ita pronunciavit, *ſecundum eos ſe ſentire qui vera propoſuiſſent.* Simplicitas quoque & credulitas effecit, ut cauſſidicis qui his abutebantur pateſieret materia prædandi; nec quicquam publicæ mercis tam venale eſſet, quàm advocatorum perfidia: adeò ut Samius inſignis eqves Romanus quadringenties numorum millibus Suilio datis & cognitâ prævaricatio-

ricatione, ferro in domo ejus incubuerit, & Patres conſurgerent legem Cinciam flagitantes, quâ cavetur antiquitus, nequis ob cauſſam orandam pecuniam donumve accipiat. Id quod tamen contradicentibus advocatis Patres obtinere non potuerunt. *11. ann. 5. & ſeqq.*

7. *Profuit quoq; quòd Claudius ipſe Jus dixit ad potentiam Imperatorum augendam, prætorum & aliorum, qui ſibi ſolis Romæ Judicia arrogabant, minuendam: laudemq; acquiſivisſet hæc ipſo Claudius, niſi rurſus quid immiſcuiſſet, quod aliquid in ipſo arguiſſet imprudentiæ.* Nam D. Auguſtus apud equeſtres qui Ægypto præſiderent, lege agi, decretaque eorum perinde haberi juſſerat, ac ſi magiſtratus Romani conſtituiſſent: mox alias per provincias, & in urbe pleraque conceſſa ſunt, quæ olim à prætoribus noſcebantur. (Callida hæc fuit ratio Auguſti, prætorum circa Jdictionem potentiam imminuendi.) Claudius autem, omnem & civilem & criminalem Jdictionem in ſe trahens, omne jus non modò ipſe dixit, ſed & ſuis procuratoribus dicendi facultatem dedit (conſtituit enim & SCto cavit, parem vim rerum habendam à procuratoribus ſuis judicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet,) de quo toties ſeditione aut armis certatum in liberâ Republ. erat. Imprudentiæ opus ignominiamque afferens, quòd libertos procuratores ſuos, quos rei familiari præfecerat, ſibiq; & legibus adæquaverit. *12. ann. 60.*

8. *Agrippinæ uxoris dolis veneno extinctus, ut eò maturius in Imperio ſuccederet Nero, quem adoptaverat, & ut ipſa regimini eò magis intereſſe poſſet.* Cùm enim in magnâ curarum mole Claudius adverſâ valetudine corriperetur, refovendisque viribus Sinueſſam peteret: Agrippina ſceleris olim certa & oblatæ occaſionis propera, nec miniſtrorum egens de genere veneni conſultavit: ne repentino & præcipiti facinus proderetur; ſi lentum & tabidum dilexiſſet, ne admotus ſupremis Claudius & dolo intellecto ad amorem filii (Britannici) rediret. Exquiſitum aliquid placebat, quod turbaret mentem, & mortem differret. Sed cùm venenum à Locuſtâ ad hoc præparatum, ſolutâ alvo Claudii, debitum non ſortiretur effectum; Agrippina Xenophontem medicum adhibuit, qui tanquam niſus evomentis adjuvaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus ejus demiſiſſe creditur: haud ignarus, ſumma ſcelera incipi cum periculo, peragi cum præmio. *12. ann. 67.*

ARTIC. V.
DE
NERONE.

1. *Nero callidis Agrippinæ matris ſuæ artibus adeptus eſt imperium.* Hæc namque uſa Pallante, qui Claudium perſuaderet, effecit, ut hic ſe-

poſito ſuo filio Britannico Neronem adoptaret, *12. ann, 25.* Deinde inter mortem Claudii, quem veneno extingui curaverat, res firmando Neronis imperio compoſuit, dum velut dolore victa & ſolatia conquirens amplexu Britannicum teneret ac variis artibus demoraretur, ne cubiculo egrederetur; donec foribus palatii repentè diductis, comitante Burrho Nero exiret ad cohortem, quæ more militiæ excubiis aderat. Ubi monente præfecto feſtis vocibus exceptus & lecticæ inditus caſtris illatus & poſtquam donativum promiſerat, Imperator ſalutatus eſt. Sententiam militum ſecuta ſunt Patrum conſulta.

2. *Initium Imperii ejus lætum, quamdiu à Senecâ & Burrho patiebatur ſe regi.* Nam ſuaſu matris ſuperbæ ſtatim itum fuiſſet in cædes, niſi Afranius Burrhus & Annæus Seneca obviam iviſſent. Hi enim rectores Imperatoriæ juventæ & pari in ſocietate potentiæ concordes diverſâ arte ex æquo pollebant. Burrhus militaribus curis, & ſeveritate morum; Seneca præceptis eloquentiæ & comitate honeſtâ, juvantes invicem, quò facilius lubricam principis ætatem, ſi virtutem aſpernaretur, voluptatibus conceſſis retinerent. Certamen his utrisq; unum erat contra ferociam Agrippinæ. Horum ſuaſu ductuque, peractis ob mortem Claudii triſtitiæ imitamentis, Nero curiam ingreſſus, & de auctoritate patrum & conſenſu militum præfatus, conſilia & exempla capeſſendi egregiè imperii memoravit. nec juventam armis civilibus aut domeſticis diſcordiis imbutam; nulla odia, nullas injurias, nec cupidinem ultionis afferre. Tum formam futuri principatûs præſcripſit, ea maximè declinans, quorum recens flagrabat invidia. Non enim ſe negotiorum omnium judicem fore (quod Claudius fecerat) ut clauſis unam intra domum accuſatoribus & reis, paucorum potentia graſſaretur. Nihil in penatibus ſuis venale, aut ambitioni pervium. diſcretam domum & rempublicam. teneret antiqua munia Senatus. Conſulum tribunalibus Italia & publicæ (Senatoriæ) provinciæ aſſiſterent. Illi (Conſules) Patrum aditum præberent; ſe mandatis exercitibus conſulturum. Hoc Seneca utens axiomate, quod ſuprà tradidimus, eum qui imperium recens ſuſcipit non melius pro captandâ benevolentiâ ſibi conſulere poſſe, quàm ſi ſimulet fugam eorum, quibus anteceſſores in imperio ſibi odium pararunt. Ut verò dictis fides eſſet, etiam arbitrio Senatûs ſtatuere de multis rebus permiſit. Quin cùm ipſo & Antiſtio CSS. in acta principum jurarent magiſtratus; in ſua acta collegam Antiſtium jurare prohibuit: magnis Patrum laudibus, ut juvenilis animus levium quoque rerum gloriâ ſublatus majores continuaret. *13. ann. 11.* Manebat ergò quædam ſub Nerone veteris Reipublicæ imago. Prohibiti namq; à Se-

naṭu

natu ſunt tribuni, cùm inter Vibullium prætorem, & plebei tribunum Antiſtium certamen ortum eſſet, jus prætorum & Conſulum præripere, aut vocare ex Italiâ cum quibus lege agi poſſet. Addidit L. Piſo Conſul deſignatus, ne quid intra domum pro poteſtate animadverterent; neve multam ab iis dictam Quæſtores ærarii in publicas tabulas ante quatuor menſes referrent: medio temporis contradicere liceret, deque eo Conſules ſtatuerent. Cohibita arctius & Ædilium poteſtas, ſtatutumq;, quantum curules, quantum plebeji pignoris caperent vel pœnæ irrogarent. *13. ann. 28.*

3. *Turpavit imperium ejus 1. Agrippina mater ſuâ ſuperbiâ & regnandi libidine.* Hæc namque cunctis malæ dominationis cupidinibus flagrans ſpeciem libertatis Senatui conceſſam eripere nitebatur. *13. ann. 8.* Quin & legatis Armeniorum cauſſam gentis apud Neronem orantibus, aſcendere ſuggeſtum imperatoris, & præſidere ſimul parabat; niſi cæteris pavore defixis, Seneca admonuiſſet, venienti matri Nero occurreret. Ita ſpecie pietatis obviam itum dedecori. Ignominioſum enim erat tanto imperio à fœminâ regi. Adeò autem intenta imperio fuit, ut denegante eidem hoc filio; undique pecunias in ſubſidium corriperet, tribunos & centuriones comiter exciperet; nomina & virtutes nobilium, qui etiam tum ſupererant, in honore haberet, quaſi quæreret ducem & partes. Quibus motus Nero eam palatio juſſit exire, ne cœtu ſalutantium frequentaretur. *13. ann. 18.* Tradit Cluvius, referente Tacito *14. ann. 2.* Agrippinam retinendæ potentiæ eò provectam, ut medio diei, cùm id temporis Nero per vinum & epulas incaleſceret, offerret ſe ſæpius temulento comtam & inceſto paratam. Jamque laſciva oſcula, prænuntias flagitii blanditias annotantibus proximis perfectum tandem illud fuiſſe: niſi Seneca contra maternas illecebras ſubſidium ab Acte libertâ, quam imperator deperibat, petiviſſet. Igitur Nero vitare ſecretos ejus congreſſus; prægravemque & intolerabilem ratus occidere conſtituit. Idq; cùm Anicetus libertus arte clandeſtinâ ſe perfecturum promiſiſſet, navem poſſe componi docens, cujus pars ipſo in mari ſoluta per artem effunderet ignaram; placuit principi ſolertia. *14. ann. 3.* Sed cùm fractâ nave ſaucia levi ictu evaſiſſet, miſſis à Nerone percuſſoribus multis vulneribus confecta eſt. Hoc parricidio Nero matrem à ſocietate Imperii removit; antea in contemptu exhinc in maximo odio.

4. *Secundò perniciem Neroni attulit, quòd artem imperandi negligens imprudentem & vanum ſeſe exhibuerit.* Nam primus hic alienâ eloquentiâ uti coactus eſt. Dictator quippe Cæſar ſummis oratori-

bus, Hortenſio & Ciceroni, æmulus, & Auguſto prompta ac profluens, quæ deceret principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, quâ verba expenderet, tum validus ſenſibus aut conſultò ambiguus. Etiam C. Cæſaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, quoties meditata diſſereret, elegantiam requireres. Nero puerilibus ſtatim annis vividum animum in alia detorſit. Celare & pingere, cantus aut regimen equorum aurigando exercere. *13. ann. 3.* Unde prolapſus in vana fœdam exercuit libidinem & petulantiam. Namq; itinera urbis, & lupanaria & diverticula veſte ſervili in diſſimulationem ſui compoſitus pererrabat, comitantibus qui raperent ad venditionem expoſita, & obviis vulnera inferrent; adverſus ignaros adeò, ut ipſe quoque acciperet ictus, & ore præferret. Deinde ubi Cæſarem eſſe, qui graſſaretur, pernotuit, augebantur injuriæ adverſus viros fœminasq; inſignes, & quidam ſimili licentiâ, ſub nomine Neronis, inulti propriis cum globis eadem exercebant, & in modum captivitatis, quaſi expugnatâ urbe, nox agebatur. *13. ann. c. 25. Suet. in eod. c. 26.* Vetus quoque illi deſiderium erat aurigarum Circenſium more quatuor equos agitare, nec minus fœdum ſtudium citharâ hiſtrionum in modum canere cùm cœnaret. Nec tum contineri poterat; cùm Senecæ ac Burrho viſum, ne ſimul & in circo & in ſcenâ ſe proſtitueret, alterum horum concedere. Clauſumque valle Vaticanâ ſpacium, in quo equos regeret, haud promiſcuo ſpectaculo, mox ultrò vocari populus Romanus. laudibus extollere, ut eſt vulgus cupiens voluptatum, & ſi eò princeps trahat, lætum. Cæterum evulgatus pudor non ſatietatem, ut rebantur, ſed incitamentum attulit. ratusque dedecus amoliri, ſi plures fœdaſſet, nobilium familiarum poſteros, egeſtate venales in ſcenam deduxit. His non contentus in ſcenam quoque, ut citharâ cantaret, prodire conſtituit. Et quamvis Senatus propinquo jam luſtrali certamine, ut dedecus, quod ipſe ſibi parabat, averteret, offerret Imperatori victoriam cantûs, adjiceretq; facundiæ coronam, quâ ludicra deformitas velaretur; Nero tamen nihil ambitu, nec poteſtate Senatûs opus eſſe dictitans, ſe æqvum adverſus æmulos & religione Judicum meritam laudem aſſecuturum, primò carmen in ſcenâ recitat: mox flagitante vulgo, ut omnia ſtudia ſua publicaret (hæc enim verba dixêre) ingreditur theatrum, omnia ſedulò obſervans, quæ ſolebant citharœdi; ne feſſus reſideret, ne ſudorem, niſi eâ, quâ indutus erat, veſte detergeret; ne inter canendum ſpueret vel mungeret nares. Poſtremò flexo genu adorans populum & manu baſia jactans ſententias Judicum opperiebatur, ficto pavore. Et plebs quidem urbis perſonabat certis modis, plau-

plauſuque compoſito lætata, quia parum curabat publicum flagitium. Sed qui remotis è municipiis iis partibus Italiæ habitabant, quibus adhuc priſca ſeveritas vigebat; quique per longas provincias laſciviæ inexperti officio legationum, aut privatâ utilitate advenerant; afficiebantur incredibili pudore, adeò ut adſpectum haud tolerare, multò minus applaudere poſſent. (Diximus autem ſuprà ejuſmodi pudorem trahere ſubditos ad dejiciendos ab Imperio principes.) *16. ann. c. 4. & 5.* Refertur à Xiphilino, Teridaten, cùm à Nerone creatus Armeniæ rex, vidiſſet eum publicè citharâ canentem, eundem ſtatim vili pendisſe, Corbulonem contrà laudaſſe, hoc tamen in eodem reprehenſo, quòd talem dominum ferret. Singulare quoque vanitatis ſpecimen exhibuit Nero, cùm Ceſellius Basſus, origine Pœnus, mente haud integrâ, ſomnium pro vero venditans, narraret ipſi, repertum in agro ſuo ſpecum altitudine immenſâ, quo magna vis auri contineretur, non in formam pecuniæ, ſed rudi & antiquo pondere. Maſſas quadratas inſtar lapidum ibi jacere; easq; tot ſeculis abſconditas, ut præſenti felicitati inſervirent. Igitur Nero, non auctoris, non ipſius negotii fide ſatis inſpectâ, nec misſis viſoribus per quos noſceret, an vera aſſererentur (id quod imprudentium proprium ſuprà oſtendimus) auget ultrò rumorem; mittitque qui velut partam prædam adveherent. Dantur triremes & dilectum navigium juvandæ feſtinationi. Gliſcebat interim luxuria ſpe inani, conſumebanturque veteres opes, quaſi prolatis, quas multos per annos prodigeret. Quin & inde jam largiebatur. Et divitiarum expectatio inter cauſſas paupertatis publicæ erat. Sed Baſſus agnoſcens tandem ſuum errorem, & ipſe miratus, quòd tamdiu vanis ſomniis pasſus fuerit ſe decipi, pudore ſtultitiæ & metu Neronis ſeipſum interfecit. *16. ann. c. 1. 2. & 3.* Aliud quoq; ſuæ imprudentiæ teſtimonium edidit, quo oſtendit, ſe modum proſperis & adverſis lætandi dolendive ignorare. Nam natam ſibi ex Poppæâ filiam ultra mortale gaudium accepit (cùm debuiſſet attendere, natum ſibi eſſe hominem, qui mori poſſet & ob hoc lætitiæ temperare) appellavitq; Auguſtam, dato & Poppææ eodem cognomento. Mortuâ poſtea infante, ut lætitiæ ante, ita nunc mœroris immodicus egit. *15. ann. 23.*

5. *Contemptum præterea & ignominiam ipſi peperit impudicitia & in ſectandis vagis libidinibus intemperantia.* Nam abhorrens ab Octaviâ uxore nobili & probitatis ſpectatæ, quia illicita apud eum prævalebant, delapſus eſt in amorem libertæ, cui vocabulum Acte. metuebaturque ne in ſtupra fœminarum illuſtrium prorumperet, ſi illâ libidine prohiberetur. *13. ann. 12.* Mox alia fœmina haud minoris infa-

niæ

miæ majorum Reipubl. malorum initium fecit Sabina Poppæa, quæ famæ nunquam parcens maritos & adulteros non diſtinxit, nec cujusquam amori capta & ipſa indulſit. Unde utilitas oſtenderetur, illuc libidinem tranſtulit. Hanc Otho adulterio pellexerat, ut divortium à Ruſo Criſpino faceret; proſtituens poſtea ut leno eandem imperatori, quò ſibi potentiam conciliaret. Sed Imperator blanditiis fœminæ illectus Othonem ab urbe removit & Luſitaniæ præfecit. *13. ann. 45. & 46.* Mox Cornelio Syllâ, quem ſuſpectabat *13. ann. 47.* & Plauto, à quo vivente metuerat, ne ad eundem velut ex Juliâ familiâ natum populus & miles indignati deficerent, interemptis, nuptias Poppææ ob ejusmodi terrores dilatos poſito metu paravit, exturbando Octaviam velut ſterilem & adulterium ſervile ipſi objiciendo: quam etiam paulò poſt mori juſſit. *14. ann. 49. & ſeqq.* Gliſcere hinc Romæ flagitia & infamia, nec ulla à conditâ fœdior hominum corruptiorque colluvies exſtiterat. Vix enim artibus honeſtis pudor retinetur; nedum inter certamina vitiorum, pudicitia, aut modeſtia, aut quicquam boni moris reſervaretur. *14. ann. 15.* Horrendum relatu eſt quod narrat Tacitus *15. ann. 37.* de epulis in ſtagno Agrippæ præparatis. Crepidinibus (ripis) ſtagni, inquit, lupanaria adſtabant illuſtribus fœminis completa. & contrà ſcorta viſebantur nudis corporibus. Jam geſtus motusq; obſcœni. Ipſe per licita & illicita (naturales & præternaturales coitus) fœdatus, nihil flagitii reliquerat, quo corruptior ageret; niſi paucos poſt dies uni ex illo contaminatorum grege, cui nomen Pythagoræ fuit, in modum ſollennium conjugiorum denupſiſſet. Inditum Imperatori velum, quo nuptæ uti ſolebant. Miſſi auſpices duo & genialis torus, & faces nuptiales; cuncta denique ſpectata, quæ etiam in fœminâ nox operit. voces quoque & ejulatus vim patientium virginum Imperator imitatus eſt. *Suet. in eod. c. 29.*

6. *Crudelitatem quoq; maximam exercuit, quâ cuncto populo exoſus redditus eſt.* Nam fratrem Britannicum *13. ann. 15.* matrem Agrippinam, ut *n. 3. h. artic. fin.* à nobis narratum eſt, uxorem Octaviam, quod *prac. n.* dictum; Senecam denique præceptorem ſuum occidi juſſit. *15. ann. 62.* Sæviit quoque in Chriſtianos; cùm enim dolo ipſius, condendæ novæ urbis & cognomento ſuo appellandæ (Neronianam enim volebat appellari) gloriam quærens, Romam incenderet; nec ullis largitionibus aut deûm placamentis efficere poſſet, quò minus juſſum ab ipſo incendium crederetur: abolendo rumori ſubdidit reos & quæſitisſimis pœnis affecit Chriſtianos. Pereuntibus addidit ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi; atq; ubi defeciſſet dies, in uſum

noctur-

nocturni luminis urerentur. *15 ann. 44.* Secura poſtea ingens multitudo clarorum Romæ virorum, quos dum enarrat Tacitus, in hæc prorumpit verba: *16. ann. 16. Etiamſi bella externa & obitas pro Reſpubl. mortes tantâ caſuum ſimilitudine* (paritate mortium) *memorarem, meq; ipſum ſatietas cepiſſet, aliorumq; tædium expectarem, quamvis honeſtos civium exitus, triſtes tamen & continuos aſpernantium. At nunc patientia ſervilis* (quod cives Romani tam ſerviles fuerint, & patienti animo mortem juſſu ejusmodi beſtiæ obierint, nec illum potius è medio ſuſtulerint) *tantumq; ſanguinis domi perditum* & ſine utilitate Reipubl. profuſum *fatigant animum & mœſtitia reſtringunt. Neq; aliam defenſionem ab iis, quibus iſta noſcentur, exegerim, quàm ne oderim tam ſegniter pereuntes* (quòd non ex odio erga eos quid de his hìc dixerim, etiam in mortuos invehendo, propterea quod inſtar pecorum ſe mactandos ſerviliter exhibuerint) *Ira illa numinum in res Romanas fuit, quam non ut in cladibus exercituum aut captivitate urbium ſemel editam tranſire licet.* Quid ergò prodeſt latisſimum imperium, Reipublicæ non benè inſtitutæ? Vani fuêre Romani foris gloriam affectantes, domi ſervientes.

7. *Tanta tamq; immenſa libido, impudicitia, crudelitas & contemptisſima vanitas & petulantia ſine ſeditionibus & tumultibus conſiſtere haud potuit.* Facta enim Silio Nerva & Attico Veſtino CSS. conjuratio, in quam certatim nomina dederunt Senatores, eques, miles, fœminæ etiam cùm odio Neronis, tum favore erga Piſonem, quem in locum Neronis ſubſtitutum volebant. *15 ann. 48.* Omnes enarrare, qui conjurationi interfuerunt, nimis longum foret. eos tantùm commemorabimus, de quibus conſtat, quæ ipſos cauſſa impulerit. Et Lucanus Annæus, Plautiusq; Lateranus vivida odia intulêre. Lucanum incendit quòd famam carminum ejus premebat Nero, ipſe ſe volens his oſtentare; Lateranum nulla injuria, ſed amor Reipubl. ſociavit. Quinctianus molli corpore & à Nerone probroſo carmine diffamatus contumelias ultum ivit. Cæteris ſpes ex novis rebus petebatur. Præcipua conjuratorum fiducia in Fenio Ruſo præfecto prætorii videbatur, quem vitâ famâque laudatum per ſævitiam impudicitiamque Tigellinus in animo principis anteibat, fatigabatq; criminationibus, ac ſæpè in metum adduxerat, quaſi adulterum Agrippinæ, & deſiderio ejus ultioni intentum. Omnia ad interimendum Neronem præparata; mirum quàm inter diverſi generis, ordinis, ætatis, ſexûs, dites, pauperes taciturnitate omnia cohibita ſint, donec proditio cœpit è domo Scevini. Detectâ conjuratione auctoresque ſociiq; pœnis ſubjecti. Inter cæteros Subrius Flavius tribunus inter-

rogatus à Nerone, quibus cauſis ad oblivionem ſacramenti proceſſiſſet? Amaveram te, ajebat, nec quisquam tibi fidelior militũ fuit, dum amari meruiſti. odiſſe cœpi, poſtquam *parricida matris & uxoris, auriga, hiſtrio & incendiarius* exſtitiſti. *15. ann. 68.* Proximum conſtantiæ exemplum Sulpicius Aſper centurio præbuit. percontanti Neroni, cur in cædem ſuam conſpiraviſſet? breviter reſpondens: *Non aliter tot flagitiis ejus ſubveniri poſſe.* Hæc tamen ipſum à malitiâ ſuâ non abſtinebant. Jam enim nimis altas in ipſo radices vitia egerant.

8. *Talem principem paulò minus XIV. annos perpeſſus orbis, tandem deſtituit.* Nam Julius Vindex proprætor Galliarum, cùm provincia, cui præerat, multis exactionibus ad incitas propemodum reduceretur, Galbam qui Hiſpaniis præerat concitabat. Nunciatâ omnium exercituum defectione, literas prandenti ſibi redditas concerpſit, menſam ſubvertit, & ſumpto à Locuſtâ veneno in auream pyxidem condito ad claſſem præparandam Oſtiam contendit. tribunos centurionesque prætorii de fugæ ſocietate tentavit. Sed partim tergiverſantibus, partim apertè detrectantibus, uno verò etiam proclamante

Usque adeône mori miſerum eſt?

varia agitavit, Parthosne an Galbam ſupplex peteret, an atratus prodiret in publicum, proque roſtris, quantâ maximâ poſſet miſeratione veniam præteritorum precaretur: ac nî flexisſet animos, vel Ægypti præfecturam concedi ſibi oraret. Sed deterritus, ne priusquam in forum perveniret, diſcerperetur, cùm ab omnibus deſertus eſſet & comperisſet, ſe hoſtem à Senatu judicatum, & quæri ut puniatur more majorum; moxq; appropinquantes equites, quibus vivus attraheretur ſenſisſet, ferro ſemetipſum interfecit.

MEMBR. II.

DE IMPERATORIBUS QUI POST NERONEM ULTIMUM EX FAMILIA CÆSARUM IMPERARUNT, ET ROMA VEL ITALIA ORIUNDI FUERUNT.

ARTIC. I.

DE GALBA.

1. *Mortuo Nerone evulgatum arcanum imperii, poſſe principem alibi, quàm Romæ fieri. Tacit. 1. Hiſt. 4.* Nam cùm ex Cæſarum familiâ oriundi dominarentur, unius familiæ quaſi hereditas fuit populus Romanus conſenſu Patrum collata. Poſtquam verò progenies

nies Cæſarum in Nerone defecit, cœperunt milites intelligere, penes ſe poteſtatem creandi Imperatores eſſe. Quo ipſo dignitas Senatûs planè eviluit.

2. *Imperium adeptus eſt Galba nullo gradu contingens Cæſarum domum; ſed haud dubiè nobiliſſimus, magnâq; & vetere proſapia; exoſus tamen & ſpretus ob nimiam parſimoniam & ſenectutem cum nimiâ ſeveritate conjunctam.* Miles namq; urbanus longo Cæſarum ſacramento imbutus (Cæſarum enim familiam venerari & colere à tam plurimis annis didicerat) & ad deſtituendum Neronem arte magis & impulſu, (quòd alter alterum deſciſcentem ſequeretur) quàm ſuo ingenio traductus, poſtquam non dari donativum ſub nomine Galbæ promiſſum videret, pronus ad novas res, ſcelere inſuper Nymphidii Sabini præfecti imperium ſibi molientis agitatur. Et Nymphidius quidem in ipſo conatu oppresſus. Sed quamvis capite defectionis ablato, manebat plerisque militum conſcientia; nec deerant ſermones ſenium atq; avaritiam Galbæ increpantium. Laudata olim & militari famâ celebrata ſeveritas ejus metum injiciebat veterem illam diſciplinam ferre recuſantibus, atque ita XIV. annis à Nerone asſvefactis, ut haud minus vitia principum amarent, quàm olim virtutes verebantur. *1. Hiſt. 5.* Tum verò & plebi & militi ætas Galbæ irriſui & faſtidio erat aſſuetis juventæ Neronis, & Imperatores formâ ac decore corporis, (ut eſt mos vulgi) comparantibus. *1. Hiſt. 7. fin.* Huic Galbæ avaritiæ accedebat libertorum, quibus ille obnoxius erat, ſumma avaritia: hi enim cuncta venalia habebant. Servorum quoque manus avidæ, & tanquam apud ſenem feſtinantes. Eratq; adeò domus Galbæ non ſanctior ac Neronis, talis tamen cui minus condonaretur. Ita enim Tacitus *1. H. 7.* ait: *Eadem novæ aulæ mala, æquè gravia, non æquè excuſata.*

3. *Parſimoniæ nimiæ acceſſit crudelitas, quâ in principio imperii inviſum ſeſe reddiderat.* Nam cùm in itinere eſſet accepturus Romæ imperium multa millia hominum quorum in numero inauditi & indefenſi tanquam innocentes perierunt. Introitusque ejus in urbem, trucidatis tot millibus, infauſtus omine, atque ipſis etiam, qui miniſterium in occidendis iisdem præbuerant formidoloſus? Ita ſtatim initio Imperii *ingens novis rebus præbita materia, ut non in unum aliquem prono favore, ita audenti parata. Tacit. 1. H. 6.* (i. e. cùm omnes qui ſub imperio erant parati eſſent ad rebellandum, nec hactenus certum quendam haberent quem ſingulari favore præ cæteris proſequerentur & Galbæ opponerent, dabatur occaſio cuicunque ſeſe offerre) nec facilè poſtea erat Galbæ favorem ſibi recuperare. Nam *inviſo ſemel*

 prin-

principe ſeu benè ſeu malè facta premunt. (i. e. quicquid agat princeps, qui initio ſtatim principatûs incepit in odio eſſe ſemper populus id in malam partem interpretatur.)

4. *Maturavit quidem Galba, poſtquam audierat, ſuperioris Germaniæ legiones imperatorem alium flagitare, ſuum imperium adoptione Piſonis firmare; ſed ſine fructu id fecit.* Nam cauſſa motuum hac adoptione non tollebatur ſed augebatur; quia elegerat Piſonem vultu habituq; moris antiqui & de virtutibus benè judicantibus ſeverum; deterius interpretantibus triſtem & auſterum, adeoque moribus, ob quos in odio erat apud milites ſibi ſimilem: milites autem deſiderabant alterum quendam Neronem. Potuiſſet & hoc corrigi liberalitate aliquâ exiguâ: ſed cùm nullum donativum militibus daretur, per eos mœſtitia ac ſilentium cùm Piſonem in concione adoptaret, tanquam uſurpatam etiam in pace donativi neceſſitatem bello perdidiſſent. Scilicet nocuit antiqvus rigor & nimia ſeveritas, cui tunc nullus Imperator etiam fortiſſimus & qui terrori militibus eſſet amplius par eſſe poterat, nedum decrepitus ille ſenex.

5. *His atq; talibus effecit Galba, ut à milite ſentiente in ſuâ manu imperium eſſe, & propterea veterem rigorem ducum reſpuente miſerè trucidaretur.* Nam cùm Otho, de quo *ſeq. art.* dicetur, favore militum ſalutatus eſſet Imperator, Galba in foro miſerè periit; fœdè namque crura brachiaque (nam pectus loricâ tectum erat) laniavêre, pleraque vulnera, feritate & ſævitiâ trunco jam corpori adjecta. Caput per lixas caloneſque ſuffixum, laceratumque poſterâ demum die repertum, & cremato jam corpori admixtum eſt. Hunc exitum habuit Galba tribus & ſeptuaginta annis, quinque principes proſperâ fortunâ emenſus, & alieno imperio felicior quam ſuo. *1. H.49.* Major privato viſus, dum privatus fuit, & omnium conſenſu capax imperii, niſi imperaſſet.

ARTIC. III.
DE
O T H O N E.

1. *Otho naturâ & moribus ſimilis Neroni, etiam beneficio horum huic familiaris redditus æmulus eidem in amore & propriæ uxoris mœchus exiſtens ſpecie honoris in Luſitaniam remotus eſt.* Extitit namque hic à primâ adoleſcentiâ prodigus, ac procax, adeò, ut ſæpè flagris objurgaretur. Ferebatur & vagari noctibus ſolitus; atque invalidum quemque obviorum vel potulentum corripere; ac diſtento ſago impoſitum in ſublime jactare. Eratque adeò homo petulans, luxurioſus, ſævus, audax. Poſt patris mortem libertinam aulicam gratioſam,

quò

quò efficacius coleret, etiam diligere ſimulavit, quamvis anum ac penè decrepitam. Per hanc inſinuatus Neroni, facilè ſummum inter amicos locum tenuit congruentiâ morum. (Cujus ratio tradita part. 3. cùm de amicitiâ ageremus) *Suet. c. 2.* Sabinam Poppæam agentem in matrimonio Ruſi Criſpini pellexit juventâ ac luxu, & quia flagrantisſimus in amicitiâ Neronis habebatur. Nec mora quin adulterio matrimonium jungeretur. Cæſarem poſt irritamentis ad uxoris ſuæ amorem traxit; quem tamen mox rivalem non æquo tulit animo. Dejicitur ergò familiaritate ſuetâ, poſt congreſſu & comitatu; & poſtremò ne in urbe æmulatus ageret, provinciæ Luſitaniæ præficitur. unde diſtichon:

Cur Otho mentito ſit quæritis exul honore?
Uxoris mœchus cœperat eſſe ſuæ.

Hac in provinciâ usque ad civilia arma, cùm Vindex & Galba Gallias & Hiſpanias concirent, non ex priore infamiâ, ſed integrè ſanctèq; egit, procax otii & poteſtatis temperans. In hoc melior Nerone, quòd neceſſitate exigente ſibi temperare poſſet.

2. *Cùm provinciam quæſtorius per decem annos adminiſtraſſet, moderatione atq; abſtinentiâ ſingulari, tandem oblatâ ultionis occaſione conatibus Galbæ primus acceſſit, eodemq; momento ſpem imperii ipſe cepit.* Quamvis enim videretur homo mollis, munditiarum penè muliebrium, vulſo corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & annexo, ut nemo dignoſceret. *Suet. c. 12.* non tamen corpori ſimilis animus erat, ſed virilis & ad res novas ſatis audax. Et intimi libertorum ſervorumq; corruptius, quàm in privatâ domo habiti, aulam Neronis, & luxus, adulteria, matrimonia, cæterasq; regnorum libidines avido talium, ſi auderet ſua (i.e. in manu ejus poſita) oſtentantes; quieſcenti, ut aliena exprobrabant: (i.e. cæteros omnes præter Othonem indignos his bonis eſſe dicebant) Urgentibus etiã mathematicis, dum novos motus & clarum Othoni annum obſervatione ſyderum affirmant, genus hominum potentibus infidum ſperantibus fallax. *1. H. 22.* Ipſi quoq; luxuria etiam principi oneroſa inopia vix privato toleranda: In Galbam ira, in Piſonem invidia. (Quæ ipſa motuum principia eſſe ſuperius docuimus) Fingebat & metum (quò videretur habere cauſſam invadendi imperium aliquam juſti ſpeciem præ ſe ferentem) prægravem ſe Neroni fuiſſe: Luſitaniam rurſus aut alterius exſilii honorem expectandum? (Galbam & Piſonem non eâ moderatione, quâ Nero, uſuros.) Suſpectum ſemper inviſumque dominantibus qui proximus deſtinaretur (ſucceſſor imperii.) Nocuiſſe id ſibi apud ſenem

principem: magis nociturum apud juvenem ingenio trucem & longo exilio efferatum. Occidi Othonem poſſe. proin agendum audendumque, dum Galbæ auctoritas fluxa, Piſonis nondum coaluiſſet. Opportunos magnis conatibus tranſitus rerum (i. e. Rebus novis & tumultibus dum principatus oditur & transfertur dari occaſionem novi quid moliendi) nec contatione opus, ubi pernicioſior ſit quies quàm temeritas. Mortem omnibus ex naturâ æqualem, oblivione apud poſteros vel gloriâ diſtingvi. Ac ſi nocentem innocentemque idem exitus maneat: acrioris viri eſſe, merito perire. (i. e. non quieſcere & carnificibus innocentem cervicem præbere ſed dignum quid morte committere.) *1. Hiſt. 21.* Atque ita cum vellet & conciperet ſe poſſe imperium invadere, id fecit. Primùm omnium hoc egit, ut corrumperet milites: in itinere, agmine, ſtationibus vetuſtiſſimum quemque nomine vocans, ac memoriâ Neroniani comitatûs contubernales appellando, alios agnoſcere, quosdam requirere (i. e. rogare ubi eſſent) & pecuniâ aut gratiâ juvare, inſerendo ſæpe querelas & de Galbâ ambiguos ſermones quæque alia turbamenta vulgi (quibus ad ſeditionem concitatur) Labores itinerum, inopia commeatuum, duritia imperii atrocius accipiebantur, *1. Hiſt. 23.* Cùm ita tum ipſe tum etiam per alios milites blanditiis verborum & pecuniâ corrumperet: ſuſcepêre duo manipulares (ſeu gregarii milites) imperium populi R. transferendum & (quis crederet) tranſtulerunt, *1. Hiſt. 25.* Inerat enim deſiderium militibus prioris licentiæ, & ex ſeveritate Galbæ metus mutandæ militiæ. quæ tabes infecerat quoque legionarios & auxiliarios. *1. Hiſt. 26.* Adeoq; apud malos parata erat ſeditio, apud integros diſſimulatio. Tres & viginti fuêre qui Othonem imperatorem ſalutatum in caſtra primi rapuerunt. Factus ergò eſt Imperator, quòd militum pauci peſſimum hoc facinus auderent, plures vellent, omnes paterentur.

3. *Occiſis Galbâ & Piſone Senatus Othoni, hic militi adulatur, miles corrumpitur, corruptiq; arbitrio omne Romanum imperium ſubjicitur.* Tantam namque immutationem mors Galbæ peperit ut alium Senatum alium populum credidiſſes: ruere cuncti in caſtra, anteire proximos, certare cum præcurrentibus, increpare Galbam, laudare militum judicium, exoſculari Othonis manum: quantoque magis falſa erant quæ fiebant, tanto plura facere. *1. H. 45.* Has adulationes ſibi Otho ſuo erga milites ſervitio acquiſierat: cùm enim in caſtra translatus omnes palàm & reverà ſibi faventes videret milites, protendens manus, adorare vulgum, jacere oſcula, ſervum imitando, quò dominaretur. Hæc ſervilis adulatio fecit, ut omnia deinde arbitrio mi-

litum

litum agerentur. Prætorii præfectos ſibi ipſi legere; Plotium Firmium è manipularibus qvondam, tum vigilibus præpoſitum, & incolumi adhuc Galbâ partes Othonis ſecutum. Adjungitur Licinius Proculus, intimâ familiaritate Othonis, ſuſpectus, conſilia ejus foviſſe. Urbi Flavium Sabinum præfecêre, judicium Neronis ſecuti, ſub quo eandem curam obtinuerat; plerique opinantes ſe fratri ejus Veſpaſiano gratum hac in re officium facere. Secuti & motus militum nullum fermè imperium ducum agnoſcentium. De quibus *1. Hiſt. 80. & ſeqq.* it. *2. Hiſt. 24. & 26.*

4. *Decernitur Othoni poſtea tribunitia poteſtas, & nomen Auguſti, & omnes principum honores. Imperium quoq; ſimulatâ clementiâ & conciliato favore adminiſtrare aggresſus non diu geſſit ob Vitellii motus, & hujus exercitu victore exiſtente.* Nam Senatores aliis jam geſtis honoribus inſignes honoratiores reddidit, cooptando eos in collegium pontificum & augurum, & recens ab exilio reverſos nobiles adoleſcentulos avitis ac paternis ſacerdotiis in ſolatium recoluit. Redditus nonnullis Senatorius locus, qui repetundarum criminibus ſub Claudio ac Nerone ceciderant. Quoque juſtius hiſce ignoſcere videretur, ſimulavit, ac ſi non repetundarum ſed Majeſtatis damnati fuiſſent, quia lex Majeſtatis tunc adeò in odio erat, ut ſub prætextu hujus & bonæ leges tolli poſſent. *1. H. 77.* Eâdem largitione civitatum quoq; ac provinciarum animos aggresſus eſt. *1. Hiſt. 78.* Trepida tamen ſemper ſub ipſius imperio miſera civitas fuit, ſimul atrocitatem recentis ſceleris, quòd Galbam crudelitati militum commiſerat, ſimul veteres ipſius mores recolens, mox extremè miſera, cùm novo de Vitellio nuncio exterreretur; duos enim omnium mortalium impudicitiâ, ignaviâ, luxuriâ deterrimos, velut ad perdendum imperium fataliter electos, non Senatus modò ac Eqves, quîs aliqua pars & cura Reipubl. ſed vulgus quoque palàm mœrere. Nec jam recentia ſævæ pacis exempla, ſed repetitâ bellorum civilium memoriâ, captam toties ſuis exercitibus urbem, vaſtitatem Italiæ, direptiones provinciarum loquebantur. Propè everſum orbem, etiam cum de principatu inter bonos certaretur; ſed manſiſſe ſub Julio, manſiſſe Cæſare Auguſto victore Imperium; manſuram fuiſſe ſub Pompejo Brutoq; Rempubl. Nunc pro Othone an pro Vitellio in templa ituros? Utrasq; impias preces, utraq; deteſtanda vota, inter duos, quorum bello id ſolum ſcires, deteriorem fore qui vicisſet. *1. H. 50.* Superior tamen exſtitit ille, cujus ignaræ voluntates minus timebantur, quàm alterius flagrantisſimæ libidines. Addiderat enim Othoni odium Galbæ cædes

des: credebaturque hic luxu, ſævitiâ, audaciâ, Reipublicæ exitioſior; Vitellius venere & gulâ ſibi tantùm hoſtis. *2. Hiſt. 31.*

5. *Compertâ victoriâ Vitellii, quamvis copiis abundè inſtructus, maluit tamen ſuâ manu perire, quàm certando de imperio Reipubl. damnum, fidiſſimis militibus labores & mortem ipſam parare. Et ita deceſſit duobus facinoribus, altero flagitioſiſſimo* [cæde Galbæ] *altero egregio* (morte ſcil. de ſeipſo ſumptâ, ne ulterius affligeret Rempubl.) *tantundem apud poſteros merens bonæ famæ quantum malæ. 2. Hiſt. 50.*

ARTIC. III.
DE
V I T E L L I O.

1. *Othoni ſucceſſit Vitellius, cujus imperio occaſionem præbuit militum Germanorum laſcivia.* Nam cùm Julius Vindex provinciam Lugdunenſem adverſus Neronem concitans Galbamq; ad imperium vocans à Germanicis exercitibus oppreſſus eſſet: (habuerat enim exercitum militiæ inexpertum) tantos ſtatim hi ſibi ſumebant animos, ut ſimilem occaſionem quærere mallent, quàm tenui aliquo ſtipendio contenti eſſe. Hactenus namque in horridâ regione bellantes infructuoſam & aſperam toleraverant militiam, detenti præterea ſub ſeverâ diſciplinâ, quæ bellis civilibus laxior eſſe ſolet, ubi ab utraq; parte largitionibus & pravâ indulgentiâ ſollicitatur miles, & transfugia impunè fiunt. His ducebantur milites, ut vellent res novas motusque civiles: ſed & ſe validos eſſe ad hæc perficienda tunc concipiebant. Nam cùm adhuc in Germaniâ eſſent, incogniti invicem erant, & nulla, niſi inter eos, qui ejusdem cohortis erant, intercedebat amicitia; quia per partes provinciæ variè diſperſi erant: ſed bello adverſus Vindicem contracti in una caſtra experti ſunt, quid ipſi quid Galli poſſent. Poſtquam ergò & voluntas & facultas aderat, bella civilia novasque diſcordias quærebant. Aulus Vitellius in inferiorem tunc Germaniam ingreſſus, ſingulari cum curâ videbatur cuncta ibi agere: reſtituti ſuis honoribus, qui pœnæ nomine ad inferiores ordines rejecti erant; ignominiâ notati, famæ: pleraq; fiebant ſine merito captandæ tantùm benevolentiæ ergò. Quâ re laudem meruerat non legati alicujus ſed hominis ſummi faſtigii propriam. Et quamvis apud ſeveros & graves viros videretur nimis humilem & demiſſum ſe gerere: id tamen milites, quorum benevolentiam captaverat, comitatem bonitatemq; vocabant. Solent namq; homines adulantes vitia pro virtutibus interpretari. Inſtigabant ergò Vitellium Cæcina & Valens, ut capeſſeret imperium ardorem militum ſuamq; ipſi dignitatem oſtendentes. *Quatiebatur his, inquit Tacitus 1. H. 53. ſegne ingenium, ut concupiſceret magis quàm*

ſpera-

ſperaret. i.e. Vitellius ignaviſſimus homo his ſtimulis accendebatur, ut quamvis optaret cuperetque imperium, nullâ tamen ſpe ad illud conſequendum erectus eſſet. Creatus tamen â legionibus, qui à Galbâ deſciverant, Imperator. *1. H. 54.*

2. *Erat homo nullius virtutis, flexibilis in vitia.* Nam cùm alias naturâ humilis eſſet animi, ut modò dictum, adventu fratris & irrepentibus dominationis magiſtris (i. e. occupantibus animum ejus qui tyrannidem ipſum docebant) ſuperbior mox & atrocior redditus eſt. *2. Hiſt. 63.*

3. *Intemperantiſſimus gulæ venerią; deditus adeò fuit, ut Galba illum tanquam de ſolo victu perpetuo cogitantem haud metuendum eſſe exiſtimaret. Suet. cap. 7.* Epularum namque inexplebilis libido erat, quas trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpertiebat: in jentacula & prandia & cœnas, comiſſationesque (i.e. epulas poſt cœnam,) facilè omnibus ſufficiens, vomitandi conſuetudine *Suet. c. 13.* Ex totâ Italiâ, poſtquam adeptus imperium erat, irritamenta gulæ geſtabantur, ſtrepentibus ab utroque mari [ſupero & infero] itineribus, exhauſti conviviorum apparatibus principes civitatum. vaſtabantur ipſæ civitates. degenerabat â laboribus ac virtutibus miles, aſſuetudine voluptatum & contemptu ducis. *2. H. 62.* Statim enim initio, cùm tenderet in urbem indies contemptior ſegniorque reddebatur ad omnes municipiorum villarumque reſiſtebat. Aggregabantur ipſi in turpibus voluptatibus obſequentes ſcurræ, hiſtriones, aurigæ, quibus ille amicitiarum dehoneſtamentis fruendæ voluptatis gratiâ mirè gaudebat. Saginabantur milites ipſius non aliter ac gladiatores, quibus pro robore conſequendo cibus obtrudi ſolebat, quod teſtatur Tacitus *2. Hiſt. 88.* his verbis: *Singulis militibus Vitellius paratos cibos, ut gladiatoriam ſaginam, dividebat.* Poſtquam certior reddebatur, adactum in verba ejus Orientem, ipſe & exercitus non ut Romani amplius ſed planè barbarorum more in omni vivebant libidine. *2. Hiſt. 73. fin.* Miles in porticibus, delubris & urbe totâ vagus, non principia noſcere, non ſervare vigilias, neque labore firmari. per illecebras urbis, & inhoneſta dictu, corpus otio, animum libidinibus imminuebat. *2. Hiſt. 93.* Sed non fortitudinem militum tantùm Vitellius ſuâ luxuriâ; verùm & numerum imminuebat. Ut enim ærarium inops ad ſumptus, quos abſumebat luxuria, ſufficeret, amputari legionum, auxiliariorumq; numeros jubet, vetitis ſupplementis. *2. Hiſt. 69.* Atq; ita Vitellii tanta fuit luxuria, ut ſe totumq; exercitum corrumperet.

4. *Magna quoq; ejus fuit crudelitas.* Nam nobiles viros, condiſcipulos & æquales ſuos, omnibus blanditiis tantum non ad ſocie-

tatem imperii allicefactos vario genere fraudis occidit. Quendam etiam in ipſâ ſalutatione ſupplicio traditum, ſtatimq; revocatum, cunctis clementiam laudantibus, coram interfici juſſit, velle ſe, dicens, paſcere oculos. Sed & equitem Romanum proclamantem, cùm raperetur ad pœnam, Heres meus es, exhiberi teſtamenti tabulas coëgit: utq; legit coheredem ſibi libertum ejus adſcriptum, jugulari cum liberto imperavit. *Suet. c. 14.*

5. *Trepidans tamen ipſe & meticuloſus exſtitit.* ita namq; Tacitus *3. Hiſt. 58.* Vitellius *vultu, voce, lachrymis, miſericordiam elicere, largus promisſis, &, quæ natura trepidantium eſt, immodicus.* & *cap. 67. eod. Surdæ erant ad fortia conſilia Vitellio aures.*

6. *Nullâ in re prudens ridiculum contemnendumque ſe præbebat.* Ignarus namq; erat ejus quid deceret. Quam ſuam decoris ignorantiam prodidit, cùm Imperator primùm creatus ingreſſurus eſſet Urbem, inſigni equo, paludatus accinctusque, Senatum & populum ante ſe agens. Quod etiam perfeciſſet, niſi conſilio amicorum deterritus eſſet, monentium, ne urbem ut captam ingrederetur. *2. H. 89.* Maximum Pontificatum adeptus de ceremoniis publicis 15. Kal. Aug. edixit, antiquitus infauſto die, Cremerenſi Alienſiq; cladibus: id quod apud civitatem religionum obſervantisſimam funeſti ominis loco acceptum eſt: adeò omnis humani divinique Juris, pari libertorum amicorumque ſecordiâ, velut inter temulentos agebat. *2. H. 90.* Captare etiam ſtudebat plebis gratiam ſpectando cum eâdem hiſtriones & circenſes ludos velut unus ex plurimis: hæc fuiſſent popularia & grata, ſi à virtutibus profecta; ſed quia deprehendebantur ex laſciviâ fieri, cui olim adſuetus erat, vilia habebantur, & his contemnendum ſe præbebat, quibus gratum ſe exhibere nitebatur. *Tacit. eod.* Multa ſtoliditatis ſpecimina edebat movente Veſpaſiano v. g. cùm fractis apud Cremonam rebus, nuntios cladis occultaret, ſtultâ diſſimulatione remedia potius malorum, quàm mala ipſa differendo. *3. Hiſt. 54.* cùm in ſummis anguſtiis conſtitutus utilia aſpera, nec quicquam niſi jucundum & læturum auribus accipere vellet. *3. Hiſt. 56. fin.* Quibus ſuis imprudentibus factis infelicem ſui exitum ominabatur: Tacitus *eod. Concionanti (prodigioſum dictu!) tantum fœdarum volucrum ſupervolitavit, ut nube atra diem obtenderent. Acceſſit dirum omen, profugus altaribus taurus, disjecto ſacrificii apparatu, longè nec ubi feriri hoſtias mos eſt, confosſus. Sed præcipuum ipſe Vitellius oſtentum erat, ignarus militiæ, improvidus conſilii. quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus urgendo trahendove bello modus, alios rogitans, & ad omnes nuntios vultu quoq; & inceſſu trepidus, dein temulentus. poſtremò tædio caſtrorum*

rum, & auditâ defectione Miſenenſis claſſis, Romam revertit, recentiſſimum quodq; vulnus pavens, ſummi diſcriminis incurioſus. Hinc inter diſcordantes duces nihil ipſi auctoritatis, & pravâ æmulatione Valentis Cæcina Imperatoris deſertor. *2. Hiſt. 93. & cap. 101.* & deportata ab Antonio, Flavianarum copiarum duce, victoria *3. H. c. 20. & ſeqq.*

7. *Finis quoq; ejus fœdus.* Nam ubique per imprudentiam ſuam aut ſuperatus aut proditus, ſalutem ſibi & millies HS. à Flavio Sabino fratre Veſpaſiani pepigit: ſtatimque pro gradibus palatii apud frequentes milites cedere ſe imperio, quod invitus recepiſſet, profeſſus eſt. *Suet. cap. 15.* (Nemo tunc rerum humanarum adeò immemor, quem non commoveret illa facies, Romanum principem, & generis humani paulò antè dominum, relictâ fortunæ ſuæ ſede, per populum, per urbem exire de imperio.) pauca locutus: Cædere ſe pacis & Reipubl. cauſſâ: retinerent tantùm memoriam ſui, fratremq; & conjugem & innoxiam liberorum ætatem miſerarentur. Simul filium protendens, modò ſingulis, modò univerſis commendans, poſtremò fletu præpediente aſſiſtenti Conſuli exſolutum à latere pugionem velut jus necis vitæque civium reddebat. Aſpernante Conſule, reclamantibus qui in concione adſtiterant, ut in æde Concordiæ poſiturus inſignia Imperii, domumque fratris petiturus diſceſſit. *3. H. 68.* Reſciſſâ ita transactione, tandem capta eſt urbs à Flavianis. Vitellius per averſam palatii partem, Aventinum in domum uxoris ſellulâ defertur; ut ſi diem latebrâ vitaviſſet, Tarracinam ad cohortes, fratremque perfugeret. Dein mobilitate ingenii, & quæ natura pavoris eſt, cùm omnia metuenti præſentia maximè diſplicerent, in palatium regreditur, vaſtum deſertumq; : delapſis etiam infimis ſervorum aut occurſum ejus declinantibus. Terret ſolitudo & tacentes loci. tentat clauſa, inhorreſcit vacuis. feſſusq; miſero errore, & pudendâ latebrâ ſemet occultans, ab Julio Placido tribuno cohortis protrahitur: Vincto tergum pone manus, laniatâ veſte, fœdum ſpectaculum ducebatur, multis increpantibus, nullo illachrymante. deformitas exitûs miſericordiam abſtulerat. Infeſtis poſtea mucronibus coactum modò erigere os & offerre contumeliis, nunc cadentes ſtatuas ſuas, plerumque roſtra, & Galbæ occiſi locum contueri, poſtremò ad Gemonias, ubi corpus Flavii Sabini jacuerat propulêre. Ubi ingeſtis vulneribus concidit. Et vulgus eâdem pravitate inſectabatur interfectum, quâ foverat viventem. *3. Hiſt. 85.*

8. *Reverà miſera ſub hoc Imperatore fuit Civitas.* Tacitus *2. Hiſt. 95. Magna & miſera civitas eodem anno Othonem Vitelliumq; paſſa, inter Vinios, Fabios, Icelos, Aſiaticos, variâ & pudendâ ſorte agebat; donec ſucceſſêre*

ceſsêre Mucianus & Marcellus, & magis alii homines, quàm alii mores. Sic fatigata ab Imperatorum iſtorum miniſtris tandem Vitellianos Flavianosque ſub ipſis mœnibus cernebat de Imperio certantes ſangvinemque civilem profundentes, inſana & moribus planè corrupta velut ſpectaculo intereſſet. Tacitus 3. *Hiſt.* 83. *Aderat pugnantibus ſpectator populus, utq; in ludicro certamine, hos modo, rurſus illos clamore & planſu fovebat; quoties pars altera inclinaſſet, abditos in tabernis, aut ſi quam in domum perfugerant, erui jugulariq; poſtulantes parte majore prædæ potiebantur. Nam milite ad cædes & ſanguinem obverſo, ſpolia in vulgus cedebant. Sæva ac deformis urbe totâ facies, alibi prælia & vulnera, alibi balnea popinæq;. Simul & ſtrues corporum. Juxta ſcorta & ſcortis ſimiles: quantum in luxurioſo otio libidinum, quicquid in acerbiſſimâ captivitate ſcelerum: prorſus ut eandem civitatem & furere crederes & laſcivire. Conflixerant ante armati exercitus in urbe, bis L. Sullâ, ſemel Cinnâ victoribus, nec tunc minus crudelitatis. nunc inhumana ſecuritas, & ne minimô quidem temporis voluptates intermiſſæ, velut feſtis diebus id quoq; gaudium accederet, exultabant, fruebantur, nulla partium curâ, malis publicis læti.* Perditiſſima ergò fuit civitas & infeliciſſima ſub hiſce tyrannis, utpote ſuam miſeriam ignorans & non agnoſcens. add. quæ de captâ urbe plura narrat Tacitus 4. *Hiſt.* 1.

ARTIC. IV.

DE VESPASIANO.

1. *Rebellione trium principum, & cæde diu incertum & quaſi vagum imperium ſuſcepit firmavitq; tandem gens Flavia: obſcura illa quidem, ac ſine ullis majorum imaginibus: ſed tamen Reipubl. nequaquam pœnitenda, conſtet licet Domitianum cupiditatis ac ſævitiæ merito pœnas luiſſe.* Nam ipſa fata variis oſtentis jampridem Veſpaſiano ſuum favorem oſtenderant. *Suet. c.* 5. acceſſitq;, quæ inopinato & adhuc novo principi deerat, auctoritas & quaſi Majeſtas quædam ſingulari miraculo. Ex plebe Alexandrinâ quidam, oculorum tabe notus genua ejus advolvitur, remedium cœcitatis expoſcens gemitu, precabaturque principem, ut genas & oculorum orbes dignaretur reſpargere oris excremento. Alius manu æger, ut pede ac veſtigio Cæſaris calcaretur orabat. Veſpaſianus primò irridere, aſpernari: atque illis inſtantibus, modò famam vanitatis metuere, modò obſecratione ipſorum & vocibus adulantium in ſpem induci; donec cuncta fortunæ ſuæ patêre ratus, nec quicquam ultrà incredibile, læto ipſe vultu, erectâ, quæ adſtabat, multitudine juſſa exequitur. Statim converſa ad uſum manus, ac cœco reluxit dies. 4. *Hiſtor.* 81. Adeptus imperium mira-

miraculo & ipſe fuit: ſolus namq; omnium ante ſe principum in meliùs mutatus eſt. *1. Hiſt. 50. fin.* Confirmavit itaq; imperium ejus opinio, quam habebat vulgus, gratum Veſpaſianum cœleſtibus eſſe & horum favore munitum adverſus injurias hominum.

2. *Primus Flaviorum Veſpaſianus poſt devictum occiſumq; Vitellium urbem ingreſſus per totum imperium nihil habuit antiquius, quam prope afflictam nutantemq; Rempubl. ſtabilire primò deinde & ornare.* Nam milites pars victoriæ fiduciâ, qui ſub Antonio Cremonam expugnaverant, pars ignominiæ dolore ad omnem licentiam audaciamq; proceſſerant. Participibus autem victoriæ adeò nihil extra ordinem indulſit, ut etiam legitima præmia non niſi ſerò perſolverit. Deformem quoque veteribus incendiis ac ruinis urbem priſtino nitori reſtituere niſus eſt, varias areas occupare & ædificare, ſi poſſeſſores ceſſarent, cuicunq; permittendo. *Suet. cap. 8.* Libidini quoque atque luxuriæ, quæ nullo coërcente invaluerat, occurrere bonis legibus cœpit. *Suet. cap. 11.*

3. *Civilis & clemens ab initio principatûs ad exitum fuit. Suet. c. 12. fin. offenſarum inimicitiarumq; minimè memor executórve. Idem c. 14.* Vitellii enim hoſtis ſui filiam ſplendidiſſimè maritavit, dotavitque etiam & inſtruxit. Nec temerè quiſquam punitus inſons ab eodem reperitur; niſi abſente eo & ignaro, aut certè invito atque decepto. Juſtis ſuppliciis etiam illacrymavit atq; ingemuit.

4. *Duo ob vitia reprehenditur, quorum altero odium, altero contemptum ſibi parere potuiſſet, niſi inter virtutum gloriam hæc fuiſſent.* Fertur namq; fuiſſe pecuniæ cupidus: ita enim *Suet. cap. 16. Sola eſt, in quâ meritò culpetur, pecuniæ cupiditas.* Non enim contentus omiſſa ſub Galba vectigalia revocaſſe; nova & gravia addidiſſe; auxiſſe tributa provinciis nonnullis & duplicaſſe: negotiationes quoq; vel privato pudendas propalàm exercuit, coëmendo quædam tantùm ut pluris diſtraheret. Nec candidatis honores, reisve tam innoxiis quàm nocentibus abſolutiones venditare cunctatus eſt. Creditur etiam procuratorum rapaciſſimum quemque ad ampliora officia ex induſtriâ ſolitus promovere, quò locupletiores mox condemnaret: quibus quidem vulgò pro ſpongiis dicebatur uti, quòd quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes. Sed benevolentia hominum, quam cæteræ virtutes, meritaque erga Rempubl. ipſi paraverant, hæc facta ipſius in meliorem interpretabatur partem. Compulſum ad hæc dicebant ſummâ ærarii fiſcique inopiâ, de quâ teſtificatus eſſet initio ſtatim principatûs. Fuiſſe quoque eum plurimæ dicacitatis, refert *Suet. cap. 22.* & ſic ſcurrilis ac ſordidæ, ut ne obſcœnis quidem, vel

ut citatus autor loquitur, prætextatis verbis abſtineret. Quæ abjectum & vilem hominem indicantia contemptum comitem habere ſolent.

5. *Pacatam & ſine tumultibus fermè habuit Rempubl. niſi quod maturè adverſam de filio Domitiano acciperet famam, tanquam terminos ætatis & conceſſa filio egrederetur. 4. Hiſt. 51.* Erant enim hujus hominis indomitæ libidines, & pronitas ad intempeſtivos tumultus, niſi Mucianus abſente patre flagrantem juvenem retinuiſſet, ne ferociâ ætatis & pravis impulſoribus paci belloq; malè conſuleret. Creditur tamen Domitianus, occultis ad Cerialem nuntiis, fidem ejus tentaviſſe, an præſenti ſibi exercitum imperiumque traditurus foret. Sed Cerialis ſalubri temperamento illuſit, ut vana pueriliter cupientem. 4. *Hiſtor. ult.*

6. Mortuus eſt alvo repentè usque ad defectionem ſolutâ, dum conſurgeret his uſus verbis: *Imperatorem ſtantem mori oportere.*

ARTIC. V.
DE
TITO VESPASIANI FILIO.

1. *Anno P. C. N. 79. ſuccedit Veſpaſiano filius Titus nomen patris gerens, antequam ſubiret imperium alius Nero exiſtimatus.* Præter ſævitiam enim ſuſpecta in eo etiam luxuria erat, quòd ad mediam noctem comiſſationes cum profuſiſſimo quoq; familiarium extenderet. Nec minus libido propter exoletorum & ſpadonum greges, propterq; inſignem reginæ Berenices amorem, cui etiam nuptias pollicitus ferebatur. Suſpecta & rapacitas: quòd conſtabat in cognitionibus patris nundinari præmiariq; ſolitum. *Suet. cap. 7.* Nata quoque de eo ſuſpicio eſt, quaſi deſciſceret à patre, Orientisque regnum ſibi vindicare tentaſſet: expugnatâ enim anno P. C. N. 70. Hieroſolymâ in gratulatione à militibus Imperator ſalutatus & cùm abire provinciâ vellet quodammodo vi detentus erat. *Suet. cap. 5.*

2. *Sed hæc fama ei pro bono ceſſit converſaq; eſt in laudes maximas, poſtquam imperare cœpit neq; ullo vitio reperto, & contrà virtutibus ſummis.* Tantum namq; illi ad promerendam omnium voluntatem vel ingenii vel artis vel fortunæ ſuperfuit: ut amor ac deliciæ generis humani diceretur. *Suet. & Aurel. Victor in eod.* Nam ut ſubiit munus imperatorium, Berenicem nuptias ſuas ſperantem regredi domum & enervatorum greges abire præcepit. Quo facto ſtatim prodidit ſignum depoſitæ intemperantiæ. Liberalitatem excoluit ita, ut nullum hac in virtute imperatorem parem habuerit. Nam non modò nulli civium quicquam ademit, ſed ab omni alieno abſtinuit; nemine tamen

ante

ante ſe munificentiâ minor. Quin admonentibus domeſticis, quaſi plura polliceretur, quàm præſtare poſſet: non oportere, ait, quenquam à ſermone principis triſtem diſcedere. Atq; etiam recordatus quondam ſuper cœnam, quòd nihil cuiquam toto die præſtitiſset, memorabilem illam meritoq; laudatam vocem edidit: Amici diem perdidi! Suborto Romæ incendio, quod per triduum totidemq; noctes duraverat, nihil niſi ſibi periiſſe publicè teſtatus, cuncta prætoriorum ſeu villarum ſplendidè exſtructarum ornamenta operibus ac templis deſtinavit. *Suet. cap. 8.* Clementisſimum præterea ſe ſemper exhibuit. Nam delatores, qui ex licentiâ veteri ſuperfuerant, aſsiduè in foro flagellis ac fuſtibus cæſos, ac novisſimè magnâ cum ſui ignominiâ traductos per amphitheatri harenam partim haſtæ ſubjectos pro mancipiis vendi imperavit, partim in aſperrimas inſularum avetia; periturum ſe potius, quàm perditurum adjuvans. Duos patricii generis convictos in affectatione Imperii, nihil ampliùs, quàm ut deſiſterent monuit, dicens principatum fato dari. Fratrem inſidiari ſibi non deſinentem, ſed penè ex profeſſo ſollicitantem exercitus, meditantem fugam, nec occidere, nec ſeponere, ac ne in minore quidem honore habere ſuſtinuit: ſed ut à primo imperii die conſortem ſucceſſoremque teſtari perſeveravit: nonnunquam ſecreto lachrymis & precibus orans, ut tandem mutuò erga ſe animo eſſe vellet. *Suet. c. 9.*

3. Exceſſit in villâ poſt biennium quàm ſucceſſerat patri, non ſecus atq; in domeſtico luctu mœrentibus publicè cunctis. Senatus tantas mortuo egit gratias, laudesque congesſit, quantas ne vivo quidem unquam atque præſenti.

ARTIC. VI.
DE
DOMITIANO.

1. *Domitianus initio Imperii, licet ob nonnulla in contemptu fuerit, ex mixturâ tamen virtutum & felicitatis in bello ſpectabilis extitit.* Nam præterquam quòd inter initia principatûs, quotidiè ſecretum horarium ſumere ſolebat: nec quicquam amplius quàm muſcas captare, ac ſtylo præacuto configere: (ut cuidam interroganti, eſſetne quis intus cum Cæſare, non abſurdè reſponſum ſit à Vibio Criſpo, ne muſca quidem!) etiam per omne gladiatorium ſpectaculum ante pedes puerulum coccinatum ſtantem habuit, parvo portentoſoque capite, cum quo plurimum fabulatus eſt, nonnunquam ſerio. Auditus eſt certè, dum ex eo quærit, ecquid ſciret, cur ſibi viſum eſſet ordinatione proximâ Ægypto præficere Metium Rufum? Sed hæc tanquam ab atrâ bile profecta magis, quàm ab animi vitio felicitate, quam in bello habuit virtutibusq;

tibusq; quibusdam, quarum ſpecimina edidit, contecta ſunt. Nam de Cattis Dacisque poſt multas clades, quas exercitus ipſius perpeſſi ſunt, duplicem tamen triumphum egit. Bellum civile motum à L. Antonio ſuperioris Germaniæ præſide confecit abſens, felicitate mirâ: cùm ipſâ dimicationis horâ reſolutus repentè Rhenus, tranſituras ad Antonium copias Barbarorum inhibuiſſet. *Suet. cap. 6.* Sagittarum quoque tam doctus fuit, ut inter patentes digitos extentæ manûs viri procul poſiti ſpicula ejus transvolarent. Jus quoque diligenter & induſtriè dixit. Plerumque & in foro pro tribunali extra ordinem ambitioſas centumvirorum ſententias reſcidit: imitatus parentem, qui judicia centumviralia, quibus peragendis vix ſuffectum litigatorum ætas videbatur extra ordinem dijudicanda certis perſonis commiſit. Nummarios Judices, ſeu eos, qui patiebantur ſe corrumpi, aſſeſſoresque ipſorum infamiâ notavit. Magiſtratibus urbicis provinciarumque præſidibus coërcendis tantum curæ adhibuit, ut neq; modeſtiores unquam, neque juſtiores exſtiterint. è quibus plerique poſt illum rei omnium criminum deprehenſi. Cenſorio quoque munere benè functus morumque correctionem ſuſcipiens, licentiam theatralem promiſcuè in equitum cuneis ſpectandi inhibuit. Quæſtorium virum, quòd geſticulandi ſaltandique ſtudio teneretur, movit Senatu. Probroſis fœminis lecticæ uſum ademit; jusque capiendi legata hereditatesq;. A cædibus quoque abhorruit initiò diſſimulans ſævitiam. Cupiditatis quoque atque avaritiæ vix ſuſpicionem ullam aliquandiu princeps dedit: imò è diverſo magnæ ſæpè abſtinentiæ non modò, ſed etiam liberalitatis experimenta. Omnes circa ſe largiſſimè proſecutus, nihil prius aut acrius monuit, quàm ne quid ſordidè facerent. *Suet. cap. 8 & 9.*

2. *Sed à mixturâ virtutum & vitiorum tandem in vitia deflectens terribilis & inviſus redditus eſt.* Nam primò ad ſævitiam mox ad cupiditatem deſcivit. Complures quippe Senatores, & in his aliquot Conſulares leves plerumque ob cauſſas interemit. Erat autem non ſolùm magnæ, ſed & callidæ inopinatæque ſævitiæ. Actorem ſummarum pridiè quàm crucifigeret, in cubiculum vocavit: aſſidere in toro juxta coëgit, ſecurum hilaremque dimiſit, epularumque partibus dignatus eſt. Nunquam triſtiorem ſententiam ſine præfatione clementiæ pronunciavit: ut non aliud jam certius atrocis exitûs ſignum eſſet, quàm principii lenitas. *Suet. cap. 11.* In perſecutione Chriſtianorum Neroni parum ceſſit. Super ingenii naturam etiam inopiâ rapax fuit. Nam exhauſtus operum ac munerum impenſis, tentavit quidem, ad relevandos caſtrenſes ſumptus militum numerum diminuere.

nuere. Sed cùm obnoxium ſe barbaris per hoc animadverteret: neque eo ſecius in explicandis oneribus omnibus hæreret: nihil penſi habuit, quin prædaretur omnimodo. Bona vivorum & mortuorum usquequaque, quolibet & accuſatore & crimine corripiebantur: ſatis erat objici qualecunque factum dictumque adverſum Majeſtatem principis. Confiſcabantur alieniſſimæ hereditates; vel exiſtente uno, qui diceret, audiiſſe ſe ex defuncto, cùm viveret, heredem ſibi Cæſarem eſſe *Suet. cap.* 12. His vitiis acceſſit quoque ſuperbia. Nam cùm procuratorum ſuorum nomine edictalem epiſtolam, ſic cœpit: *Dominus & Deus noſter ſic fieri jubet.* Unde inſtitutum poſthac, ut ne ſcripto quidem ac ſermone cujusquam appellaretur aliter. Statuas ſibi in Capitolio nonniſi aureas & argenteas poni permiſit ac ponderis certi. Quibus omnibus aliis terror fuit ſibi ipſi verò ſummum exitium ſtruxit. *Suet. cap.* 13.

3. *Cunctis ergò exoſus tandem oppresſus eſt amicorum libertorumq́ intimorum conſpiratione, ſimul & uxoris.* Nam ad uxoris manus pueri cujusdam imprudentia pervenerat catalogus trucidendorum, quorum in numero & ipſa fuit. Quo ipſa mota ad trucidandum eum nonnullos inſtigavit. Cadaver ejus populari ſandapilâ per veſpillones exportatum, Phyllis nutrix in ſuburbano ſuo Latinâ viâ funeravit.

MEMBR. III.

DE IMPERIO ETIAM IN EXTEROS COLLATO, ACCEDENTE TAMEN SENATUS AUCTORITATE.

ARTIC. I.

DE COCCEIO NERVA.

1. *Hactenus Romæ ſeu per Italiam orti imperium rexêre: hinc advenæ; qui civiliores civibus & indigenis exſtitêre.* Unde patet, quale fuerit Romanorum immenſi ſangvinis profuſione imperium in tot populos partum, mox tyrannidi etiam externorum ſubjectum. Scil. fruſtrà poſſidetur dominium in totum orbem, ſi abſit virtus.

2. *Domitiano ergò interfecto factus Imperator Cocceius Nerva, quem ex Cretâ originem traxiſſe ferunt, qui melius imperium adminiſtravit quàm acquiſierat.* Nam quamvis operâ interfectorum Domitiani ad imperium pervenerit: æquiſſimum tamen & civiliſſimum ſe præbuit. *Eutrop. lib.* 8. & ut in privatâ vitâ moderatus ſemper fuit & ſtrenuus: ita ſeſe in imperio quoque talem exhibuit. Liberalitatem ex-

ercuit, indulgendo quicquid antea pœnæ nomine tributis acceſſerat, afflictos civitatis relevando; clementiam, dum Calpurnium Craſſum, promiſſis ingentibus animos militum pertentantem, detectum, confeſſumque Tarentum cum uxore removit, Patribus lenitatem ejus increpantibus. *Aurel. Victor.*

3. *Magnam quoq; addidit ipſi gloriam adoptio Trajani.* Nam licet non deeſſent ſangvine juncti: maluit tamen publicam utilitatem privatæ amicitiæ præferre.

4. Interiit febri corruptus ejusq; corpus à Senatu delatum in Auguſti ſepulchro ſepultum eſt. *Aurel. Victor.* Ipſe inter Divos relatus.

ARTIC. II. DE TRAJANO.

1. *Ulpius Trajanus adoptione Nervæ Imperium adeptus pacis belliq; temporibus inſignis exſtitit.* Inuſitatæ enim & civilitatis & fortitudinis fuit, inquit Eutrop. *lib. 8.* Et Aur. Victor *Epit.* cùm duo ſint, inquit, quæ ab egregiis principibus expectentur, ſanctitas domi, in armis fortitudo, utrobique prudentia: tantus in eo erat maximarum rerum modus, ut quaſi temperamento quodam miſcuiſſe videretur.

2. *Romani imperii, quod poſt Auguſtum defenſum magis fuerat, quàm nobiliter ampliatum, fines longè lateq; diffudit.* Nam urbes trans Rhenum in Germaniâ reparavit. Quinquennium bellavit cum Decebalo Dacorum rege, cui Domitianus tributa promiſerat. Eoque devicto trans Danubium provincia facta in his agris quos Taiphali & Victophali & Thervingi tunc habebant. *Eutrop. lib. 8.* Armeniam, quam occupavêre Parthi, recepit, Pharnace Syrio occiſo, qui eam tenebat. Albanis regem dedit. Iberorum regem & Sauromatarum & Bosphoranorum, & Arabum & Oſdroënorum & Colchorum in fidem accepit. Adiabenos, Marchomedos occupavit. & Anthemiſium magnam Perſidis regionem; Seleuciam & Cteſiphontem, Babylonem & Edesſios vicit, ac tenuit; usq; ad Indiæ fines & mare rubrum acceſſit atque ibi tres provincias fecit, Armeniam, Aſſyriam, Meſopotamiam. quibus adjecit Arabiam. Hac re quidem ſibi perpetuam gloriam, cæteris ignavis principibus immortale dedecus, Imperio verò Romano barbaris undiquaque concitatis haud parum periculi creavit.

3. *Quanquam verò bello tot & tantas præclaras res geſſerit, ut ſuperiorem ſe nullum Imperatorem habuerit, gloriam tamen militarem civilitate & moderatione ſuperavit.* Nam Romæ & per provincias æqualem ſe omnibus exhibens, amicos ſalutandi cauſſâ frequentans, vel

ægro-

ægrotantes, vel cùm feſtos dies habuiſſent, convivia cum iiſdem indiſcreta viciſſim habens, nullum in comitate ſibi parem admiſit. Amicis eum culpantibus, quòd nimiâ erga omnes uteretur comitate reſpondit: Talem Imperatorem ſe eſſe privatis, quales eſſe ſibi Imperatores privatus optasſet. Et ita geſſit Imperium in amicitiâ fundatum feliciſſimum.

4. *Præter comitatem etiam alias exercuit virtutes principem decentes, 1. Liberalitatem.* Nam publicè privatimque cunctos ditavit quos mediocri familiaritate cognovit. *Eutrop. lib. 8.* in ſublevandis civitatibus largus *Vict. Epit.* Fiſcum nunquam injuſtè auxit. *Eutrop. eod. 2. Juſtitiam.* Ita enim Aur. Victor *Epit.* Juſtitiæ ac Juris humani divinique tàm repertor novi quàm inveterati cuſtos. Ipſe etiam innocentiæ ſtuduit, ne quenquam injuſtè læderet, ſed ſuum cuiq; tribueret. Hinc fidens ſibi Præfectum prætorio Saburanum, cùm inſigne poteſtatis ex more, pugionem nimirum ipſi daret, monuit, dicens: *Tibi iſtum ad munimentum mei committo, ſi rectè agam: ſin aliter, in me magis, quòd moderatorem omnium vel errare minus fas ſit.* 3. *Clementiam.* Nam omni ejus ætate unus tantùm Senator damnatus eſt, per Senatum tamen ipſo ignorante. *Eutrop. lib. 8.*

5. *Quapropter maximam ſibi acquiſivit gloriam.* Nam per multos atque atroces tyrannos perdito proſtratoque ſtatu Romano, in remedium quaſi tantorum malorum divinitus credebatur datus, Deo proximus, omnibus verò principibus cæteris ſuperior habebatur. *Eutrop. lib. 8.* Hujusque memoriæ tantum delatum eſt, ut poſtea principibus in Senatu acclamarint: *Felicior Auguſto, melior Trajano!* Adeò gloria bonitatis in eo obtinuit, ut vel aſſentantibus occaſionem magnificentisſimi præſtaret exempli.

6. *Unicum tamen in eodem vitium, ebrietatis nimirum, notatur.* Et ſanè multùm hoc obeſt principum dignitati ſed & rebus agendis: multa quippe per ebrietatem pœnitenda præcipiunt. Sed & hoc Trajanus ſuâ prudentiâ molliverat, curari vetans juſſa poſt longiores epulas. *Victor de Cæſar.*

7. Profluvio tandem ventris extinctus inter Divos relatus, ſolusque omnium intra urbem ſepultus eſt.

ARTIC. III.

DE HADRIANO.

1. *Defuncto Trajano Ælius Hadrianus creatus eſt princeps; ſine aliquâ quidem voluntate Trajani, ſed operam dante Plotinâ Trajani uxore. Eutrop. lib. 8.* Nam frequens opinio fuit, Trajano id animi fuiſſe, ut

ut Neratium Priſcum, non Hadrianum, ſucceſſorem relinqueret; multis amicis in hoc conſentientibus; usque eò ut Priſco aliquando dixerit: Commendo tibi provincias; ſi quid mihi fatale contigerit. Nec defuerunt qui aſſererent, mortuo jam Trajano adſcitum Hadrianum, ſuppoſito à Plotinâ, qui pro Trajano feſſâ voce loqueretur. *Spartianus.*

2. *Meritò hunc varium & multiplicem hiſtorici nominant.* Nam ſor belli unà peritisſimum ducem ſe exhibuit armorumque & rei militaris ſcientisſimum. Idem ſeverus, lætus; comis, gravis; laſcivus, cunctator; tenax, liberalis; candidus, ſimulator; ſævus, clemens. *Spart.* Idq; quomodo contigerit circa ſingula oſtenſuri ſumus.

3. *Pacis amatorem ſe ſimulans unà prodidit invidiam ergà Trajanum.* Nam ſtatim ac creatus eſt Imperator, provincias à Trajano multo ſangvine acquiſitas reliquit, & de Aſſyriâ, Meſopotamiâ & Armeniâ revocavit exercitus, ac finem Imperii Euphratem eſſe voluit. *Eutrop. lib. 8.* Idem de Daciâ facere conatum deterruerunt amici, ne multi cives Romani barbaris traderentur: propterea quòd Trajanus victâ Daciâ, ex toto orbe Romano infinitas eò copias hominum tranſtulerat ad agros & urbes colendas. Tum Græcorum more ſeu Pompilii Numæ ceremonias, leges, gymnaſia, doctoresque curare cœpit, adeò quidem, ut etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenæum vocant, conſtitueret. *Aur. Victor de Cæſ.* Juſſit quoque nomine ſuo Salvium Julianum componere Edictum perpetuum i. e. ex prætorum edictis variis colligere optima quæque & in unum volumen redigere, quod prætores & præſides provinciarum obſervarent ſemper, quò idem Jus per totum Imperium Romanum diceretur. Ad quod ingentes commentarii JCtorum variorum ſcripti exercuerunt Tribonianum in Digeſtorum compilatione.

4. *In pace, ocio & curâ voluptatum ſe peritisſimum oſtentavit militem, tacitè facta Trajani reprehendens.* Nam, uti ſolet tranquillis rebus fieri, remisſior rus proprium Tibur ſeceſſit, permiſſâ urbe Lucio Ælio Cæſari: ipſe uti beatis locupletibus mos, palatia exſtruere, curare epulas, ſigna, tabulas pictas: poſtremò omnia ſatis anxiè proſpicere, quæ luxûs laſciviæq; eſſent. *Vict. de Cæſ.* Eodem tamen luxurioſo otio exercuit milites ipſe duriter vivens: tranſiitq; in Germaniam pacis magis quàm belli cupidus, quaſi bellum immineret, militem, ne otio torpeſceret, tolerantiæ documentis imbuens; ipſe quoq; inter manipulares vitam militarem magiſtrans; cibis etiam caſtrenſibus in propatulo utens h. e. larido, caſeo & poſcâ: exemplo Scipionis Æmiliani, & Metelli & auctoris ſui Trajani; multos præmiis, nonnullos honoribus donans, ut ferre poſſent ea quæ aſperius jubebat.

Et

Et ſic diſciplinam incuriâ ſuperiorum principum horumque blanditiis labantem, à Trajano reſtitutam ipſe in pace retinuit. Tribunos non favor militum, ſed Juſtitia commendabat. nulli vitem niſi robuſto & bonæ famæ dabat; nec tribunum niſi plenâ barbâ faciebat, aut ejus ætatis, quæ prudentiâ & annis tribunatûs robur impleret. De militum etiam ætatibus judicabat; ne quis aut minor quàm virtus poſceret, aut major, quàm pateretur humanitas, in caſtris contra morem veterem verſaretur. *Spartian.* Exemplo etiam virtutis ſuæ cæteros adhortatus, cùm etiam vicena millia pedibus armatus ambularet; veſtem humilimam frequenter acciperet, ſine auro balteum ſumeret, ſine gemmis fibulas ſtringeret, capulo vix eburneo ſpatham clauderet. Expeditionem in Britanniam inſtituit; in quâ murum per octoginta millia paſſuum duxit, qui barbaros Romanosque divideret. Idque etiam pòſt alibi & pluribus quidem in locis fecit, in quibus barbari non fluminibus, ſed limitibus dividebantur: ſtipitibus enim magnis, in modum muralis ſepis funditus jactis atque connexis barbaros ſeparare ſtuduit, ut teſtatur idem Spart. Quæ omnia arguunt in ipſo metum ſingularem barbarorum. Quem eundem confirmant quoque, quod Armeniis regem habere permiſit, cùm ſub Trajano legatum habuiſſent. à Meſopotamiis tributum non exegit, à Trajano impoſitum. Albanorum & Hiberorum reges largitionibus proſecutus eſt, cùm ad illum venire contempſiſſent. Hinc tradit Aurelius Victor *Epitom.* à regibus multis pace occultis muneribus impetratâ, jactaſſe eum palàm, plus ſe otio adeptum, quàm armis cæteros, cùm pacem pecuniâ redimens in ſummo contemptu eſſet. Quo ipſo metui prætextum quæſivit, gloriam Trajani minuere ſtuduit.

5. *Liberalitati miſcuit luxuriam.* Nam infinitam pecuniam, quæ fiſco debebatur, privatis debitoribus in urbe atque Italiâ; in provinciis verò etiam ex reliquis ingentes ſummas remiſit; ſyngraphis in foro D. Trajani, quò magis ſecuritas omnium roboraretur, incenſis. Equites quoque, quos pauperes & innocentes vidit, ſpontè ditavit; quos verò calliditate ditatos, etiam odio habuit. *Æl. Spart.* Sed unà quoque anxiè proſpexit quæ luxûs laſciviæque eſſent. *Vict. de Cæſar.* poſt cæteras namque immenſiſſimas voluptates, in honorem ſocrûs ſuæ, aromatica populo donavit. In honorem Trajani balſama & crocum per gradus theatri fluere juſſit. *Æl. Spart.* Inter alia ludicra etiam venationum cupidiſſimus exſtitit: equos & canes ſic amavit, ut eis ſepulchra conſtitueret. Opidum Adrianotheras in quodam loco, quòd illic & feliciter eſſet venatus & urſam occidiſſet aliquando,

conſtituit. Hæc prodigorum & luxurioſorum propria liberalitati immiſcuit.

6. *Pronus ad amicitiam parandam æquè ac diſſolvendam fuit.* Nam in colloquiis etiam humilimorum civilisſimus fuit: deteſtans eos, qui ſibi hanc voluptatem humanitatis, quaſi ſervantes faſtigium principis, inviderent. Convivis amicorum interfuit: ægros bis ac ter die, & nonnullos equites Romanos ac libertinos viſitavit; ſolatiis refovit, conſiliis ſublevavit. Omnia denique ad privati hominis modum fecit. Plebis cumprimis jactantisſimus amator fuit. Amicos quoque ditavit etiam non petentes. Idem tamen facilè quicquid de iis inſuſurrabatur audivit, atque ideò propè cunctos amicisſimos, quosque ſummis honoribus evexerat, poſtea ut hoſtium loco habuit. *Æl. Spart.* Curioſus quoque domûs amicorum per frumentarios occulta omnia exploravit, eorumque matrimonia adulteriis fœdavit: hac enim in re nec amicis ſervavit fidem.

7. *Peregrinationibus ſuis & magnam induſtriam nec minorem declaravit vanitatem.* Nam nec quisquam ferè principum tantum terrarum tam celeriter peragravit. Dumque hoc fecit omnes propemodum provincias percurrendo procuratores & præſides ſeverè coërcuit, oppida univerſa reſtituit & ordinibus auxit. *Spart.* ad ſpecimen enim legionum militarium fabros, perpendiculatores, architectos, genusque cunctum exſtruendorum mœnium ſeu decorandorum in cohortes centuriaverat. *Aurel. Vict. in Epit.* Contrà videbatur hiſce vanitatem ſuam tegere; nec enim amore imperii, ſed cupidine omnia, quæ legerat de locis orbis terrarum, inſpiciendi tot tantasque peregrinationes ſuſcepit.

8. *Doctorum virorum & amator & irriſor exſtitit.* Poëmatum namque & literarum omnium ſtudioſisſimus fuit, arithmeticæ, geometriæ, picturæ peritiſſimus. præditus quippe ſingulari memoriâ, libros lectos ſtatim memoriter reddidit. Hinc græcis literis impenſiùs eruditus à plerisque græculus appellatus eſt. Profeſſores tamen omnium artium riſit, contempſit, obtrivit tanquam doctior & ſimul præmiis condecoravit. Et qvum ipſe auctor eſſet, ut nulli ab eo triſtes recederent; dixit, ſe graviter ferre, ſi quem triſtem videret.

9. *Arrogantem quoq; ſe & unà modeſtum exhibuit.* Nam cùm opera ubique infinita feciſſet, nunquam ipſe, niſi in Trajani patris templo nomen ſuum ſcripſit, ſingularis cum modeſtiæ laude: multas tamen civitates Hadrianopolas vocavit prodendo quandam arrogantiam.

10. *Magiſtratuum Judicumq; officiis functus ita, ut videretur non*

nam-

nunquam ex petulantiâ eadem affectaſſe. Nam Pontificis maximi officio functus ſacra Romana diligentisſimè curavit. Cauſſas Romæ atque in provinciis frequenter audivit, adhibitis conſilio ſuo conſulibus, prætoribus & optimis Senatoribus; it. JCtis, Julio Celſo, Salvo Juliano, Neratio Priſco. Sed ſine cauſſâ per varia oppida provinciasque magiſtratuum officiis functus quoque eſt. In Etruriâ præturam Imperator egit. Per latina oppida Dictator & ædilis & duumvir fuit, apud Neapolin demarchus; in patriâ ſuâ quinquennalis; & item Hadriæ quinquennalis quaſi in alienâ patriâ; & Athenis archon. *Spart.*

11. *Joca ejus licet plurima exſtent, jucundus tamen his æquè & moleſtus fuit.* Nam acerrimus ad laceſſendum pariter & reſpondendum ſeriis, joco, maledictis fuit: referre carmen carmini, dictum dicto prorſus ut meditatum crederes adverſus omnia. Floro poetæ ſcribenti ad ſe

Ego nolo Cæſar eſſe
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

reſpondit:

Ego nolo Florus eſſe,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas
Culices pati rotundos.

Hujus uxor Sabina, dum prope ſervilibus injuriis accipitur, ad mortem voluntariam compulſa eſt, & antequam moreretur, palàm jactavit, quàm immane ingenium pertuliſſet; & elaboraſſe, ne ex eo ad humani generis perniciem gravida redderetur. *Spart. & Victor.*

12. *Senatui exhibuit ſe faventem clementemq; & unà crudelem.* Nam initio ſtatim Imperii cùm ad Senatum ſcriberet, veniam petiit, quòd de Imperio ſuo Judicium Senatui non dediſſet; ſalutatus ſcil. præpropere à militibus Imperator, quod eſſe Respubl. ſine Imperatore non poſſet. Senatoribus, qui non vitio ſuo decoxerant, patrimonium pro liberorum modo Senatoriæ profesſionis explevit. Senatusque faſtigium ſemper extulit, exſecratus principes, qui minus Senatoribus detuliſſent. Contrà quatuor Conſularium occiſorum invidiâ premebatur, naturâ crudelis. quod tamen naturæ vitium eò repreſſit, donec in villâ Tiburtinâ profluvio ſangvinis penè ad exitum venit. quo tempore multi vel apertè vel per inſidias interfecti ſunt. Quapropter & mortuus eſt omnibus, cumprimis autem Senatui inviſus. Patres namque ne ſucceſſoris quidem oratu ad Divi honorem eidem

deferent-

deferendum flectebantur; tantùm amiſsos ſui ordinis tot viros mœrebant.

13. Antequam moreretur, adoptavit Cejonium Commodum Verum; eumque Ælium Verum Cæſarem appellavit. Quem cùm minus ſanum videret, ſæpiſſimè dictavit; in caducum parietem nos inclinavimus, & perdidimus quatermillies ſeſtertiûm, quod populo & militibus pro adoptione Commodi dedimus. Hoc verò mortuo cùm ipſe animo parum valeret, idcircoque deſpectui haberetur, ad creandum Cæſarem Patres convocavit. Quibus properè accurrentibus, fortè Antoninum conſpexit ſenis ſoceri aut genitoris anxios greſſus levantem manu, quo mirè oblectatus adoptatum legibus Cæſarem eſſe juſſit. Quam ob cauſſam etiam Pius fertur nominatus Antoninus.

ARTIC. IV.
DE
ANTONINO PIO.

1. *Antoninus Pius cognomento à pietate dictus, Galliâ oriundus transalpinâ, formâ conſpicuus, ingenio clarus, ſingulari eloquentiâ, & nitidâ literaturâ artis imperandi gnarus ſucceſsit Hadriano adoptatus ab eodem.* Nam conditionem imperantium Coccejo Nervâ imperium ſuſcipiente longè antea expreſſerat: cùm enim hic in curiâ gratulationibus exciperetur; Antoninus hunc amplexus dixit, ſe gratulari Senatui & populo provinciiſque; ipſi autem nequaquam, cui ſatius fuerit, malos ſemper principes eludere, quàm tanti oneris vim ſuſtinentem non moleſtiis modò & periculis ſubjici; ſed famæ etiam inimicorum pariter & amicorum; qui cùm mereri omnia præſumant, ſi quicquam non extorſerint, atrociores ipſis hoſtibus exiſtant. Rationem cognominis *praeced. artic. num. ult.* reddidimus, præter quam & aliæ afferuntur, nim. quòd eos, quos Hadrianus per malam valetudinem occîdi juſſerat ſervavit. it. quòd ſingulari erga Hadrianum patrem pietate non modò quoad vixit, ſed etiam poſt mortem ejus uſus fuerit. *Jul. Capitol.* Adoptionis lex ab Hadriano hujuſmodi data fuerat; ut quemadmodum Antoninus ab Hadriano eſſet adoptatus: ita ſibi ille adoptaret Marcum Antoninum, fratris uxoris ſuæ filium, & Lucium Verum Ælii Veri filium.

2. *Spectabilis fuit hic Imperator 1, temperantiâ.* Victus namque ipſius talis fuit, ut eſſet opulentia ſine reprehenſione, parſimonia ſine ſordibus & menſa ejus per proprios ſervos, proprios aucupes, piſcatores & venatores inſtrueretur, nec ipſe quicquam de vitæ privatæ qualitate mutaſſe videretur. Ebrietati autem deditus nunquam fuit. 2. *Liberalitate & Magnificentiâ.* Largus namque fuit & alieni abſtinens, ſem-

ſemper tribuens cum menſurâ & ſine jactantiâ. Opera verò ejus multa exſtitêre cùm Romæ tum in municipiis, quibus ſuam oſtentavit magnificentiam. 3. *Clementiâ.* Abſtinuit namq; à civili ſanguine, extinctis quadruplatoribus. nullæ ſub ipſo bonorum publicationes: unus tantùm ipſo imperante, & quidem Senatu pœnam decernente, proſcriptus eſt Atillus Tatianus affectatæ tyrannidis reus. Cùm Patres inſtarent, ut eos, qui conjurationem fecerant, perſequeretur, compreſſit quæſtionem, præfatus, *Neceſſe non eſſe ſceleris in ſemetipſum cupidos pertinacius indagari: ne ſi plures reperirentur, quantis odio eſſet intelligeretur.* A crudelitate adeò fuit alienus, ut & ſeditiones ſolâ gravitate & modeſtiâ comprimeret. 4. *Diligentiâ & ſingulari curâ in adminiſtratione imperii.* Tantâ namq; diligentiâ ſubjectos ſibi populos rexit, ut omnia, quaſi ſua eſſent, curaret. Priusquam ſalutandus prodiret, deguſtans panis aliquantulum, ne frigeſcente circum præcordia per jejunium ſanguine, viribus exeſis, interciperetur, eoq; actuum publicorum laboribus minimè ſufficeret. *Jul. Capit. & Aur. Vict. epiſt.* miniſtris nihil adminiſtrandum reliquit, nihilq; per internuncios egit. unde nec quicquam venale fuit. Præfectos præmiis pœnisq; in officio continuit, bonos locupletando & honoribus mactando; improbos repetundarum damnando, liberis tamen bona relinquens paterna, eâ lege, ut illi provincialibus redderent quod parentes injuſtè retinuerant. Salaria multis in Republ. ſubtraxit, quos otioſos videbat accipere; dicens, Nihil eſſe ſordidius, imò crudelius, quàm ſi Rempubl. is arroderet, qui nihil in eam ſuo labore conferret. *Capitol.* 5. *Benevolentiâ erga Senatum.* Nam Senatui tantum detulit, quantum, cùm Senator eſſet, deferri ſibi ab alio principe optavit. Pater Patriæ ob id appellatus. 6. *Cultu Juſtitiæ.* Multa namque de jure ſanxit, uſus Juriſperitis Vinidio Vero, Salvio Valente, Voluſio Metiano, Ulpio Marcello & Jaboleno. *Jul Capitol.*

3. *Bella non niſi per legatos geſſit, nec tamen apud exteros in contemptu fuit.* Nam in agris ſuis vixit potiùs quàm in expeditionibus, uſus Scipionis dicterio: malle ſe unum civem ſervare, quàm mille hoſtes occidere. fertur tamen nihilominus tantum auctoritatis apud exteras gentes habuiſſe, quantum alius nullus in pace, adeò trementibus & amantibus eum cunctis regibus, nationibusq; & populis, ut parentem ſeu patronum magis, quàm dominum Imperatoremve, reputarent, omnesq; uno ore propitium ſibi optantes, de controverſiis inter ſe judicem poſcerent. *Vict. epit. Eutrop. lib. 8.*

4. Mortuus eſt, cùm prius Marco Antonino Rempublicam & filiam præſentibus præfectis commendaſſet. A Senatu Divus eſt appella-

 pella-

pellatus; cunctis certatim adnitentibus: cùm omnes ejus pietatem, clementiam, ingenium, ſanctimoniam, laudarent.

ARTIC. V.

DE

MARCO AURELIO ANTONINO.

1. *Marcus Antoninus Philoſophus divinitus quaſi Romanis datus videbatur ut miſeriæ Reipubl. ſuâ philoſophiâ ſuccurreret.* Nam niſi ad illa tempora natus fuiſſet, totus ſtatus Romanus corruiſſet. Quippe ab armis nusquam quies erat: perque omnem Orientem, Illyrium, Italiam, Galliamq; bella fervebant. *Vict. epit.* Hic verò ſortitus à teneris optimos præceptores (quos Julius Capitol. magno numero enarrat) tanto ſtudii flagravit amore, ut hoc ipſo ſerius graviſq; redditus ab omnibus cæteris, quibus indulgent homines abductus ad labores & quaslibet moleſtias ferendas præparabatur. *Jul. Capit.* Neq; enim cognitione tantum ſed & moribus philoſophus erat. *Eutrop. lib. 8.* ut meritò in ore potuerit ferre illud Platonis: *florere civitates, ſi aut philoſophi imperent, aut imperatores philoſophentur. Jul. Capit.*

2. *Hoc imperante cœpit primùm Romana Respubl. duos habere Auguſtos.* Nam cùm poſt exceſſum Antonini à Senatu coactus eſſet regimen publicum capere; fratrem ſibi participem in Imperio deſignavit Lucium Verum: ex quo cœperunt pariter Rempubl. regere: cùm eatenus ſingulos ſemper habuiſſet Auguſtos. *Eutrop. l. 8.*

3. *Imminentibus ergò bellis ad Parthicum gerendum, conſenſu Senatûs miſit fratrem; ad cætera alios legatos; ipſe verò Romæ remanſit.* Cauſſa, quare miſerit fratrem ad gerendum bellum, hæc videtur fuiſſe. Nam Verus immerſus voluptatibus & deliciis exercendus erat in bellis, ut moleſtiis ferendis adſuefieret, dunioremque colere vitam. Sed conſilio hoc ſatis prudenter ſuſcepto nihil profecit. Verus namq; poſtq. in Syriam venit bellum legatis gerendum comiſit: ipſe verò voluptates corporis perſequi perſeveravit. *Jul. Capit. in Vero.* Hæc fratris ſui vitia & celavit & defendit, licet vehementisſimè diſplicerent.

4. *Compoſito per legatos Oriente, ad bellum Germanicum, Victovalis & Marcomannis cuncta turbantibus, cum fratre profectus, mortuo hoc maximâ cum ſui gloriâ illud perfecit.* Nam poſt obitum fratris ſolus Rempubl. tenuit, multò melior & feracior ad virtutes: quippe qui nullis Veri jam impediretur aut ſimulatis callidæ ſeveritatis (quo ille ingenito vitio laborabat) erroribus aut mentis pravæ inſtitutis. Magnâ ergò tum virtute tum felicitate bellum perfecit tantum, quantum nullâ tunc hominum memoriâ fuit: adeò ut Punicis collatum ſit: hoc enim durante, peſtilentiâ Romæ, per Italiam ac provincias maxima hominum

minum pars, militumq; omnes ferè copiæ perierant. Cum Marcomannis autem Quadi, Vandali, Sarmatæ, Suevi atque omnis Barbaria commoverat. *Eutrop. Epit.*

5. *Incredibilem ſibi apud omnes, qui ſub Orbe Romano erant & prudentiâ & fortitudine & liberalitate, favorem hoc ipſo bello Germanico ſibi paravit.* Nam exhauſto ærario cùm nervi bellorum deficerent, neque Italiæ neque cæteris provinciis tributa indicere, ſed in foro D. Trajani auctionem ornamentorum Imperialium facere. Distracta tunc ſunt aurea pocula & cryſtallina & myrrhina; vaſa regia, veſtes uxoriæ ſericæ & auratæ, gemmæ & alia precioſa, ſigna nimirum cum tabulis magnorum artificum. Poſt victoriam verò ſuâ prudentiâ & virtute bellicâ partam, quâ Rempubl. à barbarorum invaſione liberaverat, precia emptoribus reſtituit iis, quibus empta reddere placuit, nulli qui ſemel empta retinere maluerat, moleſtus. Prudentisſimum ſe exhibuit in gerendis bellis non modò ſed & civilibus conſilia aliorum audiendo: *Æquius enim eſt*, ajebat, *ut ego tot & talium amicorum conſilium ſequar; quam ut tot & tales amici meam unius voluntatem ſequantur. Jul. Capit.* Prudentis namque eſt multorum conſilia audire.

6. *Nec defuêre ipſi cætera quibus optimi principes benevolentiam ſubditorum ſibi parare ſolent.* Auctoritatem namque Senatûs auxit prætoriis & conſularibus viris delegando negotia decidenda; arcendo equites à causſis capitalibus Senatorum dijudicandis; comparendo in Senatu in Comitiis, nec recedendo de Curiâ, niſi Conſul dixiſſet: *Nihil vos moramur Patres conſcripti.* Senatum quinetiam appellationibus à Conſule factis Judicem dedit. 2. Juſtitiam & ipſe coluit varias leges & inſtituta ſalutaria introducendo: diebus enim faſtis plures judiciarios addidit, ita, ut 230. dies annui rebus agendis litibusq; diſceptandis eſſent. Prætorem quoque tutelarem primus fecit; cùm antè tutores à Conſulibus poſcerentur; quò plus diligentiæ in eligendis tutoribus adhiberetur. De Curatoribus verò, cùm antè non niſi ex L. Lætoriâ vel propter laſciviam vel propter dementiam darentur; ita ſtatuit, ut omnes adulti curatores acciperent, non redditis causſis. *Jul. Capit.* Uſus autem eſt Scævolâ præcipuè JCto. In criminibus puniendis moderatisſimus fuit, ſolitusque omnia crimina minoribus ſuppliciis, quàm Legibus dictata eſſent, punire; contra manifeſtos & gravium criminum reos inexorabilis exiſtens. Capitales causſas hominum honeſtorum ipſe cognovit, & quidem ſummâ æquitate; ita, ut prætorem reprehenderet, qui citò reorum causſas audierat; juberetque illum iterum cognoſcere: dignitatis eorum interesse

eſſe dicens, ut ab eo audirentur qui pro populo judicaret. 3. *Claros viros fovit*: permiſit enim hiſce, ut eodem cultu, quo & ipſe, vel miniſteriis ſimilibus convivia exhiberent. *Jul. Capit. Victor. & Eutropi* 4. *Clementem ſe ſemper exhibuit*. Nam Avidio Caſſio rato invalidum vel extinctum Imperatorem Marcum & Orientem in ſuas partes propterea trahente, ignovit ſtatim civitatibus quæ Avidio conſenſerant. Nec exultavit Caſſii interfectione, caputque ejus ſibi allatum humari juſſit. In conſcios defectionis vetuit Senatum graviter vindicare. ſimul petiit, ne quis Senator tempore principatûs ſui occideretur; ne eius pollueretur Imperium. *Capitol.* Ante tempus quoque mortis, priusquam ad bellum Marcomannicum rediret, in Capitolio juravit, nullum Senatorem ſe ſciente occiſum, cùm rebelliones dixerit, ſe ſervaturum fuiſſe, ſi ſciſſet.

7. *Nullam ob rem videbatur reprehenſione dignus, quàm quòd cognatis & domeſticis nimium indulgeret.* Nam cuncta in omnes propinquos, etiam indignos contulit ornamenta. Filio Commodo, homini ſceleſto atque impuro citò nomen Cæſaris, mox ſacerdotium, vocabulum Imperatoris, triumphi participationem & Conſulatum dedit. Adulteros uxoris non modò toleravit, ſed etiam honoribus auxit, nim. Tertullum, Utilium, Orphitum & Moderatum. Tertullum etiam prandentem cum uxore deprehendit, de quo mimus in ſcenâ præſente Antonino dixit, cum ſtupidus nomen adulteri uxoris à ſervo quæreret, & ille ter diceret Tullus, alter verò ſimulans ſtupiditatem adhuc quæreret; reſpondit tandem, jam dixi ter, Tullus dicitur. Hac patientiâ mariti ita abuſa eſt uxor, ut ſedens in amœnis litorum Campaniæ diligeret ex nauticis, qui plerumque nudi agebant, flagitiis aptisſimos. *Jul. Capit. & Victor de Cæſar.* Fato ergò eorum, qui liberalia colunt ſtudia, uſus hic Imperator ex filio & uxore infelix exſtitit, cætera ſummè beatus deprædicatus.

8. *Deceſſit octavo decimo anno Imperii, vitæ ſexageſimo primo inſignis famâ & gloriâ.* Parum enim fuit, quòd illi honores divinos omnis ætas, omnis ſexus omnisq; Ordo dederat, niſi quòd etiam ſacrilegus judicatus eſt, qui ejus imaginem in ſuâ domo non coleret, modò per facultates habere poſſet. Nam quod de Romulo ægrè creditum eſt, omnes pari ſenſu præſumpſerunt, Marcum cœlo receptum eſſe. *Vict. Epit.*

ARTIC. VI.
DE
COMMODO ANTONINO.

1. *Marco Aurelio ſucceſſit Commodus filius planè degener; qui* pra-

propterea per adulterium ex gladiatore conceptus credebatur. Cùm enim aliàs parum roboris haberet; ad munera gladiatoria ſatis validus deprehenſus eſt: multa namque millia ferarum ſuâ manu occidit, *Ælius Lamprid. in ejus vitâ.*

2. *Fuit hic Commodus homo vitiis fermè omnibus inquinatus, nimi. Impius.* Nam & Deorum templa polluit ſtupris & cædibus. *Æl. Lamprid. Crudelis.* Nam puer duodecim annorum, cùm tepidius paulò lotus eſſet, balneatorem in fornacem conjici juſſit. *Id.* Imperatori facto ſæviendi occaſio data, cùm ſoror ipſius Lucilla cum nobili adoleſcente, cui Quadrato nomen, de eo trucidando conſilium ſuſcepiſſet, ab hoc eodem proditum: ſtolidus namque cùm pugionem nudaſſet, non ſtatim occidit, ſed hæc ad Imperatorem locutus eſt verba: Hunc tibi ſenatus mittit. Quapropter non modò in hunc ſed & in ſororem Senatumq; ſæviit. ferturq; ſororem prius compreſſiſſe quàm occideret. Senatores, qui juſſu ipſius perierunt, nimis longum foret hîc enarrare. Quin cùm illi ſæpè pugnanti, ut Deo, populus faviſſet, irriſum ſe credens, populum Romanum à militibus claſſiariis, qui vela ducebant, in amphitheatro interimi præceperat. Urbem quoque incendi juſſerat, utpote coloniam ſuam (ita enim vocaverat) Idque factum fuiſſet, niſi Lætus præfectus prætorio ipſum detinuiſſet. *Æl. Lampr. Libidinoſus.* Nam nec irruentium in ſe juvenum caruit infamiâ, omni parte corporis atque ore in ſexum utrumq; pollutus. nec ab inceſtu abſtinuerat. *Luxuriæ adſuetus & hinc avarus.* Nunquam enim pudori ſumptuique pepercit. In domo ſuâ aleam exercuit: mulieres elegantioris formæ ut proſtibula ad ludibrium pudicitiæ contraxit. Cùm aliquando indigeret pecuniâ ſimulavit iter in Africam, exegitque viaticum, quod poſtea in convivia & aleam impendit. Cuncta quoque venalia habuit, remiſſiones pœnarum, adminiſtrationes provinciarum, cædes in gratiam aliorum perpetrandas & ſimilia. *Æl. Lampr. Ignavus.* Nam bellum, quod pater ipſius penè confecerat, legibus hoſtium ſe ſubjiciens remiſit, & ita, redemptâ pace, cum magnâ ſui ignominiâ rediit Romam triumphatusq; eſt, quaſi rebus præclarè geſtis. *Xiphil. Sordidus.* Fertur namque precioſiſſimis cibis humana ſtercora miſcuiſſe. *Negligens publicorum* Moleſtiâ enim affectus ex ſubſcriptione libellorum permiſit, ut omnia per alios ſubſcriberentur, quorum avaritiâ tota Reſpubl. in maximâ frumenti copiâ maximâ inopiâ occœpit laborare. Unde iterum nactus occaſionem ſæviendi alios occidit alios proſcripſit. *Ludicris inhærens & flagitioſis hominibus cuncta regenda committens.* Nam à teneris operam dederat ludicris & libidinoſis rebus, calices fingebat, ſaltabat,

ſtabat, cantabat, ſcurram & in amphitheatro dimicans gladiatorem ſe exhibebat, aurigæ habitu currus regebat, & in ſummâ talia agebat, ut probris magis, quàm ei loco, ad quem fortuna provexit, eum natum crederes. *Æl. Lampr.* Quapropter flagitioſiſsimis hominibus committens imperium, ipſe ludicris vacabat rebus & voluptatibus corporis. Hoc pacto Perennis præfectus prætorio omnem ſibi poteſtatem arrogavit, vitâ bonis innocentes exuens: cui, quòd inſidias ſtruxiſſet vitæ imperatoris, occiſo Cleander ſubſtitutus eſt. Hic pro ſervo Romæ venundatus, inde libertus in aulam receptus & poſtea cubicularius factus Imperatoris ejus pellicem duxit: hisque gradibus aſcendit ad hanc dignitatem ſummam, quam Perenni mortuo obtinuit Præfectus prætorio ſalutatus, omneque Imperium omnesq; dignitates venales habuit, fertur viginti quinq; conſules in unum annum deſignaſſe. *Dio lib. 72.* effecit hic quoque ſuâ avaritiâ detinendo frumentum coëmptum, ut populus Romanus fame affligeretur: ob quod à populo ad necem poſtulatus eſt; & quamvis populus à militibus reprimeretur, reſtitit tamen; unde Commodus ſibi metuens Cleandrum occidi juſſit ejusque liberos. *Herodianus. Stolidè quoq; ſuperbus fuit, adulatoribus vitium hoc in eo augentibus.* Nam ad Senatum ſcribens uſus eſt hoc titulo: Imperator Cæſar Lucius, Ælius, Aurelius, Commodus, Antoninus, Auguſtus, Pius, Felix, Sarmaticus, Germanicus, Maximus, Britannicus, Pacator orbis terrarum invictus, Romanus, Hercules, Pontifex Maximus, Tribunitiæ poteſtatis XVIII. Imperator VIII. Conſul VII. Pater Patriæ &c. Herculem namque ſe dicebat & ludis editis manu dextrâ clavam geſtabat; ſiniſtrâ, cruentum gladium, occidens quos ridentes vidiſſet. *Dio.* Pii cognomen à Senatu ſerviliter adulante adeptus eſt, cùm adulterum Fauſtinæ matris ſuæ conſulem creaſſet; qui ipſe, cùm Imperator retuliſſet de Româ Commodianâ dicendâ ſe quoque Commodianum nominavit, Commodum Herculem & Deum: unde & ſtatuæ Herculis habitu eidem erectæ, & ut Deo immolatum eſt. Menſes quoque in honorem ejus, Auguſtus Commodus, September Hercules, October Invictus, November Exſuperator, December Amazonius (à concubinâ Marciâ quam amazonico habitu deperibat) dicti ſunt.

3. *Hæc beſtia, quamvis ſalutare fuiſſet eam ante imperium mori, vixit tamen in imperio ultra duodecim annos: donec Lætus præfectus prætorio & Marcia concubina ei venenum propinarent, & hoc non operante à Narciſſo laqueo ſuffocaretur.* Admiratione tamen dignum, hoc vivente per legatos tumultus nonnullarum gentium repreſsos eſſe.

ART.

ARTIC. VII.
DE
P. HELVIO PERTINACE.

1. *Helvius Pertinax humili loco natus ad faſtigium Imperatorium pervenit ope Læti, qui Commodum veneno extinxerat.* Natus namque eſt patre libertino Helvio Succeſſo, qui vitam vendendis lignis aridis ſeu *αὐάπνοις* toleraverat: adultus docuit grammaticen, ſecutus militiam poſtea, cùm videret ex grammaticâ quæſtum exiguum parari, tantâ fortunâ uſus eſt, ut tandem præfectus urbi eſſet creatus: quam præfecturam imperante Commodo geſſit. Conſcientiam interficiendi Commodi haud fugiens à Læto præfecto prætorio & Electo Commodi cubiculario Commodo interfecto Imperator dictus eſt & in caſtra deductus: illic profeſſus ſibi à Læto & Electo ingeſtum Imperium militi donativum promiſit; à paucis tamen primùm Imperator ſalutatus eſt, cùm jam eſſet ſexagenario major. *Jul. Capitol.*

2. *Parcus fuit & avarus, blandusq; magis quàm beneficus.* Nam civilem ſe ſalutantibus & interpellantibus & quaſi præfectus urbi ſeſe omnibus affabilem præbuit; ſemper dans operam, quò non videretur alius quàm fuerat; quin & diſplicere ſibi Imperium hoc teſtatus eſt, quòd aliquando paratus eſſet illud deponere & ad privatam vitam redire. Sed cùm eſſet modeſtus & verbis affabilis, re ipſâ fuit illiberalis & propè ſordidus. Imperator enim factus, ſi ſine conviviis eſſet, eâdem conſuetudine cœnavit, quâ olim privatus. Fertur etiam apud vada Sabatia jam Imperator mercaturas exercuiſſe per homines ſuos non aliter, quàm privatus ſolebat. Munera quoque lucri libidine libenter accepit. *Jul. Capitol.* Unde eum græco nomine Χρηςόλογον appellavêre. *Victor. in eod.*

3. *Hæc parſimonia ejus, & quòd videbatur veterem diſciplinam introducturus eum & aulicis & militibus exoſum reddidit, ut ita à militibus trucidaretur.* Nam ſtatim ac Imperator creatus fuit petenti primâ die ſignum tribuno dedit *militemus*, quo exprobrabat tacitè ſegnitiam ſuperiorum temporum. Sed hoc ipſo milites moti ſtatim de alio Imperatore eligendo cogitarunt: gemueruntque, cùm viderent ſtatuas Commodi dejici: timebant enim militiam, ſub ſene Imperatore. Quo ipſo Pertinax coactus, omnia quæ Commodus militibus & veteranis dederat relinquere. Sed his non obſtantibus, ipſi nihilominus factio præparata eſt per eundem, à quo Imperator primùm ſalutatus erat, Lætum nimirum præfectum prætorii, & eos quos Pertinacis ſanctimonia offenderat. Lætum enim pœnituerat facti, quòd eum Imperatorem feciſſet. Militibus grave viſum, quòd in cauſſâ

Falco-

Falconis, qui Imperium invadere niſus erat, multos milites ad unius ſervi teſtimonium occidi præceperat. Trecenti igitur de caſtris armati ad Imperatorias ædes cuneo facto ſubitò in palatium venêre: neque hic globus aut arceri, aut quid immineret Imperatori nunciari potuit. Enimverò tantum odium in Pertinacem omnium aulicorum fuit, ut ad facinus milites hortarentur. Prorupêre itaque in intima palatii, primusque horum Tauſius haſtam in pectus Imperatoris conjecit. Tunc ille precatus Jovem ultorem togâ caput operuit, atque à cæteris confoſſus eſt; caputque ejus conto fixum per urbem in caſtra perlatum, cùm imperaſſet 85. diebus. *Jul. Capitol. & Aurel. Victor.*

4. *Huic tamen mortuo Divi nomen decretum eſt, ingeminatùmque ad vocis defectum plauſibus acclamatum: Pertinace imperante ſecurè viximus, neminem timuimus. Patri pio, patri Senatûs, patri omnium bonorum.* Scilicet populus mortem ejus indignisſimè tulit: viderat enim, omnia per eum antiqua poſſe reſtitui. Sed nimis intempeſtivè & ſtatim initiò Imperii animum militum à ſe alienaverat. Magna ipſius & felicitas & infelicitas fecit, ut fortunæ pila vocaretur.

ARTIC. VIII.

DE DIDIO JULIANO.

1. *Interfecto Pertinace, Didius Julianus ambitione promiſsiſq; à militibus Imperium obtinuit.* Nam cùm Sulpicianus Præfectus Urbi in caſtris jam ſibi moliretur imperium: hic Didius hortatu P. Floriani & Vectii Apri tribunorum, à quibus etiam ad prætoria caſtra ductus eſt, primùm è muro ingentia pollicitus; cùm ſurdas adhuc militum deprehenderet aures, monuit prætorianos, ne eum facerent Imperatorem, qui Pertinacis mortem eſſet vindicaturus [Erat enim Sulpicianus ſocer Pertinacis] ſcripſitque in tabulis, ſe Commodi memoriam reſtiturum. Et ita ad Imperium, quòd pecuniâ & blanditiis mercabatur, admiſſus eſt, rogantibus Prætorianis, ne ambitus Sulpiciano crimini vertatur. *Æl. Spart.*

2. *Fuit hic parſimoniæ & temperantiæ cultor, placidus itèm & injuriarum patiens: ſed Imperium ejus ignavia & deſidia militum evertit.* Fertur namq; oleribus leguminibusque nonnunquam contentus ſine carnibus appoſitis cœnaſſe. Sed hæc ipſius virtus odio populi obſcurata non modò, verùm etiam luxuriæ inſimulatus eſt, objectumq; quòd guloſus, aleator, armis gladiatoriis exercitus eſſet ſenex; cùm antea ſemper integrè & ab his vitiis ineptiisque immunis vixiſſet. Ea eſt vis odii mentientis & omnia in pejorem partem interpretantis.

Nam

Nam populus opinione, quaſi Pertinax, quem credebat mala Commodi temporibus introducta emendaturum, hujus conſilio interemptus eſſet, odio erga ipſum flagrabat. Spargebant infenſi, Julianum ipſâ die quâ miſerè perierat Pertinax luxurioſum paraſſe convivium, oſtreis & altilibus piſcibusque adornatum, eumque ingentibus conviciis in roſtris atque ante Curiam laceſſebant, ſperantes, his ſe obtenturos, ut Imperium à militibus datum deponeret: nec contenti Imperatoris defectus dicacitate lapidatos, etiam lapides in eum conjiciebant. Mitigatum quoque haud eſt odium hujus placiditate, ſed populus magis incitatus obſtitit quoque eunti cum Senatu in Capitolium, nec ceſſiſſet, niſi ferro, vulneribus & pollicitationibus aureorum, quos digitis oſtendebat ipſe Julianus, quò fidem faceret, ſummotus atque depulſus eſſet. Ergò Peſcennius Niger in Syriâ, Septimius Severus in Illyrico cum exercitibus, quibus præſidebant, à Juliano deſcivêre. Quâ re perturbatus, [neque enim Severum ſuſpectum habuerat] à Senatu poſtulavit, ut Severum hoſtem renunciaret. Milites Severi avocati ſub cominatione, niſi intra diem præſtitutum deſeruerint partes illius, itidem numero hoſtium eosdem habitum iri. Interea ipſe prætorianos in campum deduci jubet, muniri turres: ſed milites deſides & urbanâ luxuriâ diſſoluti exercitium militare moleſtè ſubibant, adeò, ut vicarios operis, quod cuique injungebatur mercede conducerent. Ita nihil cum exercitu prætoriano proficientem populus riſit, adventum Severi appropinquantis expectans. *Æl. Spart.*

3. *Varia quidem tentavit adverſus Severum rebellantem: ſed odium in quo erat, omnia conſilia reddidit inania.* Nihil namque ab eo & Senatu videtur omiſſum eorum, quæ ſuperius, cùm de Ratione ſtatûs ageremus, compeſcendis inſervire tradidimus. Miſſi etenim ſunt legati Conſulares à Senatu ad milites, qui ſuaderent repudiationem Severi, & ut admitterent eum imperare, quem Senatus vellet: horum in numero fuit Valerius Catulinus, qui gratus militibus poſſet Severo ſuccedere in regendo exercitu. Sed acceſſêre hi legati Severo. Deſtinatus quoque Aquilius centurio, notus cædibus Senatoriis, qui Severum occideret; ſed fruſtrà. His conſiliis initis, à Senatu petiit Julianus, ut adſumptis Virginibus Veſtalibus cæteriſque ſacerdotibus obviam iret exercitui Severi, eumque oſtenſis infulis in aliam traheret ſententiam. Quod quidem abſonum aliàs non eſt; quia vulgus ſuperſtitione ducitur & movetur: ſed inane hoc erat adverſus barbaros impiosque milites præſidium. Augur quoq; Fauſtus Quintilius Conſularis obnunciabat aſſerens, non debere imperare eum, qui tueri armis imperium nequiret; cui multi Senatores conſenſerunt. Hinc iratus

ratus Didius milites è caſtris petiit, qui Senatum ad obſequium cogerent, obſtinatos ſenatores trucidando. Sed mox diſplicuit conſilium: nimis enim tyrannicum videbatur talia in Senatum tentare qui Severum adverſarium Didii hoſtem Reipublicæ judicaverat. Quamvis nonnullis commentum & mendacium odio in eundem confictum viſum ſit. Meliore ergò conſilio flagitavit SCtum de participatione Imperii; quod etiam factum eſt. (Quo ipſo omen, quod ſibi Julianus, cùm imperium acciperet, fecerat, Senatoribus in memoriam revocatum eſt. nam cùm Conſul deſignatus de eo ſententiam dicens, ita pronuntiaſſet: *Didium Julianum Imperatorem appellandum eſſe cenſeo*; Julianus ſuggesſit, *Adde & Severum*: quod cognomentum avi & proavi ſibi Julianus adſciverat.) Sed pacem hanc ſimulatam populus reputavit, tentarique ſuam necem Severus ſuſpicatus eſt. Denique hoſtem ſe Juliano Severus eſſe maluit, quàm participem, idem militibus ſentientibus. Hoc amentiæ Juliani annumerandum, quòd per magos pleraque faceret, quibus putaret vel odium populi deliniri vel militum arma compeſci. nam & quasdam non convenientes Romanis ſacris hoſtias immolaverant, & carmina profana incantaverant. Tandem Didius ab omnibus deſertus, ipſiq; à Senatu imperium abrogatum eſt, miſſique quorum curâ occideretur.

ARTIC. IX.
DE
SEVERO.

1. *Severus Germanico exercitui præfectus, ubi auditum eſt, Commodum occiſum, Julianum autem cum odio omnium imperare, ſalutatus ab exercitu Imperator, prudentem ſe exhibuit partim in removendis omnibus, quæ Imperio obſtare & turbare illud poterant, partim in faciendis, quæ ad confirmandum illud conducebant.* Nam cùm auctore Didio Juliano à Senatu hoſtis eſſet appellatus, legatis miſſis, qui milites ipſius hortarentur, quò eum desererent; pertimuit primò quidem, poſtea corrupit legatos, ut pro ſe apud milites loquerentur, & in ipſius partes tranſirent: callidè etiam evitavit manus eorum, qui à Juliano miſſi erant ad ipſum occidendum; datis contrà literis ad prætorianos, quibus ſignum dederat, ut Julianum occiderent, vel desererent: ſtatimq; auditus eſt. nam & Julianus occiſus eſt in Palatio & Severus Romam invitatus. Ita quod nulli unquam contigit, nutu tantùm Severus Victor eſt factus, armatusque Romam contendit. Poſtea veniens in urbem prætorianos cum ſubarmalibus inermes ſibi juſſit occurrere, eosdemq; ſic ad tribunal vocatos & armatis circumdatos exauctoravit. (erant namque ſeditioſi & unà ignavi, utpote illecebris urbis ad-

adſueti) Amicos Juliani accuſatos apud Senatum proſcriptioni & neci dedit. *Æl. Spart.* Erant quoque deſignati Imperatores, Peſcennius Niger à Syriacis legionibus, Clodius Albinus à Britannicis & Germanicis. Sed ne & cum Nigro & Albino potentisſimis hoſtibus uno tempore depugnandum eſſet: Albino perſuaſit ut quieſceret, ſe enim pro ipſius dignitate paratum eſſe pericula bellica ſubire. Et ita hoc prius egit quò Imperium Nigro interverteret. *Dio.* Intercepit enim Nigri edicta, ne populo proponerentur, & literas, ne legerentur in Senatu. Deinde componendum Orientem & Nigrum devincendum aggreſſus, cum eo, ſuperato prius per duces Æmiliano, ipſe conflixit, eumq; apud Cyzicum interemit. Liberos ejus in exilium ire, mox occidi juſſit. Deleto Nigro, Albinum fruſtrà Imperium ab eodem expectantem, & propterea moventem hoſtem judicavit eosque omnes qui ad ipſum mollius ſcripſerant vel reſcripſerant. Ad Lugdunum cum illo concurrit, primoque die dux ejus victus, ipſe in dextero cornu poſtero die vicit, Albino occiſo, cujus caput Romam miſit & in crucem egit. *Dio.* Hæc pro removendis, quæ imperio obſtabant, ſtrenuè, prudenter & feliciter geſſit, non ſegnior in perficiendis iis, quibus favor ſenatûs, populi, militum parabatur. Nam non obſtante, quòd à Senatu hoſtis eſſet judicatus, legatis centum deſperatis rebus à Senatu miſſis ſeptuagenos vicenos aureos dedit. Poſtea cùm Romam veniſſet, in Curiâ rationem reddidit ſuſcepti Imperii; SCtū etiam fieri fecit, ne liceret Imperatori inconſulto Senatu Senatorem occidere. Nullum etiam Senatorem qui à partibus Nigri ſteterat, ſupplicio affecit. Populi favorem ſibi parare ſtuduit ſimulando ſe ultorem Pertinacis: quem etiam imitatus eſt, dando ſignum tribuno *Laboremus*, quemadmodum Pertinax, *militemus*. Quin funus quoque cenſorium ejus imagini duxit, inter Divos retulit, additis flamine & ſodalibus Helvianis qui Marciani fuerant, & ſeſe Pertinacem vocari juſſit. Ne tamen ob hoc odium militum incurreret, quia Pertinax parum gratus apud eosdem fuerat, ut in præcedd. dictum eſt; quantum nemo unquam principum, quingenta ſeſtertia militibus dedit. Cùm etiam milites, ipſo in Senatu verſante, per ſeditionem dena millia poſcerent à Senatu, exemplo eorum, qui Auguſtum Octavium Romam deduxerant, tantumq; acceperant, mitigatos additâ liberalitate dimiſit. Deniq; tantum ſtipendiorum his dedit, quantum nemo principum. Pro firmando etiam imperio filias ſuas ſplendidisſimè dotatas nuptum dabat, excluſo fratre liberos adhuc exiguæ ætatis in collegium imperii recipiebat.

2. *Utilis fuit Reipubl. 1. fortitudine & arte militari.* Nam Par-

 thiam

thiam ingreſſus Cteſiphontem, pulſo rege, pervenit, cùmque hyemali tempore herbarum radicibus milites viverent, atque inde contractis morbis ire longius non poſſent; tamen perſtitit ipſe & oppidum cepit, fugato rege. Et ita Parthicum nomen meruit. Perſarum quoque regem Abgarum ſubegit, Arabas in deditionem accepit, Adiabenos tributarios reddidit &c. 2. *annonæ & rei frumentariæ conſulendo.* Nam moriens ſeptem annorum canonem, ita, ut quotidiana ſeptuagena quinque millia modiorum expendi poſſent reliquit; olei verò tantum, ut per quinquennium non ſolùm urbis uſibus, ſed & totius Italiæ, quæ oleo indigeret, ſufficeret. 3. *Juſtitiæ cultu.* Nam cauſſas plurimas ipſe cognovit, implacabilis delictis exiſtens. accuſatos repetundarum à provincialibus Judices convictosq; graviter punivit. Induſtrios quosq; Judiciis præfecit. Vitam ſuam privatam publicamq; ad fidem compoſuit. *Æl. Spart.*

3. *Laudem quoq; promeruit ſtudio philoſophiæ & quòd alienus eſſet à luxuriâ.* Fertur namque fuiſſe philoſophiæ deditus. Unde ejus acutè dicta: cùm enim ex humili per literarum & artis militaris culturam eum ad Imperium fortuna deduxiſſet: de ſe ita locutus eſt: *Omnia fui & nihil expedit.* Idem cum pedibus æger bellum moraretur, idq; milites anxiè ferrent, ejusq; filium Baſſianum, qui unà erat, Auguſtum feciſſent: tolli ſe atque in tribunal ferri juſſit: adeſſe deinde omnes tribunos, centuriones, duces & cohortes, quibus auctoribus id acciderat, ſiſti deinde filium, qui Auguſti nomen acceperat. Cumque animadverti in omnes facti auctores præter filium juberet, rogareturque omnibus ante tribunal proſtratis de veniâ: caput manu contingens dixit. Tandem ſentitis caput imperare non pedes. Exercuit ſuam philoſophiam etiam fugiendo luxuriam. Uſus quippe eſt veſtibus adeò exiguis, ut vix tunica ejus aliquid purpuræ haberet, & cum hirtâ chlamyde humeros velaret. Cibi parciſſimus fuit, leguminis patrii avidus carnis frequenter ignarus.

4. *Vituperium ipſi peperit crudelitas & iracundia cum quâdam avaritiâ conjuncta.* Nam devicto Albino, cùm legiſſet acta de Clodio Cenſino laudando, iratus Senatui & populo, quaſi hoc Albino dederint; Orationem habuit in Senatu, quâ Syllæ Commodique crudelitatem laudavit & hunc divis annumerandum cenſuit, Deum appellando, quaſi hoc modo injuriam à Senatu illatam ulciſci poſſet: Senatorum deinde, qui in bello erant interemti, cadavera diſſipari juſſit: aliorum, qui non interfuerant, viginti novē morte punivit. Damnavit præterea multos, alios quidem, quòd jocati eſſent, alios, quòd tacuiſſent; alios, quòd pleraque figurata dixiſſent. Interdum occiſis non-

nullis

nullis ſeſe excuſavit negavitque ſe jubente occiſos. Fuitque adeò & nomine & re Severus Pertinaxque. Occiſorum quàmplurimorum bona publicata ſunt: unde filiis ſuis tantum reliquit, quantum nullus Imperatorum. tuncque primum privatarum rerum procuratio conſtituta eſt. Cumq; his ita moribus eſſet, Senatus de eo cenſuit, illum aut non naſci debuiſſe aut non mori: erat enim Reipubl. & maximè utilis & maximè crudelis. *Æl. Spart.*

5. *Minus quoq; cautus fuit in regendâ ſuâ familiâ.* Nam uxorem Juliam famoſam adulterii & conſciam conjurationis retinuit. Filius quoque natu maximus Basſianus cùm Plautiani præfecti urbis filiam dote, quæ quinquaginta reginis ſuffeciſſet, inſtructam duxiſſet uxorem, eam malè tractavit, quòd Plautianus eum aſſuetum voluptatibus & imperio cohibuiſſet. tandem etiam, ut à ſocero auſteriore liberaretur, ſubſtituit milites, qui dicerent, ſe miſſos à Plautiano, ut Severum occiderent. Quo obtinuit, ut Plautianus occideretur, & filia ipſius, uxor Basſiani relegaretur. Poſt mortem Plautiani tanquam pædagogo liberati ambo Severi filii Basſianus & Geta fœdisſimis libidinibus ſe polluunt, gladiatores ſibi parant, & contrariis ſtudiis disſidere incipiunt, adeò, ut dum curru certant Basſianus crus frangeret. Fertur tamen nihilominus Severus immoderatè lætatus, quòd duos Antoninos pari imperio Reipubl. relinqueret, exemplo Pii, qui Verum & Marcum Antoninos per adoptionem filios Reipubl. reliquerat; hoc melius, quòd ille filios per adoptionem, hic ex ſe genitos rectores Romanæ Reipubl. daret. Sed deceptus fuit miſer occœcatusque nimiâ caritate corrumpente judicium intellectûs. Nam Basſianus fratrem Getam, & Papinianum Juris aſylum & doctrinæ legalis theſaurum, quòd parricidium excuſare noluiſſet, occidit. *Æl. Spart.* Refert Dio, Basſianum, cùm ſæpius fratrem occidere tentaret, nec tamen patre vivente poſſet, parentem quoque à tergo aggredi & occidere conatum eſſe, ſed deterritum clamore famulorum fuiſſe: vidiſſe quoq; patrem nudum gladium; non tamen id facinus puniviſſe, ſed paulatim mœrore animi contabuiſſe.

6. Periit morbo naturali. Ultima verba ejus dicuntur hæc fuiſſe. *Turbatam Rempubl. ubiq; accepi. pacatam etiam Britannis relinquo. Senex & pedibus æger firmum imperium Antoninis meis relinquens, ſi boni erunt, imbecillum, ſi mali.*

7. *Poſt mortem ſuam, licet crudelis fuerit, deſideratus tamen eſt.* Nam utilitas quam præſtitit Reipubl. maximam etiam ejus crudelitatem texit. Acceſſit etiam malitia liberorum ejus, quâ Reipubl. ſummè nocebatur.

ARTIC. X.
DE
ANTONINO CARACALLA.

1. Antoninus Baſſianus Severi filius Caracalla inde dictus, quòd ex Galliâ veſtem plurimam devexiſſet, talareſque caracallas feciſſet quas diſtribuerat militibus, quibus etiam plebs ipſum ſalutatura uti coacta eſt, ſucceſſit patri in Imperio collegam habens fratrem Getam. *Aur. Vict. Epit. & Dio.*

2. *In pueritiâ benè moratus fuit.* Fertur enim pueritia ejus fuiſſe blanda, ingenioſa, parentibus affabilis, amicis parentum jucunda, populo accepta, grata Senatui, ipſi etiam ad amorem conciliandum ſalutaris, à crudelitate aliena: flevit enim ſi quando feris objectos damnatos vidit, aut oculos avertit. *Egreſſus verò pueritiam aſperior crudelior truculentiorq́; patre redditus, fortè ita paternis moribus adſuefactus. Æl. Spart. Eutrop.* Sullæ namque ſeipſum comparavit, & toto imperio in ſanguine profundendo occupatus fuit. Initium fecit à medicis, quòd noluiſſent accelerare mortem parentis. Poſtea occidit fratrem Getam: quo ipſo furore aliquandiu pœnas dedit dirarum inſectatione. Ab hoc progreſſus ad eos, qui Getæ fratri faverant, quique mortem ejus ſuaſerant. Lætus namque, qui primus mortis Getæ ſuaſor fuerat, etiam primus ob hoc interemptus eſt. Qui verò fratri faverant innumeri occiſi fuerunt; etiam liberti ejus. Papinianus, ſummus & JCtus & ipſi amiciſſimus, in conſpectu ipſius ſecuri percuſſus eſt. In ſummum quoque diſcrimen Cilo præfectus & Conſul venit ob hoc, quòd concordiam inter fratres ſuaſerat. *Aur. Vict. Dio it. Spart.* Alexandrinis civibus iratus, quòd eum Oedipum appellaſſent, magiſtratus Alexandriæ obviam euntes convivio excepit, & in eodem occidit: inde exercitum urbi immiſit, ſinguloſq; cives ſuis in domibus miſerè trucidavit. Cæſorum numerum nemo inire potuit. *Dio.*

3. *Non minor crudelitate fuit intemperantia ipſius.* Præterquam enim, quòd cibi vinique ſupra modum appetens fuit, etiam Virginem Veſtalem ſtuprare conatus, vi venereâ deſtitutus delictum conſummare non potuit: quatuor virgines Veſtales fermè innocentes, quarum in numero & ea fuit, cujus ipſe ſtuprum appetiit, occidi juſſit. Novercam quoque ſuam Juliam uxorem duxit. Hæc enim cùm eſſet pulcherrima, & quaſi per negligentiam ſe maximâ corporis parte nudaſſet, dixiſſetq; Caracalla, *Vellem ſi liceret*, reſpondiſſe fertur, *ſi libet, licet. An neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare non accipere?* Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus

eſt,

eſt, celebravitq; inceſtuoſas nuptias, parricidio jungens inceſtum; ſiquidem Juliæ filium Getam fratrem ſuum occiderat. *Spart*. it. *Vict*. *de Cæſar*.

4. *Superbior quoq; patre exſtitit.* Aſſumpſit enim cognomen Germanici, Parthici, Arabici & Alemannici. Unde filius Pertinacis fertur dixiſſe, *adde, ſi placet, etiam Geticus Maximus*, quod Getam occiderat fratrem, & Gothi Getæ dicerentur, quos ille, dum ad Orientem tranſiit tumultuariis præliis vicerat. *Spartian.* Conſpecto etiam corpore Alexandri M. Magnum atque Alexandrum ſe juſſit appellari, aſſentantium fallaciis eò perductus, ut truci fronte & ad lævum humerum converſâ cervice, quod in ore Alexandri notaverat, incedens, fidem vultûs ſimillimi perſuaderet ſibi. *Aur. Vict. Epit.* Cùm exercitatus eſſet in apris capiendis & aliquando contra leonem ſtetiſſet; miſſis ad amicos literis gloriatus eſt, ſeque ad Herculis virtutem acceſſiſſe jactavit. *Spart.*

5. *Magicis quoq; artibus inquinatus fuit.* Defunctorum namq; animas evocaſſe dicitur, à nullâ tamen quàm Commodi quicquam dici audivit: nim. *στεῖχε δίκης ἆσσον.* Perge ocius ad ſupplicium. *Dio.*

6. *Periit inſidiis Macrini.* Nam Macrinum præfectum prætorio prædixerat Vates quidam in Africâ regnaturum; cujus rei rumor ad Caracallam perlatus erat. Macrinus certior hac de re factus, cùm videret ſibi mortem imminere, maluit prævenire, immiſſis centurionibus, qui eum veſicam evacuantem inter Edeſſam & Charras occiderunt. *Dio. Spart.*

7. *Hæc beſtia demortua parricidio & inceſtu polluta nihilominus ab ipſo Macrino qui eam occiderat, timore militum & maximè prætorianorum inter Deos relata eſt.*

ARTIC. XI.
DE
OPILIO MACRINO.

1. *Macrinus, homo vilis vitiorumq; omnium, nactus imperium perfidiâ erga principem, quem occidi juſſit, perjurio ſibi illud firmare ſtuduit.* Fertur namque fuiſſe homo libertinus, in domo imperatoriâ ſervilibus officiis occupatus, venali fide, vitâ ſordidâ, relegatus in Africam venator prius, mox tabellio, & deinceps advocatus fiſci; & ex hoc officio ad ampliora quæque perveniſſe. Factus demum præfectus prætorio, collegâ ablegato Imperatorem ſuum interemit, tantâ fictione, ut non ab eo ſed militaribus inſidiis videretur occiſus, prætenſa in imperatore cauſſâ parricidii & inceſtûs. Declaratus hinc à militibus Imperator dedit literas ad Senatum de

morte

morte Antonini Divum illum appellans excuſansque ſe & jurans ſe cædis ignarum fuiſſe. Ita ſceleri ſuo junxit perjurium homo impiiſſimus, à quo imperandi initium fecit. Verba literarum ad Senatum hæc recenſentur: *Vellemus P.C. & incolumi Antonino noſtro & revecto cum triumpho, veſtram clementiam videre. tunc demum enim florente Republ. & omnes felices eſſemus, & ſub eo principe viveremus, quem nobis Antoninorum loco dî dederant. Verùm quia id evenire per tumultum militarem non potuit: nunciamus primùm, quid de nobis exercitus fecerit: deinde honores divinos (quod primum faciendum eſt) decernimus ei viro, in cujus verba juravimus; cùm exercitus ultorem cædis Baſſiani neminem digniorem præfecto ejus putavit; cui utiq; & ipſe vindicandam ſuſtionem mandaſſe, ſi vivus, deprehendere potuiſſes.* &c. Lectis in Senatu literis, contra opinionem omnium Senatus & mortem Caracallæ gratanter accepit, & Macrinum libertatem publicam curaturum ſperans primùm in patricios allegit, novum hominem, & qui paulò antè privatæ rei procurator fuerat. Eundem cùm ſcriba pontificum eſſet pontificem M. appellavit, Pii Felicisque nominibus decretis; Pii cognomen reſpuit, Felicis accepit.

2. *Contemptum ex vilitate generis & perfidiâ perjurioq; rebus ſummum odium & contemptum per ſtoliditatem parientibus evitare ſtuduit.* Ipſe enim aſſumpſit nomen Severi, cùm nullâ illi cognatione jungeretur: unde jocus exſtitit: *Sic Macrinus eſt Severus, quomodo Diodumenus Antoninus.* Filium enim Diodumenum collegam Imperii ſumſerat, eumque à militibus Antoninum vocari juſſerat; fortaſſe hac de cauſſâ; ut à ſe ſuſpicionem interfecti Antonini Caracallæ removeret; vel quia populus militesque ita adſuefacti Antoninis tunc erant, quemadmodum olim Cæſaribus, ut niſi audirent Antoninos, cenſerent non imperitari poſſe. Severum etiam imitari voluit aſperitate morum & crudelitate homo ſævi & incivilis animi, ſperans ſeſe his vilitatem ex genere & anteactis poſſe oblivioni dari: cùm hæc illius ſeveritas occaſionem illum reprehendendi & lacerandi aperiret: adeò ut & nomen & vita Severi, quam imitabatur, ipſi magis nocerent quàm prodeſſent. Nam vilitati generis & vitæ anteactæ addens crudelitatem fecit, ut tanquam homo putidus in Imperio tolerari non poſſet. Nec etiam toleranda erat crudelitas ipſius: incuſans enim ſuperiorum temporum diſciplinam, ac ſolum Severum præ cæteris laudans, in crucem milites egit, & ſervilibus ſuppliciis ſemper affecit: cùmq; ob hoc frequentes ſentiret militum ſeditiones, eos decumavit, viceſimavit, centeſimavit: quod verbum ultimum ipſius proprium fuit, cùm clementem ſe exhibere vellet, quando eos centeſimaret, quos decumari

mari vel viceſimari decebat. *Jul. Capitol.* Quibus effecit, ut, quod pecuniæ initio imperii pro crimine abolendo militibus dederat, parum prodeſſet. (Dederat enim ſtipendium & prætorianis & legionariis ſolito uberius.)

3. *Pugnavit tamen contra Parthos, Armenios & Arabas, qui Eudæmones vocabantur, fortiter feliciterq́, legumq́, non ſine laude ſuâ curam habuit.* Statuit namque omnia principum veterum reſcripta tollere, ut Jure, non reſcriptis ageretur, nefas eſſe dicens, leges videri Commodi & Caracallæ & hominum imperitorum voluntates: cùm Trajanus nunquam libellis reſponderit, ne ad alias cauſſas facta præferrentur, quæ ad gratiam compoſita viderentur.

4. *Imperavit cum filio anno & duobus menſibus. trucidatus eſt, cùm per luxuriam ſui interimendi copiam & Heliogabalus occaſionem præbuiſſet.* Nam, conflictu habito cum Parthis, inferior in bello, quod Antoninus geſſerat, Artabene graviter necem ſuorum civium vendicante, miſſis legatis pacem petiit, quam libenti animo Parthus interfecto Antonino conceſſit. Inde cùm ſe Antiochiam recepiſſet ac luxuriæ operam dediſſet, juſtam cauſſam ſui interficiendi militibus præbuit, ac Heliogabalum, qui ferebatur filius Caracallæ ſequendi. De hujus Heliogabali ortu quæ traduntur hîc nonnulla ex Julio Capitolino adnectemus. Mæſa quædam mulier, ſive Varia poſt mortem Caracallæ ex aulicâ domo per ſuperbiam Macrini expulſa duas habebat filias Semiamiram & Mammæam, quarum illi filius erat Heliogabalus (ita Phœnices ſolem nominabant) pulchritudine, ſtaturâ & ſacerdotio conſpicuus, notusque omnibus, qui ad templum venerant; militibus præcipuè, quibus Mæſa dixerat, Heliogabalum hunc Caracallæ filium eſſe. Erat præterea Mæſa ditiſſima, ex quo Heliogabalus etiam luxurioſiſſimus, & propterea militibus magnam ſummam pecuniæ promiſerat, ſi legiones à Macrino abduxiſſent. Factum id quoq; & Imperii inſignia Heliogabalo delata. Hæc ubi ſunt Macrino apud Antiochiam nunciata, miratus muliebrem audaciam, ſimul etiam contemnens, Julianum præfectum ad obſidendũ Heliogabalum cum legionibus miſit. Sed cùm hiſce oſtenderetur Heliogabalus, miro amore in eum omnibus inclinatis, occiſo Juliano præfecto, in partes illius ſeceſſerunt. Ita firmatus quâdam potentiâ obviam venit Macrino, commiſſoque prælio eum vicit. Et hoc pacto Macrinus proditione militum & amore Antonini victus cum filio & paucis aliis fugiens in vico quodam Bithyniæ ipſe & filius ejus occiſi ſunt, caputq; Macrini ad Heliogabalum delatum eſt.

ac ruborem pro conſenſu ducens. Addidit præterea ipſe quæ faceret, ſine ullius pudoris velamento. *Lamprid.*

4. *Homo quoq; exſtitit luxurioſisſimus.* Multarum namque rerum novarum ad luxuriam facientium inventor exſtitit: quas magno numero recitat Lampridius. Propoſuit quoque convivis quaſi themata, ut jura nova dapibus condiendis invenirent: cujus placuiſſet commentum, ei dabat maximum præmium, ita ut ſericam veſtem donaret, quæ tunc & in raritate videbatur & in honore. Si quis diſpli cuiſſet, juſſit eum ſemper quod invenisſet comedere, donec melius invenisſet. Ad mare piſcem nunquam comedit: in longisſimis à mari locis omnia marina ſemper exhibuit: murenarum lactibus & luporum in locis mediterraneis ruſticos pavit. Cœnas Vitellii ſuperavit. Haud minor ejus in veſtitu fuit luxuria. Uſus enim eſt aureâ omni tunicâ it. purpureâ & de gemmis Perſicâ. Habuit & in calceamentis gemmas & quidem ſculptas. *Lamprid.*

5. *Luxuriam & libidines comitabatur mollities.* Nec enim cubuit in accubitis facilè, niſi iis quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum ſubalares, ſæpè culcitas mutans. *Lamprid.*

6. *Ne quicquam deesſet ipſi, quod contemptum imperantibus affert, etiam fœminas participes Imperii reddidit.* Nam ſine matris Semiamiræ meretriciam viventis vitam voluntate nihil in Republicâ fecit. Hanc quoque primo die quo Senatum habuit in Curiam rogari juſſit. Quæ cum venisſet vocata ad Conſulum ſubſellia ſcribendo affuit i. e. SCti conficiendi teſtis: ſolusq; omnium Imperatorum fuit, ſub quo mulier quaſi clarisſima loco viri Senatum ingreſſa eſt. Fecit & in colle Quirinali mulierum Senatum, in quo Semiamirica facta ſunt SCta ridicula de legibus matrimonialibus: quæ quo veſtitu incederent, quæ cui cederet, quæ ad cujus oſculum veniret, quæ pilento, quæ equo ſagmario, quæ aſino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum; quæ ſellâ veheretur, & utrum pelliceâ an oſſeâ, an eboratâ, an argentatâ; & quæ aurum vel gemmas in calceamentis haberent. *Lamprid.*

7. *Non minus quoq; avarus fuit & injuſtus.* Vendidit enim honores & dignitates & poteſtatem tam per ſe, quàm per ſervos ac libidinum miniſtros. Unde lecti in Senatum ſine diſcrimine ætatis, cenſûs, generis. Libertos quinetiam fecit præſides, legatos, conſules, & ita omnes dignitates polluit ignobilitate hominum perditorum. Ad præfecturam prætorii ſaltatorem, qui hiſtrionicam Romæ fecerat, adſcivit: præfectum vigilum Gordium aurigam fecit; præfectum annonæ

Claudium Cenſorem ad honores reliquos promovit, commendatos ſibi pudibilium enormitate membrorum. *Lampr.*

8. *Superbiam exercuit omnes contemnendo.* Nam Senatores nonnunquam per contemtum mancipia togata appellavit; populum verò Romanum unius fundi cultorem: equeſtrem ordinem in nullo loco habuit. *Lampr.*

9. *Turbavit & populum novis religionibus.* Nam ſtatim ac ingreſſus eſſet urbem, omiſſis iis, quæ in provinciâ gerebantur, Heliogabalum deum in palatino monte juxta ædes Imperatorias conſecravit, eique templum fecit, ſtuduit omnia Romanis veneranda in illud transferre, ne quis Romæ deus niſi Heliogabalus coleretur. Omnes deos ſui dei miniſtros eſſe ajebat, cùm alios ejus cubicularios, alios ſervos appellaret. *Lamprid.*

10. *His omnibus ſuis vitiis contemptum odiumq́ causſam mortis ſibi peperit; inſidiis autem, quas Alexandri conſobrino à ſe adoptato ſtruebat, ſui occidendi occaſionem præbuit.* Milites namque talem beſtiam velari Imperatoris nomine pati nequiverunt: ſtatimque eos facti ſui pœnituit, quod tale monſtrum Imperio præfeciſſent. Moxque inclinarunt in Alexandrum. Heliogabalus verò hunc Alexandrum, quem adoptaverat, à ſe amoveri juſſit: erat enim egregius juvenis ab ejusmodi vitiis abhorrens. Et quanquam pasſim inſtigaret, qui eum occiderent: nullus tamen adduci potuit ad tantum facinus perpetrandum. Quin potius quæ in Alexandrum parabat tela Heliogabalus in ipſum converſa ſunt. Milites enim Alexandrum cuſtodiâ ſuâ periculo mortis exemerunt; Heliogabalum verò, impetu in hunc facto, cùm in latrinam confugeret, occiderunt. Tractus deinde per publicum, additaq; injuria cadaveri eſt, ut id in cloacam milites mitterent, ſed cùm cloaca fortuitò non cepiſſet, per pontem Æmilium, annexo pondere ne fluitaret, in Tiberim abjectum eſt, ne unquam ſepeliri poſſet. Unde poſt mortem Tiberinus, & Trajectitius & Impurus appellatus eſt. Occiſa cum ipſo eſt mater Semiamira probroſisſima mulier & tali filio digna: cautumque, ne unquam mulier Senatum ingrederetur, utque inferis ejus caput dicaretur devoveretur q;, per quem id eſſet factum. *Lampr.* Regnavit, ut tradit Dio, annos tres, menſes novem, dies quatuor.

ARTIC. XIII.
DE
ALEXANDRO SEVERO.

1. *Interfecto Vario Heliogabalo ad remedium generis humani Aurelius Alexander* (ita dictus, quòd apud Arcenam urbem in templo Alexandro

xandro M. dicato natus eſſet, cùm caſu die feſto Alexandri, pater cum uxore ſolennitatis patriæ implendæ cauſſâ illuc veniſſet) *Imperator factus eſt, cùm ante Cæſar à Senatu, mortuo Macrino, eſſet appellatus.* Vitiis namq; Heliogabali Imperium Romanum valde debilitatum erat.

2. *Statim in hunc omnes dignitatum tituli collati ſunt à Senatu.* Auguſti namique & patris patriæ nomen, & jus proconſulare & tribuniciam poteſtatem & jus quintæ relationis, deferente Senatu, uno die aſſumpſit. Cauſſa, conjectante Lampridio, videtur fuiſſe, vel quòd milites jam inſueverant ſibi Imperatores & tumultuario judicio facere, & item facilè mutare, utentes pro defenſione ſui, quòd neſciviſſent Senatum principé nominaſſe: unde nata ſunt bella civilia. Quamobrem feſtinavit Senatus, ut omnia ſimul Alexander tanquam verus Imperator acciperet. Huic cauſſæ acceſſit magnus favor, quem partim vitâ & moribus, partim periculo, quod Heliogabalus eidem ſtruxerat, ſibi conciliavit. *Lamprid.*

3. *Adoleſcens erat hic ſedecim annorum cum crearetur Imperator, & in ipſo nihilominus elaceſcebat ſingularis quædam modeſtia.* Nam dominum ſe appellari vetuit. epiſtolas ad ſe quaſi ad privatum ſcribi juſſit, ſervato tantùm nomine Imperatoris. Recuſavit etiam & Antonini & Magni nomen, quamvis hoc tanquam Alexandro illud tanquam optimis Antoninorum virtutibus inſtructo judicio Senatûs deferretur. Antonini nomen hac oratione declinavit: *Ne quæſo P. C. ne me ad hanc certaminis neceſſitatem vocetis, ut ego cogar tanto nomini ſatisfacere, cùm etiam hoc ipſum nomen* (Alexandri), *licet peregrinum, tamen gravare videatur. Hæc enim nomina inſignia oneroſa ſunt. Quis enim Ciceronem diceret mutum? quis indoctum Varronem? quis impium Metellum?* De nomine Magni recipiendo ita reſpondit: *Facilius fuit P. C. ut Antoninorum nomen acciperem: aliquid enim vel affinitati referrem, vel conſortio nominis Imperialis. Magni verò nomen cur accipitur? quid enim jam magnum feci? cùm id Alexander poſt magna geſta, Pompejus verò poſt magnos triumphos acceperit. Quieſcite igitur venerandi patres, & vos ipſi magnifici unum me de vobis eſſe cenſete potiùs, quàm Magni nomen ingerite. Lamprid.*

4. *Alienus quoq; fuit ab omni luxuriâ.* Nam gemmas de calceamentis & veſtibus tulit, quibus uſus fuerat Heliogabalus, veſte uſus albâ nec auratâ. veſtes ſericas raras habuit, holoſericas nunquam induit. Gemmarum quod fuit vendidit, & aurum in ærarium contulit, dicens gemmas viris uſui non eſſe. Cumque quidam legatus uniones duos uxori ejus per ipſum obtuliſſet magni ponderis & inuſitatæ menſuræ, vendi eos juſſit; qui cùm precium non invenirent, ne exemplum ma-

animalium à reginâ naſceretur, ſi eo uteretur quod emi non poſſet, in muneribus Veneris eos dicavit. Aulicum miniſterium in hoc contraxit, ut eſſent tot homines in ſingulis officiis, quot neceſſitas poſtularet. Milites, quos oſtenſionales vocant, non precioſis ſed ſpecioſis clariſque veſtibus ornabat: nec multum in ſigna, aut ad apparatum regium auri & ſerici deputabat, dicens, Imperium in virtute eſſe, non in decore. Nanos, nanas & moriones & vocales exoletos & omnia acroamata & pantomimos populo donavit: qui autem uſui non erant, ſingulis civitatibus deputavit alendos ſingulos, ne gravarentur ſpecie mendicorum. *Lamprid.*

5. *Liberalem contrà ſe exhibuit.* Nam pauperes juvit. honoratos, quos pauperes verè non per luxuriam aut ſimulationem vidit, ſemper multis commodis auxit, agris, ſervis, animalibus, gregibus, ferramentis ruſticis. mutuas etiam dedit pecunias pauperibus ſine uſuris ad agros emendos, reddendas de fructibus. Cogitavit præterea ſecum & deſcriptum habuit, cui quid præſtitiſſet: & ſi quos ſciret vel nil petiiſſe vel non multum, unde ſumptus ſuos augerent, vocavit eosdem, dixitque: quid eſt cur nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? pete, ne de me privatus queraris. *Parcus tamen fuit paterfam.* Nam ſemper de manu ſuâ miniſtris convivii & panem & partes aut olerum aut carnis, aut leguminum dabat, ſenili prorſus maturitate patremf. agens. Dicitur præterea fuiſſe ad aurum colligendum attentus, ad ſervandum cautus, ad inveniendum ſollicitus, ſed ſine cujusquam excidio. Cauſſa videtur fuiſſe, quòd in omnibus obſecundaret matri: ob quod aliquid muliebre paſſus eſt circa parſimoniam. Refert enim Aur. Victor *in Epit.* matrem ejus Mammæam eò coëgiſſe filium, ut ſi menſæ prandiaq; ſuperfuiſſent, quamvis permodica, alteri convivio reponerentur.

6. *Crudelitatem quoq; fugiens clementem ſe ſemper exhibuit.* Inde enim Imperium ejus ἀναίματον eſt dictum, licet durus & ſeverus fuerit, quia nullum Senatorem occidit, teſte Herodiano. Cùm quidam Ovinius Camillus Senator antiquæ familiæ, delicatiſſimus rebellare voluiſſet, tyrannidem affectans, eique nuntiatum eſſet ac ſtatim probatum: ad palatium eum rogavit, eique gratias egit, quòd curam Reipubl. quæ recuſantibus bonis imponeretur, ſpontè reciperet: deinde ad Senatum proceſſit, & timentem ac tantæ conſcientiæ tabe confectum participem imperii appellavit, in palatium recepit, convivio adhibuit, ornamentis imperialibus & melioribus, quàm ipſe utebatur affecit. Et cùm expeditio barbarica eſſet nunciata, vel ipſum, ſi vellet ire, vel ut ſecum proficiſceretur, hortatus eſt. & cùm ipſe pedes

iret

iter faceret, illum invitavit ad laborem, quem poſt quinq; millia cunctantem equo ſedere juſſit. cumque poſt duas manſiones etiam equo fatigatus eſſet, carpento impoſuit. hoc quoque ſeu timore ſeu vere reſpuentem, abdicantem quinetiam imperium, & mori paratum dimiſit; commendatumque militibus tutum ad villas ſuas ire præcepit, in quibus diu vixit. Quamvis tandem, quod à militibus amaretur, juſſu Imperatoris occiſus ſit. *Lamprid.*

7. *Exſtitit quoq; affabilis & amicitiæ cultor maximus.* Cum amicis enim tam familiariter vixit, ut communis eſſet ei ſæpè conſeſſus, iret etiam ad convivia eorum; aliquos autem quòque haberet quotidianos non vocatos; ſalutaretur verò, quaſi unus de Senatoribus, patente velo, remotis admisſionalibus: cùm antea ſalutare principem non liceret. Amicos quoque non ſolùm primi ac ſecundi loci, ſed etiam inferiores ægrotantes viſit. Sibi quoque ab omnibus liberè quæ ſentiebant dici optavit, & cùm diceretur audivit, & cùm audivit ita ut res poſcebat emendavit atque correxit. In matrem Mammæam unicè pius fuit; adeò ut amandi modum excedens eam participem Imperii faceret. Adulatores falſosque amicos reſpuit. Si quis caput flexiſſet, aut blandius aliquid dixiſſet, uti adulator vel abjiciebatur, ſi loci ejus qualitas pateretur, vel ridebatur ingenti cachinno, ſi ejus dignitas graviori ſubjacere non poſſet injuriæ. Oratores & poëtas non ſibi panegyricos dicentes, ſed aut orationes recitantes aut facta veterum libenter audivit; libentior tamen, ſi quis ei recitavit Alexandri M. laudes, aut meliorum retrò principum, aut magnorum Urbis Romæ virorum.

8. *Juſtitiæ omnis prudens adminiſtrator fuit.* Nam quod Juſtitiam univerſalem concernit: punivit vitia, iisque occurrit, ita tamen ne quid gravius mali ex prohibitione naſceretur (nonnulli enim legislatores quodvis prohibent delictum plus mali inferentes Reipubl. quàm ſi conniverent). Habuit aliquando in animo, ut exoletos vetaret, quod poſtea Philippus fecit: ſed veritus eſt, ne prohibens publicum dedecus in privatas cupiditates converteret: cùm homines illicita magis poſtant, vetitaque furore perſequantur. Juſtitiæ particularis, diſtributivæ ſcil. & correctivæ, nullam partem incultam prætermiſit. Diſtribuit enim honores non pro mercede, ſed pro perſonarum dignitate: nunquam enim honores Juris gladii vendi paſſus eſt, dicens: *neceſſe eſt, ut qui emit vendat. Ego non patiar mercatores poteſtatum, quos ſi patiar, damnare non poſſim. Erubeſco enim punire illum hominem qui quod emit vendit.* Nec minùs ſegnis fuit in dandâ operâ quò correctiva Juſtitia ritè coleretur. Nam Judicia malè adminiſtran-

rabat ergò,ut dignus illo nomine videretur, imò ut Macedonem illum vinceret: dicebatq; inter Romanum Alexandrum & Macedonem multum intereſſe debere.

10. *Artem militarem exercuit 1. Favorem militum ſibi conciliando.* Milites enim juvenem hunc Imperatorem amarunt ut fratrem, ut filium ut patrem: quem amorem obtinuit *primò* curam habendo militum, ut omnes noſceret: (habuit enim in cubiculo breves,& numerum & tempora militantium) incredibile enim eſt,quantum benevolentiæ ſibi parare dux poſſit,ſi ſingulos etiam gregarios milites nominibus appellare ſciat. Cauſſam hujus rei demonſtravimus, cùm de amicitiâ ageremus. *Secundò*, quòd cauſſas militum contra tribunos ſic audivit, ut ſi aliquem reperiſſet tribunorum in crimine,pro facti qualitate ſine indulgentiæ propoſito puniret. *tertiò*, donativum aliquoties dando. *quartò*, quòd horum laboribus ſuppetias tulerit ſarcinas mulis camelisq; imponendo, jungens, milites ſe magis ſervare quàm ſeipſum, quòd ſalus publica in his eſſet; quodque ægrotantes viſitaverit per tentoria, etiam ultimos, & carpentis vexerit. Quòd ſi fortè gravius laborarunt per civitates & agros patribusfam. & ſanctioribus matronis eos diſtribuit, reddens impendia quæ feciſſent, ſeu convaluiſſent ſeu periiſſent. *quintò*, in cibo & cultu parem ſe militibus gerendo. In procinctu namque atq; in expeditionibus apertis papilionibus prandit atq;e cœnavit, militarem cibum,cunctis videntibus atque gaudentibus ſumendo. Hoc tandem egit, ut milites eſſent honeſtè veſtiti, calceati etiam ad decorem, armati nobiliter; equis inſtructi & ephippiis ac frenis decentibus: prorſus ut Romanam Rempublicam intelligeret quicunque Alexandri vidiſſet exercitum. 2. *Diſciplinam militarem ſtrenuè conſervando.* Nam ſeveritatis tantæ fuit in milites, ut ſæpè legiones integras exauctoraverit, ex militibus Quirites appellans. Cùm enim aliquando Antiochiam veniſſet, ac milites nonnulli lavacris muliebribus & deliciis vacaſſent, omnes eos comprehendi juſſit & in vincula conjici. Unde cùm mota eſſet ſeditio à legione cujus ſocii in vincula conjecti erant; vinctos juſſit duci ad tribunal & armatos legionarios valdè increpavit; cùm verò fremere non deſinerent, ſed ferro minarentur; *Deponite*, inquit, *dextras contra hoſtem erigendas, ſi fortes eſtis. me enim iſta non terrent. Si enim unum hominem occideritis,non nobis deerit Reſpublica, non Senatus, non populus Romanus, qui me de vobis vindicet.* Cùmque nihilominus poſt iſta fremerent, exclamavit: *Quirites diſcedite, atq; arma deponite.* Mirando exemplo depoſitis armis, ſagulisque militaribus omnes non ad caſtra, ſed ad diverſoria varia receſ-

Xxxxx ſerunt.

ſerunt. Tuncq; primum intellectum eſt, quantum ſeveritas ejus poſſet. Hanc tamen legionem, antequam ad expeditionem Perſicam proficiſceretur, loco ſuo reſtituit, eâque pugnante maximè vicit. Si quis de viâ in alicujus poſſeſſionem deflexiſſet, pro qualitate loci aut fuſtibus ſubjiciebatur in conſpectu ejus, aut virgis aut condemnationi; aut ſi dignior eſſet, graviſſimis contumeliis afficiebatur, cùm diceret Imperator, *viſne hoc in agro tuo fieri quod alteri facis.* Ingeminabat enim quam à Chriſtianis didicerat regulam, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Quapropter Parthicam expeditionem tantâ reverentiâ ſui egit, ut non milites, ſed Senatores tranſire dicerentur. Ob quæ & tanta bona provinciales eum ut Deum ſuſpiciebant, milites autem rigidæ diſciplinæ minus adſueti eum Severum nominabant. Quod tamen illi ingentem in præſens reverentiam, magnamq; apud poſteros gloriam peperit: poſtquam deprehendebatur eò acceſſiſſe, ut de animi virtute nomen acciperet. *Lamprid.*

11. *Fortitudinem ſuam oſtentavit contra Artaxerxen regem Perſarum pugnando.* Ipſe namque Imperator cornua adiit & ſub ictu teli verſatus milites admonuit non modò, ſed & manu multa fecit; fuditq; ita regem, qui cùm ſeptingentis elephantis, falcatisque mille & octingentis curribus ad bellum venerat, equitum centum viginti millibus. *Lamprid.*

12. *Specimina prudentiæ edidit 1. ſentiendo dolos & fallacias.* Nemo enim ei poterat imponere, & ſi quis eum urbanè tentare vellet intellectus ferebat pœnas. 2. *removendo omnia, ob quæ Heliogabalus in odio fuerat.* Nam depoſuit omnes à muneribus & honoribus, quos impurus ille Imperator ex genere hominum turpiſſimo provexerat. Abſtinuit quoque à cæteris Heliogabali vitiis virtutes his oppoſitas exercendo. 3. *Singulorum ordinum, in civitate, provinciarumq; favorem quærendo.* Nam Senatûs auctoritatem auxit, multum tribuendo Senatui, nim. præfectum prætorii ex Senatûs auctoritate conſtituit; præfectum urbis à Senatu accepit. Senatorem quoq; nunquam ſine omnium Senatorum, qui aderant, conſilio fecit, ita, ut per ſententias omnium crearetur. Præfectis prætorio ſuis itidem Senatoriam dignitatem dedit, ne quis non Senator de Romano Senatore judicaret. Minuit quoque in gratiam Senatûs poteſtatem præfecti urbi. Nam curatores Urbis Romæ quatuordecim fecit ex conſularibus, quos audire negotia urbana cum præfecto urbis juſſit; ita ut omnes adesſent aut maxima pars, cùm acta fierent. Ut quoq; ſplendor accederet, caruccas Romæ & rhedas Senatoribus argentatas habere permiſit: intereſſe Romanæ dignitatis putans, ut his tantæ urbis Senatores

res vectarentur. Provincias item conſulares ex Senatûs voluntate ordinavit. Libertinos nunquam in equeſtrem locum redegit, asſerens, ſeminarium Senatorum equeſtrem locum eſſe. Populi favorem adeptus eſt commeatum adjuvando: cùm enim frumenta Heliogabalus evertisſet, vicem de propriâ pecuniâ loco ſuo repoſuit. Negotiatoribus, ut Romam volentes concurrerent, maximam immunitatem dedit. Provinciales benevolos reddidit tributa impendendo non in res ludicras, ſed in militiam. Hinc aurum argentumque rarò cuiquam niſi militi diviſit, nefas eſſe dicens, ut diſpenſator publicus in delectationes ſuas & ſuorum converteret id, quod provinciales dedisſent; item milites ſub diſciplinâ detinendo. Quâcunque enim iter per provincias legiones faciebant, tribuni accincti, centuriones verecundi, milites amabiles erant; ipſum verò ob hæc tot & tanta bona provinciales ut deum quendam ſuſpiciebant. 4. *Nihil concedendo familiaribus ſuis & vehementisſimè puniendo eos qui fumum vendidisſent.* Nam quendam, qui de eo fumum vendiderat & à milite centum aureos acceperat, in crucem tolli jusſit per eam viam, quâ eſſet ſervis ſuis ad ſuburbana Imperatoria iter frequentisſimum. Erat quidam Vetronius Turinus, qui cùm familiaris Imperatori eſſet, omnia vel fingendo ſic vendiderat, ut Alexandri quaſi ſtulti hominis, & quem ille in poteſtate haberet, cuique multa perſvaderet, infamaret imperium: omnibus enim perſuaſerat ad nutum ejus Imperatorem cuncta facere. Hujus hominis fallacias ſingulari arte exploravit immittendo quempiam, qui ejus ſuffragium emeret, eique ingentia præmia daret: cumque fumi venditor iſte mentitus esſet, ſuâ intercesſione Imperatorem petitis emptoris detuliſſe, jusſit Imperator illum in foro tranſitorio ad ſtipitem ligari, & fumo appoſito, quem ex ſtipulis atque humidis lignis fieri præceperat, necari; præcone dicente *fumo punitur, qui vendidit fumum.* 5. *Hoc præcipuum prudentiæ ipſius fuisſe exiſtimo, quòd, cùm juvenis esſet, optimis uteretur conſiliariis eorumq; monita ſequeretur.* Nam melior videtur Reſpublica & propè tutior, in quâ princeps malus eſt eâ, in quâ amici principis mali ſunt: ſiquidem unus malus poteſt à pluribus bonis corrigi; multi autem mali non facilè ab uno quamvis bono: multò magis ergò neceſſe eſt, felicem Rempub. eſſe, ſi & princeps bonus atq; ad obſequium optimorum conſiliariorũ promptus, & conſiliarii ſint viri non malitioſi, non furaces, non factioſi, non callidi, non bonorum inimici, non libidinoſi, non crudeles, non deceptores, non principem ut fatuum circumducentes, ſed ſancti, venerabiles, virtuoſi, religioſi, ſui principis amantes. Tales fuêre Conſiliarii Alexandri Severi, *Fabius Sabinus* Sabini filius, *Domitius Ulpia-*

pianus, Juriſperitiſſimus, *Claudius Venatus*, Orator ampliſſimus, *Pomponius* legum peritiſſimus, *Alphenus, Africanus, Florentinus, Martianus, Calliſtratus, Hermogenes, Venulejus, Triphoninus, Metianus, Celſus, Proculus, Modeſtinus*; qui omnes Juris profeſſores diſcipuli fuêre ſplendidiſſimi *Papiniani* [cujus aſſeſſores feruntur Paulus & Ulpianus fuiſſe] & Alexandri Imperatoris familiares. Negotia & cauſas prius à ſcriniorum principibus & doctiſſimis Juriſperitis hiſce, quorum primus tunc Ulpianus fuit, tractari ordinarique, atq; ita referri ad ſe præcepit. In animo aliquando habuit omnibus officiis genus veſtimenti proprium adſignare, dignitateſque non modò invicem ſed etiam ingenuos ſervoſque veſtibus decernere, ne ſervi ingenuis miſcerentur. Sed hoc Ulpiano Pauloque diſplicuit, dicentibus plurimum rixarum fore, hominibus ad injurias facilimis. Ut verò tractaturus de negotiis civilibus Juriſperitos, viros doctos & diſertos; ita de rebus militaribus acturus milites veteres & ſenes ac benè meritos, locorum, bellorum ac caſtrorum peritos, doctos tamen in conſilium vocavit: nec propriâ cujuſque experientiâ contentus requirebat, quid in talibus cauſſis, quales in diſceptatione verſabantur, veteres Imperatores vel Romani vel exterarum gentium feciſſent. Hæc erat ipſius ratio res non modò civiles, ſed & bellicas per amicos tractandi. *Lampr.*

13 *Hiſce ſuis virtutibus quibus utilis Reipubl. erat cunctis redditus eſt amabilis: niſi quod ſeveritatem ejus milites diſciplinæ non adſueti ferre nequirent: à quibus etiam inſtigante ſine dubio Maximino cùm bellum Germanicum ſuſcepturus eſſet, occiſus eſt, poſtquam XXIX. annis vixiſſet, XIII. imperaſſet. Lamprid.*

MEMBR. IV.

DE IMPERATORIBUS QUORUM ELIGENDORUM FACULTATEM SIBI ARROGARUNT MILITES SPRETA SENATUS AUCTORITATE.

1. *Hactenus imperium Romanum à Romulo ad Septimium certatim evolans, Baſſiani conſiliis tanquam in ſummo conſtitit. Quo ne confeſtim laberetur Alexandri fuit. Abhinc dum dominandi ſuis quàm ſubigendi externos cupientiores, atq; inter ſe armantur, magis Romanum ſtatum quaſi abrupto præcipitavêre, immiſſiq; in Imperium promiſcuè boni maliq; nobiles atq; ignobiles barbariq; multi. Aurel. Vict.* Quid enim boni ſperari poteſt facultate principes ſummoſque Imperii rectores eligendi mercenariis militibus, quibus nulla fides pietaſque, conceſſâ. Itaque Auguſti, de quibus hoc in membro agendum, ſeme-

ſtre vel annui plerique per biennium, ad ſummum ſexennium imperarunt.

ARTIC. I.
DE
MAXIMINIS DUOBUS, TRIBUS GORDIANIS, MAXIMO ITEM ET BALBINO IMPERATORIBUS.

1. Imperatorum adeò ferax redditum eſt Imperium, poſtquam milites ſibi ſolis poteſtatem eos creandi ſumpſerunt excluſo Senatu, ut uno propemodum tempore ſeptem numero facti ſint Imperatores. Quos propterea uni articulo incluſimus.

2. *Maximinus ergò vilis barbarusq; robore & magnitudine corporis arteq; militari celebris ab Alexandro toti exercitui præfectus, hunc ſuum Imperatorem è medio tollendo Imperator factus à militibus imperium crudeliſſimè adminiſtravit, ut Romani ab ipſo deficere cogerentur.* Oriundus namque erat ex vico Thraciæ vicino barbaris, barbaro patre & barbarâ matre. Paſtor in primâ pueritiâ, poſt magnitudine corporis conſpicuus, (Referunt enim ejus fuiſſe magnitudinis, ut octo pedes digito excederet) ſtipendia equeſtria mereri cœpit, & paulò pòſt cùm curſu defatigatus ſeptem fortiſſimos deviciſſet Severo innotuit. Sed cùm ſub Heliogabalo ars ipſius parvi penderetur, mortuo hoc, officia obtulit Alexandro, à quo benignè receptus Senatuiq; recommendatus & legioni quartæ, quam ex tyronibus ipſe compoſuerat præfectus eſt. Hanc exercuit jubens milites quintâ quâque die decurrere, ſimulacra bellorum agere. Cùm ob hoc reprehenderetur à tribunis, quòd tantopere laboraret, cùm ejus loci eſſet, ut ducatum poſſet accipere, reſpondiſſe fertur: *Ego verò quò major fuero, tanto plus laborabo.* His conſpicuum virum Alexander Severus tandem integro exercitui præpoſuit, ſed in ſuam perniciem. Nam cùm in Galliâ eſſet, immiſſis à Maximino militibus occiſus, & hic à militibus Imperator ſalutatus eſt, ſine Senatûs ſuffragio. [Hujus namque tanta ſemper fuit aſtutia, ut milites non ſolùm virtute regeret, ſed etiam præmiis & lucris ſui amantiſſimos redderet.] Imperium quod crudelitate adeptus erat, crudeliſſimè geſſit, quo ipſo talem incuſſit Senatui populoque Romano metum, ut vota in templis publicè privatimque mulieres etiam cum ſuis liberis facerent, ne ille unquam Urbem Romam videret. Audiebant enim, alios in crucem ſublatos, alios animalibus nuper occiſis incluſos, alios feris objectos, alios fuſtibus eliſos, atque hæc omnia ſine delectu dignitatis, cùm videretur diſciplinam velle regere militarem; cujus exemplo civilia etiam corrigere

 voluit:

voluit : quod non convenit principi, qui diligi vult. Erat enim ei perſuaſum, Imperium niſi crudelitate non teneri. Simul & verebatur, ne propter humilitatem generis barbarici à nobilitate contemneretur. Meminerat præterea, ſe Romæ etiam à ſervis nobilium contemptum eſſe: &, ut ſe habent ſtultæ opiniones, tales eos contra ſe ſperabat futuros, cùm jam Imperator eſſet. Tantum valet conſcientia degeneris animi! Nam ignobilitatis tegendæ cauſſâ omnes conſcios generis ſui interemit, nonnullos etiam amicos, qui miſericordiæ ac pietatis cauſſâ ei ſæpè quid donarent. Reddebatur hæc beſtia quotidiè immanior ſeditione Magni cujusdam viri Conſularis, (quam tamen nonnulli tradunt fictam potius à Maximino fuiſſe, quo materiam crudelitatis augeret.) item deſciſcentium ſagittariorum Oſtroënorum, ob deſiderium Alexandri, quem ab illo occiſum apud eosdem ſatis conſtabat, nec aliud perſuaderi poterat. Hæc crudelitas ipſius perficiebat, ut quanquam ex plurimis bellis victor evaderet, cumque ingentibus ſpoliis atque captivis, ut non dubitaretur, ſi vixiſſet, quin totam Germaniam usq; ad oceanum cum ſeptentrionalibus partibus in Romanam ditionem redacturus fuerit. (ingreſſus enim Germaniam trans rhenanâ per trecenta vel quadringenta millia barbarici ſoli vicos incendit, greges abegit, prædas ſuſtulit, barbarorum plurimos interemit, militem divitem reduxit, innumeros cepit, cæteris per amnes ſylvas & paludes confugientibus.) Sed cùm Romani ejus crudelitatem ferre non poſſent, quòd delatores evocaret, accuſatores immitteret, crimina fingeret, innocentes occideret, damnaret omnes quicunque in Judicium veniſſent, ex ditisſimis hominibus pauperrimos faceret, nec aliunde niſi malo alieno pecuniam quæreret: nihil denique prætermitteret quod ad crudelitatem videretur facere; contra eum defectionem pararunt.

3. *Cum itaq, Maximianus non ſolùm in cives, ſed etiam in milites hoc modo ſæviret, exercitus, qui in Africâ erat ſubitâ & ingenti ſeditione Gordianum nobilem ſenem, virum gravisſimum, tunc proconſulem filiumq; ejus Imperatores fecerunt, applauſu quidem ſenatûs ſed triſti eventu.* Nam licet militum provincialiumque unanimis adfuerit conſenſus in Gordiano creando; hic etiam Imperium meruerit, non modò ob nobilitatem generis (originem enim paternam ex Gracchorum, maternam ex Trajani familiâ duxit, patre, avo, proavo, conſulibus) ſed & divitias, potentiam (in provinciis enim tantum terrarum habuit quantum nullus privatus) virtutesq; eruditionem nimirum & magnificentiam, quâ populo carus fuit: Quamvis etiam Senatus magnâ cum gratulatione factos contra Maximinum Imperatores Gordianos utrosque acceperit,

rit, adeò ut non ſolùm hæc geſta probaret, ſed etiam viginti viros eligeret, inter quos dividerentur Italicæ regiones contra Maximinum pro Gordianis defendendæ: Surrexit tamen adverſus hoſce Capelianus homo audax & experientiâ militari inſtructus, qui Gordianum juniorem à patre adverſus ipſum miſſum experientiâ militari deſtitutum vicit & in pugnâ interfecit. De quâ clade filii certior factus Gordianus ſenior, cùm in Africâ nihil præſidii & à Maximino multum timoris, & fides Punica perurgeret, & Capelianus acerrimè inſtaret; luctus deinde mentem atque animum fatigaret, laqueo vitam finivit, poſtquam filio imperaſſet anno uno & menſibus ſex. *Jul. Capitol.*

4. *Ubi Romam nunciatus eſt miſer Gordianorum exitus, Senatus Maximini & naturalem & jam neceſſariam crudelitatem timens, Maximum & Clodium Balbinum Imperatores creavit, quibus etiam adjectus eſt à populo parvulus nepos Gordiani: ut adeò tunc Romanus populus tribus adverſus Maximinum Imperatoribus niteretur.* Nam cùm Maximinus homo naturâ ferus SCtum accepit, quò Gordianis Imperium confirmatum erat, ſic exarſit, ut non hominem ſed belluam putares: arrepto gladio, quaſi Senatum uno gladii ictu occidere poſſet, ſcidit veſtem, effosſurus filio adoleſcenti, quem ſecum Imperatorem fecerat, oculos: quòd non jusſui paterno paruiſſet & Romæ manſiſſet: ita enim Senatum nihil auſurum fuiſſe. Dato ergo ſtipendio & quidem ingenti, Romam verſus cum exercitu proficiſci cœpit: Capelinus verò victor in Africâ pro Maximino omnes Gordiani partium interemit atque proſcripſit, nec cuiquam pepercit. Tunc ſuaſu Vectii Sabini duo à Senatu Imperatores creati ſunt, quorum alter res domeſticas, alter bellicas curaret & tyranno cum exercitu obviam iret, Maximus & Balbinus. Verùm dum hi novi Imperatores in Capitolio rem divinam faciunt, populus Romanus Imperio Maximi contradixit: timebat enim vulgus ejus ſeveritatem. Quare factum eſt, ut Gordianum adoleſcentem quoque eligerent. Maximus ergò ſuſceptis votis in Capitolio contra Maximinum cum ingenti exercitu miſſus eſt, prætorianis domi remanentibus: inter quos & populum tanta ſeditio fuit, ut ad bellum inteſtinum perveniretur: urbisque Romæ pars maxima incenderetur, templa fœdarentur, omnesque plateæ cruore polluerentur: nec ſedari aliâ ratione tumultus poſſet, quàm infante Gordiano purpurato & longisſimi hominis collo ſuperpoſito & in forum producto: hoc enim viſo populus & milites usque adeò placati ſunt, ut amore illius in concordiam redirent. Ingresſus autem in Italiam exercitus Maximini fame, hic verò odio militum fatigabatur: conſilium enim ſuſceperant provinciales de cunctis quæ victum præbere poſſent in ci-

vitates

civitates recipiendis: unde exercitus incenſus, quòd in Italiâ fame laboraret, in quâ poſt Alpes ſe recreari poſſe crederet. Fame auctâ quòd Senatus ubiq; prohibuiſſet, ne in caſtra Maximiani commeatus ferretur, hoc verò indies magis in duces militum quaſi ignavos ſæviente, cum fruſtrà Aquilejam obſideret, civibus fortiter reſiſtentibus: irâ metuque milites ducti ipſum filiumque ejus medio die quieſcentes in tentorio aggreſſi occiderunt, eorumq; capita præfixa contis Aquilejenſibus demonſtraverunt. Hic fuit finis Maximinorum dignus crudeli patre.

5. *Occiſis Maximinis, paulò poſt etiam Maximus & Balbinus diſcordiis ſuis occaſionem præbentes à militibus trucidati ſunt, & Gordianus ſolus declaratus Imperator.* Maximus enim, qui Ravennæ cum ſuo exercitu commoratus erat, trucidati Maximini exercitu ſuſcepto ad urbem cum ingenti pompâ & multitudine reverſus eſt, mœrentibus militibus, quòd cum Imperatorem, quem ipſi delegerant, perdidiſſent, eorumq; regerentur Imperio, quos Senatus legerat. quo odio ſemel imbuti militum animi refrenari non poterant. Unde cùm audiſſent Senatûs acclamationes, ad contumeliam ipſorum pertingentes: (in Senatu enim hæc verba dicta quoque erant: *Sapienter electi principes ſic agunt, per imperitos electi ſic pereunt.*) ſumſêre occaſionem occidendi Maximum & Balbinum, qui tacitam inter ſe fovebant diſcordiam, eosque cùm in palatio ſoli eſſent cum Germanis, quorum præſidio utebantur, impetum in eos fecerunt: cumque Balbinus Maximo Germanos in auxilium mittere nollet, ambos nudatos veſtibus regalibus milites de palatio cum injuriis traxerunt, atque ne à Germanis liberarentur ſtatim occiderunt. Inter hæc cùm nullum alium præſentem milites haberent, Gordianus Cæſar Imperator eſt appellatus & ſublatus à militibus Senatui & populo inſultantibus, *Capitol,*

6. *Gordianus omnibus amabilis Perſicum bellum conſilio ſoceri ſui Miſithei benè & prudenter geſſit, ſed inſidiis Philippi circumventus miſerè periit.* Nam adoleſcens Gordianus priusquam ad bellum Perſicum proficiſceretur, duxit uxorem filiam Miſithei doctiſſimi viri. A quo tempore non puerile amplius ipſius imperium apparuit: ſiquidem optimi ſoceri conſiliis juvabatur. Pugnavit cum Perſis præliis frequentibus ſemper victor exiſtens. Sed Miſitheo per venenum, ut ſuſpicabantur, à Philippo ſublato; quem magno cum ſuo malo Gordianus præfectum prætorii conſtituit: ſtatim Philippus hic humili genere natus nec in novitate atque enormitate fortunæ ſe continere valens inſidias Gordiano per milites ſtruxit, naves frumentarias avertens & milites in ea loca deducens, in quibus annonari non poterat: quo ipſo

Gor-

Gordiano infeſtos milites reddidit, non intelligentes artibus Philippi juvenem deceptum eſſe. Sed Philippus etiam addidit rumorem, adoleſcentem eſſe Gordianum, Imperium non poſſe regere; melius eſſe, illum imperare, qui militem gubernaret, qui Rempubl. ſciret. Quo ipſo effecit, ut prius quaſi tutor Gordiani cum ipſo in pari verſaretur imperio: erga quem ſuperbè ſeſe geſſit, donec tandem eò rem perduxit, ut occideretur.

ARTIC. II.
DE
JULIO PHILIPPO, DECIO, VIBIO GALLO, ET ÆMYLIO ÆMYLIANO IMPERATORIBUS.

1. M. Julius Philippus Arabs Trachonites ortus patre nobiliſſimo latronum ductore trucidato Gordiano, Imperator factus in conſortium Imperii ſumpſit filium puerum eumq; C. Philippum appellavit, qui à teneris adeò ſeveri & triſtis animi dicitur fuiſſe, ut nunquam riſerit, patremque ludis ſecularibus ſolutius cachinnantem vultu notaverit averſato. Firmare quoque niſus eſt Imperium ſuum, Priſcum fratrem Syriacis exercitibus, Severianum generum Myſiæ Macedoniæque præficiendo. Verùm Myſorum & Pannoniorum legiones Marinum; Orientales avaritiam Priſci non ferentes, Jotapianum Imperatores creant. Quibus territus Philippus deponere Imperium in animo habuit, depoſuiſſetque, niſi à Meſſio Decio confirmatus fuiſſet. Sed cùm Deciis à Philippo mitteretur in Pannoniam puniturus factionis Marini complices; illi in rem ſuam rati beneficio vincere Decium ſtatuunt Imperatorem eum creando. Philippus, filio relicto domi, ut Urbi præeſſet, confligit prope Veronam cum Decio fugatoq; exercitu cadit. Queis Romæ compertis apud caſtra Prætoria filius duodecimum annum agens quoque interficitur: Poſtquam annos ſex imperitatum eſſet. *Aurel.Victor.*

2. Decius hoſtium cæde lætus filium Hetruſcum nomine Cæſarem facit: eoque in Illyrios præmiſſo Romæ moratur mœnium, quæ reſtituit, dedicandorum gratiâ. Interea Jotapianus, qui per Syriam nova tentaverat militum arbitrio occubuit ejusque ora inopinata ad Decium lata ſunt. Contrà verò Lucio Priſco, qui Macedonas præſidatu regebat, delata dominatio Gothorum concurſu, poſtquam direptis Thraciæ pleriſque illò pervenerant. Decio hac de cauſſâ Româ degreſſo Julius Valens vulgo ita cupiente Imperium capit. Verùm utriq; mox cæſi. Decius Vibio Gallo Tanaidis ripæ præfecto, cum filio Gothos invadit & aliquot præliis vincit. Sed dum interclusis itinerib9 omni prædâ eos exuere conatur, Cniva Dux Gothorum

Philippopolin expugnat, Deciiq; filium in conflictu interficit. Decius, cùm perculſi milites ad ſolandum eum multa præfati eſſent, dixiſſe fertur: detrimentum unius militis parum videri ſibi: affectum tamen paternum non ferens hoſtes invadit, deluſusque à Gallo apud paludem eos aggreditur: ubi circumſeptus à Gothis voraginibus hauritur, ita ut nec cadaver ejus potuerit inveniri. Imperavit menſes triginta. *Aurel. Victor. Jornandes. Zoſim. Zonar.*

3. Vibius Gallus Romam profectus filium Voluſianum Cæſarem creat, & poſtquam Hoſtilianus, cui Senatus Auguſtum nomen dedit peſtilentiâ interierat, Decii filium alterum ſibi adoptat, quò ſecurius agentem ſceleratius interficeret. Quùm verò negligentius agerent hi Cæſares & Romæ peſtilentiâ extinctorum exequias curarent, barbari miſerè vaſtarunt Imperium, Scythæ Græciam, Perſæ Meſopotamiam, Gothi cum Burgundis & Carpis cætera Europæ. Æmylius ergò Æmylianus legionum Pannoniæ dux, genere Maurus, pugnax, non tamen præceps, cohortatus milites, ne Romanum nomen Scythis conculcandum darent, præter expectationem hoſtes concîdit, partisq; opimis ſpoliis in Scytharum regiones ſuas traduxit legiones. Ab his in Mœſiâ creatus Imperator Senatui per legatos pollicetur, ſe barbaros Thraciâ, Perſas Aſiâ Syriâq; expulſurum ac ducem tantùm futurum militiæ, imperio Senatui relicto, properatoque in Italiam tendit itinere, militesq; Galli ſpe præmii majoris corrumpit, ut Gallum Voluſianumque occiderent, & in ipſius partes tranſirent. Et ita periêre Gallus filiusq; ipſius poſtquam vix biennium imperitaverant. *Zoſim. Zonar.*

4. Æmyliano iisdem artibus, quibus acquiſierat, imperium ademptum eſt: quique odio Galli dederant favore Licinii Valeriani eum vitâ abſtulêre. Occiſus eſt inter Narniam & Ocriculum apud pontem ab eodem ſanguinarium dictum trimeſtris Imperator. Hoc pacto pro dominatione brevi mactandas præbuerunt ſe beſtiæ. *Aurel. Vict.*

ARTIC. III.

DE LICINIO VALERIANO.

1. *Valerianus dignisſimus Imperio habitus miſerrimum & infelicisſimum ſenſit Imperii ſui exitum.* Nobilis namque genere per dignitatum omnes gradus ſuis temporibus ad maximum in terris culmen aſcendens ſeptuagenarius, qui vitam omnem duxerat laudabilem, non, ut ſolet tumultuario populi concurſu, non militum ſtrepitu, ſed jure meritorum & quaſi ex totius orbis unâ ſententiâ Imperator factus eſt. Si enim data fuiſſet omnibus poteſtas promendi arbitrii, quem Impera-

peratorem vellent, alium non elegiſſent. Decii namq; temporibus cùm creandus eſſet Cenſor, omnes, qui in Senatu fuerant, ſine morâ dixiſſe feruntur: *Valeriani vita cenſura eſt. Ille de omnibus judicet qui omnibus eſt melior, quiq, in totâ ſuâ vitâ Cenſor fuit. Primus genere, emendatus vitâ, doctrinâ clarus, moribus ſingularis, exemplum antiquitatis. Trebell. Pollio.* Factus hic Imperator, cùm undiq; barbari Imperium vaſtarent, Gallienum filium Auguſtum, alterum Cornelium Valerianum Cæſarem creat: Gallieno Occidentem tradit, ipſe in Orientem adverſus Perſas proficiſcitur, quorum Rex Sapores ſuaſu Cyriadis imperium invaſerat. Sed nihil feliciter bono Valeriano proceſſit, occiſo quamvis Cyriade, qui ſalutatus Auguſtus erat: cùm enim Sapori imparem ſe viribus, lue corripiente exercitus Romanos, videret, pecuniâ placare barbarum conatus eſt: ſed ductu cujusdam ducis, cui ſummam omnium bellicarum rerum agendarum commiſerat, ſeu fraude, ſeu adverſâ fortunâ in ea loca deductus, ubi nec vigor nec diſciplina militaris quicquam potuit, captus in poteſtatem regis Saporis pervenit, & in viliſſimâ ſervitute vitam finivit. *Trebell. Pollio.* Sapores namque victor fertur, quoties eqvum adſcenderet incurvati Valeriani cervici pedem impoſuiſſe, & ad extremum cute detractâ fœdè laniatum interfeciſſe.

ARTIC. IV.
De
GALLIENO.

1. *Capto Valeriano, nutante Republicâ & toto Oriente periclitante, Gallienus incipit imperare homo natus magis otio, voluptatibus & abdomini, quàm Imperio. quo proinde ſine ſeriâ curâ, crudeliter tamen imperante miſerè triginta tyrannis laceratum eſt Imperium.* Erat namque adeò negligens, ut ejus ne quidem mentio apud milites fieret: non obſtante, quòd ad liberandum à captivitate parentem pietate excitari debuiſſet. Cùm enim pleriq; patris ejus captivitatẽ mœrerent, ille ſpecie decoris, quòd pater ejus virtutis ſtudio deceptus videretur, ſuprà modũ lætatus eſt: quodq; philoſophus ille dixerat, cùm filius ipſius moreretur: *ſciebam me genuiſſe mortalem*; hoc ille patri hoſtibus miſerè ſervienti applicans dixit: *ſciebam patrem meum eſſe mortalem.* Scilicet gaudebat, patrem Cenſorem amotum, & ſibi nunc licere vivere, ut vellet. Et quanquam non ſemel querelæ de miſeriâ patris audirentur, quòd à filio inultus relinqueretur, cujus tamen vindictam extranei quærerent: talibus non movebatur, obſtupefacto voluptatibus corde: ſed ab iis, qui circum eum erant, requirebat, ecquid habemus in prandio? qualis cras erit cœna, quales Circenſes? Et ita noctes diesque

vino & ſtupris perdidit; in Republicâ otioſus luxuriam & intemperantiam trahens negotioſam: veris enim tempore cubicula de roſis fecit, de pomis caſtella compoſuit, uvas triennio ſervavit, hyeme ſummâ melones exhibuit, muſtum quemadmodum toto anno haberetur, docuit, ficos virides & poma ex arboribus recentia ſemper alienis menſibus præbuit. Vino & popinis vacavit, lenonibus, mimis & meretricibus ſe dedidit ac bona naturæ luxûriæ in cibo, potu ac re venereâ continuatione deperdidit. Neve ullum omitteret luxuriæ genus, crinibus ſuis auri ſcobem aſperſit, uſus quoq; chlamyde purpureâ gemmatisq; fibulis & aureis & quidem Romæ, ubi principes ſemper togati viſebantur. Vanitates quoque ſectatus eſt factus Athenis Archon vanitate illâ, quâ & civis adſcribi deſiderabat, & ſacris omnibus intereſſe. Areopagitarum præterea cupiebat ingeri numero: ſectabatur enim laudes ex poëſi in quâ exercitatus erat certans ſæpenumero cum poëtis. Unde hujus dicitur fuiſſe epithalamium:

Ite, ait, ô pueri, pariter ſudate medullis
Omnibus inter vos: non murmura veſtra columbæ
Brachia non hederæ, non vincant oſcula conchæ.

Scilicet non perpendebat Ucalegon ille aliud in poëtâ aliud in Imperatore flagitari, nec carminibus ſuccurri Reipublicæ. Quapropter & poëtarum more de Reipublicæ negotiis loquebatur. Nam cùm ei nunciatum eſſet, Ægyptum deſciviſſe, dixiſſe fertur: Quid? ſine lino Ægyptio esſe non poſſumus? Cùm autem vaſtatam Aſiam comperisſet: Quid, inquit, ſine aphronitris eſſe non poſſumus? Perditâ Galliâ arriſisſe ac dixiſſe perhibetur, Non ſine trabeatis ſagis tuta Reſpublica eſt? Sic denique de omnibus partibus mundi, cùm eas amitteret, quaſi detrimentis vilium miniſteriorum videretur affici, jocatus eſt. Et in ſummâ deditus helluationi, ludibriis & aliis vanitatibus non aliter Rempublicam rexit, quàm cùm pueri fiugunt per ludibria poteſtates. Huic ipſius luxuriæ & deſidiæ acceſſit crudelitas. Nam cùm ludos aliquando ageret & Regem Perſarum tanquam captivatum (quanta ſtoliditas, cùm Rex ille patrem ipſius captivum teneret!) duceret: quidam ſcurræ miſcuerunt ſe Perſis, diligentisſimè ſcrutantes omnia, & interrogati quidnam ſuâ ſolertiâ agerent, reſponderunt, Patrem principis quærimus. Hoc cum ad Gallienum pervenisſet, non pudore, non mœrore, non pietate commotus eſt, ſcurrasque juſſit vivos exuri. Quæ impietas & crudelitas & populum & milites valdè affecit. Fertur quoq; terna millia vel quaterna militum ſingulis diebus occidiſſe. Hæc atq; talia cùm nil niſi odium & contemptus conſequi poſſent, & non modò ſubditos ſed & Deum ipſum gravisſimè offenderent:

rent: etiam ſecuta reliqua ſunt, quæ communiter ſolent. nimirum æternum illud Numen inter tot bellicas clades etiam terræ motus graviſſimos immiſit, quibus multa ædificia cum habitatoribus abſorpta ſunt: multi terrore ſunt mortui. Mota eſt & Roma: hiatusque terræ plurimis in locis fuerunt, cùm aqua ſalſa in foſſis appareret. Maria etiam multos urbes occuparunt. Vaſtavit quoque orbem Romanum peſtilentia. Et propterea cùm tot calamitatibus premeretur Imperium Romanum, hinc terræ motibus, inde hiatibus ex diverſis partibus peſtilentiâ, capto Valeriano, Gallieno voluptatibus & luxuriæ dedito, apud omnes barbaros in contemptu fuit & undiquaq; invaſum. Gothi Macedoniam vaſtarunt, Theſſalonicam obſederunt. Templum Dianæ Epheſiæ ſpoliatum & incenſum eſt. Pleræque civitates Bithyniæ à Scythis deletæ. Denique quaſi conjuratione totius mundi factâ per univerſum orbem Romanum exſtitére tumultus nullam aliam ob cauſſam, quàm quòd Gallienus homo luxurioſiſſimus & modò frui ſecurè voluptatibus poſſet ad omne dedecus paratiſſimus apud omnes in contemptu eſſet. Hinc, mirum dictu, hac beſtiâ imperante (imperavit autem cum patre ſex, ſolus novem annis) triginta tyranni Imperatores à militibus ſalutati ſunt. Cujus quidem hæc cauſſa, quòd, poſtquam Senatûs nulla amplius ratio habebatur, Imperator verò contemptiſſimus homo exiſteret; nihil eſſet, quod impediret, quò minus milites quibusvis in provinciis facerent quod vellent. *Pollio.*

2. *Primus tyranniorum, qui adhuc Patre Gallieni regnante Imperatorem ſe dici voluit Cyriades fuit, mox à militibus trucidatus.* Nam hic Patrem Cyriadem fugiens, cùm luxuriâ ſuâ & moribus perditis ſanctum ſenem gravaret, direptâ magnâ parte auri Perſas petiit: atque inde Sapori regi conjunctus & ſociatus Odenatum primùm, deinde Saporem ad Romanum ſolum traxit, ipſe verò Cæſareanum nomen accepit. Atq; inde vocatus Auguſtus, cùm omnem Orientem vel virium audaciâ vel terrore quateret. Sed mox inſidiis ſuorum, cùm Valerianus ad bellum Perſicum veniret, occiſus eſt.

3. *Hinc Aureolus Illyricanos regens exercitus in contemptum Gallieni coactus à militibus ſumſit Imperium, qui tandem poſt mortem Gallieni à Claudio victus, & prope pontem, qui ab ipſo nomen habuit, ut tyrannus viliori ſepulchro donatus eſt.* Nam cùm Gallienus adverſus eum tanquam virum fortem fruſtrà pugnare tentaſſet: pacem cum eo pugnaturus adverſus Poſthumium fecit, quò ejus auxilio uteretur.

4. *Hinc pro defendendo Oriente Macrianus & duo ipſius filii Imperatores creati, quibus quartus etiam putatur acceſſiſſe Baliſta: qui ta-*

men omnes trucidati ſunt. Nam cùm Romanum in Oriente nutaret Imperium, Gallieno nihil agente, Macrianus & Baliſta coivêre ſolliciti de Imperatore, pluribusq; accitis placuit, Macrianum & filios ipſius Macrianum juniorem & Quietum dici Imperatores, qui defendendam Rempublicam capeſſerent. Nemo namq; ducum Macriano tunc ſapientior habebatur, nemo ad res gerendas aptior. Erat quoque Macrianus ditiſſimus, ut adeò privatis poſſet fortunis publica explere diſpendia: accedebat, quòd liberi etiam fortiſſimi juvenes totâ mente in bellum ruebant, ut eſſent legionibus exemplo ad omnia militaria. Macrianus ergò Imperator creatus undiq; collectis exercitibus Orientis partes petiit: atque ut poſſet latè ſibi delatum Imperium defendere & tueri, bellum ſic inſtruxit, copiasq; ita paravit, ut eſſet omnium circumſpectus quæ contra eum poterant cogitari. Idem Macrianus *Piſonem* unum ex nobilibus principibus Senatûs ad Achaiam deſtinavit ob hoc, ut *Valentem*, qui illic proconſulari Imperio Rempublicam gubernabat, opprimeret. (Erat enim hic vir militaris, ſimul etiam civilium gloriâ pollens virtutum, proconſulatum Achaiæ à Gallieno datum adminiſtrans, quem Macrianus vehementer reformidabat) *Sed Valens, comperto quòd Piſo contra ſe veniret, ſumpſit Imperium*: aliâ enim ratione ſe ſibi haud ſubvenire poſſe videbat. *Piſo à Macriano ad interficiendum Valentem miſſus, ubi eum providum futurorum cognovit Theſſaliam conceſſit, atq; illic, paucis ſibi conſentientibus, uſus quoq; Imperatoris nomine, appellatus inde Theſſalicus.* Sed Piſo à Valente, Valens à ſuis eſt occiſus. Macrianus in Oriente relicto uno ex filiis, alterum ex filiis ſibi comitem ſumens, Aureolum, qui in Illyrico ut Imperator dominabatur, petens ab eodem victus cum filio Macriano juniore occubuit, deditusq; omnis exercitus Aureoli Imperatori. *Pollio.*

5. *Occiſis Macrianis Odenatus rex Palmyrenorum Orientem ſibi ſubjecit, ſtrenuè adverſus Perſas res gerens, ut ab ipſo Gallieno Auguſtus diceretur: ſed & ipſe tandem inſidiis conſobrini Mæonii occiſus eſt.* Nam Gallienus cognitâ morte Macrianorum quaſi ſecurus rerum, libidini ac voluptati ſe dedidit totum, ludos celebrans Circenſes, ſcenicos, gymnicos, venationes & ludos gladiatorios inſtituens; populumque quaſi victorialibus diebus ad feſtivitatem ac plauſum vocans. Odenatus ergò certior factus, Gallienum remiſſius agere ad alterum filium Macriani *Quietum* occidendum feſtinavit, ſub ſpecie, quaſi Gallieni partes vendicaret. qui ſi vixiſſet dignus Imperio lapſis fortaſſe ſuccurrere potuiſſet. Occiſus & tunc *Baliſta* vir inſignis & ad Rempublicam conſiliis adminiſtrandam vehemens, quem itidem aliquandiu Imperatoris nomine uſum hiſtorici nonnulli referunt. Hoc pacto to-

tius propè Orientis factus eſt Imperator Odenatus, cùm Illyricum teneret Aureolus, Gallienus Romam, & aus nullas aut luxurioſas aut ineptas aut ridiculas res agens: ſtatimq; bellum Perſis in vindictam Valeriani, quam ejus filius negligebat, indixit. Niſibin & Carras occupat, tradentes ſeſe & Gallienum increpantes. Nec defuit tamen reverentia circa Gallienum: captos enim ſatrapas ad eum miſit; quos accipiens Gallienus de victoria Odenati triumphavit. Hinc Odenatus nihil aliud agens, quàm ut Romanorum nomine ignominiam capti Valeriani vindicaret eumque captum liberaret, quotidiè inſtabat, ac locorum difficultatibus, in alieno ſolo Imperator optimus laborabat. Cùm Gallienus res geſtas Odenati comperiſſet, redactas ſcil. Niſibin & Carras in poteſtatem Romanam, omnem Meſopotamiam Romanorum, deniq; Cteſiphontem eſſe perventum, fugiſſe regem, captos ſatrapas, plurimos Perſarum occiſos: Odenatum Auguſtum vocavit, ejusq; monetam, quâ Perſas captos traheret, cudi juſſit, quod & Senatui & urbi gratum fuit. Sed imperator hic Imperio Romano ſummè proficuus à conſobrino *Mæonio* occiſus eſt, unà cum filio *Herode*, quem pater Odenatus quoque Imperatorem dixerat. Nullam prætendere *Mæonius* cauſſam potuit quàm Herodis delicias (erat enim homo delicatiſſimus & pater ingenio ejus favens quicquid concubinarum regalium, quicquid divitiarum gemmarumque cepit eidem tradidit.) Dicitur autem primùm cum Zenobiâ uxore Odenati novercâ Herodis conſenſiſſe, quæ ferre non poterat, ut privignus ejus Herodes priore loco quàm filii ejus Herennianus & Timolaus princeps diceretur. Sed fuit hic *Mæonius* ſpurciſſimus homo. *Quare Imperator appellatus per errorem brevi à militibus pro ſua luxuria meritis interemtus eſt. Treb. Pollio.*

6. *Omnis tandem Gallieno imperante conſumptus eſt pudor: & fatigatâ Republicâ eousq; perventum eſt, ut, Gallieno nequiſſime agente, optimè etiam mulieres peregrinæ imperarent.* Nam Zenobia Odenati vidua, quæ ſe de Cleopatrarum Ptolemæorumque gente jactabat, poſt ſublatum Maritum & Mæonium ejusdem occiſorem, imperiali ſagulo perfuſo per humeros habitu, donis ornata, diademate etiam accepto nomine filiorum Herennii & Timolai diutius quàm fœmineus ſexus onus ſufferre poſſe videbatur, imperavit: ſiquidem & poſt mortem Gallieni, Claudio bellis Gothicis occupato regale munus obtinuit: & vix deniq; ab Aureliano victa & triumphata in jura Romana conceſſit. Videtur autem Claudius cautè, dum Gothicis rebus occupatus erat, perpeſſus, ut illâ ſervante Orientales fines Imperii ipſe ſecurius quæ inſtituerat perpetraret. Fertur hujus ea caſtitas fuiſſe, ut ne

virum

virum ſuum admitteret, niſi tentatis conceptionibus. nam cùm ſemel concubuiſſet, expectatis menſtruis, continuit ſe, ſi prægnans eſſet; ſin minus iterum poteſtatem quærendis liberis dabat. Laboribus & moleſtiis ferendis apta frequenter vel tria vel quatuor miliaria cum peditibus ambulavit. Temperans fuit quoque in cibo & potu: bibebat tamen cum Perſis ut vinceret eosdem: hiſtoriæ Alexandrinæ atq; Orientalis adeò perita, ut eam epitomaſſe dicta fuerit. Captæ ab Aureliano data eſt poſſeſſio in Tiburti, quæ poſtea ab eâdem Zenobia dicta eſt; liberis ejusdem duobus Imperatoribus occiſis.

7. *In Ægypto quoq; Æmilianus, qui urbi Alexandriæ præerat, coactus eſt ſumere Imperium mox vivus Gallieno oblatus.* Nam turba Alexandrina omni ſeditionum inſtrumento & furore eum perſecuta eſt, ictus eſt lapidibus, petitus ferro: ut ſciret, ſibi pereundum eſſe, niſi imperium reciperet. Et huic turbæ conſenſit exercitus Ægyptiacus maximè in Gallieni odium. Nec ejus ad regendam Rempublicam vigor defuit: ad Thebaidem totumque Ægyptum peragravit, & quatenus potuit barbarorum gentes fortiter ſubmovit. Unde Alexandrinus virtutum merito dictus eſt. Sed non diu imperavit. Nam cùm contra Indos pararet expeditionem, à Theodoto duce, quem Gallienus miſerat, ſuperatus & vivus captus eſt, transmiſſusq; Gallieno dedit pœnas in carcere ſtrangulatus. *Pollio,*

8. *Galli quoq; nec puerum imperantem nec Imperatorem luxurioſum ferre valentes invito Poſtumio obtruſere imperium, cui feliciter præfuit per ſeptem annos adverſus barbaros pugnando, donec inſidiis Lolliani occideretur.* Nam cùm Gallienus filium Salominum præfeciſſet Galliæ & huic rectorem Poſtumium tanquam virum in omni vitâ gravem addidiſſet, cuſtodemque vitæ ejusdem: miſſi ſunt à Gallis qui Salominum adoleſcentem occiderent & Poſtumium Imperatorem appellarent. Quo facto, à totâ Galliâ & omni exercitu ibidem læto animo acceptus Poſtumius talem ſe præbuit per annos ſeptem, ut Germanicis omnibus ſubmotis gentibus ſecuram adverſus barbaros Galliam redderet: ſuſtineret etiam Gallienum aſſumendo ſibi collegam Imperii *Victorinum* militaris induſtriæ virum: donec rebellione *Lolliani* Poſtumius ejusq; filius *Poſtumius junior* à patre Cæſar appellatus, ac deinceps in ejus honorem Auguſtus, interemti ſunt.

9. *Lollianus in locum Poſtumii Imperator ſurrogatus à Gallis iterum interemtus eſt.* Fuit hic quidem fortiſſimus, ſed rebellionis intuitu minorem auctoritatem apud Gallos tenuit. Itaque occiſus eſt. *Pollio.*

10. *Interfecto Lolliano ſolus Victorinus, olim collega Poſtumii, in*

Imperio

Imperio Galliæ remanſit, mox tamen ob libidines occiſus. Nam multa militum militariumq; matrimonia corruperat; ob quod ab actuario quodam, cujus uxorem ſtupraverat, percusſus Agrippinæ eſt. Hoc mali unicam ob libidinem ſubiit, cætera vir gravis & regendo Imperio aptus. *Pollio.*

11. *Poſthac Victoria vel Victorina mater caſtrorum & Augusta appellata, Victorinum nepotem ſuum Victorini filium Cæſarem appellavit, quem tamen puerulum ſtatim milites occiderunt. Hanc mulierem itidem literis & hiſtoriâ dignam Gallieni perverſi mores reddidêre.* Nam occiſis Poſtumiis, Lolliano, Victorinis *Marius ex fabro ferrario triduanus Imperator fuit.* Primâ die factus eſt Imperator, alterâ viſus eſt imperare, tertiâ depoſuit imperium occiſus à quodam milite, qui, cùm ejus quondam operarius in arte fabrili fuiſſet, eum contempſit. Dicitur interemtor addidiſſe hæc verba: *Hic eſt gladius quem ipſe feciſti.* Hunc ergò cùm Victoria occiſum videret, *Tetricum* ad Imperium exhortata eſt, ipſa tamen paulò poſt occiſa, vel, ut alii volunt, fatali necesſitate conſumta.

12. *Tetricus, cujus filius Tetricus Cæſar à Victoriâ dictus eſt, cùm hæc à militibus mater caſtrorum appellaretur, ab Aureliano captus & per triumphum ductus.* Nam licet multa Tetricus feliciter egiſſet, diuq; imperasſet, tandem tamen ab Aureliano victus eſt, & cùm ſuorum militum impudentiam & procacitatem ferre non poſſet, volens ſe gravisſimo & ſeverisſimo principi dedidit. Verſus deniq; illius, quem ſtatim ad Aurelianum ſcripſerat, fertur

Eripe me his, invicte, malis.

Quare cùm Aurelianus nihil ſimplex neq; mite aut tranquillum facilè cogitaret, Senatorem populi Romani, eundemq; Conſularem, qui jure præſidiali omnes Gallias rexerat per triumphum duxit, eodem tempore, quo & Zenobiam Odenati uxorem cum filiis minorennibus Odenati. Poſtea tamen quaſi pudore victus eundem hunc correctorem Italiæ conſtituit, eundem ſæpè collegam, nonnunquam commilitonem, aliquando etiam Imperatorem appellans. Filium quoque ejus Aurelianus tantâ tractavit humanitate, ut neminem illi præferret. *Pollio*

13. *Ingenuus qui Pannonias regebat itidem dictus eſt Imperator à Mœſiacis legionibus, cæteris Pannoniarum volentibus: ob quod tamen Ingenuus periit & in milites graviſſimè ſævitum eſt.* Nam cùm Sarmatæ inſtarent & deesſet Imperator, hic videbatur aptisſimus, qui fesſis rebus mederetur. Ipſe verò Ingenuus ſævitiam Imperatoris & aliàs metuendam habebat, quòd eſſet & fortisſimus & militibus acceptisſimus,

ac proinde oblatam dignitatem acceptabat. Sed Gallienus, ut erat nequam & perditus, ita etiam, ubi neceſſitas cogeret, velox, furibundus, ferus, vehemens, crudelis: denique Ingenuum conflictu habito vicit, eoque occiſo, in omnes Mœſiacos, tàm milites quàm cives, aſperrimè ſæviit: nec quenquam ſuæ crudelitatis exſortem reliqvit: usque adeò aſper & truculentus, ut pleraſque civitates vacuas à virili ſexu relinqueret. Fertur & Ingenuus civitate captâ intraſſe domum, & in eâdem ſe pugione transfodiſſe, atq; ita vitam finiiſſe, ne in tyranni crudelis poteſtatem veniret.

14. *Cùm cæteris audacia vel judicium Imperatoriam dignitatem dediſſet Gallieni tempore: Regilliano contulit jocularis aſtutia.* Nam cùm milites quidam cum eo cœnarent, adſtitit Valerianus tribunus, qui diceret, Regilliani nomen unde credimus dictum? Alius continuò, credimus quòd à regno. Tum is qui aderat ſcholaſticus cœpit quaſi grammaticaliter declinare & dicere, Rex, regis, regi, Regillianus. Militesq; proni ad ea quæ cogitarant, dixerunt; Ergò poteſt rex eſſe? item alius, Ergò poteſt nos regere? item alius, Deus tibi nomen regis impoſuit. Quid multa? his dictis, cùm aliâ die manè proceſſiſſet, à principiis Imperator eſt ſalutatus. Fuit autem vir in re militari ſemper probatus, & Gallieno jam ante ſuſpectus, quòd dignus videretur Imperio. *Pollio.*

15. *Trebellianus dux Iſaurorum, quem alii Archipiratam vocabant, ipſe ſe Imperatorem appellavit, monetam cudi juſſit, & in arce Iſauriæ palatium conſtituit, victus à Cauſiſoleo duce Gallieni & occiſus ſine magno commodo.* Nam à temporibus Trebelliani Iſauri pro barbaris habiti ſunt; & cùm in medio Romani nominis ſolo regio eorum eſſet, ſecuri tamen vixerunt; quippe quòd in editis poſiti adiri non poſſent. *Pollio.*

16. *Celſum Afri Imperatorem auctore Vibio Paſſieno proconſule Africæ dixerunt vix inter obſcuros principes ab hiſtoricis relatum.* Nam antequam Imperator fieret, privatus in agris ſuis vivebat, eâ tamen & juſtitiâ & corporis magnitudine, ut dignus videretur imperio: Imperator verò creatus ſtatim ſeptimo die pòſt à muliere Gallienâ conſobrinâ Gallieni interemptus eſt. Corpus ejus à canibus conſumtum eſt, Siccenſibus, qui Gallieno fidem ſervaverant, urgentibus.

17. *His omnibus tyrannis acceſſere etiam Saturninus, Titus, Cenſorinus.* Saturninus à militibus factus concione fertur dixiſſe: Commilitones, bonum ducem perdidiſtis, & malum principem feciſtis. Hinc cùm multa ſtrenuè in Imperio feciſſet, quòd eſſet ſeverior & gravior militibus, ab iiſdem ipſis, à quibus creatus fuerat, interemtus eſt.

Titus

Titus invictus & timore mortis delatum à militibus Imperium ſuſcepit, menſibus ſex imperavit à militibus ſuis iterum occiſus. Cenſorinus vir diu & in multis honoribus verſatus, cùm in agro ſuo degeret ſenex atque uno pede claudicans ex vulnere, obq; hoc per jocum à militibus Claudius dictus, Imperator factus ſtatim à militibus electoribus ſuis interemtus eſt, felix ad omnia infelicisſimus Imperator.

18. *Tandem Gallienus in ſummo contemptu, ob luxuriam, & odio, ob crudelitatem, non apud Romanos ſed etiam exteros occiſus: cùm instructus tot ducibus imperatorio munere dignis à milite habitis cunctis nationibus & populis terrori eſſe potuiſſet.* Nam cùm tolerari ipſius vita amplius non poſſet: conſilium inierunt Martianus & Heraclianus, ut alter horum imperium caperet: & Claudius quidem vir omnium optimus electus eſt, qui conſilio non adfuerat. Occiſus autem ab his eſt Gallienus inſidiis hiſce: Gallienus ab Aureolo qui principatum invaſerat, disſidebat, ſperans quotidiè gravem & intolerabilem tumultuarii Imperatoris adventum. Hoc ſcientes Martianus & Cecropius, ſubitò Gallieno juſſerant nuntiari, Aureolum jam venire. Ille igitur militibus congregatis, quaſi certum proceſſit ad prælium: atq; ita misſis percuſſoribus interemtus eſt. Dedit hic Imperator exemplum, quomodo deſidiâ inclareſcere etiam ignavi poſſint.

ARTIC. V.
DE CLAUDIO ET FRATRE EJUS QVINTILLO.

1. *Claudius natione Dalmata vir egregius volenti Gallieno ſucceſſit.* Nam ferebatur, Gallienum jam moriturum regia indumenta huic mitti juſſiſſe.

2. *Egregius fuit civis in omnibus oſtendens, ſe magis patriæ quàm ſibi natum eſſe.* Nam primùm ut factus eſt Imperator, Aureolum, qui gravior Reipubl. fuerat, conflictu habito à Reipublicæ gubernaculis depulit, tyrannumque, misſis ad populum edictis, datis etiam ad Senatum orationibus judicavit. Et quamvis fœdus ille peteret Aureolus: his tamen verbis ipſi fuit denegatum; *Hæc à Gallieno petenda fuerant, qui conſentire moribus poterat, & timere.* Deniq; judicio militum apud Mediolanum Aureolus dignum exitum vitæ ac moribus ſuis habuit. Hinc adverſus Gothos paravit bellum, qui evaſerant eo tempore, quo illos Macrianus eſt perſecutus, quosque diuturnitas nimis validos ac propè incolas effecerat. Inſpecti tunc ſunt libri fatales Sibyllini: & cùm ex iis addiſceretur, primum Senatorii ordinis victoriæ vovendum, hujusq; morte malis remedium quærendum, Pompo-

nio Baſſo, qui tunc erat primus, ſe offerente, ipſe Claudius vitam ſuam, haud paſſus reſponſa fruſtrari, ſibi potius id muneris competere oſtendit, neminem enim Senatorii ordinis primas habere, niſi ipſum Imperatorem, qui reverà Senatûs & omnium princeps eſſet. Ita nullo exercitus detrimento fuſi barbari ſummotique, poſtquam Imperator vitam Reipubl. dono dedit. *Aurel. Vict.* Scytharum diverſi populi, dum Claudius in aliis occupatus ad bellum imperatoriè gerendum ſe præparabat, prædæ cupiditate in Romanum ſolum venerant, quò gloria principis accreſceret, ejusque victoria fieret celebrior toto penitus orbe. Armatarum enim gentium ita trecenta viginti millia ſuâ virtute ſuparavit & brevi tempore attrivit, paucis ad patrium ſolum redeuntibus. Feruntur etiam barbari habuiſſe duo millia navium. Ita enim ipſe in epiſtolâ ad amicum ſcripſerat: Delevimus trecenta viginti millia Gothorum, duo millia navium merſimus. Tecta ſunt flumina ſcutis &c. Finito bello Gothico gravisſimus morbus increbuit, quo etiam ipſe Claudius affectus mortales reliquit; cùm nondum integro biennio imperaſſet. Hujus res geſtæ tantam poſteris famam dederunt, ut Senatus populusq; Romanus novis eum honoribus poſt mortem affecerint. Illi clypeum aureum Senatus Romanâ curiâ, &, quod nulli antea contigit, populus Romanus ſumptu ſuo in Capitolio ante Jovis templum ſtatuam auream decem pedum collocavit. *Flav. Vopiſcus.*

3. *Succesſit Claudio in Imperio Quintillus frater, qui tamen ob brevitatem temporis nihil dignum Imperio gerere potuit.* Nam ſeptimâ decimâ die, quòd ſe militibus gravem nimis exhibuerat, eo genere mortis, quo Galba quo Pertinax periit.

ARTIC. VI.

DE AURELIANO.

1. *Aurelianus vir ſeveritatis immenſæ, & diſciplinæ ſingularis omnium legionum conſenſu Imperator poſt mortem Claudii factus eſt, princeps magis necesſarius quàm bonus.* Nam à teneris ingenio vivaciſſimus, viribus clarus nullum unquam diem prætermiſit, quamvis feſtum, quamvis vacantem, quo non ſe pilo & ſagittis cæterisque armorum officiis exerceret. Quapropter ejus in bello, antequam crearetur Imperator, multa exſtitêre præclarè geſta. nam erumpentes Sarmatas in Illyrico cum trecentis præſidiariis ſolus fortiter attrivit. Secundis poſt hæc uſus auſpiciis Claudianis Rempublicam in integrum reddidit. Quæ cauſſa fuit ut legiones omnes ipſum imperatorem ſalutarent. Hic quidem ſuâ ſeveritate talem militibus incuſſit timorem, ut ſub

ſub eo, poſteaquam ſemel cum ingenti ſeveritate caſtrenſia peccata correxerat, nemo peccaverit. Solus denique omnium militem, qui adulterium cum hoſpitis uxore commiſerat, ita punivit, ut duarum arborum capita inflecteret, ad pedes militis deligaret, easdemq; ſubitò dimitteret, ut ſcisſus ille utrinque penderet. Quæ res ingentem timorem omnibus fecit. Haud abs re erit epiſtolam militarem ad vicarium ſuum datam inſerere. *Si vis tribunus eſſe, imò ſi vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat. ſegetem nemo deterat. oleum, ſal, lignum nemo exigat; annonâ ſuâ contentus ſit. De prædâ hoſtis, non de lachrymis provincialium habeat. Arma terſa ſint; ferramenta ſamiata* (acuta) *calceamenta fortia, Veſtis nova veſtem veterem excludat. Stipendium in balteo non in popinâ habeat. Torquem brachialem & annulum apponat. Equum ſagmarium ſuum defricet. Captum animal non vendat. Alter alteri quaſi ſervus obſequatur. à medicis gratis curentur. aruſpicibus nihil dent. in hoſpitiis caſtè ſe agant. qui litem fecerit, vapulet.* Hæc quidem benè, niſi & cætera crudelior paulò & iracundior exſtitisſet. Nam incivilius in cives uſus imperio & plenus irarum vindictæque cupidus, quàm ſeditionum aſperitas ſuggerebat: interemptis enim ſeditionum auctoribus cruentius ea, quæ mollius fuerant curanda, compeſcuit: Interfecti ſunt etiam nonnulli nobiles Senatores, cum quibus leve quiddam & quod contemni à mitiori principe potuisſet, vel unus vel levis vel vilis teſtis objiceret. & ita magnum illud, & quod jam fuerat, & quod non fruſtrà ſperatum eſt infamiæ triſtioris ictu contaminavit imperium, timeri cœpit princeps optimus non amari. Cùm alii dicerent perfodiendum talem principem, non optandum; alii, bonum quidem medicum, ſed malâ ratione curantem. Dicitur enim eò procesſisſe ipſius crudelitas, ut plerisq; Senatoribus ſimulatam ingereret factionem conjurationis ac tyrannidis, quò facilius eos poſſet occidere. addunt nonnulli furorem ipſius ad liberos ſororis procesſisſe. Servos & miniſtros peccantes coram ſe cædi jusſit. Crudelitatem in Palmyrenos ipſe confesſus vel potius de eâ gloriatus eſt quâdam epiſtolâ: cujus verba à Flavio Vopiſco hæc referuntur: *Non oportuit ulterius progredi militum gladios. Jam ſatis Palmyrenorum caſum atq; occiſum eſt. Mulieribus non pepercimus, infantes occidimus, ſenes jugulavimus, ruſticos interemimus. cui terras, cui urbem deinceps relinquemus? parcendum & iis qui remanſerunt.* Res tamen bello præclarè geſſit, adeò, ut quoad hoc meliorem principem optare ſibi Reſpublica non potuiſſet. Nam quamvis propè Placentiam magnâ clade inſidiis Marcomannorum affectus fuerit, vicit tamen eosdem. Et poſt hæc contra

tra Zenobiam, quæ filiorum nomine Orientale tenebat Imperium, iter flexit. Cum quâ, ubi multa in itinere ac magna bellorum genera confecerat, de ſummâ rerum pugnavit, ipſamque cum Zabâ ſocio ejus fugavit, pleniſſimè partâ victoriâ. Tandem quoque eandem in Palmyrâ obſedit, & captam triumpho ſervavit, occiſis pleriſque, quibus auctoribus bellum moverat, paraverat, geſſerat, ut populi Romani oculis eſſet oſtentui. Interim cùm eſſet Firmus quidam nomine, qui ſibi Ægyptum, ſine inſignibus Imperii, quaſi ut eſſet libera, vindicaret: continuò ad eum Aurelianus revertit, Ægyptumque ſtatim recepit. Atque, ut erat ferox animi, cogitationis multus, vehementer iraſcens, quòd adhuc Tetricus Gallias obtineret, Occidentem petiit, Tetricumque ſeſe dedentem itidem ad ſplendorem ſuum reſervavit. hunc namque, ut & ſuperius retulimus unà cum Zenobiâ triumpho duxit. Præter hæc ita præclarè geſta, etiam muros Urbis Romæ ſic ampliavit, ut quinquaginta propè millia murorum ejus ambitus teneret. His omnibus fecit, ut magis princeps utilis, quàm bonus & clemens diceretur. *Flav. Vopiſc.*

2. *Tandem cum victâ Zenobiâ etiam Perſis bellum indiceret, iterq; eò faceret, inter Heracleam & Byzantium, malitiâ notarii ſui, manu Mucaporis interemtus eſt, anſam cædi truculentiâ ipſius præbente.* Nam cùm notario ſecretorum Mneſteo minitatus eſſet, ſuſpicatus de eo quippiam: hic verò ſciret, Aurelianum nec fruſtrà minari, nec ſi minaretur ignoſcere ſolere: breve nominum conſcripſit, mixtis iis, quibus Aurelianus verè iraſcebatur cum iis, de quibus nihil aſperum cogitabat, addito etiam ſuo nomine, quò magis fidem faceret ingeſtæ ſollicitudinis: ac breve legit ſingulis, quorum nomina continebat, addens, diſpoſuiſſe Aurelianum eos omnes occidere, illos debere ſuæ vitæ, ſi viri eſſent, ſubvenire. Et ita princeps hic ſummè utilis Reipubl. eidem ſubtractus eſt. Cui tamen cognitis Mneſtei fallaciis interfectores ejus ſepulchrum ingens & templum exſtruxerunt, Mneſteo beſtiis objecto. Imperaverat annos ſex. *Fl. Vopiſc.*

ARTIC. VII.

DE TACITO ET FLORIANO.

1. *Duo fratres Tacitus & Florianus, quorum alter ſex menſibus, alter vix duobus imperavit, quaſi quidam interreges inter Aurelianum & Probum, poſt interregnum Principes nominati ſunt.* Nam poſt interfectum Aurelianum exercitus odio præſentium, vel ideò quòd nullum

de his

de his faciendum putabat, qui tam ſalutarem Reipubl. principem occiderant, quaſi ad meliorem mentem revertens ad Senatum literas miſit, petens, ut ex ordine ſuo principem legerent. Verùm Senatus ſciens, lectos à ſe principes militibus non placere, rem ad milites retulit, dumque id ſæpius fieret, contigit, ut per ſex menſes Imperatorem Romanus orbis non haberet; omnesque Judices ii permanerent, quos aut Senatus aut Aurelianus eligerat: donec tandem omnis Senatus eligeret Tacitum quòd ſenior eſſet & literatus. Et quamvis imperium repudiaret, ratus ſibi minus glorioſum fore, ſi ſenex fortisſimo principi ſuccederet: Senatus tamen replicabat, Trajanum & Hadrianum itidem ſenes imperatores creatos, animum non corpus ipſius eligi: nimis multos pueros hactenus imperasſe, & propterea petere Senatum, ne parvulos ſuos ſucceſſores ſibi eligeret, ſed meminiſſet, ingentem eſſe gloriam principis, Rempublicam magis amare quàm filios: quo ipſo obtinebatur, ut Tacitus oblatum imperium acceptaret; non tamen diu gereret: ſeptimo quippe menſe vel à militibus occiſus vel morbo ſublatus deceſſit. Quo mortuo frater ipſius Florianus imperium arripuit, non expectans auctoritatem Senatûs, ſed ſuo motu, quaſi hereditarium eſſet. Sed vix duobus menſibus illud tenuit & occiſus eſt Tarſi à militibus, qui audierant, Probum, quem omnis exercitus legerat, imperare. Volebat hic imitari fratrem, cùm eſſet ab ipſo moribus planè alienis, quod vel cupiditas imperandi ſatis indicabat. Cùmque hic nihil notatu dignum geſſerit, de Tacito nonnulla tantùm hîc adjiciemus. *Fl. Vopiſc.*

2. *Sub Imperatore Tacito Senatus priſtinam libertatem & dignitatem ſuam videbatur recuperasſe.* Tanta namque Senatûs fuit lætitia, poſtquam huic eligendi principis cura erat commiſſa, ut & ſupplicationes decernerentur & hecatombæ promitterentur: ſinguli denique Senatores ad ſuos ſcriberent, mitterenturque literæ ad provincias, ut ſcirent omnes ſocii omnesque nationes, in antiqvum ſtatum rediiſſe Rempubl. Romanam, ac Senatum principes legere, imò ipſum Senatum principem factum, leges à Senatu petendas, reges barbaros Senatui ſupplicaturos, pacem ac bella Senatu auctore tractanda. Tacitus etiam factus Imperator ita Senatum allocutus erat: *Ita mihi liceat, P. C. ſic Imperium regere, ut à Vobis me conſtet electum, ut ego cuncta ex veſtrâ facere ſententiâ & poteſtate decrevi. Veſtrum eſt igitur ea jubere ac ſancire, quæ digna vobis, digna modeſto exercitu, digna populo Romano eſſe videantur.* Hâc ſuâ libertate ut lætatus, ita quoq; uſus eſt, dum Imperatori petenti pro fratre Floriano Conſulatum id denegaret: ut & Imperator dixerit: *Scit Senatus, quem principem fecerit.*

3. *Nō*

5. *Nec minus quoq; favorem militum ſibi paravit publicâ liberalitate, ipſe privatim parcus.* Nam cùm primùm creatus eſſet Imperator ita allocutus eſt milites. *Et Trajanus ad imperium ſenex venit, ſed ille ab uno deductus eſt; at me, ſanctiſſimi commilitones, primum vos, qui ſcitis principes approbare, deinde ampliſſimus Senatus dignum hoc nomine judicavit. curabo, enitar, efficiam, ne vobis deſint, ſi non fortia facta, at ſaltem vobis atq; Imperatore digna conſilia.* & poſt hoc ſtipendium & donativum ex more promiſit. Patrimonium ſuum publicavit, quod habuit in reditibus, ſeſtertiûm bis millies octingenties. Pecuniam, quam domi collegerat, in ſtipendium militum vertit. Poſſeſſiones, quas in Mauritania habuit, ſartis tectis Capitolii deputavit. Argentum menſale, quod privatus habuerat, miniſteriis conviviorum, quæ in templis fierent, dedicavit. Ipſe tamen fuit vitæ parciſſimæ. *Flav. Vopiſc.*

ARTIC. VIII.
DE
P R O B O.

1. *Probus vir domi foriſq; conſpicuus, Aureliano, Trajano, Hadriano, Antoninis, Alexandro, Claudioq; præferendus, poſt Tacitum omnium judicio dignus imperio judicatus, à militibus electus imperator, Rempublicam ab omnibus barbaris vendicavit, ſecuritatem pleniſſimam cunctis reſtituit, aureum illaturus ſeculum, ſi vixiſſet.* Nam cùm hic ſub Valeriano, Gallieno, Aureliano & Claudio res multas præclarè geſſiſſet; adeò ut ipſum Aurelianus & Tacitus dignum imperio judicaſſent, mortuo Tacito ab omnibus Orientalibus exercitibus Imperator factus (volebant enim Orientales Italicos prævenire, ne iterum Senatus principem daret) invitus & detrectans hanc dignitatem recepit, ſæpè dicens: *Non vobis expedit milites; non mecum bene agitis. Ego enim vobis blandiri non poſſum.* ſcripſit etiam ad amicum in hunc modum: *Imperium nunquam optavi, & invitus accepi. Deponere mihi rem invidioſam non licet. Agenda eſt perſona, quam mihi miles impoſuit.* Ad Senatum dedit has literas: *Rectè atq; ordine, P.C. proximo ſuperiore anno factum eſt, ut veſtra clementia orbi terrarum principem daret, & quidem de Vobis, qui & eſtis mundi principes & ſemper fuiſtis, & in veſtris poſteris eritis, atq; utinam Florianus id expectare voluiſſet, nec velut hereditarium ſibi vendicaſſet imperium; vel illum vel alium quempiam majeſtas veſtra feciſſet. Nunc quoniam ille Imperium arripuit; nobis à militibus delatum eſt nomen Auguſtum, vindicatum quinetiam in illum à prudentioribus militibus quod fuerat uſurpatum. Quæſo ut de meis meritis faciatis quicquid juſſerit veſtra clementia.* Gratulati ſibi ſunt Senatores de

pri-

principe, in quo eſſent omnia, quæ à bono principe deſiderari poſſent. non jam Trajanum, non Claudium, non Alexandrum, non Antoninos, non Aurelianum quærendos, omnia in uno principe conſtituta eſſe, militarem ſcientiam, animum clementem, vitam venerabilem, exemplar agendæ Reipublicæ, atq; omnium virtutum prærogativam. Nec fefellit Senatum: exhibuit namq; optimum ſeſe principem 1. *In diſciplinâ militari.* Nam ita amorem militum ſibi quæſivit, ne milites peccare admitteret: neq; enim, ut Aurelianus, crudeliter eos tractavit, ſed ſingulos manipulos adiit, veſtes & calceamenta perſpexit: ſi quid prædæ fuit, ita diviſit, ut ſibi nihil præter tela & arma ſervaret: idque ſic ſemper obſervavit antequam Imperator crearetur. Ne autem laſcivirent milites, nunquam admiſit eos eſſe otioſos. Multa enim opera in Ægypto per milites ſtruxit. 2. *In perpetuo labore & pugnâ cum barbaris & tyrannis tumultus concitantibus.* Nam primò Gallias petiit occiſo Poſtumio planè turbatas & à Germanis poſſeſſas, ibique ultra quadringenta millia barbarorum, qui Romanum ſolum occupaverant trucidavit, reliquias ultra Nicrum fluvium removit, tantumque prædæ barbaricæ tulit, quantum ipſi Romanis abſtulerant. contrà, urbes Romanas & caſtra in ſolo barbarico poſuit, atq; illic milites collocavit: nec ceſſatum eſt pugnare, donec reguli novem ex diverſis gentibus venirent, atq; ad pedes Probi jacerent, quibus ille obſides imperavit. In Illyrico Sarmatas cæteraſque gentes ita contudit, ut propè ſine bello cuncta reciperet, quæ illi diripuerant. Tetendit deinde iter per Thraciam, atque omnes Geticos populos famâ rerum territos & antiqui nominis potentiâ preſſos aut in deditionem aut in amicitiam recepit. Quibus geſtis Orientem petiit & Iſauriam liberavit, populis atque urbibus Romanis legibus reſtitutis. Barbarorum in Iſauriâ loca vel per terrorem vel per voluntatem ingreſſus. Omnia ibidem loca, quæ anguſtè adeuntur, veteranis donavit, addens, ut eorum filii ab anno octavo decimo, mares duntaxat ad militiam mitterentur, ne ante latrocinari, quàm militare diſcerent. Hinc, factâ pace cum Perſis, ad Thracias rediit, & centum millia Baſtarnarum in ſolo Romano conſtituit, qui omnes fidem ſervaverunt. Sed cùm & ex aliis gentibus tranſtuliſſet, illi omnes fidem fregerunt, quos coactus eſt variis victoriis opprimere. Hæc cum barbaris Probus geſſit. Habuit tamen non leves motus tyrannicos. nam & Saturninum, qui Orientis imperium arripuerat variis præliorum generibus; deinde, cùm Proculus & Bonoſus apud Agrippinam in Galliâ imperium arripuiſſent, & hos devicit. Et in ſummâ, arte ſuâ militari & fortitudine eò rem deduxit, ut populus militantium, qui bellis civilibus per tot annos

nos Rempubl. vexaverat, pacis ſtudiis tractandis jam videretur adſuefaciendus. Quæ etiam cauſſa fuiſſe videtur, qvare à ſuis militibus per inſidias occideretur. Fama enim fuerat, dixiſſe Probum, brevi milites neceſſarios non futuros. *Fl. Vopiſcus.* Imperavit annos ſex. *Victor, Eutrop.*

2. *Senatus mortem Probi graviſſimè accepit, æquè populus: & abhinc etiam militaris potentia convaluit, ac Senatui omne Imperium, creandiq; jus principis ereptum planè eſt.* Nam ſtatim electus fuit à militibus Imperator Carus triſtior princeps & metuendus, quàm maximè verò improbus ipſius heres Carinus. Sed hujus ſui interitûs Senatus ipſe cauſſa fuiſſe videtur. Nam decuiſſet Patres tempore Taciti, cùm legiones poteſtatem eligendi principes ultrò offerrent melius vigilare, ſeq; ipſos duces variis exercitibus exhibere, donativis militibus datis. Verùm dum inter ſeſe diſſenſiones metuerunt, ſinguli verò delectati otio divitias & facultates ſuas voluptatibus potius impenderunt; munivere non modò militibus ſed & barbaris viam dominationem in ſe ac poſteros ſuos arripiendi. *Fl. Vopiſc.*

ARTIC. IX.
DE
CARO ET FILIIS EJUS NUMERIANO ET CARINO.

1. *Videbatur Carus medius inter bonum malumq; principem, melioriq; habitus fuiſſet, ſi nec fuiſſet ſuſpectus de cæde Probi, nec liberos ſuos Cæſares nuncupaſſet.* Nam per civiles & militares gradus præfectus prætorio tandem à Probo factus eſt, tantumq; ſibi apud milites amoris locavit, ut interfecto Probo, ſolus videretur digniſſimus imperio. Hinc ſuſpicati ſunt multi, Cari factione interemtum Probum. alii contrarium collegerunt exinde, quòd Probi mortem & acerrimè & conſtantiſſimè vindicaſſet. Ubi primùm accepit Imperium, conſenſu omnium militum bellum Perſicum, quod Probus paraverat, aggreſſus eſt, liberis Cæſaribus nuncupatis; & ita quidem, ut Carinum ad Gallias tuendas cum viris lectiſſimis deſtinaret; ſecum verò adoleſcentem Numerianum: nulloque ſibi occurrente, Meſopotamiam cepit, & Cteſiphontem usq; pervenit, occupatisq; Perſis domeſtica ſeditione, Imperatoris Perſici nomen meruit. Poſthæc, cùm morbo laboraret & ſubortâ tempeſtate inter tonitrua moreretur, fertur fulmine ictus.

2. *Numerianus patri in bello Perſico comes factione Arrii Apri ſoceri ſui occiſus. Cujus mortem in Apro vindicavit Diocletianus.* Cùm enim Numerianus fletu nimio ægritudinem oculis conſcivisſet, anſam cepit Aprus ſpe invadendi imperii eum occidendi, prætendens erga ſolici-

licitos milites,illum in conſpectum hominum non prodire, quòd oculos invalidos vento ſoliq; ſubtraheret. fœtore tamen cadaveris res eſt prodita. Productus ergò Aprus ante ſigna & principia. quæſitum, quis vindex Numeriani juſtiſſimus fieret, quis daretur Reipublicæ bonus princeps. Diocletianum tunc conſenſu quodam Auguſtum appellaverunt. A quo Aper gladio percuſſus dignum vitâ moribusq; exitum dedit.

3. *Carinus auſus contra Diocletianum Imperium ſuum tueri, magno cum Reipublicæ emolumento victus occubuit.* Erat enim homo flagitioſiſſimus, adulter, corruptor juventutis, ipſe quoque malè uſus genio ſexûs ſui. Eos, cum quibus fœdiſſima quæque peregerat, ad ſummos provexit honores. Uxores ducendo ac rejiciendo novem duxit pulſis plerisque prægnantibus. Mimis, meretricibus, cantoribus atq; lenonibus palatium implevit. Faſtidium ſubſcribendi tantum habuit, ut impurum quendam, cum quo ſemper meridie jocabatur, ad ſubſcribendum poneret. Superbas ad Senatum literas dedit. Vulgo Urbis Romæ, quaſi populo Romano, Senatûs bona promiſit. Ubi patrem fulmine abſumptum, fratrem à ſocero interemtum, Diocletianum Auguſtum creatum comperit, majora ſcelera edidit, tanquam liber à frenis domeſticæ pietatis, ſuorum moribus abſolutus. Nec ei tamen defuit ad vindicandum ſibi Imperium vigor mentis. nam contra Diocletianum multis præliis conflixit. Sed tandem devictus occubuit.

ARTIC. X.
De
DIOCLETIANO
&
MAXIMIANO.

1. *Occiſo Numeriano, Diocletianus obſcuro loco natus Imperator creatus ſuſpicionem cædis in Numeriano perpetratæ à ſe avertere primùm omnium laboravit.* Nonnullis enim ſcribæ filius, aliis Anulini Senatoris libertus creditus *Eutrop. lib. 1.* fertur primùm Diocles dictus à Dioclea matre & patriâ ita appellatis; ubi verò orbis Romani potentiam cepit, Grajum nomen in Romanum morem convertiſſe. *A. Vict. de Cæſar.* Is occiſo Numeriano poſtquam unanimi militum conſenſu electus eſt Imperator, primâ militum concione juravit, Numerianum nullo ſuo dolo interfectum: cumque juxta eum Aper, qui cenſebatur Numeriano inſidias ſtruxiſſe, conſtitiſſet, in conſpectu militum eundem ſuâ manu tanquam reum cædis occidit. Quo ipſo à ſuſpicione ſe liberavit.

2. *Homo fuit ſuperbus, ita tamen ut occurreret unà odio, quod hoc vitium parere ſolet.* Se namq; primus omnium Caligulam, Domitianumq; & Dominum dici, adorari ſe, appellarique uti Deum paſſus eſt, & ita in Imperio Romano regiæ conſuetudinis formam magis, quàm Romanæ libertatis invexit. Ornamenta gemmarum veſtibus calceamentisq; indidit. Cujus fortasſe cauſſa hæc fuit, quòd humilimi quique, ubi alta accesſerunt, ſuperbiâ immodici ſint, dum animus potentiæ expers tanquam inediâ refecti, inſatiabilis eſt. Verùm vitium hoc in Valerio Diocletiano obductum cæteris bonis fuit: eoq; quod dominum ſe dici paſſus, parentem egit. Satisque apparuit, edocere eum voluisſe, atrocitatem rerum magis, quàm nominum officere. *Aurel. Vict. de Cæſar.*

3. *Videtur fuiſſe princeps ſingulari prudentiâ.* Refert namq; Eutropius *lib. 9. fin.* Diocletianum fuiſſe callidè moratum, ſagacem præterea & admodum ſubtilem ingenio, quique ſeveritatem ſuam vellet alienâ invidiâ explere. Quâ de cauſſâ ſublato Carino Maximianum ſtatim fidum amicitiâ, militiâ atque ingenio bonum ſed ſemiagreſtem Cæſarem appellavit. Ita enim de Maximiano Eutropius *lib. 9. Herculius* (hoc Maximiani cognomen erat ipſi à cultu ſui numinis inditum) *propalam ferus & incivilis ingenii, aſperitatem ſuam etiam vultûs horrore ſignificans. Hic naturæ ſuæ indulgens Diocletiano in omnibus ſeverioribus conſiliis eſt obſecutus.* Hunc, cùm in Galliâ Amandus & Ælianus collectâ ruſticanorum manu, quos Bagaudas, Banditen / Schnaphähne / vocabant, pernicioſos tumultus excitaviſent, in Gallias miſit, qui facilè agreſtium hominum imperitam & confuſam manum militari virtute compeſcuit. *Oroſ. lib. 7. cap. 25.* Poſt hæc tempora Carauſius, qui viliſſimè natus in ſtrenuo militiæ ordine famam egregiam fuerat conſecutus, cum apud Bononiam per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum mare accepiſſet, quod Franci & Saxones infeſtabant, multis barbaris ſæpè captis, nec prædâ integrâ aut provincialibus redditâ aut imperatoribus miſſâ, cùm ſuſpicio eſſe cœpiſſet, conſultò ab eo admitti barbaros, ut tranſeuntes cum prædâ exciperet, atq; hac ſe occaſione ditaret; à Maximiano juſſus occidi purpuram ſumpſit & Britannias occupavit. Ita cum per omnem orbem terrarum res turbatæ eſſent, & Carauſius in Britanniis rebellaret, Achilleus in Ægypto, Africam Quinquegentiani infeſtarent, Narſeus Perſarum rex Orienti bellum inferret, Diocletianus Maximianum Herculium Auguſtum, Julium Conſtantium & Galerium Maximianum Cæſares fecit. *Aurel. Vict. de Cæſ. Eutrop. lib. 9.* Hos ut concordes redderet, affinitate eos conjunctos reddidit: qui etiam ſummè concordes cum ut parentem, ſeu

ſeu Dei magni modo venerati ſunt. Et quoniam bellorum moles æcrius urgebat; quaſi partito Imperio, cunctæ, quæ trans Alpes Galliæ ſunt, Conſtantio commiſſæ; Africa Italiaq; Maximiano Herculio; Illyrici ora ad usque Ponti fretum Galerio; cæterorum Valerius curam habuit: Conſtantius verò Cæſar in Galliâ priori prælio ab Alemannis profligato exercitu ſuo vix ipſe ſubtractus eſt, altero autem ſplendidâ victoriam adeptus eſt; dum paucis horis 60000. millia Alemannorum trucidasſe dicitur. Maximianus autem Auguſtus bellum in Africâ profligavit, domitis Quinquegentianis & ad pacem redactis. Porrò autem Diocletianus Achilleum obſeſſum per octo menſes apud Alexandriam cepit & interfecit. Sed immoderatè victoriâ uſus Alexandriam direptioni dedit, Ægyptum totam proſcriptionibus cædibusq; fœdavit. *Oroſ. d. l.* Galerius autem Maximianus cùm duobus jam præliis adverſus Narſeum conſlixiſſet, tertiò inter Gallinicum & Carras congresſus & victus amiſſis copiis, ad Diocletianum refugit. A quo arrogantisſimè exceptus eſt, ita, ut per aliquot millia paſſuum purpuratus ante vehiculum ejus cucurriſſe referatur. Veruntamen hac contumeliâ quaſi cote ad virtutem uſus eſt, per quam, detritâ regii faſtûs rubigine, aciem mentis expediit. Itaque mox per Illyricum & Mœſiam undique copias contraxit, raptimq; in hoſtem reverſus, Narſeum magnis conſiliis viribusque ſuperavit. Extinctis Perſarum copiis, ipſoq; Narſeo in fugam acto, caſtra ejus invaſit, uxores, ſorores, liberosq; cepit, immenſam vim gazæ Perſicæ diripuit. Reverſusque in Meſopotamiam à Diocletiano plurimo honore ſuſceptus eſt. *Eutrop.* Et ita ſummâ prudentiâ, Auguſtum Cæſaresq; idoneos eligendo, & inter hoſce concordiam ſtabiliendo pacatum reddidit orbem Romanum. Cæterùm in hoc videtur mihi omnes heroas Romanos prudentiâ ſuperaſſe, quòd inuſitatâ virtute uſus ſolus omnium poſt conditum Romanum imperium, ex tanto faſtigio ſpontè ad privatæ vitæ ſtatum remearet. Cùm enim ingraveſcente ætate parum ſe idoneum moderando Imperio ſentiret, auctor Maximiano Herculio fuit, ut in privatam vitam concederent, & ſtationem tuendæ Reipublicæ junioribus mandarent. Scilicet viderat prudens princeps, naturam ipſam detrahendo vires ſenibus hoc intendere, ut ſuperatis multis magnisque laboribus tandem homines ex memoriâ rerum retrò geſtarum ſplendidum & jucundisſimum trahant otium. Quapropter & contigit ei, quod nulli alii, ut cùm privatus obiiſſet, inter divos tamen referretur.

ARTIC. XI.
DE
GALERIO
&
CONSTANTIO.

1. *Julius Conſtantius & Galerius Maximianus diviſerunt primi Imperium, quaſi eſſet res in eorum patrimonio, quo ipſo Romani, qui olim orbi terrarum dominabantur, ob ignaviam ſuam ſerviliſſimi homines redditi ſunt.* Nam Galerianus Illyricum, Aſiam & Orientem; Conſtantius Italiam, Africam, Hiſpaniam & Gallias obtinuit. Sed Conſtantius vir tranquilliſſimus, Galliâ tantùm Hiſpaniâque contentus, Galerio cæteris partibus ceſſit. Quid hoc aliud eſt, quàm familiam aliquam ercìſcere?

2. *Anno P.C. N. 306. cœpit imperare Conſtantinus Magnus.* Nam cùm Galerius duos Cæſares legiſſet, Maximinum, quem in Oriente conſtituit; & Severum cui permiſit Italiam, ipſe in Illyrico ſubſiſtens; Conſtantius interea in Britanniam movit contra Pictos & Caledonas, ibique bellum geſſit: Conſtantinus verò ex priori conjuge Helenâ Conſtantii filius, qui hactenus apud Galerium fuerat, cùm in creatione Cæſarum præteritus eſſet, & ſentiret, ſibi inſidias ſtrui, opportunè fugam ad patrem arripuit, & ab eodem, omnibus militibus ſuffragantibus, præcipuè verò Alemannorum rege, ſucceſſor eſt deſtinatus. Quapropter ad vitam ejus, & quæ mutatio Reipubl. ſub imperio ejus contigerit, delineandum accedemus.

MEMBR. V.
DE
SUBLATA PENITUS REPUBLICA ROMANA PER CONSTANTINUM M.

1. *Conſtantinus M. creatus in Britanniâ Imperator, poſtquam laqueo Maximianum Herculeum enecaverat, Maxentiumq; devicerat, ipſe cum Licinio ſolus imperare cœpit.* Nam cùm Conſtantinus juvenculus à Galerio in urbe Româ religionis ſpecie obſes teneretur, fugam arripuit, atque ad fruſtrandos inſequentes publica jumenta, quà iter ageret, interficiens, ad patrem in Britanniam pervenit: ubi, ut *n. 2. prec. membr. art. ult.* diximus, Imperator creatus eſt. *Aurel. Vict. Epit.* Interea verò Maxentius, quòd à patre Maximiano Herculio in eligendis Cæſaribus præteritus eſſet, & invidens gloriæ Conſtantini, qui Auguſtus à patre creatus fuerat conciliatis ſibi per tribunos militum prætorianis, imperium invaſit. Adverſus hunc prætorianorum & Maxen-

tii motum Severus Cæſar Romam, miſſus à Galerio, cum exercitu venit; obſidensque urbem militum ſuorum ſcelere deſertus eſt; inde auctæ Maxentio opes, confirmatumque Imperium. Severus fugiens Ravennæ interfectus eſt. Herculius autem pater Maxentii naturâ impotentior de evertendo filio Maxentio conſilia agitat, & publicè profitetur, Maxentium gerendo Imperio idoneum non eſſe. ſed durius acceptus à militibus ſeditionem & convitia ab iiſdem tulit. Inde ad Gallias profectus eſt; dolo compoſito, tanquam à filio eſſet expulſus; ut Conſtantino jungeretur: moliens tamen Conſtantinum repertâ occaſione interficere, qui in Galliis, & militum & provincialium ingenti jam favore regnabat, cæſis Francis atque Alemannis, captiſque eorum regibus; quos etiam beſtiis, cùm magnificum ſpectaculum paraſſet, objecit. Detectis igitur inſidiis per Fauſtam filiam, quæ dolum viro enunciaverat, profugit Herculius Maſſiliam, ibiq; oppreſſus laqueo vitam finiit, vir ad omnem aſperitatem ſævitiamque proclivis, infidus, incommodus, conſiliis ſtolidus, ardens libidine, civilitatis penitus expers, ortu agreſti Pannonioq;. Per hoc tempus Licinius à Galerio Imperator eſt factus, Daciâ oriundus, notus ei antiquâ conſuetudine, & in bello quod adverſus Narſeum geſſerat, ſtrenuis laboribus & officiis acceptus. mors Galerii confeſtim ſecuta eſt. Reſpulica tum recta eſt à quatuor Imperatoribus, Conſtantino & Maxentio, filiis Auguſtorum; Licinio & Maximino, novis hominibus. Adjungere ſe his niſus eſt Alexander in Africâ homo timidus, inferior adverſus laborem vitio ſenectæ. Sed eum à Maxentio miſſi pauciſſimis cohortibus, Rufus Voluſianus præfectus prætorio ac militares duces levi certamine confecêre. Quo victo Maxentius Carthaginem reliquaq; Africæ pulchriora vaſtari, diripi, incendique juſſit, ferus inhumanusque ac libidine multâ tetrior. Nec minus etiam ipſam urbem vaſtabatur totamque Italiam, perfugientibus plurimis nobilium Romanorum ad Conſtantinum. Qui ubi ad bellum ſe præpararet, fertur in ipſo meridie cœlo ſereno, multis ſimul adſtantibus & videntibus conſpexiſſe crucem ſplendentem cum expreſſis circum eam literis, *In hoc vinces*. Quo monitus Conſtantinus, qui adhuc Ethnicus erat, curavit ſeſe in doctrinâ Chriſtianâ informari: atque inde ſuperatis Alpibus firmiſſima propinquarum urbium præſidia expugnavit, & triplici inde prælio victor potiſſimam Italiæ partem occupavit. Maxentius, dum Conſtantino occurrit, paulò ſuperius à ponte Milvio, in pontem navigiis compoſitum ab latere ingredi feſtinans lapſu equi in profundum demerſus eſt, ut corpus vix reperiretur. *Aurel. Vict. Eutropius.* Hoc facto Conſtantinus & Licinius ſimul edictum proponunt de libertate

reli-

religionis Chriſtianæ, ut ſcil. concederetur Chriſtianis & templa habere & conventus. *Euſeb.* ipſique affinitate firmant amicitiam, datâ in matrimonium Licinio filiâ Conſtantini. Maximinus, quòd ſe dignitate inter reliquos primum cenſeret, irritatus edictis Conſtantini & Licinii in Illyricum impetum facit. Licinius contractis copiis primùm clade quidem afficitur, pòſt tamen Maximinum Thraciâ expellit, ubi hic iterum copias colligit, ſed majore clade victus, abjectis inſignibus Imperii fugit, ſeq; in Ciliciâ Tharſo includit: ubi furore accenſus multos ſuorum, quòd bellum ſuaviſſent, occidit, & poſtea moritur, cùm quadriennio Cæſar & triennio Auguſtus imperaſſet. Ita poteſtas orbis Romani duobus quæſita.

2. *Contracta inter Conſtantinum & Licinium amicitia non fuit diuturna, cùm cœpiſſent commune Imperium habere, ſed Licinius à Conſtantino devictus & occiſus eſt, ut ſolus tandem totum Imperium Conſtantinus nanciſceretur.* Imperia namque communia raró ſine diſcordiâ ſunt: tum verò hi duo Imperatores contrariorum erant morum. Erat namque Licinius avaritiæ cupidine omnium peſſimus, neq; alienus à luxu venereo, aſper admodum, haud mediocriter impatiens, infeſtus literis, quas in inſcitiam immodicam virus ac peſtem publicam nominabat, præcipuè forenſem induſtriam. Agrarius planè ac ruſticantibus, quia ab eo genere ortus altusq; erat, ſatis utilis, ac militiæ cuſtos ad veterum inſtituta ſeveriſſimus. Sed Conſtantinus cunctos hoſtes honore ac fortunis manentibus texit recepitq; ; civilibus artibus & liberalibus ſtudiis deditus, laudum, ultrà quàm æſtimari poteſt, avidus, affectator juſti amoris, quem omninò ſibi & liberalitate & docilitate quæſivit. Sicut in nonnullos amicos dubius, ita in reliquos egregius; nihil occaſionum prætermittens, quò opulentiores eos clarioresque præſtaret. Qui ſi munificentiæ atque ambitionis modum hisq; artibus ſtatuiſſet, quis præcipuè adulta ingenia gloriæ ſtudio progreſſa longius in contrarium labuntur, haud multum abeſſe putatus fuiſſet à Deo. *Aur. Vict. de Cæſ.* Auxerat namque æſtimationem ipſius, quòd cùm cæteri principes, cum quibus imperaverat, naturæ bona quaſi incomta aut etiam horrida haberent, hic ſua elegantiâ, eruditione & comitate ſplendida & veneranda reddidiſſet. Origo autem contentionum hæc fuit; quòd Licinius poſt partam de Maximino victoriam, omnes ejus regiones ſibi ſumeret, Conſtantinus verò partitionem æquam peteret. Hinc bellum, primùmq; apud Cibalas juxta paludem hiulcam nomine, Conſtantino noctu caſtra Licinii irrumpente, Licinius fugam petiit, Cibalæq; & Sirmium à Conſtantino captæ. Inde Licinius, reparato exercitu, in Thraciâ iterum Conſtantino occurrit: ſed

ſed deſperans de victoriâ cum Conſtantino pactus eſt, ut Dalmatiam is, Macedoniam, Mœſiam & Daciam retineret, ipſe verò Thraciam cum Aſiâ, Ægypto & Oriente, & ita Valens Cæſar occiſus eſt. (fecerat enim Licinius Valentem Cæſarem, ut ſocium belli haberet) *Zoſim.* Tunc Conſtantinus, quò utriq; firmaretur Imperium, filios ſuos Criſpum nomine ex Minervâ concubinâ ſuſceptum & Conſtantinum iiſdem diebus natum oppido Arelatenſi, Licinianumque Licinii filium menſium ferè viginti, Cæſares effecit. Sed paulò pòſt, cùm Conſtantinus regem Sarmatarum, Criſpus verò filius Francos inſigni victoriâ ſuperaſſet, Licinius incitatus à magis & præſtigiatoribus, occultè primùm, mox apertè perſequi Chriſtianos cœpit, prohibendo, ne epiſcopi inter ſe convenirent, & mulieres à ſacris publicis excludendo; tandem clauſis templis adigendo Chriſtianos, ut ſub dio cultum divinum tractarent, omnibusque remotis è palatio, qui ſacrificare gentilium numinibus abnuerent. *Euſeb. lib. 2. de vitâ Conſt. cap. 8.* Igitur antequam ulterius pergeret Licinius, Conſtantinus vir ingens & omnia efficere nitens, quæ animo præparaſſet, ſimul principatum totius orbis affectans Licinio bellum intulit, non obſtante neceſſitudine & affinitate. (nam ſoror Conſtantini Conſtantia nupta Licinio erat) *Eutrop. lib. 10.* Concurrerunt Licinius ſuos venerans deos, Conſtantinus Chriſtum, cujus inſigne præferebat, & modeſtiam imitari ſtudebat. Sed Conſtantinus triginta millibus hoſtium occiſis & caſtris captis victor exſtitit. Licinius fugit Byzantium & hinc in Aſiam tranſiit, ubi exercitum iterum collegit, & Martinianum, ut ſocium belli haberet, Cæſarem creavit. *Zoſim.* Sed iterum prælio inito Licinius perditis omnibus ſe victori permiſit, qui Theſſalonicam miſſus, ut ibi privatus degeret, paulò pòſt cum Martiniano jugulatus eſt. Et ſic res Romana ſub uno Auguſto eſſe cœpit.

3. *Unius Conſtantini arbitrio, poſtquam Licinius ſublatus erat, cunctis parentibus, omnis Reſpublica Romana planè interiit, ut ne umbra quidem ſupereſſet. Imperatorq; non amplius Senatûs Romani princeps, ſed potius defenſor religionis Chriſtianæ exſtitit per univerſum illum orbem, in quo Romana Reſpublica ſuum Imperium exercuerat.* Tam admiranda eſt Dei providentia! Scilicet Numen hoc, cujus conſilia ſunt imperſcrutabilia, permiſerat hactenus ſuos fideles tyrannis dilaniandos, quò ita hi opera edere poſſent præclara & Chriſtianis digna, quibus ſuam erga Salvatorem ſuum fidem probarent. Nec enim per hoc infelix fuit Eccleſia, ſed feliciſſima: utpote cujus felicitas non in voluptatibus, divitiis, honoribus, ſed operatione ſecundùm virtutes Chriſti Salvatoris, imitando eaſdem poſita eſt. Sed ne fideles tandem pla-

nè delerentur, defenſorem ipſis dedit ſucceſſorem tyrannorum à quibus tot perſecutionibus ſine exemplo afflicti fuerant. Nec Conſtantinum ſuo motu talem ſe geſſiſſe vel cætera ab eodem geſta docere poſſunt. Præterquam enim, quòd Licinium affinem ſuum jam privatum & nihil movere valentem juſſerat occidi, etiam parricidio ſe maculavit eo ipſo tempore, quo ſuo munere in adornandâ Eccleſiâ fungi cœpiſſet. Inſolentiâ enim rerum ſecundarum mutatus, Criſpum filium necari juſſit. Dehinc uxorem ſuam Fauſtam in balneas ardentes conjectam interemit: cùm eum mater Helena dolore nimio nepotis increparet. quibus refert Eutropius adjectos fuiſſe numeroſos amicos. Nimirum & antea Licinianum ſororis filium, incertum quâ ex cauſſâ, commodæ indolis juvenem occiderat. Hic Conſtantinus, Deo ſine dubio ita ſingulariter dirigente, de Chriſtianis contrarias planè præcedentibus tyrannicis tulit leges, exules revocavit, ſpoliatos ditavit, ſervos libertati reddidit, pleriſque provinciis rectores Chriſtianos dedit. Si qui Chriſtiani eſſe nollent, idolis tamen ſacrificare prohibuit: hortatus ad Chriſtianiſmum omnes propoſitis edictis. moleſtus tamen nemini ob mentis errorem fuit, certamen pro immortalitate ſponte ſuſcipiendum dictitans, teſte Euſebio *in vitâ ejus*. Deinde gliſcentibus diſſidiis ex varietate opinionum, cùm Conſtantinus litigantes, ne ob quæſtionum litis, quàm pietatis feraciorum temeritatem, Eccleſiam Chriſti ſcinderent, darentque ludibrii cauſſam infidelibus, hortaretur, nihil autem proficeret: quæſita utrinque ſuffragia rem ad concilium univerſale perduxerunt, quod Conſtantinus Anno poſt C. N. 325. Nicææ indixit: & hoc ipſo annum Imperii vigeſimum ornavit, ut loquitur Euſebius *lib. 3. in vitâ Conſt.* In hoc decretum, ut Chriſtus ὁμοούσιος Patri haberetur condemnatâ hæreſi Arianâ. Nam ut tradit Sulpitius Severus *lib. 2.* Arianorum dogma hoc fuerat, Patrem inſtituendi orbis cauſſâ genuiſſe filium [An fortaſſe hoc ſomnium petiit Arius ex Platone?] ex eo poteſtate ſui ex nihilo factum Dominum novum alterumque. Sublata quoque eſt in eodem concilio vetus de Paſchate controverſia, ſtatutumq; ne cum Judæis quartâ decimâ lunâ (i. e. decimo quarto die poſt novilunium) celebraretur, ſed die dominico, qui decimam quartam lunam proximè ſequeretur; & ut Alexandrinus Epiſcopus tempus Paſchatis definiret, & ad Pontificem Romanum alioſque Patriarchas tempeſtivè perſcriberet, qui aliis Epiſcopis id indicarent. Poſthæc locum ſepulturæ Domini à gentilibus laſcivæ Veneris fano conſpurcatum emundari, inſignique templo exornari jubet, additâ urbe, cui novæ Hieroſolymæ nomen datum. Nec defuit Helena mater Conſtantini baſilicas circa antrum nativitatis,

tis, locumq; ubi ferebatur Chriſtus in cœlos aſcendiſſe, exſtruens. *Euſeb.* Utq; ſuperſtitiones omnes & cum hiſce in iiſdem fundatam Rempubl. Romanam penitus tolleret (creabantur enim ſinguli magiſtratus ſuis auſpiciis, quorum proinde auctoritas durante illâ veteri ſuperſtitione, penitus everti non poterat) Byzantium de integro ſtruens eam novam Romam & à ſe Conſtantinopolin nominavit: eamq; translatis eò pluribus nobilium Romanorum, collectisq; ex toto orbe opibus, ſubitò ad tantum faſtigium erexit, ut Romæ non cederet. Et ut Roma nil eſſet niſi municipium & Italia provincia, diſtribuit imperium in duas partes, Orientem & Occidentem. Occidentis iterum duas fecit, Galliam & Italiam. Gallia comprehendit ipſam Galliam, Hiſpaniam, Britanniam & Germaniam; Italia ipſam Italiam, Africam & partem Illyrici. Orientis itidem fecit duas partes, Aſiam ſcil. & Thraciam. Quæ omnia facta ſunt eo tempore, cùm & Conſtantinopolin dedicaret. *Zonar. Cedren. &c.* Utq; omnium magiſtratuum auctoritas & dignitas planè ſubverteretur, novos titulos honorum v. g. Comitivæ aliquot ordinum invenit, & quamplurimis honores tribuit ſub ſpecie magnificentiæ; in rei veritate autem omnis veteris Reipubl. penitus evertendæ gratiâ. Ita enim Amm. Marcell. c. 25. inquit: Nec cujusquam ſpes aliquod ab eo beneficium expectantis fruſtrata eſt: multos auctoritate, multos ſenatoriis officiis, multos conſulari dignitate, ornavit, duces plures ab eo conſtituti ſunt, comites quoque alij primi, alii ſecundi ordinis: quâ ratione infiniti propemodum maximos honores adepti effecerunt, ut omnium magiſtratuum dignitates eviloſcerent. Diviſit etiam conſulatum, & alterum Conſulem Romæ, alterum Conſtantinopoli eſſe voluit. Anno poſt C. N. 331. edicto Conſtantini templa gentilium clauſa & everſa ſunt, miſſis duobus primariæ auctoritatis viris per orbis Romani provincias, à quibus detectâ dæmoniorum fraude, protractisque & ludibrio expoſitis ſtatuis abolerentur priſci erroris circa religionem contagia. *Euſeb. Socrat. Cedren.* Diem dominicum cunctis nationibus feriatum eſſe juſſit. Precandi formulam militibus ipſe præivit, negans in armis aut corporum viribus ponendam victoriam, ſed in ſolius Dei manu. Precationem militum hanc refert Euſebius: *Te ſolum Deum agnoſcimus, te regem profitemur, te adjutorem invocamus. per te victorias conſecuti ſumus, per te hoſtes ſuperavimus. Tibi & præſentem felicitatem acceptam ferimus. abs te & futuram ſperamus. Tui omnes ſupplices ſumus. Conſtantinum Imperatorem noſtrum, piosq; ejus liberos quamdiutiſſimè nobis ſalvos & victores conſerves!*

4. *Hic Imperator, quamvis primus Chriſtianorum Imperatorum*

 fuerit,

fuerit; talia tamen ſcribitur geſſiſſe, ex quibus colliguntur vitia principem ejuſmodi non decentia. Nam 1. *Nimiâ ſeveritate & crudelitate videtur laboraſſe*, quam ut paulò antè diximus, in filium, uxorem, ſororis filium & alios exercuit. 2. *Superbiâ*, quòd conderet urbem novam ſui nominis Romæ æmulam. Nam quod dicitur, eum ductum fuiſſe odio rituum gentilium & cultuum; id prætextus tunc multis videbatur; quia potuiſſet Romæ pro ſuâ poteſtate hæc abrogare; quemadmodum & hoc fecit per univerſum orbem Romanum. Oſtendunt & leges ejus in Codicem à Juſtiniano relatæ, eum habuiſſe animum omnem dignitatem magiſtratuum evertendi. Voluit namq; ut ab omnibus magiſtratibus daretur provocatio, excepto præfecto prætorio. & in ſummâ, omnes ejus actiones tenderunt ad everſionem totius Reipublicæ: quæ etiam ſtatu ab eo introducto durante paulò poſt ſecuta eſt. 3. *Irriſor quoq; fertur fuiſſe & contemptor. Aur. Vict. epit.* Trajanum dicitur vocaſſe herbam parietariam ob titulos multos ædibus inſcriptos. 4. *Dicitur & prodigus fuiſſe, ignoraſſeq; modum in dando.* Unde mores ejus ſecundùm annos quibus imperavit deſcripſerunt ita: fuiſſe eum decem annis præſtantiſſimum, duodecim ſequentibus latronem, decem noviſſimis pupillum ob profuſiones immodicas. An fortaſſe dicendum, quod habet Aur. Vict. *de Cæſar.* In ſummo ingenio atque optimis moribus, quamvis parva vitia elucere magis, eoq; notari facilius.

5. Mortuus eſt anno Imperii triceſimo primo, P. C. N 337. cùm præter liberos ſuos fratris filium, cui ex patre Dalmatio nomen fuit, Cæſarem vocaſſet.

MEMBR. VI.
DE
IMPERATORIBUS, QVI A TEMPORE CONSTANTINI M. USQVE AD JUSTINIANUM IMPERARUNT.

ARTIC. I.
DE
TRIBUS CONSTANTINI M. FILIIS.

I. *Mortuo Conſtantino M. tres filii Conſtantius, Conſtantinus & Conſtans inter ſeſe diviſère Imperium.* Nam Dalmatius Cæſar adoptatus à Conſtantino M. proſperrimâ indole, nec patruo abſimilis, haud multò pòſt oppreſſus eſt factione militari Conſtantio ſi non jubente, ſinente tamen. & ita ad tres orbis Romani dominatio redacta eſt, Conſtantinum, Conſtantium, & Conſtantem filios Conſtantini; ita dividentes Imperium: Conſtantinus cuncta trans Alpes: Conſtantius

tius à freto propontidis Aſiam atque Orientem cum Thraciâ ; Conſtans Illyricum, Italiam, Africam, Dalmatiam, Macedoniam, Achaiam habuit. *Aur. Vict.*

2. *Mox Conſtantinus cùm imperaſſet annos tres, dum Conſtantem fratrem inſectatur, incautâ petulantiâ periculis ſeſe offerens à ducibus ejus occiſus eſt. Oroſ. lib. 7. c. 29.* Neque enim erat Conſtantinus ſuâ ſorte contentus, quam pater dederat; ſed inſuper Africam & Italiam petebat, à Galliâ contra Conſtantem in Pannonias iter armatus ingreſſus. Conſtans ipſe exercitum opponit, à quo vincitur, & cùm in fugâ ultimus eſſet, & ſine diademate, ut ignotus occiditur prope Aquilejam, & in flumen Alſam projicitur. *Socr.*

3. *Conſtantis imperium ſtrenuum aliquandiu & juſtum fuit, mox ad gravia vitia converſus, & provincialibus intolerabilis, militibus moleſtus factione Magnentii occiſus eſt.* Nam cùm ex Pannoniâ in Gallias iret, venationibus, voluptatibus & fœdis libidinibus ſeſe dedidit, omni Imperii curâ omiſſâ. Cùm ergò Conſtans ſui ſecurus venandi cupidine per ſylvas ſaltusq; erraret, conſpiravère aliquanti militares in ejus necem, auctoribus Chreſtio & Marcellino, ſimulq; Magnentio ; & ita apud Helenam opidum Pyrenæo proximum à Gaiſone cum lectiſſimis miſſo interfectus eſt. *Vict. Eutrop.*

4. *Conſtantius poſt civilibus bellis quàm externis, deponendis quàm creandis Cæſaribus felicior prudentiorq;, ſpadonum aulicorumq; & uxorum amori deditus, & unà ſuperbus ſolus imperat.* Nam cognitâ morte Conſtantis Vetranio magiſter militum in Illyrico conſenſu militum Imperium corripuit, vir ætate grandævus, naturâ ſimplex, & qui ne quidem prima literarum elementa unquam didiciſſet, jucundæ tamen civilitatis & morum veterum. Sed huic Conſtantius fraternæ necis ultionem adverſus Magnentium parans novo inuſitatoque more abrogavit Imperium : cùm enim literas primas meditaretur Imperator ille ſenex, perſuaſit huic, ut cum literis purpuras abjiceret contentusq; privatis feriis palatium ſimul ſcholamque dimitteret. quæ gloria poſt natum Imperium ſoli Conſtantio proceſſit eloquio & clementiâ. *Oroſ. Vict. Eutrop.* Miſit eum Pruſiam in Bithyniam, ipſiq; ſumptus honeſtos præbuit. quam Vitam etiam Vetranio omni regno prætulit *Socr.* Eodem tempore & Nepotianus corrupto vulgo, ſimul Magnentii odio, cæſo Urbis præfecto armatusq; gladiatorum manu Imperator fit : cujus ſtolidum ingenium adeò plebi Romanæ, Patribusque exitio fuit, uti paſſim domus, fora, viæ templaq; cruore ac cadaveribus opplerentur buſtorum modo. vigeſimo atq; octavo die à capto Imperio per Magnentii duces oppreſſus eſt, caputque ejus pilo

per urbem circumlatum. *Aurel.Vict.Eutrop.* Magnentius,qui Conſtantem occiderat, ſibi metuens à Conſtantio fratres ſuos Decentium & Deſiderium Cæſares facit,& ad Hiſpaniam Italiamque occupandam dimittit. Conſtantius cum exercitu contra hunc it nullos admittens milites præterquam Chriſtianos, (Ethnicos enim exauctoravit,& in pagos dimiſit, unde pagani dicti ſunt, quod nomen poſteà omnibus gentilibus datum) eumque vincit prope Murſiam. In quo bello planè propemodum conſumptæ ſunt vires Romanæ totiusq; Imperii fortunæ pesſundatæ. Tandem Lugduni obſeſſus Magnentius amicos ſuos interficit, & fratrem Deſiderium vulnerat. Inde ſibi manus infert, menſe Imperii quadrageſimo ſecundo. Decentius frater quoque laqueo vitam ſuam finit, Deſiderius autem ex vulnere recreatus veniam adipiſcitur. [Hos enim duos Magnentius Cæſares creaverat] Hæc feliciter ita à Conſtantio peracta ſunt. Elegerat & Conſtantius, antequam bellum cum Magnentio iniret, Gallum patruelem fratrem Cæſarem & adjutorem, eumque miſerat in Perſas,qui erat vir naturâ ferus, & ad tyrannidem pronior, ſi ſuo jure imperare licuisſet, elatus præterea & crudeliter omnia ad libitum agens: Hic cùm & comitem Domitianum & quæſtorem Montium, ſalutaria potius quàm grata monentes, trucidaret, delatores foveret & in innocentes ſæviret, à Conſtantio blandis verbis Mediolanum vocatus, in itinere Iſtriam verſus à præſidiariis Conſtantii exceptus & capite truncatus eſt. Pòſt Sylvanus dux egregius,Germanis Galliam vaſtantibus,poſtquam eò misſus res præclarè gesſerat, à nonnullis ſibi invidis delatus, quaſi invaſurus eſſet imperium, cùm noſſet Conſtantii in hujusmodi crimine inexorabilem ſævitiam, quo ſecuritati ſuæ melius conſuleret etiam reverà ſumſit imperium. Contra quem miſſus Urſicinus dux perſuaſit militibus, ut eum occiderent. His elatus Conſtantius, cùm jam ſolus imperaret, immunem ſe exiſtimans ab omni mortalitatis incommodo ipſe dictando ſcribendoque propriâ manu orbis totius ſe dominum appellavit. Sed hac ſuâ dignitate ſolus frui non potuit: cùm enim Germani magnis motibus turbarent Galliam Coloniamq; Agrippinam caperent & delerent, Sarmatæ in Pannoniâ tumultuarentur, & Perſæ repoſcerent Armeniam & Meſopotamiam; his ſolus reſiſtere non valens nec tamen ducibus exercitus committere audens Julianum patruelem Galli fratrem Romæ proclamat Cæſarem,ipſiq; jungit matrimonio ſororem Helenam, quemadmodum & Gallo Conſtantinam ſororem in matrimonium dederat. Hic, dum Conſtantius Sarmatas vincit & Sarmatici nomen meretur, in campis Argentoratenſibus apud Gallias cum paucis militibus infinitas hoſtium copias delevit,

levit. Stetêre acervi montium ſimiles: fluxit cruor fluminum modo, captus rex nobilis Chonodomarius, fuſi omnes optimates. redditus limes Romanæ poſſeſſionis. poſtmodum cum Alemannis dimicans potentiſſimum eorum regem Bodomarium cepit Hinc à militibus Gallicanis Auguſtus pronunciatus. Conſtantio urgenti legationibus, ut in ſtatum nomenq; priſtinum reverteretur, Julianus mandatis mollioribus refert, ſe ſub nomine celſi Imperii multò officioſius pariturũ; ſed mox apoſtata ſimulans tantùm Chriſtianam fidem, quò favorem hominum retineret, apertè inimicitias Conſtantio denunciat, putans id magis ſecurum, ne quemadmodum frater Gallus per inſidias tollatur, pacatâq; primo vere Germaniâ, exercitum in multas partes dividit, & diverſis viis in Illyricum ac Thraciam tendit. Conſtantius, cùm appropinquare Thraciæ Julianum audiret, Conſtantinopolin redit, ubi ſe baptizari curat. Inde ſeneſcente autumno cùm Tarſum in Ciliciam veniſſet ſub Tauri montis radicibus moritur. *Aurel. Vict. Ammianus Marcell.*

ARTIC. II.

DE JULIANO APOSTATA.

I. *Mortuo Conſtantio Julianus rerum potitus eſt, vir aliàs egregius, liberalibus diſciplinis apprimè eruditus, facundiâ ingenti, promptæ memoriæ & tenaciſſimæ, aptiſſimus Imperio, nec M. Aurelio abſimilis, niſi quòd abnegatâ fide factus ſit apoſtata & Chriſtianorum perſecutor, quos tueri debebat.* Statim enim ac ſolus imperare cœpit, prorupit, quod ab ipſo occultatum hactenus fuerat. Juſſit enim templa ethnicorum aperire: milites ad ſe vocans præcepit, ut thus in ignem conjicerent, eoſq; qui id facere noluerunt ad fines Imperii relegavit, quorum in relegatorum numero fuit & Valentinianus, qui poſtea imperavit. Ut Chriſtianos ad idololatriam pelliceret, Conſtantinopoli omnia venum expoſita ſacrificiis polluit: ſed cives toto illo quadrageſimæ tempore tantum frumento cocto in cibum uſi ſunt. Cùm etiam pecuniâ indigeret præparaturus bellum Perſicum, Chriſtianos, qui Idolis ſacrificare noluerunt, pecuniâ multavit. legatos quoque Perſarum, quòd nollent intereſſe ſacrificiis, contra Jus gentium occidit. Antequam in Perſiam moveret, Judæis permiſit, ut Hieroſolymam inſtaurarent, tributum quoque remittens, & ſumptus ad ædificandum ſuppeditans. Sed dum hoc Judæi aggreſſi ſunt, referente Socrate *lib. 5.* fundamenta jacta terræ motu eruta ſunt, & ignis è terrâ erumpens tam operarios quàm inſtrumenta eorum conſumpſit, apparentibus igneis crucibus in veſtimentis Judæorum. Tandem, cùm contra

Perſas

Perſas pugnaret, & ſub dexterâ axillâ vulneraretur, ex vulnere illo periit. Cauſæ apoſtaſiæ videntur fuiſſe philoſophi, quos magnifecit. Themiſtium enim præturæ inſignibus ornavit, & poſtea præfectum Urbis fecit. Libanio ſophiſtæ quæſturæ donavit inſignia. *Amm. Marcell.*

ARTIC. III.
DE
JOVIANO.

1. *Mortuo Juliano ſtatim die ſequenti Jovianus electus Imperator homo Chriſtianus, ſed ignavus & infelix.* Nam in anguſtiis poſitus leges pacis ſibi à Rege Perſarum præſcriptas accepit in triginta annos, conceſſâ Niſibi urbe & aliis vicinis locis. Ipſe milites à Juliano pulſos in exilium & epiſcopos reſtituit, hos ad concordiam hortatus, uſus conſilio Athanaſii, qui ipſi & epiſcopis præſcripſit fidei formulam. Sed cùm Conſtantinopolin tenderet, in opido quodam inter Galatiam & Bithyniam improviſo caſu nocte exanimatus repertus eſt. Deceſſit imperii menſe ſeptimo. Hoc ipſo valde fœdavit Imperium, quòd multatus Imperii finibus, & nonnullâ Imperii Romani parte traditâ pacem fecerit cum rege Perſarum: id quod ante eum à condito Imperio Romano nunquam acciderat. Eutropius. *lib. 10. circ. fin. Amm. Marcell.*

ARTIC. IV.
DE
DUOBUS VALENTINIANIS, VALENTE ET GRATIANO.

1. *Valentiniano mediocri ſtirpe orto à militibus Imperium aggeſtum, commendatione patris Gratiani; homini ad imperandum aptiſſimo, & ſine dubio bono principi futuro, ſi ei inſidis hominibus, quibus ſeſe quaſi fidiſſimis prudentiſſimisq; dederat, carere aut probatis eruditisq; monitoribus uti licuiſſet.* Fuit namque vultu decens, ſolers ingenio, animo gravis, ſermone cultiſſimus. Quanquam enim ad loquendum parcus, ſeverus vehemens; infeſtus tamen vitiis, maximèq; avaritiæ, cujus punitor ipſe fuit acer. Genera vetuſtiſſimorum armorum meminiſſe, nova meditari: fingere terrâ ſeu limo ſimulacra; prudenter uti locis, temporibus, ſermonibus. *Aur. Vict. epit.*

2 *Collegam ſibi elegit Valentem fratrem, ſubtimidum & propterea minus proficuum Imperio viſum nonnullis.* Nam cùm deliberaret de collegâ eligendo, fertur Dagalaiphus conſilium tale ſuggeſſiſſe: *Si tuos amas, habes fratrem; ſi Rempublicam, quære alium.* Sed hoc non obſtante fratrem elegit: fortaſſis, quòd ingruentibus undiquaq; hoſtibus

ſtibus, magis ad fidelitatem, quàm ad cæteras virtutes reſpiceret. Depopulabantur namq; Alemanni Gallias & Rhetiam; Sarmatæ & Quadi Pannoniam, Picti Saxones & Scoti Britanniam, Mauri & aliæ gentes Africam, Perſæ Armeniam, Gothi Thraciam. *Ammian. Marcell.*

3. *Valentinianus & Valens collegæ partim ipſi partim per duces multa ſtrenuè, quamplurima verò & crudeliter.* Nam Valentinianus primò per Dagalaiphum, poſt ipſe vicit Germanos. *Zoſim.* Tandem & Germaniam longè lateq; vaſtabat, ipſe verò omnia explorare niſus, in inſidias incidit, vixq; ereptus his peractis in hyberna rediit. Valens autem vicit Procopium. Nam Procopius cognatus Juliani, quem etiam Julianus ſucceſſorem deſtinarat, poſtquam diu latuiſſet in Cappadociâ, Conſtantinopolin properabat, fretus nonnullorum amicorum auxilio, & pellectâ in ſocietatem multitudine cognationem ſobolis Conſtantini jactando, regiam occupabat, filiamque Conſtantii Poſthumiam cum matre Fauſtinâ ſecum ducebat, quaſi eaſdem defenſurus, captandæ apud vulgus benevolentiæ gratiâ; exercitū etiam contra ſe miſſum, in ſuas partes trahebat, & ita totâ Bithyniâ potiebatur. Valens turbatus primò aſtutiâ Procopii in animo habuit in conditiones pacis deſcendere; ſed prohibitus à ducibus ſuis, poſtquam auxilia è Germaniâ accerſiviſſet, prælio cum Procopio eſt congreſſus, datâ teſſerâ *Auguſtus*. quâ voce ſubinde ingeminatâ Procopii exercitus ſigna ad Valentem detulit, ipſe verò in ſylvas fugiens nocturnâ luce lunæ agnitus captus & trucidatus eſt. Poſthæc Grutungos Gothos bellicoſam gentem aggreſſus, eos ad pacem petendam adegit. Per duces quoq; ſuos feliciter contra Perſas pugnatum eſt. Optimus horum Imperatorum dux fuit Theodoſius, poſtea Imperator factus, per quem Picti & Scoti in Britanniâ ad ſuas paludes repulſi, binis relictis qui præeſſent. Miſſus hic idem fuit in Africam, ut tumultuantes ibidem beneficiis mitigaret; ſed inſidiis exceptus prælio hoſtes fudit victoriam perſecutus. Vicit & Igmacem regulum, ad quem Firmus autor rebellionis confugerat. Cæterùm horum Imperatorum gloriam minuit crudelitas: cùm enim Valens Antiochiæ comperiſſet Theodorum & alios philoſophos ſortes exquiſiviſſe, datasque eſſe quatuor literas Θεοδ (quibus indicabatur Theodoſium paulò poſt imperaturum) & has Theodorum putare ad ſe ſpectare, hunc ſtatim juſſit occidi, multos præterea ob hoc captivitati deſtinans; adeò ut carceres non ſufficerent, multoſq; interficiens. Nec provinciæ tributis nimiis exhauſtæ horum imperio contentæ fuerunt. *Amm. Marcell.*

4. *Valentiniano, cùm regnaſſet annos duodecim ferè, ſubitò mortuo, electus Imperator Valentinianus puer à ducibus, non obſtante, quòd Gra-*

tianus jam eſſet electus & Valens adhuc viveret. Nam cum Sarmatas vicisſet, & reducens incolumem exercitum in hyberna, deprehendisſet ſecutos legatos Sarmatarum ſordido habitu, dicentes, ſe ſelectiores Sarmatarum eſſe: fertur ita exarſiſſe iracundiâ, quòd cum adeò abjectis hominibus bellum gesſiſſet, ut ſubitò conciderit. Cùmque nec Valens nec Gratianus (Hunc adhuc impuberem; cùm gravisſimè aliquando Valentinianus decumberet, elegerat Imperatorem) præſentes eſſent: Duces Valentinianum puerum ſexto die Imperatorem proclamarunt.

5. *Hinc imperarunt Valens, Gratianus & Valentinianus junior, ſed Valens cùm imprudenter Gothos in fines imperii admiſiſſet, re ita malè geſtâ paulò pòſt miſerè periit.* Nam cùm Gothi urgerentur ab Hunnis adeò, ut operam ſuam cogerentur Valentiniano offerre contra Perſas vel alios hoſtes in Thraciam irruituros; modò impetrare posſent loca Thraciæ vicina, ubi uxores & familiam deponerent: Valens nihil horum Gothis recuſavit, utpote indigus militum: quinetiam ipſis frumenta pro conſerendis agris præbuit. Verùm cùm Gothi eſurirent & loco commeatûs verbera ſentirent, juncti Fritigerno Hadrianopolin obſederunt, & quamvis imperiti obſidionem fruſtrà tentarent, duces tamen Imperatoris devicerunt, & auxiliis à Gratiano misſis fortiter reſtiterunt. Valens poſtea Conſtantinopolin veniens à plebe laceſſitus probris, quia & ſuburbia Conſtantinopolis vaſtaverant, nullis ſufficientibus copiis inſtructus pugnam cum Gothis denuò aggresſus & prælio, ubi Gothi ex inſidiis equitatum vicerant, pedites in anguſtias coëgerant, vix tertiâ parte exercitûs elabente ſuperatus mox à ſuis armigeris deſertus & vulneratus, in caſâ ab ignorantibus hoſtibus quis intus esſet, concrematus miſerè periit.

6. *Mortuo Valente Gratianus Theodoſium, ut eſſet conſors Imperii, elegit, & paulò pòſt à Maximo Imperium invadente fugatus & occiſus eſt.* Nam cùm Germani tumultuantes Gothiq; urgerent Imperium Romanum, nec ſolus omnibus præeſſe poſſet, Theodoſium conſtituit imperatorem, ipſe verò abiit in Gallias pugnaturus adverſus Germanos. Non multò pòſt Maximus ex deportatâ in Britanniâ victoriâ elatus imperium ſibi ſumens filium ſuum Victorem Auguſtum creatum in Hiſpaniam miſit, ipſe Gratianum aggreſſus eſt. Hic verò cùm in odio apud exercitum eſſet, ab eódem deſertus, & cùm aufugeret prope Lugdunum occiſus eſt. Ex quo tempore Maximus Gallias, Hiſpanias, Africam & Britanniam occupavit & quinque annis obtinuit. *Amm. Marcell.* Hi Imperatores faverunt Arianis contra Orthodoxos parum proficui eccleſiæ.

ART.

ARTIC. V.
DE
THEODOSIO.

1. *Mortuo Gratiano Theodoſius Imperator temperans, lenis, pius & fortis, tyrannicumq; deteſtans imperium, præfuit cum Valentiniano Aiano.* Nam cùm ſuperiores principes ſeſe infelices exiſtimarent, niſi hybernæ roſæ poculis innatarent & æſtiva glacies vinum refrigeraret, niſi etiam fruerentur cibis ex peregrinisſimis terrarum locis; hic omnem luxuriam & prohibuit & ab aulâ removit: tantum tribuit etiam pudori, ut conſobrinarum nuptias vetaret tanquam ſororum. Iraſci rebus indignis ſed flecti citò: unde modicâ dilatione emolliebantur aliquando ſeverisſima præcepta. Habebat enim à naturæ munere, quod Auguſtus à philoſophiæ doctore, qui cùm vidisſet eum facilè commoveri, ne aſperum aliquid ſtatueret, monuit, ut, ubi iraſci cœpiſſet, quatuor atq; viginti græcas literas memoriâ recenſeret, quò illa concitatio, quæ momenti eſt, mente aliò traductâ, parvi temporis interjectu langueſceret. Tyrannidem ſemper oderat. diligens enim cùm eſſet in cognoſcendis majorum geſtis, ſemper exſecratus eſt eos, quorum facta ſuperba, crudelia, libertati infeſta legerat, ut Cinnam, Syllam, Marium cæteroſq; tyrannos. *Aurel. Vict.* Pietatem ita coluit, ut ſemper eſſet orthodoxæ religioni addictus. Ideò etiam ad Conſtantinopolitanos ſcripſit, ut fidem Nicenam omnes amplecterentur, Arianos templo, quod erat Conſtantinopoli primarium, ejecit, eoſq; in ſuburbium removit. *Nazianz.* Affectus aliquando injuriâ à Theſſalonicenſibus injuriam meditabatur; Ambroſius ne faceret orabat. Sed comitibus Imperatoris vindictam urgentibus, vulgus trucidatur, quod Theſſalonicæ erat, ut trium horarum ſpacio ſeptem millia hominum perirent. Quam ob cauſſam Imperatorem Ambroſius ab Eccleſiâ excludit octo menſium ſpacio, quo tempore talem egit pœnitentiam, ut populus proſtratum Imperatorem fleret, & pro illo oraret. Vixêre ſub hujus Imperio præter Ambroſium Auguſtinus & Chryſoſtomus. Præclarè quoq; res in bello geſſit. Nam ac à Gratiano Imperator dictus eſſet Gothos devicit & in gratiam recepit, aliis ſedes in Thraciâ, aliis partes nonnullas Ægypti habitandas concedens, alios agris colendis præficiens. *Zoſimus.* Vicit quoq; Maximum, fratremque ejus Marcellinum. Deſertuſque Aquilejæ Maximus à militibus ipſi traditus eſt, cujus vitæ pariſiſſet, niſi milites contradixisſent. *Amm. Marcell.* Contigit paulò pòſt, ut Arbogaſtes Francus Comes in aulâ Gratiani & poſtea quoq; Valentiniani poteſtate abuteretur, adeò, ut ſuo arbitrio Imperatorem regi & vivere vellet: quod aliquando in eodem

Valentinianus ſtricto gladio ulciſci niſus fecit, ut juſſu hujus laqueo enecaretur. Quo tempore cum Arbogaſtes, ut peregrinus, ipſe imperium invadere nollet, tradidit hoc Eugenio viro obſcuro, quique quondam grammaticam docuerat. cùm hoc poſtquam totam Italiam Imperator factus ſibi ſubjecit, pugnavit Theodoſius ambiguo Marte primo die, ob quod totâ poſtea nocte precibus apud Deum pro victoriâ ſupplicans, *ubi eſt*, ajebat, *Theodoſii Deus?* his ſuis precibus impetravit, ut poſtero die, cùm pugnaretur, ingens ventorum procella hoſtium arma & jacula impediret non modò, ſed & retorqueret. Quo ipſo fortisſimæ hoſtium cohortes motæ ab Eugenio deſciverunt, Eugenium vinctum offerentes Theodoſio, Arbogaſtes verò ſibi ipſi manus violentas intulit. Claudianus de hoc prælio ita cecinit:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes! cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti!

2. *Valentiniano extincto, Eugenioq; ſuperato, filios, ſuos quos utroſq; Auguſtos antea, vivente adhuc Valentiniano, pronunciaverat, Arcadium & Honorium gravi morbo decumbens Theodoſius illum Orienti hunc Occidenti præfecit, tutore addito Stillichone, mortuusq; Mediolani, cùm imperaſſet annis ſedecim.*

ARTIC. VI.
DE
ARCADIO ET HONORIO.

1. *Arcadii & Honorii puerilis ætas, expoſita inſidiis & in imperantibus contemptuum ferax omne horum Imperium turbavit & in miſerrimum conjecit ſtatum.* Theodoſius namque, quamvis aliàs bonus princeps, in hoc tamen valdè peccavit, quòd liberos ſuos, cùm ferulæ manum nondum ſubtraxisſent, & adhuc audirent ſuos præceptores docentes capita pietatis, Auguſtos crearet, & Reipublicæ diviſæ relinqueret principes pueros auxilio tutorum indigentes, quibusq; ad ſubſcribendum Edicta magiſtri literarii manus tenerent. Quomodo enim terrori & ſubditis & exteris eſſe poterunt qui manuum magiſtralium ictibus & terrori ſubjacent? Scilicet tantæ tam vaſti imperii erant anguſtiæ, ut liberis impuberibus velut familia quædam erciſcunda relinqueretur datis tutoribus. Igitur cùm Orientem Arcadio & Occidentem Honorio dediſſet Theodoſius, & ſingulis potisſimis infantum cura & diſciplina utriusque palatii eſſet commiſſa, hoc eſt, Ruffino Orientalis aulæ, Stilliconi occidentalis Imperii; quid uterq; egerit; quidve agere conatus ſit, exitus utriusque docuit: cùm alter ſibi, alter filio ſuo affectans regale faſtigium, ut rebus repentè turbatis, neceſſi-

tas

as Reipubl. ſcelus ambitûs tegeret, gentes barbaras ille immiſit, hic ovit. *Oroſ. lib. 7. cap. 37.* Nam Ruffinus, à quo Arcadius juvenis & artis imperandi rudis totus dependebat, Alaricum in Græciam clàm vocabat, qui eam vaſtaret, quò tantis in turbis Arcadium Imperio deturbaret. Grata ut erant poſtulata Ruffini barbaro, ita non reſpuebat, ſed irruens in Græciam depopulabatur Thebas & Athenas, inde Peloponneſum petens Corinthum, Argos & Spartam. Stillico itidem Orienti intentus unà cum cadavere Theodoſii ducebat exercitum in Græciam, ut Alaricum pelleret, ſed Ruffinus, ſentiens occaſionem invadendi imperii ſibi ereptum iri, perſuaſit Arcadio, ut juberet Stilliconem, omiſſo hoſte, exercitum Conſtantinopolin mittere. Quamobrem Stillico iratus Ruffino mandabat Gainæ, ut fraudem ejusdem ulciſceretur eumque trucidaret. Quod etiam ita contigit, cùm Arcadius exercitui obviam iret: Ruffinus enim à militibus mille vulneribus confoſſus & in fruſta conciſus dedit pœnam perfidiæ. Huic in officio ſucceſſit Eutropius non melior: quippe qui clariſſimos viros calumniabatur & in exilium agebat; Stilliconem etiam hoſtem Imperii publicè declarari jubebat, inſuper Gildonem comitem in Africâ ad hanc occupandam inſtigabat, velut juſſu Arcadii. Hic ergò Africam excerptam à ſocietate Reipubl. ſibi ſumere auſus eſt, gentili magis licentiâ contentus, quàm ambitu regiæ affectationis inflatus. Scilicet minimam in parvulis Imperatoribus ſpem fore arbitrabatur, præſertim cum abſq; his non facilè antea quisquã pupillus in Imperio relictus ad maturitatem virilis ætatis evaſerit. *Oroſ. l. 7. c. 36.* Et ſanè maximas turbas dediſſet hic Gildo niſi frater ipſius Maſcezil novarum rerum molitiones in fratre perhorreſcens, & illectus ad vindictam, quòd Gildo filios ipſius occidiſſet, hunc adortus in fugam conjeciſſet, in quâ miſerè periit. Hujus quoq; inſtigator Eutropius inſidiis Gainæ primùm in Cyprum deportatus, deinde interfectus eſt. Mox tamen & Gaina Arcadium dejecturus de imperio vincitur à Fravitâ duce Arcadii & tandẽ ab Hunnorũ duce, quò rem gratam Arcadio faceret, obtruncatur. *Zoſ.* Interea Alaricꝰ devaſtatâ Græciâ in Occidentẽ tendit, Dalmatiam Pannonicamq; direptionibus quatiens, ducibus Honorii parum de hiſce miſeriis ſollicitis: quo ipſo eousq; audaciæ prolabitur, ut trajecto Padlo Italiam invaderet & Haſtæ Honorium obſideret: ſed pluribus prælIis defatigatus & ab exercitu derelictus inglorius in Illyricum, unde venerat redire cogitur: oſtendens facilè potuiſſe imperium à barbaris liberari, ſi Imperatores virtutibus ducibusq; fidelibus inſtructi fuiſſent. Sed imprudens ignavusq; Honorius coactus conſiliis Stilliconis, cujus virtutibus ſibi triumphum de Alarico paraverat, parere, devi-

ctum hunc hoſtem militibus præficit; quò Stillico hujus perfidiâ ad invadendum Orientem uti poſſit. Quid imprudentius facere potuiſſet Honorius, quàm Alarico rege cum ſuis ſæpè à Stillicone victo, ſæpè concluſo, ſemper dimiſſo, fidem nihilominus Stilliconi tribuere, & Alaricū exercitui præficere? Vix quies ab Alarico, cùm Radagaiſus hoſtis longè immanisſimus repentino impetu totam inundat Italiam. (Nam feruntur in ipſius comitatu fuiſſe plus quàm ducenta millia Gothorum) qui velut paganus & Scytha omnem Romani generis ſangvinem diis ſuis propinare devoverat. Fit Romæ concurſus, conqueruntur qui nondum fidem Chriſtianam amplexi erant, deos eſſe perditos, repetenda priſtina ſacra clamant, nomen Chriſti blasphemant velut luem aliquam præſentium temporum. Sed Stillico, qui numero longè erat inferior Radagaiſo; in magnis vallium anguſtiis ipſum aggreditur, & ſalvis ſuis omnibus centum millia hominum trucidat, Rhadagaiſus in fugâ capitur & occiditur. *Zoſim.* Tanta fertur fuiſſe captivorum Gothorum multitudo, ut, vilisſimarum pecudum modo, ſingulis aureis pasſim greges hominum venderentur *Oroſ. lib. 7. cap. 37.* Ex hac victoriâ elatior Stillico nec contentus, ſe ex imbelli, avarâ, perfidâ & doloſâ Vandalorum gente oriundum affinem tutoremque Imperatoris eſſe & nomine hujus imperare, filium ſuum Eucherium in Imperio quoquo modo ſuſtinere nitebatur. Quamobrem Alaricum cunctamq; Gothorum gentem pro pace & quibuscunq; ſedibꝰ ſuppliciter orantem, occulto fœdere fovens, publicè autem & belli & pacis copiâ negatâ, ad terendam terrendamq; Rempubl. reſervavit: præterea gentes alias copiis viribusque intolerabiles Alanorum, Svevorum, Vandalorum, ipſoq; motu ſimul impulſorum Burgundiorum, ultrò in arma ſollicitans, deterſo ſemel Romani nominis metu, ſuſcitavit, ſperans miſer, ſub hac neceſſitatis circumſtantiâ filio imperium parari, & gentes barbaras tàm facilè comprimi, quàm commoveri poſſe. Irrumpentibus ita Vandalis & Alanis, junctis aliis quampluribus Germanorum & proximas Rheno provincias longè latèque vaſtantibus, etiam in Britanniâ milites tumultuantur & novum Imperatorem eligunt Conſtantinum ex infimâ militiâ hominem, propter ſolam ſpem nominis, ſine merito virtutis. qui continuò ut invaſit imperium, in Gallias tranſiit. Eo tempore moritur Arcadius octennem filium relinquens Theodoſium juniorem, eique Isdigerdem Perſarum regem tutorem præficit, officio hoc putans ſe illicere poſſe barbarum vicinumque potentem, ne pupillo imperatori damnum inferret. quod quò imprudentius fuit eò felicius ceſſit. vid. diſcurſus, quem habet Agathias *lib. 4.* contra Procopium factum Arcadii defendentis. qui

rectè

ctè concludit, Isdigerdem potius ob benignitatem ſuam, quàm Ardium ob factum ſuum laudandum.

2. *Hactenus Honorius puer & adoleſcens, nunc majorennis pupillo itur collegâ Theodoſio, quaſi fato, ut juvenili puerilique imperio orbis riſtianus fatigaretur, premereturque, haud meliori ſucceſſu in adultâ ate imperavit.* Nam Stillico mortuo Arcadio & Imperio ad octennem ierum delato meliorem opinatus ſe nactum eſſe occaſionem invandi Orientis, Honorio ſuadet, ne tuendi Theodoſii gratiâ Conſtannopolin iret, comprimendum enim Conſtantinum in Galliâ domintem, expellendos barbaros eandem devaſtantes: Ipſe verò ſuam oram offert in tutando imperio Orientali. Itaque ſcelerum ſcena tefacta & Stillico occiſus eſt, unàque filius Eucherius, qui ad concilidum ſibi favorem paganorum reſtitutione templorum & everſione clesiarum imbuturum ſe regni primordia minitabatur. *Zoſim.* it. *roſ. lib.7. cap.38.* Stilliconis contrà milites improbatâ hac illius cæ: ad Alaricum ſe conferunt, eumque hortantur, ut invadat Italiam, quod etiam fecit obſeditque Romam, fame urbem premens, nec en liberans, donec accepto multo auro & precioſiſſimâ ſuppellectile acaretur. Sed Honorius nolens pacem cum Alarico confirmare ficit, ut Alaricus rurſus Romam caperet & Romanos adigeret ad Atlum Imperatorem faciendum. Quod Honorius tanquam Ucalen parvi faciens nuncianti Romam periiſſe reſpondit, ſe mirari eam m ſubitò periiſſe, quùm tamen eam paulò antè vidiſſet feſtiviſſimè dentem. Scilicet intentus vanitatibus & rebus ludicris, exiſtimat nuncios locutos de aliquâ gallinâ pugnaci, cui nomen Romæ derat. cùmque qualis eſſet Roma audiret, doluit, ſe fruſtrà triſte nunom de ſuâ gallinâ audire coactum eſſe. Iterum poſt pax facta cum larico, qui Attalum ab imperio removit. Sed interim Sarus dux Honorii, in Galliâ pacem hanc turbaturus, in Gothos inopinantes irru, & multos cædit, quâ clade motus Alaricus tanquam ab Honorio ofectâ, Romam denuò per inſidias cæpit; dato tamen præcepto, ut quantum poſſent milites prædæ inhærentes à ſanguine temperant. Tertiâ demum die, quùm ingreſſi urbem fuerant, barbari ſponà direptione & urbe diſceſſerunt. *Oroſ. Zoſim.* Mortuoque paulò oſt Alarico ſucceſſit Ataulphus. Dum hæc ita gerebantur, anſa datur Conſtantino agendi quidvis nō modò in Galliis, ſed etiam in Hipaniis; barbaris verò, Scotis nimirum, cùm, Conſtantino invadente nperium, nemo Romanorum in Britanniâ eſſet, Britanniam recupeindi. Quapropter Honorius videns, tot oppoſitis tyrannis, nihil dverſum barbaros agi poſſe, ipſos prius tyrannos delere ſtudet, Conſtan-

ſtantioque comiti ſummam belli committit, (Hactenus enim barbaris comitibus uſus erat) qui in Gallias cum exercitu profectus Conſtantinum Imperatorem apud Arelatem capit, occidit. *Oroſ. lib. 7. cap. 42.* Inde in Hiſpaniam citeriorem tranſit Conſtantius, ubi Maximum, qui tyrannidem ante biennium invaſerat, capit, mox tamen ob humilitatem ejus eum dimittit: quo ipſo Gallia & Hiſpania citerior ad jus Honorii redit. Attalus tanquam inane Imperii ſimulacrum cum Gothis usq; ad Hiſpanias portatus, hinc in mari captus ad Conſtantium comitem deductus, deinde Imperatori Honorio exhibitus, truncatâ manu, vitæ relictus eſt. Heraclianus interea Africæ comes, qui partes hactenus ſtrenuè & conſtanter ſuſtinuerat, ex Conſulatu geſto elatus cum immenſâ claſſe ad littora Italiæ progreſſus crudeliſſimè eadem vaſtabat, ſed occurſu comitis Marini territus & in fugam verſus arreptâ navi ſolus Carthaginem redit, atque ibi manu militari interficitur. *Oroſ. lib. 7. cap. 42.* Poſthæc Franci à Cauſtino duce Honorii è Galliâ, quam invaſerant, exiguntur. Ataulphus quoq; rex Gothorum, qui Attalum ad denuò invadendum Imperium concitaverat, à ſervo proprio occiditur, Attalus à Conſtantio capitur. Wallia dehinc à Gothis electus, ut pacem cum Imperatore infringeret, ſed tranſitu infelici in Africam deterritus datis obſidibus pacem rurſus cum Honorio facit; Romanæ ſecuritati periculum ſuum offert, ut adverſum cæteras gentes, quæ in Hiſpaniâ ſediſſent ſibi pugnaret & Romanis vinceret. (Rectius meo judicio dediſſet Honorius operam, quò is & ſibi pugnare & ſibi vincere potuiſſet) Ob quod ipſius in Imperatorem meritum Aquitaniam provinciam in Galliâ conſequitur. *Iſidor.* Conſtantius autem pro præſtitis ſuis officiis in Gothis devincendis & Honorii ſororem uxorem & Auguſtalem dignitatem, ſed propemodum invitus conſequitur. His geſtis Honorius intercutis morbo periit planè inglorius, utpote qui nil præclari ipſe ſed cuncta per duces geſſit, & quidem eo tempore quo Imperium maximè periclitabatur.

ARTIC. VII.
De
THEODOSIO JUNIORE ET VALENTINIANO III.

1. *Mortuo Honorio cùm Theodoſius cauſſam præſentium malorum nondum animadverterat, nimirum hactenus pueros, adoleſcentes & imbelles Imperio præfuiſſe Valentinianum puerum & ſub tutelâ matris, quæ erat ipſius amita, Orienti præficit.* Invaſerat enim defuncto Honorio Johannes, qui ſcriba fuerat, imperium, niſus favore Caſtini & Aëtii, quo-

uorum hunc cùm comperiſſet Theodoſium ſibi adverſarium factum-
ue ipſius improbantem, ad Hunnos miſit contracturum copias mi-
tum; ipſe verò Ardaburium Theodoſii ducem Ravennæ incluſit, à
lio Aſpare, quem paſtor per paludem cum equitatu duxerat, ut Ra-
ennam intrare poſſet, liberatum. qui Aſpar & Johannem ſcribam,
oſtquam decimum octavum Imperii menſem compleviſſet, cepit,
acidiæq; matri Valentiniani miſit, cujus juſſu primùm manibus pòſt
pite truncatus eſt. Aëtius verò extincto Johanne adducens Hun-
os paciſcitur cum Aſpare, Hunnosq; datis muneribus dimittit. *Se-
at.* Caſtino in exilium conjecto Aëtio Bonifacioq; ducibus, matre
acidiâ tutrice utitur Valentinianus, poſtquam decreto Theodoſii
uguſtalia inſignia acceperat. Utrumq; principem ſeorſim conſidera-
mus dicturi prius de Theodoſio.

2. *Theodoſius ergò, qui ut minorennis vivente Honorio nihil me-
ratu dignum gerere potuit, majorennis mortuoq; Honorio, Chriſtianæ
igionis quidem & legum amantem, ſimplicem tamen & ignavum ſeſe
ibuit principem.* Fertur namque Academiam inſtituiſſe & confir-
iſſe, in quâ docerent Oratores tres, Grammatici decem, ſophiſtæ
inq;, Philoſophus unus, JCti duo. Idem quoq; JCtis ſuis, erudi-
ne, fide ac prudentiâ notis, injunxit, ut omnes principum Conſti-
iones à Conſtantino M. usq; & quidem utiliores in unum corpus
ligerent; quò haberent magiſtratus certum legum Codicem, ex
o Jus dicerent. Inde natus eſt Codex Theodoſianus, quo Juſtinia-
s in ſuo Codice conficiendo uſus eſt. Publicatus fuit à Theodo-
io 25. Febr. Anno P.C.N. 435. Poſthæc & volumen Conſtitutio-
n novarum, quod ſuo Codici ſub Novellarum nomini Romam ad
entinianum miſit, anno 447. Pietatem & amorem erga Chriſtum
larare voluit edicendo, ne imago Chriſti picta vel ſculpta humi
locaretur, ſed in ſublimi loco ſtatueretur; privilegia quoque tem-
rum auxit, ipſaq; in toto ſuo ambitu inviolabilia ſanxit ab altari
ue ad ultimas fores, armaque inferri prohibuit, motus inde, quòd
nulli ſervi, qui ad altare tanquam aſylum fugerant, cædibus tem-
m Conſtantinopolitanum fœdaſſent. Crevit tamen ſub hoc prin-
ſuperſtitio, vero Chriſti cultu imminuto. Nam Eudocia conjux
, ita ab ipſo Imperatore, cùm duceretur uxor baptizareturq; no-
ata, ex Palæſtina ſecum attulerat tres catenas, quibus ferebatur
us, quando ab Angelo liberatus fuit, vinctus fuiſſe, it. reliquias Ste-
ni, faſciasque Salvatoris. Inde cùm unam catenarum miſiſſet ad
tificem Romanum, feſtum S. Petri ad vincula inſtitutum, Calen-
Auguſti celebrandum. Unà cum ſuperſtitione aucta quoque eſt

Epiſcoporum ſuperbia. Etenim Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus homo ſuperbus publicè fertur pro concione ad Imperatorem dixiſſe: Tu mihi in profligandis hæreticis ſubveni, & ego tibi in vincendis Perſis auxilium feram. Qui idem novo ſuo dogmate, Mariam non dicendam Deiparam turbavit Eccleſiam brachio ſeculari uſus adverſus contradicentes. Secuti hinc inde anathematiſmi. Clamabat Neſtorius in Concilio Epheſino, ſe eum, qui menſtruis ſpaciis humano more creviſſet, Deum non appellaturum. *Socrat*. Magni nomen, quod hactenus Alexandris, Pompejiſque tributum erat Leonibus eccleſiaſticis dari cœpit. Epiſcopatus certis adhæſére familiis quemadmodum Imperatoria dignitas Cæſaribus; familiæ diverſæ in ſeſe mutuò tyrannidem exercuêre. Id quod acta concilii Chalcedonenſis teſtantur. Varii in eccleſiam irrepſêre errores: prorupit & Eutychiana hæreſis, damnati in Concilio qui duas naturas poſt unionem in Chriſto ſtatuturi ſint. Concilium hoc à Theodoſio defenſum. Leo papa à Dioſcoro Epiſcopo Alexandrino, qui præſes concilii in ſententiam Eutychetis cæteros Epiſcopos manu militari adduxerat, excommunicatus. Bello nihil præclarè ipſe Imperator geſſit: receptæ quidem Pannoniæ, quæ ab Hunnis quinquaginta annos poſſeſſæ erant; feliciter etiam pugnatum adverſus Perſas, ſed per duces. Nam cùm Procopius Dux à Theodoſio in Perſas mitteretur: placuiſſetq; Perſarum regi, ut duorum militum pugnâ lis dirimeretur; vicit à partibus Areobinda, dataq; regi Perſarum pax in quinquaginta annos. Poſthæc ſuppetias genero Valentiniano laturus, miſit duces Areobindam & Anaxillum inſtructos claſſe quidem hoſtibus formidabili, nihil tamen ſuâ potentiâ dignum perficiente. Terruêre ipſum Hunnorum reges Thraciam, Macedoniam & Græciam vaſtantes, quos duces Theodoſii viribus inferiores magis irritabant quàm reprimebant. Coactus itaq; eſt pacis conditiones, quas Hunni præſcribebant, ſubire, ut ſcil. Attalæ daret ſex millia librarum auri & ſtipendium librarum totidem. Ita Attila ingenti auri pondere & maximo captivorum numero ditatus in Scythiam reverſus eſt. Nec tamen ita quies: Attila enim affectans totius orbis imperium iterum Theodoſio, ob annuum tributum non perſolutum bellum denunciat, idemque & Valentiniano minitatur: ſed Anthemii fidelitate obtenta victoria adverſus Attilam & pax facta. Mortuus eſt Theodoſius Anno P.C.N. 450. cùm prius cognitâ fraude Eutychetis pœnam in Eutychianos edixiſſet, exilium nimirum.

2. *Valentinianus avi ſub regimine matris ſuæ primò cum Theodoſio, mox cum Marciano, qui poſt mortem Theodoſii imperium arripuit, Oc-*

ciden-

bidentem rexit; homo fuit ignavus, domi voluptatibus deditus, & hinc ob adulterium occiſus. Unde miſerè à barbaris Imperium Romanum vaſtatum fuit. Nam initio ſtatim Imperii cùm Theudericus Gothorum rex ſedibus in Aquitaniâ non contentus eſſet, Placidia miſit Aëtium Theuderici victorem. Mox miſera fœmina Bonifacium, cujus ductu Caſtinus hoſtis Valentiniani devictus erat, adverſarium reddit decepta & circumventa ab Aëtio gloriæ Bonifacii invidente; facitque ut is in auxilium vocaret Vandalos. Poſthæc imprudens fœmina ſentiens ſe deceptam ab Attilâ, nec Attilam punire poterat (erat enim valido exercitu inſtructus) nec Vandalos vocatos à Bonifacio quantumvis conciliatus Placidiæ id ipſe tentaret, expellere, quin potius prælio ab his ſuperatus eſt Bonifacius, & Africa devaſtata, captâ Hippone urbe, in quâ erat Auguſtinus tertio menſe obſidionis febri corruptus mortuusque. Dum Vandali ita Africanos miſeris modis tractant, devicti ſunt Scoti Pictiq; qui in Britanniam irruperant; Gundericus rex Burgundionum, qui neglecto fœdere Belgium invaſerat, per Aëtium cogitur ad legatos de pace mittendos. Sed pro delendo in Africâ Genſerico Vandalorum rege, qui non modò bona externa ſed & religionem, utpote Arianus, turbabat, nulla comparebant media, præſertim cùm & pyratæ, qui Vandalis in Africam tranſeuntibus adfuerant, mare infeſtum haberent & miſſos duces imperatoris cum copiis ſuis trucidarent, ipſe verò Genſericus Carthaginem ſimulatâ pace occuparet. Igitur Theodoſius transmiſſis in Africam auxiliis tandem à Genſerico obtinuit, ut pacem faceret, coacto Genſerico dare filium obſidem & ſolvere tributa. Mox Attila Genſerici inſtinctu edicit omnibus ut expeditionem ſecum in Italiam facerent, non quidem Valentinianum ipſum, ſed Gothos invaſurus, ut prætendebat: voluitque hic appellari Rex Hunnorum, Medorum, Gothorum, Danorum, Metus Orbis, Deiq; flagellum. Sed cognitâ Attilæ fraude Valentinianus in fœdus convocat Reges Galliæ, Theudericum Gothorum, Gundericum Burgundionum, Meronicum Francorum & Sangibarum Alanorum, Aëtiumque ſummæ belli præficit. Commiſſum eſt prælium, in quo ceciderunt ab utrâque parte 180000. teſte Jornande: victoria deportata ſolis Gothis ab hiſtoricis adſcribitur. Sed Attila, reparato exercitu, in Italiam irruit, captâ Aquilejâ, cæteriſque Italiæ partibus occupatis; quas tamen interceſſione Leonis pontificis deſeruit; Hoc tempore Veneti populi, cùm omnia exuſta eſſent, inſulas cœperunt excolere Rempubl. conſtituentes. Hiſce tam immenſis calamitatibus & periculis, cùm Imperium omne quaſi in agone jam eſſet, Valentinianus domi latitans, Imperator ſcilicet Chriſtianus & Chriſtianorum defen-

ſor, meditatus eſt ſtupra & adulteria voluptateſque corporis. [Erat enim, ut Procopius ſcribit *de bell. Vandal. lib. 1.* à Placidiâ matre in omni mollitie nutritus, atque illius vitio effœminatus, utens incantamentis, ut potiretur matronis alienis: quanquam ipſe uxore longè formoſiſſimâ non careret.] Cùmque arderet amore conjugis Anicii Maximi viri conſularis, decipit honeſtam fœminam annulo mariti, quo luſu aleæ potitus erat. Maximus vindictæ cupidus cædem Valentiniani meditatur: quam ut impunè perficere poſſet Aëtium prius ſubmovendum cenſet. quod & perficit mediantibus calumniatoribus eò rem perducens, ut Valentinianus ſuâ manu Aëtium interficeret, quo ſolo hactenus uſus fuerat ad Imperium tuendum & conſervandum. De quâ cæde quidam poëta ita cecinit:

Aëtium placidum mactavit ſemivir amens.

Occiſi Aëtii ſatellites conducti à Maximo Imperatorem rurſus trucidarunt.

ARTIC. VIII.

DE MARCIANO ET MAXIMO.

1. *Theodoſio defuncto Marcianus, Valentiniano trucidato Maximus ſucceſſere, utriq; nuptiis adepti Imperium.* Nam Marcianus duxit uxorem Pulcheriam ſororem Theodoſii virginem quinquagenariam; Maximus verò ipſius imperatoris Valentiniani, cùm extitisſet auctor cædis ejusdem, viduam Eudoxiam recenti mariti cæde turbatam uxorem unàque imperium ſibi arripuit; diſpari tamen eventu. Marcianus enim homo & ingenio & ætate tardus nihil laudabile faciens mortuus eſt, cùm imperasſet annis ſex & totidem menſibus. Maximus verò, dum novæ uxori Eudoxiæ ſtolidè aperit, ſe auctore priorem ipſius maritum Valentinianum occiſum, eam ita ad iram accendit, ut Genſericum ad occupandam Romam vocaret, quo Romam claſſe adventante Maximus fugam tentans lapidibus obrutus eſt, diſcerptus & in Tyberim abjectus. Hinc Genſericus urbem intrans quatuordecim dies ſpoliando & diripiendo conſumit. Quievit hoc tempore Marcianus per ignaviam & tarditatem ſuam. Avitus in locum Maximi Imperator à militibus electus eſt, ſed cùm in Italiam venisſet Româ pellitur, Placentiæ epiſcopatum accipit, & tandem, cùm audiret ſe trucidatum iri, in Gallias abit mœrore animi abſumptus.

ART.

ARTIC. IX.

DE LEONE ET IMPERATORIBUS RELIQVIARUM OCCIDENTIS MAJORANO, SEVERO, ANTHEMIO, OLYBRIO ET GLICERIO.

1. *Leo homo itidem ignavus domi latitans, ſeverus tamen tributorum exactor, imprudentiam etiam ſuam in eligendo ſucceſſore prodidit.* Nam cùm quinque annis imperaſſet, Gothos in Thraciam irruptuos donis placavit, hisque obſidem filium regis Gothorum obtinuit ratione olim Romanis incognitâ obſides barbaris extorquendi. Hinc Zenoni curam rerum bellicarum per Orientem commiſit. mox animum ſumſit per duces ſuos debellandi Genſericum, qui omnes partes imperii prædando pervagabatur, quotannis eas invadendo, nec ordine aut conſilio, ſed quocunque, ut ipſe ajebat, vento ferebatur. Quin etiam Nauclero præceperat, ut eò tenderet, quò venti pellerent: ubivis enim inveniebat prædæ expoſitos; teſte Procopio. Quapropter ducibus ſuis Genſerici petulantiam cohibere nititur: ſed maximè ſtrenuo ex ipſorum numero, Marcellino nimirum, qui Sardiniam receperat, occiſo, Tripolin recipiunt & totam claſſem, cui Baſiliſcus præerat, Carthaginem ducunt, quæ mille fertur fuiſſe navium: Ibi otio dediti corrumpuntur adeò, ut ipſe dux Bonifacius, cùm ad prælium perventum eſſet, primus fugeret. Quo ipſo totâ propemodum claſſe Genſericus potitus eſt, elatior & audacior redditus. Leo accenſus irâ non auſus eſt punire ſuorum ducum ignaviam: potentiores enim erant, quàm ut puniri poſſent. Itaq; cogitur eorum, præſertim Aſparis & Ardaburii benevolentiam captare, filiam ſuam Aſparis filio deſpondendo, & eundem Cæſarem creando, quem tamen noverat Arianæ religioni addictum, & propterea exoſum populo. Quapropter tumultus excitante plebe & motibus perſequente novum Cæſarem Aſparisq; familiâ velut Arianæ ſectæ addictam, adeò ut Chalcedonem fugere cogerentur; Leo ſimulans ſe his auxilio futurum, jubet Zenonem, quem præ cæteris ſibi fidiſſimum putabat, omnes ex Aſparis familiâ occidere. *Nicephor.* Interea Baſiliſcus, ut maculam ignaviæ detergeret, claſſe cum Genſerico pugnat, eumque vincit. *Procop.* Paulò ante exceſſum ſuum nepotem Leonem ex Ariadnâ filiâ & Zenone, patre Zenone præterito, creat Cæſarem, cùm lucem primùm ſpectaſſet, & propterea ſpectacula edit. Scilicet hactenus pueris imperantibus & nutricum matrumque conſilio ductis nihilominus ſteterat imperium, & quidem ita, ut ſub pueris poterat: tentandum erat, quid infantes valerent. Poſtea ex ventris profluvio moritur.

ritur. Succeſſit ergò defuncto Leoni Leo infans ſeptendecim menſium Imperator ſanctus & inviolabilis ex miſericordiâ. Quis enim ejusmodi innocentem infantulum læderet? Tutor ipſius erat Zenon parens, ſed paucis menſibus cùm imperaſſet moritur, ignorans pariter, quid accepiſſet, ageret, relinqueret: ut Faſti Siculi habent.

2. *In Occidente interea, dum imperavit Leo, præfuêre plures Imperatores, & primò quidem Majoranus, à Leone miſſus ad imperium accipiendum, prope Ravennam coronatus, vir fortis & qui jam lapſum Occidentem erigere quodammodo potuiſſet, niſi per inſidias fuiſſet extinctus.* Nam Genſericus tentaturus, quid poſſet novus Imperator, Campaniam populatur; ſed inſidiis Majorani ſuperatus unà cum Vandalis Afrisq; ſuis devictis Italiâ cedere cogitur. Inde Majoranus comparatâ claſſe in Africam trajiciens, Mauritaniamque recipiens, morbo impeditus, re infectâ in Italiam redit. Hinc cùm Gothi à Genſerico incitati extra ſedes vagarentur, iisdem occupata oppida adimit, & in ſedes recipere jubet. Inde ex Galliis in Hiſpaniam tendit, ut claſſe ibi paratâ Vandalos adoriatur: & rem etiam ſtrenuè perfeciſſet, niſi proditione ſuorum impeditus fuiſſet. Terrorem tamen incuſſerat Genſerico, ut hic legatos mitteret de pace obtinendâ. Occiſus eſt à magiſtro militiæ Ricimero.

3. *Occiſo Majorano ſucceſſit Severus: hic uſus Ricimero, qui Alanos fudit, rego quoq; eorundem trucidato; mortuus eſt cùm tres annos novem menſes imperaſſet.*

4. *Cùm interregnum fuiſſet unius anni & octo menſium ferè, Ricimer dux pepigit cum Leone, ut mitteret, quem vellet Occidenti praeeſſe, filiamq; Ricimeri uxorem duceret. Mittitur igitur Anthemius, qui annos quinq; præfuit. Sed Ricimer propriæ potentiæ poſtea confiſus ſtruit inſidias ſocero imperatori, Romam obſidet, Imperatorem capit & occidit, poſtquam annos quinq; imperaſſet. Ipſe Ricimer paulò poſt quoq; mortuus eſt.*

5. *Anthemio ſuccedit Anicius Olybrius, qui menſes tres, dies 23. præfuit.*

6. *Glicerius poſthac ope Gothorum Imperator creatur homo itidem imbellis & ignavus.*

ARTIC. X.
DE
ZENONE.

1. *Anno P.C.N. 474. Orienti cœpit praeeſſe Zenon homo ignavus & voluptatibus deditus, qui cùm potuiſſet Orientem erigere & Occidentem ab interitu vindicare, paſſus eſt ſe ejici.* Nam tempore, quo Leo morie-

noriebatur, Perozes Perſarum Rex cum toto exercitu ab Hunnis occiſus præbuit Zenoni occaſionem firmandi imperium & contra reliquos hoſtes res præclarè agendi. Sed hic turpiſſimis voluptatibus eſe dedens nullamq; Imperii curam habens admittit Saracenos Meſopotamiam, Hunnos Thraciam vaſtantes. Tandem ipſe quoque à Baſiliſco ejicitur, & ut mortem declinaret in Iſauriam fugit, vitamq; cum conjuge herbis radicibusq; interdum veſcendo tolerat. Ejiciuntur à Baſiliſco Orthodoxi, Eutychiani exules revocantur ſuisq; ſedibus reſtituuntur, infirmato Concilio Chalcedonenſi. Quo ipſo tamen tantum Baſiliſcus ſibi parabat invidiæ odiiq;, ut Conſtantinopolis incenderetur, & Zeno ex exilio revocaretur, poſtquam menſibus viginti exulaſſet. Armatus, quem magiſtrum militiæ Baſiliſcus conſtituerat, Zenoni exercitum ſibi commiſſum tradebat. Unde Baſiliſcus, templo, in quod fugerat extractus, in exilium miſſus miſerrimam ducere coactus vitam frigore & inediâ periit, nemine quicquam ſuppeditante. *Procop.* Tandem & ipſe Zenon miſerrimâ morte periit. Nam correptus morbo comitiali mortuus reputabatur, tradebaturque ſepulturæ: cùmque reviviſcens ſub ſaxo lamentatus eſſet; nemo ipſum liberavit prohibente id uxore ipſius Ariadnâ: unde fame extinctus eſt, poſtquam ipſe ſuos lacertos devoraſſet. Quis crederet hos homines Chriſtianos fuiſſe?

2. *Dum iſta in Oriente geruntur, omnes Occidentalis imperii reliquiæ abſumuntur.* Nam Julius Nepos à Leone deſignatus ut Occidenti præeſſet, claſſe Italiam petit & Glicerium nullis inſtructum viribus deponit, Epiſcopumq; Salonenſem facit. (Quæ enim major excogitari poteſt inter Chriſtianos ignominia, quàm ſi princeps ſecularis cultui divino præficitur? Tanta eſt vis diaboli!) Interea Franci Galliam invadunt, perpetuam ſibi ſedem ut habeant. Nepos perituræ Galliæ ſubventurus Oreſtem Gothum comitem creat & hunc contra Francos Gothosque mittit. Sed Oreſtes his viribus adverſus ipſum Nepotem utitur, ipſiq; Ravennæ adimit Imperium. Vocatur ab amicis Nepotis Odoacer Herulorum rex in auxilium adverſus Oreſtem; ſed hic ſecurus hoſtium filium ſuum Momyllum creat Auguſtum, Auguſtulum poſteà, quod exiguæ ſtaturæ eſſet, dictum. Odoacer autem inopinatò Oreſtem invadit eumque Ticini capit, & in conſpectu militum occidit, Auguſtulum captâ Româ in exilium conjicit, ſalutaturq; rex Italiæ; ſedes regni Ravennæ conſtituitur, Romanis Conſules creandi poteſtas adimitur: quò nihil usquam priſtinæ dignitatis ſupereſſet; mox tamen reſtituitur ex ſingulari gratiâ. Interea Clodovæus Francorum rex Romanos invadit in Galliâ, & Syagrium Romanum

num devincit. quo ipſo Francorum regno ad Ligerim usque protenſo nihil Galliarum amplius Romanorum fuit. Nec tamen Odoacri regnum in Italiâ diuturnum fuit. Nam Theodoricus à Zenone inſtigatus, quò à ſeſe imminens malum averteret, Italiam invaſit regnum ibidem occupaturus, & ſtrenuè cum Odoacro pugnans prope Veronam (unde Veronenſis dictus) & poſtea Abduam vires omnes ejusdem proſternit. Romani ad quos confugiebat Odoacer eundem recipere nolunt, juſſi à Zenone per literas habere Theodoricum regem. Incluſus tandem Ravennæ Odoacer & pace factâ cum Theodorico convivioq; acceptus trucidatus eſt. Et ſic regnum Italiæ ad Theodoricum pervenit.

ARTIC. XI.
De
ANASTASIO IMPERATORE
&
THEODORICO REGE ITALIÆ.

1. *Anaſtaſius Imperator Orientis, judicio mulieris & imbellis Epiſcopi electus, homo ignavus, orthodoxorum inimicus, ſeditionum hoc ipſo autor tandem fulmine ictus periit.* Nam ſepulto Zenone Ariadna hunc aſciſcebat, conſilio Euphemii Epiſcopi addens hoc pactum, ut chirographo Anaſtaſius ſeſe obſtringeret, quòd nihil contra Synodum Chalcedonenſem moturus ſit. Sed mox Orthodoxorum perſecutor exiſtens Euphemium depoſuit. Unde cùm monitus à Symmacho papâ Romano, ut ſibi caveret ab hæreticis; ipſe verò vehementius in Orthodoxos ſæviret, in ludis Circenſibus tria millia inermium occidens, Eutychianosq; defenderet, ab eodem Papâ excommunicatus eſt. Sed Anaſtaſius eam excommunicationem nullam eſſe papamq; majoribus ſceleribus obnoxium eſſe demonſtrabat: ejiciebat quoq; in exilium Epiſcopum Macedonium, & huic ſubſtituebat Timotheum, Eutychianum & hominem impurum, quem Conſtantinopolitani κήλωνα einen Hurenhengſt appellabant. Indictâ quoque Synodo damnari curabat omnes Chalcedonenſem Synodum amplectentes. Hinc ſeditio: ejeciſſetque Anaſtaſium ex urbe populus: niſi ſe Synodum Chalcedonenſem defenſurum pollicitus eſſet. Sed ſedatâ ſeditione Anaſtaſius haud melior. Quapropter Vitalianus comes ſeſe Orthodoxorum defenſorem profitetur, occupatâq; univerſâ Thraciâ, Scythiâ, Mœſiâ, terret Anaſtaſium, ut promitteret, ſe Heracleæ concilium habiturum, Vitalianumq; magiſtrum militum crearet, eo fini, ut tantùm gratiam populi iniret. Sed gratiâ populi paratâ nec ſic Synodum inſtituit, & Vitalianum omnibus honoribus privat, ad papam literas

literas dat ſignificans, ſe Imperatorem nec admittere poſſe, ut quisquam ſibi aliquid præcipiat. Hinc iterum ſeditio Conſtantinopoli. Bella geſſit porrò hic Imperator per duces, Iſauricum, quod contra fratrem Zenonis feliciter finitum fuit, Perſicum per Hypatium & Areobindam amiſſis multis militum millibus, adeò ut pecuniâ pacem redimere cogeretur. Hôc etiam imperante, Bulgari, gens hactenus incognita, Thraciam vaſtantes, cùm itidem aliquot millia Anaſtaſianorum trucidasſent, Getæ Macedoniam & Theſſaliam diripientes pecuniâ placati & amoti ſunt. Tandem fulmine ictus periit, nec quicquam ipſum juvit ædificium, quod à Proclo adverſus fulminum pericula fieri curavit.

2. *Theodoricus Italiæ Rex fortior prudentiorq́, non tamen ſine ſævitiæ infamiâ deceſſit.* Vicit namque hic Odoacrum occidentalis imperii everſorem, ſubjectisq; Italiæ urbibus, ſapientisſimè regnum Italiæ conſtituit, ſibi Casſiodorum conſiliarium asſumens. Regnum firmavit, filias ſuas potentisſimis regibus in matrimonium dando. Ipſe verò Clodovæi Francorum regis filiam Auteflendam uxorem duxit, removit Herulorum principes, ſuisque Gothis agros eorundem distribuit, Bulgaros Pannoniam vaſtantes vicit, per ducem tamen ſuum Petzam. Regnum Gothorum in Hiſpaniâ occupavit, illudq; Tutorio nomine per quindecim annos reſervavit nepoti ex filiâ. Sub hoc rege, quia Arianus erat, nec tamen Orthodoxis infenſus, Gelaſius papa primatum inter epiſcopos ſibi arrogavit, recepitque poſt ſacra Biblia Concilium Nicenum, Conſtantinopolitanum contra Macedonium, Epheſinum contra Neſtorium, & Chalcedonenſe contra Eutychem. Theodoricus autem nemini ſuam ſectam obtruſit: quin potius orthodoxum quendam amplexum religionem Arianam ſpe ſummam gratiam adipiſcendi manu ſuâ interfecit, dicens, eum ſibi fidum non futurum, qui Deo fidus non exiſteret. Quapropter etiam cùm inter Symmachum & Laurentium certamen eſſet de obtinendo papatu, & inde naſcerentur cædes, rapinæ & innumera mala, Arianus hic controverſiam diremit, prohibuitque, ne impoſterum propter ambitum & immoderatam pontificatûs cupiditatem ſeditiones fierent. Et quanquam Senatum Romanum initiò humanisſimè tractaret, Boëthium tamen exconſulem nimiâ libertate utentem in jure Senatûs & populi tuendo adverſus aulicos in exilium egit, tandem eundem cum Symmacho ſocero occidit. (Videtur autem commotus ad iram à Justino Arianos exſtinguente, ſævusque adeò redditus eſſe.) Refertque Procopius hanc cauſſam quoque mortis Theodorico fuisſe. Nam cum paulò poſt caput piſcis eſſet in menſâ regis appoſitum, viſum

 ſum

ſum fuiſſe Theodoricum ſibi videre caput Symmachi ſibi minitantis, & inde in acutisſimam incidiſſe febrim, ex eâq; mortuum eſſe.

ARTIC. XIII.
De
JUSTINO.

1. *Juſtinus natione Thrax poſt mortem Anaſtaſii à prætorianis militibus electus Imperator in Orthodoxâ religione conſervandâ, Arianis, Manichæisq; extirpandis occupatisſimus fuit, moriturusq; Juſtinianum ex ſorore nepotem Imperatorem conſtituit.* Nam cùm Theocritus Juſtino prætorianorum præfecto ingentem numerasſet pecuniam, quâ ſibi Imperium emeret, diſtribuendam militibus; hi acceptâ pecuniâ nihilominus Juſtinum Imperatorem fecerunt. Hic creatus Imperator nihil antiquius duxit, quàm ut exules Orthodoxos revocaret, & Eutychianos excomunicaret; deletis quoq; ex tabulis ſacris Zenone, Anaſtaſio & Epiſcopis hæreticis. Manichæos quoq; per edictum in exilium egit. Cùm quoq; Arianos ſedibus ſuis pelleret, & Theodoricus rex Italiæ pro hiſce intercedens nihil obtineret: concitatus hic eſt, ut adigeret Pontificem Johannem ad legationem ſuſcipiendam ad Juſtinum & intercesſionem pro Arianis faciendam. Sed cùm hic ex Italiâ rediret, Ravennæ detentus & in carcerem conjectus eſt, ibique mortuus; eiq;. ipſo Theodorico autore, ſuccesſor electus Felix Beneventanus. Juſtinus cùm ægrotaret, Juſtinianum ex ſorore nepotem ſocium Imperii aſſumſit, paulò poſt mortuus, Anno ſcil. P. C. N. 527.

MEMBR. VII.
De
JUSTINIANO IMPERATORE.
ARTIC. I.
De
REBUS BELLICIS, QVÆ JUSTINIANI AUSPICIIS GESTA SUNT.

1. *Juſtinianus deprædicatur ob Perſas, Vandalos, ac Gothos non propriâ tamen virtute, ſed ope Beliſarii potisſimum & Narſetis ducum præſtantisſimorum devictos.* Qvod enim Perſicum bellũ attinet, ductu Beliſarii prope Niſibin, terrente hoſtes ludimagiſtro qvodam Andreâ monomachiâ duplici, feliciter in conſpectu utriusq; exercitûs commiſſâ, multa millia Perſarum periêre, omnesq; eorũ pedites projectis ſcutis nullo ordine capti ac interfecti ſunt. In regione autẽ, quæ Comagene dicebatur, cùm Beliſarium urgerent milites, increpantes eum, quaſi imbellis eſſet,

ac horum fortia facta impediret, ut congrederetur cum Perſis; coactus eſt propemodù ut victus recedere, relinqvens Perſis cadavera ſpolianda. Pax hinc facta cum Coſroë Perſarum rege, qui Cabadi ſucceſſerat, cum quo pugnatū erat, datâ pecuniâ, ſed non diuturna. Nam cùm percepiſſet Coſroës, miſſum Beliſarium in Italiam, ut eam Juſtiniano ſubjiceret; cauſſas belli finxit eò promptior ad nova prælia, quò majoribus perſuaſionibus ad hæc ſuſcipienda Vittige Gothorum rege illiciebatur. Irruptioni Perſarum oppoſuit Juſtinianus Germanum fratris filium: ſed hôc impare viribus hoſtiū exiſtente, Berrhoea & Antiochea captæ: tantaque auri & argenti deportata eſt copia, ut Perſarum Rex ditiſſimus inde evaderet. Utque à Coſroë pax impetraretur, annua pecunia ipſi promiſſa. Sed cùm duces Juſtiniani denuò Coſroëm invadere niterentur, magnâ clade affecti ſunt: fugati omnes citatis flagello & clamore equis adeò cucurrerunt, ut nullus fermè ex illis equis ſupervixerit, ſed plerique à curſu ſubſiſtentes ſubitò exanimes conciderint. *Procop. lib. 1. & 2. de bello Perſ.* Peractum eſt bellum Perſicum, cùm Perſæ Phaſida urbem in Laziorum regno obſidentes magnâ clade afficerentur. *Agath. lib. 3.* Coſrhoës enim pertæſus belli ducem ſuum, qui ad Phaſida urbem malè rem geſſerat vivum excoriari juſſit, & ad Juſtinianum Oratorem Byzantium miſit, qui de pace cum ipſo conveniret. Res ita tranſacta, ut Romani Perſæq; ea tenerent, quæ in agro Lazorum belli jure cœpiſſent, neq; de his impoſterum certaretur, niſi majus aliquod interveniret rei principium. *Agath. lib. 4. fin.* Hæc ſufficiant de bello Perſico. Vandalicum bellum inchoavit Juſtinianus, cùm Coſrhoës ſuccedens Cabadi initio ſui regni pacem cum Juſtiniano faceret. Cauſſa belli fuit quòd Gilimer Ilderichum legitimum regem Vandalorum in cuſtodiâ teneret. Miſſus eſt Beliſarius cum ingenti claſſe. Necantur ſtatim juſſu Gilimeris Ilderichus & cæteri eidem ſanguine juncti omneſq; his faventes. Et quanquam Gilimeri initio res benè cederet, adeò, ut ſi inſectatus fuiſſet Gilimer hoſtes jam in fugam conjectos, cuncta à Juſtiniani partibus corruiſſent (quanta enim erat formido Romanorum, tanta Vandalorum multitudo). Quòd ſi etiam rectà petiiſſet Carthaginem, potuiſſet eam civitatem facilè ſibi ſervare, cepiſſetque naves hoſtium haud longè inſequentes: quo ipſo & victoriæ & evadendi ſpes Juſtinianæis fuiſſet ablata. Verùm nihil horum egit, ſed commoratus in loco, ubi pugnatum erat, inſpexit fratris cadaver, in luctum ac ſepulchri curam converſus. Atq; ita amiſit præclarè gerendi res occaſionem, quam poſtea recuperare non potuit. *Procop. lib. 1. de bell. Vandal.* Quin dum Carthaginem, quam interea muniverat Beliſarius recuperare nititur,

in fœdam ſugam conjicitur, ut relinqueret exercitum nihil quicquam dicens aut mandans. Poſtea in Papuâ monte, in quem confugerat, obſidetur per Pharam ducem, quem eò Beliſarius miſerat; ipſiusque omnis ſubſtantia à Bonifacio, cui cuſtodienda data erat, proditur & Beliſario offertur. Gilimer tandem obſidione longâ defatigatus petiit à Pharâ unum panem, ſpongiam & cytharam; quo petito ſignificavit, ſe nullum coctum panem habuiſſe ab eo tempore, quo Papuam montem adſcendit; ſpongiam ſibi propterea necesſariam, ut abſtergeret lachrymas; Cytharam, ut muſicus cùm eſſet bonus, præſentem calamitatem flebilibus numeris demulceret. Hæc ubi Pharas intellexit, humanam miſeratus conditionem ei morem geſſit, majori tamen quàm antea adhibitâ cuſtodiâ, ne elaberetur. Quo ipſo adactus ſeſe tandem dedidit. Ductus ad Beliſarium Carthaginem riſit, fortasſe perpendens quàm ridiculæ eſſent actiones humanæ. Mox in triumpho Beliſarii, quem Conſtantinopoli habuit, cùm in Hippodromo conſtitit, ac Imperatorem in altâ ſede conſtitutum, populumque circà aſtantem conſpexit, ac demum ſeipſum, in quod fatum pervenerit, conſideraſſet, fertur nec fleviſſe, nec aliter conqueſtus, tantùm illud memorasſe: *Vanitas Vanitatum & omnia Vanitas; Procop. lib. 2. de bell. Vandal.* Ita feliciter peractum eſt bellum Vandalicum ductu Beliſarii. Belli Gothici hæc fuit causſa: Cùm Athalaricus rex Italiæ jam pubes factus moribus depravatus & per comites ſuos ad temulentiam & fœminarum concubitus compulſus moreretur: Amalaſuntha mater defuncti Athalarici Theodahatum regem fecit, hac conditione, ut prius ſeſe juramento obſtringeret, regis duntaxat nomen ſe laturum, adminiſtrationem imperii Amalaſunthæ relicturum. Sed Theodahatus rex factus contra datam jurejurando fidem Amalaſuntham in carcerem trudit, & paulò poſt obtruncat; prætendens, ſe invito hoc factum eſſe. Quapropter indignitate rei motus Juſtinianus bellum in Italiam præparat: Mundum ducem in Dalmatiam, & Beliſarium, ut callidè prætendendo, ſe Carthaginem claſſe repetiturum, occupet Siciliam. Quæ res etiam Beliſario feliciter ceſſit: reddita enim eſt Juſtiniano ab eo tempore Sicilia tributaria. Hac re perculſus Theodahatus Imperatori univerſam Siciliam relicturum ſe promittit, misſurumq; ſingulis annis coronam 100. auri librarum, ſeq; poteſtatem occidendi nullum ſacri vel ſenatorii ordinis ſine imperatoris conſenſu uſurpaturum, nomen imperatoris ubique prævaliturum in acclamationibus populi; ſtatuamque æneam Imperatoris ad dexteram, Theodahati ad levam exhibiturum. Præter hæc metuens, ne accepturus ſit has conditiones, addit alias literas, quibus offert regnum

Ita-

Italiæ & Gothorum imperatori, ſi modò certam partem terræ in pace colendam acciperet. Interea Mundus filiusq; ipſius in Dalmatiâ cadunt certantes cum ducibus Gothorum. Quibus auditis Theodahatus animi inconſtans & pronus ad perfidiam (quippe quem præſens fortuna temerè ſemper, ac præter decoris & officii dignitatem vel in nimiam trepidationem impellebat, vel econtrariò in ineffabilem audaciam) maximumque in modum elatus nullam amplius rerum promiſſarum conventarumque rationem habere voluit: Sed oratores à Juſtiniano miſſos in cuſtodiâ detinuit. Juſtinianus verò cognitâ clade Mundi in Dalmatiâ comitem ſui ſtabuli Conſtantianum in Dalmatiâ Mundo ſubſtituit, qui Dalmatiâ Liburniâq; potitur. Beliſarius autem occupat Neapolin. Theodahato homini imbelli, inque vaticiniis perſcrutandis occupato, & per ignaviam ſuam in ſuſpicionem venienti, quaſi proditurus eſſet regnum Italiæ Imperatori, abrogatur regnum, Vittigesq; in hujus locum ſufficitur, vir non quidem ex illuſtri familiâ oriundus, ſed qui varias res in bello hactenus benè geſſerat. Interea Romani veriti, ne eadem ſibi, quæ & Neapolitanis, contingerent (ſtrages enim ingens civium ibi erat facta, omnia direpta, matresfam. puériq; in ſervitutem acti & vix ipſo Beliſario deprecante dimiſſi) miſère legatum ad Beliſarium petentes, ut is Romam contenderet, polliciti unà ſe venienti paratos eſſe urbem dedere. Hinc adventum ejus Gothi, qui Romæ erant, non expectantes Ravennam ſeſe conferunt, ſolo Leudere relicto, qui unà cum clavibus urbis Imperatori transmiſſus eſt. Beliſarius poſtea in muniendâ & reparandâ Româ occupatus neceſſaria ad obſidionem tolerandam præparat. Vittiges Gothorum maximâ potentiâ inſtructus, quantâ potuit celeritate, Romam progreditur, veritus ne ante ejus adventum Beliſarius aufugeret, ſed hic ad obſidionem ſuſtinendam omnia parata habuit. Initiò obſidionis minus cautus conjectus eſt in periculum, dum inter primos militis in modum pugnavit, inſidens equo ſubrutilo, adeoq; ſatis notus Gothis, qui clamitarunt *in valam* den Valſſen. Defenſus tunc dicitur unicè miniſtrorum ſuorum fidelitate, qui prælatis clypeis convolantium undiq; ſagittarum vim exceperant, & ſupervenientes magno agmine hoſtes umbone procul à ſe repulerant. Obſeſſa hinc Roma, in quam Beliſarius cedere coactus eſt. Sed hic urbem non modò ſtrenuè defendere eruptionibus crebrò factis, verùm & imbelles ex urbe ejicere, papam & alios viros ſenatorios ſuſpectos de defectione ad hoſtes in Græciam deportare, & omnia ita adornare, ut non modò Romani providentiam ejus, & artem bellicam mirarentur; ſed & Gothi tandem, cùm urbem annum & dies novenos circumſediſſent,

ultrò ab ejus obſidione recederent. *Procop. lib. 1. & 2. de bell. Goth. & Aret. de bell. Ital. lib. 1. & 2.* Beliſarius recedentes hoſtes inſecutus, capta oppida in Italiâ quamplurima. Narſes quoque advenit novis inſtructus auxiliis. Eò tandem Gothi redacti ſunt, ut Beliſario Occidentis imperium offerrent: verebantur enim, ne, ſi in Romanorum ditionem veniſſent, ex Italiâ exciti abire Byzantium cogerentur, ibique vitæ reliqvum agere. Beliſarius verò ſine Imperatoris permiſſu ſuſcepturum ſe id regnum negare, paulò poſt tamen ſimulare, ſe id facturum: quo ipſo obtinuit, ut cum toto exercitu in urbem Ravennam reciperetur, ipſique rex Vitiges dederetur, quem honorificè cuſtoditum ſervavit. *Procop. lib. 2. circ. fin.* His peractis Beliſarius à Juſtiniano ex Italiâ revocatur pugnatum contra Perſas, qui proinde Conſtantinopolin rediit ſecum ducens Vittigen regem Gothorum captivum. Denegatus autem ipſi eſt ab Imperatore triumphus, ſed Beliſarius ut homo virtuoſus gloriâ rerum à ſe geſtarum contentus fuit. Poſt abitum hujus ex Italiâ cæteri ad gubernationem illius provinciæ ibi relicti præfecti, & inter ſe pares nihil non ad privata commoda gerere, ſubditosque militum libidini permittere, quo ipſo effectum, ut res Romanæ planè iterum conciderent. Alexander homo avarus & crudelis ſummæ rei à Juſtiniano præfectus & militum & Italorum animos alienos reddidit. Totilas magno cum Gothorum emolumento & ſucceſſu rex ab iisdem creatus. Statim enim Veronam, quam devicerant Romani contendentes de prædâ nondum partâ iterum cum aliquâ ſuorum clade amiſerunt. Diſſipatæ ſunt copiæ Juſtiniani. Capta Neapolis. Juſtinianus cùm certior fieret, duces ſuos illa ipſa, quæ à Beliſario parta erant cuſtodire non poſſe, Beliſarium rurſus ad curam Italici belli delegit, non obſtante, quòd bellum Medorum nondum finitum eſſet. Sed adventus hujus nihil confidentiæ fractis Italorum animis addidit, metum potius auxit: utpote cùm nullis copiis inſtructus adventaret, comitatus tantùm tyronum quatuor millibus. Itaq; concionantem Ravennæ, cauſſasq; adventûs ſui docentem, cohortantem denique ad capeſſendum bellum nec opidani nec milites læto animo audiverunt, neque lætitiæ aut ſpei bonæ ſignum ullum ediderunt. Denique Beliſarium ipſum, quòd in Italiam veniſſet, ſtatim pœnitere cœpit. Totilas Romam obſedit, & quamvis Beliſarius omnibus modis ſuppetias ferre niteretur, nihil tamen profecit: prodita urbs Totilæ interfecti cives ſine ullo delectu, bona eorum in prædam militibus conceſſit. Poſthæc cùm legatos miſiſſet ad Juſtinianum, quorum in numero etiam erat papa Pelagius, nunciantes, ſi Imperator ipſum & Gothos amicos habere velit, ſe urbem Romam

ſerva-

ſervaturum, & in cunctis expeditionibus permagna ac fidelia auxilia præſtiturum; nil autem reſponſi acceptaret præter hoc; Beliſarium eſſe in Italiâ, in cujus poteſtatem & arbitrium res Italiæ commiſiſſet: Totilas irâ accenſus mœnia Romæ pluribus locis ad ſolum evertit, capitolium totamque penè urbem incendio vaſtavit: & inter hæc incendia multitudinem urbanam cum conjugibus & liberis ſedibus patriis eduxit, ne deplorandi quidem miſerias ſuas libertatem haberent. Egresſus deinde Româ cum toto exercitu eam deſolatam penitus ac vacuam reliquit, ut neque vir quisquam, nec fœmina in illâ remaneret. *Aretinus lib. 3. in fin. de Reb. in Ital. adv. Goth. geſtis.* Procopius autem *lib. 3. de bell. Goth.* rem ita narrat: Totilam habuisſe quidem in animo, Romam ad ſolum proſternere & in ovium paſcua idoneam reddere; literis Beliſarii autem effectum, ut mutaret animum: uſum enim hunc eſſe tali dilemmate: aut hoc bello victor exiſtes, aut, ſi fortuna ita dederit, nos ſuperabis: ſi viceris, tuam non alterius urbem te delevisſe dolebis: ſi victus eris, Româ ſervatâ tibi apud victorem gratia conciliabitur, eâ extinctâ ad clementiam conſequendam nullus patebit aditus: ſed omnes pro tam egregiâ urbe deletâ dignas te luisſe pœnas dicent. Has literas Totilam ſæpius perlegisſe & ut benè monentes magnifecisſe, urbemq; integram ſervaſſe, deq; ejus in hanc voluntate certiorem Beliſarium fecisſe. Poſtquam Totilas, diſtributis per varia loca civibus Romanis, dirutâque tertiâ parte murorum, Romam deſeruerat: Beliſarius eam rurſus occupat, reparatis qualitercunque ob defectum cæmentorum muris, foſſâque circa muros profundiori redditâ. Romani, circumjecta incolentes patriæ loca in patriam reduces coacti, deſiderio partim Romam rurſus habitandi, partim rerum neceſſariarum inopiâ. Hinc Totilas urbem iterum obſidet: ſed ob clades illatas obſidionem ſolvere tenetur increpatus à militibus, quòd urbem non planè deleviſſet, quum eam in manu ſuâ haberet. Poſthac Beliſarius nulla referens belli decora Byzantium redit ex ocio vivens & in deliciis, affluentibus opibus agens, contentus rebus antehac feliciter geſtis. Imperator rogatus à præſule urbis Romæ aliisque primoribus Italiæ, ut omnibus adhibitis viribus Italiam in ſuam redigeret poteſtatem, reſpondit, Italiam ſibi curæ fore. Sed Totilas copias univerſas Romam ducens eam circumvallando obſidet, cives fame maceratos in deditionem accipit; urbem ipſam reſtaurat, jubens farciri omnia, quæ vel igni abſumpta eſſent vel per ſe demolita, revocans quoque patricios in urbem, quos ipſe emiſerat. Tandem Juſtinianus Narſetem eunuchum exercitu & pecuniâ inſtructum in Italiam contra Gothos mittit. Superantur quos Totila miſe-

rat

rat in Græciam depopulatum à Joanne bello navali: ejiciuntur ex Sicilia Gothi ab Artabane, devictus à Narſete ipſe Totilas, adeò, ut cum quinq; militibus ipſe aufugeret, & in fugâ vulneratus periret. Roma à Narſete recipitur, clavesque urbis tertiò ad Imperatorem mittuntur. Narſes hic victo quoque Teiâ Gothorum rege, quem Totilæ ſubſtituerant, bellum Gothicum tandem conficit. Profesſi enim Gothi ſe victos, poſtulant, ut ſibi liceat ex Italiâ abire & ſua ſecum auferre: & ita concesſo abitu Gothi Italiam relinqvunt. *Procop. lib. 3. de bell. Goth.* Ex his narratis patet, Juſtinianum ſi ducum virtuoſisſimorum & felicisſimorum acta imperatoribus regibusque adſcribenda ſunt, fuiſſe inſignem imperatorem, talem ſcil. qualem poſt Conſtantini tempora Oriens non vidit: Libyam namque capto Gilimere, Italiamque depulſis Gothis recuperavit, Perſarum regem defatigatum bello adegit ad pacem faciendam. Sed ſi dicendum quod res eſt; magnam hæc laudem tribuere Juſtiniano nequeunt: contigère enim quòd fortuna ipſi dederit bonos duces Beliſarium & Narſetem. Si Romani tot habuisſent Beliſarios, quot Caligulas, Nerones, Arcadios, Honoriosq;, immobile ſemper ſtetisſet imperium. Quid mirum ſi principi deſidi & ſuperbo obveniat Beliſarius, ejus principatum augeri & amplificari? Præterquam enim quòd pulchritudo & magnitudo corporis eum honeſtabat: humilem præterea ſe benignumque atque obviis quibusq; perfacilem adeò ſe exhibuit, ut infimæ ſortis viro perſimilis videretur. Militibus qui bello caſum aliquem adverſum pertuliſſent, pro acceptis vulneribus pecuniam non modicam donando, indignationem ac ſimul mœſtitiam ſæpè permulcebat; ei verò, qui in acie res benè gesſerat, ornamenta in præmium dabat. Nullam præterea agricolas permittebat vim pati; ſed hoc potius agebat, ut ex militibus diteſcerent. Ex temperantiâ quoq; laudem meruit; quia præter denuptam ſibi uxorem noverat nullam: cùmque multas ex Vandalis Gothisq; formâ egregiâ fœminas cepisſet; earum nullam vel in ejus conſpectum venire paſſus eſt. In ipſo diſcrimine animi & magnitudinem & ſagacitatem oſtentabat, dubiisque in rebus, quid melius aut ſalutarius, promptè inveniebat. feſtinare præterea & cunctari, prout res depoſcebat. in rebus trepidis benè ſperare, nec terrore aliquo capi. non proſperis inſolentem ſeſe gerere, nec vitam in deliciis agere. nec quisquam hominum fuit, qui temulentum eum unquam viderit, Actiones ipſius perpetua quædam comitata eſt felicitas. Quapropter Beliſario in ſenectutem vergente, omnis quoq; corruit diſciplina militaris: & niſi incurvatus ſenex induisſet denuò arma & quæcunq; obvia vaſtantes Hunnos depuliſſet: nemo fuisſet ducum his reſiſtere auſus. *Procop. lib. 3. de bell. Goth.* add *Agathias lib. 5.*

ART.

ARTIC. II.
DE
IIS, QVÆ JUSTINIANUS CIRCA LEGES PRÆSTITIT.

1. *Duo potiſſimum ſunt, quibus Juſtinianus princeps ampliſſimum imperium gubernans inclareſcere ſtuduit, arma ſcil. & leges.* Ita namq; ait *proœm. Inſtit. pr.* Imperatoriam Majeſtatem non ſolùm armis decoratam; ſed & legibus armatam eſſe oportet; ut utrumq; tempus, & bellorum & pacis, rectè poſſit gubernari: & princeps Romanus non ſolùm in hoſtilibus præliis victor exiſtat; ſed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat; & fiat tam Juris religioſiſſimus, quàm victis hoſtibus triumphator magnificus. Et in Conſtit. *De Juſtinianeo Codice confirm. pr.* ita diſſerit: Summa Reipubl. tuitio de ſtirpe duarum rerum, armorum ſcil. atque legum veniens, vimque ſuam exinde muniens, felix Romanorum genus omnibus anteponi nationibus omnibusq; gentibus dominari tam præteritis effecit temporibus, quàm Deo propitio in æternum efficiet. Iſtorum etenim alterum alterius auxilio ſemper eguit: & tam militaris res legibus in tuto collocata eſt, quàm ipſæ leges armorum præſidio ſervatæ ſunt. De neceſſitate legum diſſerit in hunc modum *l. 1. §. 1. C. de Vet. Jur. enucl.* Cùm itaque, inquit, nihil tam ſtudioſum in omnibus rebus invenitur, quàm legum auctoritas, quæ & divinas & humanas res benè diſponit, & omnem iniquitatem expellit, &c. Scil. ex ſuprà dictis de Ratione ſtatûs conſtat, principem etiam abſolutè imperium ſibi conſulere latis legibus. Nam licet ipſe has ferat, adeoq; ipſius voluntas lex ſit; (quod quidem ita obtinebat, & in Imperatoribus Romanis, prætendentibus, lege regiâ omne jus omnemq; poteſtatem populi Romani in Imperatoriam poteſtatem translatam eſſe *lib 1. C de vet. Jur. enucl. §. ſedet. 8. j. de Jur. nat. gent. & civ. l. 1. pr. ff de Conſtit. princ.*) decipiuntur tamen ſubditi quodammodo concipientes ſe legibus regi: ut ita minuatur odium & invidia erga imperantem. In latiſſimis verò imperiis regimen vix aliâ ratione, quàm per leges ſubſiſtere poteſt: quomodo enim voluntas imperatoris innoteſcet, niſi promulgata fuerit? Judicum quin etiam & præſidum gratiâ, qui per provincias imperant, certæ debent condi leges, ſecundùm quas Judicia exerceant: ne pro libero arbitrio pronunciantes homines afficiant injuriâ.

2. *Poſtquam ergò ſe bellis ſatis inclaruiſſe exiſtimavit Imperator, legum ſtudio æternam ſibi famam parare niſus eſt, arreptâ occaſione leges confuſas in ordinem redigendi.* Nam quod Tiberius callidè excuſaus, ſi ipſe non interfuiſſet præliis, ſe per Reipubl. negotia intereſſe rebus

 geren-

gerendis non potuiſſe, adfuiſſe tamen militantibus ſuis conſiliis: id ſine rubore poſtea fecerunt imperatores ignavi ſibi adſcribentes, quod fortè fortunâ feliciter vel per ſtrenuos duces præclarè geſtum erat. Hoc pacto Juſtinianus de ſuis bellicis laboribus gloriatur: quando ait *proœm. Inſt. §. 1:* Et bellicos quidem ſudores noſtros (quis ex hiſce verbis alium hauriret ſenſum quàm ipſum Juſtinianum ſingulis præliis interfuiſſe?] barbaricæ gentes ſub juga noſtra redactæ cognoſcunt, & tam Africa quàm aliæ innumeratæ provinciæ poſt tanta temporum ſpacia (Fuerat enim longo tempore Africa ſub poteſtate Vandalorum, Italia ſub Gothorum, cùm ipſe has recuperaret, ut ex præced. conſtat) noſtris victoriis à cœleſti Numine præſtitis, iterum ditioni Romanæ, noſtræque additæ Imperio, proteſtantur. add. *Conſtit. Dedit. pr. & l. tanta 2. pr. & §. 23. C. de vet. Jur. enucl.* Quid autem ad negotia bellica propriè contulerit, ob quod ipſe gloriari poſſit (neque enim diffiteri poſſumus virtuti & felicitati Beliſarii quæ cum hoſte geſta ſunt adſcribenda eſſe) videtur exprimere *Conſtit. de Juſtin. Cod. confirm. pr.* quando ait: militaria quidem agmina multiplicibus & omnem providentiam continentibus modis correximus: & tam veteribus ad meliorem ſtatum brevi tempore ductis, quàm novis non ſolùm exquiſitis, ſed etiam recta diſpoſitione noſtri numinis ſine novis expenſis publicis conſtitutis, primò ſervando poſita, deinde nova ponendo firmiſſima ſubjectis effecimus. In hac tamen curâ nec perſtitiſſe eum teſtatur Agathias *lib.* 5. quando ait, deſidiâ Juſtiniani omnem artem belligerandi neglectam eſſe, ita ut milites ad aliam vitam ob carentiam alimentorum transierint; inſumptaque poſtea eſſe ſtipendia militaria in ſcorta, aurigas & homines effæminatos ac deliciis deditos, civileſque in ſeditiones intentos & corporum curam, contentioſos, furentes, audaces, & in alia nullius momenti. Sed cum his modis Juſtinianus ſuo nomini (vel, ut ipſe de ſe loquitur, numini ſuo) ſatis ſe conſuluiſſe pro æternâ gloriâ parandâ exiſtimaret; parem famam legum curâ ſibi acquirere unà aggreſſus eſt, ſumptâ inde occaſione, quòd quæ à conditâ urbe legum vim conſecuta erant (quæ infinita propemodum fuiſſe per ſuas cauſſas ex Tacito ſuperius cognovimus) nullo ordine gauderent, vel ut ipſe loquitur *l. 1. §. 1. C. de vet. Jur. enucl.* cùm reperiret omnem legum tramitem, qui ab urbe conditâ & Romuleis deſcendit temporibus, ita eſſe confuſum, ut in infinitum extenderetur & nullius humanæ naturæ capacitate concluderetur.

3. *Scopus Imperatoris in legibus conſcribendis hic fuit, ut omnia Jura Romana, quæ unquam prodierunt, utilitatem in foro habentia colligerentur, & quidem ita; ne idem aliquoties repeteretur, neve contraria & diſcre-*

diſcrepantia inſererentur. Qui tamen eo modo, quo compilatores rem tractare aggreſſi ſunt, obtineri haud potuit. Unde ſcientia Juſti ex his legibus planè incerta gignitur. Et quidem hunc fuiſſe ſcopum non uno loco ſatis apertè profitetur Juſtinianus *d.l.1. §. 1. & 4. C. de vet. Jur. enucl.* apertiſſimè autem de codice *§. 8. & 9. d. l.* quando ait: Nulla itaque in omnibus prædicti Codicis membris ἀντινομία aliquem ſibi locum vindicet: ſed ſit una concordia, una conſequentia, adverſario nullo conſtituto; ſed & ſimilitudinem (identitatem) ab hujusmodi conſummatione volumus exulare &c. add. *l. tanta 2. pr. §. 1. C. eod. Conſtit. Dedit. pr. Conſt. de nov. C.fac. §. 3. Conſt. de Juſt. C. confirm. §. 1.* Quin voluit etiam Imperator, ut nec leges diverſorum voluminum Codicis nim. & Digeſtorum pugnarent. *d. conſt. §. 3. fin.* Sed dico Imperatorem per ſuos compilatores, quos adhibuit, ſuum finem obtinere non potuiſſe. Nam ordo titulorum in Codice & Digeſtis cuilibet ſcientiarum perito indicat, compilatores nullâ ſcientiâ inſtructos confuſam ſingularum materiarum cognitionem habuiſſe: unde & leges ſine ratione ordinis ſingulis titulis inſcripſerunt. Quicquid ordinis ineſt titulis à variis materiarum accidentibus petitum eſt. Ubi autem nulla eſt accurata ſcientia, ibi contingere nequit, ut non interdum aliquid repugnans dicatur; ſi non explicitè, implicitè tamen; idq; eò magis hoc in opere contigit, quod non modò ex ipſis conſtitutionibus, legibus, SCtis, Edictis, ſed etiam interpretationibus collectum eſt, adeò, ut nonnunquam verbis Edictorum omiſſis ipſas tantùm interpretationes collegerint. Et ut reddatur manifeſtum, quo cum errorum periculo hic labor Juſtiniani conjunctus ſit: repetendum, quod *part. 1.* de Jure & legibus ex græcâ philoſophiâ diſſeruimus; nim. Jura debere ferri de iis, quæ utplurimùm contingunt, non de iis, quæ rarò: id quod ex Theophraſto quoque docent Pomponius, Celſus & Paulus *l. jura 3. & ſeqq. ff. de LL.* Pro noſtro inſtituto ſufficiet perpendere *l. 3. & l. 6.* quarum verba hæc ſunt: Jura conſtitui oportet, ut dixit Theophraſtus in his, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον i. e. utplurimum accidunt, non quæ ἐκ παραλόγου i. e. ex inopinato. τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς i. e. quod enim ſemel aut bis exiſtit παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται, i. e. prætereunt LLatores. At hoc ipſum in volumine legum Juſtinianæarum non obſervatum eſt. Digeſta etenim ex variis interpretibus Juris, Codex ex variis non modò conſtitutionibus ſed & reſcriptis principum collectus eſt. At quæ in interpretibus Juris habentur pleraque talia ſunt, quæ concernunt id quod rarò contingit, & ab eo, quod utplurimùm obtinet, abit: horum namque gratiâ interpretationes Juris fiunt. Reſcripta verò principum, quando conſulenti-

bus reſponderunt, plerumque etiam de talibus fuerunt. Unde apparet, cùm horum nulla facta ſit à compilatoribus diſtinctio, ea, quæ ut plurimum & ea quæ raro contingunt, temerè mixta eſſe. Ex quâ re varios naſci errores, adeò, ut tandem quælibet opinio ex LL. defendi queat, obſcurum non eſt. Contingit namq; ſtudioſos Juris concipere, quod raro ita ſe habet plerumq; eſſe, & quod plerumq; raro. Quia verò ex ſcriptis noſtrorum commentatorum ſatis conſtat, eos velut græcæ philoſophiæ ignaros mentem horum verborum non ſatis adſecutos eſſe; in memoriam revocatis, quæ ſuprà *part. 1.* tradita ſunt, exemplo uno vel altero rem declarabimus. Dictum autem eſt *tit. loc.* leges nihil aliud eſſe quàm orationes quibus entia Juſta dicuntur; hæc autem non eſſe neceſſaria ſed contingentia: legiſlatorem verò proponere tales orationes, quæ entia neceſſaria dicant. v. g. ens juſtum eſt *depoſitarius reddens depoſitum*: eſt autem & quandoq; *depoſitarius non reddens depoſitum.* Unde ſequitur: legiſlatorem poſſe dicere, *depoſitarium eſſe obligatum ad depoſitum reddendum* & *depoſitarium non eſſe obligatum ad reddendum depoſitum*: ſed hoc non inſerit legibus, verùm illud; quia *depoſitarius non reddens depoſitum* eſt quidem ens Juſtum ſed raro & ἐκ παραλόγου, quando ſcil. contingit præter expectationem, deponentem deportari vel fieri furioſum. Hæc ergò propoſitio, quæ dicit ens contingens utplurimùm, nim. *depoſitarium debere reſtituere depoſitum*, pro lege habenda & præcipienda: & ſi quid ἐκ παραλόγου contingat quod faciat, rem aliter ſe habere, id interpretibus moderandum relinqui conveniens eſt. Nam inſerere legibus quæ ἐκ παραλόγου ſunt, eſt res infiniti laboris; quia quæ ita fiunt infinita exiſtunt, nec intellectu percurri poſſunt. Eſto aliud exemplum. *Proprietarius exigens ab uſufructuario cautionem fructuariam*, eſt ens juſtum: eſt autem idem ens quandoq; in numero injuſtorum, ponas, ab eo herede uſumfructum relictum eſſe, cujus coheres juſſus eſt loco legatarii cavere leges autem non debent eſſe orationes entia injuſta dicentes. Quid ergò faciendum? negligendum quod ἐκ παραλόγου eſt, nim. proprietarium non habere facultatem exigendi cautionem à fructuario; & ponenda lex *uſufructuarium teneri proprietario ad præſtandam cautionem.* Nam ſi quod contingat præter ſpem & ex accidenti, quod faciat rem aliter ſe habere, hoc interpretibus legum dijudicandum eſt. Quid ergò fuiſſet agendum Juſtiniano vel potiùs Triboniano, cujus conſilio uſus eſt in legibus emendandis, quò mererentur æternam aliquam obſervantiam? Debuiſſet Tribonianus ab invicem ſeparare contingentia utplurimùm à contingentibus raro & ἐκ παραλόγου. Quid verò fecit? Edicta, in quæ commentati ſunt JCti;

maxi-

maximam partem omiſit, & contrà annotavit interpretationes JCtorum continentes id quod ἐκ παραλόγου & quo abitur ab eo quod ut plurimùm eſt, & SCtis, Edictis &c. comprehenditur. Quapropter contingit ſi accidens, ob quod abitur ab eo, quod utplurimùm eſt, non ſit ſatis expreſſum ἀντινομίας inextricabiles oriri; niſi concedere velis Ddribus, ut fingant caſus & varia accidentia, in quibus dicant, legem, quæ cum alterâ pugnare videtur, fundatam eſſe. Hoc autem conceſſo, leges nihil firmi habent, ſed poſſunt trahi in omnes partes: alleganti enim legem, ſemper licet objicere, fundatam illam eſſe in tali vel tali accidenti, valere tali vel tali caſu; fierique tandem ridiculas & ineptas. Id quod & circa leges Juſtinianæas contigit: utpote cùm tot natæ ſint Ddrum opiniones, quæ nullâ theoriâ conciliari poſſunt. Quâ de cauſſâ quid legitimum ſit hodiè magis ex eo, quod in foro obtinet, quàm ex ſubtiliori legum inſpectione & reſolutione addiſci ſolet. Bone Deus, quantum eſt in rebus inane! Dum hæc ſcribo, in memoriam mihi revoco virum, qui ob ſtudium juris magnificebat eo tempore, cùm ut novus Juſtinianæus cœperam intereſſe diſputationibus publicis; hic ſolebat interdum horis matutinis aliam quàm pomeridianis defendere ſententiam, & eo ipſo magnam aliquam exiſtimationem parabat. Sed quid facilius eſt, quàm legibus quod utplurimùm eſt cùm eo quod ἐκ παραλόγου, miſcentibus, id perficere. Quid verò aliud inde oritur, quàm ſententiarum confuſio: ut nihil certi ex legibus profiteri poſſis: niſi tu ipſe iſta ſeparaveris, & novum quaſi corpus legum confeceris. Hoc pacto potuit Tribonianus facilè aſſerere nihil contrarium legibus collectis ineſſe, ſi modò modi conciliandi fingantur, petiti ſcil. ab accidentibus & caſibus facientibus, ut ab eo, quod regulare eſt, abeatur. Contrarium, inquit Imperator, *l. tanta 2. C. de vet. Jur. enucl.* in hoc Codice poſitum nullum ſibi locum vindicabit, nec invenietur, ſi quis ſubtili animo diverſitatis rationes excutiat: ſed eſt aliquod novum inventum, vel occultè poſitum, quod diſſonantiæ querelam diſſolvit & aliam naturam inducit diſcordiæ fines effugientem. & *§. 15. Conſtit. Dedit.* ita ait: Contrariam autem aliis legibus legem ex his, quæ in hoc volumine poſitæ ſunt, non facilè quis repererit, ſi modò ad omnes contrarietatis fines animum intendere feſtinet. Sed ineſt aliquid diverſum, quod adſumptum alterius generis fortè hanc & illam legis poſitionem apparere faciet. Quid hoc aliud eſt, quàm concedere, ut fingantur caſus, ad quos reſpexiſſe dicatur legiſlator in hac vel illâ lege, ne eadem cum aliâ quadam pugnet? Eſto lex: *Depoſitum reddendum eſt*; & alia: *Depoſitum non eſt reddendum*: dico hanc illi non eſſe contrariam: loquitur enim hæc de illo caſu, quando de-

ponens eſt deportatus. Hoc pacto fateor, nullam unquam datum iri contrarietatem, quicquid tandem legibus poſitum ſit. At ſi leges debent comprehendere id, quod utplurimùm ita eſt; neceſſe eſt alterutram iſtarum legum eſſe falſam, & manifeſtam reperiri ἀντινομίαν: neque enim utraque poteſt dicere quod contingit utplurimùm; ſed altera continebit quod raro: ſed quæ raro ita ſe habent & ἐκ παραλόγου negligenda Legislatori ſunt, ex mente Theophraſti, quam ipſe Imperator cit. LL. approbavit. Tantum autem abeſt, ut iſta obſervarint compilatores, ut potius ex illis etiam JCtis, qui voluerunt videri docendo, quòd ἐκ παραλόγου & à communibus alienum adeoq; ſingulare tradant, plurima ſumpſerint. Quid enim Paulus aliud agit communi ſententiæ toties quoties contradicendo, quàm ut ſingulare aliquid dicat, fundamentis petitis ab accidentibus, quæ præter opinionem rebus contingunt & non frequenter. His confiſus Tribonianus tam audacter aſſeruit nullam viſum iri contrarietatem in toto Codice ſeu Corpore Juris univerſi: in ſimilibus autem ſibi quaſi diffidit. *cit. l. tanta §. 15.* Cùm tamen facilius ſit evitare, ne idem ſæpius dicatur, quàm ne nihil dicatur repugnans. Verùm hæc omnia clariora evadent, ſi Jus privatum contemplati fuerimus. Dicetur enim tunc latius de Ratione interpretandi, & quomodo imbecillitatibus legum ſit occurrendum.

4. *Negotium redigendi leges omnes Romanas in conſonantiam Triboniano potiſſimùm commiſit Imperator, addendo facultatem, ut poſſet Conſtitutionibus Imperatoriis, ex quibus Codex, & interpretum ſententiis, ex quibus Digeſta compoſita ſunt, aliquid adjicere, minuere, circa hæc etiam aliquid mutare, ubi putaverit, neceſſitatem id exigere. Quo ipſo ingens iterum nata eſt confuſio.* Nam ait Imperator *Conſtit. de nov. C. faciendo. §. 2.* ſe permiſiſſe (reſecatis tam ſupervacuis, quantum ad legum ſoliditatem pertinet, præfationibus, quàm ſimilibus & contrariis, præterquam ſi juris aliâ diviſione adjuventur, illis etiam quæ in deſuetudinem venerunt) certas & brevi ſermone conſcriptas ex tribus Codicibus &c. leges componere, & congruis titulis ſubdere; adjicere item & detrahere, imò mutare verba earum, ubi hoc rei commoditas exigeret; colligere etiam in unam ſanctionem quæ variis conſtitutionibus diſperſa ſunt, & ſenſum earum clariorem efficere. *Et l. 1. §. ſed in hæc 7. C. de vet. Jur. enucl.* permittit compilatoribus, ſi quid in veteribus libris, ex quibus Digeſta collecta ſunt, invenerint non benè poſitum, vel minus perfectum, ſupervacua longitudine ſemotâ, & quod imperfectum eſt replere, non rectè ſcripta reformare, & ordini moderato tradere, ut hoc videatur eſſe verum & quaſi ab initio ſcriptum.

ptum, adeò ut nemo ex collatione veterum ſcripturarum hoc vitioſum aſſerere audeat. & *l. tanta. 2. §. 10. eod.* it. *Conſtit. dedit. §. 10.* ait Imperator: ſe tantam antiquitati tribuere reverentiam, ut nomina prudentium patiatur Digeſtis inſeri; ſi quid tamen in legibus eorum vel ſupervacaneum, vel imperfectum, vel minus idoneum viſum fuerit, id adjectionem vel deminutionem neceſſariam accipere & rectiſſimis regulis tradi debere. Quamvis verò Juſtinianus Tribonianum ipſiusq; auxiliarios ob ſingularem dexteritatem & experientiam rerum magnifaciat. *§. 9. Conſtit. Dedit.* non deſunt tamen qui in illius dexteritate haud pauca deſiderent. Sic enim de eo ſentit Procopius *lib. 1. de bell. Perſ.* Tribonianus vir moribus & diſciplinâ omnium artium nemini ſecundus, juſtum ſectabatur lucrum, ſingulis diebus leges aliquas aut antiquabat, aut condebat, ut ex uſu eſſe videbat. Quapropter etiam motâ ſeditione populus eum ad necem quæſivit. Et non multò poſt de eodem ita diſſerit: Tribonianus vir, qui nihil à quoquam ingratum eſt paſſus, qvùm naturâ mitis & humanus eſſet, quibus moribus ſimul & doctrinâ ſingulari unicum avaritiæ morbum obſcurabat. Quod ſi hæc ita ſe habent, veriſimile eſt multa benè à veteribus prodita per avaritiam Triboniani immutata eſſe; adeoque confuſionem Juris haud levem ex ipſius labore natam eſſe. Verùm hæc levia ſunt, & in ſingularibus poſita, circa quæ plurima diſputare vulgo eruditorum & quibus tempus vacat ſingularibus inhærere relinquimus. Nos ex univerſalibus magis procedentes hoc monemus: ejusmodi laborem vix ſine confuſione eſſe poſſe. Nam ubi proceditur ex diverſis principiis, & miſcentur quæ ex iis deducta ſunt, confuſionem naſci neceſſe eſt: Atqui ex aliis veteres JCti proceſsêre principiis cùm de Jure reſponderent in liberâ Republicâ; ex aliis qui commentabantur in Edictum perpetuum circa tempora Alexandri Severi; ex aliis Tribonianus & ejus auxiliarii: diverſa namque planè fuit Ratio ſtatûs, quam in condendo Jure obſervarunt. Ergò his mixtis confuſionem naſci neceſſe eſt. Sed dicas, propterea reformata fuiſſe JCtorum veterum ſcripta, ut quæ ex aliis principiis & præſenti ſtatui non congruentibus provenirent tollerentur. Reſpondeo, id in tantâ rerum copiâ in hominibus deſtitutis ſcientiâ accuratè perfici non poſſe. Quin ſubtilius rimanti & ponderanti leges in magno illo Codice, quem Corpus Juris vocant, ſtatim talia multa occurrunt, jam etiam multis JCtis notata.

5. *Initium laboris factum eſt à Codice nomen Juſtiniani præ ſe ferente conficiendo.* Nam *l. 1. §. 1. C. de Vet. Jur. enucl.* dicit Imperator, prius ſtudium ſibi fuiſſe à ſacratiſſimis retrò principibus initium ſumere

mere & eorum conſtitutiones emendare, ac viæ dilucidæ tradere. add. *lib.* 2. §. 1. *eod.* & §. 1. *Conſtit. Dedit.* Collectus autem eſt Codex Juſtinianæus ex Conſtitutionibus quæ habebantur in tribus Codicibus Gregoriano, Hermogeniano & Theodoſiano, (qui ultimus nomen accepit à Theodoſio Jun. de quo ſuperiùs narravimus, quòd Codicem legum confici curaverit) & aliis Novellis partim ipſius Theodoſii partim aliorum principum poſt ipſum. *Conſtit. de nov. C. fac. pr.* Finis & intentio Imperatoris hæc fuit; ut caligo veterum Conſtitutionum penitus exſtirparetur, & omnia in debitam brevitatem redigerentur. *Conſt. de Juſtin. C. confirm.* §. 1. & eſſent leges certæ & indubitatæ in unum Codicem collectæ, ex quo ſub nomine Juſtiniani litium deciſiones in judiciis fierent. *pr. eod.* Quem finem ut obtineret, juſſit compilatores ſupervacuas præfationes, quæq; in deſuetudinem abierunt omittere & componere leges certas & breves, certisq; titulis ſubdere, ordine Imperatorum, prout vixerunt obſervato. *Conſt. de nov. C. fac.* §. 2. Publicatus eſt hic Codex Anno P. C. N. 529.

6. *Poſt abſolutum Codicem curavit Imperator fieri Digeſta ſeu Pandectas opus quinquaginta librorum ex interpretibus Juris Romani & omni vetuſtate collectum, parum feliciter Reipublica literaria cedens.* Nam Juſtinianus ingenii Tribonianæi documento ex Codicis ordinatione accepto, tendere ad Juris pleniſſimam perfectionem nitus, omnem Romanam ſanctionem colligi & emendari & quamplurimorum auctorum volumina uni Codici indita oſtendi voluit, opus quod hactenus nemo ſperare vel optare auſus erat *lib.* 1. §. 2. & 3. *C. de vet. Jur. ennel. Conſt. Dedit. pr.* Duo millia enim fermè librorum & plusquam tricies centena millia ſeu trecentæ myriades verſuum à veteribus effuſa deprehenſa ſunt, quæ neceſſe erat legere & perſcrutari, & ex his quod optimum eſſet eligere. *l. tanta* 2. §. 4. *C. eod. Conſtit. Dedit.* §. 1. Et ſanè elegantiſſimum opus perfectiſſimumque ex tot voluminibus confici potuiſſet, ſi laborem hunc nactus fuiſſet ſcientiarum tractandarum peritus. Nam quid facilius eſt modum ſciendi cognitum habentibus, quàm oblatâ à multis ſeculis experientiâ, rerum cauſſas tradere. Si enim de τοῦ ὅτι conſtat, τὸ διότι non poteſt facilè latere, inquit Ariſtoteles *lib.* 1. *Ethic.* Nullâ autem in Republ. tot celebres verſati ſunt JCti ac in Romanâ. Teſtatur hoc ipſum catalogus qui habetur *l.* 2. §. 35. & *ſeqq. de Orig. Jur.* Compilatores autem omnis artificii, quod ad ſcientiam conficiendam requiritur, rudes fuiſſe vel diviſio Digeſtorum in ſeptem partes ſatis declarat. Traditur *Conſtit. Dedit.* §. 1. Opus in ſeptem partes diviſum eſſe; reſpectu habito ad numerorum naturam: dicitur namque numerus ſeptenarius ſacer à philo-

philoſophis ſcientiam muſicam excolentibus. At quid hoc ad ſcientiam aliquam tractandam? Scientiam tradere volentem decet naturam ipſam inſpicere rerum & ex hac partitionem facere. Sed hæc levia ſunt: cùm fortaſſe partes pro memoriâ tantùm ſint factæ. Hoc dolendum, nihil methodi toti operi ineſſe; ſed omnia exiſtere confuſa. Et quamvis non deſint JCti, qui rationes connexionis tradiderint titulorum: nihil tamen id ad rem facit. Nam eo pacto maximè confuſorum ratio ordinis reddi poterit. Quid magis ridiculum eſſe poteſt ratione quæ redditur, quare titulus de nautis, cauponis &c. ſubjectus ſit titulo de Receptis arbitris? aut, quòd titulus de his qui not. infam. adjectus ſit titulo de procuratoribus. Lubet ſingulas partes, prout in Conſtit. *Tanta & Dedit.* enarrantur percurrere: Prima pars τὰ πρῶτα dicta continetur quatuor primis libris: in quibus agitur potiſſimùm de iis, quæ circa initia Judiciorum notanda videbantur. Secunda pars inſcribitur de Judiciis, conſtans libris ſeptem tractantibus de Actionibus Realibus & mixtis, quibus nonnulla inſerta ſunt eò non ſpectantia, ut Actio ex L. Aquilia, de ſervo corrupto &c. Tertia pars, de Rebus dicta, conſtat octo libris, in quibus agitur de Actionibus perſonalibus ex contractibus vel quaſi potiſſimùm, ſine ordine, cùm facilimo negotio ordo à contractibus vel quaſi peti potuiſſet. Quarta pars, velut umbilicus, itidem octo libros ſuſcipit, tractatq; de hypothecis, ædilitiis edictis, evictionibus, probationibus, matrimoniis, tutelis. Quæ ratio hìc connectendi? Si ſanæ mentis es, nec nimius Triboniani amor aut libido quidvis defendendi te obſedit, cogeris fateri, nihil ſubeſſe rationis, quare hoc ordine materiæ iſtæ in partem quartam conjectæ ſint. De evictionibus & ædilitiis edictis redditur ratio §. 5. *Conſtit. Dedit.* quod duæ iſtæ materiæ ſint pediſſequæ materiæ de Empt. venditionibus; in veteri Juris ordinatione autem ab hac nimium devagatæ ſint: (decet autem bonas pediſſequas ſuam dominam in conſpectu habere). Quinta pars comprehendit materiam de teſtamentis, legatis, fideicommiſſis novem libris. Scil. quia jam initio partis tertiæ actum erat de Hereditatis petitione & querelâ inofficioſi teſtamenti, ulterius tractatus de teſtamentis differri non poterat. Sexta pars octo libris concluſa perſequitur materiam de poſſeſſionibus potiſſimùm. Quæ hac in parte ſit materiarum confuſio, exinde addiſci poteſt, quòd initium comprehendat materiam de bonorum poſſeſſionibus, medium de manumiſſionibus ſervorum, de donationibus, de acquirendo rerum dominio; finis exhibeat doctrinam de Obligationibus & actionibus. Septima pars comprehendit reliqua ad finem. Hæc eſt materiarum ſe-

des, hic ordo ſatis indicans, nihil ſcientiæ compilatores habuiſſe. Parum autem curamus, multos reperiri qui rationem connexionis ſingulorum titulorum tradiderunt. Et ego quoq; meis auditoribus ſoleo in tabulis connexionem exhibere, ut eò melius materias memoriæ infigere poſſint. At hoc nihil facit pro methodo obtinendâ, quam jubet ſcientia obſervare. Miſceas tu omnes colores & confundas, ſemper aliquam rationem ordinis fingam. Ponas nigrum primo, album ultimo loco, dicam id fieri proptérea, quia ſunt colores contrarii & ob id quàm maximè ab invicem removendi: conjungas eosdem colores, dicam id fieri propterea, quia oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt. Interjicias inter album & nigrum rubrum, dico id factum ob id, quod oppoſita juxta ſe ponenda fuerant, nec tamen nimius ſtatim ad oppoſita ſaltus faciendus; in hunc finem rubrum interjectum eſſe. Sed ne hocce diſcurſu mihi invidiam odiumq; concilíem, lectorem ad Bachovii ſcripta remitto, ante me naſuti nomen à Triboniani aſſeclis adepti, quem privare acquiſitis nolo. Fateor tamen ingenuè, me non ſemel optaſſe, Tribonianum nunquam vixiſſe, nos verò illa vetera JCtorum volumina adhuc integra habere. Mera enim loco integrorum fragmenta habemus; ſupplenda ſunt edicta, ad quæ JCti commentati ſunt, fingendi caſus de quibus locuti ſunt, & quidem maximo cum labore, ſi velis aliquem eruere ſenſum: id quod mihi jam quartùm ſingulas leges evolventi multos extorſit ſudores. Cæterùm voluit hos libros Digeſta ſeu Pandectas appellari (unde & ſigno π quod in ff. corruptum videtur, citari ſolent) ut ipſe indicat *Conſtit. Dedit.* §. *1.* propterea, quòd legum habeant diviſiones & deciſiones, quodque omne in unum congregatum receperint, non tamen ultra quindecim verſuum myriades comprehendant. Confirmata ſunt Digeſta Lampadio & Oreſte CSS. Anno P.C.N. 530. promulgata Juſtiniano tertiùm Cos. anno P. C. N. 533.

7. *Præter hæc juſſit quoq; Imperator confici Inſtitutiones, quæ ſint elementa totius Jurisprudentiæ.* Nam cùm perſpexiſſet Imperator, quòd ad portandam tantæ ſapientiæ molem idonei homines non eſſent, niſi præparati rudi quâdam & generali compendiariâque cognitione: juſſit quoque Inſtitutiones componi ex omnibus antiquorum Inſtitutionibus & cumprimis Caji: ut eſſent quaſi quædam legum incunabula, & levi quâdam ac ſimplici viâ primò tradant Jura, ne ſi infirmus tyronum animus ſtatim initio multitudine ac varietate legum oneretur, cum diffidentiâ quâdam ſtudium hoc accedat. *Conſt. tantæ & Dedit.* §. *11. proœm. Inſt.* & §. *2. de Juſt. & Jur. eod.* Quatuor ſunt libri Inſtitutionum ſeu Elementorum Juris; quia ſcil. ſunt quatuor elementa,

menta, ex quibus cuncta hæc inferiora compoſita ſunt. Continent tamen, quod fateri cogimur, materias meliori ordine quàm in ff. & C. diſpoſitas. Sunt Inſtitutiones confirmatæ poſt Digeſta Juſtiniano III. COS. Anno P. C. N. 533. Sed eodem anno, & quidem ante Digeſta promulgatæ; nimirum Inſtitutiones menſe Novembri, Digeſta menſe Decembri.

8. *Credidiſſes perfecta eſſe omnia; ſed ecce nova emerſerunt cauſæ, ſuadentes emendationem Codicis: unde natus poſtea novus Codex repetitæ prælectionis dictus, quo hodie in foro utimur & in ſcholis non ſine confuſione & difficultate interpretandi.* Nam poſt Codicem priorem deciſiones quinquaginta & conſtitutiones factæ ſunt, quibus maximus legum antiquarum in Digeſtis & Cod. comprehenſarum articulus emendatus & coarctatus eſt, omneq; Jus antiqvum, ſupervacaneâ prolixitate liberum atque enucleatum redditum eſt. *Conſt. de emend. Cod.* §. 1. & 2. Hæ ne extra Codicem vagarentur competentibus titulis in novo Codice ſunt ſuppoſitæ & cæteris in priori Codice comprehenſis conſtitutionibus aggregatæ. Dico ex hujus Codicis novi confectione natam aliquam difficultatem & confuſionem interpretandi. Quærunt enim Ddres, an leges novi hujus Codicis ſine diſcrimine derogent legibus Digeſtorum; an ſolummodo novæ illæ deciſiones; & ſi ita ſit, quænam illæ ſint. Nam ſi in toto volumine legum nihil contrarium aut repugnans eſſe debet, ut traditur §. 3. *fin. de Juſtin. Cod. confirm.* profectò nihil videbitur in novo Codice derogare Digeſtis, præterquam Deciſiones illæ quinquaginta; cæteris legibus ſi quædam apparens contrarietas ineſt, erit illa aliâ ratione concilianda. Sed contrà quælibet leges Codicis novi ſeu repetitæ prælectionis videntur ita eſſe comparatæ ut legibus Digeſtorum derogent. Nam quod Imperator dixit cit. §. 3. omnes ff. & C. leges conſonare nihilque contrarii habere; id de priori Codice intelligendum. Jam verò circa novum conceſſit Juſtinianus emendationem facere, ſi quâ opus eſſet; quò antiqvus Codex purgatus & candidus factus circumductis, additis, repletis, transformatis omnibus compareat. At quibus in legibus hæc emendatio facta ſit, non conſtat. Ergò de ſingulis metuendum, ne quid immutatum & ab illo prioris Codicis Jure, quod cum Jure Digeſtorum conveniebat, diverſum quid habeant. Hæ difficultates inextricabiles ex crebrâ legum immutatione, cujus auctor Tribonianus fuit, ortæ ſunt.

9. Utilitas horum operum hæc ab Imperatore commendatur; quòd Judices quæ antea tanquam in tantâ multitudine abſcôdita ipſos latebant, ſcire, quòdq; tenuiores quæ nunc exſtant perlegenda pro

acquirendâ Juriſperitiâ facilè & vili precio ſibi parare poſſint. §.13.& 17.*Conſtit.Tanta & §.12. & 17. Conſt. Dedit.* Nec enim ſi quis ex aliis libris allegare velit auditur. ſed incidit in crimen falſi. Has verò leges tenentur omnes magiſtratus pro ſuâ ſervare Jdictione. §.19. *Conſtit. Tanta & Dedit.* §.24. *d. Conſtit. Dedit.* §.3. *de Juſtin. Cod. confirm.*

10. *Studio Juris quinquennium præſcripſit & unà tradidit modum, quomodo beneficio ſui operis id queat abſolvi.* Nim. primô anno jubet legere Inſtitutiones & primam partem Digeſtorum; ſecundo anno vel ſecundam vel tertiam quæ viſa fuerit præmiſſu commodior & ex quartâ parte jungere nonnullas materias; tertio anno reliquam vel ſecundam vel tertiam partem, prout libuit vel tertiam vel ſecundam priori anno præmittere, & huic iterum jungere particulam ex quartâ parte Digeſtorum, nim. de hypothecis, ædilitiis edictis, evictionibus &c. Quarto anno quæ ex quartâ parte ff. ſuperſunt & præterea quintam ff. partem jubentur ediſcere. Quinto anno Codicem. Sexta enim & ſeptima pars tunc demum tractari jubetur, quando finito ſtudio in Judiciis verſantur. Hæc eſt docendi Jura ratio, quam Tribonianus tradidit. Quæ ſint rationes ita docendi, & quare ſexta & ſeptima pars omittendæ nec addiſcendæ ſint, totus autem Codex harum loco evolvendus, inquirat qui velit.

CONCLUSIO,

Eorum quæ libro hoc quarto tradita ſunt.

1. *Hactenus enarravimus mutationes varias, quæ contigere circa Rempubl. Romanam eum in finem, ut partim univerſalium, quæ ſuperius de Ratione ſtatûs tradita ſunt, uſus pateſcat, partim etiam via præparetur ad tractatum de Jure publico Juſtinianæo, quod ſequenti libro propoſituri ſumus.* Verſamur namque in tradendis Elementis i. e. univerſalibus & primis, ex quibus petuntur rationes & cauſſæ interpretandi Jura i. e. limitandi, extendendi, corrigendi & emendandi eadem, ſicubi opus eſt. Enarrata autem hoc libro ſuggerunt nobis rationes & cauſſas, ex quibus circa Jus publicum Juſtinianæum dicto modo procedere, & de hoc Judicium facere poterimus. Nam & ſepoſitis univerſalibus, quæ de ratione ſtatûs tradidimus, ſola hæc hiſtoria ingenio præditum docere quodammodo valet, quid Jure publico Juſtinianæo approbandum vel reprobandum, quid extendendum vel reſtringendum inſit: ſi quid enim occurrat in eodem, quod nocuiſſe

Rei-

Reipubl. antea deprehenſum ſit, id vel reprobandum vel omnibus modis reſtringendum; ſi verò quid profuerit, hoc approbandum & extendendum ſeu ampliandum. Accedentibus autem univerſalibus, eò certius erit noſtrum Judicium; quia certior eſt via ex univerſalibus & naturâ primis procedens.

2. *Uſi autem ſumus plerumq́, verbis ipſorum hiſtoricorum in ſingulis geſtis enarrandis.* Nam noluimus videri quicquam comminiſci, ne fictis putaremur fidem cauſſas mutationum ſuggerentibus univerſalibus noſtris conciliare.

3. *Quæ fuerint cauſa, quare Reſpubl. Romana initiò regia in Oligarchiam, democratiâ aliquandiu conflictata tandemq́, ſuccumbens, in tyrannidem tranſierit; ex rationibus, quas immiſcuimus hiſtoria, ni fallor, ſatis apparet.* Nam ſuperbia, crudelitas & ignavia ejecit reges; patrum faſtus imprudentiaq; inanem ſplendorem ſectantium, ipſam verò ſummam poteſtatem reverà plebi ſuggerentium, conceſsis unà mediis iiſdem in eâ ſeſe tuendi, it. avaritia eorundem, quòd prædam ex hoſtibus captam ſibi ſolis arrogarent, & in plebem fœnus improbum exercendo ſævirent, horum imperium evertit. Summa imperandi libido & luxuria pariens ignaviam totum populum Romanum, tyrannidi Imperatorum ſubjecit.

4. *Quare pauci Imperatorum ſine cæde & ſanguine communem in locum abierint, itidem ex narratis facilè videre licet.* Nam pleroſque crudelitas aut in pericula conjecit aut extinxit, Tiberium ſcil. Caligulam, Claudium, Neronem, Galbam, Vitellium, Domitianum, Comodum, Antoninum Caracallam, Macrinum, Maximinum, Aurelianum. Huic crudelitati in Tiberio acceſsêre libidines ſed obtectæ (juvit enim eũ quodamodo artificiũ diſsimulandi;) in Caligulâ, præter libidines, ſuperbia, luxuria & prodigalitas, quæque eaſdem comitatur rapacitas; in Claudio timiditas, diffidentia, hebetudo ingenii, quæ cauſſabatur, ut poſtquam proprium filium ab imperio excluſiſſet, & privignũ prætuliſſet, ab uxore enecaretur; in Nerone, præter libidines immenſas & nefandas vanitas, quâ motus hiſtrioniam & artem aurigandi exercebat, inde ſibi laudem captans; in Galbâ nimia parſimonia & contemtus ob ſenium; in Vitellio, præter hebetudinem ingenii, ignaviam & inertiam jure militari, flexibilitas in quælibet vitia, it. gula & voracitas, quâ integras principum populi familias exhauſit, omneſque ſuos exercitus corrupit; in Domitiano præter avaritiam & rapacitatem nimia & intolerabilis ſuperbia; in Commodo, præter ſuperbiam, luxuriam, ignaviam & neglectum diſciplinæ militaris, impietas & negligentia publicorum; in Antonino Caracallâ, præter ſuperbiam & ſtudium magicarum artium, intemperantia, quâ motus inceſtuoſas contra-

xit nuptias; in Macrino, præter imprudentiam & vilitatem generis, impietatemque, quâ inductus initium imperandi à perjurio fecit, luxuria, quâ etiam neci ſuæ occaſionem præbuit. Præter hos autem, quorum imperium crudelitas infame reddidit, Otho magnum detrimentum orbi Romano attulit ſervili ergà milites adulatione, quâ hoc induxit, ut omnis in iisdem labaſceret diſciplina; hi verò ſibi ſumerent poteſtatem Imperatores eligendi & necandi: Heliogabalus autem ferinâ planè intemperantiâ & mollitie, immenſâque prodigalitate & luxuriâ, ſuperbiâ itidem ſtolidâ & rapacitate ſuâ intolerabilis fuit. Nihil hîc dicam de Gallieno, cujus deſidiam & ignaviam ſatis ſuperius perpendimus.

5. *Quæ cauſæ etiam fuerint, quare ejusmodi beſtiis imperantibus non ſtatim interierit, ſed tam longo tempore conſervatum ſit Imperium Romanum, itidem ex narratis perſpicuum ſit.* Immixti enim beſtiis modò commemoratis fuêre qui ſuis virtutibus labantem Rempublicam erexerunt. Fortitudine namque ſuâ & arte militari, quæ duæ virtutes præ cæteris decent Imperatorem, terrorem populis incuſsêre vireſque Romanis reſtituêre Veſpaſianus, Trajanus, Marcus Aurelius Philoſophus, Severus, Alexander, Claudius II. Aurelianus, Probus, Carus. Huic fortitudini junctam Veſpaſianus habuit clementiam, quæ in eodem texit avaritiam & ſcurrilitatem, quibus vitiis inquinatus fuiſſe videtur; Trajanus, præter clementiam & civilitatem, etiam liberalitate, Juſtitiâ & ſanctitate conſpicuus fuit. Marcus Aurelius his, quas modò diximus Trajanum ornaſſe, addidit ſtudium philoſophiæ cùm theoreticæ tum practicæ: fuiſſetque Imperator planè incomparabilis, niſi nimius amor erga Commodum filium degenerem, quem ſibi ſucceſſorem deſtinavit, laudi ejus quid detraxiſſet. Severus fortitudinem conſpicuam magis reddidit philoſophiâ, prudentiâ, Juſtitiâ, temperantiâ, quibus virtibus adeò utilis Reipubl. fuit, ut nimiam in eo ſeveritatem & in crudelitatem degenerantem cives parvi penderent; Alexander non modò liberalitate, Juſtitiâ & prudentiâ, ſed etiam modeſtiâ, affabilitate cultuque amicitiæ. Aureliano nocuit crudelitas; Probus autem fortitudine & arte militari nemini Imperatorum ceſſit, imò palmam præripuit cunctis. Titum, Nervam, Antoninum Pium exornavit liberalitas, cui Titus junxit virtutes homileticas; Nerva clementiam; Antoninus Pius temperantiam, Juſtitiam, laborem diligentiamque in regendâ Republicâ.

6. *Id quæri adhuc poteſt, quare poſtquam Imperatores Romani*

ampleni

mplexi ſunt fidem Chriſtianam, & ſeſe profeſſi defenſores eccleſiæ, planè eſfundatum ſit Imperium Romanum, omnisq; ejus dignitas collapſa. Quis nim potuiſſet non promittere omnem fe icitatem à Deo imperatoibus, fidelium credentiumque in Chriſtum defenſionem ſuſcipienibus? at præcipiti lapſu corruit omnis imperii dignitas. Variæ comniniſci cauſſæ poſſunt. Licebit dicere, imperſcrutabilem eſſe Dei). M. providentiam. it. non in ſplendore & dignitate conſiſtere fecitatem Eccleſiæ. Et ſanè, ut verum fatear, videtur Eccleſia ſub yrannis crudeliſſimis preſſa felicior fuiſſe, quàm ſub Imperatoribus am defendere prætendentibus. Nam non exiſtimandum eſt, Eccleſiæ felicitatem in dignitate aliquâ & affluentiâ omnium bonorum onſiſtere, ſed in operationibus ſecundùm virtutes Chriſtianorum roprias, eas ſcil. quibus amor ſincerus erga Salvatorem noſtrum Eſum Chriſtum declaratur, quarum haud ultima eſt fortitudo Chriiana, ut nimirum intrepidè pro nomine illius mortem & quoslibet ruciatus perpetiamur. Unde feliciorem fuiſſe judico Chriſtianum lim mediis in cruciatibus lætum, quàm pôſt Epiſcopum quendam ngulari ſanctitate ſuperbum, Imperatoriiſque beneficiis & honorius auctum. Quid ergo? Nemo curam Reipublicæ & Eccleſiæ haentium propemodum vixit vitam Chriſtiano homine dignam. Imeratores ex religione Chriſtianâ ſecuriores, nec æquè invaſionem ſubditis metuentes effecti ſunt homines molles, luxurioſi, ignaviæ editi, paucique admodum fortes exſtitére, bella nulla excipere auſi, ut, ſi gerenda eſſent, ductu aliorum æquè mollium & luxurioſoam perficere niſi ſunt. quaſi religio Chriſtiana aliquam mollitiem ignaviam deſideraret. Perpendamus vitas Joviani, Honorii, Theooſii Junioris, Valentiniani III. Marciani, Leonis, Zenonis, Anaſtai: quid aliud dicere poterimus, quàm ignaviam, mollitiem, neglientiam imprudentiamque horum omnem vim imperii labefactaſſe? ò tandem progreſſi ſunt Imperatores hi, ut non modò pueros, ſed iam infantes ſibi ſucceſſores conſtituerent. Quid autem aliud Ocdentem penitus deſtruxit, Orientem labefactavit, quàm pueritia rcadii & Honorii auctoritate Tutorum ſuum adminiſtrantium Impeum, Theodoſii item Junioris & Valentiniani? Quem verè & pium fortem aſſereres præter primum Theodoſium? Quid autem fecére piſcopi? exſtitére homines avari, ſuperbi, ſuarum opinionum deenſores; de inutilibus ad colendam vitam chriſtianam & iis, quæ iam diaboli ſciunt, diſceptantes, inque horum ſcientiâ ſalutem vimque æternam collocantes. Quando quæſo diſputatum de amore

erga

erga Chriſtum & per hunc noſtrum Salvatorem erga proximum exercendum? Nonne autem Epiſcopos perpendere oportuerat quod dicit Apoſtolus, nullam prodeſſe ſcientiam deſtitutis caritate erga Chriſtum & proximum noſtrum? Si hi contendiſſent invicem, quo pacto alter alterum officiis caritatis potius, quàm ſplendore externo ſuperaret, & ita exemplo ſuo laicos illexiſſent ad ſimilia officia invicem præſtanda, haud fortunatius potuiſſet excogitari imperium. At horum ſuperbia confirmavit Imperatores, ut cùm modeſtiam Chriſti tanquam hujus imitatores ſectari deberent; ſeſe numina & divina oracula, ſuamque purpuram adorandam ſubditis præberent. Cùm ergò virtutes, quibus ethnicos longè antecedere Chriſtiani Imperatores debebant, negligerent & planè deponerent, quid aliud quàm interitus Imperii ſperari potuit? Hæc præbebunt nobis fundamentum, cui Judicium de Jure publico Juſtinianæo ſuperſtruemus.

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER

LIBER V.

DE JURE PUBLICO JUSTINIANEO,

CAP. I.

DE MODO SPECULANDI JUS PUBLICUM JUSTINIANÆUM.

1.

JUs quatenus ars boni & æqui eſt, (*l. 1. pr. ff. de Juſtit. & Jur.*) ſeu quatenus denotat ſtudium Juſtitiæ & legum, in duobus occupatum eſt potiſſimis, publico nimirum & privato. *Id namq; docuimus* (init. lib. I. hujus part.) *& confirmat Ulpianus* (l. 1. §. 1. ff. de ..ſt. & Jur.) *quando ait; Hujus ſtudii duæ poſitiones ſunt; publicum & ..ivatum.*

2. Difficile autem oppidò videtur, ſeorſim ex Corpore Juris ..ivilis tradere ea quæ Juris publici ſunt. *Nam quæ Juris publici ſunt, ..a Juri privato ſunt immixta, ſeparari ut vix poſſint: adeò, ut nonnulli ..Ddres non erubeſcant publicis prodere ſcriptis, Juſtinianum de Jure pu..lico parum aut nihil in ſuo legum volumine nobis reliquiſſe, ſed quicquid ..eſt, ſolius privati Juris gratiâ ſcriptum eſſe: quæ enim de officio magi..ratuum* (l. 1. ff. & C.) *proponuntur, in eum tantùm finem eſſe ſcripta ..ntantur, ut doceant, coram quo magiſtratu quisq; conveniri debeat. Cir..a reliqua, quæ Juris publici dicuntur, velut tutelam, teſtamenti factio..em &c. tam dubii ſunt, ut fingant aliquam æquivocationem publici. Ut ..roinde ſi opinionibus communibus inhærere velis, parum præſtiturus ſis in ..ruendo ex Jure Romano publico eoq; Juſtinianeo Jure. Nec multum te ..uvabit definitio Ulpiani & differentia quâ diſtingvit Jus publicum à privato, ſi nulla alia adminicula adhibueris: diſtingvit namq; is hæc Jura ab ..nvicem utilitatibus: ſunt enim, inquit* (l. 1. §. 2. ff. d. t.) *quædam publi..è utilia, quædam privatim, ac proinde privatum Jus definit, quod ad ſin..ulorum utilitatem ſpectat. Si opponas, etiam publicum Jus quærere ſin..ulorum & omnium utilitatem, reſpondent Ddres, publicum tantùm ſe..undariò id præſtare, privatum primariò. Age, applica iſta ſingulis le..gibus & tenta, quære, quænam ſint quæ primariò ad privatorum utilitatem ſpectent, quæ ſecundariò, nihil tibi proderit labor omnis, ſed oleum ob..eramq; perdes. Addit quidem Ulpianus* (cit. textu:) *publicum Jus in ſacris, ſacerdotibus, in magiſtratibus conſiſtere: at cùm Ulpianus ethnicus fuerit, quæritur in Chriſtianâ Republ. Juri publico quid rerum ſacrarum*

annumerandum ſit: & præterea dubitari poteſt, an duo tantùm hæc ſumma capita Juris publici ſint, ut adeò reliqua quæ nec ad ſacra & ſacerdotes, nec ad magiſtratus ſpectant, Juri privato veniant accenſenda. Ex his omnibus patet, plurimum difficultatis conjunctum habere laborem in Jure publico Juſtinianeo ſeorſim tradendo occupatum.

3. Nec tamen de perfectâ Juris cognitione gloriari eum poſſe puto, qui quæ Juris publici ſunt à privato Jure non probè ſeparare novit. *Præterquam enim, quòd methodus ſcientifica requirit, ut ſingula ſeorſim ex ſuis domeſticis principiis tradantur; etiam neceſſitas JCtum id facere jubere videtur. Nam quopacto applicari poterit regula Juris hæc,* Jus publicum privatorum pactis mutari non poteſt [*l. Jus publicum 38. ff. de pactis*] *it.* Utilitas publica præferenda eſt privatorum contractibus. [*l. 3. C. de primipilo*] *niſi ſciat, quæ ſint Juris publici, quæ privati, de quo conceſſum eſt patribusf. paciſci?*

4. Ne quâ in re circa Jus publicum tradendum erremus, ſed ſingula quæ ad hoc ſpectant à Juſtiniano collecta & præcepta ex ſuis cauſſis & rationibus cognoſcamus; hactenus eâ, quâ potuimus brevitate & perſpicuitate docuimus generalia ad ſtatum cujusque Reipubl. ſpectantia. 2. enarravimus ſingula ad ſtatum Romanum ejusq; mutationem pertinentia à Conditâ Urbe ad Juſtiniani tempora usq;. *Nec id planè novâ ratione à nobis factum eſt. Nam & alterum JCtos Romanos in interpretatione Juris verſatos feciſſe videmus. Ita enim Gajus* (l. 1. ff. de Orig. Jur.) Facturus, *inquit*, legum vetuſtarum interpretationem, neceſſariò prius ab initiis urbis repetendum exiſtimavimus; non quia velim verboſos commentarios facere, ſed quòd in omnibus rebus animadverto id perfectum eſſe, quod ex omnibus ſuis partibus conſtat. Et certè cujusq; rei potiſſima pars principium eſt. Deinde, ſi in foro cauſſas dicentibus nefas (*ut ita dixerim*) videtur eſſe, nullâ præfatione factâ Judici rem exponere: quanto magis interpretationem promittentibus inconveniens erit, omiſſis initiis, atque origine non repetitâ, atq; illotis (*ut ita dixerim*) manibus protinus materiam interpretationis tractare? namque (*niſi fallor*) iſtæ præfationes & libentius nos ad lectionem propoſitæ materiæ producunt, & cùm ibi venerimus (*ejus*) evidentiorem præſtant intellectum. *Hæc Gajus. Ex quibus ſatis apparet, hunc JCtum partim dialecticis rationibus motum, partim etiam, quòd videret, juvari intellectum noſtrum in cognoſcendis legibus & faciendâ harum interpretatione, hiſtoriam quandam mutatæ Reipubl. à conditâ urbe ſuis, quos fecerat, commentariis præmiſiſſe. Idem quoq; fecit & quidem breviſſimis Pomponius* (l. 2. ff. de O. J.) *qui ita ait*: (pr. d. l.) Neceſſarium itaque nobis videtur, in primis ipſius Ju-

Juris originem atque proceſſum demonſtrare, *&c. Quos JCtos imitatus Imperator ex eodem Pomponio, Originem Juris, varietatem magiſtratuum & ſucceſſionem prudentum tradidit.* (d. l. 2.) *Nos hac in re non ſubſtitimus; ſed altius repetito initio, de optimâ Republ. & ceteris formis ab hac recedentibus, ratione item ſtatûs disſeruimus: & unà oſtendimus, jus publicum quærendum in Juſtitiâ diſtributivâ, cujus ope ſingulis è publico tribuitur, quod ſecundùm quamq; formam deberi videtur: & hiſce ſubjecimus enarrationem mutatæ Republ. Romanæ: ita namq; nihil putamus deeſſe nobis poſſe, quod ad Jus publicum Juſtinianeum accuratius cognoſcendum facit. Nam Jus diſtributivum nos ducet ad dijudicandum, partim quænam ſint ea quæ ad Jus publicum ſunt referenda; partim ex quibus cauſſis & rationibus deſcendant: hiſtoria verò mutati ſtatûs obſcuritates tollet, quæ inde in leges irrepſerunt: plerumq; enim contingit, ut priſtini ſtatûs leges ſuperſint & novus quandam veteris imaginem præ ſe ferat: quo non ſatis penetrato, antinomiæ indisſolubiles gignuntur.*

5. *Applicantes ergò præcepta, quæ de ſpeciebus Rerumpubl. & ratione ſtatûs ſeu modo ſingulas conſervandi tradidimus, ad eas, quæ in Corpore Juris civilis circa ſtatum proponuntur, leges, primùm omnium quis ſtatus tempore Juſtiniani fuerit, inquiremus: inde enim reliqua ad Jus publicum ſpectantia ſuam ordinationem capiunt.*

CAP. II.

DE STATU ROMANO, QUALIS ILLE FUIT TEMPORE JUSTINIANI.

1. Difficile eſt in ſtatum Romanum ex legibus Romanis inquirere. *Nam docuimus, cùm de vitâ Juſtiniani ageremus* (præced. libr.) *jus, quod ipſe nobis reliquit, collectum eſſe ex variorum JCtorum commentariis, qui ſinguli ad ſua tempora, quibus vixerunt, ſeſe accommodarunt: adeoq; de Jure publico non eodem modo locuti ſunt. Manſit enim propemodum usq; ad tempora Conſtantini M. imago quædam veteris liberæque Reipubl., ut quandoq; crederes, ſtatum dicendum democraticum. Ita* (l. de quibus 32. ff. de LL.) *poteſtas ferendarum legum à Juliano tribuitur populo: & Ulpianus* (l. 1. §. 1. ff. ad L. Jul. Maj.) *definit crimen læſæ Majeſtatis, quod adverſus populum Romanum vel ſecuritatem ejus committitur. Ut adeò niſi quæ in ſpeciem quandam tantummodo dicuntur à vero, temporaq; diſtinxeris, in ridiculas de ſtatu opiniones incidere posſis. Id quod contigisſe videmus JCtis, qui circa materiam Jurisdictionis commentati ſunt, tam obſcurè loquentibus, ut vix credam, eosdem ſeipſos intelligere.*

2. Occurritur autem huic difficultati, ſi diſtingvantur 1. tempora ingeniaq; Imperatorum. 2. apparens & ſimulatum à vero. *Nam ita comparatum eſt in Rerumpubl. mutationibus, ut in novis formis maneat veſtigium veteris abrogatæ. Hunc enim callidiſſimum mutandi ſtatûs modum docuimus* (lib. 3. huj. part.) *ſi ſub ſpecie manentis veteris Reipubl., democraticæ nimirum vel oligarchicæ, tyrannis introducatur, & aliquid priſtini relinquatur, donec hæc ſatis firmata ſit. Idem contigit circa mutationem Reipublicæ Romanæ. Imperatores enim primi, multum priſtinæ libertatis Senatui populoq; nonnunquam in ſpeciem conceſſêre, quaſi veteri Republicâ: quin & poſteriores quandoq; prout prudentiâ & clementiâ reliquos anteire ſtudebant: donec Conſtantinus M. omnem priſtinam libertatem, & imaginem imò umbram etiam veteris Reipubl. tolleret. Vnde ſequitur, omnes difficultates, quæ circa Jus publicum Juſtinianeum occurrunt, facilè ſuperari poſſe, ſi attendantur tempora, quibus quiſq; JCtorum vixit, it. ingenia Imperatorum ſingulorum à quibus vel quorum tempore quæq; lex ſcripta eſt. It. quid in ſpeciem tantùm & apparenter, quid verè dictum ſit. Interdum namque JCti accommodantes ſe Rationi ſtatûs loqvuntur velut in liberâ Republ. in quibus id Imperatorum Majeſtati nihil detrahit.*

3. Ne quid omittamus, quod ad ſtatum Romanum ſubtilius dijudicandum facit, tres præcipuas cujusq; civitatis & Imperii partes percurremus, nimirum Senatum, Magiſtratum & Judicia. *Nam demonſtravimus* (lib. 2. huj. part.) *ſæpenumerò ratione harum partium ſtatum mutari, v. g. Senatum eſſe oligarchicum, magiſtratu exiſtente democratico, & contrà: adeoq; ex perpenſâ unâ tantùm harum partium nullum de ſtatu ſolidum Judicium fieri poſſe.*

MEMBR. I.
DE
SENATU ROMANO ET POTESTATE DELIBERANDI DE IIS, QVÆ AD τὸ κύριον PERTINENT.

1. In liberâ Republ. caput Imperii erat Senatus Populusq; Romanus. *Patrum namq; ſeu Senatorum auctoritate populiq; juſſu præcipua ad τὸ κύριον ſpectantia tractari ſolebant. Omnia namq; juſſa directa ad provinciales Senatûs Populiq; Romani nomine emittebantur, antequam tyrannis firmaretur. Id quod tempore Imperatorum tacitè obliterabatur. De militibus, qui adverſus Galbam movebant, Tacitus* (1. H. 55.) *ita loquitur*: mox conſenſu, ac ne reverentiam Imperii exuere, *i. e. omninò ab imperio Romano deficere* viderentur, in Senatûs populique

que Romani obliterata jam nomina, *i.e. pridem omiſſa, ſubſtitutis nominibus Cæſarum*, ſacramenta advocabant.

2. Mutatâ Republ. manſit aliqua ſpecies priſtinæ poteſtatis & auctoritatis Senatui, quæ tamen in rei veritate nullius momenti erat; donec tempore Conſtantini M. planè evaneſceret. *Nam Auguſtus ſtatim munia Senatûs in ſe trahebat.* (Tac. 1. ann. 2.) *non abrogando eundem, ſed callidis artibus hoc agendo, ne Senatores quicquam contra ipſius voluntatem decernerent. Licet enim Imperatores plerumq; variis artibus invaderent Imperium; non tamen facilè niſi Senatu confirmatum ſuſcipiebant. Ita Tiberius maluit videri, vocatus electusq; à Republ. quàm per uxorium ambitum & ſenili adoptione irrepſiſſe.* (1. ann. 7. fin.) *It. Nero licet artibus matris invaderet imperium: ſecuta tamen Patrum conſulta, quibus firmabatur.* [12. ann. 69.] *De Veſpaſiano ita loquitur Tacitus* [4. H. 3.] At Romæ Senatus cuncta principibus ſolita Veſpaſiano decernit. *Et paulò poſt:* Cæterùm ut princeps loquebatur civilia de ſe, & Republicâ egregia: nec Senatûs obſequium deerat. Ipſi conſulatus cum Tito filio, Prætura Domitiano & Conſulare Imperium decernuntur. *Idem fecerat quoq; antea circa Othonem* [1. H. 47.] *Idem hic Senatus vivis mortuisq; Imperatoribus, quorum principatum confirmaverat, honores decrevit; velut Auguſto* (1. ann. 8.) *Claudio* (12. ann. 69.) *& aliis, ut patet ex ſuperius narratis, cœleſtes poſt mortem honores; vivis ut Tiberio, vota pro reditu ejus, ſupplicationesq; & alia decora* (3. ann. 47. add. 6. ann. 45.) *it. Neroni* (13. ann. 10. & 41. it. 15. ann. 18.) *Ducibus belli quoq; ob res præclarè geſtas honores; ut Germanico triumphum* (1. ann. 55.) *& iis, qui cum hoc rem præclarè geſſerant* (1. ann. 72.) *it. Furio ob victos Numidas* [2. ann. 52.) *Poppæo Sabino, contuſis Thracum gentibus* [4. ann. 46.] *decrevit. Idem contigit circa alios, qui de Imperatore & Imperio benè meriti videbantur.* (3. ann. 72. 4. ann. 15. 6. ann. 11. fin.) *Neronem quin etiam pro ſuis amicis & benefactoribus petiviſſe à Senatu honores, teſtatur Tacitus* (13. ann. 10.) *De religione, ſacris & ſacerdotibus deliberatum in Senatu, teſtatur idem* (4. ann. 16. 6. ann. 12. 11. ann. 15.) *Jura quoq; & leges condidiſſe Senatum, velut de nuptiis, ut celebratæ cum fratrum filiabus licitæ eſſent: quò Claudius Imperator Agrippinam licitè ducere poſſet* (12. ann. 6) *it. de adoptione Imperatoris: cùm enim Claudius Neronem adoptaret, rogata lex in Senatu, quâ Domitius in familiam Claudiam & nomen Neronis transiret* (12. ann. 26.) *Multa præterea SCta tempore Imperatorum facta partim ex hiſtoricis cumprimis Tacito* (1. ann. 77. 2. ann. 32. & 33. 3. ann. 55. & 63. 4. ann. 14. & 26. 12. ann. 52. 53. & 60. 13. an. c. 4. c. 5. c. 26. c. 32. c. 41. c. 44. it. 15. ann. 19.) *partim ex LL. à Juſtiniano in corpus Juris relatis addiſcimus. Crederes etiam auctam Senatûs*

 poteſta-

poteſtatem & auctoritatem tempore Imperatorum, cùm è campo ad patres comitia transferrentur à Tiberio (1. ann. 15.): *largitionibus enim preciboq; ſordidis exſolvebatur Senatus; ne Senatores ambire populum captandorum honorum gratiâ amplius tenerentur. Quanta in dignitate primis Imperatorum temporibus Senatus fuerit, indicat oratio, quam Otho ad milites ſuos, quorum tumultu in periculo erat, habuit.* (1. Hiſt. 84.) *Verba, prout à Tacito concepta ſunt, hic lubet enarrare:* Nec illas, *inquit Otho*, adverſus Senatum voces ullus unquam exercitus audiat. Caput Imperii *i. e. Senatum* & decora omnium provinciarum *i. e. Senatores, qui praeſſe provinciis & illas regere ſolent*, ad pœnam vocare, non hercle illi, quos cùm maximè Vitellius in nos ciet, Germani audeant. Ullinc Italiæ alumni & Romana verè Juventus ad ſanguinem & cædem depoſcerent Ordinem, cujus ſplendore, gloriâ ſordes & obſcuritatem Vitellianarum partium perſtringimus. *i. e. quem partibus noſtris faventem habentes colluviem vilium hominum, qui partes Vitellii ſectantur, ſupprimimus.* Nationes aliquot occupavit Vitellius imaginem quandam exercitus habet. *i. e. cùm Vitellius non auctore Senatu ſed faventibus nonnullis nationibus bellum ſuſceperit & militem contraxerit, cœtum potius latronum quàm exercitum habet.* Senatus nobiscum eſt. Sic fit, ut hinc Reſpublica, inde hoſtes Reipubl. conſtiterint. Qvid? vos pulcherrimam hanc urbem, domibus & tectis & congeſtu lapidum ſtare creditis? Muta iſta & inanima *i. e. corpora intellectu deſtituta* intercidere ac reparari promiſcuè poſſunt: æternitas rerum ac pax gentium. & mea cum veſtrâ ſalus incolumitate Senatûs firmatur. Hunc auſpicatò à parente & conditore urbis noſtræ inſtitutum, & à regibus uſq; ad principes continuum, & immortalem, ſicut à majoribus accepimus, ſic poſteris tradamus. *Inde colligimus, Senatum tempore Imperatorum mentem illam fuiſſe cujus conſiliis vaſtum illud regebatur imperium; quem propterea Conſilium publicum vocat Tacitus* (6. ann. 15.) *Verum ſub ſpecie Auctoritatis Senatui auctæ, quaſi in liberâ Republ. tyrannidem ſibi ſuam Imperatores firmabant: ipſi enim principes Senatûs, & unà officium tribunorum plebis gerentes nihil patiebantur contra dignitatem & voluntatem ſuam ſtatui ab eodem. Hinc de rebus maximè arduis nihil abſente Cæſare audebant Senatores decernere, Conſulesq; exequi, teſte Tacito* (14. ann. 49.) *quando ait:* at Conſules perficere Senatûs decretum non auſi, de conſenſu ſcripſêre Cæſari. *Præſente autem principe SCta faciebant merè adulatoria* (1. ann. 7. 8. 11. 12. 14. it. 3. ann. 56. & 57.) *Erant namq; tempora Tiberii* adeò infecta & ſordida adulatione, ut non modò primores civitatis, quibus claritudo ſua obſequiis protegenda erat, ſed omnes conſulares, magna

gna pars eorum qui præturâ functi, multique etiam pedarii Senatores certatim exſurgerent, fœdaque & nimia, *(i. e. ingenuis & cordatis ſenatoribus indigna)* imò nonnunquam ridicula (6. ann. 2.) cenſerent. Memoriæ proditur, Tiberium, quoties curiâ egrederetur, græcis verbis in hunc modum eloqui ſolitum: O homines ad ſervitutem paratos! ſcil. etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam projectæ ſervientium patientiæ tædebat. *(3. ann. 65.)* *Quapropter etiam initiò principatûs Tiberii* publica negotia & privatorum maxima apud patres tractabantur, dabaturque primoribus diſſerere. *(i. e. concedebatur præcipuis Senatoribus ſententiam ſuam pluribus verbis in Senatu exponere)* & in adulationem lapſos cohibebat ipſe princeps (4. *an.* 6.) *Cauſſa adulandi Senatoribus erat metus crudelitate & accuſationibus incuſſus: ita enim inquit Tacitus (4. ann. 64.)* pavor internus occupaverat animos, cui remedium adulatione quærebatur. *Eadem Senatûs ſpecies tempore Neronis fuit. Nam hic Imperator initio Imperii formam futuri Imperii talem præſcripſit:* teneret antiquà munia Senatus. Conſulum tribunalibus Italia & publicæ provinciæ aſſiſterent. *(13. ann. 4.)* nec defuit fides, multaque arbitrio Senatûs conſtituta ſunt. (11. ann. 5.) *Par etiam adulatio ſub ejusdem imperio* (13. ann. 8. & 41. 14. ann. 12. it. 14. ann. 23.) *& ſequentium principum. Quod ex hiſtoricis deducere nimis longum foret. Multa quoq; SCta à principibus extorta ſunt. Id namq; ab Auguſto ſtatim factum legimus:* (1. ann. 10. verb. extortum) *miſerat enim in curiam centurionem, qui dubitantibus Senatoribus diceret, admotâ ad gladii capulum manu: ſi vos non vultis hic faciet. Nihil ergò liberè ſentire, aut quæ ſentirent dicere imperatorum temporibus dabatur:* (1. H. 1. fin. verſare ſententias & huc atque illuc torquere (1. H. 85.) *Pleraq; etiam SCta alicujus momenti facta ſunt præviâ oratione Principis in Senatu habitâ. Ut adeò multi honeſti viri ſentientes inane Senatorum eſſe nomen ſine dignitate Senatoriâ maluerint vivere* (3. ann. 30. it. 16. ann. 17.) *Ex hiſce omnibus patet, Imperatores callidè omnia munia Senatûs, ordine Senatorio ad ſpeciem ſalvo relicto, in ſe traxiſſe: adeoq; poteſtatem deliberandi de bello, pace, vectigalibus, legibus omnibusq; ad τὸ κύριον pertinentibus, quæ in liberâ Republicâ Senatûs propria erat,* (13. ann. 49.) *in ſeſe traxiſſe: donec Conſtantinus M. omnem Senatûs dignitatem, translato in Orientem Imperio everteret & decurionum ordini ſimilem redderet: ut ex narratis de vitâ ipſius clarè patet. Inde etiam addiſcimus cauſſam, quare Imperatores, penes quos tamen abſolutiſſima poteſtas fuit, ſeſe nonnunquam Senatûs partem vocarint.* (l. Jus Senatorum 8. C. de Dignitatib.) *Nam ante tempora Conſtantini modeſtius agentes Imperatores, Senatûs principes malebant videri. Hinc Vitellius contendens adverſus*

Helvi-

Helvidium Priſcum, qui contra ſtudium ejus cenſuerat, mitigantibus amicis, nihil novi accidiſſe reſpondit, quòd duo Senatores in Republ. diſſentirent. (2.H.91.) *At poſt Conſtantini tempora Senatores fermè fungebantur officio conſiliariorum principis; & modo adhibebantur ad conſilia modo non, prout congruum ſtatui videbatur. Eratq; Senatus duplex, alter conſtans ex proceribus palatii, alter ex Patribus conſcriptis, id quod innuunt Theodoſius & Valentinianus Impp.* (l. humanum. 8. C. de LL.)

3. Quia verò in liberâ Republicâ non penes ſolum Senatum omnis erat poteſtas; ſed cuncta fiebant auctore Senatu jubente populo; fingebant Imperatores in ſeſe omnia populi Jura translata eſſe: quo ipſo abſolutiſſimum ſupremumq; omnium rerum arbitrium conſequerentur. *Ita namq; fertur dixiſſe Vlpianus (l. 1. ff. de Conſtit. Princ.)* Quod principi placuit legis vigorem habet: utpote cum lege regiâ, quæ de Imperio ejus lata eſt, populus ei & in eum omne Imperium & poteſtatem contulerit. *Hinc à poteſtate populi ad Imperatoris poteſtatem argumentatur idem Vlpianus; imò Imperatori plus poteſtatis quàm populo aſſignat.* (lib. 3. ff. de Offic. præt.) *Qui tamen idem JCtus crimen læſæ Majeſtatis non definit illud quod contra principem, ſed quod contra populum & magiſtratus Romanos eos, qui cum Imperio præſunt, committitur* (l. 1. §. 1. ff. ad L. Jul. Maj.) *ut adeò citati textus Vlpiani ſuſpecti eſſe videantur, & à Triboniano eidem afficti.*

4. *Concludimus, omnia populi Senatûsq; Jura Imperatores callidis mediis in ſeſe traxiſſe; ſtatumq; ratione poteſtatis deliberandi de iis, quæ ad τὸ Κύϱιον ſpectant merè monarchicum tempore Imperatorum redditum eſſe. Id quod magis perſpicuum evadet, quando diſtinctis articulis quæ ad τὸ Κύϱιον pertinent evolvemus.*

ARTIC. I.
DE POTESTATE LEGES ET JURA CONDENDI.

1. Jus varias ſignificationes habens videtur eſſe legi quid ſimile, latius tamen hac patere. *Nam Jus ſumitur 1. pro eo, quod ſemper bonum & æquum eſt, ut eſt Jus naturale. 2. quod omnibus aut pluribus in quâq; civitate; ut eſt Jus civile. 3. pro Jure honorario quod prætores reſtringendi, extendendi, corrigendi Juris civilis gratiâ apud Romanos introduxerunt. 4. pro neceſſitudine: veluti eſt mihi Jus cognationis vel affinitatis* (l. penult. & ult ff. de Juſtit. & Jur.) *Sumitur etiam Jus pro loco in quo Jus redditur* (d. l. penult.) *Verùm hanc ſignificationem, cùm metonymica ſit, conſultò prætermittimus. Significationes autem iſtæ diver-*

ſæ

ſæ non videntur tales eſſe, quæ vocem arguant æquivocam: cùm reddi communis omnium earum λόγος poſſit. Nam quid impedit quò minus dicamus, Jus eſſe quiddam vim obligandi habens i. e. neceſſitatem parendi imponens? Hinc continet ſub ſeſe præcepta naturalia, gentium, civilia, item ea quæ prætor pro ſuâ Jdictione jubet; item pro neceſſitudine i. e. eo, ad quod amici invicem obligantur, quò amicitia firma & conſtans ſit: ſuprà namq; docuimus, & amicitiæ juſtum quoddam ineſſe. Reſpectu autem hujus ſignificationis, quòd Jus denotet quoq; artem boni & æqui, quam tractantes JCti vocantur & cultores Juſtitiæ, dicendum eſt vocem æquivocam eſſe. Verùm hanc ſignificationem miſſam facientes inhærebimus ei, quatenus jus ſumitur pro eo, quod vim obligandi habet legemque tanquam latius anguſtius in ſe continet, viſuri penes quos Juris condendi poteſtas fuerit. Videmur autem optimè procedere, ſingulas partes Juris prout LL. Romanis traduntur percurrendo.

2. Dividitur Jus in privatum & publicum: hujus condendi poteſtatem ſibi ſumpſit pars in Republ. Romanâ ea quæ pro ratione temporis prævaluit. *Nam in liberâ Republ. modò patricii oligarchicum, modò plebeji democraticum reddidêre ſtatum; in tyrannide Imperatores modò auxêre tyrannidem modò remiſêre. Unde & factum, ut nullum peculiare volumen de Jure publico nobis relictum ſit; ſed quæ hoc concernunt partim ex hiſtoricis partim ex Jure privato tanquam per illud diſperſa colligenda veniunt. Quare callidè Ulpianus* (l. 1. §. 2. ff. de J. & J.) *tradit, Jus publicum conſiſtere in ſacris, in ſacerdotibus, in magiſtratibus: horum namq; ordinatio permanebat ſtatu politico in democraticum mutato.*

3. Jus privatum ex ſententiâ Ulpiani tripartitum eſt; collectum ſcil. ex præceptis naturalibus, gentium & civilibus. (d. l. 1. §. 2.) *Scil. vidit Ulpianus, homines multa facere pro ſuâ inter ſe ſocietate conſervandâ, ad quæ facienda & bruta trahuntur naturâ; ut ratione procreationis & conſervationis procreati; item quòd ſingulæ feræ beſtiæ utantur ſuâ libertate. Quapropter Ulpianus voluit definire Jus naturale quod natura omnia animalia docuit,* (l. 1. § 3. ff. de J. & J.) *illudq; dixit non ſolius humani generis proprium, ſed commune omnium animalium, quæ terrâ mariq; naſcuntur; adeò ut & feræ hujus Juris peritiâ cenſeantur: non quòd inter animalia Jus obtineat, ſed quòd faciant ductu naturæ ea, quæ quando fiunt ab hominibus rectâ ratione utentibus juſta dicuntur.* De poteſtate ergò condendi Jus, quod JCti Romani naturale vocant, nihil attinet dicere. *Nam ut beſtiis, ita & hominibus concipiunt JCti hoc innatum eſſe.*

4. Jus quod gentium vocatur Romanis, itidem nullum agnoſcit Legumlatorem. *Nam definitur hoc in LL. quòd ſit illud, quo gen-*

tes humanæ utuntur. (l. 1. §. 4. ff. de J. & J.) *quodq; ſolis hominibus inter ſe proprium eſt; quo ipſo Juri naturali contradiſtingvitur, & ab eodem recedit. Huic Juri annumerantur erga Deum religio, ut parentibus & patriæ pareamus.* (l. 2. ff. eod.) *Ut vim atq; injuriam propulſemus.* (l. 3. ff. eod.) *Nam Jure hoc evenire tradit Florentinus* (d. l. 3.) *ut quod quiſq; ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur. Ex hoc Jure, inquit Hermogenianus* (l. 5. ff. eod.) *introducta ſunt bella, diſcretæ gentes, regna condita, dominia diſtincta, agris termini poſiti, ædificia collocata, commercium, emptiones venditiones, locationes conductiones, obligationes inſtitutæ. Huic Juri attribuit Ulpianus* (l. 4. ff. eod.) *manumiſſiones: utpote cùm Jure naturali omnes liberi naſcerentur, nec eſſet nota manumiſſio, cùm ſervitus eſſet incognita. Sed poſtquam Jure gentium ſervitus invaſit, ſecutum eſt beneficium manumiſſionis: & cùm uno naturali nomine homines appellarentur, Jure gentium tria genera eſſe cœperunt; liberi & his contrarium ſervi, & tertium genus libertini i. e. qui deſierunt eſſe ſervi. Quùm ergò Jus gentium ſit quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit ſeu ſimpliciter* (quod primævum Ddres jus appellare ſolent) *ſeu urgente neceſſitate* (quod ſecundarium vocant) *& hoc omnes gentes utantur* (l. 9. ff. eod.) *nec attinet de poteſtate hoc Jus condendi quærere.*

5. De poteſtate ergò condendi Juris civilis quærendum eſt ei, qui de ſtatu alicujus civitatis vel imperii judicaturus eſt. *Nam quod quiſq; populus ipſe ſibi jus conſtituit, id ipſius proprium civitatis eſt, vocaturq; jus civile, quaſi jus proprium ipſius civitatis.* (d. l. 9.) *efficiturq; , dum Juri communi, naturali nimirum & gentium, additur vel detrahitur* (l. 6. pr. ff. eod.) *Verùm quia Jus hoc iterum duplex eſt, ſcriptum nim. & non ſcriptum* (l. 6. §. 1.) *ſeorſim de his dicturi ſumus.*

6. Scriptum Jus eſt Lex, Plebiſcitum, SCtum, Principum placita, Magiſtratuum edicta, Reſponſa prudentum. *Nam ex hiſce Jus Juſtinianeum collectum eſt.* (§. conſtat 5. J. de Jur. N. G. & C.) *Papinianus* (C 7. pr. & §. 1. de J. & J.) *dividit Jus Scriptum in civile & prætorium. Jus civile vocat, quod ex legibus, plebiſcitis, SCtis, Decretis principum, auctoritate prudentium venit; Jus prætorium, quod prætores introduxerunt adjuvandi vel ſupplendi vel corrigendi Juris civilis gratiâ propter utilitatem publicam.*

7. Legis variæ traduntur definitiones (*l. 1. & 2. ff. de LL.*) quarum quæ Demoſteni & Chryſippo adſcribuntur, eſſentiam non attingunt ſed potius vim ejus & poteſtatem oratoriè depingunt. Ea verò, quam Papinianus (*d. l. 1.*) tradit, quòd ſit communis Reipubl. ſponſio virorumq; prudentium conſultum, reſpicit ad modum condendi leges

ges in Republ. Romanâ, quæ fiebant auctore Senatu jubente populo: conveniitq; cum eâ, quæ traditur Inſtitut. (§. *Lex eſt. 6. de Jur. N. G. & C.*) quòd lex ſit, quæ jubente populo, & ſenatorio magiſtratu, veluti Conſule vel Prætore, rogante conſtituitur. *Nam in liberâ Republicâ poſt exactos Reges ejuſmodi leges condendi ratio obtinebat; concipiebaturq; hic ſtatus permanere, quamvis tacitè mutaretur, etiam ſub Imperatoribus. Unde factum, ut quod ita conſtitutum eſſet pro lege propriè haberetur, reliqua legis propriè dictæ nomen non haberent.*

8. Plebiſcitum definitur, quod plebs plebejo magiſtratu interrogante (veluti Tribuno) conſtituebat. (§. *lex eſt. 6. J. de Jur. nat. g. & c.*) & hoc lex quidem non erat, legis tamen vim habebat. *Nam tradidimus* (præc. lib. c.1. membr.2. art.5. n.3.) *L. Valerio & M. Horatio CSS. legem centuriatis comitiis latam eſſe, ut quod tributim plebs juſſiſſet populum teneret: eoque ipſo ſtatum tacitè democraticum redditum eſſe. Quia verò ſtatus expreſſe non mutatus eſt, manſit, ut legis nomen retineret quod populus Romanus ſenatorio magiſtratu interrogante conſtituebat; plebiſcitum verò non quidem lex, legis tamen vim habens & Jus quoddam eſſet.*

9. SCtum quod Senatus jubebat atq; conſtituebat. (*§. SCtum 7. J. de J. N. G. & C.*) itidem lex propriè non erat, ſed Jus legis vim habens. (*l. 9. ff. de LL.*) *Ratio redditur* (J. cit. text.) *quòd cùm auctus eſſet populus Romanus in eum modum, ut difficile eſſet in unum eum convocari legis ſanciendæ causâ, æquum viſum fuerit, ſenatum vice populi conſuli. Verùm ſi rectè rem perpendimus, fuit hoc ſtratagema Imperatorum callidè omnem poteſtatem in ſe trahentium. Erant enim hi principes Senatûs; nihilq; huic velut unà tribunitiam poteſtatem gerentes permittebant decernere, niſi quod ipſi approbasſent. Quâ de causâ etiam SCta fiebant prævia oratione principum. Tandem obtinuit, ut Senatus loco conſilii principis haberetur. Id quod manifeſtè apparet ex* l. Quisquis 5. C. Ad L. Jul. Maj. *ubi Senatores dicuntur pars corporis principis æquè ac viri Illuſtres qui conſilio & Conſiſtorio ejuſdem interſunt. Quapropter & principes poſteriores nonnulli auctoritatem SCtorum pœnis tuebantur* (l. un. C. de SCtis, *ut, ſi quiſquam ſpeciali ſupplicatione eliciendum aliquod reſcriptum tentaverit, ut tranſire ei liceat formam ſtatutorum, tertiâ patrimonii parte mulctetur, & damnatus ambitûs crimine infamis maneat. Apparet itaq; ex hiſce, quicquid auctoritatis & poteſtatis olim in liberâ Republ. Senatus habuit, id omne ad principes tranſiiſſe, & SCta Imperatoribus ſubjecta fuiſſe.*

10. Reſponſa prudentum ſunt ſententiæ & opiniones eorum, quibus permiſſum erat de Jure reſpondere. (§. Reſponſa 9. J. de J. N.

G. & C.) *Nam, ut ipſe Imperator cit. text. loquitur, antiquitus conſtitutum erat, ut eſſent, qui Jura publicè interpretarentur, quibus à Cæſare Jus reſpondendi datum eſt, qui JCti appellabantur, quorum omnium ſententia & opiniones eam auctoritatem tenebant, ut Judici recedere ab eorum reſponſo non liceret. Scil. erat ratio Auguſti callidè in ſe trahendi Jurisdictionem, dum conſtituebat JCtos, qui ipſius nomine Jus dicerent & præſcriberent Judicibus, à quo ipſis recedere non liceret. Quid enim aliud eſt præficere ICtos Jus dicentes & præſcribentes omnibus Judicibus, quàm habere ſupremam Jurisdictionem?*

11. Prætorum quoque Edicta non modicam obtinebant Juris auctoritatem (§. *prætorum. 8. J. d. t.*) in liberâ Republicâ. *Nam cùm libera adhuc eſſet Reſpublica, ſingulis initiis magiſtratuum proponebant prætores Edicta, adjuvandi, ſupplendi vel corrigendi Juris civilis gratiâ* (l. 7. §. 1. ff. de J. & J.) *magnamq; adeò circa Jus, quod in cauſſis civilibus & pecuniariis occupatum erat, ſibi arrogabant poteſtatem: erantq; LLatores condentes leges annuas. Sed quia Status Romanus non admittebat, ut quid legis nomen acciperet, niſi Senatorio magiſtratu interrogante & jubente populo conditum eſſet: jus prætorium contentum Edictis non lex vocabatur; ſed Jus honorarium, quòd qui honores gerunt, id eſt, magiſtratus huic Juri auctoritatem dederunt.* (§. prætorum, 8. J. de J. N. G. & C. l. 7. §. 1. ff. de J. & J.) *Hoc Jus in liberâ Republ. erat viva vox Juris civilis. Nam, ut modò diximus, proponebatur à magiſtratibus adminiſtrantibus Jus civile & ad ſingulares caſus accommodantibus. Sed quemadmodum in liberâ Republ. abutebantur prætores ſuâ poteſtate ſingulis annis nova Jura condendo & durante quandoq; magiſtratu immutando: ita ſub Imperatoribus ipſorum poteſtas non modò imminuta, ſed & nulla reddita eſt; dum Hadrianus præcipua prætorum Edicta juſſit colligere & Salvium Julianum redigere in corpus, ex quo ab Hadriano confirmato poſtea perpetuò Jus dicere coacti ſunt: adeoq; & honorarium Jus tunc cœpit auctoritate Imperatorum obtinere, & ab his dependere.*

12. Quæ ab Imperatoribus edicebantur initio ſtatûs monarchici itidem legis nomen non habebant, ſed hoc firmato quælibet Imperatorum voluntas lex erat. *Nam initio monarchiæ fingebatur ſemper libera adhuc Reſpublica: adeoq; licet ſucceſſu temporis vim legis Edicta Imperatorum habere inciperent; non tamen leges ſed conſtitutiones potius appellabantur* (l. 1. §. 1. de Conſtit. Princ.) *ne priſtinus ſtatus, quo Senatorio magiſtratu interrogante, jubenteq; populo leges condebantur, immutatus videretur. Sed firmato ſtatu quod principi placuit legis vigorem habuit* (l. 1. pr. ff. eod. l. ult. C. de LL.) *Non, ut Ulpianus refert, vel potius ut relatum ipſi adſcribitur, quòd lege regiâ de Imperio ejus lat à populo*

pulus

pulus ei & in eum omne ſuum Imperium & poteſtatem contulerit; ſed quia Imperatores ita tacitè invaſerunt tyrannidem nemine propemodum animadvertente; prout in ſuperioribus diximus. Cæterùm quæ de Conſtitutionibus principum reliqua dicenda ſunt proponentur inferius, quando de Imperatore & ejus poteſtate dicturi ſumus.

13. Jus conſuetudinarium, quod moribus introductum dicitur, in liberâ Republicâ & initio monarchiæ plurimum auctoritatis habebat: ſed poſtea ſubdebatur quoq; legibus Imperatorum. *Nam in liberâ Republ. vim legis univerſalis habebat conſuetudo;* [l. diuturna 33. ff. de LL.] *quia hæc nihil aliud eſt, quàm voluntas populi ſine ſcripto rebus & factis declarata: cùm verò ipſæ leges non aliâ ratione ſub Romano Imperio viventes tenebant, quàm quòd Judicio populi eſſent receptæ; meritò etiam conſuetudo omnes obligabat. Quæ cauſſa eſt quâ utitur & Julianus more in liberâ Republ. uſitato diſſerens* [l. de quibus. 32. §. 1 ff. de LL.] *Et hinc Hermogenianus* [l. Sed & ea. 35. ff. eod.] *tradit inveteratam conſuetudinem, velut tacitam civium conventionem non minus quàm ea, quæ ſcripta ſunt, jura ſervari. Fuit ergò hoc Jus conſuetudinarium, ut in omni politiâ, ita quoq; in Republicâ Romanâ magnæ auctoritatis; quia, ut loquitur Paulus,* [l. immò. 36. ff. eod.] *in tantùm probatum eſt, ut non fuerit neceſſe ſcripto comprehendere. Quin tributa ipſi eſt vis abrogandi leges* (d. l. 32) *item interpretandi* (l. 37. ff. eod.) *Optima namq; ratio interpretandi petitur à factis interpretantibus voluntatem Legislatoris ſcripturâ comprehenſam: at conſuetudo in ejuſmodi factis populi legum ferendarum poteſtatem habentis conſiſtit. Idq; Imperatores ſimulantes priſtini liberi ſtatûs ſe conſervatores aliquandiu ita admiſiſſe teſtatur Calliſtratus* (l. Nam Imperator. 38. ff. eod.) *qui tradit Severum reſcripſiſſe: in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiſcuntur, conſuetudinem, aut rerum perpetuò ſimiliter judicatarum auctoritatem vim legis obtinere debere. Quamvis hoc quoq; ſapiat aliquid monarchicum; quia in monarchico ſtatu id conſuetudinis propriè eſſe videtur quod Judices auctoritate monarchæ judicantes perpetuò & ſimiliter judicando introducunt. Quemadmodum & hoc monarchicum eſt, quod tradit Ulpianus* (l. 34. ff. eod.) *eum, qui de conſuetudine civitatis vel provinciæ confidere vult, primùm illud explorare debere, an etiam contradicto aliquando Judicio conſuetudo firmata ſit. Scilicet ita ſecundùm τὸ μικρὸν procedentes Imperatores paulatim ſtatum, nemine obſervante, immutabant. Et quemadmodum in liberâ Republicâ, de quibus cauſſis ſcriptis legibus non utebantur cives, id cuſtodiebatur quod moribus & conſuetudine inductum erat; & ſi quâ in re hoc deficeret, quod proximum & conſequens ei eſſet: ac ſi nec id quidem appareret, jus, quo urbs Roma utebatur, ſervabatur:* (d. l. 32. pr.) *ita in*

 ſtatu

ſtatu monarchico deficiente lege, quod Judiciis auctoritate Imperatorum exercitis conſtanter pronunciatum erat, obtinere incipiebat; donec Conſtantinus M. qui evertit omnem Reipubl. ſtatum, expreſsè ediceret conſuetudinis uſuive longævi auctoritatem, licet non vilis ſit, non eò tamen ſui momenti valituram, ut aut rationem vincat aut legem (l. 2. C. Quæ ſit longa conſv.) *Ex quibus apparet tandem Imperatores, penes quos ſolos manſit poteſtas legum condendarum, etiam conſuetudini tanquam Juri ſtatutario dominatos eſſe.*

14. Concludimus, omnem poteſtatem Jura legesque condendi penes ſolos Imperatores tandem fuiſſe. *Nam hactenus demonſtratum eſt, omnia Jura dependiſſe tandem ab Imperatoribus ſolis. Unde & Juſtinianus expreſsè aſſerit* (l. ult. §. 1. C. de LL.) *In præſenti leges condere ſoli Imperatori conceſſum eſſe. Et quamvis tradatur* (l. Humanum. 8. C. d. t.) *ſi quid de cætero in publicâ privatâq; causſâ emerſerit neceſſarium, quod formam generalem & antiquis legibus non inſertam expoſcat; id ab omnibus antea tam proceribus ſacri palatii, quàm glorioſiſſimo patrum cœtu tractari, univerſorumque conſenſu probatum auctoritate Imperatoriâ confirmari debere; Id tamen non eò referendum, quaſi poteſtas legum ferendarum non penes ſolum Imperatorem ſit; ſed quòd hic in iisdem condendis ſenatorum conſilio utatur, id fieri humanitatis gratiâ, ne videatur temerè & ſine conſilio prudentum quid ſtatuere. Docuimus namq;* (initio hujus Membr.) *firmatâ tyrannide, Imperatores uſos fuiſſe Senatu velut aſſeſſoribus & Conſiliariis ſuis.*

MEMBR. II.
DE MAGISTRATUUM JUDICUMQUE ELECTIONE.

1. Ne quid omittamus eorum, quæ ad ſtatum Romanum, qualis hic fuit tempore Juſtiniani, dijudicandum pertinent, de Electione magiſtratuum, & quidem quinam habeant poteſtatem eligendi & ex quorum numero electi fuerint dicamus. *Nam hæc perpendenda eſſe, ſi de ſtatu aliquo judicium ritè facturus ſis, ſuperius docuimus.*

2. Olim ergò in liberâ Republ. omnes magiſtratus à populo & ex populo i. e. tam patriciis quàm plebejis eligebantur: ſed in monarchiâ ab Imperatoribus. *Nam, ut ex ſuperioribus conſtat, Tiberius ſtatim comitia è campo ad patres transferens callidè jus eligendi magiſtratus in ſe traxit; à cujus temporibus Imperatores cæteri hoc jure vel modeſtius vel ſuperbius uſi ſunt.*

3. *Similiter autem & ex Tacito ſuprà docuimus, de omnibus judicandi*

candi judicesq; conſtituendi poteſtatem ſibi maturè Imperatores arrogaſſe: ut adeò dubitandum non ſit, quin omnis ſumma poteſtas temporibus Juſtiniani penes ſolum Imperatorem fuerit, ſtatusque purè monarchicus exſtiterit.

CAP. III.

DE FINE IMPERII ROMANI.

1. In omni tractatu de civitatis vel Imperii alicujus ſtatu primùm omnium quærendum, quis finis illius ſit ad quem tendit. *Nam quemadmodum hominis, ita & principatûs vel Reipubl. cujusvis eſt quædam operatio & finis, ad quem ſuâ operatione tendit. De hac autem an bona vel mala exiſtat, à fine judicandum eſt: finis namq; vel eſt reverà bonus vel apparenter tantùm, in rei veritate autem malus: ſi finis, ad quem tenditur malus eſt, omnis operatio ad eum tendens mala eſt & ſtatus diu ſubſiſtere nequit, ſed in perniciem vergit eorum, qui partes & membra Imperii vel civitatis ſunt. Sin verò finis reverà bonus ſit & operationes ad hunc tendentes nullæ aut ad contrarium tendentes finem, ſtatus itidem vitioſus eſt & labilis. Quapropter, quò eò melius examinare ſtatum, qualis tempore Juſtiniani fuerit, & de Jure publico, quod ipſius tempore obtinuit, judicium facere & interpretationem poſſimus: de fine Imperii Romani diſſerendum eſt.*

2. Antequam Chriſtianam religionem amplecteretur Conſtantinus M. plerumque finis Imperii fuit tyrannicus i.e. talis ad quem tyrannides ſolent tendere. *Quemadmodum enim olim in liberâ Republ. cum florerent ingenia gloriæ cupidiſſima, finis erat gloria ex ampliatione imperii parta: ita auctis rebus tendebatur ad voluptates & omnis generis luxus: quem finem etiam plerique ante Conſtantinum M. Imperatores ſibi propoſitum habebant: quo etiam ad affectandum Imperium ducebantur. Teſtatur hoc ipſum Tacitus* [1. H. 22.] *quando refert quibus irritamentis à libertis ſervisq; Otho incitatus fuerit ad affectandum Imperium, quando ait:* Et intimi libertorum ſervorumque corruptius, quàm in privatâ domo habiti, aulam Neronis & luxus, adulteria, matrimonia cæterasque regnorum libidines avido talium, ſi auderet, oſtentantes; quieſcenti ut aliena exprobrabant. *Et quamvis nonnunquam eſſent Imperatores, qui talia contemnentes tendebant ad gloriam ſibi parandam; ab ignavis tamen & otio corruptis militibus non audiebantur, ſed potius removebantur. Cùmq; ita plerique Imperatores principatûs præmia ſtupra, comeſſationes & fœminarum cœtus haberent: jacebat Imperium velut iners & ignava moles unius hominis miniſtrorumq; ejusdem voluptatibus inſer-*

inſerviens. Ut ergò finis iſte reverà malus erat; ita & operationes ad hunc finem tendentes tales, quibus imperium miſerè peribat.

3. Cùm verò Imperatores amplexi eſſent religionem Chriſtianam, nullus potuit Imperii finis alius eſſe, quàm qui eſt Chriſtianorum, nimirum, vera cum Deo & proximo in Jeſu Chriſto amicitia, eorumque, qui hanc colunt, defenſio adverſus barbaros & paganos, omneſque Chriſtianæ fidei perſecutores. *Nam amicitiam cum Deo & proximo caritatemq; in Jeſu Chriſto Servatore mutuam finem eſſe unicum, quem Chriſtiani veri & non ſolum præ ſe nomen ferentes, intendunt, ſuprà demonſtravimus, cùm de amicitià ageremus. Vaſtiſſimum autem in Chriſtianos imperium nullum alium finem habere poteſt, quàm Chriſtianorum adverſus barbaros & perſecutores Chriſtiani nominis defenſionem: neque enim decet Chriſtianos vanæ gloriæ & dilatandi Imperii, dominandiq; cauſâ ſangvinem humanum profundere. Ex quibus ſatis conſtat, Imperii Romani, quale fuit poſt tempora Conſtantini M. hunc unicum ſcopum eſſe debuiſſe, ut ſub Imperatorum tutelâ viverent Chriſtiani veram caritatem exercentes erga Deum & proximum. Ad hunc finem an tenderint, quæ legibus ad Jus publicum pertinentibus traduntur, examinando paulò ſubtilius, quàm communiter fieri ſolet, patebit, quanti Jus Juſtinianeum, quod ſtatum concernit, æſtimandum ſit; quæq;, ſi adhuc in uſu hodiè eſſet, deberet eſſe ratio & modus illud interpretandi. Præſupponimus autem boni interpretis eſſe, ab iis, quæ manifeſtè noxia ſunt, quantum quidem fieri poteſt, recedere; quod verò ſalutare eſt, ampliare & extendere omnibus modis.*

CAP. IV.
DE
IMPERATORE.

1. Ab Imperatore meritò initium ſpeculandi facimus. *Demonſtratum namq; eſt* (cap. 1.) *ſtatum tempore Juſtiniani fuiſſe monarchicum: omnemq; adeò Imperii ſplendorem in hoc poſitum fuiſſe. Singula ergò quæ circa Imperatorem Romanum obſervanda Jure Juſtinianeo traduntur diſtinctis articulis proponentes, quæ deſiderari poſſunt explicabimus.*

ARTIC. I.
DE
IMPERATORUM CHRISTIANORUM NIMIA SUPERBIA.

1. Nihil magis quidem decuiſſet Chriſtianos Imperatores, quàm modeſtia; ſed imitati Ethnicos Imperatores, per ſuperbiam ſe indignos videntur reddidiſſe qui gererent nomen Chriſti. *Nam debuiſſent*

iſſent Imperatores repræſentantes caput Orbis Chriſtiani, præ cæteris ſeſe imitatores Chriſti exhibere, & modeſtiâ ſuâ Chriſtianâ humilitateq; præire; ſectariq; virtutes potius quam inanem honorem. At deprehendimus, eos in nimio faſtu eſſe imitatos Ethnicos Imperatores 1. ratione titulorum. *Numen namq; videmus ſeipſos appellare* (l. 8. C. de LL. l. un. C. de contr. Judic. l. 7. & l. 12. C. de fund. patrim. lib. XI. l. 2. C. de offic. mag. offic. & paſſim.) *it. ſuam divinitatem* (l. 2. C. de privil. ſcholar. l. 17. C. de Re milit.) *it. ſuam perennitatem* (l. 3. C. de offic. milit. Judic.) *it. cæleſte oraculum* (l. 10. C. de Aſſeſſoribus) *quo nomine & ſua reſcripta indigitarunt* (l. 9. C. de Aquæduct.) *quæ & appellata ſunt ſtatuta cæleſtia* (l. 10. C. de Murileg. lib. XI.) *it. reſponſa cæleſtia* (l. 10. C. de Re milit.) *it. divina præcepta* (l. 1. C. ut dignit. ordo ſerv. lib. XII.) 2. ratione venerationis & cultûs exhibendi. *Dabant namq; beneficii loco facultatem adorandi purpuram ſuam; quæ ceremonia ita abſolvebatur, ut purpuream veſtem principis à duobus elatam admiſſi adorantes exoſcularentur. Et hunc morem introduxerat primus Domitianus, qui dominum ſe dici & ut Deum adorari primus paſſus eſt: cum antea boni Imperatores in modum Judicum tantùm ſalutarentur. Inde factum, ut & Chriſtiani Imperatores ſeſe appellarent æternitatem adorandam* (l. 2. C. de fabricenſ. lib XI. l. 2. C. de offic. ejus qui vicem) *vel etiam adorandos* (l. 1. C. de præpoſ. ſacr. cubic. lib. XII.) *it. hæc cauſa fuit, quare locis venerandis ſuas ponerent ſtatuas* (l. 4. C. de ſpectacul. & ſcen. lib. XI.) *Pertinent huc quæ de ſtatuis traduntur* (t. t. C. de ſtatuis) 3. ratione veſtimentorum reliquorumq; Ornamentorum. *Nam uſum purpuræ ſibi ſolis Imperatores reſervabant, adeò ut tincta conchylio nullius alterius permixtione poſſent contexi* (l. temperent. 4. C. de veſtibus holoberis. lib. XI.) *Quin nec ſinebant vellera adulterino colore fucata in ſpeciem ſacri muricis tingere ſub pœna capitali* (l. vellera. 3 C. eod.) *Dictata quoq; eſt publicationis bonorum pœna in vendentes inficientesq; veſtes purpurâ, quæ blatta vel oxyblatta vel hyacinthia dicitur* [l. 1. C. quæ res venire non poſſunt] *Deniq; purpuram à commercio & nundinatione hominum, prorſus exemerunt Impp. Theodoſius & Valent.* (l. fin. C. d. t. de veſt. holob.) *Reſervabant etiam ſibi principes ſplendidum in equis & ſellis equeſtribus apparatum, ac in veſtibus ornatum, quo cæteris uti non erat permiſſum.* (l. un. C. Nulli licere in frenis. lib. XI.) *Quamvis verò magiſtratibus & Judicibus decens aliquis cultus veſtium ornatuſq; debeatur ad conciliandam auctoritatem, idq; & Ariſtoteles in politicis concedat: ejusmodi tamen immenſum luxum, cui Chriſtiani Imperatores dediti erant, plerique ethnicorum Imperatorum, quibus virtutes curæ cordiq; fuerunt, planè oderunt.*

2. Quapropter id in Jure Juſtinianæo publico primo loco deſideramus, quòd Imperator modeſtiam & mediocritatem nullam ſectatus inhæſerit vanitatibus priorum Imperatorum, quæque manifeſtam arguunt ſuperbiam legibus ſervari voluerit. *Deus namq; odit luxum & ſuperbiam. Quomodo verò placere poteſt eidem imperium, cujus operatio tota ad hoc tanquam ad unicum finem tendit, ut caput illius faſtum luxumq; incomparabilem exerceat?*

ARTIC. II.
DE
NIMIA LICENTIA IMPERATORUM CHRISTIANORUM.

1. Videtur quoque Jus publicum Juſtinianæum peccare non emendans nimiam licentiam Imperatorum. *Nam nimia illa licentia conjecerat pleroſq; Juſtiniani anteceſſores tam Chriſtianos quàm Ethnicos in peſſima quæq; vitia: quibus tamen præſertim in capite Orbis Chriſtiani omnibus modis occurrendum eſt. Hujus namq; peccata totum orbem Chriſtianum in miſeriam conjiciunt.*

2. Conſiſtebat autem Imperatorum licentia 1. in hoc, quòd eſſent ſoluti legibus, & uxoribus ſuis quoq; hanc licentiam tribuerent. (l. princeps. 31. ff. de LL.) *Nam quid intentatum relinquent homines in perpetuo luxu viventes nullam legem metuentes? Decuiſſet ergò Juſtinianum hoc agere, ut Chriſtiani principes ſucceſſores ipſius, adſtringerentur certis legibus; quò vitam Chriſtiani Orbis capite dignam vel inviti colerent. Quamvis verò Theodoſius & Valentinianus profeſſi fuerint* (l. digna. 4. C. de LL.) *vocem eſſe Majeſtate regnantis dignam, legibus alligatum ſe principem profiteri; propterea, quòd ab auctoritate Juris pendeat auctoritas Imperatoris; majusq; Imperio ſit ſubmittere legibus principatum: eaq; propter id indicent ſuis ſucceſſoribus, quod ſibi licere non patiantur: Id tamen nondum ſatisfacit; quia ad ſummam rei nihil facit, quòd princeps Jus privatum, quod tulit ipſe ſervet, nec à ſemel lato temerè recedat. Debuiſſent namq; leges de Officio Imperatoris ferri, ut ſcirent qui præeſſent, quæ ſui eſſent muneris. Quis enim arctius ad munus ſuum faciendum adſtringendus eſt, quàm cujus leviſſimum erratum totum Orbem Chriſtianum magno afficit malo? Quamvis autem objicias: decere bonum principem ultrò facere quæ ſui muneris ſunt, cùm nemo principem cogere poſſit: nemo verò ſibi ipſi imperare queat. Reſpondeo, me non hoc velle, principem ſubjacere debere Imperio populi, puniendus ab eodem ni paruerit legibus; ſed hoc, Imperatores debuiſſe initio Imperii legibus aſtringi, quibus mediante juramento ſeſe ſubjicerent; ſcirentq; De-*

um ultorem ſeſe habituros, ſi munus ſuum non fecerint. In ſummâ debuiſſet Juſtinianus perpendere malum inde illatum Imperio Romano; quòd hactenus Imperatores tam ethnici quàm Chriſtiani abuſi fuerint ſuâ licentiâ; & propterea hoc ad minimum alligando Imperatores ad leges corrigendum eſſe: quò differentia quædam inter ethnicos & Chriſtianos Imperatores apparuiſſet.

3. Deinde etiam hoc nimium erat, quòd principum voluntas pro lege haberetur. *Nam Ulpianus* (l.1. §. 1. ff. de Conſtit. Pr.) *teſtatur ſuo tempore jam obtinuiſſe, ut quod Imperator per epiſtolam & ſubſcriptionem ſtatuit, vel cognoſcens decrevit, vel de plano interlocutus eſt, vel Edicto præcepit, lex eſſet. Quamvis autem Theodoſius & Valentinianus id limitarint tradendo* (l. 2. & 3. C. de LL.) *ea quæ ex relationibus vel ſuggeſtionibus judicantium, vel conſultatione in commune ſacri palatii procerum auditorium introducto negotio ſtatuuntur à Principe generalia Jura non eſſe, ſed leges duntaxat his facere negotiis atq; perſonis, pro quibus fuerint promulgata; illas autem leges generales debere eſſe & ab omnibus obſervari, quæ miſſæ ad proceres oratione conduntur, vel inſerto Edicti aut legis vocabulo nuncupantur, vel per omnes populos judicum programmatibus divulgantur vel expreſſius continent, quòd princeps cenſuerit ea, quæ in certis negotiis ſtatuta ſunt, ſimilium quoq; cauſſarum fata componere: Juſtinianus tamen* [l.ult. C. de LL.] *licentiam iterum extendit tradens, ſi Imperialis Majeſtas cauſſam cognitionaliter examinaverit, & partibus cominus conſtitutis ſententiam dixerit, omnes omninò Judices ſcire debere, hanc eſſe legem non ſolùm illi cauſſæ pro quâ producta eſt, ſed & omnibus ſimilibus; annexâ ratione, quòd nihil majus nihil ſanctius Imperiali majeſtate ſit. Quid autem magis periculoſum eſſe poteſt, quàm ſi vaſtiſſimum Imperium, quod omnium optimè operari, & nihil omittere debet eorum, quæ Deo placent & accepta ſunt, unius arbitrio committas? Quàm facilè enim eſt hominem ruere in vitia & ſententias à Chriſtianâ religione & fide alienas? Decuiſſet ergò Juſtinianum & hoc emendare, legumq; condendarum poteſtatem cum epiſcopis vel iis, quibus rerum ſacrarum cura commiſſa eſt, aliiſq; prudentiſſimis communicare.*

ARTIC. III.
DE
MODO ELIGENDI IMPERATORES.

1. Reprehendendum in Juſtiniano & maximè hoc eſt, quòd nihil circa electionem Imperatoris tradiderit; vel non immutarit ea, quæ olim in uſu erant. *Nam ethnicis Imperatoribus tenentibus imperium ſumma temporum infelicitas fuit, quòd militum temeritate eligerentur*

tur principes; Christianorum autem Imperium miſerò devaſtavit totumq; Occidentem deſtruxit, quòd Imperatores ſuos liberos non modò pueros, ſed etiam infantes eligerent ſibi ſucceſſores in Imperio. His perpenſis potuiſſet Juſtinianus, ſi amaſſet Orbem Chriſtianum, introducere ſingularem rationem eligendi Imperatores, quò ſemper aut plerumq; idonei præfecti fuiſſent imperio. Scilicet à temporibus Conſtantini id ſemper egére Chriſtiani principes, ut omnia fierent hereditaria tam munera quàm honores: ut ex ſeqq. patebit: quò penes ſuos poſteros maneret Imperium.

CAP. V.

DE CULTU DIVINO ET MINISTRIS ECCLESIÆ.

1\. Jus ſacrum, quod tradit de Epiſcopis & omnibus clericis inſervientibus Deo, item de privilegiis horum omniumque Chriſtianorum, quodque continet credenda, ut ſit unitas fidei per univerſum imperium, Juſtinianus meritò pro præcipuo habuit, à quo etiam Codicem orditus eſt. *Nam in Chriſtiano Imperio hæc omnia loto fundamenti ſunt: utpote cùm finis hujus ſit verus cultus Dei & hunc colentium defenſio. Quapropter etiam Gratianus, Valentinianus & Theodoſius Chriſtianorum catholicorum nomen amplecti ſeverè juſſerunt: reliquos verò dementes veſanosq; heretici dogmatis infamiam ſuſtinere, divinâ primùm vindictâ, deinde etiam pro ſuo arbitrio ultione plectendos judicarunt* (l. 1. §. 1. C. de ſummâ Trinit.) *Noſtrum erit videre, quænam credenda Imperatores ſtatuerint; quam itidem amplexi fuerint rationem extirpandi hereticos & paganos ſupprimendi contra Chriſtianos defendendi & in fide conſervandi; quidq; tradiderint circa clericos omnesque, penes quos cura rerum ſacrarum eſt: item quæ circa eccleſias ſeu templa obſervari voluerint.*

MEMBR. I.

DE CREDENDIS.

1\. *Videmur ex mente Juſtiniani circa credenda ita ritè progredi, ſi prius quæ generaliter traduntur conſideremus; deinde ſpecialia ſubjiciamus.*

ARTIC. I.

DE HIS QVÆ GENERALITER CIRCA CREDENDA NOTARI DEBENT.

1\. Primò generaliter circa credenda approbavit Juſtinianus

quæ

quæ à Gratiano & collegis ejus (*l. 1. pr. C. de ſummâ Trinit.*) injunguntur cunctis populis ſub Imperio Romano viventibus, ut in tali religione vivant, quam divum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio ab ipſo inſinuata declaret, quamque Pontificem Damaſum ſequi clareat, & Petrum Alexandriæ Epiſcopum virum Apoſtolicæ ſanctitatis. *Scilicet tunc temporis jam invaluit opinio, Petrum docuiſſe Romæ, & permanere apud Pontifices Romanos eam doctrinam, ab iisdemq; propagari. Vulgus namq; credulum pronum eſt ad credendum, veritatem certo alicui loco adhærere.*

2. Approbavit deinde Juſtinianus, credenda nim. eſſe, nec de his dubitandum aut diſputandum, quæ in Synodo Chalcedonenſi Marciani juſſu celebratâ, & in Nicænâ præſentibus 318. patribus, it. in Conſtantinopolitanâ à 150. & in Epheſinâ definita ſunt. (l. nemo. 4. C. cit. tit. de ſummâ Trinit.) *quæ lex Marciani eſt approbata à Juſtiniano* (l. inter claras. 8. §. 3. C. eod. & Nov. 131. c. 1.) *His namq; conciliis obviam itum eſt iis, qui diſputationibus ſuis orbem Chriſtianum turbabant.*

3. Jubentur autem ita ſervari canones priſtini eccleſiaſtici; ut, ſi quid dubietatis emerſerit, id oporteat (non absque ſcientiâ viri Reverendiſſimi ſacroſanctæ legis antiſtitis eccleſiæ urbis Conſtantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativâ lætatur) conventui ſacerdotali ſanctoq; Judicio reſervari. (*l. omni. 6. C. de ſacroſ. eccleſ.*) præcipiuntur etiam omnes pragmaticæ ſanctiones, quæ contra Canones eccleſiaſticos interventu gratiæ vel ambitionis elicitæ ſunt, robore ſuo & firmitate vacuatæ ceſſare. (*l. privilegia. 11. §. 1. C. eod.*)

ARTIC. II.
DE
CREDENDIS CIRCA S.S. TRINITATEM.

1. Præcipuum eorum, quæ ſecundùm Apoſtolicam diſciplinam, evangelicamq; doctrinam credenda ſunt, hoc eſt, Patris & Filii & Spiritûs S. eſſe unam Deitatem ſub pari Majeſtate & ſub piâ Trinitate. (*l. 1. pr. C. de ſummâ Trinit.*) *item* (*l. 2. C. eod.*) Is Nicænæ aſſertor fidei & catholicæ religionis verus cultor accipiendus dicitur; qui omnipotentem Deum & Chriſtum filium Dei uno nomine confitetur; Deum de Deo, lumen de lumine; qui Spiritum S. quem ex ſummo rerum Parente & ſperamus & accipimus, negando non violat: apud quem intemeratæ fidei ſenſus viget, & incorruptæ Trinitatis indiviſa ſubſtantia, quæ græco verbo ὁμουσία rectè credentibus dicitur. *It. (l. cum recta. 5. §. credentes 1.) talem confeſſionem edit Juſtinianus:* Cre-

dentes in Patrem & Filium & S. Spiritum unam eſſentiam in tribus hypoſtaſibus, ſeu ſubſiſtentibus perſonis, adoramus unam Deitatem, unam poteſtatem, Trinitatem conſubſtantialem. & (*l. cum Salvatore 6. §. 1.*) Credimus itaque in unum Deum Patrem omnipotentem, & in unum dominum JEſum Chriſtum filium Dei, & in Spiritum S. unam eſsentiam in tribus hypoſtaſibus ſive ſubſiſtentibus perſonis.

2. De Chriſto filio Dei hæc eſt Juſtiniani confesſio, quòd nim. ſit unigenitus filius Dei, Deus & Dominus noſter, incarnatus de Spiritû S. ex ſanctâ atque glorioſisſimâ ſemper virgine Dei genitrice Mariâ, homo factus, crucifixus, unus ſanctæ & conſubſtantialis Trinitatis, coadorandus, conglorificandus Patri & Spiritui S. conſubſtantialis Patri ſecundùm divinitatem; nobis ſecundùm humanitatem; pasſibilis carne, impasſibilis Deitate; Verbum Dei, ſine tempore de Patre natum. (*l. 5. 6. 7. C. eod.*) Ne etiam crux Chriſti profanaretur, ſtatuit Theodoſius (*l. un. C. nemini licere ſignum Salvat.*) nemini debere licitum eſse vel in ſolo vel in ſilice vel in marmoribus humi poſitis crucem inſculpere vel pingere, ut pedibus conculcetur & ludibrio exponatur, gravisſimâ pœnâ in eum ſancitâ, qui contrarium huic Imperiali ſtatuto facere tentaverit. Juſtinianus quoq; prohibuit ne ſignum Chriſti alibi, quàm in venerabili loco, ſeu religioſis ædibus reponeretur, ſed ut hoc ipſo fixo conſecrentur loca Deo, ſitq; crux adoranda & veneranda. (Nov. 5. cap. 1. Nov. 67. c. 1.) *Nam hec eſt humana imbecillitas, ut in ejusmodi externis queratur cultus; virtutes animi, quas reſpicit & exigit Deus, negligantur. Hinc fit, quòd cùm homines tendere debeant ad veram amicitiam cum Deo & hominibus colendam; venerentur crucem vel etiam oſsa martyrum, magis ſuperſtitioſi quàm religioſi. Et cùm deceat eum, qui caput orbis Chriſtiani eſſe vult, ab ejusmodi ſuperſtitionibus ad veram manuducere homines pietatem: dolendum profectò, Imperatores more vetularum vulgus in ſuâ ſuperſtitione confirmaſſe. Sic cùm debuiſset inculcari hominibus, ne ſuprà modum venerarentur martyres horumq; reliquias: maluêre Honorius & Theodoſius legem ferre, ut nemo martyres diſtrahat, nemo mercetur* (l. 3. de S.S. eccl.)

MEMBR. II.
DE
MEDIIS PRO FOVENDA ET CONSERVANDA RELIGIONE CHRISTIANA ADHIBITIS.

1. *Imperatores Chriſtiani pro conſervandâ verâ religione his fermè uſi ſunt mediis, ut ſcil. hereticos & apoſtatas punirent, turbatores eccleſia comprimerent, ergà veros Chriſtianos favorem, erga paganos odium decla-*

declararent, miniſtrosq́; verbi cultum exercentes divinum defenderent. Quæ omnia diſtinctis articulis propoſituri ſumus.

ARTIC. I.

DE

HÆRETICIS.

1. Quinam hæretici dicantur Imperatoribus, videtur colligi poſſe ex l. 1. §. 1. C. de ſummâ Trin. nim. qui Chriſtianam fidem evangelicamq; doctrinam docentem Deum unum tribus perſonis non amplectuntur. *Nam cùm pr. d. l. traditum eſſet de fide, quænam eſſet vera, ut ſcil. ſecundùm apoſtolicam diſciplinam, evangelicamq́; doctrinam, Patris & Filii & Spiritûs S. unam Deitatem ſub pari majeſtate & ſub piâ Trinitate credamus; ſubjiciuntur §. 1. hæc verba: Hanc legem ſequentes, Chriſtianorum catholicorum nomen jubemus amplecti: reliquos verò dementes veſanosq́; judicantes, hæretici dogmatis infamiam ſuſtinere, divinâ primùm vindictâ, poſt etiam motus animi noſtri, quem ex cœleſti arbitrio ſumpſerimus, ultione plectendos. Idem colligitur ex l. 2. C. eod. nim. ex hac lege dicendus is hæreticus, qui omnipotentem Deum & Chriſtum filium Dei non confitetur, Deum de Deo, lumen de lumine, qui Spiritum Sanctum negando violat.* Sed (l. 2. C. de Hæret.) hæreticorum vocabulo continentur qui vel levi argumento à judicio catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deviare. & (*Novell. 109. pr.*) Juſtinianus omnes eos vocat hæreticos, qui licet nomen Chriſtianorum ſibi impoſuerint: attamen Chriſtianorum ſe fide & communione ſeparant, diverſarumque hæreſium ſunt, quibus connumerantur & qui Neſtorii Judaicam ſeqvuntur veſaniam & Eutychianiſtæ & Acephali, qui Dioſcori & Severi malefacta langvent, & Manichæi & Apollinaris renovantium impietatem; & ad hoc omnes, qui non ſunt membrum ſanctæ Dei catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ, in quâ omnes concorditer ſanctiſſimi epiſcopi, & totius orbis terrarum patriarchæ, & Heſperiæ & Romæ & Conſtantinopolis & Alexandriæ, & Theopoleos, & Hierololymorum, & omnes qui ſub eis conſtituti ſunt ſanctiſſimi epiſcopi, & apoſtolicam prædicant fidem atq; traditionem. *Quæ qualia ſint, Theologis examinanda relinquimus, ad quos ſpectat hæc definire. Nos ſuprà, cùm de crimine læſæ Majeſtatis divinæ ageremus, noſtram mentem quodammodo expoſuimus.*

2. Hæreſis ſeu hæreticorum crimen publicum eſt. *Cujus ratio redditur.* [l. manichæos. 4. §. 1. C. de Hæret.] *quòd illud, quod in religionem divinam committitur, in omnium feratur injuriam.* Et (auth. Gazaros C. eod.) crimen læſæ Majeſtatis æternæ vocatur. *Ex quo velut principio procedendo commodiſſimè videtur natura hujus criminis exponi*

poni poſſe; & deduci neminem pœnâ hæreſeos afficiendum, niſi qui turbando eccleſiam ſuis opinionibus ipſius Dei Majeſtatem impugnat. Quare enim ſeveriſſimis pœnis afficiatur delictum hoc, ratio redditur (cit. auth. Gazaros) quia ſcil. hoc ipſo non temporalis ſed æterna Majeſtas impugnetur.

3. Pœna autem hæreticis ab Imperatoribus talis ſtatuta eſt. 1. ut infamiam ſuſtineant ſui dogmatis, & excommunicentur & ab omnium eccleſiarum limine ſemoveantur. (*l. 1. §. 1. & l. 2. C. de ſummâ Trin. l. 5. C. de Hæret.*) 2. ut arbitrariè puniantur à principe, commiſsâ & Deo vindictâ. (*d. l.*)

4. In ſpecie Manichæi (*fanaticam hi foverunt opinionem de diis duobus, uno bono, altero malo, aliosq; multos errores & præcipuè adverſus humanam naturam Chriſti; eosq; divus Auguſtinus, hujus ſectæ primò cultor deinde converſus refutavit.*) tanquam omnium hæreticorum deterrimi & Donatiſtæ ſeverè coërcentur, jubeturque huic hominum generi nihil ex moribus nihil ex legibus commune eſſe cum cæteris. (*l. Manichæos. 4. pr. C. de Hæret.*) 2. bona horum publicantur. (*d. l. 4. §. 1.*) 3. removentur ab omni liberalitate & ſucceſſione (*d. l. 4. §. 2.*) 4. non donandi non emendi non vendendi non denique contrahendi facultas ulli horum relinquitur. (*d. l. 4. §. 3.*) 5. in mortem quoque extenditur inquiſitio, quò memoria ipſorum damnetur, quemadmodum id obſervatur in iis qui crimen læſæ Majeſtatis humanæ committunt. (*d. l. 4. § 4.*) 6. Nec teſtari poſſunt Manichæi, nec horum filii hæredes patrum eſſe, niſi à paternâ pravitate diſceſſerint. (*d. l. 4. §. 5. & 6.*) 7. Jubentur etiam è civitatibus pelli & ultimo ſupplicio tradi. (*l. 5. C. eod.*)

5. Notantur quoque Neſtoriani & Ariani (*l. 6. C. de Hæret.*) prohibenturq; qui ſub Imperio Romanô ſunt Neſtorii libros legere, deſcribere, ſcriptos habere.

6. Singulariter etiam puniuntur Eutychianiſtæ & qui cum his ratione pravitatis hæreticæ conjuncti ſunt, Apollionariſtæ; nim. ut ad nullam militiam admittantur, in ſuâ patriâ non tolerentur, nullaquè diſputandi facultas his detur, & omnes eorundem libri concrementur. [*l. Quicunq; 8. C. eod.*]

7. Seorſim etiam puniuntur Novatiani & Donatiſtæ ſacrum baptiſma reiterantes (*t. t. C. Ne ſacr. baptiſma reiter.*) *Afficiuntur enim infamiâ, teſtandi facultate deſtituuntur, mortisq; cauſâ donandi: in exilium mittuntur & aliquando ultimo ſupplicio traduntur.* (l. 2. & 3. d. t.) *Quæ omnia ita cuſtodiri decernuntur, ut nulli Judicum liceat delatum ad*

ſe cri-

ſe crimen minori coërtioni mandare aut impunitum relinquere; niſi ipſe idem pati velit, quod aliis diſſimulando conceſſit. (d. l. 3. in fin.)

8. Magnus hæreticorum numerus etiam enarratur (*l. 5. C. de Her.*) & ſuis pœnis coërcentur, nimir. omnia loca, in quibus convenire poſſunt, ipſis adimuntur. (*l. 3. l. 6. l. 8. C. eod. & l. 2. C. de ſummâ Trin.*) propelluntur ab ipſis urbium mœnibus, ſi eruptio factioſa quid tentaverit, (*d. l. 2. C*) qui notorii ſunt deſinunt eſſe cives Romani & efficiuntur infames, ut ad nullos prorſus honores, ad nullas dignitates, ad nulla ſacramenta pervenire poſſint. (l. 1. & l. 7. C. de Haret.) *Inhibetur quoq; hereticis res eccleſiaſticas emere, conducere vel poſſidere* (l. 10. C. de Hæret.)

9. Hæreticis æquiparantur cœlicolæ, qui cœlum, ſolem, lunam colunt, novo prorſus & inaudito dogmate. (*l. 12. C. de Jud. & cœlic.*)

ARTIC. II.
DE
JUDÆIS.

1. Judæos, licet ſint hoſtes Chriſti Salvatoris noſtri, non tamen hos æquè ac hæreticos perſeqvuntur leges Codicis. *Nam tolerantur horum ſynagogæ, ita ut veteres & ruinam minitantes fulciri poſſint, novæ tamen nequeant fabricari.* (l. 18. §. 1. C. de Jud.) *prohibentur concremari alioq; modo lædi* [l. 14. C. eod.] & [l. 3. C. eod.] *vetantur milites in his facere hoſpitia. Admittuntur quoq; Judæi ad decurionatum* (l. 4. & 9. C. eod.) *Datur iisdem poteſtas litigandi coram Judicibus Romanorum ſecularibus, etiam de rebus ipſorum ſuperſtitionem concernentibus: ita tamen ut die Sabbathi convenire nequeant. Poſſunt quoq; ex ſuo numero eligere arbitros, quorum ſententias Judices exequi tenentur.* (l. 7. l. 12. & l. 14. C. eod.) *Hos offendere, horumq; bona invadere nemini conceſſum.* (l. 13. C. eod.) *nec precia rerum à Chriſtianis iisdem ſtatui poſſunt; qui enim hoc faciunt ſupplicio afficiuntur tanquam aliena appetentes* (l. 8. C. eod.) *Tantummodo monentur, ne inſoleſcant elatiq; reddantur ſui ſecuritate* (l. 13. C. eod.) *prohibenturq; mancipia Chriſtiana poſſidere* (l. un. C. Ne Chriſt. mancip.) & *ſi circumciderint Chriſtianum bonorum proſcriptione & exilio damnantur* (l. 16. C. de Judæis) *nullo quoq; honore defenſorisq; officio fungi poſſunt.* (l. 17. C. eod.) *celebrantes ſacra nihil debent facere in contemptum Chriſtianæ fidei.* (l. 10. C. eod.) *Matrimonia cum Chriſtianis iisdem denegantur, ſiq; contraxerint, habentur pro adulteriis* [l. 6. C. eod.]. *In ſuis matrimoniis coguntur leges Chriſtianorum obſervare, nec uno tempore plures habere uxores ipſis permittitur.* (l. 7. C. eod.) *Horum collegio nihil legari poteſt* (l. 1. C. eod.) *ſi attentaverint lædere eos, qui*

qui ſeſe converterunt ad religionem Chriſtianam flammis dantur & cum ſuis complicibus concremantur. (l.1. C.eod.) *Si qua etiam inter Judæos & Chriſtianos ſit contentio; non à Senioribus Judæorum, ſed ab ordinariis judicibus dirimenda eſt.* (l.15. C. eod.)

ARTIC. III.
DE
PAGANIS.

1. Pagani aliàs in Jure dicuntur qui non ſunt milites. *Hinc oritur diſtinctio inter teſtamentum paganum & militare. Ratio denominationis hæc fuit; quòd olim Romæ ruſtici nomen militiæ non dabant, nec ex his delectus habebatur, ne per hoc agricultura negligeretur.* Apud Chriſtianos Imperatores autem omnes ſacrificantes idolis & ethnicam religionem amplectentes paganorum cœperunt nomen habere; *quia ad militiam quoq; non admittebantur, ſed ab Imperatoribus excludebantur.* (l. nemo milit. 20. C. de epiſc. aud.)

2. Ne autem paganiſmus excreſceret & tandem loco Chriſtianæ religionis introduci in Imperium Romanum poſſet: Imperatores templa diis conſecrata non quidem deſtrui, ſed claudi jubebant, ad patrimonium ſuum ea referentes [l.1. l.5. & l.7. C. de Paganis & ſacrif.] *In hoc enim ſervabant differentiam inter templa hæreticorum & paganorum: quia templa hæreticorum fiſco non vendicabantur, ſed cùm Deo, licet ſuperſtitioſo cultu, conſecrata eſſent; ad uſus profanos non convertebantur, ſed pio uſui potius applicabantur.*

3. Sacrificantes diis gladio feriebantur. (*l. 1 §. 1. & 2. C. eod.*) additâ proſcriptione omnium bonorum (*l. 7. C. eod.*) conſciis hujus criminis ac miniſtris eâdem manente pœnâ & punitis multâ 50. libr. auri Rectoribus provinciarum & officialibus ipſius, ſi pœnam dictatam infligere neglexerint. (*d. l. 7.*) Similiter prohibitum erat exta inſpicere & ex his more gentilium futura prædicere. (l. 2. C. eod.) *Nam initio Chriſtianiſmi, quia animi vulgi facilè ſeduci poſſunt ad priſtinum cultum recipiendum, præſertim, ſi concipiant eum cum majori felicitate conjunctum fuiſſe; aliter ethnica religio ſupprimi non potuit, quàm ſi ethnicus cultus pro crimine publico haberetur & punirentur quoq; ii, qui in ſuis ædibus eum exerceri tolerarent.* (l. 8. C. eod.)

4. Paganis tamen æquè ac Judæis quietè viventibus nec quicquam turbulentum tentantibus noluerunt Imperatores manus violentas à Chriſtianis inferri aut bona abripi. *Jubent namq; Honorius & Theodoſius Chriſtianos qui quid abripuerunt in duplum reſtituere.* (l. 6. C. eod.) Quin admittuntur ad ſponſalia cum ſcientibus Chriſtianis cele-

celebranda (*l.16. C. de Epiſc. aud.*) Defenſores tamen civitatum fieri, munerève advocatorum fungi prohibentur. (*l.15. & l. jubemus. 19. C. eod.*)

5. Feſtos dies, qui vigente ethnicâ religione ad lætitiam & voluptatem inſtituti fuerant, noluerunt Imperatores abrogare, modò ſine ſuperſtitione & ſacrificiis celebrentur. (l. 4. C. eod. *His enim adſueti Romani non ſine metu tumultûs adigi poterant ad eadem abroganda.*

ARTIC. IV.

DE SAMARITIS.

1. Samaritarum ſecta quaſi media erat inter Judaiſmum & Paganiſmum. *Nam libros Moyſis hi recipiebant, rejectis poſterioribus Prophetis; negabant carnis reſurrectionem & idola colebant.*

2. Secta hæc damnatur, congregationes & conventicula hanc colentium prohibentur ab Imperatoribus, jubenturque ſynagogæ deſtrui, additis iisdem pœnis, quæ & Manichæis dictatæ ſunt. (*L.12. & 17. pr. C. de Hæret.*) Quibus pœnis contingit, ut Samaritæ nullos ſucceſſores habere poſſint præterquam filios Orthodoxos. *Nam qui undiq; expelluntur & capita puniuntur, nec ex teſtamento nec ab inteſtato habere ſucceſſores poſſunt: ſed ſpecialiter data eſt poteſtas filiis eorum orthodoxis bona patrum vendicare curâ & providentiâ Epiſcoporum & Præſidum* [l.17. §.1. & l.18. C. eod.]

3. Hæ autem pœnæ in Samaritas durarunt, quamdiu hi atroces & elati contra Chriſtianos fuerunt: Juſtinianus enim motus teſtimonio Sergii, eos meliores factos, nulloſq; motus in futurum metuendos ab his eſſe (*Nov. 129.*) reſtituit ipſis licentiam ſcribendi teſtamenta & diſpenſandi de ſuis ſubſtantiis; donandi item & legata relinquendi, capiendique: additâ tamen hac limitatione, ut ſi defunctus ab inteſtato cognatos habeat alios Chriſtianos, alios Samaritas, ſoli Chriſtiani ſuccedant; ſi verò ex teſtamento Chriſtianus & Samaritanus concurrant, hic accipiat ſolum ſextantem; reliqvum verò, niſi debeatur Chriſtianis legatariis, coheredi Chriſtiano accreſcat: à quo tamen Samaritanus, ſi poſtea reſipiſcat, & ad fidem convertatur, id recipere poſſit, detractis fructibus medii temporis. Sed cùm appareret, eos à ſuâ hæreſi deduci non poſſe, extitiſſe etiam nonnullos, qui ſalutari baptiſmo dignati denuò ad id mali, unde diſceſſerant, redierunt: præclarum viſum fuit veterem illam legem renovare. Nam (*Nov. 144.*) fiſcus vocatur ad ipſorum bona; exceptis tantùm agricolis, quibus

beneficium Novellæ 129. reſervatum eſt, ne cultura agrorum demi-nueretur.

ARTIC. V.
DE
APOSTATIS.

1. Apoſtata definitur [*l. 4. C. de Apoſtatis*] qui nomine Chriſtianitatis imbutus ſacrificia ſacrilega vel facit vel facienda mandat. Videtur autem apoſtaſia longè graviùs hæreſi punienda. *Nam heretici in parte recedunt & in quodam principio conveniunt; apoſtatæ penitus deſciſcunt, nullum agnoſcentes Chriſtianæ religionis principium. Unde hoc crimen proprium eſt perditorum hominum ſanctum baptiſma profanantium.* (l. 3. C. eod.)

2. Pœnis itaque omnibus apoſtatæ, quibus & hæretici, ſubjacent & præterea alias quoque ferre coguntur. *Nam puniuntur publicatione bonorum* (l. 1. C. eod.) *ſunt inteſtabiles* (l. 2. C. eod.) *nulliq; heredes eſſe poſſunt* (l. 3. C. eod.) *omnisq; his teſtandi donandive facultas denegatur* (l. 4. C. eod.) *In hoc cum Apoſtatis ſeverius agitur: quòd eorum crimen pœnitentiâ non aboleatur* (d. l. 3.) *& in vivos perpetua nullamq; præſcriptionem admittens detur accuſatio* [d. l. 4.] *quæ in mortuos usque ad quinquennium extenditur* (d. l. 2.) *Qui etiam alios vel invitos vel ſuaſione traducunt ad idem crimen cum diſpendio fortunarum capite plectuntur.* (l. 5. C. eod.)

ARTIC. VI.
DE
TURBATORIBUS QVI DUBIA REDDUNT DE QVIBUS NON DUBITANDUM.

1. Turbatores vocamus, qui publicè de fide Chriſtianâ coadunatis turbis tractant, quique ex hoc tumultûs & perfidiæ occaſionem requirunt. *(l. 4. C. de ſumm. Trinit.)* dubiaq; faciunt quæ in Concilio Nicæno, Chalcedonenſi & Epheſino definita ſunt. His quoque pœnæ dictatæ ſunt (cit. l. 4. & l. 3. §. 3. C. eod.) *Nam qui contra expoſitam fidem veniunt Judæis & paganis, myſteria veneranda profanant & propterea meritò pœnis coërcendi videntur. Clerici itaq; tale quid committentes à conſortio clericorum removentur, milites cingulo ſpoliantur, cæteri ex urbe exiguntur vel etiam pro rigore Judiciario ſuppliciis ſubjugantur.*

2. Ad impediendos tumultus, quos turbatores excitant, facit prohibitio conventiculorum. Quæ cauſſa eſt, quare conventicula illicita etiam extra eccleſiam in privatis ædibus celebrata puniantur proſcriptione domûs, in quâ clerici tumultuantes recepti ſunt. (*l. conventicula. 15. C. de Epiſc. & Cler.*)

ART.

ARTIC. VII.

DE

CHRISTIANORUM PRIVILEGIIS ET OFFICIO.

1. Uſi quoque ſunt Imperatores mediis alliciendi homines ad amplectendam religionem Chriſtianam, aſſignando præmia ſeſe convertentibus. *Nam 1. ſervi paganorum, Judæorum & hæreticorum deſiderantes ad orthodoxam fidem venire, poſtquam catholicæ eccleſiæ aſſociati fuerint, in libertatem eripiuntur, jubenturq́; à Judicibus provinciarum, eccleſiæ defenſoribus & epiſcopis defendi, nihil pro eorum preciis penitus accipientibus dominis.* (l. Deo 56. §. His ita. 3. C. de Epiſc. & cler.) *2. Soli Chriſtiani orthodoxi Jus ſuccedendi habent in bonis parentum non orthodoxæ religionis.* [l. cognovimus 19. junct. Auth. idem eſt. C. de Hæret:]

2. Chriſtiani autem qui eſſe volunt, jubentur verum cultum exercere i. e. juvare pauperes & poſitos in neceſſitate. *(l. 1. C. de Epiſc. aud.)*

3. Chriſtiani vel clerici ſunt vel laici; de clericis ſeq. membr. dicetur; Laici prohibentur ſoli facere quod ſine clericis fieri non eſt permiſſum; velut celebrare litanias. *Ratio redditur* (auth. ſed novo. C. de Epiſc. & Cler.) *quod ſine orationibus & cruce fieri non debeant.*

ARTIC. VIII.

DE

TURBATIONE CULTUS DIVINI.

1. Ne turbetur cultus divinus, jubentur qui in eccleſias irruunt & miniſtris verbi cultum tractantibus aliquid injuriæ important eoq; cultum turbant capitaliter puniri: licet ab Epiſcopo non accuſentur, patente cuilibet facultate hos accuſandi. *(l. 10 C. de Epiſc. & Cler. junct. Auth. ſed novo eod.)*

MEMBR. III.

DE

EPISCOPIS ET CLERICIS, HORUMQUE OFFICIO, JURIBUS ET PRIVILEGIIS.

1. Eccleſiam Jeſu Chriſti miſerè dilaniavit epiſcoporum ſuperbia & faſtus; dum quilibet horum nomen ſuum novis opinionibus æternare, reliquos opprimere ſtudebat; dum ſinguli ſeculares magiſtratus imitantes inter ſe de principatu contendebant. Quibus malis cùm deberet Juſtinianus occurrere, ſuâ approbatione eadem auxit.

Et quia hujus quoq; Imperatoris temporibus Pontifex Romanus primatum ſibi quæſivit, conveniens erit, initium ab eodem facere.

ARTIC. I.
DE
PONTIFICE ROMANO.

1. Quantus fuerit faſtus, quantaque ſuperbia Joannis, qui tempore Juſtiniani Romæ epiſcopus fuit, ex epiſtolâ ad Juſtinianum datâ & legi 8. C. de ſummâ Trinit. inſertâ addiſci poteſt. *Laudat namque hac in epiſtolâ Juſtinianum filium ſuum glorioſiſſimum & clementiſſimum velut principem Chriſtianiſſimum, propterea, quòd caritatis ſtudio edoctus eccleſiaſticis diſciplinis Romanæ ſedis reverentiam conſervet, huic cuncta ſubjiciendo & ad hujus unitatem deducendo. Hinc Romanæ ſedis auctorem Petrum adſerit, ad quem Dominus dixerat, paſce oves meas! unde infert ſedem hanc verè eſſe caput eccleſiarum: idq; conſenſu patrum & ſtatutorum principum teſtimonioq; Juſtiniani confirmare nititur. Inde etiam dicit confirmari Imperium Juſtiniani, quòd hic Epiſcopo Romano primatum deberi fateatur: inq; hoc Imperatore impletum eſſe quod ſcriptura dicit (*Proverb. 2.*)* per me reges regnant & potentes decernunt Juſtitiam. *Tandem & confirmat Edictum Juſtiniani, quod populis amore fidei conſenſu epiſcoporum propoſuit de ſubmovendis hæreticis.*

2. Huic ſuperbiæ Joannis haud parum adulatur Juſtinianus. (d. l. 8.) *Nam ſanctitatem Joannis honorans, eum certiorem facit de omnibus quæ ad ſtatum eccleſiæ pertinent, propterea quòd omnes ſacerdotes univerſi Orientalis tractûs ſubjecti huic eſſe debeant, ipſe verò ſit caput omnium ſanctorum eccleſiarum, & ab hoc easdem unitatem ſuam habere. Facit tamen hujus fratrem epiſcopum Conſtantinopolitanum, ſed ita, ut & hic ſequatur in omnibus apoſtolicam ſedem. Hæc omnia adulatoriè facta teſtatur hiſtoria de rebus geſtis Juſtiniani. Ratio enim ſtatûs in Imperatore Italiam recuperaturo exigebat, ut benevolum ſibi haberet Romanum Epiſcopum; Cujus favorem aliâ ratione captare non poterat, quàm ſeſe ad mores ipſius accommodando, & primatum, quem tam anxiè deſiderabat, deferendo. Cujus gratiâ etiam ſingularem edidit Conſtitutionem (*Nov. 131. cap. 2.*) cujus verba hæc ſunt:* Ideoque ſancimus ſecundùm earum (*ſacrarum ſcripturarum*) definitiones, ſanctiſſimum ſenioris Romæ papam primum eſſe omnium ſacerdotum: beatiſſimum autem archiepiſcopum Conſtantinopoleos novæ ſecundum habere locum poſt ſanctam apoſtolicam ſenioris Romæ ſedem; aliis autem omnibus ſedibus præponatur. *Hæc ita ſtatuit Juſtinianus, ut Joannis gratiam, quâ indigebat in obtinendâ Italiâ, captaret. Alia autem mens fuiſſe videtur*

Hono-

Honorii & Theodoſii, *qui* (l. omni. 6. C. de S.S. Eccleſiis) *tradunt; ſi quid dubietatis circa canones eccleſiaſticos emerſerit, id oportere* (non abſque ſcientiâ viri reverendisſimi ſacroſanctæ legis antiſtitis eccleſiæ urbis Conſtantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativâ lætatur) *conventui ſacerdotali ſanctoq; Judicio reſervari. Quod ſi tempore Conſtantini M. tam celebris fuiſſet Romæ cathedra Petri, profectò ſine causâ proſiluiſſet hic Imperator ad novam urbem condendam Româ ſanctiorem & cultu Idolorum non commaculatam.*

ARTIC. II.
DE
EPISCOPIS, HORUMQVE OFFICIO, PRIVILEGIIS, DIGNITATE, POTESTATE ET ELECTIONE.

1. Quemadmodum in magiſtratibus, ita quoque in Epiſcopis cura habenda eſt, ut ſciamus, quomodo & ex quorum numero eligendi, quale ſit horum officium, quæ poteſtas, quæ dignitas, qualia privilegia. *Nam ex hiſce dijudicari poteſt, qualis ratione Epiſcoporum fuerit in Imperio Romano ſtatus.*

2. Ad modum eligendi pertinet 1. quod præcipiunt Leo & Anthemius Impp. (*l. ſi quenquam* 31. *C. de Epiſc. & Cler.*) nim. ut, ſi contigerit quenquam ad Epiſcopatûs gradum provehi, auctore Deo; puris hominum mentibus nudâ electionis conſcientiâ ſincero omnium judicio proferatur. *Nam cum Epiſcopi nomen ipſum arguat, eos qui huic officio præficiuntur, eſſe quaſi ſpeculatores morum & religionis; decet eligi maximè idoneos. Id quod fieri nequit, niſi electores liberi ſint ab omnibus affectibus & ſolam eccleſiæ ſalutem ob oculos poſitam habeant.* 2. ut nemo gradum ſacerdotii precii venalitate mereatur. (Nov. 6. c. 1. §. 9.) *Nam in electione perſonarum ad tam ardua officia non quantum dare ſufficit, ſed quantum quisq; meretur æſtimandum eſt.* (d. l. ſi quenquam) *Profectò enim, ajunt Imperatores* (cit. l.) *quis locus tutus & quæ cauſa eſſe poterit excuſata, ſi veneranda Dei templa pecuniis expugnentur: quem murum integritatis aut quod vallum fidei providebimus, ſi auri ſacra fames in penetralia veneranda proſerpat? quid deniq; cautum eſſe poterit aut ſecurum, ſi ſanctitas incorrupta corrumpatur? ceſſet altaribus imminere profanus ardor avaritiæ, & à ſacris aditis repellatur piaculare flagitium. Addita itaq; pœna eſt & danti & accipienti precium.* (d. l.) *vid. de modo eligendi Nov. 123. c. 1. pr. & Nov. 137. c. 2.*

3. Quinam & quales eligi debeant quoq; præcipere non omittunt Imperatores. Et primò quidem temperantes jubentur eligi, præ-

ſertim

ſertim circa rem veneream. *Id enim videntur velle Imperatores* (d. l. 31.) *quando jubent caſtum eligi.* 2. Modeſti. *Nam* (d. l. 31.) *Imperatores humilem eſſe volunt epiſcopum, & adeò ab omni ambitione alienum, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat; ſolaq́ illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi.* 3. Orthodoxi, *qui Synodi Nicenæ fidem tenent.* (argt. l. 2. C. de ſumm. Trin.) 4. Contemptores pecuniæ. (l. omnem 42. C. de Epiſc. & Cler.) *Hoc dubitatum an & curiales poſſent creari Epiſcopi; quia nemo & eſſe Epiſcopus & curialia munera perficere poteſt; at & hos creari poſſe Epiſcopos obtinuit; modò per ſubſtitutos, periculo ſuarum facultatum, curiæ muneribus ſatisfaciant.* (l. 21. C. de Ep. & cler.) *Nov. autem 6. c. 1. §. 1. jubet curialem in monaſterio conſtitutum fortanâ liberari: quartâ prius ſubſtantiæ curiæ redditâ. add. & Nov. 123. c. 1. pr. it. Nov. 137. c. 2.* Requirit porrò Juſtinianus (*l. Sancimus* 48. *C. eod.*) ut qui eligendus eſt Epiſcopus nec mulieri cohabitet nec liberorum exiſtat pater; ſed loco uxoris adhæreat quidem & continens ſit circa ſanctiſſimam eccleſiam; loco verò liberorum omnem Chriſtianum & Orthodoxum habeat populum. *Sed* (Nov. 6. cap. 1. §. 3. it. Nov. 137. c. 2.) *jubetur admitti & is qui habuit uxorem ex virginitate ad ipſum venientem, & non viduam, neq́ ſejunctam à viro neq́ concubinam.* Jubetur quoque ordinandus Epiſcopus ſumi non ex laicis & ineruditis, aut ſi laicus ſit, non repentè epiſcopus ordinari, ſed primò clericis non minus tribus menſibus connumerari, & ita ſanctas regulas & cotidianum Eccleſiæ miniſterium, edoctus Epiſcopus creari. *Ratio adjicitur* (Nov. 123. c. 1.) *quòd qui alios debet docere poſt ordinationem ab aliis doceri non debeat.* Tandem nec ab Epiſcopali munere detruſus eſſe debet ordinandus: *jubetur enim epiſcopus ſacerdotio pulſus, ſi præſumpſerit ingredi civitatem, unde pulſus eſt, monaſterio in alio loco conſtituto tradi, ut quæ in ſacerdotio deliquit in monaſterio corrigat.* (Auth. ſi quis epiſcopus. C. de epiſc. & cler.)

4. Quod attinet dignitatem Epiſcopalem & cum hâc conjuncta privilegia, hæc data eidem deprehendimus, nimirum 1. quòd ſolvat Jus patriæ poteſtatis. *Voluit enim hoc ipſo Juſtinianus dignitatem Epiſcopalem æquiparare Conſulari & præfecturæ pretorii, urbicariæve* (Auth. ſed epiſcopalis. C. de Epiſc. & Cler.) 2. quòd nec honore nec legibus ad teſtimonium dicendum flagitari aut admitti poſſint. *Ratio redditur* (l. nec honore 7. C. de Epiſc. & cler.) *quòd & perſona oneretur & dignitas ſacerdotis exempta confundatur. Quòd ſi tamen ſine horum teſtimonio lis expediri nequit, mittere ad eos Judex quoſdam de ſuis miniſtris debet, ut propoſitis ſanctis evangeliis, ſecundum quod decet ſacerdotes, dicant ea quæ noverint, non tamen jurent.* (Auth. ſed Judex. C. eod.) 3. quòd

quòd non inviti ad ſecularem vel militarem Judicem trahi poſſint, niſi jubente principe. (*Auth. Nullus epiſcopus. C. eod.*) Quòdq; calumnioſè hos accuſans ſuper crimine 30. pondo auri pœnæ nomine ſolvere teneatur. [*l. 22. pr. C. eod.*]

5. Officia Epiſcoporum conſiſtunt partim in faciendo partim in omittendo: in faciendo 1. ut provideant, ne negotiatores, qui captivos redimunt & inde lucrum captant, commodum mercandi excedant. (*l. 1. C. de Epiſc. aud.*) 2. ut videant, quò Judices attendant, ne cuſtodes incarceratos inhumanius tractent. (*l. Judices 9. C. eod.*) 3. ut etiam per unam cujusque hebdomadæ diem i. e. feriâ quartâ aut ſextâ eos, qui in cuſtodiâ habentur, viſitent, & diligenter inquirant cauſſam, ob quam detinentur, & admoneant magiſtratus, ut ea exequantur circa ipſos, quæ Imperatoria conſtitutio jubet. (*l. Neminem 22. §. 1. de Epiſc. aud.*) 4. ut operam dent, ne locus aliquis civilis aut publicus juxta muros urbis aut in publicis porticibus aut ubicunq; id fuerit, indebitè poſſideatur. (*l. de his. 26. §. ſed & oportet. 4. C. de Epiſc. aud.*) 5. ut attendant, ne expoſitus in ſervitutem redigatur, ſed libertatem retineat. (*l. nemini liceat. 24. C. eod.*) In omittendo conſiſtentia officia hæc fermè epiſcopis injunguntur. 1. ut abſtineant à mulieribus, nec ullam ſecum habeant. *Jubetur enim dejici de Epiſcopatu qui habere aliquam ſecum probatur.* [Auth. Epiſcopo. C. de Epiſc. & Cler.] 2. ut ſint alieni ab omni avaritiâ, nec captent lucrum ex electione ſacerdotum. (*l ſi quenquam 31. verb. profectò enim C. eod.*) *Jubentur enim deponi ab officio velut rei criminis læſæ Majeſtatis qui id committunt.*

6. Data quoque Epiſcopis eſt poteſtas. 1. exequendi teſtamenta, in quibus quid legatum eſt in redemptionem captivorum, ſi nullus conſtitutus ſit executor, aut ſi conſtitutus negligens fuerit. (*l. Nulli 28. junct. auth. Licet teſtator. C. eod.*) 2. ut fungi poſſint munere arbitrorum in cauſſis civilibus. (*l. epiſcopale. 8. C. de Epiſc. aud.*) *Daturq; ab horum ſententiâ nulla appellatio niſi certo modo* [*Auth. ſi quis litigantium. C. eod.*] 3. ut coram hiſce poſſit fieri manumiſſio à minoribus 25. annis (*l. 1. C. de his qui in Eccl. manumitt.*) & manumiſſi conſequantur Jus civitatis Romanæ. (*l. 2. C. eod.*) 4. ut poſſint liberare à patriâ & dominicâ poteſtate mulieres, quibus à patribus dominisve lenonibus impoſita eſt peccandi neceſſitas. (*l. ſi lenones. 12. C. de Epiſc. aud.*) 5. ut præeſſe poſſint æſtimationi dotis in furioſorum liberis matrimonium ineuntibus. (*l. Tam dementis 28. C. de Epiſc. aud.*) 6. ut apud hos interponi poſſit querela non numeratæ pecuniæ. (*l. ſi præſens 21. C. eod.*) &c.

ARTIC. III.
DE
CLERICIS.

1. Clerici miniſtri veræ orthodoxæ fidei vocantur (*l. quisquis. 27. C. de Epiſc. & cler.*) *quia ſcil. divinis officiis in eccleſiâ inſerviunt.* horumque ſpecies videntur enarrari (*l. presbyteros. 6. C. eod.*) ſcil. quòd alii ſint presbyteri, alii diaconi, ſubdiaconi, alii exorciſtæ, lectores alii, alii oſtiarii & acolythi. *Circa quos itidem conſiderare poſſumus electionem, privilegia, officia.*

2. Circa electionem attendendum 1. ex quorum numero ſint eligendi: notandumque quòd certæ ætates obſervandæ ſingulis ordinibus præſtitutæ ſint; nim. ne presbyter ordinari poſſit minor 35. annis, diaconus 25. ann. lector 18. (*auth. presbyterum. C. eod. Nov. 123. c. 13.*) Diaconiſſa ne ſit minor 50. annis, vel 40. nec ad ſecundas nuptias pervenerit (*l. nulla 9. junct. auth. Diaconiſſam. C. eod.*) It. quòd clerici non ſint eligendi ex numero curialium vel officialium, niſi curiales monaſticam elegerint vitam, & in monaſterio quindecim annis ſteterint, ibiq; ſe rectè geſſerint: tunc enim curiâ liberati ad clericatum imò & Epiſcopatum promoveri poſſunt. (*l. 4. l. 12. Auth. ſed neq;. C. eod. Nov. 123. c. 15.*) niſi etiam officiales à rationibus liberati ſint cognitione Judicum. It. nec ex numero ſervorum, niſi conſenſu dominorum, quo ipſo libertatem conſeqvuntur. (*Auth. ſi ſervus, quæ corrigit l. 37. §. 1. C. eod.*) It. nec ex numero glebæ adſcriptorum, niſi dominus conſenſerit, ſurrogato qui opera ruralia præſtet. (*l. 16. C. eod.*) *Quod tamen* (auth. adſcriptitios C. eod.) *retractatur, adeò ut & hi poſſint invitis dominis ad clericatum admitti, modò agriculturæ per ſubſtitutos ſatisfaciant.* Cæterùm omnes, qui emenſis militiæ ſtipendiis & expletis officiis ſeu muneribus, ſi volunt Dei templis miniſteria præbere, & quietè poſt longi temporis laſſitudinem vivere, admitti jubentur. (l. quisquis. 27. C. eod.) *Imò rectius Imperator Leo feciſſet, neminem niſi ſenio gravatum admittens, ne homines maturè ad otium pervenientes intemperantes reddantur aliisq; vitiis operam dare diſcant* (*otia enim dant vitia*) nec prohibentur fieri clerici qui filiifam. ſunt, ſed admittuntur, integro retento Jure ſuccedendi. (*l. Deo nobis auxilium præbente. 56. C. eod.*) 2. Perpendendum quoque circa electionem, quousq; in augendo clericorum numero procedi debeat. *Nam numerus clericorum non ulterius extendendus eſt, quàm quoad reditus & facultates eccleſiarum id patiuntur. Hinc non plures quàm nongentos quinquaginta decanos Conſtantinopoli deputari jubent Honorius & Theodoſius.* (l. 4. C. de S.S. eccleſiis.) *Juſtinianus* (Nov. 3. c. 1. §. 1.) *Conſtantinopoli*

non

non ultra 60. presbyteros in ſanctiſſimâ majore eccleſiâ eſſe, diaconos autem maſculos centum, & quadraginta fœminas; ſubdiaconos verò nonaginta; lectores autem centum & decem, cantores viginti quinq; voluit: ita ut clericorum majoris eccleſiæ numerus in quadringentis viginti quinque conſiſteret.

2. Privilegia clericorum varia ſunt 1. quòd non poſſint extraordinariis muneribus gravari, adeoque immunes exiſtant à muneribus perſonalibus & ſordidis *(l. 2. & 6. C. de Epiſc. & cler.)* Quin & monachi, licet non ſint clerici immunes à perſonalibus muneribus, tutelâ ſcil. & curâ pronunciantur. [*l. generaliter 52. C. eod.*] *Exceptio eſt in presbyteris, diaconis, ſubdiaconis, qui Jure cognationis ad tutelam vocati permittuntur eſſe tutores; id quod Epiſcopis & monachis denegatum eſt.* (auth. presbyteros. C. eod.) *Hominibus quoq; clericorum, qui operam in mercimoniis habent, data ſunt privilegia, ut vacent extraordinariis muneribus* (d. l. 2. *§. 1.* & 2.) *prohibentur quoq; clerici, horum conjuges, liberiq; vocari ad parangarias, quemadmodum & horum facultates & ſubſtantiæ* (d. l. 2. § 3. & 4.) *additâ pœnâ his qui id tentare auſi fuerint.* (Auth. item nulla C. de epiſc. & cler.) 2. ut ſint ſancti & inviolabiles, jubetur injuria perſonis Eccleſiaſticis in munere ſuo verſantibus, locisque ſacris illata tanquam crimen publicum capitali pœnâ vindicari. [*l. ſi quis 10. C. eod.*] 3. Clericorum & monachorum quoq; hoc privilegium eſt, ne in cauſſis civilibus ex ullius majoris vel minoris Judicis ſententiâ commonitoriâ ad extranea Judicia pertrahantur, aut provinciam aut locum aut regionem, quam habitant, exire cogantur; ſed apud ſuos Judices ordinarios i. e. provinciarum rectores actiones excipiant. *(l. 33. pr. C. eod.)* vel, ſi Conſtantinopoli ſint, apud Patriarcham vel præfectum prætorio. *(l. 25. C. eod.)* Authentica autem *(Clericus quoq;)* præcipit, ut ſi cauſſa ſit pecuniaria clerici prius apud epiſcopum conveniantur; niſi natura cauſſæ vel alia ratio faciat, ut negotium apud eum decidi non poſſit. In civili crimine civilis Judex, in eccleſiaſtico epiſcopus jubetur judicare. *(Nov. 83. c. 1.)* Clericus porrò Conſtantinopolitanus litem ſubiens fidejuſſorem dabat œconomum, aut defenſorem Eccleſiæ usque ad 50. libras auri; at œconomus conventus non cavebat: *(d. l. 25. C eod.)* ſed defenſoris Eccleſiæ fidei committebatur. *(l. 33 § 4.)* 4. Lites Clericorum & monachorum jubentur ſummariè & ſine ſcripto expediri. *(cit. Nov. 83. cap. 1.)* *Ratio redditur* (Nov. 79. cap. 2. fin.) *ne mens eorum occupetur circa litis ſollicitudinem, quò ſacris obſecundare poſſint.* 5. Clerici filiiſam. de acquiſitis occaſione clericali tanquam quaſi caſtrenſibus contrahere & teſtari poſſunt. *(l. ſacroſanctæ. 34. C. eod.)* adeò ut eorum teſtamenta non ſubjaceant

locorum, ubi ſenes ſuſtentantur. Hi quaſi tutores & curatores adminiſtrationem gerunt, & velut patres ſunt miſerorum (l. Orphanotrophos. 31. C. eod.) *De horum officiis in genere vid. l. 14. C. de S.S. eccleſ.*

5. Virgines quoque moniales ſanctæ jubentur eſſe. *Nam non modò qui rapit, ſed etiam attentat tantùm easdem jungendi matrimonii cauſsâ, capitali pœnâ feritur.* (l. 5. C. eod.) *Raptores autem & qui his auxilium ferunt, à quovis occidi in flagranti crimine poſſunt.* (l. Raptores virginum. 54. C. eod.) *Prohibentur quoq; mimæ harum veſtes imitari.* (l. 5. C. de Epiſc. aud.) Habent quoque eædem privilegia cum monachis communia; *ne ſcilicet ad alium Judicem civilem trahantur, ſed apud epiſcopum conveniantur* (Auth. Cauſſa quæ fit. C. de epiſc. & cler.) *& dijudicentur ſecundùm leges & ſacras regulas.*

ARTIC. IV.
DE ECCLESIIS.

1. Eccleſiæ vox videtur æquivoca. *Modò enim denotat cœtum omnium credentium, modò locum in quo res divinæ peraguntur, modò pro collegio clericorum certo aliquo in loco Deo miniſtrantium accipitur.* Hîc ſumemus, quatenus vel templum vel collegium clericorum denotat; eritque adeò eccleſiæ ſimilitudo quædam cum civitate: *quemadmodum enim civitas modò denotat urbem, modò ſocietatem hominum in eâdem viventium: ita & eccleſia modò ſumitur pro ædificiis Deo conſecratis, modò pro collegio clericorum ſacra adminiſtrantium.*

2. Eccleſiarum in civitatibus, oppidis & pagis privilegia & indulta ſtrictè conſervanda præcipit & promittit l. Decernimus. 16. C. de S.S. eccleſiis. Statutæ etiam ſunt pœnæ, quibus deterrentur homines à violatione harum. *Nam ſi eccleſiæ cujusquam privilegia fuerint vel temeritate violata vel diſſimulatione neglecta, commiſſum hoc quinq; librarum auri condemnatione plectitur.* (l. ſi venerabilis. 13. C. de Epiſc. & cler.)

3. Cumprimis autem bona eccleſiarum privilegiis gaudent. & quidem 1. non poſſunt redire in antiqvum ſtatum & ſecularem uſum. (*Auth. multò magis C. de S.S. eccleſ.*) 2. prohibentur ſordidorum munerum fece, extraordinariorum etiam ſuperindictorumque exactione vexari ſub pœnâ. (*l. 5. C. eod.*) à cæteris verò muneribus, quæ inter ſordida non reputantur, velut pontium refectione, præſtatione navium ad transferendos milites, angariis item & parangariis, vel plauſtris, vel quolibet munere, quando ad Imperatoris expeditionem ſolita miniſteria exhibentur, immunitatem non habent. (*l. 7. l. 10. l. 11. C. eod.*)

eod.) *Quapropter* (Auth. ſicut C.eod.) *prohibentur eccleſiæ dari res ſteriles & oneroſæ.* 3. Nec alienari posſunt. *Omnibus namq; Archiepiſcopis & Oeconomis prohibitum eſt bona Eccleſiæ immobilia & his adhærentia alienare* (l.14.C.eod.) *etiamſi omnes clerici conſentiant. Ut enim, inquiunt Imperatores, eccleſia religionis & fidei mater perpetua eſt: ita quoq; patrimonium ejus jugiter ſervari illæſum debet.* (d.l.14.pr.) *Quin ſi alienata ſint, non habentur pro alienatis & poſſunt ab eccleſiâ vel ejus Oeconomo vendicari; nec qui eas emit precium repetere poteſt:* (d.l.14.§.1.) *is verò qui lucrativo titulo eadem adeptus eſt jubetur illa reddere cum omni cauſſâ & præterea tantundem.* (Auth. Qui res. C. eod.) *Caſu tamen neceſſitatis, modò non provenerint ab Imperatore, pignorari & alienari poſſunt; obſervato modo præſcripto* (Auth. Hoc Jus C.eod.) *Mobilia in redemptionem captivorum & ut fami hominum ſuccurratur, item ſi eccleſia debitrix ſit alienari poſſunt.* (l.17. C. eodem.) *item ob onera fiſcalia etiam immobilia, ſi juramentum præſtetur, quòd aliâ de cauſſâ non alienentur* [Auth. Item prædium. C. eod.] *Permutari & poſſunt bona eccleſiæ principi, it. inter ipſas eccleſias* (Auth. ſed & Auth. item ſibi. C. eod.) *Quamvis verò alienationis quodammodo ſpecies ſit in emphyteuſin datio; poſſunt tamen bona eccleſiæ certo modo in emphyteuſin dari,* (Auth. ſi quas. & Auth. perpetua C. eod.) 4. Bona emphyteutica eccleſiarum habent hoc privilegium, ut ſi canon bonorum emphyteuticorum per biennium non ſolvatur vel res deteriores efficiantur, repelli posſit emphyteuta ab emphyteutico Jure, ita tamen, ut nihilominus canonem totius temporis cogatur ſolvere & præterea deterioratum reſarcire non repetitis impenſis meliorationis. (*Auth. Qui rem. C. eod*) 5. Quas actiones aliàs decennalis, aliàs vicennalis, aliàs tricennalis præſcriptio excludit; hæ, ſi loco religioſo competant quadraginta annis excluduntur, ſolâ Romanâ eccleſiâ gaudente centum annorum ſpacio. *Auth. Quas actiones. C. eod.*)

4. Habent & templa cæteraque venerabilia loca, qualia ſunt Orphanotrophia, aſceteria, ptochotrophia, Xenodochia, Monaſteria. [*l. omnia 35. C. de Epiſc. & cler.*] ſua privilegia. 1. ut in hæc confugientes extrahi nequeant. (*l. 2. & l. præſenti. 6. C. de his qui ad eccleſ. confug.*) *unà tamen abuſus prohibetur* (*l. 1. & l. ſi ſervus. 4. C. eod.*) 2. Jubentur omnes in hiſce abſtinere à ſeditionibus, conclamationibus, tumultu, impetu, conventiculis ſub pœnâ ultimi ſupplicii. (*l. Decernimus. 5. C. eod.*)

5. Comparantur porrò eccleſiæ miſerabilibus perſonis & civitatibus quæ indigent ſuis defenſoribus (*l. 17. C. de S. S. eccl.*) & proinde etiam ſuos defenſores habent.

Con-

Concluſio Capitis Quinti

Continens Judicium circa partem eam Juris publici Juſtinianæi quæ tractat de cultu divino & miniſtris Eccleſiæ.

1. Ex dictis colligimus haud paucos defectus Juris publici Juſtinianæi, quod de cultu divino & miniſtris verbi tractat. *Nam nihil videtur introductum legibus de vero fine obtinendo, nimirum amicitiâ cum Deo & proximo. Hunc autem propoſitum debere eſſe ei, qui Orbis Chriſtiani caput eſſe vult* (cap. 3.) *oſtendimus. Sed inhæſit Juſtinianus iis, ob quæ diximus Romanum Imperium, poſtquam ad Chriſtianos pervênit, periiſſe. Quid enim aliud egit, quàm ut in hæreticos ſæviretur & prohiberetur varietas opinionum, quaſi Chriſtianiſmus totus ſciendo abſolveretur, & tunc cum Deo arctiſſima coleretur amicitia, ſi ſcirentur, quæ & diaboli cognita habent? Circa clericos autem quid aliud egit, quàm quod vulgus ſolet, nimirùm, ut adularetur iisdem & cumprimis Joanni epiſcopo Romano, ſuperbiam avaritiamq; ejusdem fovendo? Nimirùm vulgus exiſtimat, ſe Deo cariſſimos evaſuros, ſi adulentur miniſtris ejus, tanquam favorem ejus conciliare valentibus; quamcunq; tandem vivant vitam.*

CAP. VI.

DE RE MILITARI.

1. *Cùm Romani Imperii, quale fuit tempore Chriſtianorum Imperatorum, duplicem finem* (cap. 3.) *demonſtraverimus, nimirum, ut omnes exercerent caritatem erga Deum & proximum, & ut defenderentur Chriſtiani erga barbaros & paganos, & quid pro illo fine obtinendo Juſtinianus præſtiterit hactenus dictum ſit: ſequitur, ut quid pro defendendis Chriſtianis circa rem militarem obſervatum fuerit tradamus.*

2. Militia vel armata eſt vel togata ſeu inermis. Armatam militiam exercent qui arma tractant & cum hoſtibus congrediuntur; inermem tractare dicuntur qui in regendâ Republ. concurrunt, prudentiâ, ſapientiâq; ſuâ. *Omnes namq; prudentes & ſapientes tendunt quoq; ad hoc, ut Respubl. in quiete ſit & ſine turbis: quod idem & finis eſt militiæ armatæ.*

3. Dicturi ergò ſumus de officiis, privilegiis, dignitatibus, gradibus, electione, miſſione militum armatæ militiæ, ubi ſimul exponentur privilegia militum militiæ inermis. *Nam privilegia militum armatorum pleraq; etiam militibus inermibus conceſſa ſunt.* Quibus ſubjiciemus reliqua ad rem militarem pertinentia.

MEMBR.

MEMBR. I.
DE
ELECTIONE MILITUM.

1. Circa electionem militum duo conſideranda ſunt. 1. Quinam habeant poteſtatem eligendi. 2. Ex quorum numero eligendi ſint, ſeu quinam admittantur ad militiam, quinam prohibeantur militare. *Hæc enim circa omnia officia conſideranda veniunt.*

ARTIC. I.
DE
HIS PENES QVOS EST ELECTIO MILITUM.

1. Imperatores Severus & Antoninus jubent eos, qui militiæ nomen dare volunt, ſeſe offerre iis, qui probandi jus habent (*l.1. C. qui militare poſſunt.*) *Videtur autem Jus probandi milites fuiſſe penes magiſtrum militum & belli duces.* (l.17. C. de Re milit.)

2. Probandi milites poteſtas autem à Zenone ducibus adimitur (*l. neminem 17. C. de Re milit.*) *Prohibet enim hic Imperator, quenquam in ullo numero equitum vel peditum, vel in quolibet limite ſine ſuâ ſacrâ probatoriâ impoſterum ſociari; conſuetudine, quæ hactenus tenuerat, ut ſcil. magiſteria poteſtas & duces probatorias militum facere & militibus adjungere poſſent, antiquatâ. Magiſtrum verò militum & duces, ſi ſupplendi numeri venient, jubet declarare qui & quanti & in quo numero vel limite debeant ſurrogari; quò ita Imperatoriâ ſubnotatione ſubnixi militiam ſortiantur,*

ARTIC. II.
DE
HIS QVI ADSCISCI IN MILITIAM POSSUNT.

1. Prohibentur recipi in numerum militum vel qui per ſe minus idonei eſſe cenſentur vel qui per accidens: per ſe inhabiles ſunt alii ratione generis vitæ, alii ob ſtatum, alii ob delictum aliquod, alii ob vitium corporis.

2. Ratione generis vitæ ordinis, in quo ſunt; Jure Juſtinianæo inhabiles habentur 1. Negotiatores, (*l. un. C. Negotiatores ne militent*) qui ſcilicet advehendis mercibus occupati & ergaſterio, tabernæ, officinæ mercimoniis deputatæ præſunt. *Definiuntur namq; negotiatores (l. legatis, 65. pr. ff. de Leg. III) qui præpoſiti ſunt negotii exercendi cauſſâ. Ratio autem, quare militare prohibeantur, redditur* (d. l. unic.

unic.) *quòd ſint utiles omnibus contractibus, ac proinde ab armatâ militiâ abſtinendi, libertate aliam quamcunq; militiam parandi ipſis relictâ. Excipiuntur negotiatores, qui ad armorum exſtructionem ſuam profeſſionem contulerunt; item argenti diſtractores, qui ad armatam militiam admittuntur, modò negotiationem ſuam deponant.* 2. Filii decurionum vel ii qui in fraudem civilium munerum id faciunt. (l. 2. C. Qui militare poſſ.) *Neq; enim ad militiam admittendi ſunt, qui ſine læſione Reipubl. militare nequeunt. Militis namq; eſt, ſuum officium dirigere in ſalutem Reipubl. non ut huic vel alii cuicunq; hoc ipſo noceat: quamob cauſam qui litis gratiâ militiam appetiverunt poſtulantibus adverſariis ſacramento ſolvuntur.* (l. 1. §. 1. C. Qui militare poſſ.) *modò id fecerint propterea, ut ſub obtentu militiæ ſe precioſiores adverſariis redderent* (l. 4. § 8. ff. de Re milit.) 3. Coloni & ſaltuenſes. *Quamvis enim ruſtici laboribus & moleſtiis perferendis adſueti quàm maximè idonei videantur; unde Catonis illud* (de Re ruſtic.) *ex agris viros fortiſſimos & milites generoſiſſimos gigni; jubent tamen Arcadius & Honor. magiſtrum militiæ curâ pervigili obſervare, ne coloni vel ſaltuenſes aut ultrò ſe offerentes ad militiam ſuſcipiantur armatam, aut cogantur inviti.* (l. 3. C. Qui militare poſſ.) *Fortaſſe horum tempore id ſuaſit neceſſitas, ut eſſent ſcil. qui agros colerent.*

3. Ratione ſtatûs prohibentur militare ſervi. (l. 6. C. Qui milit. poſſ. l. 11. ff. de Re milit.) *non propterea quaſi ſint inepti ad militiam, ſed ne dominis fiat injuria.* (l. 2. C. de tyron.) *Nam ſi ſcientibus dominis ſervi militent fiunt ingenui & domini amittunt Jus patronatûs; modò deprehendantur quoad reliqua habiles* (cit. l. 6.) *Hæc quoq; cauſſa eſt, quare qui ſtatûs controverſiam patiuntur, & ingenui bonâ fide ſervientes, it. qui redempti ab hoſtibus ſe nondum luerunt, militare nequeant.* (l. 8. ff. de Re milit.) *ne ſcil. actione, jure, poſſeſſione priventur ii quibus hæc competunt.*

4. Ratione delictorum commiſſorum militare non poſſunt Rei capitalis criminis (*l. 4. §. 1. 2. 5. & 7. ff. de Re mil.*) it. relegati ad tempus antequam illud finitum ſit: *puniuntur enim deportatione, ſi ſe legi patiantur.* [d. l. 4. §. 3.] *It.* ignominiâ miſſi, licet à Judice abſoluti ſint. (*d. l. 4. §. 6.*) it. qui tantùm rei criminis poſtulati ſunt, licet nondum ſint damnati. (*l. 16. pr. ff. eod.*) Tyrones quoque vagi. (*l. 1. C. de tyron.*)

5. Ob vitium corporis arcentur à militiâ qui membris ita debilitati ſunt, ut inhabiles ſint ad militiam gerendam. (*argt. l. 4. §. 12. ff. eod.*) Videntur quoq; à militia removeri Eunuchi. *Sunt enim hi fœminis, quàm viris ſimiliores. Idq; colligitur ex d. l. 4. pr. ubi traditur eos, qui*

 cum

cum uno teſticulo nati ſunt eumve amiſerunt, jure militare poſſe: ne quod adverſâ fortunâ contigit ipſis noceat.

6. Per accidens non idoneos voco, qui cùm per ſe idonei ſint, ex accidenti & quod munus ritè gerere nequeant non admittuntur, quales ſunt qui jam aliquam militiam habent. *Nam niſi hi parati ſint eam quam habent, ſive civilis ſive armata ſit, deſerere, ad alteram non admittuntur.* (l. 5. C. Qui militare poſſ.)

7. In his, quæ circa electionem militum Jure civili traduntur, deſideramus hæc 1. quòd à militiâ remoti ſint qui labores moleſtiasq; præ cæteris ferre poſſunt, ruſtici nimirum. *Nam docet Vegetius, ex officinis fabrorum, agris, ex lanienis milites legendos. Et florebat Reſpublica Romana eo tempore quo Dictatores ab aratro petebantur.* 2. quòd nihil determinatum ſit ratione peregrinorum. *Nam multum intereſt, quosnam ex peregrinis recipias: non enim quævis natio æquè apta eſt ad quævis bella ſuſcipienda: quandoq; conducit etiam nullos planè exteros admitti.* 3. Quòd civibus Romanis & Conſtantinopolitanis ſuæ ignaviæ relictis ſolis mercenariis uſi ſint & Chriſtiani Imperatores, quibus tamen univerſus Orbis Romanus peſſundatus eſt.

MEMBR. II.
DE MILITUM OFFICIIS, DUCUMQVE POTESTATE.

1. Officia militum alia ſunt parentium alia imperantium propria alia communia. Communia potiſſimum in omittendo conſiſtunt. 1. Ne emant prædia ruſtica. *Ratio eſt, ne per agriculturam avocentur à militiâ: & quemadmodum agricolæ non admittuntur ad militiam; ita dedecet milites colere agros. Hinc non prohibentur prædia urbana emere vel etiam ruſtica, modò ſita ſint in aliâ provinciâ, quàm in quâ militant, horum namq; culturam aliis coguntur committere.* (l. milites. 13. ff. de re militari.) *Injuſtum quoq; eſt, eos, qui à Republ. armantur & aluntur, aliis quàm publicis utilitatibus occupari.* (l. milites 15. C. eod.) *Hereditaria tamen prædia propterea ipſis non adimuntur* (l. 9. pr. ff. eod.) 2. ut omninò à civilibus curis abſtineant. (l. milites. 31. C. de Locato.) *qui enim ad has applicant animum militiâ ſtatim & privilegiis omnibus militaribus nudantur.* (l. 16. C. eod.) 3. Ne familias ſuas ſecum habeant, niſi Juſſu principis. (*l. 10. C. eod.*) 4. Ne evagentur per poſſeſſiones, ſed cum ſignis propriis in manſionibus ſolitis & publicis maneant. (*l. 11. C.*)

2. Parentium proprium officium eſt, ut ducum juſſionibus obe-

obœdiant. [l.18.pr.C.eod.] *Diviſa, inquit Antonius apud Tacitum*(3.Hiſt.20.) *inter exercitum ducesq́ ſunt munia: militibus cupido pugnandi competit; duces providendo conſultando proſunt.* Et *Otho apud eundem* (1. Hiſt.84.) *Parendo potius quàm imperia ducum ſciſcitando res militares continentur.*

3. Circa Imperantes, duces nimirum, præter officia etiam poteſtatem eorundem conſiderandam habemus. Officia ducum conſiſtunt non modò in dandâ, ſed etiam in obſervandâ diſciplinâ. (*l.officium.12.pr.ff.eod.*) Prima autem cura ducum eſſe debet, ut exerceantur milites. *Hinc Macer* [l.12.§.2. ff. eod.] *dicit: officium tribunorum & eorum, qui exercitui præſunt, eſſe ad exercitationem milites producere. milites namq; armorum quotidiano exercitio ad bella præparandi.* (l.15.C. eod.) *Cui accedit, quòd laſciviant percepto otio* [Tacit.1.ann.16. verb. eo princip. & 2.Hiſt.93.] *& ſi non diſcant moleſtias ferre. Id quod prudenter obſervavit Corbulo, teſtante Tacito.* (13.ann.35. & 14.ann.24.) 2. Id agere debent, ut ſinguli milites ſuis in numeris permaneant. *Hinc prohibentur duces à numeris ad alios numeros milites transferre.* (l.14. C.eod.) 3. Querelas commilitonum audire debent. (*d.l.12.§.2 ff.eod.*) 4. Valetudinarios inſpicere (*eod.*) 5. Dare operam, quando accerſunt ad ſe milites, ne quolibet modo curiales ſeu collatores quibusdam afficiantur diſpendiis. (*l.18.§.5.C.eod.*) 6. Quando in caſtris verſantur, debent frequenter principiis intereſſe; militem in caſtris continere. (*d.l.12.§.2.ff.eod.*) nec admittere, ut in flumine, cujus aqua potum præbet caſtris, ſordes equorum hominumque abluantur; claves portarum ſuſcipere, vigilias circumire. (*eod.*) 7. Ratione commeatûs parci eſſe jubentur in concedendo, nec admittere, ut eqvus militaris extra provinciam ducatur, multò minùs militem ad opus privatum piſcatum, venatum mittere (*d.l.12.§.1.*) frumentationibus autem militum intereſſe, frumentum probare, menſorum fraudem coërcere. (*d.l.12.§.2.*) 8. Delicta ſecundùm ſuæ auctoritatis modum caſtigare debent. (*d.l.12.§.2.*)

4. Quod poteſtatem ducum concernit, in ſuo arbitrio habent cauſſas militum cognoſcere vel cognitionem permittere arbitris. (*l.18.§.4.C.eod.*) officia quoque peragenda militibus ſecundùm artem militarem præſcribere poſſunt; non tamen quidvis injungere. *Nam ad alicujus perſonæ cuſtodiam deputari ſine previâ Imperatoris ſcientiâ nullus militum poteſt.* (l.17.C. de erogat. milit. annon.)

MEMBR. III.
DE
PRIVILEGIIS MILITUM.

1. Privilegia competunt militibus tam ratione præmiorum quàm pœnarum. *Nam dantur quædam delicta militum propria, ob quæ hi ſoli puniuntur.*

ARTIC. I.
DE
PRIVILEGIIS QVÆ PRÆMII LOCO HABENT MILITES.

1. Militibus meritò tribuuntur privilegia. *Nam ſummè neceſſarii ſunt, utpote apud quos omne honeſtis conſiliis robur & ſine quibus quamvis egregia invalida ſunt* (Tacit. 1. Hiſt. 38.) *Hinc pater ſubtrahens bello filium tempore belli exilio & bonorum parte mulctatur; tempore pacis, fuſtibus cæditur: qui autem filium debilitat quando delectus habetur, ut inhabilis fiat, deportatur.* (l. 4. §. 12. ff. de Re milit.)

2. Præcipua privilegia ſunt quæ habent in Jure Romano ratione peculii & teſtamenti. *Nam cùm aliàs hoc Jure filiifamiliâs omnia ſuis patribus acquirant; habentur qui militant in bello acquiſitis propatribusfam. adeò ut circa hæc ſtatuere poſſint quod lubet. Cùm etiam teſtamenta ſingulares requirant ſolennitates; data eſt militibus, qui in expeditione ſunt, facultas quovis modo teſtandi, adeò, ut nuda horum voluntas pro teſtamento habeatur.* (l. 1. ff. de teſt. milit.) *De quibus inferius plura dicendi occaſio dabitur.*

3. Horum privilegiorum alterum, nimirum quod circa peculium competit etiam militibus inermibus conceſſum eſt. (*Nam quicquid milites hi filiiſfam. exiſtentes ex ſtudiis ſuis ſibi acquirunt quaſi peculii caſtrenſis nomine habent ad imitationem caſtrenſis peculii.* (l. ult. §. 1. C. de inoff. teſt.) *Gaudent autem hoc quaſi caſtrenſi peculio Conſules, Proconſules, Præſides provinciarum, ac omnes generatim qui in diverſis dignitatibus vel adminiſtrationibus conſtituti à principe conſequuntur quaſdam largitates: item cauſſarum patroni, memoriales & agentes in rebus; magiſtri ſtudiorum qui publica ſalaria percipiunt.* [d. l. ult.]

4. Alterum autem privilegium in conficiendis teſtamentis conſiſtens, ſolis militibus armatis datum eſt, nec tamen & his omnibus, ſed iis tantùm qui in expeditione ſunt. (l. ult. C. de teſtam. milit.) *Nam temporibus, quibus citra expeditionis neceſſitatem & extra caſtra in aliis locis degunt milites, hoc privilegio teſtandi non gaudent, ſed coguntur Jure communi teſtari & paganum teſtamentum facere.* (l. penult. C. eod.)

Ratio

Ratio eſt, quia hoc privilegium militibus datur ob ſimplicitatem, & ignorantiam Juris, quam evitare poſſunt, quando non in expeditione vel caſtris ſunt conſulendo JCtos vel teſtamentarios. Quæ etiam cauſſa eſt, quare milites inermes hoc privilegium ſibi arrogare nequeant: eſſet enim abſurdum, eos, qui prudentiâ ſuâ Reipubl. inſerviunt, allegare aliquam ſimplicitatem. Nam milites armati magis arma quàm Jura ſcire præſumuntur (argt. l.4.§.1.ff. de Jur. & facti ign. l.ult. C. de Jur. delib.)

5. Habent & milites ratione vectigalium privilegium, ne ſcilicet ob omiſſas profeſſiones res eorum in commiſſum cadant (l.3. C. de Vectig.) *licet ab iisdem exempti non ſint.* (l.7.C.eod.)

6. Singulare quoque eſt in militibus, ut quod horum pecuniâ emptum eſt ſtatim ipſorum ſit, vindicariq; à poſſeſſoribus poſſit. (l.8. C. de Rei Vendic.) *Nemo enim aliàs emendo ſibi quid parare poteſt, niſi ipſe per ſe vel per alios contrahat.*

7. Item ex cauſſâ æris alieni milites, qui ſub armatâ militiâ ſtipendia meruerunt, nec in carcerem conjici, nec inſolidum ſemper, ſed quatenus facultates admittunt condemnari poſſunt, ne ſcil. egeant. (l.6.pr. & l.18. ff. de Re Judic. *Intereſt namq; Reipubl. hos non egere qui eidem invigilant, præſertim ſi eo tempore, dum inſervierunt debita contraxerint.*

8. Excuſantur quoque à muneribus cumprimis ſordidis. *Nam qui viginti ſtipendia impleverunt jubentur eſſe liberi ab omnibus ſordidis muneribus.* (l.2. C. de Re milit.) & (l.3.§.1.ff. de muner. & honor.) *prohibetur his, qui caſtris operam per militiam dant, ullum municipale munus injungi.*

9. Gaudent quoque ob ſuam abſentiam, quando, dum in caſtris fuerunt, res eorum uſucaptæ aut à creditoribus venditæ, vel actiones interea amiſſæ ſunt, beneficio reſtitutionis in integrum. *Nam milites qui in caſtris ſunt Reipublicæ cauſſâ abſunt:* (ſecus enim ſe res habet circa eos qui ſunt in commeatu l.1. ff. de Re milit.) *ac proinde omnibus gaudent privilegiis, quibus fruuntur Reipubl. cauſſâ abſentes.* (t.t. C. de Reſtit. milit.)

ARTIC. II.
DE DELICTIS POENISQVE MILITARIBUS.

1. Delicta militaria vel propria ſunt vel communia: proprium militare eſt delictum, quod quis uti miles admittit. (*l.2.pr.ff. de re milit.*) vel quod committitur aliter, quàm diſciplina militaris exigit,

 veluti

veluti ſegnitiæ crimen vel contumaciæ vel deſidiæ. (l.6. pr. ff. eod.) *Sunt enim quædam vitia militum propria.*

2. Pœnas porrò, quæ irrogantur militibus ob delicta militaria, non comitatur infamia: (l.7. C. de Re milit.) *niſi delictum ſit tale, quod ipſos militiâ indignos reddit. Hinc ignominioſa miſſio cum infamiâ conjuncta eſt.* (l.3. C. eod.) *Suntq́, capitale ſupplicium, caſtigatio quæ fuſtibus fit, multa, munerum interdictio, gradûs dejectio, ignominioſa miſſio.* (l.3. §.1. ff. de Re milit.) *In metallum autem vel opus metalli non dantur.* (d.l.3. §.1.)

3. Delicta militaria horumque ſpecies peti poſſunt à vitiis militum propriis, hæc ab eorundem virtutibus. *Nam vitia virtutibus contraria ſunt: contrariorum autem eadem eſt ſcientia.*

4. Hinc omnia delicta militaria proveniunt vel ab infidelitate vel à contumaciâ vel à deſidiâ. *Nam propriæ militum virtutes ſunt. 1. fidelitas erga Rempublicam, præpoſitos & commilitones. 2. ſtudium exequendi mandata & Juſſus ducum. 3. Diligentia in cuſtodiendis armis cæteriſq́, faciendis, quæ bonum militem decent. 4. fortitudo. Quapropter hiſce contraria ſunt vitia: 1. Infidelitas erga Rempubl. præpoſitos, commilitones. 2. Contumacia & Irreverentia erga duces. 3. Deſidia vel negligentia. 4. Ignavia.*

5. Ex infidelitate erga Rempublicam, cui inſervire obligati ſunt, peccant Deſertores, Emanſores, Transfugæ, Proditores, & his ſimiles. Deſertor eſt qui per prolixum tempus vagatus reducitur. (l.3. §.3. ff. de Re milit.) *vel ut loquitur l.1. C. de Deſertor.* qui tempore belli abeſt à ſignis militaribus. *Infidelis enim eſt & ſacramentum violat qui ſigna & militiam deſerit, conſultòq́, abeſt cùm adeſſe debebat.* In crimine autem deſertorum puniendo variæ obſervantur circumſtantiæ. *Nam* (l.5. pr. ff. eod.) *iubetur haberi ratio ordinis, ſtipendiorum, gradûs militiæ vel loci, muneris deſerti, & anteactæ vitæ; item numeri, an ſcil. ſolus vel cum altero vel cum pluribus deſeruerit, aliudve quod crimen deſertioni junxerit. Solet autem deſertor, ſi in urbe inveniatur, capite puniri; alibi repertus primâ vice reſtitui poteſt, iterum deſerendo capite punitur.* (d. l.5. §.2.) *Siq́, in deſertione moriatur, bona ejus confiſcantur.* (l.4. C. eod.) *Mitigatur hæc pœna, ſi deſertio ſit facta in pace: eques enim gradu pellitur, pedes militiam mutat.* (d.l.5. §.1.) *qui ſeipſum offert deportatur* (d.l.5. §.4. l.13. §.6. ff. eod.) *vel alio modo, mitius tamen, punitur* (l.1. C. de Deſertor.) *quemadmodum & ſi plures primò deſeruerint; deinde intra certum tempus reverſi ſint gradu pulſi in diverſa loca diſtribuuntur* (l.3. §.9. ff. de Re milit.) *tyroni quoq́, parcitur* (d.l.3. § 9.) *Qui poſt deſertionem in aliam militiam nomen dederunt militariter puniuntur.*

tur. (l.4.§.9.ff.eod.) *Ratio habetur* [§.10.eod.] *Oblati quoq; à patre in hujus reſpectum mitiori pœna afficiuntur.* (l.13. §.6.ff.eod.) *Jubetur etiam præſes provinciæ auditum deſertorem ad ſuum ducem cum elogio mittere, aut ſi quid gravius in provinciâ admiſerit, eum plectere.* (l.3.pr.ff. eod.) *promittitur quoq; præmium illum prodentibus* (d.l.1.C.de Deſert.) *jubetur & opprimi ut rebellis, ſi armis reſiſtat* (l.2.C.eod.) *Peccatum porrò deſertionis ſubit, qui præſidis vel cujusvis præpoſiti ab excubatione deſiſtit.* (l.3.§.6.ff.de re milit.) *Pater quoq; qui filium ſuum ſubtrahit militiæ, belli tempore exilio & bonorum parte multatur; in pace fuſtibus cæditur: & requiſitus juvenis vel à patre poſtea exhibitus in deteriorem militiam datur. Qui enim ſe ſolicitavit ab alio veniam non meretur* (l.4.§.11.ff.eod.) *Pœna hujus delicti, licet à milite regulariter committatur, excedit tamen militarem pœnam: quia indignus redditur militari privilegio qui infidelis redditus militiam deſerit.* Ne & latitare poſſint deſertores receptatoribus eorundem dictata eſt pœna. *Nam dominus prædii ubi latitant amiſſione ejusdem, actor autem capite punitur.* (l.1.C.de Deſertor.)

6. Emanſor definitur (*l.3.§.2.ff.de re milit.*) qui diu vagatus ad caſtra regreditur. Omnisque is qui ad diem commeatu ſtatutum non redit (*l.3.§.7.ff.eod.*) ſeu qui commeatûs ſpacium excedit emanſoris loco habetur. (*l.14.pr.ff.eod.*) Eſtq; hujus delictum levius quàm deſertoris. (l.4.§.13.ff.eod.) *Nam minus infidelis eſt & magis ex imbecillitate aut laſciviâ, quàm ex vitio peccat qui ultra tempus emanet. Hinc etiam comparatur cum ſervo errone, Deſertor autem cum fugitivo.* (l.4.§.14.ff.eod.) *mitiusq; punitur, quàm is qui ſtationis munus relinquit* (d.l.3.§.5.) In pœnâ autem emanſori irrogandâ examinantur cauſſæ emanſionis: nimirum cur & ubi fuerit & quid egerit, daturque venia valetudini, affectioni parentum, & affinium, ut & tironi ignoranti diſciplinam. (l.4.§.15.eod.) *Augetur pœna ſi quis in exploratione emaneat: Capitalis enim infertur.* (l.3.§.4.eod.) *Qui carcere effracto auffugit nec deſertor nec emanſor propriè eſt, capite tamen punitur.* (l.13.§.5.ff.eod.)

7. Transfugæ ſunt qui partes deſerunt & hoſtis partes ſequuntur. *Quæ cauſa eſt, quare hoc ipſo deſinant pro militibus haberi & pro militibus habeantur, capite puniantur.* (l.3.§.11.ff.de re milit.) *& exauctorati torqueantur.* (l.7.ff.eod.) *Præſumuntur autem transfugæ, qui capti ab hoſtibus cum redire poſſint non redeunt.* (l.5.§.5.ff.eod.) *Remittitur pœna iis qui ex improviſo, dum iter faciunt, capiuntur ab hoſtibus, habitâ tamen ratione præcedentis vitæ* (d.l.3.§.12.) *item iis, qui multos latrones apprehendunt & transfugas demonſtrant.* (l.5.§.ult.ff.eod.)

8. Proditores vocantur qui explorant ſecreta eaque nunciant hoſti

hoſti. (*l.6.§.4.*) Similes hi habentur transfugis & capite puniuntur. (*d.l.7. & l.6.§.4.*)

9. Ex infidelitate peccantibus annumerare poſſumus ſeditioſos, factioſos & pacis turbatores. *Qui enim ſeditionem atrocem militum concitant capite plectuntur.* (l.3.§ 19. ff. eod.) *ii verò qui intra vociferationem aut levem querelam conſiſtunt gradu militiæ dejiciuntur* (d. l. 3. §.20.) Factioſi dicuntur ii, qui barbaris facultatem prædandi in Romanos dant vel cum eis prædam dividunt: hi vivi comburuntur (*l. 9. C. de re milit.*) Turbatores pacis capite puniuntur. (*l.16.§.1.ff.eod.*) Item qui vallum tranſcendunt aut per murum caſtra ingrediuntur. (*l.3.§.17.ff. eod.*) *It.* qui ſtationem relinqvunt, pro modo delicti caſtigantur aut gradu militiæ dejiciuntur. (*l.3.§.5.ff.eod.*) *Nam plus quàm emanſores peccant.* Item qui excubias palatii deſerunt. (*l.10. pr.ff.eod.*)

10. Infideles erga præpoſitos ſunt qui eosdem protegere nolunt ſed deſerunt. *Hi occiſo eo capite puniuntur.* (l.3. §. ult. l.6. §.8. & 9. ff. eod.) *Eâdem pœnâ afficitur qui manus violentas præpoſito infert:* (d.l.6.§.1.) *ex eodem vitio namq; hoc provenit.*

11. Commilitoni infidelis eſt, qui eundem vulnerat. Punitur hic dejectione militiæ, ſi lapide id fecerit; ſin gladio, capitale admittit. (*l.6. §.6. ff. eod. Nam decet commilitones invicem ſinceram & fideliſſimam colere amicitiam.* Simile committit qui commilitoni arma ſurripit: pœna hujus eſt, ut gradu militiæ pellatur. (*l.3.§. 14. ff.eod.*)

12. Ex Contumaciâ, Irreverentiâ & Inobœdientiâ erga præpoſitos peccantes graviter puniuntur: & quidem contumacia militis erga ducem vel præſidem capite. (*l.6.§.2. ff. eod.*) Irreverens miles non tantùm à tribuno vel centurione, ſed etiam à principali coërcendus eſt. (*l.13. § 4. ff.eod.*) *Nam qui centurioni caſtiganti reſiſtit apud veteres notatus eſt, ſi vitem tenuit militiam mutat; ſi ex induſtriâ vitem fregit vel manum centurioni intulit capite punitur.* (eod.) Inobœdientes ſunt, qui rem à duce prohibitam faciunt, aut mandata non ſervant. Hi etiamſi res benè ceſſerit, capite puniuntur. (*l.3.§.15. ff.eod.*) in ſpecie qui contra vetitum agmen excedunt vel fuſtibus cæduntur vel militiam mutant. (*l.3.§.16 ff.eod.*)

13. Ex deſidiâ peccant qui arma amittunt, & hi vel capitaliter puniuntur vel ex humanitate militiam mutant. (*l.3.§.13. ff.eod.*)

14. Ob ignaviam quoque puniuntur milites. *Nam qui in acie fugam prior fecit ſpectantibus militibus delictum capitale committit,* (l.6. §.3. ff. eod.)

MEMBR. IV.
DE DIGNITATUM DELATIONIBUS.

1. Circa dignitates militum præcipitur (*l.14.C.de Re milit.*) quòd honoris augmentum ad unumquemq; non ambitione ſed labore conveniat devenire. At Conſtantinus (*l. 1. C. de filiis official.*) ſtatuit, ut qui ex officialibus quorumcunque officiorum geniti ſunt, ſive eorundem parentes adhuc ſacramento teneantur, ſive jam dimiſſi ſint, in parentum militiam vocentur. Similiter Gratianus (*l.2.C.eod.*) voluluit, filios primipilariorum ad conditionem parentum vocari (*dicebatur autem primipilus comes primi ordinis & præfectus decimæ legionis, quam ſexaginta centuriæ eidem obſequentes ſequebantur.* (Pompon. Lætus lib. de magiſtr. Rom.) *Erat namq; legio decima cæteris præſtantior ac prima, & per excellentiam ejus centurio primipilus dicebatur* (Livius lib. 7.) *& milites primipilarii. Eaq; de cauſſâ inter maximos belli duces graviter & nonnunquam ad necem usq; decertatum eſt.*) *Quamvis autem, redditis hoc pacto hereditariis militaribus dignitatibus, contentiones & concertationes ex invidiâ & æmulatione natæ tollerentur, & parentes allicerentur, ne inhabilitas objici filiis poſſet, ad eosdem ad fortitudinem & artem militarem educandos & adſuefaciendos: tamen non negandum eſt, multos horum indignos adeptos eſſe munia, reliquos autem excluſos præclaris actionibus pro gloriâ captandâ non dediſſe operam. Hac ratione utitur Tiberius* (apud Tacitum 2. ann. cap.36.) *quando reſpondet Gallo cenſenti in quinquennium magiſtratuum comitia habenda, & nominandos magiſtratus qui quinquennio ordine ſuccedant*; grave moderationi ſuæ tot eligere tot differre. vix per annos ſingulos offenſiones vitari, quamvis repulſam propinqua ſpes ſoletur: quantum odii fore ab his, qui ultra quinquennium projiciantur? unde proſpici poſſe, quæ cuiq; tam longo temporis ſpacio mens, domus, fortuna? ſuperbire homines etiam annuâ deſignatione: quid ſi honorem per quinquennium agitent? quintuplicari prorſus magiſtratus, ſubverti leges, quæ ſua ſpacia exercendæ candidatorum induſtriæ, quærendisque aut potiundis honoribus ſtatuerint. *Rectius itaq; proceditur, ſi dignitates conferuntur militares ex requiſitis ducum & præpoſitorum, quò magis vel minus deprehenduntur ineſſe. Sunt autem requiſita reliquis præficiendorum, ut habeant belli peritiam, norint ingenia militum, hoſtium & quo bellandi genere utantur* (Tac. 15. ann. 25.) *ut ſint acres & vigilantes, noctu diuq; in conſulendo occupati, cibo fortuito contenti, avaritiam fugientes,* (2, Hiſt. 5. & 77. 1. ann. 19.) *patientes laborum, ambiguarum rerum ſcientes & interriti, quales evadere ſolent qui initio gregarii milites per ſingula*

 officia

officia gradatim progreſſi ſunt. [1. ann. 20. & 64.] *ut adeò ſummè perniciosum videatur hereditaria militum reddere officia. Debet quoq; prepoſitis militum ineſſe facultas diſponendi, providentia eorum qua in futurum contingunt, facundia & ars mulcendi vulgum, auctoritas* (1. Hiſtor. 10.) *vera fortitudo, ut non pecuniæ & inanis gloriæ ſed honeſtatis cauſsâ pugnent* (15. ann. 3.) *Conſtantia in conſiliis* (15. ann. 10.) *Talia omnia quomodo à nativitate ineſſe poſſunt?*

MEMBR. V.
DE MISSIONE ET RESTITUTIONE MILITUM.

1. Miſſionum generales cauſæ ſunt tres: honeſta, cauſſaria; ignominioſa. (*l. milites. 13. §. 3. ff. de re milit.*) Honeſta eſt, quæ tempore militiæ impleto datur; Cauſaria, cùm quis vitio animi vel corporis minus idoneus militiæ renunciatur; Ignominioſa miſſio eſt, cùm quis propter delictum ſacramento ſolvitur. (*eod.*)

ARTIC. I.
DE HONESTA MISSIONE ET VETERANIS.

1. Miſſio honeſta definita eſt ea, quæ tempore militiæ impleto datur. Impletur autem militiæ tempus 20. annis. *Id enim probatur* (argt. l. ult. C. de his qui non impl. ſtip. & ex l. 1. C. de excuſ. veter.)

2. Honeſtè miſſi ob impletum tempus militiæ veterani vocantur, gaudentque ſuis privilegiis tunc, ſi hæc adſint requiſita. 1. ut viginti ſtipendia meruerint. 2. ut in legione vel vexillatione militaverint. *Nam qui in coborte vel vigiliis Romæ militavit fruſtrà vacationem munerum perpetuam ſibi arrogant.* (l. ult. C. de his qui non impl. ſtip. ſacr. ſoluti ſunt.)

3. Dignitas veteranorum hæc eſt, ut decurionibus æquiparentur. *Ita enim Marcianus* (l. 3. ff. de veteran.) *Veteranis & liberis veteranorum idem honor habetur qui & decurionibus. Nam olim ſacramento poſt vicena ſtipendia ſoluti cum honore in colonias mittebantur, & in remunerationem meritorum ibi agros accipiebant & pecuniam ad emenda ruri neceſſaria.* (l. 3. C. Theod. de veteran.)

4. Privilegia ſua veterani à Conſtantino adepti ſunt, ne ſcil. quis eorum in ullo munere civili, nec in operibus publicis conveniantur, nec ullâ collatione, nec à magiſtratibus, nec vectigalibus, in quibus

buscunque nundinis interfuerint, ullam ob venditionem proponendam dare teneantur; immunesque ſint ab omni munere perſonali ſeu corporali. (l.1.C. de veteran.) *Nam æquum eſt, ut quiete poſt labores perenniter fruantur.* Et hanc immunitatem jubentur etiam habere iis in civitatibus, in quibus incolæ ſunt. (l. 2. ff. pr. eod.) *Habuerunt autem & ante Conſtantini tempora ſua privilegia, ut ſcil. excuſarentur à navium fabricâ, & ne exactores tributorum conſtituerentur.* (l. 5. ff. eod.)

5. Porrò quia veterani pari honore gaudent cum decurionibus, etiam ratione pœnarum habent ſua privilegia. *Nam nec in metallum damnantur, nec in opus publicum, vel ad beſtias: nec fuſtibus cæduntur.* (l.3.ff.eod.) *Hoc namq; privilegium & decuriones habent.* (l.11.C. de Quæſt.) *ſed in hoc differunt, quòd veteranorum privilegia ad primum tantùm gradum liberorum pertingant, decurionum autem ad omnes gradus.* (l.5.C. & l 9. §.13. ff. de pœn.)

6. Defenduntur præterea adverſus injurias, ſi protectoriam dignitatem in precium laborum conſequantur, *i.e. ſi mittantur ad juvandas in provinciis neceſſitates publicas.* (l.2.C. eod.)

7. Privilegia porrò à muneribus tantùm perſonalibus iisdem competunt non à patrimonialibus. *Nam ut dictum,* (n.4.) *à navium fabricâ, & ne exactores tributorum fiant excuſantur it. à curâ & tutelâ ſuſcipiendâ* (l 8 pr. ff. de Excuſat.) *Hæc enim munera ut in corporis labore animiq; ſollicitudine tantùm conſiſtentia, propriè perſonalia dicuntur.* (l.1. §.3 ff. de muner. & honor.) *At à patrimonialibus, quæ ob poſſeſſiones debentur immunes non ſunt.* (l. 2. §.1. & l.4. ff. de veteran.) *it. ne naves eorum angariari poſſint. Quamvis à curâ annonæ & hoſpitis receptione excuſentur.* (l. ult. §.penult. ff. de muner. & honor.) *quod tamen patrimoniale magis munus eſſe videtur.* (l.3.§.14.ff. d.t.)

8. Poſſunt verò veterani indignos ſeſe hiſce privilegiis reddere, ſi latrocinia tractent nec rus colant aut aliam honeſtam negotiationem ſuſcipiant. (*l.3. C. de veteran.*) Quando etiam paſſi ſunt ſe in ordinem legi muneribus fungi coguntur. (*l.5. ff. eod.*) Cæterùm ſi quis veteranorum ſuâ voluntate honorem aut munus ſuſceperit, immunitas ejus per hoc non labefactatur. (l.2. pr. ff. eod.)

ARTIC. II.
DE
CAUSSARIA MISSIONE.

1. Cauſſaria miſſio, quatenus ignominioſæ contradiſtinguitur, videtur ea omnis dici poſſe, quæ non fit in pœnam. unde quæ hone-

ſta eſt cauſſaria Jure Romano appellatur. *Nam & quod honeſtum eſt pœnæ nomine fieri dici nequit.*

2. Hac miſſus non notatur infamiâ. (l.8.C. de re milit.) *Neq; enim pœnæ nomine fit: infamia autem quiddam eſt quod delicta velut pœna comitatur.*

3. Contingit autem cauſſaria miſſio, cùm quis vitio animi vel corporis minus idoneus militiæ renunciatur. (*d.l.13.§.3.ff. de re mil.*) ut adeò ſit duplex magis & minus honeſta. *Nam quæ fit ob vitium corporis magis honeſta eſt. Hinc Impp. Diocl. & Maxim.* (l.1. C. de his qui non impletis ſtipend. ſacram. ſoluti ſunt) *edixerunt, ut qui provectæ ætatis ob ſenium dimiſſi eſſent, cenſerentur honeſtam miſſionem conſecuti; non tamen ea privilegia haberent quæ his competunt qui pleno ſtipendiorum numero ſunt functi.*

ARTIC. III.

De

IGNOMINIOSA MISSIONE.

1. Ignominioſa miſſio eſt, quando quis propter delictum ſacramento ſolvitur. (l.13.§.3. ff. de re milit.) *Decernebatur enim, ſi quis commilitonem lapide vulneraſſet* (l.6.§.6.ff.eod.) *aut quod aliàs capitale eſſet per vinum aut laſciviam commiſiſſet.* (d.l.6.§.7.) *aut ſi quis ſtuduiſſet ſeipſum impatientiâ doloris vel tædio vitæ vel furore, vel morbo aut pudore mori.* (cit. t.)

2. Parit ignominioſa miſſio infamiam, quâ notatus nullis honoribus, qui integræ dignitatis hominibus deferri ſolent, frui poteſt. (*l.3.C.eod.*) facitque ut quis nec Romæ nec in ſacro comitatu, nec aliis interdictis locis commorari queat. (*d.l.3.C. & l.13.§.3.ff.*) *Nam plerumq; addebatur, quo in loco ignominioſè miſſus commorari non poſſet v.g. quòd tu rapinas feciſti reiq; publicæ fuiſti inutilis, ob eas res cauſſâ ignominiæ ab exercitu meo te removeo, hodieq; ex Africâ abeſſe &, quanto longius potes, proficiſci jubeo.*

ARTIC. IV.

De

RESTITUTIONE MILITUM.

1. Miſſi non facilè reſtituuntur. *Nam veterani prohibentur ad militiam accedere* (l.1. C. de tyronib.) *ſemel autem cauſſariè miſſis militibus inſtauratio non ſolet concedi obtentu recuperatæ valetudinis melioris: quando non temerè dimittantur: niſi quos conſtet medicis denunciantibus & Judice competente diligenter examinante vitium contraxiſſe.* (l.6. C. de re milit.)

2. Si

2. Si qui autem reſtituuntur à principe medii temporis ſtipendia & donaria non aliter accipiunt, quàm principis liberalitate. (*l. 10. §. 1. & l. 15 ff. eod.*)

MEMBR. VI.
DE
STIPENDIIS MILITUM.

1. Stipendia ſunt ſalaria militum: & conſiſtunt in pecuniâ, frumento, veſte.

2. Solvebantur autem ſtipendia in numeros receptis. *Nam prius nulli militare permittebatur, niſi relatus eſſet in numeros: unde nec ſalarium demereri prius quiſquam poterat fiebat autem relatio in numeros mediante ſacramento militari, quod ſingulis Kalendis Januariis repetebatur. Jurabant verò olim ſe juſſu Conſulum conventuros, neq; injuſſu abituros, nec fugam formidinis ergò arrepturos, neq; ex ordine receſſuros, niſi teli ſumendi aut petendi aut hoſtis feriendi aut civis ſervandi cauſâ.*

3. Intereſt autem Reipublicæ, militibus ſtipendia ſolvi & non ſubverti à Præfectis. (Tacit. 1. Hiſt. 46.) *Nam niſi ſolvantur ſtipendia, collabitur diſciplina, nec ſecuri provinciales eſſe poſſunt, ſed vagantium injuriis ſubjecti ſunt. Sin verò debita acceperint ſtipendia prohiberi iisdem poteſt, quominus provincialibus detrimentum afferant, & obſervari quod traditur.* (l. 13. C. de re milit.)

ARTIC. I.
DE
ÆRARIIS SPECIEBUS SEU PECUNIA QUÆ SOLVEBATUR MILITIBUS ROMANIS.

1. Militibus Romanis præter annonarias ſpecies, quæ victûs cauſſâ dabantur, etiam ærariæ ſolvebantur. *Id enim diu in Republ. Romanâ obtinuiſſe teſtatur Livius* (lib. 4.) *Et quia eo tempore, quo introductum eſt, ut pecunia ſolveretur civibus pro laboribus bellicis Roma nondum ſignato argento, ſed ære uſa eſt: hinc natum ut ærariæ ſpecies dicerentur, quæ pecuniæ nomine militibus ſolvebantur.*

2. Circa pecuniam autem introductum ab Imperatoribus, ut omnis pecunia ad diem mortis militibus debita per erogatorem uxoribus ac liberis eorum ſolveretur. (*l. 14. & l. 16. §. ult. C. de Erogat. milit. ann.*)

ARTIC. II.
DE
ANNONA MILITARI.

1. Annonæ militaris nomine veniunt omnia quæ victûs cauſſâ militibus erogantur. Videtur autem Imperatorum tempore emendata militaris annona. *Nam olim cibus caſtrenſis erat buccellatus i. e. frumentum ad uſus diuturnitatem excoctum, laridum & caſeus, potus poſca i. e. aqua aceto temperata; quibus non modò gregarii milites ſed & duces utebantur: Imperatorum verò tempore hac obtinuit conſuetudo ut in expeditione conſequerentur buccellatum ac panem, vinum quoq; atque acetum, ſed & lardum, carnem etiam vervecinam ita; in duobus diebus buccellatum, in tertio die panem; uno die vinum, alio die acetum; uno die lardum, biduo carnem vervecinam.* (l. 1. C. de erog. milit. ann.) *Circa vinum tamen Arcadius & Honorius hoc juſſerunt obſervari* (l. 10. C. eod.) *ut à menſe Novembri de novello vino daretur, propterea quòd veteris diſpendioſa videatur erogatio.*

2. Jubentur autem erogatores ſingulis diebus & per capita annonam præbere: quamvis etiam conceſſum eſſet militibus ſtato tempore totam annonam frumentariam percipere; modò id facerent antequam annus præterlaberetur. (l. 6. C. eod.) *Nam quod competenti tempore non percipiunt fiſco adjudicatur. Ratio eſt, quia patitur damnum Reſpublica, quando milites repudiatâ ad tempus ſpecierum copiâ & inopiæ occaſione captatâ precia poſtulare licet.* (l. 7. C. eod.)

3. Alia porrò ad annonam ſpectantia conferuntur à provincialibus & militibus erogantur, alia ab ipſis militibus invehuntur in caſtra. *Nam fœnum & paleas militibus invehere conceſſum erat, & quidem paleas viceſimo non amplius lapide i. e. quinto miliari germanico petere jubebantur* (l. 2. C eod.) *fœnum autem militibus juſtis capitibus præſtandum nec tamen ad opidum deferendum Valentinianus præceperat.* (l. 8. C. eod.) *Vegetius autem* (lib. 2. cap. 19.) *refert, olim legitimos milites faſces, fœnum, aquam, ſtramen in caſtra portare conſueviſſe. Videtur autem ſalutare, ne nimia vagandi è caſtris licentia militibus relinquatur: prata enim provincialium & Imperatoris ipſius pernicioſum periculoſumq; eſt militum moleſtiâ fatigari.* (l. ult. C. de paſc. publ.)

4. Quæ conferuntur à provincialibus fideliter eroganda ſunt militibus. *Nam ceſſantibus annonis non tantùm diſciplina militaris conſervari nequit; ſed & integer corruit exercitus. Hanc ob cauſſam Arcadius & Honorius voluerunt breviaria confici ſecundùm quæ ſuperindicta exigerentur & ad ſacra ſcrinia mitterentur; ſiq; omiſerint exigere, ut ipſi de propriis facultatibus erogent;* (l. 5. C. eod.) *aut ſi quid amplius exegerint quàm breviorum datorum ſcrinii veritas continet, in duplum redderent.* (l. 9. C. eod.) *Ut enim juſtum eſt militibus annonas & ſtipendia ſolvi; ita iniquum eſt plus à provincialibus exigi quàm ſuperindictum eſt.*

Ex

Ex conſtitutione quoq; Anaſtaſii (l.16. pr. C. eod.) *Juramentum tenentur omnes erogationi prepoſiti praſtare, ſe ſuſceptam curam diligenter peracturos & ſecundùm Imperatoris praſcriptum manu ſuâ militibus ſolatium* (i.e. pecuniam militi ſolatii loco aſſignatam & ſtipendio imputandam) *& annonam erogaturos ſine fraude & dolo. Oportebat quoq; decem primates aut tribunos atteſtari, unumq; militem à ſuo erogatore partem ſibi debitam accepiſſe, & hanc atteſtationem principi per erogatorem offerri, factâ relatione per tribunum vel primates intra tres menſes.* [d.l.16.] *Graviſſimè etiam puniebantur qui excoctionem buccellati negligebant* (l.2.C. de excoct. & transl. milit. ann.) *item qui panem non melioris farinæ, benè coctum, & juſti ponderis ad exercitum transmittebant.*

5. Contrà verò militum, qui ſuas annonas accipiunt, officium eſt, ne provincialibus damna inferant aut moleſti ſint. *Quâ de re vid. Novella 130. Hoc obſervaſſe Alexandrum, ſuprà ex Lampridio narravimus.*

ARTIC. III.

DE MILITARI VESTE.

1. Ne frigore perirent & alia incommoda paterentur ex nuditate milites, veſtes quoque Imperatores iisdem miniſtrare voluerunt. *Quamvis enim olim milites ex ſuo ſtipendio ſibi veſtes, arma, tentoria parare tenerentur, ut teſtatur Tacitus* (lib.1. ann. cap.17.) *quando introducit milites conquerentes:* denis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari: hinc veſtem, arma, tentoria; hinc ſævitiam centurionum & vacationes munerum redimi (*cogebantur enim centurionibus de ſuo ſtipendio dare pecuniam ne paterentur verbera*). *Succeſſu tamen temporis liberalitate Imperatorum præter ſtipendia etiam veſtes datæ. Nam de Alexandro teſtatur Lampridius, quòd militibus ocreas, braccas, & calceamenta & veſtes dederit.*

2. Pro veſtium comparatione tributum ſeu canonem provinciis impoſuêre Imperatores, ſolvendum ex Kal. Septemb. ad Kal. Apr. (l.1.C. de milit. veſte.) *Quæ autem fuerit ratio conferendi ſingulis in provinciis, traditur* (l.2.C. eod.)

3. Tributi, quod provinciales conferebant, quinque partes militibus dabantur, ſexta textoribus conficientibus. (l. ult. C. eod.) *Hoc propterea obſervatum fuiſſe videtur, ne gynæcearii, qui operâ fœminarum pannos rudes, ex quibus veſtes militares conficiebantur tergebant, defraudarentur precio.*

MEMBR. VII.
De
METATIS ET EPIDEMETICIS.

1. Milites non ſolum victu & amictu, ſed & hoſpitio quandoq; indigent. Quæ cauſſa eſt, quare ad Jus publicum pertineat de metatis agere. *Sunt enim metata hoſpitia quæ militibus à provincialibus tribuuntur. Unde metatores dicuntur qui hoſpitia militum parant & deſignant.*

2. Videntur autem tria hîc conſiderari poſſe, 1. officium metatorum. 2. militum erga hoſpites. 3. Hoſpitii onus penes quos ſit: ſubſiſtemus tamen in duorum priorum conſideratione. *Nam de onere hoſpites recipiendi tradetur inferius, quando de muneribus tractaturi ſumus.*

3. Primò ergò non adſtringendi ſunt hoſpites ad dandum quod vel hominum vel animalium paſcuis neceſſarium eſt, ſed ſufficit ſi ſolam hoſpitalitatem præſtent. *(l.5. C. de metat. & epidem.) Nam & his dictatur pœna qui poſtulantibus militibus aliquid dant.* Prohibetur quoque & balnei poſtulatio. *(l.6.C.eod.)* item ſalgami (*i.e. condimentorum*) gratiâ culcitram, lignum, oleum ab hoſpitibus extorqueri. (*l. un. C. de ſalgamo hoſpit. non præb.*) Deinde omnium debet acceleratum eſſe iter, nec ulli licere, ut reſideat *ne diuturnitas commanentium ullâ ex parte prædium vexet.* (*d.l.5.*) Ita quoque in hoſpitio exiſtens miles ſe gerere debet, ut domo in tres partes diviſâ, primam eligendi dominus habeat facultatem; ſecundam hoſpes; tertiâ itidem domino relictâ. (l.2. C. d. t.) *æquum namq; eſt, ut poſſeſſoribus ædium optima pars relinquatur; præſertim cùm deceat milites non nimiùm eſſe delicatos. Cæterùm illuſtrioribus militibus dimidia dari jubetur: ita tamen, ut alter dividat alter eligat.* (eod.)

4. Metatorum officium eſt, 1. ne eos qui privilegio gaudent onere hoſpitii gravent. *Neq; enim ad hoſpites recipiendos tenentur ergaſteria ſeu ædes mercimoniis deputatæ* (d.l.2.) *it. prætoria Judicum ordinariorum, præſertim ſi præſentes ſint* (l. 3. C. d. t.) *it. fabricenſium domus, niſi princeps ſit excipiendus* (l.4. C. d. t.) *it. prædia Imperatoris* (d. l.5.pr.) *Ex Theodoſii enim & Arcadii reſcripto tentantes in his parare hoſpitia armis repelli poſſunt. In urbe Conſtantinopolitanâ autem jubentur milites hoſpitium habere in turribus muri.* [l.7. C. d. t.] 2. ne per concuſſionem pecuniam accipiant, nunciando civitatibus per quas tranſitus nullus futurus eſt, ibi commoraturum eſſe exercitum. [*Novell.130, c.6.*] quemadmodum & præſes per provinciam prohibetur oberrare, & hac ſpecie ne illos gravet hoſpitio exigere à provincialibus. [*l.ult. C.d.t.*]

§. d.t.) 3. ne qui metata in ſuis domibus præſtant, ſive hoſpitia præbuerint metatoribus, ſive quolibet pacto ſatis eis fecerint, ullam vel penſionis vel diſcuſſionis domûs gratiâ moleſtiam ſentire cogantur. (*l.9.C.d.t.*)

MEMBR. VIII.
DE
COMMEATU.

1. Commeatus hoc in loco eſt facultas à duce conceſſa militibus, ut abeſſe per tempus poſſint. *Intereſt enim Reipubl. ne milites eant quorſum velint, ſed ſemper præſtò ſint, & officia ſua exhibeant quandocunq; occaſio oblata fuerit; & propterea licentia abeundi à ducibus prius impetranda, quæ olim his verbis dabatur, teſte Livio* (lib. 30.) ſi quis veſtrûm ſuos inviſere vult, commeatum do: primo vere adſitis edico.

2. Modus autem commeatum concedendi ſervandus eſt. *Nam periculoſum eſt & exercitui & provincialibus milites à ſignis diu abeſſe: ſolent namq; quando diu abſunt latrociniis operam dare; hoſtis autem ob abſentiam multorum imminutis copiis arripit occaſionem invadendi. Quapropter Conſtantinus prohibuit tribunis & præpoſitis expeditionis tempore commeatum dare militibus, capitali in eos pœnâ conſtitutâ qui contra hoc fecerint.* (l.1. C. de commeatu.)

3. Coërcentur quoque milites qui tempus commeatûs non obſervant. *Nam qui tempus commeatûs excedunt pro emanſoribus vel deſertoribus habentur: niſi poſſint impedimenta juſta allegare* (l.3.§.7.ff.de Re milit.) *Mitius autem agunt Honorius & Theodoſius circa delinquentes ratione commeatûs; eos enim, qui ſine commeatu annum in penatibus propriis vel in quibuslibet locis deſidioſâ quiete peregerunt, decem ſequentibus poſtponi jubent; In quibus verò biennalis culpa deprehenditur, viginti; trienniο abſentes triginta; quadriennio, deleri è matriculâ* (l.ult. C. eod.)

MEMBR. IX.
DE
CAPTIVIS ET JURIBUS CIRCA EOSDEM.

1. Capti ab hoſtibus fiunt ſervi hoſtium. (l.24.ff.de captiv.) *Id enim olim apud omnes gentes obtinuit, ut bello capti ſervi capientium fierent. Hoſtes autem ſunt, quibus bellum publicè populus Romanus decrevit, vel ipſi populo Romano: cæteri latrunculi vel prædones appellantur. Et ideò qui à latronibus captus eſt ſervus latronum non eſt.* (d.l.24.)

 Quem-

Quemadmodum nec ſervus ſit qui capitur in civilibus diſcordiis (l. 21. §. 1. ff. eod.)

2. Hæc cauſſa eſt quare capti ab hoſtibus amittant omnia Jura quæ civibus Romanis liberisque hominibus competunt. *Neq; enim teſtamenta facere* (l. 12. §. 5. ff. eod.) *nec uſucapere quicquam poſſunt quamdiu in hoſtium poteſtate ſunt* (l.29.ff.eod.) *& quæ ſunt alia, de quibus fuſius in jure privato tractabitur.*

3. Sed quia circa captivos introducta quædam ſunt Jura, de his nobis dicendi hîc occaſio datur. *Nam Jus poſtliminii & lex Cornelia fictione ſuâ ſuccurrunt captivis. Quò autem miſericordiâ ducti eò magis alliciantur ad captivos redimendos, Redemptoribus Jus in redemptos tributum. Hinc tribus articulis membrum hoc abſolvetur.*

ARTIC. I.
DE
JURE POSTLIMINII.

1. *De Jure poſtliminii ita diſſerit Paulus* (l. 19. pr. ff. de Captiv.) Poſtliminium, *inquit*, eſt jus amiſſæ rei recipiendæ ab extraneo, & in ſtatum priſtinum reſtituendæ, inter nos ac liberos populos regesque moribus, legibus conſtitutum. *Scil. poſtliminium reſtituit captum reverſum ab hoſtibus in priſtinum ſtatum*, (l.6.l.12. §.15.§.17.eod.) *ut recipiat omnia Jura ac ſi captus nunquam fuiſſet* (l 5.§.1.ff.eod.) *Unde fit, ut reverſus quoad ea, quæ in Jure & non in facto poſita ſunt, pro eo habeatur, ac ſi nunquam in poteſtate hoſtium* (l.12.§.6 ff.eod.) *ſed ſemper in civitate commoratus* (l.16.ff.eod.) *fuiſſet. Unde non modò dominium in res ſuas, ſed & Jura & poteſtatem in ſervos liberosq; reverſus recuperat: Non tamen ut à patre filius, ita uxor à marito jure poſtliminii recuperari poteſt; ſed tunc cùm & voluerit mulier, & adhuc alii poſt conſtitutum tempus nupta non eſt.* (l.8.l.12. §.4. & l.14. §.1. ff.eod.) *Ratio hujus rei habetur* (Nov. 22. cap.7.) *quia ſuperveniente ſervitute alteri perſonæ, fortunæ inæqualitas æqualitatem ex nuptiis manere non ſinit. Quamvis* (eâd.Nov.) *Juſtinianus id immutet, jubeatq; donec quidem eſt manifeſtum, ſupereſſe aut virum aut uxorem in ſoluta matrimonia permanere: adeò ut nec viri nec uxores ad ſecundas nuptias venire queant, niſi voluerint videri auſu temerario hoc feciſſe & pœnis ſuccumbere. Quòd ſi autem incertum ſit utrum capta perſona ſuperſit annon, quinquennium expectari jubet ſive à viro ſive à muliere.* Porrò quia duæ ſunt ſpecies poſtliminii, ſcil. ut aut capti reverſi ſua recuperent, aut res captæ reverſæ iis reſtituantur quorum ſunt (*l.14.pr.ff.eod.*) prius de his, quà capti reverſi ſuum priſtinum ſtatum recuperant, dicturi ſumus.

2. Fru-

2. Fruuntur ergò Jure poſtliminii capti ab iis qui hoſtes ſunt. (l.4.ff.eod.) *Nam ab aliis quàm hoſtibus capti ſervi Jure gentium non fiunt: unde nec opus habent amiſſa Jura recuperare: quales ſunt qui apud peregrinos nec in ſtatu belli exiſtentes verſantur* (l.7. pr.eod.) *aut capiuntur induciarum i.e. eo tempore, quo conventum eſt, ne ſeſe invicem laceſſerent* (l.19.§.1. eod.) *hi namq; contra Jura gentium capti ſervi hoſtium non fiunt. it. qui capiuntur à piratis & latronibus.* (d.l.19. §.2.) Nec intereſt cujus ſexus condicionisq; ſint qui capiuntur, an liberi an ſervi exiſtant: nec enim ſoli poſtliminio recipiuntur qui pugnare posſunt: ſed omnes homines: quia ejus naturæ ſunt, ut uſui eſſe vel conſilio vel aliis modis posſint. (*l.19. §.ult.ff.eod. l.5.l.12. C. de poſtlim. reverſ.*)

3. Et quidem tunc competit Jus poſtliminii ſi reverſi fuerint. Cenſentur autem reverſi qui aut ad amicos populi Romani pervenerunt, aut intra præſidia Romana esle cœperunt. (*l.5. §.1.ff. eod.*] nullâ habitâ ratione an dimisſi fuerint, an vi vel fallaciâ poteſtatem hoſtium evaſerint. (*l 26.ff.eod.*) non tamen qui ita redierunt, ut cogantur reverti ex pacto vel proprio (*Quemadmodum in Attilio Regulo, quem Carthaginenſes Romam miſerunt, reſponſum eſt, non eſſe eum poſtliminio reverſum; quia juraverat Carthaginem reverſurum & non habuerat animum Romæ remanendi.* (l.5.§. ult. ff. eod) vel etiam Reipubl. *Hinc deditus hoſtibus & reverſus à Republ. non receptus Jure poſtliminii non gaudet* (l. 4. §. eod.)

4. Datur porrò Jus poſtliminii vel in pace vel in bello. (l.5.pr. eod.) *Id quomodo fiat declaratur* (d.l.5 §.1. & 2. l. 12. pr. eod.)

5. Cæterùm ſunt & qui indignos ſeſe hoc Jure reddunt. *Nam qui armis victi hoſtibus ſe dediderunt, it. transfugæ,* (quid ſit transfuga vid. l.19.§ 8.eod.) *it. de quibus cautum pace, maluerunt apud hoſtes remanere nullum Jus poſtliminii habent.* [l.19 §.4. l.17. l.20. pr. ff. eod.]

6. Ut & de captis, quæ in dominio aut poteſtate noſtrâ ſunt, & quomodo in hiſce Jus poſtliminii locum habeat, dicamus: notandum de rebus, quæ cadunt ſub dominium aut in quibus Jus habemus, in iis tunc poſtliminium habere locum, ſi nec turpiter nec culpâ domini amisſæ ſint. (l.2.pr.§.1. & 2. l.3) *Nam quod turpiter vel culpâ domini amittitur & in poteſtatem hoſtium venit reddit dominum indignum hoc jure.* It. ſi non in prædâ ſit. (*l. 28 eod.*) *Nam quæ in prædâ ſunt capientium fiunt.* Cæterùm ſive ſint res mobiles ſive immobiles, niſi aliquid modò narratorum id impediat, jure poſtliminii recuperantur. Hinc expulſis hoſtibus ex agris, quos ceperint, dominia eorum ad priores dominos redeunt: *neq; enim publicantur aut prædæ loco cadunt: publicatur enim ille ager, qui ex hoſtibus captus eſt.* (l.20. §. 1.) In liberis qui

in patris poteſtate ſunt ſervisque hoc obſervatur ut ſervi revertantur in poteſtatem domini, ſi ex captivitate redierint (*l. ult. ff. eod.*) etiam ſi transfugæ fuerint. (*l. 19. §. 5. ff. eod.*) quod ſecus eſt in filiisfam. in quos ſi transfugæ fuerint, poteſtas patria non recuperatur. (l. 19. §. 7. eod.) *Nam diſciplina caſtrorum antiquior fuit Romanis quàm caritas liberorum: & Jus naturæ docet patriam prævalere debere, quæ vindicans delictum non admittere poteſt, ut iterum civis Romanus & filiusfam. habeatur qui ad hoſtes transfugit. Eſt ergò in filiofam. alia ratio, quàm in ſervo. Nam & in hoc duplex cauſa poſtliminii eſt, nim. quod & pater eum recipiat, & ipſe Jus ſuum.* (l. 14. pr. eod.)

ARTIC. II.
DE
FICTIONE LEGIS CORNELIÆ.

1. L. Cornelia in omnibus partibus Juris fingit eum, qui reverſus non eſt ab hoſtibus tunc deceſſiſſe cùm caperetur. (l. 18. ff. de capt.) *Hinc varia deducuntur ad Jus privatum pertinentia, de quibus ſuo loco dicetur, nimirùm quòd bona captivorum apud hoſtes decedentium pertineant ad eos, ad quos pertinuiſſent, ſi qui capti ſunt in hoſtium poteſtatem non pervenisſent, ſed eo momento quo capiebantur, fuisſent mortui.* (l. 22. pr. eod.) *adeoq; heredes eorum, omnia habeant, quæ ipſe, qui hoſtium potitus eſt, habiturus fuisſet, ſi revertisſet.* (d. l. 22. §. 1.)

2. Sed fictio L. Corneliæ non poteſt locum habere antequam de morte captivi conſtet. *Nam Jus poſtliminii eam ſuſpendit.* (l. 1. C. de poſtlim. reverſ. l. 10. l. 11. l. 12. l. 18. l. 22. ff. de captiv.)

ARTIC. III.
DE
REDEMPTIONE CAPTIVORUM.

1. Redimuntur capti ab hoſtibus vel qui aliàs liberi ſunt vel qui ſunt ſervi. Liberi homines redempti ſoluto lytro liberantur à ſervitute hoſtium & libertati ingenuitatiq; ſuæ reſtituuntur (*l. 5. C. de poſtl. reverſ.*) ſi tamen a'ienâ pecuniâ redempti fuerint tunc tandem ſtatum priſtinum recipiunt, ſi vel precium redemptionis reſtitutum ſit aut alio modo ſatisfactum vel remisſum fuerit. (*l. 17. C. de poſtlim. reverſ.*) ſive id fiat pacto expresſo aut tacito (*l. 21. pr ff. de capt. 13. l. 11. C. d. t.*) ſive ob delictum redemptoris (*l. 7. C. eod.*) *Nam redempti ab hoſtibus, quoad exolvatur precium in cauſſam pignoris, non obſtante quòd liberi homines ſint redditi, conſtituuntur.* (l. 2. C. d. t.) *Satisfieri autem redemptori poteſt, ſi precium reſtitui nequeat, laboris obſequio, vel opere quinquennii beneficii*

vicem

vicem referendo, retentâ incolumi libertate. (l.ult.C.eod.) Non tamen exiſtimandum eum, qui redemptus nondum ſolvit precium, nihil jurium habere. *Nam uti poteſt Jure poſtliminii hereditatem ſibi delatam adeundo, ut ex eâ precium redemptionis pro ſe datum exſolvat.* (*l.15.C.d.t.*) *Quin mulier redempta procreans ante lytri reſtitutionem liberos ingenuos parit & nullo nexu pignoris obligatos redemptori.* (l.8.C.d.t.) *Ita quoq; moriens ante precium redemptionis reſtitutum ſuos heredes relinquit.* (l.15.ff.de captiv.) *Hinc docet Pomponius redemptionem Jus poſtliminii non mutare.* (l.20.§.2.ff.d.t.)

2. In ſervo capto redempto aliter ſe res habet ac in libero. *Nam ſervus fit ejus qui eum redemit: quamvis per dominum oblato precio recuperari poſſit.* (vid.l.12.§.7.& ſeqq.ff.d.t.)

MEMBR. X.
DE TYRONIBUS.

1. De tyronibus, cujus ætatis eſſe debeant, & quomodo bellis adſuefieri debeant exiguum aut nihil legibus Juſtinianæis traditur. *Nam cùm à temporibus Conſtantini hereditaria redderentur officia militaria, accidebat & impuberes tribunorum munere fungi.* (l.ult.C.de teſtam.milit.)

2. Hæc tantùm urgentur, vagos non debere admitti. (*l.1.C.de tyron.*) it. mancipia juris alieni non debere curari in tyrocinio militiæ ſcribi (*l.2.C.eod.*) it. tyrones in ſcholis poſtponi debere, ne promoveantur alii, quàm quos laborum aſſiduitas & ſtipendiorum prolixitas recommendat. (*l.ult.C.eod.*)

Concluſio eorum, quæ hoc capite de re militari dicta ſunt.

1. *Reprehendendum circa Jus Juſtinianeum rurſus videtur, quòd, cùm potuerit Juſtinianus ex retrò geſtis Romanæ Reipubl. facilè perſpicere, quantùm militia merè mercenaria attulerit damni Imperio, rationem militandi non emendaverit. Id quod facere potuiſſet* omnes ditiones præcipuarum civitatum Imperii, qui de ſuo vivere poterant à teneris bellis adſuefaciendo. *Nam ingruentibus eo tempore undiquaque barbaris & Imperium devaſtantibus ſolus mercenarius miles ſufficere non poterat, reliquis omnibus ignavis exiſtentibus & quibuslibet ſe ſubmittentibus. Quid magis obfuit Beliſario duci Juſtiniani in recuperandâ Italiâ occupato, quàm quòd urbs Roma ignavis hominibus eſſet referta? Verùm tyrannica im-*

perandi ratio, quâ & utebantur Chriſtiani Imperatores non admittebat, ut præcipuarum in Imperio Urbium cives ad res glorioſas in bello gerendas educari: nec luxurioſa vita Imperatorum admittebat, ut ipſi irent in prælia & civibus ſuis exemplo eſſent. Hinc ſtatus militiæ hic erat: ut Imperatores curam haberent, quò milites conſequerentur ſtipendia, duces verò mitterentur qui cuncta belli negotia dirigerent. Quo accidebat, ut ſi fortè Imperatori ſtrenuus dux obveniret, bella benè ſuccederent; ſin ſecus, omnia malè evenirent.

CAP. VII.
DE
MAGISTRATIBUS, HORUM DIGNITATE, OFFICIO AC POTESTATE.

1. Alia fuit ratio magiſtratuum cum Reſpubl. Romana adhuc imaginem gereret quandam priſtini ſtatûs; alia, cùm temporibus Conſtantini omnis priſtina forma penitus everteretur. *Hæc cauſa eſt, quare de magiſtratibus aliter digeſtorum, aliter Codicis leges loquantur. Noſtrum itaq; eſt diſtinctè de magiſtratibus diſſerere & eoſdem conſiderare 1. quatenus ſecundùm leges Digeſtorum veterum magiſtratuum imaginem quandam habent. 2. quales fuerint penitus à Conſtantino omni Reipublicæ ſtatu everſo.*

MEMBR. I.
DE
MAGISTRATIBUS QVALES FUERUNT INITIO MONARCHIÆ ANTE CONSTANTINI TEMPORA.

1. Manſit in ſtatû monarchico diſtinctio magiſtratuum in majores & minores, quæ originem duxit à regio ſtatu immutato. *Nam poſt exactos reges officium regium in plures magiſtratus dividebatur, qui ſinguli particulam regiæ poteſtatis habentes magiſtratus majores propterea vocabantur. Erantq; Conſules, prætores, Cenſores, ædiles curules.*

ARTIC. I.
DE
CONSULIBUS.

1. Conſulum in liberâ Republicâ ſuprema poteſtas erat: fungebanturq; munere Imperatorum. *Nam ſi bellandum eſſet, horum imperio cuncta peragebantur. Et hoc officii ſupererat potisſimum poſtquam reliqua regum Cenſoribus, prætoribus ædilibusq; curulibus erant data.*

2. A

2. At initio ſtatûs monarchici omnis ipſis poteſtas adimebatur relictâ tantùm priſtinâ dignitate. *Nam anni ab his numerabantur non aliter atq; in liberâ Republicâ: quin Imperatores ipſi ſæpius Conſulatum ſubibant tanquam munus ſingulari dignitate gaudens.*

3 Inde cauſſam diſcere poſſumus, quare Conſules primum locum inter magiſtratus Jure Digeſtorum obtineant: cùm tamen nihil poteſtatis ipſis attribuatur, præterquam circa manumiſſiones ſervorum. (t. t. ff. de Offic. Conſul.) *Nam manebat tunc temporis adhuc priſtina dignitas, licet nihil poteſtatis Conſulibus relinqueretur.*

ARTIC. II.
DE PRÆTORIBUS.

1. Prætorum magna poteſtas, quam in liberâ Republ. habebant paulatim, in monarchiâ imminuta eſt. *Nam cùm, ut ſuprà dictum in liberâ Republ. pro lubitu nova Edicta proponerent, quæ legis vicem obtinerent* (unde Cic. III. Verrin. Edictum prætoris legem annuam vocat) *tandem & præcipuè temporibus Hadriani introductum eſt, ut ex Edicto perpetuo ab Hadriano confirmato & ita ex ſolius Imperatoris legibus Jus dicerent.* (fiebant enim edicta à Salvio Juliano collecta leges Imperatoriæ ob confirmationem.) *In liberâ Republicâ alii prætores præerant bello alii Jdictioni: at in monarchico ſtatu ſolam adminiſtrabant Juriſdictionem: & ita tandem Judicum tantummmodo officio fungebantur. Quæ cauſſa eſt, quare Juſtinianus* (Novell. 26. cap. 1.) *tradat prætorem Romanum, Imperatoris ſimul & legiſlatoris locum in ſuâ Republ. tenuiſſe, &* (Nov. 24. pr.) *dicat: permiſſam fuiſſe tam rei bellicæ adminiſtrationem, quàm legum perſcriptionem. add. & Novell. 25. pr. Initium infringendi prætorum poteſtatem fecit Tiberius, de quo Tacitus* (1. annal. cap. 75.) Nec patrum cognitionibus (*i. e. quòd extraordinariis Judiciis intereſſet*) ſatiatus judiciis (*i. e. ſi prætor ordinaria exerceret Judicia*) adſidebat in cornu tribunalis (*habebat enim tribunal prætoris formam literæ Σ*) ne prætorem curuli depelleret: multaque, eo coram, adverſus ambitum & potentium preces conſtituta. Sed dum veritati conſulitur, libertas corrumpebatur (*i. e. adimebatur prætori poteſtas liberè jus dicendi.*)

2. Hæc cauſſa eſt, quare de prætoris officio & poteſtate his quæ de Conſulibus, fermè paria in LL. ff. proponantur. *Nam 1. traditur de manumiſſionibus & emancipationibus coram ipſo faciendis. 2. quomodo ſe gerere debeat in Judicibus dandis: poteſtatem enim dandi Judices prætori non niſi everſo penitus ſtatu Imperatores adimere non poterant.* (t. t. ff. de offic. prætorum.)

ART-

ARTIC. III.

DE CENSORIBUS ET ÆDILIBUS CURULIBUS.

1. De Cenſorum Ædiliumque curulium officio nihil eo in loco ubi de officiis magiſtratuum in Digeſtis tractatur, habetur. *Nam Cenſorum poteſtatem in ſe trahebant Imperatores: traditq; Tacitus* (11. ann. 25.) *Claudium Cenſorio munere optimè functum patrem ob hoc Senatûs appellatum à Conſule: quamvis id nomen abnuerit. Ædilium poteſtatem arctius cohibitam temporibus Neronis legimus apud eundem Tacitum* (13. ann. 28.)

ARTIC. IV.

DE PRÆFECTIS PRÆTORIO.

1. Præfectus prætorio, à loco in caſtris, ubi Imperator commorabatur, ita vocatus, refertur (*l. un. ff. de Offic. præf. præt.*) originem traxiſſe à magiſtro equitum. *Nam cùm apud veteres dictatoribus ad tempus ſumma poteſtas crederetur, & magiſtros equitum ſibi eligerent, qui adſociati participales curæ, militiæ gratiâ, ſecundam pòſt eos poteſtatem gererent; regimentis Reipubl. ad Imperatores perpetuò translatis, ad ſimilitudinem magiſtrorum equitum præfecti prætorio à principibus electi dicuntur datâ eis pleniore licentiâ ad diſciplinæ publicæ emendationem.*

2. Auctâ Imperatorum poteſtate crevit quoque Præfectorum poteſtas. *Quemadmodum enim Imperatores ipſi ſimulabant, ſe tantùm duces exercitûs hujus curam habituros: ita nec præfecti prætorio ulteriùs quàm ad prætorianos milites ſuam Juriſdictionem poterant extendere. Teſtatur hoc Tacitus* (13. ann. 4.) *de Nerone, qui initio Imperii id præ ſe tuliſſe fertur, quando à laudato hiſtorico narratur, quo pacto factus Imperator in Senatu conſilia ſibi & exempla capeſſendi egregiè Imperii memoraverit: ſcil.* teneret antiqua munia Senatus. Conſulum tribunalibus Italia & publicæ provinciæ adſiſterent. Illi (*conſules*) patrum aditum præberent (*Senatum convocarent in gratiam hujus decreta petentium*) ſe mandatis exercitibus conſulturum. (*peracturum ſive ſibi proprium munus in regendis exercitibus.*) *Prætendentibus id ſic Imperatoribus, quomodo præfectorum prætorio Juriſdictio ulteriùs, quàm ad milites pertingere potuit? Auctâ autem poteſtate Imperatorum, adeò ut omnia Jura Majeſtatis conſequerentur; etiam præfecti prætorio de omnibus omninò cauſſis tam civilibus quàm criminalibus judicare cœperunt, & quidem ita, ut* (quod traditur l. unic. C. de ſentent. præfect. prætor.) *ab his ad Imperatores appellare non licuerit. Nam judicabant*

ita,

ita, ut perſonam Imperatoris judicando repræſentarent. Quo ipſo factum, ut unà cum poteſtate & dignitas horum augeretur. Hinc Lampridius de Alexandro Severo ſcribit, quòd præfecto prætorio addiderit Senatoriam dignitatem; de Hadriano Spartianus, quòd dignitatem Conſularem tribuerit ſuo præfecto prætorio, ne non-conſularis de Senatore judicaret. Hæc cauſa eſt, quare Ulpianus, qui tempore Severi vixit, incipiat virum præfectorium conſulari fœminæ præferre (l. 1. ff. de Senat) *cùm & vir conſularis fœminæ præferatur; præfectorius autem conſulari viro ratione dignitatis æqualis exiſtat. Quopacto dignitas ejus porrò à temporibus Conſtantini M. ſuo modo partim aucta partim & imminuta fuerit, paulò pòſt dicetur.*

ARTIC. V.
DE
PRÆFECTO URBI.

1. De origine & progreſſu hujus magiſtratûs eleganter diſſerit Tacitus (*6. ann. cap. 11.*) quando ait: *Namq; antea profectis domo regibus, ac mox magiſtratibus, ne urbs ſine Imperio foret, in tempus* (præfectus urbi) *deligebatur, qui jus redderet, ac ſubitis mederetur. feruntq; ab Romulo Dentrem Romulium, pòſt ab Tullo Hoſtilio Numam Marcium, & ab Tarquinio Superbo Spur. Lucretium impoſitos. dein Conſules mandabant: duratq; ſimulacrum* (i. e. remanet veſtigium hujus rei) *quoties ob ferias latinas præficitur qui conſulare munus uſurpet. Cæterùm Auguſtus bellis civilibus Cilnium Mecœnatem equeſtris ordinis, cunctis apud Romam atq;* Italiam *præpoſuit. Mox rerum potitus, ob magnitudinem populi ac tarda legum auxilia* (i. e. ob moras quæ nectebantur in Judiciis, ſi ex legibus de delictis ageretur) *ſumpſit è Conſularibus, qui coërceret ſervitia, & quod civium audaciâ turbidum niſi vim metuat* (i. e. cives eos, qui ceſſante metu nefaria audent.) *Primusq; Meſſalla Corvinus eam poteſtatem, & paucos intra dies finem accepit, quaſi neſcius exercendi* (i. e. quia ignoravit modum talem poteſtatem exercendi, citò coactus eſt eam deponere) *Tum Taurus Statilius, quanquam provectâ ætate, egregiè toleravit. Dein Piſo viginti per annos pariter probatus, publico funere ex decreto Senatûs celebratus eſt.* Erat namque hic magiſtratus non annuus ſed perpetuus, cui parere non erant adſueti Romani; ac proinde ſingularem in gerentibus eundem deſiderabat prudentiam. Et ob hoc laudat Piſonem Tacitus, quòd hunc tàm benè per viginti annos geſſerit, quando ait (*in fin. cap. 10.*) *ſed præcipua ex eo gloria, quòd præfectus urbi recens, continuam poteſtatem (i. e. magiſtratum perpetuum & non annuum)* & inſolentiâ parendi graviorem (*i. e. cui difficulter parebant cives Romani, quia huic adſueti non erant*) mirè temperavit.

2. Videtur autem poteſtas præfecti Urbi poſt Auguſtum rurſus imminuta. *Nam tradit expreſſe Tacitus* (cit. lib. 6. ann. c. 11.) *Præfectum urbi cunctis apud Romam Italiamq; præpoſitum: & quamvis Ulpianus* (l. 1. pr. ff. de offic. præf. urb.) *idem videatur aſſerere, mox tamen limitat* (§. 4. eod.) *dicendo ultra centeſimum miliarium cognitionem præfecti urbi ſeſe non extendere.*

3. Hoc tamen ſemper retinuit, ut quietis in civitate rationem haberet & ſubitis mederetur. *Unde & jubetur diſpoſitos ſtationarios milites habere ad tuendam popularium quietem, & ad referendum ſibi, quid in ſpectaculis agatur.* (l. 1. §. 12. ff. d. t.) *Hinc & cognoſcebat de collegiis illicitis, ne improbi coire & movere ſeditiones poſſent.* (d. l. un. §. 14.)

4. Cura quoque carnis omnis, ut juſto precio præbeatur ad curam ejusdem pertinebat. *Et ideò & forum ſuarium ſub ipſius curæ erat; ſed & cæterorum pecorum ſive armentorum, quæ ad hujuſmodi præbitionem ſpectant.* (d. l. §. 12.

5. Cumque omnia crimina coërcere poſſet, etiam cuncta pœnarum genera irrogare poterat; & propterea ab aliis magiſtratibus ad eum mittebantur ſeverius puniendi. *Nam & deportabat in Inſulam, quam Imperator aſſignabat (quæ poteſtas nulli alii magiſtratuum competebat)* (d. l. 2. §. 3.) *Interdicebat etiam in perpetuum advocationibus & negotiatione & profeſſione.* (d. l. 1. §. 13.) *Id quod nulli alii magiſtratuum conceſſum erat.* (l. ult. ff. de pœn.)

6. Quando verò urbe exierat, ejus poteſtas ceſſabat. (*l. ult. ff. de præf. urb*).

ARTIC. VI.
DE
QUÆSTORIBUS.

1. Quæſtores, inquit Tacitus (*11. annal. 22.*) regibus etiam tum imperantibus inſtituti ſunt: quod lex curiata (*i. e. curiatis comitiis lata*) oſtendit, ab L. Bruto repetita. (*Hoc itidem traditur l. un. pr. ff. de Offic. Quæſtor.*) Manſitq; Conſulibus poteſtas diligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret. creatique primùm Valerius Potitus, Æmylius Mamercus LXIII. anno poſt Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur (*i. e. ut militiæ intereſſent*). Dein gliſcentibus negotiis duo additi qui Romæ curarent. (*i. e. qui in urbe haberent curam pecuniæ publicæ*). Mox duplicatus numerus, ſtipendiariâ jam Italiâ (*i. e. cum tota Italia Imperio Romanorum ſubjecta eſſet*) & accedentibus provinciarum vectigalibus. Pôſt lege Syllæ viginti creati ſupplendo Senatui, cui judicia tradiderat. Et quanquam equites judicia

recu-

recuperaviſſent; Quæſtura tamen ex dignitate candidatorum, aut facilitate tribuentium, gratuitò concedebatur, donec ſententiâ Dolabellæ venundaretur. (*Nam Dolabella, imperante Claudio, cenſuerat, ſpectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum ſumptibus eorum, qui quæſturam adipiſcerentur: quòd tamen paulò poſt SCto abrogatum teſte itidem Tacito 13. ann.5.*)

2. Ex quæſtoribus quidam ſolebant provincias ſortiri ex SCto, quod factum eſt Decimo Druſo & Porcinâ CSS. Sed non omnes ſortiebantur provincias, verum excepti erant candidati principis, qui ſolis libris principalibus in Senatu legendis vacabant. *Erat enim quæſtoria dignitas primus ad cæteros honores gradus*: (d.l.un.§.3.) *unde fortaſſe qui circa principem fuerunt Candidati principis dicti ſunt.*

ARTIC. VII.
DE
PRÆFECTO VIGILUM.

1. Origo præfecti vigilum eleganter traditur. (l.1. l.2. l.3. pr. ff. de præf.vig.) *Nam apud vetuſtiores, incendiis arcendis præfuere triumviri nocturni dicti ab eo quòd excubias agebant. Intervenêre nonnunquam & ædiles & tribuni plebis. Sed Auguſtus obortis incendiis pluribus uno die per ſe huic rei conſuli maluit, creato præfecto vigilum, junctisq; huic ſeptem cohortibus.*

2. Officium & poteſtas conſiſtebat in hiſce: ut ſcil. per totam noctem vigilaret, & oberraret calceatus cum hamis & dolabris, attenderetque an quisque inquilinus in cœnaculo aquam haberet: unde etiam cognoſceret de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, receptatoribus; niſi ſi qua tam atrox, tamq; famoſa perſona ſit, ut præfecto urbi remittenda veniat. it. ut caſtigaret fuſtibus eos, qui negligentius ignem habuerunt. it. ut puniret cuſtodes inſularum horreorumq;, ubi homines precioſiſſimas partes fortunarum reponunt. it. ut judicaret de capſariis qui mercede in balneis ſervanda veſtimenta ſuſcipiunt. it. ut fugitivos conquireret & dominis redderet. (*l.3. & 4. ff. d. t.*)

ARTIC. VIII.
DE
PROCONSULIBUS ET LEGATIS HORUM.

1. Proconſules olim dicti fuerunt, quibus finito Conſulatu imperium prorogatum eſt. *Soliti enim ſunt Romani Conſulibus magiſtra-*

tum, qui regulariter annuo ſpacio finiebatur, prorogare. Idq́; primò factum legibus in perſonâ P. Philonis, teſte Livio (lib. 8.)

2. Qui verò t. ff. (*de offic. proc.*) proconſules dicuntur ab Auguſti imperio originem trahunt: *Cùm enim hic provincias cum Senatu diviſiſſet, & huic pacatas relinquendo ſibi ſumpſiſſet eas, in quibus bella gerenda eſſent:* (quo ipſo effecit, ut ipſe ſolus exercitum ſemper haberet) *natæ inde ſunt duæ diſtinctæ poteſtates: à proconſulibus enim Senatoriæ & pacatæ; à præſidibus qui etiam proprætores, rectores provinciarum, it. legati Imperatoris dicti ſunt, imperatoriæ provinciæ rectæ fuerunt.* (l. 12. ff. de accuſat.)

3. Erat autem initio ſtatûs monarchici poteſtas proconſulum major quàm præſidum. *Nam proconſules habebant ſuam ſibi propriam Jurisdictionem, eamq; mandabant legatis ſuis: at præſides legati tantùm erant Imperatorum, & nullam propriam habebant Jurisdictionem. Quapropter habebant proconſules velut magiſtratus ſua inſignia, quibus utebantur ſtatim ac urbem egreſſi eſſent.* (l. 1. ff. de Offic. proconſ.) *erant autem inſignia ſex faſces* (l. 14. ff. d. t.) *quibus præſides, utpote nullam propriam Jdictionem habentes uti non poterant. Quamvis contrà præſides gladio uterentur, quia mittebantur in provincias, ubi bella gerenda erant; cùm proconſules jus utendi veſte militari & cingendi gladium non haberent.*

4. Quod officium ac poteſtatem horum concernit, notandum quòd antequam ingrederentur provinciam, debuerint. 1. edictum de adventu ſuo mittere (l. 4. §. 3. ff. d. t.). *Ratio eſt, quia proconſules olim ſuo jure habebant provincias, adeoq; nemo prætor illos poterat jubere eos, qui præfuerant, exire: unde Ulpiani cauſſa ficta videtur, quando dicit, id ideò factum, ne inopinatu turbarent provinciales. quàm inopinatum enim eſt, novos proconſules intrare? noverant quippe provinciales, ſingulis annis finiri magiſtratum, novumq; Româ mitti. Et ſi hæc eſt ratio, quare & præſides non mittebant Edicta? Scil. hoc pacto lento gradu procedere tyranni & paulatim ſtatum evertere, vetera jura tollere, & omnia ſibi arrogare ſolent. Hinc cùm tandem nulla remaneret inter Senatorias & Imperatorias provincias differentia, nec proconſules à præſidibus aliter quàm nomine differebant.* 2. quòd debuerint rectâ viâ ingredi. (l. 4. § 5. ff. d. t.)

5. Initio ſtatim ac ingreſſi ſunt provinciam ſoliti ſunt imò debuerunt Jurisdictionem ſuam legato mandare, ſi ipſis animus fuerit mandare eandem. (l. 4. §. 6. & l. 6. §. 1. ff. d. t.) *Ante ingreſſum namq; Jurisdictionem contentioſam nullam habuerunt.* (l. 2. ff. d. t.) *Quandoq; te-*

men neceſſitate exigente conceſſum ipſis mandare: (l.5 ff.cod.) *neceſſitas enim non habet legem.*

6. In adminiſtratione ſuâ jubentur 1. ita ſe gerere, ne provinciales oneribus præter neceſſitatem afficiantur. *Quæ cauſâ eſt, quare prohibeantur uti magno comitatu* (l.4.pr.ff.eod.) *aut ſtratoribus propriis.* (d.l.4.§.1.) *it. quare melius eſſe dicatur, ſi ſine uxore proficiſcantur.* (d.l.4.§.2.) *it. quare in Xeniis accipiendis moderati eſſe jubeantur.* (l 6.§. non verò. 3. ff. d.t.) Sed ut potius benevolentiam provincialium ſibi concilient. *Quæ cauſa eſt, quare jubeantur, ſi in aliquam celebrem civitatem, aut eam quæ caput eſt provinciæ advenerint, pati ſibi commendari eam, laudesq; ſuas non gravatè audire.* 2. Judicia ritè adminiſtrare: ſingula ita expediendo prout expedienda ſunt. *Id quod fit, in aliis de plano, in aliis pro tribunali cognoſcendo.* (l.9.§.3.ff.eod. l.6 ff.de accuſat.) *it. potentiores non præferendo cæteris, ſed ſingulos æqualiter admittendo*(l.9.§ 4.ff.eod.) *advocatos patienter audiendo, ita tamen, ne ipſorum auctoritas evileſcat* (d.l.9.§.2.) *& hos dando impotentioribus, ne à potentioribus ſupprimantur.* (d.l.9.§.5.) 3. curam rerum ſacrarum habere. (l.7. pr. & §.1.) *Quæ ſingula congruunt cum his quæ ſuprà generaliter tradidimus obſervanda circa rectores provinciarum, quò imperia ſubſiſtant.*

7. In egreſſu, quando officium deponunt, jubentur hoc obſervare, ne egrediantur ante ſucceſſoris adventum: (*l.10.pr.*) cenſentur autem deponere imperium, quando portam Romæ rurſus ingrediuntur. (*l. ult. ff. eod.*)

8. Legati proconſulum nullam habuêre propriam Jurisdictionem, ſed mandatam (l.13.ff. eod.). *Unde jus dicentes perſonam proconſulum repræſentabant, quemadmodum præſides principum.*

9. Hæc fuit ratio proconſulum olim, qui in provinciis ſuis maximam habuêre poteſtatem, paulatim imminutam, donec ratione poteſtatis præſides non excederent. *Hinc quando Ulpianus* (l.7. §. ult. l. 8. l.9. ff.d. t.) *tradit, pleniſſimam Jurisdictionem habere proconſulem; omniumq; partes, qui Romæ vel quaſi magiſtratus vel extra ordinem Jus dicunt, ad ipſum pertinere; nec quicquam eſſe in provinciâ quod non per ipſum expediatur: addit poſt principem eum majus omnibus imperium habere, & debere etiam abſtinere à dijudicatione cauſſarum fiſcalium. Ex quo videmus, quo pacto procedendo per minima detractum auctoritati & poteſtati proconſulum fuerit.*

ARTIC. IX.
DE
PRÆFECTO AUGUSTALI.

1. Præfectus Auguſtalis, qui Ægypto præfuit, nomen ſuum ab

Auguſto accepit. *Nam poſtquam hic Cleopatram & Antonium devicerat, Ægyptum fecit tributariam & in provinciam redegit. eiq; præfecit ex equeſtri ordine magiſtratum, qui præfectus Auguſtalis nominatus eſt, propterea quòd Auguſtus hanc provinciam ſibi ſingulariter reſervaverat, ut ne ulli quidem Senatori concederetur ſine impetratâ veniâ eam intrare. Quæ cauſſa fuit, quare Tiberius Germanicum acerrimè increpuit, quòd contra inſtituta Auguſti, non ſponte principis, Alexandriam introiſſet. Cauſſam prohibitionis eleganter tradit Tacitus* (2. ann. 59.) *quando ait:* Nam Auguſtus inter alia dominationis arcana, vetitis, niſi permiſſu, ingredi Senatoribus aut equitibus Romanis illuſtribus, ſepoſuit Ægyptum [*i.e. ſibi ſoli reſervavit.*] ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam, clauſtraque terræ ac maris, quamvis levi præſidio adverſum ingentes exercitus inſediſſet. *Quæ ultima Taciti verba explicant quæ habentur* (1. *Hiſt.* 11.) Ægyptum copiasque, quibus coërceretur, jam inde à Divo Auguſto equites Romani obtinent loco Regum. Ita viſum expedire (*i.e. hoc ſalutare eſſe videbatur Auguſti Imperio*) provinciam aditu difficilem, annonæ fœcundam, ſuperſtitione ac laſciviâ (*levitate animi & petulantiâ, quæ comitari abundantiam bonorum ſolet*) diſcordem & mobilem, inſciam legum, ignavam magiſtratuum domi retinere [*i.e. principi tanquam bonum privatum ſervare.*)

2. Quemadmodum autem proconſulibus datum, ut coram iis non aliter ac cæteris magiſtratibus lege agi poſſet: ita quoq; id præfecto Auguſtali hoc conceſſum. (l. un. ff. de offic. præf. Auguſt.) *Quam legem interpretantur verba Taciti* (12. annal. 60.) Nam Divus Auguſtus apud equeſtres, qui Ægypto præſiderent, lege agi, decretaq; eorum perinde haberi juſſerat, ac ſi magiſtratus Romani conſtituiſſent: mox alias per provincias & in urbe pleraque conceſſa ſunt, quæ olim à prætoribus noſcebantur. *Scil. quia præfectus Auguſtalis erat legatus principis, nullamq; propriam habebat Juriſdictionem, unde nec lege coram eo agi poterat, inſtituit Auguſtus, ut lege daretur ei poteſtas ſimilis proconſulari, i.e. quò quemadmodum coram proconſule, ita & coram hoc legis actiones inſtitui poſſent. Quo obtentum, ne Ægyptii manumittere volentes aut alias legis actiones inſtituturi cogerentur ipſum adire Imperatorem.* (l. 21. ff. de manumiſſ. vind.) *Neq; enim Ægyptios frequentes intrare Italiam conducere Imperio Auguſti videbatur.*

ARTIC. X.

DE JURIDICO ALEXANDRIÆ.

1. Præfecto Auguſtali junctus fuit Juridicus Alexandriæ. *Nam cum periculoſum admodum eſſet, ejuſmodi provinciam, qualis Ægyptus*

fuit,

fuit, ab uno regi equite Romano, qui facilè potuiſſet ad ſe tractis provincialibus toti Imperio Romano terrori eſſe: junctus meritò huic fuit Juridicus Alexandriæ tanquam obſervator, qui in urbe Alexandriâ velut capite provinciæ jus diceret. Idq́; diſcere poſſumus ex Strabone (l.17.)

2. Fuit autem hic Juridicus non legatus præfecti Auguſtalis, ſed ſuam quoque propriam ad modum ipſius præfecti habuit Juriſdictionem. (*l.1. & 2. ff. de Offic. Jurid. Alex.*

ARTIC. XI.
DE PRÆSIDIBUS SEU RECTORIBUS PROVINCIARUM.

1. Præſides initio monarchiæ non dicti ſunt magiſtratus. *Nam diviſis inter Auguſtum & Senatum provinciis, ſoli proconſules, qui provinciis Senatoriis præerant, propriamq́; ſibi Juriſdictionem habebant, magiſtratus vocabantur: præſides autem non ſuo Jure Juriſdictionem habebant, ſed vice Imperatorum Jus dicebant. Unde nec utebantur inſignibus, uti proconſules, nec imperium habebant annuum, ſed mittebantur ab Imperatoribus cum certis mandati formulis & abſq́; temporis definitione. Firmatâ autem tyrannide, nullâ inter proconſules præſidesq́; manſit diſtinctio; factumq́; nomen præſidum generale non modò legatis Cæſarum, ſed & proconſulibus competens* (l.1. ff. de Offic. præſ.)

2. Poteſtas præſidum maxima fuit ſed non propria. *Nam vice Imperatorum præfuerunt. Quâ de cauſâ dicitur horum imperium in provinciis majus omnibus poſt princpem* (l. 4. ff. d. t.) *quodq́; poſſint de omnibus cauſſis, de quibus vel præfectus urbi cæteriq́; magiſtratus cognoſcunt & ipſi cognoſcere.* (l.10. ff. eod.) *& ita omnia provincialia deſideria, quæ Romæ varios Judices habent, ad officium eorum pertineant.* (l.11. ff. eod.) *Sed cùm haberent merum imperium pœnasq́; capitales æquè ac præfectus urbi irrogare poſſent.* (l.6. §.8. ff. eod.) *deportandi tamen jus non habuerunt. An fortaſſe hujus cauſſa fuit, quòd olim provincialis, quibus præerant hi rectores, non eſſent cives Romani?* (Antonini enim temporibus omnes qui ſub orbe Romano ſunt cives Romani pronunciati ſunt. l.16. ff. de ſtat. hom.) *Nam pœna deportationis conſiſtens in amiſſione civitatis propria eſt civium Romanorum. Quæ conſuetudo, ut fieri aſſolet, manſit poſtea etiam tunc cùm omnes provinciales cives Romani facti ſunt. Cæterùm hæc poteſtas penes præſides eſt, quamdiu in provinciâ ſunt; ſi enim exceſſerint, privati ſunt.* (l.3. ff. eod.) *Quod ſecus erat in proconſulibus, qui non prius deponebant Imperium, quàm ingreſſi portam urbis Romæ, ut* (artic.8.) *dictum.*

3. Ad

3. Ad officium eorum pertinebat curare. 1. ut pacata ac quieta eſſet provincia commiſſa. *Cui dicitur inſervire, ſi feliciter agatur, ut malis hominibus provincia careat, quod fit ſi conquirantur non modò delinquentes, ſed & receptatores eorundem, & in quemq; prout deliquerit animadvertitur.* (l. 13. pr. ff. eod.) *Neve extranei impunè peccare poſſint conceſſa quoq; ipſis eſt Jurisdictio in extraneos.* (d.l.3. ff. eod.) 2. ne illicitæ fiant exactiones, venditiones, cautiones vi metuve extortæ. it. ne quis iniqvum lucrum faciat, aut damnum ſentiat. [*l 6. pr. ff. eod.*] *& in ſumma ne prohibita fiant, licita prohibeantur.* (*d.l.6. §.4.*) 3. ne potentiores viri humiliores injuriis afficiant: ſed ut in Judiciis ſemper ſpectetur id quod verum eſt. (*d.l.6. §.1. & 2.*) *Quam ob cauſſam, ut ſeipſos tutores, ita & judices dicere prohibentur.* [*l.5. §. eod.*] 4. ne innocentibus pœnæ irrogentur v.g. furioſis (*l.13 §.1. l.14. ff. eod.*) ſed ut & nocentibus quandoque parcatur, ſimulatam v.g. ſolvere nequeant. 5. ne in judicando ſpectetur perverſa aliqua, quæ Romæ obtinet, conſuetudo, ſed ſententiæ dicantur ſecundum præſcriptas LL. (*l.12. ff. eod.*) *Manſerat enim hactenus mos, ut facta civium Romanorum judicarent conſuetudinem, quæ in liberâ Republ. optima interpres legum erat.* 6. ne in contemptum veniant, adeuntibus tamen faciles ſint. (*l.19. pr. ff eod.*) 7. ne municipia ruinis deformentur, ſed domini ſua ædificia reficiant. (*l.7. ff. eod.*) 8. ne ſub prætextu adventûs officialium, qui militibus præſunt, vel militum miſeri homines cogantur ſupellectilem vel limen unicum *i.e. exiguam domum* præbere ad uſus, ut hoſpitio excipiant adventantos milites, aut ſi exiguam ſupellectilem dimittere nolint, ſumptus facere cogantur. (*l.6. §.5 ff. eod.*) it. ne quæ ad utilitates militum exiguntur in privatum commodum convertantur. (*d l.6. §.6.*)

4. Præſides porrò non poterant ipſi ſe abdicare Imperio (*l. 20. ff. eod.*) & ſi id de facto facerent, tamen imperium non amittebant *Nam toti pendebant à principe & hujus mandato Imperium gerebant.*

ARTIC. XII.
DE PROCURATORE CÆSARIS VEL RATIONALI.

1. Procuratores Cæſaris, qui Imperatorum negotia privata & cauſſas pecuniarias tractabant, initio monarchiæ nec magiſtratus erant aut Jdictionem aliquam habebant: ſed temporibus Claudii introductum, ut judicata ab iisdem parem vim haberent, ac ſi ipſe Cæſar judicaſſet. *Teſtatur hoc Tacitus* [*12. ann. 60.*] *quando ait*: Eodem anno ſæpius audita vox principis, parem vim rerum habendam à procuratoribus ſuis judicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet.

2. Offi-

2. Officium ergò horum partim commune erat cum eo,quod procuratores privatorum gerunt; partim proprium,quatenus Cæſaris ſunt. *v.g. commune erat, quòd ſcil. cùm non haberent liberam poteſtatem adminiſtrandi, nec vendere nec ullo modo alienare res principis* (l. 46.§.7. ff. de Jure fiſci) *ſpecialiter tamen de alimentis tranſigere poſſent.* (l.7.§.19. ff. de transact.) *Peculiaria & cæteris procuratoribus privatorum non competentia hæc erant, 1. quod ipſi nomine Cæſaris hereditatem relictam adire, aut eam jubere per ſervum Cæſaris adiri, ſi huic relicta fuerit, potuerint: modò non viderint eam damnoſam eſſe. (l.1. fin. & l. 2. ff. de Offic. proc. Caſ.) 2. quòd pro modo Jdictionis ſuæ habuerint mixtum imperium non modò, ſed & facultatem tumultuoſos, aut in colonos Cæſaris injurioſos prohibendi à prædiis.*

ARTIC. XIII.
DE ASSESSORIBUS.

1. Aſſeſſores dicti ſunt præſidum conſiliarii. *Nam cùm præſides, qui provinciis Imperatoriis præficiebantur, velut milites, plerumq; eſſent Juriium imperiti: ſecum ſumebant JCtos, qui ſtudioſi juris dicuntur* (l.1. ff. de offic. aſſeſſorum) *& Conſiliarii* (l.1. & 10. C. eod.) *quorum conſilio utebantur in expediendo ſuo officio. De horum tractaturi ſumus 1. electione. 2. officio. 3. ſalario & præmiis, quæ iisdem tribui ſolebant.*

2. Circa electionem conſiderandum, ex quorum numero eligi poſſint: & traditur (*l.2. ff. eod.*) quòd quamvis liberti non tamen infames aſſidere poſſint; (*Nam & principes ipſi utebantur ſuis libertis in ferendis conſiliis*) nec ii qui ex illâ provinciâ oriundi ſunt, in quâ præſes imperat. (*l.10.C. & l.3. ff. eod.*) (*ne ſcil. per gratiam aut odium erga cives præſidi perniciosa ſuggerant conſilia*) nec inviti (l. 1. C. eod.) *ſpe præmiorum enim attrahendi potius, quàm vi adigendi. Eundem tamen ſæpius hoc fungi officio permiſſum eſt.* (l.12.C. eod.)

3. Officium Aſſeſſorum conſtat ferè in cognitionibus, poſtulationibus, libellis, edictis, decretis, epiſtolis. (l.1. ff. eod.) *Nam hæc omnia pertinent ad Judicia & ea quæ ad lites hominum faciunt ritè & ſecundum Jura expediendas; in quibus velut JCti ſua conſilia ſuppeditare debent.*

4. Prohibentur porrò duobus magiſtratibus ſimul adſidere, it. in eâ cauſſâ, in quâ advocati fuerunt. (l.ult.§.1. C.eod.) *Fieri enim his caſibus non poteſt, ut conſilia debita ſuggerere poſſint. Si quid minꝰ prudens ſuggeſſerint præſidibus, non his ſed ipſis imputatur.* (l. 2. ff. Quod quisque jur.)

5. Pro officio ſuo publicum aſſeſſores accipiunt ſalarium. (*l. ult. C. eod.*) quod ad integrum ipſis annum datur, etiamſi præſes mortuus ante finitum annum fuerit. (*l. 4. ff. de offic. aſſeſſ.*)

6. Gaudent & ſuis privilegiis. *Nam Reipubl. cauſſâ abeſſe cenſentur: unde ipſis ob abſentiam datur beneficium reſtitutionis in integrum. it. immunes ſunt ab oneribus.* (l.11. C eod. & l.38. pr. Ex quib. cauſ. maj.) *Æquiparantur etiam militibus armatis ratione peculii.*

MEMBR. II.

DE DIGNITATIBUS JUDICUM, QVALES ILLÆ FUERUNT POST TEMPORA CONSTANTINI MAGNI.

1. Dignitas hîc fermè ſumitur, quemadmodum eam definivit Cicero (*lib. 2. de invent.*) nimirum pro auctoritate alicujus honeſtâ cultu & verecundiâ & honore dignâ. *i. e.* pro eo quod in aliquo meretur poteſtatem & honorem. *Hinc quando dicimus Titium gaudere Conſulari dignitate, hoc volumus, eum à principe judicatum eſſe mereri poteſtatem & honorem quibus utuntur Conſules.*

2. Eſt autem dignitas duplex: alia in poteſtate & honore, alia in ſolo honore conſiſtens, quarum illa poteſtas, hæc honoraria dignitas vocari poteſt. *Quam diviſionem nobis ſuggerit partim definitio noſtra partim Anaſtaſius* [l.ult. C. de dignit.] Poteſtas rurſus in majorem & minorem dividitur (d. l. ult.) *Circa has habemus in Jure hanc regulam,* quòd major dignitas, quam quis conſecutus eſt, non minori quam quis prius habuit præjudicium faciat. (*l.3. C. eod.*) contrà verò qui indignus eſt inferiori ordine etiam indignus cenſeri debeat ſuperiori. (*l. 4. ff. de Senat.*) *De honorariis & vacantibus n. 9. dicetur.*

3. Dignitas ſuggerit ordinem ratione præcedentiæ. *Nam inter impares gradu dignitatis prærogativa jubetur obſervari. & nemo poteſt indebitum ſibi locum uſurpare, niſi velit ſacrilegus haberi* [l.1. C. ut dign. ordo ſerv.] *Inter pares verò dignitate prior tempore poſteriori præfertur: ita enim ajunt Impp.* (l.2. C. de præf. præt.) Sit igitur ſedes prior ante provectis, locus conſpectior, decernendi loquendique facultas antiquior, cui eſt ſplendor adepti magiſtratûs vetuſtior. *Idem de Conſularibus viris traditur.* (l. 1. C. de CSS.) *Huic regulæ autem nihil prærogat honor repetitus. Hinc qui prior Conſul creatus fuit, licet ſemel conſulatum geſſerit, alteri præfertur etiamſi aliquoties Conſul fuerit. Repetiti enim faſces virtutes ſæpe meriti comprobant, non augent.* (d.l.1.)

4. Porrò poſt tempora Conſtantini M. omnes dignitates à ſolis

lis dependebant Imperatoribus. *Nulla enim tunc amplius Senatûs populiq; poteſtas circa comitia ſuper erat: cùm à temporibus Tiberii Senatus crearet magiſtratus, ut ſuperius ex Tacito* [*1.* ann. 15.) *docuimus. Hinc cùm ad imaginem veteris Reipublicæ Conſulum, prætorumq; aliqua ſupereſſet initio monarchiæ majeſtas; quia concipiebantur propriam habere Jurisdictionem: à temporibus tamen Conſtantini M. magiſtratus miniſtri Imperatorum redditi; & vocabulum magiſtratûs quod ſupremam antea denotabat poteſtatem quoddam miniſterium in judicando denotavit.*

5. Qui ergò olim magiſtratus, à temporibus Conſtantini Magni rectiùs judices appellati ſunt; horumque alii fuerunt civiles alii militares; civilium alii in urbe alii extra urbem; Civiles dicti, qui paganis Jus dicunt; militares, qui ſolis militibus: *prohibentur enim militares Judices de cauſis paganorum cognoſcere & ſeſe actibus eorum immiſcere.* [l.1. C. de Offic. militar. Judic.) *Habent namq; pagani ſuos civiles Judices, coram quibus conveniri debent.* (l.2. C. eod.) *& ſi ad quempiam coërcendum manu militari opus ſit, utuntur ſuis apparitoribus.* [d.l.1.]

6. Diſtinctæ etiam ſunt dignitates titulis quatuor potisſimum. *Nam poteſtatem gerentium alii illuſtres, alii ſpectabiles, alii clarisſimi, alii perfectisſimi dicti ſunt; Illuſtrium nonnulli ſuperilluſtres, velut patricii.* Quamvis hi tituli, velut ab arbitrio Imperatorum dependentes ſæpius, confunderentur, nominatis ſpectabilibus qui clarisſimi erant. *Ita Conſules modò ſuperilluſtribus modò clarisſimis annumeratos deprehendimus. Uſus quoq; aliis titulis deprehenditur Juſtinianus, & præfectum prætorio Italiæ excelſum; præfectum prætorio per Illyricum & Africam Eminentisſimum; præfectum urbi glorioſisſimum vocaſſe.*

7. Videtur quoq; obſervata hæc diſtinctio dignitatum, ut aliæ eſſent majores aliæ mediæ aliæ minores. *Nam illuſtres, ſpectabiles & clarisſimi majorem; perfectisſimi & egregii minorem dignitatem obtinere dicebantur; inter hos autem, qui majoris & minoris dignitatis erant, interponebantur Equites- Idq; colligi poſſe videtur ex Nov. 23. c. 3.*

8. Tempore Valentiniani & Theodoſii videntur hi quatuor gradus dignitatum fuiſſe, nimirum 1. præfectoriæ dignitatis (*quæ nominata eſt apex ſublimis (l.7. C. Theod. de honor Codic.)* 2. Proconſularis. 3. Vicariatûs. 4. Exconſularis; quibus cæteræ dignitates annumerabantur. *Nam præfectoriæ dignitatis erant Conſules, patricii, præfecti prætorio & urbi, magiſtri militum tam peditum quàm equitum, præpoſiti ſacri cubiculi; proconſularis, quæſtores, magiſtri officiorum, Comites ærarii, primicerius notariorum, comites conſiſtoriani, præpoſiti & tribuni ſcholarum, comites rei militaris & præpoſiti agentium in rebus; Vicariatûs, comites provinciarum, conſulares, rectores provinciarum, comites vacantes,*

tes, proximi ſcriniorum &c. Quarti gradûs erant decuriones ſilentiariorum, præpoſiti laborum, militantes in ſacris ſcriniis.

9. Judices deprehendimus alios fuiſſe adminiſtrantes officium, alios non adminiſtrantes; & horum alios fuiſſe vacantes, alios honorarios, alios ſupernumerarios. Vacantes, qui etiam adſcripti & allecti vocabantur, hi erant, quos Imperator ſimplici titulo alicujus muneris ornaverat collatis quoque ornamentis & inſignibus, qui tamē munꝰ non exercebant. *Scil. id propterea faciebant principes, ut quibus faverent concederent hoc pacto privilegia, quò fruerentur omnibus iis, quibus gaudebant, qui in adminiſtratione erant. Id tempore Commodi jam in uſu fuiſſe, addiſcimus ex Capitolino (in vitâ Pertinac.) quando ait:* Cùm Commodus allectionibus innumeris prætorios miſcuiſſet, Senatusconſultum Pertinax fecit, juſſitque eos, qui præturas non geſſiſſent, ſed allectione accepiſſent, poſt eos eſſe, qui verè prætores fuiſſent. *Nolebat enim Pertinax abuſum conferendi indignis & vulgandi honores tolerare*. Honorarii ſive imaginarii, qui & codicillares nominabantur, erant, qui muneris exortes honoris tantùm participes exiſtebant *i.e. præter nomen nihil habebant, nulla privilegia nulla inſignia.* Supernumerarii erant qui expectabant honorem & poteſtatem, interea verò titulo & nomine utebantur officii. *Hoc genus dignitatis repertum à Claudio teſtatur Suetonius* (in vit. Claudic. 25.) *quando ait:* Inſtituit imaginariæ militiæ genus, quod vocatur ſuper numerum, quo abſentes & titulotenus funguntur.

10. Tandem circa dignitates notamus & hanc diſtinctionem, quòd alia tranſeat ad liberos alia non. *Sic Senatoria dignitas tranſibat ad liberos. De quâ talis regula nobis traditur:* dignitas liberis ſemel acquiſita caſu patrum non amittitur. (*l. 34. ff. de Ritu Nupt. & l. 9. ff. de Senator.*)

11. Juvat etiam de perſonis nonnulla ſubjicere quæ ad dignitates admittuntur. Arcentur autem à dignitatibus. 1. qui cohortalibus obſequiis obligati ſunt. (*l. 13. C. de Offic. Rector. prov.*) 2. Infames & quibus aliqua macula inhæret, licet lege aliquâ notati non ſint. (*l. 2. C. de dignit.*) 3. Qui ex ultimis negotiatoribus, monetariis *ſeu monetas cudentibus* (*l. 1. C. de murilegul.*) abjectiſque officiis, vel deformibus miniſteriis, vel ſtationariis, omniq; officiorum fece, diverſiſq; paſſis turpibus lucris. (*l. 6. C. de dignit.*) 4. Liberti. *Quamvis libertorum filiis clariſſimatûs dignitatem appetere non ſit prohibitum.* (*l. 9. C. eod.*) 5. Mulieres. *Hæ enim nullam propriam dignitatem habent; ſed gaudent aut dignitate patrum & quidem tamdiu, donec inferioris conditionis viris nupſerint.* (l. 1. C. eod. l. 8. ff. de Senator.) *Nam nubentes dignitatem accipiunt*

piunt à marito, adeò, ut plebeiæ fiant nobiles & clariſſimæ, ſi nobilibus nupſerint. (l.13. C. de dignit.) *Quamvis nubentes vilioribus maritis à principe impetrare poſſint, ut ſibi dignitas reſervetur.* (l.12. pr. ff. de Senat.)

12. Cæterùm notandum & hoc eſt, Conſtantinum, dum evertere nitebatur univerſam Rempublicam, & ex uno corpore facere duo ſubjecta uni capiti (*Imperium enim in orientale & occidentale dividebat, quæ Italiam ſimilem ceteris provinciis redderet, unde factum ut hoc ſucceſſu temporis duo capita conſecutum in duo imperia abiret*) quamplurimos honoribus cumulare ſtuduiſſe, & vix cuiquam poſtulanti honoris titulum denegaſſe. *Nam ſuprà, cùm de Ratione ſtatûs tractaremus, demonſtravimus, conducere nova molienti multos augere honoribus, ut ex novâ Imperii ratione ſentiant commoda & præſenti ſtatu contenti ſint. Hinc alii conſulari alii Senatoriâ dignitate aucti, alii duces creati; quamplurimi autem comites, quorum alii primi, alii ſecundi, alii tertii ordinis fuerunt; tantùm ut eſſent graduum multa vocabula.*

ARTIC. I.
DE
JUDICIBUS IN GENERE.

1. Poſt everſum penitus omnem ſtatum, quod ut ſæpius dictum, contigit temporibus Conſtantini M. Judices dicti omnes qui magiſtratuum antea nomen habuerunt. *Nam in Judicando tantùm & Judicia adminiſtrando eorum officium conſtitit.*

2. Quòd verò ad officium eorum attinet, jubentur omnes ſecundum voluntatem Dei & Imperatoris electionem ordinationemq; ſuas adminiſtrationes gubernare (*l.1. §.5. C. de offic. præf. præt. Afr.*) it. benevoli exiſtere in tributarios (*d. l.1. §.11.*) prohibentur autem deditι eſſe cupiditatibus (*d.l.1. §.5.*) violentias inferre aut inferri permittere. (*eod.*) ſportularum quantitatem excedere. (*d.l.1. §.6. & 12.*) protrahere in publicum per officiales matreſfam. (*l.1. C. de offic. diverſ. Jud.*) *niſi pro fiſcalibus debitis vel privatis: debet enim aut ipſa tunc aut per procuratorem comparere. (auth. ſed hodiè novo. eod.)* it. denegare advocatis ſocietatem ſedendi cum ipſis aut intrandi eorum ſecretarium (*l. 3. C. d.t.*) Ad invicem autem ita ſe gerere jubentur, ut inferiores ſuperioribus debitam reverentiam exhibeant. (*l.5. C. de Offic. Rect. prov. & l.2. C. de Offic. diverſ. Judic.*)

3. Ut verò faciant officium, & pœnæ & præmia ipſis conſtituta ſunt. *Nam qui ſe furtis & ſceleribus maculaſſe convicti fuerint, ablatis codicillorum inſignibus & honore exuti inter peſſimos quosq; & plebeios habentur, nec admittuntur denuò ad honores, quibus ſeſe indignos reddide-*

runt. (l.12. C. de dignit.) *Juſtos autem permittunt Imperatores acclamationibus collaudare.* (l.3.C. de offic. Rect. prov.)

4. Et quia (*pr. huj. membr.*) diximus Judices alios civiles alios militares eſſe: Jubentur quidem Judices civiles obſervare, quod (*n.* 2. *huj. artic.*) diximus, nim. ne prohibeant viros honoratos aſſidere; interim tamen & hoc additur, ut tunc, quando lis tractatur, ſtent (*l.1. C. de Offic. civil. Judic.*) In adeundo faciles ſe præbere volunt Honor. & Theodoſ. (*l.2. C. eod.*) & ut allegationes eorum, qui ſeſe immunes à publicis functionibus aſſerunt, tum etiam ſupplicantium aliorum preces benignè audiant, & interim, dum de excuſatione cognoſcunt, tributorum exactionem ſuſpendant; ſub pœnâ 30. libr. auri. Judices militares prohibentur ſeſe immiſcere cauſis paganorum. (*l.1. & 2. C. de offic. milit. Judic.*) Omnibus verò tam civilibus quàm militaribus Judicibus injungitur, ut ſi quid occurrat quod ſalutem publicam concernit, id principi tempeſtivè denuncietur. (*l.ult.C.de LL.*) in minutiſſimis autem cauſſis ſingula Jurisdictione Judicum expediantur.

5. Quia etiam dictum, alios in urbe alios extra urbem in provinciis judicare: notandum circa eos, qui in urbe judicant, quòd ex permiſſu Impp. habeant jus commercii & ædificiorum faciendorum; provinciales verò, qui extra urbē in provinciis judicant, nec ex reſcripto principis quicquā emere ab hominibus ejusdē provinciæ, civitatis vel loci per ſe vel interpoſitam perſonam poſſint, præterquam victus quotidiani cauſâ. Donationes acceptare omnes quidem prohibentur: ſed factæ urbanis Judicibus confirmantur poſt depoſitam adminiſtrationem vel tacito vel expreſſo conſenſu; factæ provincialibus Judicibus non itidem. (l.un.C. de Contract. Judic.) *Ratio eſt; quia Urbanis Judicibus princeps præſens eſt inhibens impresſiones & concusſiones, quibus à ſubjectis Judices quid extorqueat.* (l. ſi per impreſſionem. 11. C. de his quæ vi metusve cauſâ. l. unic C. ſi rector prov.) *Referri & huc poteſt quod habet Cicero* (6.Verrin.) *quando ait:* Quæ fuit cauſſa, cur tam diligenter nos in provinciis ab emptione removerent? Hæc, Judices, quòd putabant ereptionem eſſe non emptionem; cùm venditori ſuo arbitrio vendere non liceret. *Par fuit ratio in provincialibus circa nuptias contrahendas: nulli enim licuit ex provinciâ oriundam vel ibi domicilium habentem uxorem ducere* (l.63. & l. 57. pr. ff. de Rit. Nupt.) *Notandum tamen quod hæc intelligenda ſint de temporalibus non perpetuis magiſtratibus, quorum poteſtas ſolet præſcindi aliis modis, ne impresſiones facere posſint. it. excipiuntur avita bona, quæ Judices emere non prohibentur* (l. 62. pr. de contr. empt.) *quia videntur magis ex amore erga eadem, quàm ex avaritiâ hoc facere.* Qui in provinciis ſunt hoc quoque peculiari-

ſiariter injunctum habent, ne excedant de locis quæ rexerunt intra quinquaginta dies poſt finitum officium; ſed in metropoli aut inſigni urbe ante omnium ora verſentur, quò omnibus pateat aditus eos conveniendi de furtis (l.un.C.ut omnes Judices. Nov.95. N.128.c.21. & 24. Nov.161.c.1.) *Quòd ſi antequam compleantur quinquaginta dies auffugere niſus ſit Judex, poſſunt provinciales eum capere & detinere* (Nov.8.c.9.ex quâ petita eſt Auth. Si verò C.d.t.) *Cognitio committitur Epiſcopo loci, qui referre poteſt ad principem, quò puniatur* (d.Nov.8.) Eſt & hoc proprium eorum, qui per provincias ſive militarem ſive civilem adminiſtrationem gerunt, ut ipſis præſtentur annonæ (*i.e. res victui neceſſariæ, panes, carnes, vinum, &c.*) & capitationes (*i.e. pabula pro equis & mulis quibus vehuntur aut ſarcinæ eorum portantur.*) *Hoc enim ita ab Alexandro Imperatore introductum teſtatur Lampridius* (in vitâ ejus) *ut à donis & muneribus ſibi temperarent. Sed Theod. & Valent.* (l.un.C. de annon. & capitat.) *jubent pro annonis & capite ſolvere precia in ſingulorum officiorum delegationibus i.e. notitiis definitam* (*his enim continebatur, quantum ſinguli ratione dignitatis & officii pro annonâ & capite deberent accipere.*)

6. Obſervatur etiam diſtinctio Judicum ratione modi multarum. *Eſt enim multa pœna pecuniaria, cujus quantitas cùm legibus circa omnes gradus delictorum determinari nequeat, ab arbitrio Judicum pendet. Hinc nec olim in liberâ Republ. competebat poteſtas multam indicendi, niſi iis, quibus judicatio data erat.* (l.aliud fraus 131.§.1.ff. de Verb. ſignif.) *ſeu, prout hoc declaratur* (l.2.§.ult.ff.de Judic.) *quibus publicè Judicium erat. Sic & denegatur multarum irrogatio procuratoribus ſeu rationalibus Cæſaris, it. Curatori Reipubl. qui græcè logiſta dicitur.* (l.2.& 3.C. de Modo multar.) *it. defenſoribus civitatum* [l.5.C.de defenſ.civ.] *Nec tamen & magiſtratus Jus multam indicendi habentes eam ſibi acquirunt, ſed pertinet ad fiſcum, niſi neceſſitatibus Reipubl. impendenda veniat.* (l.5.C de mod.mult.) *Quouſq; autem ratione quantitatis cuilibet Judici procedere conceſſum ſit, ex l.4. & 6.C.d.t. addiſci poteſt.*

ARTIC. II.
DE
ILLUSTRIBUS.

1. Primum locum obtinent Illuſtres & præ cæteris etiam habent privilegia, nim. ne ob crimen conjiciantur in carcerem nec ullius Judicum cognitioni ſubjiciantur, ſed ut de commiſſis per eos relatio fiat ad principem. (*l.16.C.dignitat.*) it. quòd conventi civiliter vel criminaliter non teneantur ſatisdare, ſed ſuæ committantur fidei, juratoriâ

ſtoriâ tantùm cautione expoſitâ. (*l.17.C.eod.*) it. quòd nec civiliter nec criminaliter ſine ſcripturâ conveniri queant. (*d.l.17.*)

2. Inter illuſtres primum locum vendicant patriciatûs dignitatem habentes, quæ à temporibus Conſtantini M. introducta inde deſcendit, quòd Imperatores nonnullos ob ſummam prudentiam honoris ergò patres appellarent. (l.ult.C. de CSS.) *Nam dignitas hæc tanta erat, ut nemini concederetur ad eam adſpirare, niſi prius aut Conſulatûs honore potitus fuiſſet aut præfecturæ prætorio (Orientis vel) Illyrici; vel urbis adminiſtrationem, aut magiſtri militum, aut magiſtri officiorum in actu poſitus (& non honorarius tantum) geſſiſſet* (l.3.C. de Conſulib.) *Ab ipſo Conſtantino M. excogitatam hanc dignitatem teſtatur Zoſimus* (l. 2.) *Conſulibus tamen, quamdiu præfuerunt, ceſſiſſe patricios ex Caſſiodoro in formulâ patriciatûs addiſci poteſt:* præfectorios & aliarum dignitatum viros præcedit, uni tantum cedens fulgori, quem interdum à nobis conſtat aſſumi. *& à Gratiano* (l. un. C. Theodoſ.) *Conſulatus omnibus faſtigiis dignitatum præponitur. Sed non mirum, diverſis temporibus, prout animati fuerunt Imperatores, ita & gradus dignitatum immutatos fuiſſe. Unde fortaſſe non negandum, Zenonem* (d.l.3.) *etiam Conſulatui patriciatûs dignitatem præpoſuiſſe. Cernimus & quod tradidit Zeno* (d.l.3.) *à Juſtiniano rurſus immutatum* (Nov.62.) *in quâ talem dignitatum ordinem introducit* (§. 2.) *ut urbicaria præfectura* (quando Senatus agitur) *omnibus aliis præſideat dignitatibus i.e. ante ſedeat: & poſt præfectum cæteri patricii numerentur, & conſules quidem & qui inter eos conſularibus inſignibus decorantur, ſecundum conſularem ordinem & prærogativas conſulatûs ſui ſedeant, ut tamen anteponantur ordinarii Conſulares honorariis Conſularibus. Et poſt hos præfectorum & magiſtrorum militum & illuſtrium virorum ordo ponatur. Cauſſa quare præfecto urbis in Senatu tribuerit Imperator primam ſedem fortaſſe hæc fuit, quòd, ut teſtatur Caſſiodorus* (lib.6. cap.4.) *præſideret univerſo Senatui, & primo loco ſententiæ dicendæ Jus haberet. Cæterùm & huic ſoli patriciatûs dignitati primùm datum fuit, ut liberaret à poteſtate patriâ; ne viderentur qui ab Imperatoribus loco patris honorantur alieno Juri eſſe ſubjecti & ita minueretur Imperialis Majeſtas.* (l. ult. C. d.t.) *Sed idem Juſtinianus, qui legis citatæ auctor fuit, mox* (Nov.81. cap.1.) *extendit hoc ipſum ad Conſules, conſulares viros, præfectos prætorio & urbi, magiſtrosq́; militum.*

3. Manſit & diu Conſulibus ſua dignitas, ut ſuperilluſtribus etiam longè poſt tempora Conſtantini M. annumerarentur. *Nam ſolebant Imperatores nonnunquam ipſi hunc magiſtratum ſubire; nec enim imperium iſte poterat evertere; quia omni poteſtate deſtituebatur. Manſit etiam mos numerandi ab his annos tempore Imperatorum Chriſtianorum*

ram uſq; ad annum P.C.N. 541. quo ultimus Conſulum ex civibus electus fuit: ab eo enim tempore Imperatores aliquot Conſulatum primo anno ſui Imperii aſſumſerunt, & ſequentis Imperii anni ab hoc appellati ſunt. Et ſic ipſis Juſtiniani temporibus ſplendor Conſularis quoq; evanuit. Erant & firmatâ jam monarchiâ, honorarii Conſules quos Zeno (l. 4. C. d. t.) *Conſulares vocat (cùm aliàs Conſulares dicerentur qui Conſulatum geſſerant). Sed his ordinarii præferebantur, cùm aliàs inter Conſulares velut æquales id obſervaretur, ut qui prior eſſet tempore reliquos præcederet.* (l. 1. C. eod.) *Cæterùm nihil ſingulare de his horumq; officio poſterioribus temporibus præcipitur (nihil enim gerendum habebant) niſi quòd Marcianus ſtatuerit, ut ſi qui Conſules fieri cuperent, nihil æris in populum ſpargerent, ſed ſtatutam pecuniam ad reparandum urbis aquæductum dependerent* (l. 2. C. d. t.) *Zeno autem centum libras in aquæductum jubet ſolvi. Scil. Imperatores dignitati Conſulum quotidie detrahebant, donec tandem nihil iisdem ſupereſſet.*

4. Ratione dignitatis pares erant poſt tempora Conſtantini M. Præfectus urbi & Præfectus prætorio. *De præfecto urbi primo loco dicturi ſumus.* Aucta autem eſt hujus Magiſtratus ſucceſſu temporis poteſtas. *Nam in urbe primus erat ab Imperatore & Senatui univerſo præſidebat, primusq; ſententiæ dicendæ jus habebat Quam ob cauſſam dicitur* (l. 3. C. de offic. præf. urb.) *quòd præfectura urbis cunctis, quæ intra urbem ſunt, antecellat dignitatibus. Omnia corporatorum, quæ Conſtantinopoli erant, genera, univerſiq; cives ejus moderamine regebantur* (l. 4. C. de offic. præf. urb.) *poteratq; ſeditioſos cives, qui in provincias confugerant, inde evocare.* (l. 2. C. eod.) *Sed non modò in cives plebejos; verùm etiam in Senatores Jurisdictionem exercebat, adhibito judicio quinquevirali* (Caſſiod. lib. 4. cap. 22.) *Pertinebat quoq; ad eundem quies civitatis Conſtantinopolitanæ: quâ de cauſâ ipſi cogebantur miniſterium præbere milites ſtationarii eorumq; primicerius; de quo agitur* (l. ult. C. d. t.)

5. Cùm initio monarchiæ unus eſſet præfectus prætorio; tempore Juſtiniani tres exſtitere, nim. Præfectus prætorio Orientis, Illyrici & Africæ. Præerant autem hi præfecti judicibus provinciarum ſingularum & maximam poſt imperatorem habebant poteſtatem, & cùm olim militare gererent officium, factum hoc eſt ſucceſſu temporis civile. *Nam habebant poteſtatem deponendi judices & rectores provinciarum cùm ob vitia corporis tum etiam animi, negligentiam nim. furta & ſimilia, & in horum locum alios ſurrogandi, puniendiq; eosdem pro ſuo arbitrio.* (l. 3. & 4. C. de offic. præf. prætor. Orient.) *poterant & leges condere ſervandas ab omnibus, modò non eſſent Conſtitutionibus Imperialibus contrariæ, aut ab his diverſum poſtea ab Imperatore præciperetur,* (l. 2. C. eod.) *nec ab horum ſententia appellabatur, ſed tantum ſupplicatio*

katio

catio fiebat (l.un. C. de ſentent. præf. præt. l.5. C. de prec. Imper. offer.) *Credidére namq; principes, eos qui ob ſingularem induſtriam, explorata eorum fide & gravitate ad hujus officii magnitudinem adhiberentur, non aliter judicaturos eſſe pro ſapientiâ ac luce dignitatis ſuæ, quàm ipſe foret judicaturus. Poterant quoque per præconem vel miniſtrum ſententias ſuas publicare* (l.2. C. de ſentent. ex per. recit.) *Mulctam dicebant uſq; ad 50. libr. auri* (l.4. C. de mod. mult.) *Item ſi qui velut indebitis oneribus gravati ſupplicarent principi, reſcripta principis ad præfectos prætorio dirigebantur* (l.5. C. de offic. præf. præt. or.) *Juſſiones quoque emanantes à principibus ad rectores provinciarum de cauſſis publicis jubentur* (Nov 152. pr.) *robur nullum habere, antequam præfectis prætorio fuerint inſinuatæ. Cauſſa fuit, ne per obreptionem in provincias mitterentur juſſiones Reipubl. pernicioſæ* (d. Nov. c.1) *Habebant & merum imperium, ut poſſent animadvertere in facinoroſos, primaque erat horum ante univerſos ſedes* (l. 6. C. d. t.) *Unde cùm in judicando maximam partem verſarentur; factum eſt, ut ICti artis militaris imperiti hoc officio fungerentur, & ita officium hoc, quod olim militare erat, in civile degeneraret, curâ rerum militarium magiſtris militum commiſſâ,* (l.1. C. de offic. Mag. milit.) *Quemadmodum verò Conſtantinus M. quatuor conſtituerat, duos in Oriente, nimir. præfectum prætorio Orientis & Illyrici; duos in Occidente, Italiæ ſcil. & Galliarum: Ita poſtquam ſolus Oriens ſupereſſet, cæteris partibus Imperii Romani per barbaros devaſtatis & avulſis; & Juſtinianus Africam iterum imperio adjeciſſet; duobus nimir. præfecto prætorio Orientis & Illyrici adjecit tertium, qui ſcil. Africæ præeſſet, & Carthagini ſedem haberet; regeretque ſeptem provinciarum rectores ſeu judices, qui itidem certis in locis ſederunt* (l.1. §.1. Gl. 2. C. de offic. præf. præt. Afric.) *& id agere juſſi ſunt, ut pietas, diſciplina, munita loca, & vaſtatione Vandalorum dejecta terminique ſingularum provinciarum reſtaurarentur.*

6. Æqualis cum præfectis prætorio & urbi dignitatis Magiſtri militum fuêre. (*l.1. & 2. C. de præfectis prætor. Lib. XII.*) *Nam quod initio Monarchiæ erant præfecti prætorio, hoc à Conſtantino M. facti ſunt Magiſtri militum, ſolâ præfectis prætorio civili diſciplina relictâ; teſte Zoſimo. Unde quæ poteſtas fuit præfectis prætorio in rectores provinciarum & paganos; eadem fuit magiſtri militum ſive equitum ſive peditum in milites & in duces ſeu comites militares* (l. penult. C. de Judic.) *econtrariò verò ii provinciales nullam penitus habuere poteſtatem* (l.1. C. de offic. Mag. mil.) *Cæterum ut initiò poſt tempora Conſtantini penes unum Magiſtrum militum omnis poteſtas fuit: ita poſtea vergente ad interitum imperio dividi eadem cœpit, ut alii eſſent equitum, alii peditum; item ut alii eſſent præſentales ſeu in præſenti comitatu alii certis partibus imperii ſeu gentibus adeſſent.* (l. ult. C. eod.)

C.eod.) *Ad horum officium ſpectabat curare, ne milites de locis ſuis ſine ſpeciali principis juſſu ad alia loca transferrentur.* (l.4. C.eod.)

7. Illuſtribus quoque tandem annumerari cœperunt Quæſtores, qui olim primum infimumque gradum honorum habere dicebantur. Duos autem conſtitutos fuiſſe legimus (*Nov.* 41.) alterum dictum Quæſtorem ſacri palatii, alterum Quæſtorem exercitûs. Quæſtor Sacri palatii videtur functus officio, quod propemodum hodierno Cancellariorum muneri ſimile eſt. *Nam totius laterculi minoris (eſt hoc liber ſeu abacus) curam gerebat, codicesque, in quibus deſcripta erant officia, & adminiſtrationes tam civilium quàm militarium judicum adſervabat; libris, epiſtolis, orationibus principum legendis vacabat.* (t.t.C.de Offic. Quæſt.) *Reſcripta quoque principis dictabat.* (l. ult. C. de divers. Reſcript.) *& juſſa ejusdem ad Judices ſubſcribebat, ſine cujus etiam ſubjectâ annotatione prohibiti erant eadem agnoſcere* (Nov. 114. c.1.) *Examinabat etiam unà cum præfecto prætorio cauſſas appellationum.* (Nov. 126.) *Quâ de cauſâ Symmachus eum vocat precum arbitrum & legum conditorem: aliis dictus eſt os principis & vox legum. it. Juſtitiæ & legum cuſtos, theſaurus famæ publicæ. it. μέγας λογοθέτης. Et ita videmus, quomodo à tam parvo initio, quòd ſcil. primùm tantùm legerent quæſtores reſcripta principis in Senatu, ad tantum veſtigium pervenerit Quæſtoria dignitas; ſcil. quia ſucceſſu temporis non tantum legerunt ſed etiam ipſi compoſuerunt orationes, epiſtolas, leges principibus & vice horum.* Quæſtoris exercitûs erat, annonas per caſtra diſtribuere: ſubjectæque ipſi fuerunt quinque provinciæ. (*d. Nov* 41.)

8. Quæſtori par aut paulò ſuperior dignitate fuit Magiſter officiorum. *Nam ex quæſtore plerumque magiſter officiorum fiebat, vel idem utrâque dignitate ſimul fruebatur. Et ad utrumque hoc officium gerendum eligebantur JCti. Id quod diſci poteſt ex Caſſiodoro* (lib.6. for.6.) *Ad magiſtrum autem officiorum pertinebat diſciplina & cura morum in palatio principis; eratque Judex officiorum aulicorum; ùt adeò ſub Juriſdictione ipſius eſſent cubicularii* (l.3. C. de præpoſ. ſacr. cubic.) *caſtrenſiani & miniſteriani, ſilentiarii, decani &c. de quibus infrà dicetur. Per hunc etiam aditus ad principem parari ſolebat: unde alter lucifer appellabatur; quòd quemadmodum lucifer diem venturum nunciet; ita hic deſiderantibus vultum regiæ ſerenitatis daret. Facienda quoque evectionis Judicibus poteſtatem habuiſſe & ita curſui publico præfectum fuiſſe legitur* (l.9. C. de curſ. publ.)

9. Illuſtrium in numero fuit & præfectus ſacri cubiculi, cujus dignitas adæquata fuit urbicæ & prætorianæ præfecturæ, magiſteriæque poteſtati: ita ut inter eos eſſet ordo ratione temporis tantùm. (*qui ſo-*

cis, quorum exactio ad fiſcum pertinebat. *Id quod teſtatur* (l.2. C. Th. de fide & Jur. haſtæ fiſc.) *it. de theſauris inventis, vectigalibus, commerciis & paſcuis animalium, exercebatque jus gladii in eos qui bona proſcriptorum occultaſſent.* (l.6 8.9.&12. C. de Vectigal. l.2. C. de Comm. l.5. C. Theod. de bonis proſcr. l.1. C. Th. de Paſcuis.)

4. Comes rerum privatarum is videtur fuiſſe, cui propria ſubſtantia ſive patrimonium principis fuit commiſſum. *Hinc curam habuit bonorum principis quæ ad heredem ejus, etiamſi hic non fuiſſet ſucceſſor Imperii tranſtuliſſet.* *Sed & fiſcalium bonorum curam habuiſſe fertur* (l. 1. C. de Offic. Com. rer. priv.) *Quod ideò factum; quia & hæc quaſi in patrimonio principis eſſe concipiebantur.* *Quamvis ei qui fiſcalium bonorum curam habuit magis Comitis ſacrarum largitionum nomen competierit. Apud hunc comitem agebantur cauſſæ civiles procuratorum, actorum, conductorum &c.* (l.6. C. ubi cauſſæ fiſci.)

5. Comes ſacri patrimonii videtur, quidem & circa privata imperatoris bona occupatus, diverſum tamen à Comite rerum privatarum geſſiſſe officium. *Nam Comes ſacri patrimonii videtur curam habuiſſe penus apparatusque, & epulas diſpoſuiſſe.* *Quâ in re ſecuti ſumus mentem Cujacii.*

ARTIC. IV.
DE
SPECTABILIBUS.

1. Inter Spectabiles (*qui medii quaſi ſunt magiſtratus & poſt illuſtres. Nov. 7. fin.*) primus locus datus eſt Proconſulibus. *Manſit namque ſingularis dignitas in hiſce quemadmodum & in Conſulibus, licet non eam ampliùs, quam initio monarchiæ Jurisdictionem haberent.* *Ita enim fit, ut nonnunquam inane aliquod vocabulum dignitas comitetur: præſertim, ſi maneant vetera inſignia, velut in C.S.S. & proconſulibus id contigit.* *Hinc cùm duas Cappadociæ provincias uni præſidi ſubjicere vellet Juſtinianus, eum proconſulem vocavit & non modò civilia ſed & militaria eidem commiſit* (*Nov.30.*) Circa legatum proconſulis videmus à Conſtantino quid introductum. *Nam cùm olim de cauſſis civilibus cognoſcere non poſſet* (l.6. pr. ff. de Offic. proc.) *dedit ei Conſtantinus poteſtatem audiendi non modò civiles, ſed etiam criminales cauſſas; ita tamen, ut ſi ſententiam in reos dicendam providerit, ad proconſules eos transmittere non moraretur.* *Juſtinianus verò* (Nov. 128. cap. 10.) *Judicibus dat licentiam, ut etiam, antequam veniant in ſuas ſibi demandatas provincias, vices ſuas agentes inſtituere poſſint, qui debeant omnia uſque ad ſui præſentiam agere, quæ poſſunt ipſi Judices facere, citra tamen noviſſimum ſupplicium aut membri inciſionem.*

2. Spectabilibus annumeratus eſt Comes Orientis & latiſſimam habuit Juriſdictionem. *Nam hujus curæ quindecim Orientis provinciæ fuêre commiſſæ, quarum nomina enarrantur in Notitiâ Imperii; nim. Palæſtinæ tres, prima, ſecunda & ſalutaris, Syriæ duæ, Phœniciæ duæ, Ciliciæ duæ, Cyprus, Euphratenſis, Oſrhoena, Meſopotamia, Iſauria, Arabia; cuique erat adjunctus Judex: adeò ut hæ provinciæ duobus regerentur altero militari altero civili præſide. Inter quos etiam deviſa fuit ludorum alytarchiæ & Syriarchiæ cura.* (l.un. C. de Offic. Com. or.). *Sed Juſtinianus* (Nov. 8. cap. 5.) *utramque adminiſtrationem, civilem ſcil. & militarem, unam fecit, habentem Spectabilis Comitis Orientis nomen: ditione tamen ejus longe anguſtiori, quàm antea erat, redditâ: ſoli quippe Syriæ primæ & Cyrreſticæ regioni eum præeſſe voluit.*

3. Titulum Spectabilis Judicis gerit & Præfectus Auguſtalis: cujus dignitas videtur & poſt Conſtantini tempora fuiſſe talis qualis initio Monarchiæ fuit. *Nam unà cum ipsâ monarchiâ dignitas iſta nata eſt. Omnia præfectus hic tributa per Ægyptiacam diœceſin exegit à moderatoribus provinciarum, addito militari auxilio in contumaces & ſolvere recuſantes.* (l.1. C. de Offic. praf. Aug.) *Vocatur &* (l.2. C. eod.) *præfectus prætorio Auguſtalis, daturque ipſi poteſtas ordinariorum ſub ſe Judicum examinandi flagitia, & ſuper his referendi; non tamen amovendi vel puniendi.*

4. Fuêre autem & Vicarii Spectabiles; dictiq; ſunt qui pro præfecto prætorio miſſi fuêre in diœceſes. *Unde factum, ut in Judicando & præfecti prætorio & principis ipſius perſonam repræſentarent.* (l. 1. C. de Offic. Vicar.) *Et quia civiles tantùm Judices erant, jubentur in militaribus cedere comitibus militum; quemadmodum & hi illis in civilibus* (eod.) *Datur etiam iiſdem poteſtas in gravioribus & dubiis referre ad principem.* (l. 2. C. d.t.) *Juſtinianus autem Vicarium Aſianæ & Pacatianæ Phrygiæ voluit Comitem Phrygiæ Pacatianæ vocari, it. Vicarium Ponticæ diœceſis Comitem Galatiæ* (Nov. 8. cap. 2. & 3.) *At* (Edict 8.) *Vicarius Ponticæ reſtitutus eſt, ut haberet in univerſum tractum Ponticæ diœceſeos Juriſdictionem tam civilem quàm militarem, & ita fungeretur vicibus præfecti prætorio & magiſtri militum.*

5. Spectabilis quoque Primicerius Notariorum fuit tenens primum locum in ſcholâ tribunorum & notariorum. *Erant enim multi primicerii, velut decanorum, fabricenſium, domeſticorum, protectorum, equitum, advocatorum: & generaliter qualibet ſchola & corpora ſuum primicerium habebant; & hunc excipiebant ſecundicerius, tertiocerius: qui ſinguli ſuos habebant gradus dignitatis. Sed primicerius notariorum velut notarius & ſecretarius principis inter ſpectabiles erat. Præfuit biennio.* (l. 2. C.

de pri-

de primicer. & ſecund. notar.) *id quod etiam circa primicerium fabricenſium obſervatum fuit.* (l.2. C. de fabric.) *Habebat & hoc præmii loco, ut depoſitâ adminiſtratione illuſtrem magiſtri officiorum titulum conſequeretur.*

6. Magiſtri ſacrorum ſcriniorum ut viri ſpectabiles dicantur quodammodo aſſidere Majeſtati Imperatoriæ. (l un. C. de Mag. ſacr. ſcrin.) *Nam quemadmodum quæſtor, ita & hi reſponſa principis ad preces dictabant.* (l. ult. C. de diverſ. reſcript.) *Ex Lampridio* (in vitâ Alex. Imper.) *videntur tria genera magiſtrorum iſtorum colligi poſſe; nim. magiſtri memoriæ, libellorum & epiſtolarum: ita enim cit. autor ait: Poſt meridianas horas ſubſcriptioni & lectioni epiſtolarum ſemper dedit operam; ita, ut* ab epiſtolis & libellis & memoriâ *ſemper aſſiſterent; nonnunquam etiam, ſi ſtare per valetudinem non poſſent, ſederent, relegentibus cuncta librariis, & iis qui ſcrinium gerebant. Notitia autem Imperii refert, quatuor fuiſſe ſcrinia, memoriæ, epiſtolarum, libellorum & diſpoſitionum. Sed quartus magis Comes diſpoſitionum quàm magiſter dictus. Magna ergò horum erat dignitas, quòd quaſi aſſeſſores principis eſſent; & præſertim memoriæ magiſtrorum, qui comites ordinis primi, vicariæ poteſtati præferebantur, & evehebantur plerumque ad illuſtres dignitates.* (l.1. C. Th. de mag. ſcrin.) *Hinc etiam erant immunes ab omni onere, adeò ut ad nullum gravamen ſeu publicum ſeu privatum adigi poſſent.* (d. l. un. C. de Mag. ſacr. ſcrin.) Videntur autem his magiſtris dignitate pares fuiſſe referendarii. *Nam* (Novell. 10. & Nov. 113. cap. 1.) *annumerantur ſpectabilibus & hoc munere fungebantur, ut ſupplicum deſideria principi referrent: adeoque non aliter ac magiſtri ſcriniorum eidem ſemper adſiſtebant.* (Nov. 124. c. 4.) *Magiſtris juncti fuêre Proximi ſcriniorum ſpectabilium itidem dignitate gaudentes* (l.1. C. de proximis ſacror. ſcrin.)

7. Principes agentium in rebus itidem ſpectabiles dicendi. *Nam vicariana & proconſularis dignitatis titulo decorantur* (l.3. & 5. C. de princip. ag. in reb.) Magna horum erat dignitas multiſque munita privilegiis. *Nam ſine horum auctoritate nullus agentium in rebus* [de quibus quale officium gerant artic. 5. tradetur] *ad publicas vel privatas functiones vocari poterat,* (l.1. C. eod.) *omnia quoque citatoria omnium cauſſarum atq; perſonarum ad hos ſpecialiter revocari neceſſum erat.* (l.2. C. eod.) *Quamvis actus legitimi* (*ut donationum & teſtamentorum inſinuatio*) *ad hos non pertinuerint; ſed ad magiſtrum cenſus.* (d. l.2.) *Quæ omnia in his arguunt ſingularem dignitatem. Privilegiis autem annumeranda, quòd conceſſum his fuerit, quod rectoribus provinciarum erat denegatum, nimirùm, ut domeſticos in actibus habere poſſent, quorum fidem ſibi probatam exiſtimaverant,* (l. 4. C. eod.) *it. quòd comitivæ primi Ordinis cingulo in dies*

vitæ

vitæ potirentur (l.6. C. eod.) *propterea, quòd ad hunc gradum periculo & renunciatione vitæ pervenerint. ii. quòd non conveniri poſſent, niſi coram ſupremis Judicibus & ex ſcripto, ſportulasque moderatas præſtarent* (l. ult. C. eod.)

8. Spectabilibus proconſulibus pares dignitate fuerunt Comites conſiſtoriani, qui velut conſiliarii aſſidebant principi in conſiſtorio, (*l.1. C. de Com. conſiſt.*) Hinc & maximis privilegiis gaudebant. *Nam in excipiendis ſuſcipiendiſque actionibus tam ipſi quàm conjuges & liberi ſeloniique eorum iisdem privilegiis utebantur, quæ conceſſa erant principibus ſcholarum agentium in rebus.* (l.2 C.d.t.)

9. In claſſem ſpectabilium referendi quoque Comites & primicerii ſeu tribuni ſcholarum, qui præpoſiti erant collegiis militum vel miniſtrorum principis. *Namque ſcholæ nihil aliud erant, quàm militum circa principem collegia, quibus addicti propterea ſcholares appellabantur.* Propriè autem dicti præpoſiti & tribuni ſcholarum erant, qui inquirendis epulis adhibebantur (*l. un. C. de comitib. & trib. ſcholar. In quâ pro inquietudinis rectè Cujacius legere videtur* inquirendis) ſingularibus propterea uſi privilegiis. *Nam hac dignitate ornati intererant principis epulis, iisque concedebatur purpuram ejus, quod in ſummo honore habebatur, adorare: item deferebatur hiſce & hic honor, ut peracto officio Comitibus Ægypti & Ponticæ diœceſeos exæquarentur.*

10. Comites rei militaris, & quidem primi ordinis, etiam ſpectabilibus ſunt accenſendi. *Nam erant comites diverſorum ordinum & quidem trium, ut ſuperius* (init. hui. membr.) *diximus: qui verò primi ordinis erant comites tales dicti contemplatione meritorum, ducto intra provincias transmarinas ſtrenuiſſimo milite, eâdem gaudebant dignitate, quâ proconſules.* (l. 1. C. de Comit. rei milit.) *Ex his autem qui ad provincias defendendas milite credito auctoritate Imperatoris deſtinantur, & is, qui vicem illuſtrium virorum magiſtrorum militum ſuſceperunt peragendam, ducibus, qui in provinciis adminiſtrant, adæquantur: exceptis iis qui Ægypto & Ponticæ præſunt.* [l.2. C. d. t.]

11. Fuere & Comites primi ordinis præpoſiti provinciis ut judices civiles qui inter ſpectabiles numerati fuerunt. *Quæ etiam cauſſa fuit, quare poſt depoſitam adminiſtrationem vicariæ dignitatis privilegiis fruerentur, & illuſtres nominarentur.* (l.un.C. de Comit. qui prov. reg.)

12. *Ex hactenus dictis conſtat, quinam Judices dicti fuerint Spectabiles qui Illuſtres. Quia verò hiſce ratione dignitatis æquabantur qui Judices non erant, & in Codice in Spectabilium claſſe collocantur: cogimur quoque horum mentionem hîc facere.* Archiatri ergò honorati comitivâ primi ordinis vicariis & ducibus, qui adminiſtraverunt, æquati ſunt. (l.un.

(l. un. C. de Comit. & archiatr. ſacr. pal.) *Cauſa eosdem tanto honore afficiendi fuit, quòd mererentur ingredi cubiculum Principis, & poteſtatem haberent præcipiendi facere quæ ad vitam & valetudinem ejusdem conſervandam facerent. Et quia nunquam à comitatu principis ob medendi curam diſcedere poterant, eos juſtæ abſentiæ ratio & neceſſitatis publicæ obſequium à præjuditio, quod longi temporis præſcriptio cauſatur, excuſabat.* (l.2. C. Quibus non objic. long. temp. præſcr.) *Erant quoque ipſi unà cum uxoribus & filiis nec non & rebus immunes ab omni functione & ab omnibus muneribus vel civilibus vel publicis.* (l.6. C. de profeſſor. & med. l.8. C. de metat.) *Quâ immunitate gaudebant quoque cæteri medici in principis degentes palatio, etiamſi comitivam primi ordinis non haberent.*

13. Grammaticos quoq; tam græcos quàm latinos, Sophiſtas & Jurisperitos in urbe Conſtantinopolitanâ profesſionem ſuam exercentes, & inter ſtatutos connumeratos, ſi laudabilem in ſe probis moribus vitam eſſe monſtraviſſent, ſi docendi peritiam, facundiamque dicendi, interpretandique ſubtilitatem & copiam diſſerendi ſe habere pateféciſſent, cùm ad viginti annos ſedulo docendi labore pervenerant, Vicariâ dignitate ornabantur. (l.un. C. de profeſſor. qui in urbe Conſtantinopol.) *Erat namque in Urbe Conſtantinopolitanâ collegium profeſſorum literales artes publicè docentium: quemadmodum & Romæ, ubi in Capitoliis docebatur.* [l.un. C. de ſtud. liberal. urb. Rom.] *Ejusmodi profeſſoribus perinde ac veteranis poſt viginti annos emerita data jam olim temporibus Domitiani fuiſſe probat Cujacius ex Quintiliano.*

ARTIC. V.
DE
CLARISSIMIS.

1. Clarisſimis annumerati ſunt Rectores provinciarum, qui, cum olim velut legati Imperatorum abſolutisſimam poſt principem haberent poteſtatem, videntur poſtea quid poteſtatis amiſiſſe, cum plures provinciæ uni regendæ comitterentur; adeoque ſub hujus curâ eſſent. *Nam* (l. 2. & l.4. C. de Offic. Rectoris prov.) *jubentur, ſi quis potentiorum extiterit inſolentior, ut ipſi non videantur ſufficere, aut ſi quid ab officialibus præfecti commiſſum ſit, id præfecto ſignificare. De officio horum ſequentia præcipiuntur.* 1. Ut ipſi exigant tributa, nec permittant id fieri à palatinis. (*l.10. C. eod.*) 2. Si habeant plures inſulas & civitates ſibi ſubjectas, ut in his viciſſim hyement. 3. Ut curam gerant, ne quid potentum procuratores perperam injuſteque committant. (*l.11. C. eod.*) *quod tamen officium non horum proprium, ſed generale eſt.*

4. Ne Conſtantinopolin injuſſu principis veniant. 5. Ne privatorum domus ad habitandū ſibi ſumant, ſed in prætoriis habitent *(l.14.C.eod.)* 6. Ne præfectianum vel palatinum vel militem interceſſorem litigatoris admittant. *(l.8.C.eod.)*

2. Præfectus quoque vigilum Clarisſimus fuit, & circa hujus dignitatem nihil immutatum: quâ de cauſsâ ſufficere poſſunt quæ ſuprà de hujus officio & poteſtate diſſeruimus. *Quamvis autem videatur Pauli tempore dictus ſpectabilis* (l.3 ff. de offic. præf. vig.) *non tamen novum eſt titulos quandoque mutari. Videmus enim in Codice eum præfecto annonæ clariſſimis annumerato poſtponi.*

3. Præfectus annonæ, qui & Clarisſimi titulum habet, videtur partem officii ad Præfectum urbi olim pertinentis conſecutus fuiſſe. *Olim enim ante tempora Cæſarum creatus eſt præfectus annonæ extra ordinem, ſi id exigeret neceſſitas annonæ caritate & penuriâ populum urgente.* [l.2. §. Et hæc omnia 33. ff. de Or. Jur.) *Deinde temporibus Auguſti Præfecto urbi hæc cura commiſſa fuit.* (Dio lib.55.) *Videtur autem auctâ negotiorum copiâ, adeò, ut præfectus urbi non poſſet amplius vacare annonæ, ſingularis hic magiſtratus creatus, ita tamen, ut præfecto urbi poteſtas curandi annonam non penitus eſſet adempta. Hinc* (l.1. C. de apparit. præf.ann.) *jubentur præfectus urbi & præfectus annonæ ſeparatos habere apparitores nec propterea eosdem confundi admittere. Officium Præfecti annonæ in hoc conſtitit.* 1. Ut canonem frumentarium exigeret per compulſores ſuos, & niſi probare poſſet, ſe feciſſe officium, *ſciret, ſe cum apparitoribus obnoxium detentum iri* (l.2. C. de appar. præf. ann.) *2. Ut curam haberet naviculariorum annonæ urbis ſervientium,* (l.1. C. Theod. de his qui veniam æt. impetr.) *item menſorum frumentariorum.* (l.menſores 26. ff. de Excuſat.) *3. Ut Judicaret de negotiatoribus annonæ & horum contractibus.* (arg.l. ult. ff. Quod cum eo, qui in al.pot.eſt.)

4. In claſſe & ordine Clarisſimorum ſunt quoque prætores, qui olim Jura majeſtatis habebant circa adminiſtrationem Judiciorum civilium. *Nam, quod ſuperius declaratum eſt, imperatores ſtudebant poteſtatem & dignitatem prætorum omnibus modis imminuere: Unde tandem factum, ut evileſceret ipſorum dignitas. Conſtantinopoli tres creati ſunt.* (l.2.C. de Offic. prætor. & l.4. C. de epiſc. aud.) *& quidem judicio Senatûs* (cit. l.2.) *id quod docet Imperatores hanc dignitatem parvi pendiſſe, quod ipſi neglexerint electionem facere.*

ARTIC.

ARTIC. VI.
DE
PALATINIS QUI DIGNITATEM CLARISSIMATUS SEU SENATORIAM HABUERUNT.

1. In Statu tyrannico tandem obtinuit, ut palatini, qui miniſterium principibus præbebant, Senatoribus dignitate pares haberentur. *Nam clariſſimatûs dignitas propria Senatorum fuit: unde & Senatoria vocari ſolet: ac proinde omnes hac gaudentes Senatoribus æquati ſunt. Tanta contigit circa ſtatum Romanum mutatio; ut his qui olim præeſſent imperio, miniſtri aulici æquarentur.*

2. Omnes miniſterium Principibus in aulâ præbentes palatini vocari poſſunt, tanquam in palatio militantes. Hi autem vel arma tractabant corpus principis cuſtodiendo; vel conſiliis & aliis miniſteriis aulicis inſerviebant. Qui in ordine armis militantium erant, ſcholares vocabantur. *Nam Scholæ erant ordines armis militantium & palatii principis corpusque ejus tuentium. Unde ſcholæ palatinæ à Marcellino appellantur* (lib. 14.) *quando ait: Solis ſcholis Conſtantius juſſit Gallum eſſe contentum palatinis, & protectorum cum ſcutariis & gentibus. Porrò Juſtinianus* (l. ult. C. de Locato) *undecim ſcholarum mentionem facit: cùm Marianus Scotus decem tantum recenſeat, nimir. ſcutariorum primam, ſecundam, tertiam, Agentium in rebus, Armaturarum ſeniorum, Armaturarum Juniorum, Gentilium ſeniorum, Gentilium Juniorum, Scutariorum ſagittariorum, Scutariorum clibanariorum. Quâ de cauſsâ Cujacius* (ad l. 1. C. de annon. civil.) *exiſtimat, undecimam fuiſſe fabricenſium. Pancirolus* (in Notitiâ Imper. cap. 63.) *Scholas duas agentium in rebus & ſilentiariorum inermibus annumerat. Scutarii videntur dicti à ſcutis, quibus ſeſe undique tegebant; ſcutarii ſagittarii, quòd præter ſcuta etiam ſagittis uterentur. Scutarii clibanarii fuêre equites cataphracti, ſcutis uſi. Armaturæ vocati gravis armaturæ milites gladium, ſcutum & longiorem haſtam geſtantes. Gentiles fuêre barbari ex diverſis gentibus Romano Imperio non ſubjectis collecti. Cuique ſcholæ præerat Comes vir ſpectabilis; quem excipiebat Primicerius ſpectabilis idem tribunus dictus. Poſt hunc erant decem primi ſcholarum Clariſſimi, quorum primus ſecundocerius dictus eſt. Privilegia ſcholarium hæc erant, ut, ſi poſt emenſa ſtipendiorum curricula ad primiceriorum gradum pervenirent, adoratâ principis purpurâ, clariſſimorum comitum dignitate & privilegiis fruerentur & Magiſtri officiorum Juriſdictioni ſubjacerent: exceptis criminalibus & tributariis cauſſis, in quibus & adverſus hos rectores provinciarum cognoſcere poterant, ne ſub prætextu privilegii vel flagitiorum creſceret auctoritas, vel publica vacillaret utilitas,* (l. 1. C. de privil. ſcholar.) *Hinc nata regula* (Auth. Quâ in pro-

vinciâ C. ubi de crim. agi oportet) *Quemlibet Juriſdictioni illius rectoris ſubjacere, in cujus provinciâ deliquit: niſi ſit perſona illuſtris. Hac fori præſcriptione fruuntur quoque matres, uxores & viduæ ac liberi horum.* (l.3.C. de privil ſcholar.)

3. Palatinorum, qui ſine armis in palatio principis militabant, alii erant comites palatini, alii Comitatenſes, Domeſtici, Largitionales, Privatiani, Mittendarii, Tabularii; Cubicularii; Militantes in ſacris ſcriniis; Comitatenſes ſingularum urbium, & qui in officio Admiſſionum & caſtrenſis ſacri palatii militabant. (*l. 2. C. de privil. ſchol. & l.3. C. Theod. eod.*) His varia conceſſa ſunt privilegia. *Nam cautum* (l.1.C. de privileg. eorum qui in ſacro palat. milit.) *ne munera ſordida patrimonialia & perſonalia quæcunq; cogantur ſubire; & ut procul ab ipſis univerſæ calumniæ ſint ſubmotæ: idque beneficium ad filios eorum atque nepotes ipſo ordine ſanguinis perveniat. it.* (l.2. C. eod.) *ne ipſi vel filii aut nepotes eorum ad honores & onera municipalia devocentur, neve tyronum exactionem ſive præſtationem agnoſcant. it.* (l.3. C eod.) *ne numerariis præfecti prætorio his, ſi ab aulâ deceſſerint, ſub colore & prætextu, quaſi idonei & rerum periti ſint, quid oneris imponant.* Numerantur quoque inter Clariſſimos. *Nam* (l.ult.C.eod.) *præcipiunt Imperatores, ut palatini ſoluti militiâ præferantur poſterioribus, qui vel rexerunt provincias vel dignitates palatinas ſuſceperunt.*

4. Omnium portò palatinorum tam armis quàm ſine armis militantium hoc fuit privilegium, ut caſtrenſi gauderent peculio. *i.e. ut ſi quas res vel ſtipendio largitate principis eſſent conſecuti id, ſi filiifam. eſſent ſibi tanquam patresfam. haberent. Nam à pulvere & labore caſtrorum non alienos putat Imperator, qui ſua ſigna comitantur, quosque laborum prolixitas & expeditionum difficultas exercuit.* (l.un.C. de Caſtrenſi omn. palat. pecul.) *His ita præmiſſis, in ſpecie de ſingulis palatinis ſcholaribusque dicturi ſumus.*

5. Clariſſimatûs ergò titulum, quem diximus prætores geſſiſſe, videmus ſilentiariis decurionibusque eorum tributum eſſe. (*l. 5. C. de ſilentiar.*) Quamvis & ſpectabiles appellentur. (*l. 15. C. de excuſ. tut. l. 30 §. ult. C. de inoffic. teſt.*) Erant autem ſilentiarii, qui circa latus principis militabant & in anteriore ejus cubiculo excubias agebant, triginta numero, quibus præerant decuriones tres. (*l.3. fin. C. eod.*) Quorum officium ut magnum reputabatur: ita multis præmiis & privilegiis fulciebatur. *Nam his permiſſum erat ad comitatum venire etiam licentiâ non impetratâ; eratque his quaſi concredita vita principis. Quapropter Decuriones poſt emenſum fideliter obſequium poſtque depoſita ſacramenta militiæ electionem habebant, utrum ex magiſtro officiorum velut agentes digni-*

dignitatem conſequi ab Imperatore mallent; an inter viros illuſtres comites domeſticorum, videlicet inter agentes taxari. (l.1. C.d.t.) *Privilegia ſilentiariorum ſunt, quòd forum ſortiantur coram magiſtro officiorum* (l 4. C. eod.) *quòdque ſi filiifam. ſint quicquid occaſione militiæ acquiſiverunt ſub nomine caſtrenſis peculii habeant* (l.5. C. eod.) *it. quòd horum liberi ornati comitivâ primi ordinis vel dignitate tribunorum notariorum non agnoſcant onus præturæ quod aliàs ſenatorum liberis incumbit.* (*l.5. C. eod. ubi rectè videtur Cujacius pro* præfecturæ *legere* præturæ) *it. quòd nulla poteſtas quicquam ſordidi muneris iisdem imponere debeat.* (d. l.2.) *& immunes ſint à tyronum equorumque præſtationibus* (l. 2. C. eod.) *ab angariis & parangariis.* (d. l.3.) *ab hoſpitatione* (eod.) *à tutelis & curationibus gerendis* (d.l.5.) *quòdque hæc ſua privilegia retineant, etiamſi ad ſuperiorem gradum tranſcenderint; nec etiam amittant pragmaticâ licet ſanctione adverſus hæc impetratâ* (d.l 3.)

6. Clariſſimatus dignitate gaudebant quoq; primicerii & decemprimi domeſticorum & protectorum: ſunt autem domeſtici & protectores qui corpus principis cuſtodiunt: Domeſtici præſentales vocantur (*l.ult.C. domeſt.& protector.*) *familiarius enim aderant principi & mandata ejus excipiebant*; protectores autem armatam exercebant militiam, & non modo in comitatu; ſed & in acie corpus principis defendebant. (*l.9. C. Theod. eod. tit.*) Horum alii pedites alii equites fuerunt (*argt. d.l.ult.*) variis præditi privilegiis. *Nam dabatur hiſce purpuram principis adorare* (l.1. C. eod.) *admittebantur etiam in ſalutandis & oſculandis vicario præfecti prætorio & cæteris præſidibus.* (eod.) In utrâque autem & domeſticorum & protectorum ſcholâ fuêre primicerii qui plerumque tribunatûs honorem accipiebant & ſpectabilibus annumerabantur, & æquabantur ducibus provinciarum. Decemprimi ſenatoriam dignitatem veluti exconſulares adipiſcebantur inter allectos; ita tamen, ut onera ſenatoria non agnoſcerent exemplo ſilentiariorum. (*l.2.C.d.t. l.7. C. Theod. eod.*)

7. Ad ſimilitudinem decemprimorum poſt emenſum laborem & ſervitia præſtita clariſſimatûs dignitatem conſequebantur præpoſiti laborum & inter allectos habebantur, tanquam exconſulares, immunesque ab omnibus exiſtebant functionibus. (*l.un. C. de præpoſ. lab.*) Videnturque his opifices domûs Auguſtæ ſubjecti fuiſſe. *Nam quale horum fuerit officium, nuſpiam definitur.*

8. Clariſſimatûs honore gaudebant quoque militantes in ſacris ſcriniis. *Nam in ſcriniis palatii militantes ab exceptoribus ad melloproximos dignitatem clariſſimorum percipere* (l 5. C. de prox. ſacr. ſcrin.) *& poſt viginti annos tranſacta militia, ſi diſcedendum ſibi eſſe decreverint,*

conſulari honore fulti inter exconſulares haberi, huncque honorem dignitatis tenere jubentur, quæ exconſularibus deferri conſueverat. (l.3. C.de proxim. ſacr. ſcrin.) *Erant autem, quod & ſuprà docuimus, cum de magiſtro ſcriniorum ageremus, ſcrinia quatuor, memoriæ, libellorum, epiſtolarum, diſpoſitionum,* (l.1. & d.l.3. C. eod.) *in quibus reponebantur annotationes, pragmaticæ ſanctiones, reſcripta principis, cognitiones & preces* (l.19. C. de teſt.l.ult.C.de aquæd.l.3.fin.C.de agentib.in reb.) In his militantes ſcriniarii dicti ſunt. Fuitq; eximia horũ dignitas. *Nam cùm intra januas illuſtrium poteſtatum & præſidum non omnes paſſim intrare poſſent, niſi quos aut judex vocaverat aut negotium traxerat, aut ipſa proprii honoris dignitas: militantibus in ſacris ſcriniis conceſſum fuit ingredi ſecretaria ordinariorum Judicum etiam iis invitis.* (l.2. C. de prox. ſcrin.) Alii autem in ſcriniis fuêre ſtatuti alii ſupernumerarii, quorum hi illis ſuccesſerunt. *Nam ſi unus ex ſtatutis vacaret, ſuccedebat ex ſupernumerariis qui tempore antiquior erat, & quidem non in locum defuncti ſed ultimum ſtatutorum. Quandoque tamen præferebatur ſupernumerarius & poſterior tempore antiquiori, ſi is laborum merito potior eſſet, niſi antiquior eſſet filius proximi ſcriniorum.* (l.7. C. d.t.) *Statuti autem ſuccedebant ordine donec fierent proximi & melloproximi: erant autem proximi ſacrorum ſcriniorũ qui proximum magiſtris ſcriniorum [de quibus ſuprà dictum] locum occupabant, & quaſi promagiſtri erant, magiſtrorum vices, ſi abſentes eſſent, gerentes.* (l.1. C. eod.) *Melloproximi autem dicebantur, qui ſequenti anno futuri erant proximi. Cæterum ſupernumerarii in defuncti alicujus locum ſurrogati pro ingreſſu proximo ſcriniorum 250. ſolidos præſtare tenebantur: melloproximo verò vel adjutori quæſtoris quantum fuerat ordinatum pro conſuetudine cujusque ſcrinii* (d.l.7.) Erat & militantium in ſcriniis certus numerus. *Nam erant in ſcriniis memoriæ 62; epiſtolarum 34; libellorum totidem; antiquariorum* (qui erant ſcriptores librorum l. 2. C. Theod. de ſtud. liberal. urb Rom.) *non minus quàm quatuor* (l.10. C d.t.) Prohibentur porrò memoriales duplici munere fungi & geminis chartis irrepere. *Ratio redditur* (d. l.10.) *ne occupent plura in unum ſe commoda collaturi, nihilque reliquis relicturi.* Gaudebant & ſuis privilegiis, & quidem largiter. *Nam proximi ſcriniorum & Comites diſpoſitionum & reliqui in ſcriniis militantes excuſabantur, ne ratione poſſeſſionum ſordida munera ſubirent, neve ſuperindictum timerent aut venditium* (i.e. vectigal rerum publicè venalium. argt. l. 1. verb. nec vectigalibus. C. de Veteran.) *ſed ſolum canonicæ Indictionis tributum præſtarent* (l.4.C.d.t.) *Liberi quoque erant à metatorum moleſtiâ* (l.9.C.d.t.) *in à temonum, equorum, tyronum præſtatione* (d.l.4.) *Ipſi quoq; & eorundem parentes, uxores, liberi, ad ſcriptiiq; Conſtantinopoli exiſtentes civiliter & crimina-*

minaliter non niſi coram magiſtro officiorum conveniri poterant (l 12. C. eod.) *& ſi in provinciis deprehenſi in jus vocati eſſent juratoriæ cautioni committebantur, nec, ut communiter fieri ſolebat, fidejuſſoribus cavere ſeu ſatisdare tenebantur.* (eod.) *Hiſce ſuis privilegiis etiam poſt completam fruebantur militiam, etiamſi domicilium in provinciâ aliquâ ſumpſiſſent* (d l.9.& 12.fin.) *nec amittebant eadem ad ſuperiores honores evecti* (d.l 4.) Militantium quoque nonnulli adjutores erant Quæſtoris ſacri palatii, quorum obſequio res quæſtoria agebatur. (l.ult. C. d.t) *Nam olim ex memorialibus certo numero quæſtori adjutores datos teſtatur Juſtinianus* (l.13. C. d.t.) *ut ex militantibus in ſcrinio memoriæ duodecim tantùm; ſeptenos verò in duobus reliquis ſcriniis, ſacrarum epiſtolarum ſcil & ſacrorum libellorum: ad quem numerum etiam hos Juſtinianus* (d.l) *vult reduci, cum hujus tempore omnes penè memoriales adjutores fuerint.* His adjutoribus concedebatur, ſi melloproximi aut laterculenſes (*ita dicti ſunt qui laterculo præfuerunt: erat autem laterculum codex notitiam dignitatum & adminiſtrationum civilium vel militarium & mandatorum & conſuetudinum &c. continens; ita dictum, ut auguratur Cujacius, quaſi in eo lateant arcana. Fuitque in ſcrinio memoriæ duplex, majus, continens notitiam totius Imperii, & minus, comprehendens dignitatum civilium & militarium & promotionum ordinem, quorum hoc curæ quæſtoris; illud, curæ primicerii notariorum erat commiſſum*) fierent, ut jus haberent alium ſibi ſubſtituendi, porrecto quæſtori libello. [*l.13. §. ult. & l. ult. C. d. t.*] Conceſſum quoque ipſis fuit ſuam militiam vendere, precio tamen ultra centum aureos ſe non extendente; it. ad heredes transmittere vel liberos, etiamſi heredes non ſint, dummodo approbetur à Quæſtore, & dictam ſummam inferant pro introitu. (*Nov.35.*) Datum quoque his eſt, ut, ſi dato commeatu abfuerint, ob abſentiam nihil iisdem pereat: & ut nihil ea propter proximis aut melloproximis offerre vel relinquere cogantur; licet commeatus excedat Kalendas Januarias, quo tempore erogari ſalaria ſolebant. [*l.14. C d.t. l.4. §. 1. C. de advocat. diverſ. Judicum. l.15. C. Theod. de agentib. in reb.*]

9. Agentes in rebus ejuſdem dignitatis cum ſcriniariis eſſe videntur & ita quoque clariſſimi. *Nam in Codice his ſtatim ſubjiciuntur, & quemadmodum ſcriniarii in literarum præſidiis militare dicuntur* (l. 1. C. Theod. de proxim. Comit. diſpoſit.) *& horum militia literaria* (l.8. C. de proxim. ſacr. ſcrin.) *ita agentes in rebus militare in actu Reipubl. & rebus ipſis. Huic accedit, quod* [l.2. C. de princip. ag. in rebus] *ſenatoriæ dignitatis eſſe dicantur: qualis eſt clariſſimatus.* Gradus horum fuêre varii, quos conſecuti ſunt ſuccedentes ordine ſtipendiorum & laborum merito (*l.1. C. de agent. in reb.*) *Nam quando, non tamen ſine*

divali

Digitized by Google

divali probatoriâ laterculis inſerendâ ſcholæ agentium in rebus inſertus eſt, ſecundum gradus cogitur procedere, ut perveniat in numerum equitum, circitorum, tiarchorum, centenariorum, ducenariorum, & ita tandem fiat princeps agentium in rebus (l.3. C. eod. l. 1. C. de præpoſ. ag. in reb.) *Nam principatus agentium in rebus honor eſt, quem in præmium ob ſuos labores agentes in rebus conſequuntur,* (l. 1. C. de princip. agent. in reb.) *quando diſcurſâ militiâ ducenariam adepti ſunt.* [l.5. C. eod.] *Quòd ſi poſt viginti quinque annorum curriculum militiæ finem ob adverſam valetudinem expectare nequeunt, teſtimonio ſcholæ ad honorariam ex principe dignitatem proſilire ipſis conceditur, iisdemque muniuntur privilegiis* (l. 4. C. de princip. ag. in reb.) Privilegia quoque ſua habent agentes in rebus. *Nam in genere in horum ſcholam recepti removeri & deponi à nullo Judice poſſunt ſine auctoritate Imperatoris* (l. 2. C. de agent in reb.) *Litigantes quoque in Judiciis idem cum militantibus in ſcriniis habent privilegium ratione ſolutionis ſportularum.* (l. 2. de præpoſ. agent. in reb.) *In ſpecie autem centenarii & ducenarii in rebus agentium corā nullo alio quàm magiſtro officiorum ſeu civiliter ſeu criminaliter conveniri poſſunt. Qui tamen privilegio non utuntur extra civitatem degentes vel depoſiti ab officio* (l.4. C. de agentib. in reb.)

10. Ejusdem dignitatis cum agentibus in rebus fuêre Curioſi. *Nam ex agentibus in rebus ſumebantur* (l.1. C. de Offic. magiſtri Offic. l. 2. & l. ult. C. de Curioſ.) *qui curam agerent in inſpiciendis evectionibus curſûs publici.* Curioſis autem ratione dignitatis æquiparantur ſtationarii. *Nam utrisque data eſt poteſtas inquirendi in crimina & Judicibus denunciandi; quæ tamen probare tenebantur.* (l.1. C. d. t.) *Videntur autem ſtationarii originem ducere à ſtationariis militibus, quibus & præfecti urbi utebantur ad inquirendum in ſingula* (l.1 §.12 ff. de præf. urb.)

11. Palatini ſacrarum largitionum & rerum privatarum erant apparitores Comitis ſacrarum largitionum & Comitis rerum privatarum. *Unde & Comitatenſes dicti ſunt: aliàs etiam largitionales & privatiani vocati. Cæterùm horum alii res largitionum earumque rationes in palatio tractabant* (l.20. C. Theod. de palat. ſacrar. largit. l.10. C. eod.) *alii mittebantur in provincias, qui mittendarii nominantur.* (l.8. C. eod.) *ut ſcil. monerent magiſtratus, quò ſuis officiis incumberent,* (l. 2. C. de Canone largitionalium titulor.) *aut inquirerent in ea quæ agebantur, & ſi quid deſiderarent referrent.* (l.3. C. eod.) *ut adeò mittendarii videantur fuiſſe obſervatores magiſtratuum in provinciis. Privilegia horum erant, quòd à ſolis Comitibus regerentur, nec cum his quicquam commune haberent Judices, exceptâ reverentiâ, quæ iisdem debetur.* (l.4. C. eod.) *unde nihil muneris præſides hiſce injungere poterant* (l. 6. C. eod.) *it, quòd im-*

munes

munes eſſent à tyronum præbitione & cæteris oneribus (l.10, C. eod.) *it. quòd de cauſſis civilibus & criminalibus coram ſuo comite reſponderent, nec adigi poſſent ad litigandum coram præfecto urbi.* (l.12. C. eod.) *Erant autem palatini ſacrarum largitionum & rei privatæ pares dignitate & privilegiis.* (l.14. C. eod.) *Porrò ex omnibus his palatinis primicerius & tres primicerii ſcriniorum ſeu primates, finito tempore militiæ inter tribunos militares numerabantur.* (d.l.14. & l.13. C. eod.) *Eſt & injuncta pœna, ſi malè functi fuerint officio. Nam ſi theſaurenſis vel officialis comitis theſaurorum ſeu ſacrarum largitionum deprehendatur everſor rerum ad ærarium principis pertinentium, militiâ pelli nec ad eam reverti aut ullam aliam admitti jubetur.* (l.2. C. eod.) *Tandem & hoc notandum, nullum horum palatinorum cœtui ſine annotatione principis adſociari potuiſſe.* [l.9. C. eod.]

12. Palatinis Scholaribusque ſubjiciuntur & equitibus præponuntur in Codice Stratores, Caſtrenſiani & Miniſteriani, Decani item & Menſores. Quapropter & nos hoc loco de iiſdem dicturi ſumus. Stratorum officium videtur fuiſſe Imperatori aſcendenti equum opem ferre, item eqvos à provincialibus collatos probare. *Colligitur hoc ex verbis Spartiani (in Caracallâ) quando inquit:* Cùm illum in equum ſtrator ejus levaret. *Et Marcellinus* (lib.29.) ait: Conſtantinus ſtrator paucos militares equos ex his auſus mutare, ad quos probandos miſſus eſt in Sardiniam. *Unde apparet, munus ipſorum in probandis equis à provincialibus datis conſtitiſſe. Quin & probæ nomine ipſis quid dari ſolitum teſtantur Imperatores* (l. un. C. de ſtratorib.) *quando edicunt, ut ab ſtratoribus unus tantum ſolidus probæ nomine poſcatur.*

13. Caſtrenſiani & Miniſteriani dicuntur (*l.4. C. de Caſtrenſian.*) ſacro miniſterio deputati. *Erant enim prægustatores, qui epularum guſtum explorabant; pincernæ vinum infundentes & illud delibantes; piſtores ſeu panis curatores; obſonatores, qui parandis obſoniis præerant; pædagogia ſeu pædagogiani pueri, qui cibos deferebant. Præcipui autem horum erant qui militabant in ſcholâ veſtis ſacræ, quales erant veſtitores principi ſe induenti miniſtrantes. Hique erant ſub Comite ſacræ veſtis (Duo enim comites circa veſtes erant occupati, Comes veſtiarius qui veſtes lineas procurabat, & Comes ſacræ veſtis, qui pretioſa veſtimenta regiumque ornatum conſervabat.) Erant quoque alii Caſtrenſiani primæ, alii ſecundæ, alii tertiæ formæ; it. alii ſtatuti alii ſupernumerarii, ex quibus qui à principe ſtatuti fiebant ſemper ultimum locum ejus formæ, quam impetraverant, occupabant,* (l.2. C. eod.) *Officium horum biennale ſtatuitur* (l.1. C. eod.) *adeò, ut hoc finito ad eandem militiam denuò remeandi poteſtas non detur. Privilegia horum ſunt, quòd ſolius Magiſtri officiorum Juriſdictioni ſint ſubjecti, remiſſionem ſportularum ſatisdationis, quando in Jus vocantur habeant,*

ſufficiatque ſi unum ex conjunctis vel de ſuo numero præſtent. (l. ult. & l. penult. C. eod.)

14. Decani, ſeu decuriones cubiculariorum, ex numero miniſterianorum fuerunt. *Nam* (l. 2. C. de Decan.) *dicuntur famulationibus adhærentes, & Pancirolus* (in Notit. Imperii Oriental. cap. 90.) *ſcribit, decanos ſacro cubiculo inſervisse, principem induiſſe, cubicula ac lectos paraſſe. Fuere autem ſubjecti primicerio, qui ſumebatur ex quatuor Decanis primis in Ordine, morabaturque in officio duobus annis, nec illud denuò petere poterat.* [l. 1. C. d. t.] *Juriſdictionem verò in eoſdem habebat Magiſter officiorum* (d. l. 2.)

15. Subjiciuntur in Codice Decanis Menſores. Quinam hi fuerint, non ſatis conſtat. Argumento (*l. ult. C. de diverſis Offic.*) videtur ſtatui poſſe, fuiſſe eos, qui aulicis annonam & equis pabula ſubminiſtrarunt.

ARTIC. VII.

DE EQVITIBUS ROMANIS.

1. Equites Romani ſecundum gradum poſt clariſſimatûs dignitatem habere jubentur. Videntur autem equites Romani cenſu à plebeis fuiſſe diſtincti. *Ita enim loquitur Seneca* (lib. 2. de benefic.) *Senatorum gradum cenſus aſcendere facit, cenſus Romanum equitem à plebe diſcernit.*

ARTIC. VIII.

DE PERFECTISSIMATUS DIGNITATE.

1. Perfectiſſimatûs dignitatem habebant Rectores provinciarum, quæ modicæ erant. *Hinc perfectiſſimis annumerabantur Præſes Arabiæ* (l. 4. C. Theod. de pœn.) *it.* primicerius exceptorum (*l. 7. C. de palat. ſacrar. largit.*) & omnes qui nec ſervilis conditionis exiſtentes, nec fiſco aut curiæ obnoxii dignitatem hanc à principe impetraverunt. (*l. unic. C. de perfectiſſimatûs dignit.*)

CONCLUSIO
CAPITIS SEPTIMI.

1. Ex traditis hoc Capite addiſcimus, in Romano Imperio maximè poſt Constantini tempora perfectum jus tyrannicum obtinuiſſe. *Nam omnis dignitas æſtimata fuit ex miniſterio principis. Qui enim curam*

ram epularum & veſtium habuerunt equitibus Romanis prælati ſunt. Tyranni autem omnes dignitates à miniſteriis ſuis æſtimare ſolent.

2. Diſcimus quoque Conſtantini M. & cæterorum Imperatorum poſt eum ſtratagema, quo uſi ſunt, dum omnes magiſtratus, penes quos erat non modò Judiciorum in provinciis, ſed & rerum militarium cura, privarunt gubernatione rerum militarium, & peculiares conſtituerunt duces qui militibus præeſſent. *Nam hoc pacto nullus Judicum provincialium quicquam novi moliri poterat & magiſtris ducibusque militum adverſi non admittebant, ut hi quicquam tentare & moliri auderent. Sed Juſtinianus nolens amplius contentiones, quæ inter civiles & militares Judices intercedebant tolerare, rurſus officia civilia & militaria conjunxit* (Nov. 8. 17. 24. & ſeqq. usque ad 30.)

ARTIC. VIII.
DE
JURISDICTIONE, MERO ITEM ET MIXTO IMPERIO.

1. Cùm hactenus de Magiſtratibus diſſeruerimus, commodum videtur ſubjicere tractatum de Jurisdictione. *Nam Jurisdictio apud Romanos videtur fuiſſe quædam poteſtas, quam magiſtratus quà tales habuerunt.*

2. Videmur autem hanc materiam, quæ Ddribus planè intricata habetur, adeò ut de hac ita loquantur, ut nec ſeipſos quandoque intelligant, ita commodè abſolvere poſſe, ſi ſumamus quid Jus propriè dictum ſit, & ex hac definitione velut principio progrediamur. *Nam Jurisdictio à Jure & dicundo ſine dubio deſcendit. Cognitâ autem naturâ Jdictionis, non latebunt quæ de mero & mixto Imperio ſcienda ſunt.*

ARTIC. I.
DE
JURISDICTIONE IN GENERE.

1. Jurisdictionem definimus poteſtatem publicè competentem pronunciandi id, quod licet lex non ſit, vim tamen legis habet & eos obligat in quos pronunciatum eſt. *Nam Jus propriè dictum ſuprà illud eſſe diximus, quod cùm lex non ſit, inſtar tamen legis obligat.*

2. Competebat apud Romanos Jurisdictio propriè Magiſtratibus, quibus commiſſa erat cura interpretandi leges. *Nam magiſtratus hi erant viva vox legis, & quod obſcurum erat in legibus interpretabantur, quod nimis anguſtum erat extendebant procedendo ad ſimilia, non quadrans præſenti caſui limitabant, quod his deerat ſupplebant, non amplius*

tempori præſenti congruens antiquabant. (l.12. & l.13. ff. de LL.) Præcæteris ergò magiſtratibus Jurisdictionem Prætor exercuit. *Nam huic erat commiſſa poteſtas adminiſtrandi leges, & exercendi Judicia.*

3. Magiſtratus Romani in civilibus tantum & non in criminalibus cauſsis habebant Jdictionem. *Nam olim in nullum civem Romanum capitale ſupplicium injuſſu populi dictare fas erat. Ergò criminales cauſas ſibi populus reſervaverat.*

4. Jurisdictioni innexum erat Judices dare qui de ſingulis cauſsis civilibus cognoſcerent. *Nam eum qui judicare jubet magiſtratum eſſe oportet, ait Ulpianus* (l.13.pr. ff. de Jdict.) *&* (l.3.ff.eod.) *Jdictio eſt etiam Judicis dandi licentia. Id enim ita conſuetudine obtinuit, ut qui leges adminiſtraret ſingulis in cauſſis conſtitueret Judices, qui de his notionem haberent.*

5. Olim verò magiſtratus propriè erant & Jurisdictionem exercebant qui in urbe erant: ii verò qui regebant provincias poteſtates potius quàm magiſtratus vocabantur. (*l.13.* §.*1.ff. de Jdict.*) *Nam magiſtratus Romani in urbe civili præerant imperio, & ita propriè Jus dicebant leges civiles interpretando; imperium autem in provinciales magis herile erat, utpote in tributarios & ſtipendiarios civium Romanorum.*

ARTIC. II.
DE
DIVISIONE JDICTIONIS IN PROPRIAM ET MANDATAM.

1. Magiſtratus Romani debitis auſpiciis creati dicebantur in liberâ Republ. ſuam ſibi propriam Jdictionem habere; isque mos loquendi manſit in ſtatu etiam tyrannico. *Nam in liberâ Republ. neminem magiſtratus agnoſcebant ſuperiorem, ſed ſinguli ratione rerum ſibi commiſſarum ſupremam habebant poteſtatem. Unde & Majeſtas ipſis tribuitur, & in eos crimen læſæ Majeſtatis committi dicitur.* (l.1. §.1.ff. ad L. Jul. Maj.) *Quæ cauſſa etiam fuit, quare ab Impp. priſtinus ſtatus penitus everti non potuerit, niſi religione omni ſublatâ & novâ introductâ. Ob auſpicia enim ſingulis magiſtratibus ad minimum in ſpeciem priſtina poteſtas relinquenda fuit. Quâ ratione & contigit, ut, more in liberâ Republ. uſitato, magiſtratus ſinguli etiam in tyrannico ſtatu ſuam ſibi propriam Jdictionem habere dicerentur; licet in rei veritate miniſterium Imperatori in Jdictione exercendâ præberent.*

2. Qui propriam ſibi Jdictionem habebant eam aliis mandare poterant. *Nam Julianus ait* (l 5. ff. de Jdict.) *More majorum ita comparatum eſſe, ut is demum Jdictionem mandare poſſit, qui eam ſuo Jure*

non

non alieno beneficio habet. Sufficiebat enim ejus, cujus propria eſſet, auſpiciis Jdictionem exerceri. Id quod etiam contingebat, ſi is idoneam perſonam eligeret, cui Jdictionem exercendam mandaret. Cæterum quia nonnunquam propriam habentibus Jdictionem à populo quid ſingulariter committebatur quod auſpiciis ejus gerendum erat: hinc fiebat, ut non omnia magiſtratus mandare poſſent quæ facere ipſi & adminiſtrare poterant. Hinc traditur (l. 1. pr. ff. de Offic. ei. cui mand.) *ea, quæ ſpecialiter lege vel SCto vel Conſtitutione principum tribuuntur, mandatâ Jdictione non transferri; quæ verò Jure magiſtratûs competunt mandari poſſe: errare proinde magiſtratus, qui cùm publici Judicii habeant exercitionem (Hæc enim in liberâ Republ. ſolius populi propria erat & ab hoc quæſtoribus poſtea etiam prætoribus mandabatur) lege vel SCto delegatam Jdictionem ſuam mandant.*

3. Inde ergò nata eſt diſtinctio inter propriam & mandatam Jdictionem: quamvis hæ ſpecies non planè univocæ ſint. *Nam habentes mandatam Jdictionem nec principaliter datam habent nec à lege, ſed eorum Jdictio ab alio delata à lege tantùm confirmatur.* (l. 6. ff. de Jdict.) *& ita nihil proprium habent, ſed eorum, qui mandarunt Jdictione utuntur.* (l. 1. §. 1. de Offic. ejus cui.) *& vice ejus qui mandavit funguntur, etiamſi ipſi prætores ſint & aliàs ſuam etiam Jdictionem habeant.* (l. 3. ff. eod. l. 16. ff. de Jdict.) *Inde etiam fit, quòd ſi mandans deceſſerit, antequam mandatarius gerere cœperit, hic mandatam Jdictionem amittat.* (d. l. 6. de Jdict.) *Nam nec auſpiciis alicujus mortui negotium adminiſtrandum ſuſcipi poteſt, & aliàs mandatum morte mandantis finitur.*

4. Is autem cui mandatur Jdictio vel omnis mandatur vel ſpecies una. (l. 16. ff. de Jdict.) *Nam prætor ſicut univerſam Jdictionem alteri mandare poteſt, ita & in perſonas certas vel de unâ ſpecie poteſt.* (l. 17. ff. eod.) Cæterum is cui omnis Jdictio mandata eſt ea omnia facere poteſt quæ ipſe mandans, vi ſuæ Jdictionis poteſt. *Nam in præcedentibus dictum, eum qui Jdictiogem habet mandare poſſe quod proprium ſibi habet. Quin nonnunquam utilitatis gratiâ receptum eſt, ut mandatarius conſequatur quod Jus dicentibus ſingulariter indultum eſt; cognitio enim de ſuſpectis tutoribus mandari poteſt, immò etiam ex mandatâ generali Jdictione competit propter utilitatẽ pupillorum.* (l. 4. pr. ff. de Offic. ejus cui) *Conſilium tamen exercere mandatam Jdictionem habenti prohibitum;* (l. 2. pr ff. eod.) *item alteri Jdictionem mandare* (l. 5. pr. ff. eod.)

ARTIC. III.
DE
DIVISIONE JDICTIONIS IN VOLUNTARIAM ET CONTENTIOSAM.

1. Jdictio vel voluntaria eſt vel contentioſa. *Nam qui Jus pronunciat vel id facit inter diſſentientes & contendentes, vel inter eos, qui ejusdem voluntatis ſunt; velut quando alter adoptat alter ſe adoptari patitur aut filium ſuum, aut quando alter manumittit alter manumittitur: inter hos enim nulla diſſenſio nulla contentio eſt; ſed utrique conſentiunt in id quod magiſtratus velut jus introducis v.g. ut alter pro patre, alter pro filio habeatur.*

2. Jdictio contentioſa apud Romanos certis diebus certoque loco exercebatur. *Nam dies alii erant faſti alii nefaſti; faſti erant, quibus pratori conceſſum erat fari hac verba: DO, DICO, ADDICO. i.e. exercere Judicia. His etenim verbis ſolebat ſua judicia inchoare. Nec etiam ubivis locorum; ſed pro tribunali ſedens ad contentioſam Jdictionem pertinentia perficiebat.*

3. Pertinentia verò ad voluntariam Jdictionem quovis loco & tempore tractare magiſtratus poterat. *Hinc ſervi à dominis ſemper i.e. diebus tam faſtis quàm nefaſtis manumitti poterant, adeò, ut vel in tranſitu manumitterentur, veluti cum prætor, præſes vel proconſul in balneum iret vel in theatrum,* (§. ſerv. 2. Inſt. de Libertin.)

ARTIC. IV.
DE
DETERMINATIONE ET PROROGATIONE JURISDICTIONIS.

1. Terminatur omnis Jdictio vel loco vel tempore vel re vel perſonis. *Nam 1. debet certo territorio includi: neque enim in infinitum extendi poteſt, ſed habent ſinguli magiſtratus ſuas regiones, in quibus Jus dicunt. Hinc nata regula: extra territorium Jus dicenti impunè non pareri.* (l. ult. ff. de Jdict.) *2. Magiſtratus vel temporales vel perpetui ſunt; & qui temporales exiſtunt, quales erant, pratura, conſulatus &c. apud Romanos, habent quoque Jdictionem tempore determinatam. Hinc magiſtratus non poterant jubere judicare eo die, quo privati futuri ſunt.* [l. 13. §. 1. ff. eod.] *3. Solet etiam quantitate determinari id de quo Jus dicere magiſtratibus conceſſum eſt i.e. quantum coram quovis Judice poſtulari poſſit* [l. 19. §. 1. ff. eod.] *ſeu quantum in ſingulas actiones coram quovis Judice deduci poſſit. Quâ de re alibi latius ex* (l. 11. ff eod.) *dicturi ſumus. 4. Quin & perſonis Jdictiones terminari poſſunt. Ita namque Judices civiles à militaribus differunt, quòd illi paganis, hi militibus Jus dicant.* 2. Pro-

2. Prorogatio Jdictionis eſt illius ultra terminos certa extenſio: & tot generum quot termini Jdictionis. *Nam quàm varii ſunt termini, toties etiam contingit extenſionem ultra eosdem fieri. Hinc prorogatur Jdictio vel extra territorium vel ultra tempus vel ultra quantitatem vel ultra perſonas.*

3. Prorogatio apud Romanos facilè procedebat, ſi ſcil. litigantes ſcientes & prudentes ſine errore (*l 15. ff. de Jdict.*) conſentirent in eum, qui Jdictioni cuidam præerat, ut Judicium exerceret in iis ad quæ Jdictio ipſius regulariter non ſpectabat. *Ita æqualis vel major Jdictioni æqualis vel inferioris ſe ſubiicere poterat.* (l.14. ff. de Jdict.) *Nam in liberâ Republicâ id facilè procedebat ob ſtatum democraticum & auctoritatem populi; in monarchico verò ob hoc, quòd omnes Judices miniſtri eſſent Imperatoris in Jdictione exercendâ, & ita parum intereſſet, quis hæc vel illa negotia Judicialia expediret, in quibus intereſſe tantum privatorum verſabatur.*

ARTIC. V.
DE
MERO ET MIXTO IMPERIO.

1. Jdictio nulla eſſe poteſt, niſi qui præeſt aliquâ vi polleat. *Nam Ius dicere eſt aliquid pronunciare quod vim obligandi habet & inſtar legis ad obſervantiam adſtringit: id quod ſine vi aliquâ adhibitâ obtineri nequit.*

2. Vis, quam Jus dicens habet, vocatur mixtum Imperium. *Nam in præcedd. diximus Jdictionem apud Romanos in cauſſis civilibus tantùm ſeu pecuniariis verſatam eſſe: quæ cauſſa fuit, quare Ius dicentes non ſimplici illâ & abſolutâ vi, quâ inſtructus eſſe debet qui omnem improbitatem & malitiam in Republicâ coërcet, indigent; ſed eâ tantum quâ opus eſt pro expediendâ Jdictione i.e. ne inane ſit quod pronunciarunt. Hinc definitur mixtum imperium* (l 3. ff. de Jdict.) *cui etiam Jdictio ineſt. i.e. quod non eſt merum & abſolutum, ſed reſtrictum ratione Jdictionis. Ex quibus patet, omnia ad executionem ſpectantia mixto Imperio annumeranda eſſe: ut quando Ius dicens in poſſeſſionem bonorum mittit* (d.l.3.) *aut jubet prætoriâ ſtipulatione cavere* (l.4. ff. eod.)

3. Facilè ergò eſt mixtum Imperium à mero ſecernere. *Nam, Imperium merum abſoluta quædam vis eſt & ad omnia flagitia & facinora coërcenda ſe extendit: unde &* (d.l.3.) *definitur gladii poteſtas ad animadvertendum in facinoroſos, & abſolutè poteſtas vocatur: at mixtum imperium conſiſtit in vi, qualis neceſſaria eſt pro explicandâ & expediendâ Jdictione.*

4. Mixtum Imperium in liberâ Republ. ſoli habebant magiſtra-

tus

tus majores. (l.26. pr. ff. ad municip.) *Nam vis illa quæ legibus & juribus, quo ſerventur & robur habeant, accedere debet partim in auctoritate quâdam partim in manu militari conſiſtit. Quod enim auctoritate obtineri poteſt non indiget manu militari. Quapropter dabatur ſplendoris ergò Prætori tribunal & ſella curulis: hiſce enim auctoritas ipſius ſignificabatur. Nulli ergò niſi magiſtratui alicui majori imperium mixtum in liberâ Republ. competere poterat: quia magiſtratus majores ſinguli particulam regiæ poteſtatis habebant & ratione ſuæ Jdictionis & adminiſtrationis Majeſtatem. Hinc magiſtratus minores ſine Imperio aut poteſtate eſſe dicebantur.* (l.32. ff. de Injur.)

5. Ex his quæ ad mixtum Imperium in liberâ Republ. pertinuerint non difficile eſt cognoſcere; nim. Reſtitutio in integrum, miſſio in poſſeſſionem bonorum. (l. ea quæ. 26. ff. ad municipal.) *Nam hæc partim auctoritatem quandam partim vim aliquam deſiderant.* it. Modica aliqua coërcitio in contumaces (l. ult. ff. de offic. ejus cui.) & quòd poſſint *ſuam Jdictionẽ pœnali Iudicio defendere* (t.t. ſi quis Jus dic.)

6. Hoc mixtum Imperium habent & ii quibus mandata eſt Jdictio, magis tamen ratione coërcitionis, quàm abſolutæ auctoritatis. *Nam auctoritate magis mandantis quàm propriâ utuntur, coërcitionem autem eos habere neceſſe eſt; quia Jdictio ſine modicâ coërcitione planè nulla eſt.* (d.l. ult. de Offic. ei.) *Et omni, cui Jdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus Jdictio explicari nequit.* (l. 2. ff. de Jdict.)

7. Verùm hæc ita ſe habuerunt in liberâ Republ. & initio ſtatûs monarchici, ubi imago liberæ Reip. ſupererat: poſtquam verò omne imperium ad imperatores delatum eſt, qui olim ſuam propriam habuerant Jdictionem & regiâ quâdam auctoritate utebantur miniſterium in Judicando præbuerunt, ex legibus ab Imperatoribus præſcriptis reſtituentes in integrum & mittentes in poſſeſſionem, inſtar magiſtratuum municipalium. (l.ult.C. ubi & apud quem cognitio in integr. reſtit. l. 29. §. 7. ff. ad L. Aquil.) *Quapropter & Conſtantinus omnes formulas, quibus quæ prætoriâ auctoritate dabantur peti ſolebant, abrogavit.* (t. t. C. de formul. & impetrat. act. ſublat.) *ut adeò poteſtas coërcendi, quâ poſtea uſi ſunt Judices æquivocè Imperium mixtum dictum fuerit; quia auctoritas erat penes leges & Imperatorem, penes Iudices miniſterium. Quæ non obſervantes Ddres in inextricabiles labyrinthos inciderunt.*

CONCLUSIO EORUM QVÆ HOC CAPITE DICTA SUNT.

1. *Omne Ius publicum in Iuſtitiâ diſtributivâ fundatum eſſe debere,*

hanc

hanc autem conſiſtere in proportione rerum & perſonarum, ut quò quis plus confert ad finem Civitatis eò plus honorum & reliquorum bonorum externorum conſequatur; nihilque Juſtitiæ reperiri in formis vitioſis ſuperius (lib. 1. huj. part.) *declaratum eſt. Quæ ibi dicta quando hic repetuntur facilè de Jure, quod in diſtribuendis dignitatibus obſervatum ab Imperatoribus fuit, Judicium ſuggerere poſſunt.*

2. In diſtributione honorum jus quoddam tyrannicum obſervatum eſſe ab Imperatoribus ſatis conſtat. *Nam quò quis ſervitio propior Imperatori fuit, & veſtimenta epulasve præ cæteris adornare poterat, aut quò fidelior in corpore ejus cuſtodiendo, eò majori in dignitate habitus eſt. Ut adeò omnia collimaverint ad ſolius Imperatoris jucundam & ſuavem vitam. Quæ forma an decuerit Chriſtianos nolumus judicare, ſed Lectori examen & judicium ex ſcripturâ ſacrâ faciendum committere. Scil. finis Reipubl. debebat eſſe vera cum Deo & proximo amicitia: ſed contrà omnia directa fuêre ad immenſam Imperatorum & pompam & luxuriam.*

3. *Cæterum cum hactenus de diſtributione honorum dictum fuerit; conſequens eſt, ut dicamus de Jure, quod in diſtribuendis rebus i.e. bonis mobilibus & immobilibus obſervatum fuit. Et quia ſuprà* (lib.1. cap.3. huj. part.) *demonſtravimus alia bona debere eſſe publica alia privatorum: dicemus prius de bonis publicis deinde de privatis, qualisque in his fuerit obſervata diſtribuendi ratio.*

CAP. IX.
DE
FISCO.

1. In liberâ Republ. bona dicebantur publica quæ populi Romani erant. (l. bona 15. ff. de Verb. ſignif.) *A populo namque & nomen habuiſſe videntur; quia publicum videtur idem eſſe quod populicum.*

2. In ſtatûs monarchici autem initio partem publicorum bonorum Imperator partem Senatus habebat. *Nam Auguſtus etiam provincias diviſerat in Senatorias & Imperatorias. Hinc nata eſt diſtinctio inter ærarium & fiſcum; ærarium Senatûs, fiſcus principis erat. Diſtinctionem hanc tempore Tiberii jam obtinuiſſe ex Tacito* (6. ann.2.) *addiſcere poſſumus: quando ait;* & bona Sejani ablata ærario, (*in quo Senatûs & populi pecunia erat*) ut in fiſcum (*in quo Cæſaris pecunia erat*) cogerentur, tum retulêre Scipiones. *i.e. Scipiones adulandi cauſâ ad Senatum retulêre, ut bona damnati Sejani in ærarium redacta ad fiſcum pertinerent, & ita Jus ærarii ipſumq; ærarium minuerunt, ut fiſcus augeretur.*

Tractaruntque ærarium prætores, quorum fit mentio à Tacito (1. ann. 75.) *it. quæſtores. Hinc Tacitus* (13. ann. 18. & 29.) Eò Helvidius Priſcus tribunus plebis adverſus Obultronium Sabinum ærarii quæſtorem (*ſpecie publici commodi*) contentiones proprias exercuit, tanquam Jus haſtæ adverſus inopes inclementer augeret. Dein princeps curam tabularum publicarum à quæſtoribus ad præfectos tranſtulit. Variè habita ac ſæpè immutata ejus rei forma. Nam Auguſtus permiſit Senatui deligere præfectos, dein ambitu ſuffragiorum ſuſpecto ſorte ducebantur ex numero prætorum qui præeſſent &c. *Manſiſſe & temporibus Trajani hanc diſtinctionem diſcimus ex Plinio* (panegyr. ad Trajan.) *quando inquit*: At fortaſſe non eâdem ſeveritate fiſcum, quàm ærarium cohibes, imò tanto majore, quanto tibi plus licere de tuo quàm de publico credis. *Quapropter & Ulpianus* (l.2. § 4. ff. ne quid in loc. publ.) *dicit: res fiſcales quaſi proprias & privatas principis eſſe.*

3. Succeſſu temporis autem, ceſſante hac diviſione pecuniæ publicæ, & penes ſolum Imperatorem poteſtate adminiſtrandi eam reſidente, ipſe princeps habuit duplex ærarium: (*l. un, C. de Quæſtor. lib. XII.*) quorum alterum uſibus publicis inſerviit alterum privatis. *Id enim innuere videtur Leo* (l.15. C. de Re milit.) *per divinas poſſeſſiones intelligens ea bona, quæ uſibus publicis; per regias ea, quæ privatis & domeſticis Imperatoris uſibus erant deſtinata.*

4. Videmur autem commdè quæ de fiſco dicenda veniunt abſolvere poſſe, ſi diſtinctis membris tractemus, 1 de modis acquirendi, quibus utebatur fiſcus. 2, *De delatoribus, qui inſerviebant augendis bonis fiſcalibus.* 3. *De privilegiis fiſci.*

MEMBR. I.
DE
MODIS ACQVIRENDI BONA FISCALIA.

1. *Acquirebatur fiſco ex Vectigalibus, Tributis, confiſcatione, Vacantibus & Caducis.*

ARTIC. I.
DE
VECTIGALIBUS.

1. Vectigalia fuêre reditus incerti ex portubus rebusque venalibus, paſcuis, agriſque quibus Reſpublica ſuſtinebatur, & plerumque locari ſolita privatis, qui propterea publicani vocabantur, quam plurimis injuriam facientes in his exigendis. *Nam publicani dicti quaſi publico fruentes, ſive fiſco vectigal pendant ſive tributum conſequantur. & omnes*

omnes eos, qui quid à fiſco conducunt rectè appellari publicanos, docet Ulpianus (l.1.§.1.& l.12.§.3.de publican.& vectigal.) *Et quia in omnibus vectigalibus ferè conſuetudo ſpectari ſolebat,* (l 4. §.ult. eod.) *ſæpè publicani illicita exigebant ad conſuetudinem provocantes. Cumq; magnæ audaciæ & temeritatis eſſent publicanorum factiones; prætores Edictis horum malitiæ obviam ire annixi ſunt.* (t.t. ff. de publ. & vect. & l. 12. pr. eod.) *Refert etiam Tacitus* (lib.13. annal. cap.50.) *Neronem crebris populi flagitationibus acerbitatem publicanorum in exigendis vectigalibus arguentis, inductum fuiſſe, ut conſultaret, an omnes locationes vectigalium abrogaret; idq; pulcherrimum donum generi mortalium daret; ſed impetum ejus, multum prius laudatâ magnitudine animi repreſſiſſe Senatores, docendo, enervatum iri Imperium, ſi reditus, unde publici ſumptus fierent, deminuerentur: ſi enim concedatur plebi, ut libera ſit à portoriis, progreſſuram eſſe ulterius & petituram quoque, ut à cenſibus & tributis liberetur. Pleraſque vectigalium ſocietates à CSS. & Tribunis pl. conſtitutas eſſe, tunc, cùm liberrimus eſſet Populus Romanus; reliqua mox ita proviſa, ne plus exigeretur, quàm neceſſarium eſſet Reipublicæ. Temperandas itaque eſſe publicanorum cupidines, ne per tot annos ſine querelâ tolerata populo inviſa & exoſa redderentur. Hiſce motum Neronem edixiſſe, ut pacta, quibus quodque vectigal conductum eſſet, hactenus in ſecreto habita in publico proponerentur: & quæ publicani intra annum non exegiſſent, poſtea non poſſent reſumere. Conſtitutos etiam Romæ prætores per provincias, qui pro prætore aut Conſule eſſent, & jura adverſus publicanos extra ordinem redderent: ſervatam etiam militibus immunitatem à portoriis, niſi ſi & ipſi negotiarentur.*

2. Vectigal triplex fuit: Portorium, Scriptura & Decuma. Portorium fuit vectigal quod ex importatione & exportatione rerum venalium; Scriptura, quod ex paſtione ſeu uſu paſcuorum publicorum; Decuma, quod ex agris dabatur: ſolebat enim decuma pars fructuum dari.

ARTIC. II.

DE TRIBUTIS ET ANNONIS.

1. Tributum ſeu ſtipendium in quâdam certâ ſeu definitâ pecuniâ conſtitit; quo ipſo fuit vectigalibus contradiſtinctum. *Et hæc diverſa fuiſſe indicat Tacitus* (de Morib. German. cap.29.) *quando ait:* Omnium harum gentium virtute præcipui Batavi &c. Manet honos, & antiquæ ſocietatis inſigne, nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit. exempti oneribus & collationibus, & tantum in uſum præliorum ſepoſiti, velut tela atque arma bellis reſervantur. *Nam*

non omnes regiones & civitates ſimiliter à Romanis tractatæ ſunt: ſed aliæ fuêre vectigales, aliæ immunes; aliæ liberæ aliæ in ſervitute. Stipendiorum nomen accepêre tributa; quia ex his ſolebant ali exercitus, & militibus ſtipendia præberi. Hinc Juſtinianus (Nov.149. cap.2.) *ait: Impoſſibile eſſe, ut ſacris tributis non illatis alioqui Reſpublica conſervetur; propterea, quòd militares copiæ, quarum tutelâ ſecuri homines ſunt, inde alantur. Et Ulpianus* (l.1. §.10. ff. de quæſtionib.) *in tributis eſſe Reipublicæ nervos dicit. & Cerialis apud Tacitum* (4. Hiſt.74.) Neque quies gentium ſine armis; neque arma ſine ſtipendiis; neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.

2. Tributa alia ſunt ordinaria, alia extraordinaria; Ordinaria tributa vel Cenſus vel Capitationes. Cenſus ſunt tributa, quæ imponuntur fundis, ratione fructuum, quos communiter ferre poſſunt. *Nam Iuſtitia diſtributiva eatenus attribuit onera, quatenus & quousq; ſeſe extendunt commoda. Hinc in formâ cenſuali obſervabatur nomen fundi, arvique intra decem annos ſati, in quâ civitate, in quo pago, quos duos proximos haberet; vinea quot vites haberet, olivetum quot arbores &c.* (l.4. pr. ff. de Cenſibus) *Vites quoque & arbores mortuæ cenſui non inſerebantur, niſi ab ipſis poſſeſſoribus exciſæ, nullam valentibus exciſionis cauſſam dicere* (l.4. ſ.1. eod.) & (l.4. C. de cenſib.) *jubentur ſterilia atque eremà his, quæ culta vel opima ſunt, compenſari.*

3. Tributis, quæ ſolvebantur à prædiorum poſſeſſoribus, ſimiles erant annonæ. *Nam nullâ ratione annonæ differebant à tributis, niſi quòd annonæ conſiſterent in ſpeciebus, veluti frumento, oleo, vino, hordeo, larido, quæ pendebantur pro alendis militibus. Frumenti quinquageſima, hordei quadrageſima, vini & carnis ſuillæ decima quinta.* (l.9. C. de ſuſceptor.) *Tenebantur & provinciales has annonas transvehere ad exercitum, præſertim qui viciniores erant limitibus* (l.pro locis 6. C. de annon. & tribut.) *Nam nullus poſſeſſorum longius mittebatur, quàm par erat; ſed habebatur itineris & habitationis ratio & expenſarum in itinere neceſſariarum.* (l.Nemo.8.C.eod.)

4. Annonæ & tributa Indictiones uno nomine vocantur. *Omnia enim quæ rebus indicuntur præſtanda, qualia ſunt tributa & annonæ indictiones ſunt.* (l. Indictiones 3. C. eod.) *Quapropter quæ de Indictionibus traduntur tributis & annonis competunt. Ratio denominationis eſt; quòd ſingulis annis tributa & annonæ indicerentur & quidem ante tempus ſolutionis, quò ſeſe præparare poſſent.* (l.2. C. de Indict.) *Hinc cyclus ille, qui vocatur Indictio, incipiens ſub Conſtantino Anno poſt Chr. natum 312. continens quindecim annos ſeu tria luſtra. Olim namque à provincialibus in ſignum dominationis primo luſtro ſolvebatur certa auri quantitas, quæ*

in

in ærario Reipubl. reponebatur; ſecundo argentum ad ſtipendia militibus ſolvenda; tertio æs & ferrum ad armorum reparationem. Hinc cùm ſingulis quindecim annis novus cenſus deſcriberetur, manſit cyclus quindecim annorum pro numerandis indictionibus. Incipiunt autem indictiones à menſe Septembri. Id quod ex Chronologis diſci poteſt. Omnes porrò Indictiones erant reales. *Nam* (l. 2. C. de Immunit. nem. conced.) *quilibet jubetur præſtare ordinariam indictionem, quæ rebus indicitur ſecundum bonorum quantitatem. Hinc Diocletianus* (l. 2 C. de annon.) *præcipit ſervare moderationem, ne provinciales ultra modum poſſeſſionum onerentur: ut ita ipſa prædia potius quàm poſſeſſores obligari videantur ad præſtationem tributi. Quam ob cauſſam Papinianus* [l. 42. ff. de pact.) *pactum inter creditorem & debitorem, ne creditor onus tributi prædii oppignorati agnoſcat, quantum ad fiſci rationem non eſſe ſervandum pronunciavit. Ita annonæ ſolvi jubentur ab iis qui poſſeſſiones tenent & fructus percipiunt.* (l. 2. C. de annon.) *Hinc nulla immunitas adverſus ordinarias Indictiones allegari poteſt;* (l. 1. C. de Indict.) *nec reſcriptum principis* (l. in fraudem. 7. C. de anu.) *nec privilegium dignitatis* (l. obſiſtere. 10. C. eod.)

5. Capitationes fiebant olim per ſingulos viros & binas mulieres; poſtea verò binis ac ternis viris, mulieribus autem quaternis unius pendendi capitis attributum eſt. *(l. 10. C. de agricol. & cenſit.)* Habita eſt etiam ratio ætatis. *Hinc ætatem in cenſendo ſignificare neceſſe erat; quia quibusdam ætas tribuebat, ne tributo onerarentur. veluti in Syriis à quatuordecim annis maſculi, à duodecim fœminæ uſque ad ſexageſimum quintum annum tributo capitis obligabantur.* (l. 3. pr. ff. de Cenſib.)

6. Extraordinaria tributa ſunt, quæ urgente neceſſitate publicâ, cùm ordinaria tributa non ſufficiebant, imponebantur, à quibus tamen Imperatores, quantum fieri poterat, abſtinebant. *Nam pleramque pariebant ſeditiones & motus, ſi ſine cauſſâ imponerentur. Hinc legimus Nervam, Tacitum, Antoninum philoſophum, Conſtantinum maluiſſe proprias facultates impendere & ornamenta Imperatoria diſtrahere, quam ad ejusmodi extraordinaria tributa proſilire.* Vocata fuerunt ſuperindicta. *Nam ſuperindictum indictionis augmentum eſt, impoſitum, ſi indictio ſeu ordinarium tributum non ſufficiat.* Nulli autem magiſtratuum conceſſum fuit ſuperindicere; nec ullus provincialium obligatus fuit interdictorũ nomine ad ſolas præfecti literas quicquam ſolvere. (l. un. C. de ſuperindicto) *Nam cùm periculoſum ſit, ipſis Imperatoribus jubentibus extraordinaria tributa imponi; multò minus admittendum, ut injuſſu Imperatorum magiſtratus id audeant facere.*

ARTIC. III.
DE
CONFISCATIONE.

1. Confiſcatio eſt bonorum alicujus damnati fiſco addictio. Eſtque duplex, alia fit per legem alia liberâ voluntate merum imperium habentium. Quæ per legem fit vel principaliter irrogatur tanquam pœna quædam, vel acceſſoriè, quando ſcil. pœna irrogatur libertatem, civitatem aut vitam adimens. *Nam his pœnis irrogatis Iure Romano unà bona publicabantur* (l.1. ff. de bon. damnat.) *ſervatâ tamen liberis portione legitimâ* (l.7. pr. ff. eod.)

2. Confiſcatio, quæ legibus non eſt introducta, nulli magiſtratuum competit, niſi ſpecialiter ſit à principe conceſſa. (l. un. C. Ne ſine injuſſu princip. cert. Judic. lic. confiſc.)

3. *Quòd verò confiſcationem bonorum accedere voluerint Romani pœnis aliis, cauſſa hæc fuit; ut quos vitæ & exiſtimationis periculum in officio continere non poterat, amiſſionis bonorum metus deterreret. Homines quoque magis abſtinent à vitioſis actionibus, quando norunt ſe ſuosque liberos in egeſtate victuros ob delicta. Hinc Tryphoninus* (l.31. pr. fin. ff. Depoſiti.) *ait: malè meritus publicè, ut exemplo aliis ad deterrenda maleficia ſit, etiam egeſtate laborare debet.*

4. Cæterum non damnatorum tantum, ſed & eorum qui conſcientiâ delati admisſique criminis metuque futuræ ſententiæ manus ſibi intulerant bona fiſco vendicabantur. (l.1. C. de bon. eor. qui mort. ſibi conſciv.) *Vitioſum enim hominem arguit, ſi quis nec tædio vitæ nec impatientiâ doloris ſibi mortem conſciſcit. qui enim ſibi non pepercit multò minus aliis parcet.* (l 3. §. 6. ff. eod.)

5. Confiſcatio tanquam pœna principalis & non acceſſoria irrogatur variis ex cauſſis. *Nam ſi quis tacitum fideicommiſſum fecerit, quò qui hereditatem de Iure capere non poteſt eam accipiat, ejus bona confiſcantur* (l.40. pr. l.48. pr. l.43. ff. de Jure fiſci) *Item quando heredi ut indigno hereditas aufferetur* (t.t. ff. de SCto Silan. l.46. pr. ff. de Iur. fiſc.)

ARTIC. IV.
DE
VACANTIBUS ET CADUCIS BONIS.

1. Vacantia bona dicuntur, quæ nullum dominum aſſertoremque habent. *Veluti ſi quis inteſtatus & ſine legitimo herede deceſſerit.* (l.1. & l 4. C. de bon. vacant.) pertinentque ad fiſcum ex L. Juliâ (*l. Quidam. 96. §.1. de Legat. 1.*) & prohibentur civitates jus vindicandorum eorundem quaſi ex permiſſu ſibi arrogare. (*d. l. 1. C. de bon. vac.*)

2. Vacan-

2. Vacantibus ſimilia reputantur bona obſidum & captivorum. (*l.13. ff. de Iur. fiſc*) niſi accepto uſu togæ Romanæ, ut cives Romani, ſemper egerint (*l.32. ff. eod.*) *it.* prædia eorum, qui juſſu principis in aliam civitatem tranſlati ſunt, nec ab iis antequam demigrarent diſtracta ſunt. (*l.4. C. de Iur. fiſc.*)

3. Vacantibus Jure Romano non videntur annumerari pro derelicto habita. *Nam hæc cedunt cuivis occupanti* (t.t.ff. pro derelicto) nec bona per tempeſtatem in mari amiſſa. (Auth. Navigia C. de furt.) *Nam qui levandæ navis gratiâ res aliquas projiciunt, non hanc mentem habent, ut eas pro derelicto habeant. quippe ſi invenerint eas ablaturos: & ſi ſuſpicati fuerint, in quem locum ejecta ſint, requiſituros: ut perinde ſit, ac ſi quis onere preſſus in viam rem abjecerit, mox cum aliis reverſurus, ut eam aufferret.* (l.8. ff. ad L.Rhod.) *ut adeò, cum res hæ ſuum aſſertorem habeant fiſco appropriari nequeant.*

4. In incorporatione, quando vacantia bona fiſco incorporantur certæ ſolennitates adhibentur. *Nam* (l.3. C. de bon. vacant.) *jubent Impp. ut, ſi quando aut alicujus publicatione aut ratione juris fiſco quid adjiciendum eſt, ritè atque ſolenniter per comitem rerum privatarum, deinde per rationales in ſingulis quibuscunque provinciis commorantes incorporatio impleatur, & bona delata probè in libris annotentur; affiganturque prædiis tituli & ſigna principis. In quibus autem provinciis non extant rationales, jubentur palatini officiales ſeu executores Comitis jurejurando obſtricti mitti, horumque inſtantiâ rector provinciæ præſente fiſci patrono diligenter inquirere cujus vacans cadensque fuerit patrimonium, quantumque vel quale videatur, propoſito publicè programmate, quo vocentur omnes qui velint & poſſint contradicere incorporationi* (l.ult. C. eod.)

5. Porrò quando fiſcus hereditatem vacantem occupat non ut heres id facit, quamvis creditoribus hereditariis ſatisfaciat. *Nam vacantia bona tanquam communia totius populi reddita nulli alii quàm ærario aſſignari poſſunt. Hinc* (d.l. ult.) *vacantia juſſu Imperatoris nomine ærarii occupari dicuntur. Sed quia nihil bonorum cujusquam eſſe intelligi poteſt, niſi quod æri alieno ſupereſt:* [l.11. ff. de Jur. fiſc.] *hinc fiſcus creditoribus hereditatis vacantis ſatisfacit, pro menſurâ tamen & æſtimatione bonorum. Non tamen obſtat fiſcum heredem eſſe poſſe, ſi defunctus teſtamento eum heredem ſcripſerit.*

6. Cæterum ad occupanda bona vacantia, & ut vindicet eadem fiſcus quadriennium habet ſibi præſcriptum. *Nam ita Divus Pius Cœlio Amarantho reſcripſit: vacantium bonorum nunciationem quadriennio finiri: idque tempus ex die, quo certum eſſe cœpit, neque heredem neq; bono-*

bonorum poſſeſſorem exſtare, computari oportere. (l.1. §.2. ff. de Jur. fiſc. l. 10. ff. de diverſ. & tempor. præſcr.)

7. Tractatui de bonis vacantibus annectere meritò poſſumus materiam de theſauris. *Nam theſaurus res eſt in certo aliquo loco abſcondita, quæ ob veſtutatem domino & aſſertore deſtituitur.* (l.31. §.1. ff. de acquir. rer. dom.) *Aut ergò theſaurus rebus pro derelicto habitis aut bonis vacantibus annumerandus venit: non poteſt dici res pro derelicto habita; quia qui abſcondidit habuit animum non abjiciendi, ſed ſibi ſuisque ſucceſſoribus ſervandi: ſed ſi dominus natus fuiſſet & res cognita ubinam eſſet ſita, dominium ad heredes tranſiiſſet.* Cum ergò bonis vacantibus magis quàm pro derelicto habitis theſaurus annumerari queat, ad fiſcum magis quàm inventorem pertinere videtur: ſed imperatores inventori potius maluerunt aſſignare. (l.31. §.1. ff. de acquir. rer. dom. §. theſauros. J. de Rer. diviſ.) *Nam licet olim inventos theſauros ſibi fiſcus vendicaret, nec quis inquirere poſſet niſi inquirendi facultatem impetraſſet: Impp. tamen Leo & Zeno* (l. unic. C. de theſaur.) *theſaurum tanquam donum Dei & beneficium fortunæ ei, qui hunc in proprio loco invenit, voluerunt relinquere: modò in inquiſitione magicæ artes non adhibitæ ſint. Tunc autem dimidia pars fiſco cedit, quando in publico loco inventio contigit; quemadmodum & dimidia debetur domino loci, ſi in alieno loco fortè fortunâ inventus theſaurus fuerit.* (l.4. §.pen. ff. de Jur. fiſc.) *Quamvis rurſus Juſtinianus* (d. §. theſauros.) *totum adjudicet inventori theſaurum in loco publico repertum.*

MEMBR. II.
DE DELATORIBUS.

1. Delatores erant, qui rem ad fiſcum pertinentem cauſſamque accepto præmio nunciabant. *v. g. qui crimina publica, bona caduca &c. deferebant. Nam deferentes ſeipſos in his quorum ipſi capaces non erant partem dimidiam conſequebantur* (l.13. pr. §.1. & ſeqq. ff. de Jur. fiſc.) *heredes autem à quibus incapaci tacitè fideicommiſſum relictum eſt poſt aditionem pœnitentiâ ducti ſeſe deferentes tertiam partem habere jubentur* (l. un. C. de his qui ſe deferunt.) *Aliàs delatores communiter præmii loco quartam partem delatorum accipiebant, ob quod etiam quadruplatores ſunt appellati.* (Tacit 4 ann. 20.) *Hos autem maximè exoſos cunctis omnibus modis foverunt Impp.* Sic (*inquit Tacitus 4. ann. 30.*) delatores, genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam ſatis coërcitum per præmia (*à Tiberio*) eliciebantur. *Scil. his utebantur ad innocentes deferendos, quò præſtantiſſimos quosque è medio tollere & bona*

bona eorundem fiſco addicere poſſent. Quo ipſo intus abſumebatur Reſpublica. Hinc idem Tacitus (2. ann. 27.) *inquit: ſub Tiberio primùm reperta eſſe quæ per tot annos exedêre Rempubl. Nam ſpe præmiorum* primores Senatus *ſub Tiberio* infimas etiam delationes exercuerunt (*viliſſimos quandoque homines detulerunt, quò crudeli Imperatori adularentur. Et qui aliter fieri potuit, cùm præter pecuniam etiam magiſtratus præmium operæ ſuæ conſequerentur.* (4. ann. 68. & 16. ann. 33. &c.) *Quamvis verò nonnunquam à bonis principibus ejusmodi homines, qui ob confictum aliquod crimen proborum hominum vitam & bona in diſcrimen adducebant, planè tollerentur, mox tamen à nonnullis iterum admiſſi coërcitâ tantum nimiâ horum licentiâ: putabant enim hos velut cuſtodes legum* (4. ann. 30.) *planè ſubmoveri non poſſe: quam ſi cunctis exoſi eſſent.* (l. 4. C. de delator.) *Definivimus autem delatores qui accepto præmio deferunt rem ad fiſcum pertinentem. Nam procurator fiſci, qui contendit fiſci pecuniam, quam alius tenet, ad ſui temporis adminiſtrationem pertinere, delator non eſt.* (l. 38. §. 1. ff. de Jure fiſci.) *quemadmodum nec is, qui ex neceſſitate vel officio à Judice impoſito defert.* (l. 2. C. de delator.) *it. nec qui conventus ſe rem fiſci poſſidere, non ſe, ſed alium ejus rei poſſeſſorem monſtraverit.* (l. 3. C. eod.) *neque enim id præmii ſed ſui defendendi gratiâ facit. it. nec qui patria cauſſam agit.* [l. 4. C. eod. add. l. 2. pr. ff. de Jur. fiſc.) *Is ergò propriè delator eſt qui cauſſam fiſci agit & nunciat præmii conſequendi gratiâ.*

2. Ne autem delatores ſpe præmiorum adducti injuſtè deferant, probare tenentur quæ intendunt. (*l. 25. ff. de Jure fiſc.*) & niſi probaverint puniuntur. (l. 24. ff. eod.) *Nam ſicut renunciare cauſſam nemo cogitur: ita liberum arbitrium deſiſtendi ei non datur, qui detulit.* (l. 22. §. ult. ff. eod.) *Hinc eandem pœnam ferunt qui citati ad edictum non reſpondent, quâ tenerentur, ſi cauſſam non probaſſent.* (l. 15. §. 2. ff. eod.) *Pœna autem horum eſt, ut qui ſeſe detulerunt citati venire nolentes ſolvant fiſco quantum haberet fiſcus, ſi comparuiſſent & probaſſent* (l. 15. §. 4. l. 42. §. 1. ff. eod.) *Qui falſas rationes detulerunt, quantam fraudem deprehenduntur feciſſe, tantam pecuniam tenentur in ærarium inferre.* (l. 15. §. ult. ff. eod.) *Ferro etiam ſævitur in eos, qui delationis ſtudium tanquam artem exercentes ſine advocato fiſci deferunt.* (l. 5. C. de delat.) *Qui autem mandato aliorum detulerunt tenentur & mandatores edere, quò puniri queant.* (l. 2. §. 5. ff. de Jur. fiſc.) *Regulariter autem delatores, qui non probarunt, inter infames & improbos numerantur.*

3. Non verò omnes admittuntur ad delationes faciendas. *Nam cùm exoſi & execrabiles ſint nunciatores; clariſſimos dedecet horum munus ſuſcipere.* (l. 18. §. 1. ff. eod.) *it. veteranos propter honorem & meritæ militiæ* (d. l. 18. §. 5.) *it. milites propter honorem ſtipendiorum quæ merent.*

rent. (d.l. 18. §. 6.) *Et quia periculoſum quoque eſt delationes ſuſcipere, arcentur fœminæ, niſi ſeipſas deferant.* (l.16.ff.eod.) *ne etiam ex deſperatione ſuſcipiatur adverſus innocentes, repelluntur damnati.* (l.18. §.2. & 3.ff. eod.) *nec etiam ſervi admittuntur in deferendis dominis præterquam in crimine læſæ Majeſtatis.* (l.6. C. de delator.)

MEMBR. III.

DE PRIVILEGIIS FISCI.

1. Fiſco meritò dantur privilegia. *Nam intereſt Reipubl. bona fiſcalia eſſe ſalva; utpote ſine quibus ſubſiſtere nequit.*

2. Succurritur autem fiſco partim in contractibus & iis quæ ex his debentur; partim in Judiciis & actionibus quæ ſuper debitis emergunt. In contractibus, velut emptione-venditione, vel ut ſint cum quibus contrahat, vel ut ſecurus ſit de debitis conſequendis. *Nam in his duobus conſiſtit augmentum rerum familiarium. Hinc fit, quòd fiſcus vendens dominium ſtatim transferat ad emptorem eumque ſecurum de dominio reddat; poſtquam hic precium ſolvit; quod communiter venditores privati facere nequeunt* (l.5. §.1.ff.de Jur.fiſc.l.4.C. de diverſ. præd.urb. & ruſtic. &c. lib. XI.) *Nam hoc modo alliciuntur homines bona fiſcalia emere. Pro ſecuritate autem conſequendi debita ex contractibus facit, quod fiſcus ſemper ex ſuo contractu habeat Jus pignoris* (l.46. § 3. ff. de Jur.fiſc.) *& quidem in omnibus bonis debitoris, exceptis iis, quæ ante contractum aliis donata probari poſſunt.* (l.1. C. eod.) *it. quòd fiſcus cæteris creditoribus anteriorem hypothecam generalem habentibus præferatur in bonis poſtea acquiſitis* (l.28. ff. eod.) *it. quòd debitorum debitores convenire poſſit. 1. Si principales debitores defecerint. 2. Si ex ratione fiſci nomina facta liquidò probentur. 3. Si ex contractu fiſcali debitores conveniantur.* (l.3. §. 8. ff. eod.) *it. quòd poſſit auferre publicam pecuniam creditori, cui à debitore ſoluta eſt, ita, ut debitor creditori maneat obligatus.* (l.18. §. ult. l. 19. l.20. l.21.ff. eod.) *it. quòd debitoribus petentibus dilationem in debitis majoribus non plures quàm tres menſes dentur, in minoribus non plures quàm duo, prolixiorisque temporis ſpacium ab Imperatore ſit impetrandum* [l.45. §. 10. ff. eod.] *it. quòd heredibus debitoris non ſolvendo exiſtentibus emptores prædiorum ab his diſtractorum conveniantur.* (l.47. pr. ff. eod.) *it. quòd compenſatio in cauſâ tributorum & ſtipendiorum, precio rei à fiſco venditæ & eo, quod ex cauſâ annonariâ debetur, non procedat* (l.46. §.5. ff. eod.) *& quod is, qui uti vult compenſatione, intra duos menſes eam docere debeat.* (d. l. 46. §. 4.)

3. In judiciis & actionibus, quas cum debitoribus inſtituit, non

pauca

pauca quoque fiſcus habet privilegia. *Nam ſi fiſcus & privatus ſuper unâ aliquâ re litem moveant, prius fiſci cauſſa tractari jubetur.* (l.35. ff. de Jur. fiſc.) *it. licitum & fiſco ſummatim convenire debitores, licet hi ordinario Judicio rurſus adverſus ſuos cogantur experiri.* (l.4. C. de conveniend. fiſci debitor.) *Ratione probationum in Judicio faciendarum hæc privilegia data ſunt, ut poſſit fiſcus compellere reos ad editionem in cauſſis civilibus faciendam* (l.2. §.1. ff. de Jure fiſci.) *it. ut pacti cum delatoribus in cauſſis fiſcalibus habeantur pro confesſis* (l.4. ff. eod.) *it. ut qui delatorem corruperunt pro convictis habeantur* (l.29. ff. eod.) *& condemnentur in 500. aureos* (l.34. ff. eod.) *it. ne quisquam teneatur inſtrumenta vel acta contra fiſcum edere. it. ne editio à fiſco facta huic noceat.* (l.45. §. 5. & 6. ff. eod.) *Circa Judicatum; ne Judicatum firmum ſit quod abſente advocato fiſci in cauſâ ſtatûs factum eſt.* (l.7. ff. eod.) *it quòd ſententia adverſus hunc lata intra triennium retractari poſſit; & poſt id tempus quoque, ſi prævaricatio arguatur vel manifeſta fraus probetur* (l.un. C. de ſentent. adverſus fiſc. lat. retract.)

4. Gaudet etiam fiſcus privilegiis in coërcendis iis, qui hunc defraudarunt. *Nam Gordianus Imperator jubet reſtitui rem, quæ apertâ fraude emptoris vel gratiâ venierit, cum fuerit fiſco obligata.* (l.3. C. de Jur. fiſc.) *& qui quid in fraudem fiſci alienatum accepit tenetur id reſtituere & tantundem* [l.46. pr. ff. eod.] *quique fraudem fecerunt pœnâ quadrupli afficiuntur* (l.46. §. ult. ff. & l.8. C. eod.) *quemadmodum & conductor quid alienans rerum fiſcalium itidem quadruplum jubetur ſolvere.* (l.45. §.13. ff. eod.)

5. Ne tamen privati injuſto damno ex privilegiis hiſce afficiantur, leges quoque operam dant, præſertim ſi inde nulla fiſco accedat utilitas. (l.47. §.1. ff. eod.) *ita prohibetur augmentum fiſci capi à receptione litium donatarum* (l.22. §.2. ff. eod.) *ita procurator fiſci ante tempus agens cadit cauſâ, quemadmodum privatus. Nam ita frui debet fiſcus privilegiis, ut præcaveantur calumniæ privatorum.* (l.6. C. eod.) *Eandem ob cauſſam privatis, cum quibus fiſco lis intercedit, nō debet adimi defendendi facultas* (l.7. C. eod.) *nec etiam minorennibus adimit fiſcus privilegia* (l.45. §. ult. ff eod.) *aut prioribus creditoribus jura quæ habent.* (l.22. §. 1. ff. eod.) *quemadmodum nec qui à fiſco emit bona vacantia per hoc liberatur ab excipiendis actionibus defuncti* (l.41. ff. eod.) *Abſtinet quoque fiſcus ab iis quæ ſibi non debentur.* (l.45. §.12. eod.) *nec adimere etiam poteſt fidejuſſoribus beneficium excuſſionis.* (l.1. C. de conven. fiſci debitor.) *Ceſſant & fiſci privilegia, ſi communem debitorem repræſentat;* (l.3. §.7. l.6. pr. ff. de Jur. fiſc. l.2. C. de fiſcal. uſur.) *it. in pœnis; quia ratione pœnarum exigendarum aliis creditoribus non præfertur* (l.17. l.37. ff. eod.

l. unic. C. pœn. fiſcal. creditores præferri.) *Nec & fiſcus evertit ultimas voluntates. Hinc libertates & legata manent, quando ad fiſcum devolvitur hereditas.* (l. 14. ff. eod.) *In criminibus quoque non ſtatim in gratiam fiſci pro delinquente habendus eſt qui in dubiis quæſtionibus facilè reſpondet;* (l. 10. ff. eod.) *nec pro condemnato qui in reatu eſt.* (l. 46. §. 6. ff. eod.) *aut nondum ſatis convictus* (l. 10. C. eod.)

6. Cæterum privilegia fiſci competunt quoque rationibus Cæſaris & Auguſtæ [*l. 6. §. 1. ff. eod.*]

7. Quia etiam bona damnatorum ſoliti ſunt nonnulli à principe tanquam liberalitatem petere, unde fiſco damna illata ſunt; prohibentur ejusmodi petitiones [*t. t. C. de petit. bonor. ſublatis.*]

CAP. X.

DE CIVITATIBUS CIVIUMQVE MUNERIBUS ET HONORIBUS.

MEMBR. I.

DE CIVITATIBUS ROMANO IMPERIO SUBJECTIS.

1. Olim Imperium Romanum erat Reſpublica. *Nam Senatus populusque Romanus provinciis imperitabat.*

2. Temporibus autē Conſtantini M. Reſpubl. Romana, quæ hactenus imaginem capitis Imperii retinuerat, cœpit eſſe quædam cum Conſtantinopoli primaria civitas & ſedes Imperatorum. *Hujus rei ſuprà reddidimus rationem, cùm de vitâ Conſtantini M. ageremus.*

3. Inſerviit autem artificio Romam municipiis æquandi, præter hoc, quòd Conſtantinopolis exſtrueretur à Conſtantino, etiã ſtatus municipiorum ſimilis ſtatui Romanæ civitatis. *Nam quod fieri ſolet, quando Reſpublica in civitates quamplurimas imperium exercet, ut nimirum civitates ſubjectæ cogantur ſtatum dominantis civitatis imitari; id quoque in Imperio Romano ita obſervabatur. Quod enim erant Conſules Romæ, hoc in municipiis Duumviri; quod Senatores Romæ, hoc in municipiis decuriones. Id teſtatur Juſtinianus* (Novell 38. pr.) *quando ait*: Qui Rempublicam olim nobis diſpoſuerunt, exiſtimaverunt oportere ſecundum regiæ urbis inſtar adunare in unâquâque civitate nobiles viros & unicuique Senatûs dare curiam, per quam debuiſſent agi quæ publica ſunt atque omnia fieri ſecundum ordinem. *Quod Romæ erant tribuni ple-*

ni plebis, hoc in municipiis videntur fuiſſe defenſores civitatum: par quippe horum fuiſſe officium, indicat Iuſtinianus (Nov 15.pr.) *dum dicit, defenſores ab antiquitate datos, ut eriperent à malis injuſtitiam patientes. Quemadmodum etiam civitas Romana habebat ærarium; ita municipia res communes arcamque communem.* [l.1 §.1.ff. Quod cujusque univſ. nom.] *Imitari etiam municipia Civitatem Romanam in vectigalibus leges arguunt* [l.1. l.13. §.1. ff. de publ. & vect. l.10. C. de vectig.] *Et hac ſimilitudo tempore Imperatorum magis ac magis adaucta eſt: Cum enim lex Julia peculatûs ad eos, qui pecuniam populi Romani ſubtraxiſſent tantum ſpectaret: eadem etiam ad res municipales conſtitutione Trajani & Adriani extenſa eſt.* (l.4. §.ult.ff.ad L.Jul.pecul.)

4. Præcipuum ſtratagematum tyrannicorum in exæquandâ Româ & municipiis & excuſandâ tyrannide fuit, quòd omnem civitatem vocarint Rempublicam, eamque compararint pupillæ indigenti tutoribus. *Nam quid pulchrius eſt, quàm pupillæ variis incommodis, ſi ſibi relinquatur, ſubjectæ ſuppetias ferre eamque tueri? Concipiebantur ergò non modò municipia, ſed & Civitates Roma & Conſtantinopolis pupillæ, harum magiſtratus tutores; Tutorumque inſpectores in municipiis quidem præſides provinciarum; in civitatibus Româ & Conſtantinopoli Imperator.* (l.ult. C. de adminiſtr. rerum public.) *Facit huc* [l. 3. C. de Jure Reipub.] *quæ omnem Rempublicam ſeu civitatem pupillæ comparat, tradens, eam juvari extra ordinem & gaudere beneficio reſtitutionis in integrum non aliter ac adoleſcentes & pupilli. Quapropter & hujus defenſori incumbit, ſi videat læſam eſſe, petere reſtitutionem in integrum.* (l.1. C. de Offic. ei. qui vic. al. Judic.)

ARTIC. I.
DE
ROMA ET CONSTANTINOPOLI.

1. Conſtantinopolis olim Byzantium dicta à Conſtantino nomen accepit, qui hanc illuſtriorem reddidit, tribuendo eidem privilegia Juris Italici: (*l.1. C. Theod. de Jur Ital. Urbis Conſtant.*) quæ poſtea adaucta ſunt, adeò ut Honorius & Theodoſius ipſi dederint prærogativam veteris Romæ. [l.6.C. de ſacroſ. eccleſ. l. un. C. de privileg. urb. Conſtantin.) *Quæ etiam cauſſa fuit, quare hæc nova Roma, & illa vetus vocaretur,* (l.generaliter.52. §. ult. C. de epiſc. & cler.) *Hinc quum Roma communis patria diceretur,* (l. 33. ff. ad municip.) *& omnes debitores forenſes ſeſe ibi tenerentur defendere, ſi ibidem deprehenderentur* (l.nec non.28. §.4. ff. ex quib. cauſſ. maj.) *exceptis iis, qui Jus revocandi domum habebant, quales ſunt legati, ſi conveniantur de iis quæ ante le-*

gationem contraxerunt, it. qui teſtimonii vel judicandi cauſâ evocati & accerſiti ſunt : (l. 2. & 3. ff. de Judic.) *ſimiliter hoc tributum eſt Conſtantinopoli* (Nov. 123. cap. 24.) *Ita cùm provinciæ imperio Romano ſubjectæ frumenti abundantes, velut Ægyptus, Sicilia, Gallia, Africa tributi nomine Imperatori præſtarent annonarias ſpecies, quæ quotannis mittebantur ad alendum Romæ populum* (*Hoc enim ipſo Imperatores benevolentiam plebis captare ſolebant.* (Tacit. 1. ann. c. 2. verb. populum annonâ.) *deficientibus plerumque frumento ad tantam copiam ſuſtentandam aliiſque ad victum neceſſariis, velut oleo, ſuillâ bubulâque carne &c.*) *idem obſervatum eſt circa Conſtantinopolin, id ita Conſtantino introducente,* (t. t. C. de Can. frum. urb. Rom. l. 1. C. de frumento urb. Conſt. l. 1. C. de annon. civil.)

ARTIC. II.

DE CIVITATIBUS METROPOLITANAM DIGNITATEM HABENTIBUS.

1. Ad dignitatem Romæ & Conſtantinopolis quàm proximè accedebant metropoles, civitates provinciarum maximæ, quæ velut matres erant reliquarum civitatum : quales erant in provinciâ Syriæ Phœnices duæ Tyrus & Berytus (*l. un. C. de metrop. Beryto*) in Ponticâ Amaſia & Neocæſarea (*Nov.* 28.) in Cappadociâ Cæſarea & Tyana.

2. Alexandria quoque civitas Ægypti inter præcipuas erat. *Nam nulla habuit præ cæteris*; (l. 56. C. de decurion.) *proprium etiam canonem; ut Roma & Conſtantinopolis* (l. 2. de frumento Alexandr.)

MEMBR. II.

DE MUNICIPIBUS.

1. Municipes propriè dicuntur muneris participes recepti in civitatem ut munera nobiſcum facerent; ſed nunc abuſivè dicemus municipes ſuæ cujuſque civitatis cives; utputa Campanos, Puteolanos inquit Ulpianus (*l. 1. § 1. ff. ad municip.*)

2. Singulis in civitatibus cives ſua munera ſubire tenentur. *Nam docuimus* (part. 1. element.) *Juſtitiam diſtributivam non tantùm verſari in honoribus & commodis boniſque diſtribuendis: ſed & oneribus imponendis ſecundum proportionem: unaque oſtendimus quomodo veniant æſtimandæ perſonæ, qui debitâ ratione onera adſignentur. Quapropter & Jus Romanum in attribuendis muneribus meritò eſt occupatum.*

3. Municipes alii ſunt originarii alii Incolæ. *Nam* (l. privilegio 6.

gio 6. C. de Incol.) *traditur, quemque ad munera civilia vocari tantum vel originis ratione vel domicilii voluntate. Quapropter duobus articulis tradituri ſumus de modis quibus municipes fiunt, muneribusque civilibus in quâque civitate ſubjiciuntur.*

ARTIC. I.
DE
ORIGINARIIS MUNICIPIBUS.

1. Originarii cives fiunt vel nativitate vel adoptione vel manumiſſione. (*l.1. pr. ff. ad municip.*) In ſpecie autem originarii vocantur, qui nativitate tales ſunt (*l.7. C. de Incolis.*) Sunt autem nativitate, non qui nomen ab aliquâ civitate habent (*l.38. ff. eod.*) ſed qui reverâ jus civitatis à parentibus habent ex quibus nati ſunt: quâ in re nati magis patris quàm matris conditionem ſequuntur. *Nam filios apud originem patris, non in maternâ civitate, & ſi ibi nati ſint ad honores ſeu munera poſſe compelli indubitati Juris eſt* (l.3. C. de municip. & Origin.) *niſi fortè privilegio aliquo materna origo cenſeatur: tunc enim maternæ originis erit municeps: Id Ilienſibus, Delphis, Ponticis conceſſum teſtatur Ulpianus* [l.1. §.2. ff. ad munic.] *it. ſi mater fuerit inquilina principis* (l. 29. C. de Decur.) *aut niſi filius ſine patre natus eſſe intelligitur, aut juſtum patrem non habet* (l.9. ff. eod. l.22. C. de Decur.) Sequuntur autem filii civitatem, ex quâ pater natus eſt, non ubi domicilium habet. (l.6. §.1. ff. eod.) *Ratio redditur* (l.17. §.11. ff. eod.) *quia domicilium eſt tantummodo temporarium quiddam. Siq; nati ſint in vico, ea civitas horum patria eſſe cenſetur, ad quam ſpectat.* (l 30. ff. cod.) *Quæ etiam cauſſa eſt, quare Roma communis omnium patria eſſe cenſeatur* (l.33. ff. eod.) *ad hanc enim cuncta municipia omnesque provinciæ ſpectant.*

2. Quod obtinet in liberis genitis ex certo patre, idem obtinet in adoptivis. (cit. l. 1. pr. ff. ad munic. l. 7. C. de adopt.) *Nam adoptio imitatur naturam; tribuitque filiis adoptatis ea jura quæ nati ex juſtis nuptiis habent.*

3. Manumiſſio itidem municipes originarios facit. *Nam libertini & qui ex his naſcuntur, patronorum ſequuntur originem vel domicilium* (l.6. §. ult. ff. eod.) *adeò ut à pluribus manumiſſus plurium patronorum originem habeat.* [l.7. ff. eod.] *tribuunt enim manumiſſores manumiſſis Jus originis.* (l.17. §.8. l.22. pr. l.27. pr. l.37. §.1. ff. eod.)

4. Jus originis, quod quis nativitate conſequitur, nemo ſibi mutare poteſt, ut à muneribus eximatur. (*l.4. C. de municip. & originar.*) ſed ſi quis alibi, quàm ubi natus eſt, figat domicilium duplici neceſſitati ſubeundi munera ſubjicitur, ratione ſcil. originis & incolatûs. (l.1. l.

gationem contraxerunt, it. qui teſtimonii vel judicandi cauſâ evocati & accerſiti ſunt : (l. 2. & 3. ff. de Judic.) *ſimiliter hoc tributum eſt Conſtantinopoli* (Nov. 123. cap. 24.) *Ita cùm provinciæ imperio Romano ſubjectæ frumento abundantes, velut Ægyptus, Sicilia, Gallia, Africa tributi nomine Imperatori præſtarent annonarias ſpecies, quæ quotannis mittebantur ad alendum Romæ populum* (*Hoc enim ipſo Imperatores benevolentiam plebis captare ſolebant.* (Tacit. 1. ann. c. 2. verb. populum annonâ.) *deficientibus plerumque frumento ad tantam copiam ſuſtentandam aliisque ad victum neceſſariis, velut oleo, ſuillâ bubulâque carne &c.*) *idem obſervatum eſt circa Conſtantinopolin, id ita Conſtantino introducente.* (t. t. C. de Can. frum. urb. Rom. l. 1. C. de frumento urb. Conſt. l. 1. C. de annon. civil.)

ARTIC. II.
DE
CIVITATIBUS METROPOLITANAM DIGNITATEM HABENTIBUS.

1. Ad dignitatem Romæ & Conſtantinopolis quàm proximè accedebant metropoles, civitates provinciarum maximæ, quæ velut matres erant reliquarum civitatum: quales erant in provinciâ Syriæ Phœnices duæ Tyrus & Berytus (*l. un. C. de metrop. Beryto*) in Ponticâ Amaſia & Neocæſarea (*Nov. 28.*) in Cappadociâ Cæſarea & Tyana.

2. Alexandria quoque civitas Ægypti inter præcipuas erat. *Nam nulla habuit præ cæteris*; (l. 56. C. de decurion.) *proprium etiam canonem; ut Roma & Conſtantinopolis* (l. 2. de frumento Alexandr.)

MEMBR. II.
DE
MUNICIPIBUS.

1. Municipes propriè dicuntur muneris participes recepti in civitatem ut munera nobiscum facerent; ſed nunc abuſivè dicemus municipes ſuæ cujusque civitatis cives; utputa Campanos, Puteolanos inquit Ulpianus (*l. 1. §. 1. ff. ad municip.*)

2. Singulis in civitatibus cives ſua munera ſubire tenentur. *Nam docuimus* (part. 1. element.) *Juſtitiam diſtributivam non tantùm verſari in honoribus & commodis bonisque diſtribuendis; ſed & oneribus imponendis ſecundum proportionem: unaq; oſtendimus quomodo veniant æſtimandæ perſonæ, quo debitâ ratione onera adſignentur. Quapropter & Jus Romanum in attribuendis muneribus meritò eſt occupatum.*

3. Municipes alii ſunt originarii alii Incolæ. *Nam* (l. privilegio 6.

gio 6. C. de Incol.) *traditur, quemque ad munera civilia vocari tantum vel originis ratione vel domicilii voluntate. Quapropter duobus articulis tradituri ſumus de modis quibus municipes fiunt, muneribusque civilibus in quâque civitate ſubjiciuntur.*

ARTIC. I.
DE
ORIGINARIIS MUNICIPIBUS.

1. Originarii cives fiunt vel nativitate vel adoptione vel manumiſſione. (*l.1. pr. ff. ad municip.*) In ſpecie autem originarii vocantur, qui nativitate tales ſunt (*l.7. C. de Incolis.*) Sunt autem nativitate, non qui nomen ab aliquâ civitate habent (*l.38. ff. eod.*) ſed qui reverâ jus civitatis à parentibus habent ex quibus nati ſunt: quâ in re nati magis patris quàm matris conditionem ſequuntur. *Nam filios apud originem patris, non in maternâ civitate, & ſi ibi nati ſint ad honores ſeu munera poſſe compelli indubitati Juris eſt* (l.3. C. de municip. & Origin.) *niſi fortè privilegio aliquo materna origo cenſeatur: tunc enim materna originis erit municeps: Id Ilienſibus, Delphis, Ponticis conceſſum teſtatur Ulpianus* [l.1. §.2. ff. ad munic.] *it. ſi mater fuerit inquilina principis* (l. 29. C. de Decur.) *aut niſi filius ſine patre natus eſſe intelligitur, aut juſtum patrem non habet* (l.9. ff. eod. l.22. C. de Decur.) Sequuntur autem filii civitatem, ex quâ pater natus eſt, non ubi domicilium habet. (l.6. §.1. ff. eod.) *Ratio redditur* (l.17. §.11. ff. eod.) *quia domicilium eſt tantummodo temporarium quiddam. Siq; nati ſint in vico, ea civitas horum patria eſſe cenſetur, ad quam ſpectat.* (l 30. ff. eod.) *Quæ etiam cauſſa eſt, quare Roma communis omnium patria eſſe cenſeatur* (l.33. ff. eod.) *ad hanc enim cuncta municipia omnesque provinciæ ſpectant.*

2. Quod obtinet in liberis genitis ex certo patre, idem obtinet in adoptivis. (cit. l.1. pr. ff. ad munic. l. 7. C. de adopt.) *Nam adoptio imitatur naturam; tribuitque filiis adoptatis ea jura quæ nati ex juſtis nuptiis habent.*

3. Manumiſſio itidem municipes originarios facit. *Nam libertini & qui ex his naſcuntur, patronorum ſequuntur originem vel domicilium* (l.6. §. ult. ff. eod.) *adeò ut à pluribus manumiſſus plurium patronorum originem habeat.* [l.7. ff. eod.] *tribuunt enim manumiſſores manumiſſis Jus originis.* (l.17. §.8. l.22. pr. l.27. pr. l.37. §.1. ff. eod.)

4. Jus originis, quod quis nativitate conſequitur, nemo ſibi mutare poteſt, ut à muneribus eximatur. (*l.4. C. de municip. & origin.*) ſed ſi quis alibi, quàm ubi natus eſt, figat domicilium duplici neceſſitati ſubeundi munera ſubjicitur, ratione ſcil. originis & incolatûs. (l.1. l.

(l.1.l.5.C.eod.l.3.pr.ff. de munerib.) *Nam jus originis quod quis per nativitatem habet, naturale eſt. Hac eſt ratio, quare nec adoptione jus originis ex nativitate competens mutetur, ſed filius adoptivus tantum pluribus muneribus per adoptionem adſtringatur.* (l.15. §. ult. ff. ad municip.) *Ius autem originis, quod quis ex adoptione habet emancipatione pereat.* (l. 16. ff. eod.) *Jus enim civitatis ex adoptione magis voluntarium eſt, & incolatui ſimile.* At quod jus civitatis ex manumiſſione competit itidem firmum eſt & nullâ domicilii aſſumptione mutatur. (l. 22. §. 2. ff. eod.) *Nam hoc propius ad originarium jus accedit: qui enim manumittuntur quaſi generantur & vivere incipiunt. Unde amiſſio libertatis morti equiparatur.*

ARTIC. II.

De INCOLIS, ET UBI QVIS DOMICILIUM HABERE CENSEATUR.

1. Incolæ fiunt domicilio. (*l. 7. C. de Incol.*) Quod non exinde ſolùm æſtimatur, ſi quis in agro permaneat. (*l. 17. §. 13. ff. ad municip.*) *Nam qui alicujus civitatis præcipuis (qualia ſunt forum, balneum, templum) non utitur, non exiſtimatur eſſe incola.* (l.35.ff.ad municip.) *licet in territorio alicujus civitatis commoretur, aut domum poſſeſſionemque habeat.* (l.3. & 4.C.de Incol.) *Poteſt enim quis ſtudiorum gratiâ aliquo in municipio diu commorari, qui tamen propterea incola non eſt, niſi decennium conſumpſerit.* (*l.2. C. eod.*) Sed is tandem pro incolâ habetur, qui domicilium aliquâ in civitate defixit (*l. 5. C. eod.*) larem, rerumque ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit; unde rurſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil avocet: & unde cum profectus eſt peregrinari videtur, & ſi rediit, peregrinari deſtitit. (d. l. 7. C. eod.) *Julianus* (l.27. §. 1. ff. ad munic.) *domicilium alicujus ita cognoſci dicit*: ſi quis negotia ſua in municipio ſemper agat, foro, balneo, ſpectaculis utatur; omnibus denique municipii commodis, nullis coloniarum fruatur: adeò, ut magis animus quàm corporalis præſentia in æſtimando domicilio ſpectari debeat. (l.27.§.2. ff. eod.) *Unde etiam fit, ut quis pluribus locis domicilium habere queat,* (cit. l. & l. 5. l. 6. §. 2.) *& ut relegatus eo loci; unde arcetur.*

2. Videtur domicilium dividi poſſe in voluntarium & neceſſarium. *Quamvis enim domicilium ex ſolâ proficiſci voluntate colligi poſſit:* (*l. 6. C. de Incol.*) *ſine dubio tamen iſta lex de eo, quod plerumque ita ſe habet loquitur: qui namque relegatus eſt in certum locum, ibi neceſſarium ſuum domicilium habet.* (l. 22. §.3. ff. ad municip.)

3. Volun-

3. Voluntarium domicilium ibi eſt, ubi quis illud habere vult, niſi ſit ſpecialiter prohibitum: (*l. 31. ff. eod.*) & hoc etiam transferri & mutari conceſſum eſt: modò id fiat non ſolâ conteſtatione ſed re & facto. *Aliàs enim effugia peterentur in præſtandis muneribus; dum quivis dicere poſſit, ſe animo deſtinaſſe alibi habitare* (l. 20. ff. eod.) *Hinc etiam qui deſeruit domicilium & in itinere eſt aliud quærens nondum cenſetur novum habere licet animo jam deſtinarit certum aliquod habere.* (l. 27. §. 2. ff. eod.) *Multò minus autem mentiendo mutare illud licet* (l. 6. pr, ff. eod.) *Cæterùm quamvis ſolo animo domicilium non mutetur, ſolo tamen animo retineri poteſt: hinc à relegato retineri poteſt eo loci, unde arcetur.* (l. 27. §. ult. ff. eod.).

4. Mulieres Jus originis retinent donec nupſerint: *Nam nuptæ ſortiuntur dignitatem & forum maritorum* (l. 9. C. de Incol. l. 38. §. 3. ff. à municip) niſi Romæ jus originis habeant. (*hoc enim domicilio mariti non mutatur; quia Roma communis patria eſt*) (l. un. C. de mulieribus, in quo loco munera ſexui congruent &c.) Manetque penes eas etiam mortuo marito, donec denuò nupſerint. *Id enim ita & in dignitate obſervatur.* (l. 22. §. 1. ff. eod.)

5. Militum domicilium cenſeturibi eſſe, ubi merent. (*l. 33. §. 1. ff. eod.*)

MEMBR. III.

DE MUNERIBUS ET HONORIBUS MUNICIPUM.

1. *Cives quàlibet in civitate habent & ſua onera & ſuos honores ut* (init. membr. 2. huj. cap.) *docuimus. Hinc contingit nonnunquam quem quoad honores manere municipem, quoad onera deſinere, v. g. ſi quis ex municipio ſenator Romanus factus ſit.* (l. 23. ff. ad municip.) *Quâ de cauſâ prius de muneribus municipum dicturi ſumus, quàm varia ſint; deinde & honores eorundem enarrabimus: & his nonnulla de Jure immunitatis ſubjiciemus.*

ARTIC. I.

DE VARIIS MUNERUM GENERIBUS.

1. Munera civilia ſeu publica alia ſunt patrimonialia alia perſonalia alia mixta. (*l. ult. §. 28. ff. de Muner.*) Patrimoniale munus definitur (*l. 1. §. 3. ff. de muner.*) quòd ſit illud, in quo ſumptus quam

maximè requiruntur. & (*l.18. §.18. ff. eod.*) quod ſumptibus patrimonii & damnis adminiſtrantis expeditur. *Hinc patrimonialia munera cenſentur, munus hoſpitis recipiendi* (l.3. §.14. ff. eod. l.3. C. de muner. patrim.) *exactio tributorum* (d.l.3. §.11.) *it. munera protoſtaſiæ, ſacerdotii vel decaprotiæ.* (l.8. C. de munerib. patrimonior. l.3. §.10. ff. de munerib.) *Nam periculo decaprotorum, exactiones & diſtributiones cenſuum fiebant. Qui autem ſacerdotio fungebantur ludis præerant in honorem deorum cum ſuo ſumptu faciendis: ut hoc interpretatur Cujac.* (ad d. l.8.) *it. viarum munitiones* (l.14. §.2. ff. eod.) *onus alimentandi equos curiales* (l.4. C. de muner. patrim.) Porrò patrimonialium munerum alia indicuntur extraordinariè & ad tempus veluti agminales equi vel mulæ & angariæ atque verhedi (*l.18. §.21. ff. eod.*) alia ordinariè ipſis rebus adhærentia, quæ etiam præſtantur ab iis qui non incolæ ſunt. (*l.6. §.ult. ff. eod.*) & immunitatibus gaudent. (*l.2. C. de munerib. patrim. d.l.18. §.24.*) quique fœnus tantùm exercent. (*d. l.18. §.23. l.22. §.ult. ff. ad municip.*)

2. Perſonalia munera definiuntur (*l.18. §.1. & l.1. §.3. ff. de munerib.*) quæ animi proviſione & corporalis laboris intentione ſine aliquo gerentis detrimento pertractantur. *Hinc perſonalia cenſentur defenſio civitatis, ut ſyndicus quis fiat, legatio ad principem* (l.18. §.12. ff. de muner.) *ad cenſus accipiendos, ſitonia i.e. annonæ ac ſimilium cura, it. cura prædiorum publicorum, frumenti comparandi, aquæductûs, equorum &c.* (l.1. §.2. ff. de muner.) *Tutela* (l.18. §.1. ff. eod.) *Cura adultorum, furioſi, prodigi, muti, ventris, bonorum defuncti, ab hoſtibus capti.* (l.1. §.4. ff. eod.) *extruendi vel reficiendi operis in civitate.* (l.4 pr. ff. eod.) *Kalendarii* [l.18. §.2. ff. eod.] *Quæſtura in aliqua civitate* (d.l.18. §2.) *tironum equorumque productio* (d.l.18. §.3.) *Curſûs vehicularis ſollicitudo* (d.l.18. §.4.) *cura emendi frumenti & olei* (d.l.18 §.5.) *Calefactio publici balnei* [eod.] *Cura cuſtodiendi aquaductûs* (d.l.18. §.6.) *refectionis viarum* [eod.] *circa panes & cæteras res venales, quæ civitatum populis quotidianum victum ſuggerunt* [eod.] *ſuſceptio vel exactio annonæ* (d.l.18. §8.) *&c. it. Judicandi munus* (d.l.18. §.14.)

3. Munera mixta, quæ unà perſonalia & patrimonialia ſunt, in quibus præter laborem quis tenetur etiam aliquid de facultatibus impendere (d.l.18. §.27.) *veluti decaprotorum & Icoſaprotorum* [d.l.18. §.26.]

4. Perſonalium munerum alia magis animo alia corpore magis perficiuntur, quæ & corporalia propterea dicuntur. *Hanc diviſionem enim ſuggerit definitio perſonalium munerum tradita* (n.2.)

5. Munera porrò publica alia ſunt vel auctoritate & utilitate talia,

lia, veluti magiſtratuum municipalium, quæ aliquid honoris adjunctum habent; alia auctoritate tantum, quæ concernunt utilitatem privatorum, ut tutela, cura, quibus nulla dignitas juncta eſt:

6. Munera porrò alia ſunt ſordida alia non ſordida. Sordidorum munerum hæ enarrantur ſpecies (*l.12. C. de Excuſ. muner.*) conficiendi pollinis cura, panis (popularis, militaris vel palatini) excoctio, obſequium piſtrini calcis coquendæ, parengariarum præbitio &c: Muneribus non ſordidis annumerantur inſtructio viæ publicæ & pontium; & ab his nullum genus hominum nulliusque dignitatis ac venerationis meritis ceſſare debet. [*l. 4. C. de privileg. domûs Aug. lib. XI.*]

7. Sunt & alia munera ordinaria, alia extraordinaria. Ordinaria ſunt, quæ lege, SCto, Conſtitutionibus principum injunguntur. *Ad quæ non porrigitur vacatio munerum ſimpliciter conceſſa* (l.un. C. de vacat publ. muner.) *cùm contrà qui vacationem habet ab ordinario munere, etiam ab extraordinario habeat.* (l.6. ff. de vacat. & excuſat. mun.) *Extraordinarii muneris ſpecies eſt, quando aquarum poſſeſſores, per quorum fines formarum meatus tranſeunt tenentur repurgium formarum facere.* (l.1. C. de Aquæduct. lib. XI.)

8. Alia quoque munera ſunt graviora, alia minus gravia. *Id enim colligitur ex* (l. ult. ff. de Jur. immunit.)

ARTIC. II.
De
MUNERIBUS QVÆ AUCTORITATE ET UTILITATE PUBLICA SUNT, ET IN SPECIE DE DECURIONIBUS.

1. Munera auctoritate & utilitate publica quæ publicè deferuntur verguntque in ſalutem publicam. (*l.239. §.3. de Verb. Signif.*) Qualia gerunt qui adminiſtrando & conſultando civitatibus adſunt. Conſultando conſulunt municipiis decuriones; ita dicti, ex mente nonnullorũ (*l. pupillus. 239. §. 4. ff. de Verb. Signif.*) quòd initiò cùm coloniæ deducerentur, decima pars eorum, qui ducerentur, conſilii publici gratiâ conſcribi ſolita ſit. Dicti etiam ſunt curiales. (42. C. de decur.) *Nam horum cœtus ordo & curia dicebatur; quemadmodum ſenatorum Romanorum ſenatus.*

2. Decuriones vel naſcuntur vel per electionem fiunt. *Nam filii decurionum ingenitis funguntur officiis, nec eadem declinare poſſunt, etiamſi militiam vel advocationem ſubeant* (l.38 l.35. C. eod.) *licet etiam avum militem habuerint* (l.27. C. eod.) *& non tantum qui vivis patribus naſcuntur; ſed etiam poſthumi curiales ſunt.* (l.48. C. eod.) *Quin & nati*

ex iis, qui poſtea illuſtres evaſerunt: ſoli enim hi qui poſtquam patres decuriones illuſtres redditi ſunt à curiâ immunes ſunt. (l. 63. & l. 61. C. eod.) quemadmodum & nati ex patribus, qui ſpontè decurionatum ſubierunt. Quamvis enim qui volentes ſine conditione & pacto decurionatum acceptent, ſuæ immunitati renuncient; ſecus ac in honoribus aliis obtinere ſolet: (l. 1. 2. & 3. C. de his qui ſpontè publica munera ſubeunt) horum tamen liberi curiæ nexi non ſunt (l. ult. C. eod.) Fiunt autem non ſanguine materno (l. 44. C. eod.) ſed paterno, exemplo ſenatorii ordinis (l. 36. l. 61. fin. C. eod.)

3. Circa electionem decurionum potiſſimum conſiderari poteſt, ex quorum numero eligi debeant. Quamvis enim ejuſmodi munera, quæ toti alicujus poſteritati oneroſa ſunt, adeò ut ad nullam militiam admittantur, quale decurionatum eſſe (præced. num.) demonſtravimus, nemo facilè ſubeat; adeoq; ex quorumlibet numero videantur admittendi, qui eadem gerant: quia tamen decurionum munus conſiſtit in conſilio in ſalutem municipii ferendo; honeſtas ſuaſit, non omnes admitti. Quapropter non ignominiâ notati (l. 6. §. 3. ff. de decur.) nec caſi flagellis præſertim in civitate, ubi multi honeſti viri ſunt (l. 12. ff. eod.) nec qui relegati fuerunt, niſi permiſſu principis (l. 13 pr. & §. 1. ff. eod.) nec liberti, qui jus annulorum aureorum non habent. (tit. C. ſi ſervus aut libertus ad decurionat. aſpirav.) aſſumi permittuntur; nec & ii, qui fungi munere nequeunt, quales ſunt navicularii; (l. 9. §. 1. ff. eod.) it. qui teneræ ætatis exiſtunt (l. 11. ff. eod.) it. qui ita tenues ſunt, & exhauſti, ut non modò publicis honoribus impares ſint, ſed etiam de ſuo vix ſuſtinere victum poſſint; præſertim ſi præſtò ſint, qui convenienter rei ſuæ & fortunæ & ſplendori publico creari queant. [l. 6. ff. eod.] Contrà non prohibentur eligi ſpurii, modò honeſtè vivant, nec legitimi adſint. (l. 3. §. 1. l. 6. pr. ff. eod.) ex inceſtu nati (l. 6. pr. ff. eod.) Judæi (d. l. 3. §. ult.) ſervum patrem vel relegatum habentes, modò ex liberâ matre nati ſint (l. 9. l. 13. §. 2. pr. ff. eod.) literarum expertes (l. 5. C. eod.) Jubetur verò & ordo quidam ſervari in muneribus & honoribus municipalibus conferendis, nimir. ut ſecundum ætates, dignitates, & modum fortunarum id fiat. (l. 2. §. 15. ff. de muner. l. 1. C. de muner. patrim.) Nam ſi ſine diſcrimine & frequenter iisdem deferantur munera, continget ſimul & viris & viribus Rempubl. deſtitui.

4. Ritè creatorum (neque enim decuriones reputantur eſſe, qui non ſecundum leges creati ſunt, licet hactenus decurionum ſalarium acceperint. l. 10. ff. eod.) conſideranda 1. poteſtas. 2. officium. 3. privilegia. 4. liberatio à munere. 5. privilegiorum & muneris amiſſio. Hæc namque circa omne munus conſiderari poſſunt.

5. Decurionum poteſtas imitatur poteſtatem Senatorum. Nam

quod

quod Senatores ſunt Romæ, hoc in municipiis ſunt decuriones. Hinc habent poteſtatem deliberandi 1. *de ritè tractandâ Reipubl. pecuniâ, de vectigalibus publicis locandis &c.* (l.2. §.1.& 3. ff. ad munic.) *& rebus curiæ vendendis, debitisque remittendis* (l.2. C. de præd. decur. ſine decreto non alien.) 2. *de curatoribus operum vel alterius alicujus negotii Reipubl. creandis.* (l.1. §.2. ff. eod.) 3. *de medicis idoneis eligendis, quorum arti civitas ſeſe committere poſſit.* (l.1. ff. de decret. ab Ord. fac.) 4. *de immunitate liberalium artium antiſtibus & medicis tribuendâ.* (l.1 C. de decret. decur. ſuper immunit.) 5. *de ſalario ob liberalem artem conſtituendo* (l.4. §.2. ff. d.t.) 6. *de grammaticis probatis reprobandis, ſi ſtudioſis non utiles deprehendantur.* (l.2. C. de profeſſor. & Med.) 7. *de tutoribus dandis & ſatisdatione horum.* (l.2 §.5. ff. ad municip.) *Horum decreta ritè facta ſervanda nec reſcindenda, ſi ritè facta ſint; niſi reſciſſio ad publicam utilitatem ſpectet.* (l.5. ff. eod.) *Cenſentur autem tunc ritè facta, ſi non ſint ambitioſa* (l.4. pr. ff. eod. l.2. C. de decret. dec. ſuper immunit.) *& legitimo decurionum numero contracto.* (l.2. & l.3. ff. de decur. l. 45. C. eod. l. 3. C. de præd. decur. ſine decret. non alienand.) *Hæc namque fermè ſunt potiſſima quæ ad ſtatum municipii, quà tale, ſpectant.* Servatur & ordo inter decuriones in dicendâ ſententiâ. *Nam prout in albo ſcripti ſunt, ita & ordine vota proferunt* (t.t. ff. de albo ſcrib.) *Scribuntur autem eo ordine, ut in lege præcipitur; aut ſi lex ceſſat, quo quisque eorum maximè honore in municipio functus eſt.* (l.1. d.t.) *Habetur & ratio liberorum, ut qui plures liberos habet in ſuo collegio primus ſententiam rogetur, cæterosque longi ordine præcellat* [l.6. §.5. ff. de decur.] *Hinc & ita in albo ſcribi jubentur* (l.6. C. de decur.) *ut habentes filios non habentibus præferantur.*

6. Officium decurionum partim in faciendis partim in omittendis conſiſtit. Ad facienda pertinet, quòd ipſi teneantur per ſe & non per ſubſtitutam perſonam curiales functiones implere, niſi illuſtrem dignitatem conſecuti ſint. (*l.60. C. de decur.*) omittendis annumerare poſſumus, quòd nec ipſi per ſe nec per alias perſonas prædia publica colere admittantur. (*l.2. §.1. de adminiſtrat. rer. ad civit. pertinent.*) it. quod nulli decurionum liceat recedere à civitate, niſi licentiâ à Judicibus impetratâ (*l.16. C. de decur.*) quemadmodum contrà nec cogi poſſunt, ut ultra terminos civitatis ſui præſentiam faciant. (*l.25. C. eod.*) it. quòd non poſſint vendere ſua bona immobilia, niſi coram Judice neceſſitatem venditionis probaverint. (*l.1. & 3. C. de præd. curial. ſine decret. non alien. l.2. C. de offic. ei. qui vic. alic. Jud. obt.*) it. quòd non debeant civitates fugere & rus colere, ſub pœnâ amiſſionis ruris. (*l. un. C. ſi curialis relict. civit. rus habit. mal.*) it. ne agros conducant (*l.4. ff. de decur.*) aut ſuæ civitatis vectigalia (*l. 6. §.2. ff. eod.*)

 it. ne

1. Honor municipalis definitur adminiſtratio Reipubl. cum dignitatis gradu, ſive cum ſumptu ſive ſine erogatione contingens. (*l.14. pr. ff. Muner.*) *Quapropter de adminiſtrantibus Rempubl. dicendum, & quidem 1. quomodo eligantur. 2. quodnam ſit horum officium, quæq; poteſtas. 3. quomodo honores adimantur.*

2. In conferendis honoribus attendendum. 1. ut eligantur decuriones (*l.7. §.7. de decur.*) 2. non vitioſi, aut de quibus ſuſpicio eſt, quòd vitioſi ſint: *neque enim nominati capitalium criminum in quæſtionibus, non obſtante, quamvis priſtinam dignitatem retineant* (l.17. § 12. ff. ad municip.) *aut accuſati de crimine* (l.21. §.5. ff. eod.) *ſi nondum purgarint innocentiam* (l. un. C. de Reis poſtulat.) *aut milites ignominiæ cauſâ ſacramento liberati creari poſſunt.* (l 1. C. de his qui non implet. ſtipend. ſacram. liberati ſunt) licet patres crimen commiſerint. (*l.3. §.9. ff. de Muner.*) 3. qui ſint idonei: *neque enim minus idoneis conferri honores debent, veluti deſtitutis debitâ prudentiâ ob ætatem impuberem* (l.2 §.1. ff. de Jur. Immunit.) *vel minorennem.* (l.8. ff. eod.) *& ex hoc, an quis idoneus ſit, limitantur omnes leges municipales, quibus certæ conditionis homines aliis præferuntur* (l.11. §.1. ff. de munerib.) aut de quibus non dubitatur, an idonei ſint. *Nam ſi contra quem propter honores appellatum eſt, non procedit electio.* 4. non ex eâdem domo honorem continuantes. (*l.1. C. de muner.*) ſed 5. qui meritis digniſſimi ſunt & facultatibus inſtructi, ut functiones publicas implere poſſint. (*l.7. & 40. C. de decur. l.14. §.3. ff. de muner.*) 6. gradatim à minoribus ad majores perveniendo (*l.11. pr. l.14. §.5 ff. de muner.*) 7. non continuatim, niſi nullus alius ſit, qui ſuſcipiat. (*d. l.14. §.5. & 6.*)

3. Electi honores reſpuere non poſſunt. *Nam ſi quis magiſtratus in municipio creatus munere injuncto fungi detrectat; per præſides munus agnoſcere cogitur.* (l 9. ff. de muner.) *Sique latitet ex domo producitur additâ pœnâ ei, qui occultavit.* (l 31. C. de decur.) *Sique planè reperiri nequeat, in hujus bona alius creatus mittitur, repertusque poſtea biennio cogitur eſſe duumvir.* (l.18. l.20. C. de decur.) *nec poteſt etiam electus liberari datâ pecuniâ* (l.16. pr.) nec tamen & ipſi ſtatim munus aggredi debent. *Nam tenentur prius confirmationem præſidis expectare.* (l.59. C. de decur.)

4. Creati & confirmati officium tenentur gerere & quidem Duumviri (*quos ſuperius Conſulibus Romæ ſimiles diximus.*) 1. debent Ordini decurionum intereſſe. *Ob hanc enim cauſſam Imperatores Antoninus & Verus reſcripſerunt, gratiam ſe facere jurisjurandi ei, qui juraverat, ſe ordini non interfuturum, & poſtea duumvir creatus eſſet.* [l.38. pr. ff. ad munic.] 2. debent quoque, decurionibus ſolenniter in curiam vocatis,

catis, nominationem ad certa munera facere & eam ſtatim ad nominatum deferre, (*l.2. C. de decur.*) 3. tenentur quoque exigere pecunias Reipublicæ legatas. (*l.38. §.2. ff. ad municip.*)

5. Poteſtas Duumvirorum hæc eſt, quòd poſſint decuriones ſuos vindicare & manus injicere. (*l.54. C. de decur.*) it. quod poſſint acta conficere, ut apud hoſce donationes inſinuentur. (*l.2. C. de mag. municip.*) Eſt tamen ita limitata etiam, ut prohibeantur eam extra territorii metas exercere. (*l.53. C. de decur.*)

6. Qui adminiſtrationem operum vel rerum ad civitatem pertinentium adepti ſunt hæc obſervare tenentur. 1. ne in alios uſus convertant quod ad certam ſpeciem civitati relictum eſt (*l.1. & l.2. §.2. ff. de adminiſtr. rer. ad civit. pert.*) 2. ut quod proficuum Reipubl. eſt quærant, ita tamen, ne ob id cuiquam injuriam faciant. (*arg. l.9. §.2. l.2. §.6. ff. d.t. l.1. C. de adminiſtr. Rerump.*) 3. ut apud idoneos vel dominos prædiorum ruſticorum pecuniam collocent. (*l.2. C. de debitor. civitat.*) 4. ne libertatem adeptum ad actus ſerviles Reipubl. exercendos cogant. (*l.1. & l.2. C. Ne quis liber invitus act. Reipubl.*) 5. ne operum exactionem ſine cautione committant. (*l.9. §.3. ff. d.t.*) 6. ut cautiones exigant de fideicommiſſo civitati relicto præſtando (*l.2. C. de adminiſtr. Rerumpubl.*)

7. Eliguntur etiam à decurionibus Judicio præſidum Irenarchæ, qui ad provinciarum tutelam quietis ac pacis per ſingula territoria faciunt ſtare concordiam. (*l. un. C. de Irenarch.*) diſciplinæque publicæ & corrigendis moribus præfecti ſunt. (*l.18. §.7. ff. de muner.*)

ARTIC. V.
DE
LEGATIS.

1. Imitantur municipia Civitatem Romanam & in legatis mittendis. Unde de his hoc loco quoque dicendum. *Eliguntur namque à decurionibus & honorem gerunt munusque perſonale: ut patebit ex ſeqq. Procedemus autem more ſolito, conſideraturi electionem, officium, poteſtatem, privilegia.*

2. Quod concernit electionem, notandum, non debere eligi debitores Reipubl. (*l.4. pr. ff. de legationib.*) nec eos qui Jus poſtulandi non habent. (*d.l.4. §.1.*) *Nam qui non admittuntur à magiſtratibus ut deſiderium vel ſuum vel amici in Judicio proponant* (id enim eſt poſtulare l.1. §.2. ff. de poſtul.) *multò minus admitti ad legationis munus poſſunt.* it. nec qui legationem ambiunt ſui commodi cauſsâ. (*l.36. l.42. ff. ex quib. cauſſ. maj.*) *Nam ſemper habenda eſt ratio Reipubl. ne detrimentum capiat.*

gationem contraxerunt, it. qui teſtimonii vel judicandi cauſâ evocati & accerſiti ſunt : (l. 2. & 3. ff. de Judic.) *ſimiliter hoc tributum eſt Conſtantinopoli* (Nov. 123. cap. 24.) *Ita cùm provinciæ imperio Romano ſubjectæ frumento abundantes, velut Ægyptus, Sicilia, Gallia, Africa tributi nomine Imperatori præſtarent annonarias ſpecies, quæ quotannis mittebantur ad alendum Romæ populum (Hoc enim ipſo Imperatores benevolentiam plebis captare ſolebant.* (Tacit. 1. ann. c. 2. verb. populum annonâ.) *deficientibus plerumque frumento ad tantam copiam ſuſtentandam aliisque ad victum neceſſariis, velut oleo, ſuillâ bubulâque carne &c.) idem obſervatum eſt circa Conſtantinopolin, id ita Conſtantino introducente.* (t.t. C. de Can. frum. urb. Rom. l. 1. C. de frumento urb. Conſt. l. 1. C. de annon. civil.)

ARTIC. II.
DE
CIVITATIBUS METROPOLITANAM DIGNITATEM HABENTIBUS.

1. Ad dignitatem Romæ & Conſtantinopolis quàm proximè accedebant metropoles, civitates provinciarum maximæ, quæ velut matres erant reliquarum civitatum : quales erant in provinciâ Syriæ Phœnices duæ Tyrus & Berytus (*l. un. C. de metrop. Beryto*) in Ponticâ Amaſia & Neocæſarea (*Nov. 28.*) in Cappadociâ Cæſarea & Tyana.

2. Alexandria quoque civitas Ægypti inter præcipuas erat. *Nam nulla habuit præ cæteris*; (l. 56. C. de decurion.) *proprium etiam canonem; ut Roma & Conſtantinopolis* (l. 2. de frumento Alexandr.)

MEMBR. II.
DE
MUNICIPIBUS.

1. Municipes propriè dicuntur muneris participes recepti in civitatem ut munera nobiscum facerent; ſed nunc abuſivè dicemus municipes ſuæ cujusque civitatis cives; utputa Campanos, Puteolanos inquit Ulpianus (*l. 1. §. 1. ff. ad municip.*)

2. Singulis in civitatibus cives ſua munera ſubire tenentur. *Nam docuimus* (part. 1. element.) *Juſtitiam diſtributivam non tantùm verſari in honoribus & commodis bonisque diſtribuendis: ſed & oneribus imponendis ſecundum proportionem: unaque oſtendimus quomodo veniant æſtimandæ perſonæ, quo debitâ ratione onera adſignentur. Quapropter & Jus Romanum in attribuendis muneribus meritò eſt occupatum.*

3. Municipes alii ſunt originarii alii Incolæ. *Nam* (l. privilegio 6.

gio 6. C. de Incol.) *traditur, quemque ad munera civilia vocari tantum vel originis ratione vel domicilii voluntate. Quapropter duobus articulis tradituri ſumus de modis quibus municipes fiunt, muneribusque civilibus in quâque civitate ſubjiciuntur.*

ARTIC. I.
DE ORIGINARIIS MUNICIPIBUS.

1. Originarii cives fiunt vel nativitate vel adoptione vel manumiſſione. (*l.1. pr. ff. ad municip.*) In ſpecie autem originarii vocantur, qui nativitate tales ſunt (*l.7. C. de Incolis.*) Sunt autem nativitate, non qui nomen ab aliquâ civitate habent (*l.38. ff. eod.*) ſed qui reverâ jus civitatis à parentibus habent ex quibus nati ſunt: quâ in re nati magis patris quàm matris conditionem ſequuntur. *Nam filios apud originem patris, non in maternâ civitate, & ſi ibi nati ſint ad honores ſeu munera poſſe compelli indubitati Juris eſt* (l.3. C. de municip. & Origin.) *niſi fortè privilegio aliquo materna origo cenſeatur: tunc enim materna originis erit municeps: Id Ilienſibus, Delphis, Ponticis conceſſum teſtatur Ulpianus* [l.1. §.2. ff. ad munic.] *it. ſi mater fuerit inquilina principis* (l. 29. C. de Decur.) *aut niſi filius ſine patre natus eſſe intelligitur, aut juſtum patrem non habet* (l.9. ff. eod. l.22. C. de Decur.) Sequuntur autem filii civitatem, ex quâ pater natus eſt, non ubi domicilium habet. (l.6. §.1. ff. eod.) *Ratio redditur* (l.17. §.11. ff. eod.) *quia domicilium eſt tantummodo temporarium quiddam. Siq; nati ſint in vico, ea civitas horum patria eſſe cenſetur, ad quam ſpectat.* (l.30. ff. eod.) *Quæ etiam cauſſa eſt, quare Roma communis omnium patria eſſe cenſeatur* (l.33. ff. eod.) *ad hanc enim cuncta municipia omnesque provinciæ ſpectant.*

2. Quod obtinet in liberis genitis ex certo patre, idem obtinet in adoptivis. (cit. l. 1. pr. ff. ad munic. l. 7. C. de adopt.) *Nam adoptio imitatur naturam; tribuitque filiis adoptatis ea jura quæ nati ex juſtis nuptiis habent.*

3. Manumiſſio itidem municipes originarios facit. *Nam libertini & qui ex his naſcuntur, patronorum ſequuntur originem vel domicilium* (l.6. §. ult. ff. eod.) *adeò ut à pluribus manumiſſus plurium patronorum originem habeat.* [l.7. ff. eod.] *tribuunt enim manumiſſores manumiſſis Jus originis.* (l.17. §.8. l.22. pr. l.27. pr. l.37. §.1. ff. eod.)

4. Jus originis, quod quis nativitate conſequitur, nemo ſibi mutare poteſt, ut à muneribus eximatur. (*l.4. C. de municip. & origin.*) ſed ſi quis alibi, quàm ubi natus eſt, figat domicilium duplici neceſſitati ſubeundi munera ſubjicitur, ratione ſcil. originis & incolatûs.

(l.1. l.

(l. 1. l. 5. C. eod. l. 3. pr. ff. de munerib.) *Nam jus originis quod quis per nativitatem habet, naturale eſt. Hac eſt ratio, quare nec adoptione jus originis ex nativitate competens mutetur, ſed filius adoptivus tantum pluribus muneribus per adoptionem adſtringatur;* (l. 15. §. ult. ff. ad municip.) *Ius autem originis, quod quis ex adoptione habet emancipatione pereat.* (l. 16. ff. eod.) *Jus enim civitatis ex adoptione magis voluntarium eſt, & incolatus ſimile.* At quod jus civitatis ex manumiſſione competit itidem firmum eſt & nullâ domicilii aſſumptione mutatur. (l. 12. §. 2. ff. eod.) *Nam hoc propius ad originarium jus accedit: qui enim manumittuntur quaſi generantur & vivere incipiunt. Unde amiſſio libertatis morti æquiparatur.*

ARTIC. II.

DE INCOLIS, ET UBI QVIS DOMICILIUM HABERE CENSEATUR.

1. Incolæ fiunt domicilio. (*l. 7. C. de Incol.*) Quod non exinde ſolùm æſtimatur, ſi quis in agro permaneat. (*l. 17. §. 14. ff. ad municip.*) *Nam qui alicujus civitatis præcipua (qualia ſunt forum, balneum, templum) non utitur, non exiſtimatur eſſe incola.* (l. 35. ff. ad municip.) *licet in territorio alicujus civitatis commoretur, aut domum poſſeſſionemque habeat.* (l. 3. & 4. C. de Incol.) *Poteſt enim quis ſtudiorum gratiâ aliquo in municipio diu commorari, qui tamen propterea incola non eſt, niſi decennium conſumpſerit.* (*l. 2. C. eod.*) Sed is tandem pro incolâ habetur, qui domicilium aliquâ in civitate defixit (*l. 5. C. eod.*) larem, rerumque ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit; unde rurſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil avocet: & unde cum profectus eſt peregrinari videtur, & ſi rediit, peregrinari deſtitit. (d. l. 7. C. eod.) *Julianus* (l. 27. §. 1. ff. ad munic.) *domicilium alicujus ita cognoſci dicit*: ſi quis negotia ſua in municipio ſemper agat, foro, balneo, ſpectaculis utatur; omnibus denique municipii commodis, nullis coloniarum fruatur: adeò, ut magis animus quàm corporalis præſentia in æſtimando domicilio ſpectari debeat. (l. 27. §. 2. ff. eod.) *Unde etiam fit, ut quis pluribus locis domicilium habere queat,* (cit. l. & l. 5. l. 6 §. 2.) *& ut relegatus eo loci; unde arcetur.*

2. Videtur domicilium dividi poſſe in voluntarium & neceſſarium. *Quamvis enim domicilium ex ſolâ proficiſci voluntate colligi poſſit:* (l. 6. C. de Incol.) *ſine dubio tamen iſta lex de eo, quod plerumque ita ſe habet loquitur: qui namque relegatus eſt in certum locum, ibi neceſſarium ſuum domicilium habet.* (l. 22. §. 3. ff. ad municip.)

3. Volun-

3. Voluntarium domicilium ibi eſt, ubi quis illud habere vult, niſi ſit ſpecialiter prohibitum: (*l. 31. ff. eod.*) & hoc etiam transferri & mutari conceſſum eſt: modò id fiat non ſolâ conteſtatione ſed re & facto. *Aliàs enim effugia peterentur in præſtandis muneribus; dum quivis dicere poſſit, ſe animo deſtinaſſe alibi habitare* (l. 20. ff. eod.) *Hinc etiam qui deſerit domicilium & in itinere eſt aliud quærens nondum cenſetur novum habere licet animo jam deſtinarit certum aliquod habere.* (l. 27. §. 2. ff. eod.) *Multò minus autem mentiendo mutare illud licet* (l. 6. pr, ff. eod.) *Ceterùm quamvis ſolo animo domicilium non mutetur, ſolo tamen animo retineri poteſt: hinc à relegato retineri poteſt eo loci, unde arcetur.* (l. 27. §. ult, ff. eod.).

4. Mulieres Jus originis retinent donec nupſerint: *Nam nuptæ ſortiuntur dignitatem & forum maritorum* (l. 9. C. de Incol. l. 38. §. 3. ff. à municip) niſi Romæ jus originis habeant. (*hoc enim domicilio mariti non mutatur; quia Roma communis patria eſt*) (l. un. C. de mulieribus, in quo loco munera ſexui congruent &c.) Manetque penes eas etiam mortuo marito, donec denuò nupſerint. *Id enim ita & in dignitate obſervatur.* (l. 22. §. 1. ff. eod.)

5. Militum domicilium cenſetur ibi eſſe, ubi merent. (*l. 33. §. 1. ff. eod.*)

MEMBR. III.

DE MUNERIBUS ET HONORIBUS MUNICIPUM.

1. *Cives quâlibet in civitate habent & ſua onera & ſuos honores ut* (init. membr. 2. huj. cap.) *docuimus. Hinc contingit nonnunquam quem quoad honores manere municipem, quoad onera deſinere. v. g. ſi quis ex municipio ſenator Romanus factus ſit.* (l. 13. ff. ad municip.) *Quâ de causâ prius de muneribus municipum dicturi ſumus, quàm varia ſint; deinde & honores eorundem enarrabimus: & his nonnulla de Jure immunitatis ſubjiciemus.*

ARTIC. I.

DE VARIIS MUNERUM GENERIBUS.

1. Munera civilia ſeu publica alia ſunt patrimonialia alia perſonalia alia mixta. (*l. ult. §. 28. ff. de Muner.*) Patrimoniale munus definitur (*l. 1. §. 3. ff. de muner.*) quòd ſit illud, in quo ſumptus quam

maximè requiruntur. & (*l. 18. §. 18. ff. eod.*) quod ſumptibus patrimonii & damnis adminiſtrantis expeditur. *Hinc patrimonialia munera cenſentur, munus hoſpitis recipiendi* (l. 3. §. 14. ff. eod. l. 3. C. de muner. patrim.) *exactio tributorum* (d. l. 3. §. 11.) *it. munera protoſtaſia, ſacerdotii vel decaprotia.* (l. 8. C. de munerib. patrimonior. l. 3. §. 10. ff. de munerib.) *Nam periculo decaprotorum, exactiones & diſtributiones cenſuum fiebant. Qui autem ſacerdotio fungebantur ludis praeerant in honorem deorum cum ſuo ſumptu faciendis: ut hoc interpretatur Cujac.* (ad d. l. 8.) *it. viarum munitiones* (l. 14. §. 2. ff. eod.) *onus alimentandi equos curiales* (l. 4. C. de muner. patrim.) Porrò patrimonialium munerum alia indicuntur extraordinariè & ad tempus veluti agminales equi vel mulæ & angariæ atque verhedi (*l. 18. §. 21. ff. eod.*) alia ordinariè ipſis rebus adhærentia, quæ etiam præſtantur ab iis qui non incolæ ſunt. (*l. 6. §. ult. ff. eod.*) & immunitatibus gaudent. (*l. 2. C. de munerib. patrim. d. l. 18. §. 24.*) quique fœnus tantùm exercent. (*d. l. 18. §. 23. l. 22. §. ult. ff. ad municip.*)

2. Perſonalia munera definiuntur (*l. 18. §. 1. & l. 1. §. 3. ff. de munerib.*) quæ animi proviſione & corporalis laboris intentione ſine aliquo gerentis detrimento pertractantur. *Hinc perſonalia cenſentur defenſio civitatis, ut ſyndicus quis fiat, legatio ad principem* (l. 18. §. 12. ff. de muner.) *ad cenſus accipiendos, ſitonia i. e. annonæ ac ſimilium cura, it. cura prædiorum publicorum, frumenti comparandi, aquæductûs, equorum &c.* (l. 1. §. 2. ff. de muner.) *Tutela* (l. 18. §. 1. ff. eod.) *Cura adultorum, furioſi, prodigi, muti, ventris, bonorum defuncti, ab hoſtibus capti.* (l. 1. §. 4. ff. eod.) *extruendi vel reficiendi operis in civitate.* (l. 4 pr. ff. eod.) *Kalendaris* [l. 18. §. 2. ff. eod.] *Quæſtura in aliqua civitate* (d. l. 18. § 2.) *tironum equorumque productio* (d. l. 18. §. 3.) *Curſûs vehicularis ſollicitudo* (d. l. 18. §. 4.) *cura emendi frumenti & olei* (d. l. 18. §. 5.) *Calefactio publici balnei* [eod.] *Cura cuſtodiendi aquaductus* (d. l. 18. §. 6.) *refectiones viarum* [eod.] *circa panes & cæteras res venales, quæ civitatum populis quotidianum victum ſuggerunt* [eod.] *ſuſceptio vel exactio annonæ* (d. l. 18. § 8.) *&c. it. Judicandi munus* (d. l. 18. §. 14.)

3. Munera mixta, quæ unà perſonalia & patrimonialia ſunt, in quibus præter laborem quis tenetur etiam aliquid de facultatibus impendere (d. l. 18. §. 27.) *veluti decaprotorum & Icoſaprotorum* [d. l. 18. §. 26.]

4. Perſonalium munerum alia magis animo alia corpore magis perficiuntur, quæ & corporalia propterea dicuntur. *Hanc diviſionem enim ſuggerit definitio perſonalium munerum tradita* (n. 2.)

5. Munera porrò publica alia ſunt vel auctoritate & utilitate talia,

lia, veluti magiſtratuum municipalium, quæ aliquid honoris adjunctum habent; alia auctoritate tantum, quæ concernunt utilitatem privatorum, ut tutela, cura, quibus nulla dignitas juncta eſt:

6. Munera porrò alia ſunt ſordida alia non ſordida. Sordidorum munerum hæ enarrantur ſpecies (*l.12. C. de Excuſ. muner.*) conficiendi pollinis cura, panis (popularis, militaris vel palatini) excoctio, obſequium piſtrini calcis coquendæ, parengariarum præbitio &c: Muneribus non ſordidis annumerantur inſtructio viæ publicæ & pontium; & ab his nullum genus hominum nulliusque dignitatis ac venerationis meritis ceſſare debet. [*l. 4. C. de privileg. domûs Aug. lib. XI.*]

7. Sunt & alia munera ordinaria, alia extraordinaria. Ordinaria ſunt, quæ lege, SCto, Conſtitutionibus principum injunguntur. *Ad quæ non porrigitur vacatio munerum ſimpliciter conceſſa* (l.un. C. de vacat publ. muner.) *cùm contrà qui vacationem habet ab ordinario munere, etiam ab extraordinario habeat.* (l.6. ff. de vacat. & excuſat. mun.) *Extraordinarii muneris ſpecies eſt, quando aquarum poſſeſſores, per quorum fines formarum meatus tranſeunt tenentur repurgium formarum facere.* (l.1. C. de Aquæduct. lib. XI.)

8. Alia quoque munera ſunt graviora, alia minus gravia. *Id enim colligitur ex* (l. ult. ff. de Jur. immunit.)

ARTIC. II.
DE
MUNERIBUS QVÆ AUCTORITATE ET UTILITATE PUBLICA SUNT, ET IN SPECIE DE DECURIONIBUS.

1. Munera auctoritate & utilitate publica quæ publicè deferuntur verguntque in ſalutem publicam. (*l.239. §.3. de Verb. Signif.*) Qualia gerunt qui adminiſtrando & conſultando civitatibus adſunt. Conſultando conſulunt municipiis decuriones; ita dicti, ex mente nonnullorũ (*l. pupillus. 239. §.4. ff. de Verb. Signif.*) quòd initiò cùm coloniæ deducerentur, decima pars eorum, qui ducerentur, conſilii publici gratiâ conſcribi ſolita ſit. Dicti etiam ſunt curiales. (42. C. de decur.) *Nam horum cœtus ordo & curia dicebatur; quemadmodum ſenatorum Romanorum ſenatus.*

2. Decuriones vel naſcuntur vel per electionem fiunt. *Nam filii decurionum ingenitis funguntur officiis, nec eadem declinare poſſunt, etiamſi militiam vel advocationem ſubeant* (l.38 l.35. C. eod.) *licet etiam avum militem habuerint* (l.27. C. eod.) *& non tantum qui vivis patribus naſcuntur; ſed etiam poſthumi curiales ſunt.* (l.48. C. eod.) *Quin & nati*

ex iis, qui poſtea illuſtres evaſerunt: ſoli enim hi qui poſtquam patres decuriones illuſtres redditi ſunt à curiâ immunes ſunt. (l. 63. & l. 61. C. eod.) *quemadmodum & nati ex patribus, qui ſpontè decurionatum ſubierunt. Quamvis enim qui volentes ſine conditione & pacto decurionatum acceptent, ſuæ immunitati renuncient; ſecus ac in honoribus aliis obtinere ſolet:* (l. 1. 2. & 3. C. de his qui ſpontè publica munera ſubeunt) *horum tamen liberi curiæ nexi non ſunt* (l. ult. C. eod.) *Fiunt autem non ſanguine materno* (l. 44. C. eod.) *ſed paterno, exemplo ſenatoris ordinis* (l. 36. l. 61. fin. C. eod.)

3. Circa electionem decurionum potiſſimum conſiderari poteſt, ex quorum numero eligi debeant. *Quamvis enim ejuſmodi munera, quæ toti alicujus poſteritati oneroſa ſunt, adeò ut ad nullam militiam admittantur, quale decurionatum eſſe* (præced. num.) *demonſtravimus, nemo facilè ſubeat; adeoq; ex quorumlibet numero videantur admittendi, qui tamen gerant: quia tamen decurionum munus conſiſtit in conſilio in ſalutem municipii ferendo; honeſtas ſuaſit, non omnes admitti. Quapropter non ignominiâ notati* (l. 6. §. 3. ff. de decur.) *nec caſi flagellis præſertim in civitate, ubi multi honeſti viri ſunt* (l. 12. ff. eod.) *nec qui relegati fuerunt, niſi permiſſu principis* (l. 13 pr. & §. 1. ff. eod.) *nec liberti, qui jus annulorum aureorum non habent.* (t. t. C. ſi ſervus aut libertus ad decurionat. aſpirav.) *aſſumi permittuntur; nec & ii, qui fungi munere nequeunt, quales ſunt naviculari;* (l. 9. §. 1. ff. eod.) *it. qui teneræ ætatis exiſtunt* (l. 11. ff. eod.) *it. qui ita tenues ſunt, & exhauſti, ut non modò publicis honoribus impares ſint, ſed etiam de ſuo vix ſuſtinere victum poſſint; præſertim ſi præſtò ſint, qui convenienter rei ſuæ & fortunæ & ſplendori publico creari queant.* [l. 6. ff. eod.] *Contrà non prohibentur eligi ſpurii, modò honeſtè vivant, nec legitimi adſint.* (l. 3. §. 2. l. 6. pr. ff. eod.) *ex inceſtu nati* (l. 6. pr. ff. eod.) *Judæi* (d. l. 3. §. ult) *ſervum patrem vel relegatum habentes, modò ex liberâ matre nati ſint* (l. 9. l. 13. §. 2. pr. ff. eod.) *literarum expertes* (l. 5. C. eod.) Jubetur verò & ordo quidam ſervari in muneribus & honoribus municipalibus conferendis, nimir. ut ſecundum ætates, dignitates, & modum fortunarum id fiat. (l. 3. §. 15. ff. de muner. l. 1. C. de muner. patrim.) *Nam ſi ſine diſcrimine & frequenter iiſdem deferantur munera, continget ſimul & viris & viribus Rem publ. deſtitui.*

4. Ritè creatorum (*neque enim decuriones reputantur eſſe, qui non ſecundum leges creati ſunt, licet hactenus decurionum ſalarium acceperint. l. 10. ff. eod.*) conſideranda 1. poteſtas. 2. officium. 3. privilegia. 4. liberatio à munere. 5. privilegiorum & muneris amiſſio. *Hæc namque circa omne munus conſiderari poſſunt.*

5. Decurionum poteſtas imitatur poteſtatem Senatorum. *Nam quod*

quod Senatores ſunt Romæ, hoc in municipiis ſunt decuriones. *Hinc habent poteſtatem deliberandi* 1. *de ritè tractandâ Reipubl. pecuniâ, de vectigalibus publicis locandis &c.* (l.2. §.1. & 2. ff. ad munic.) *& rebus curiæ vendendis, debitisque remittendis* (l.2. C. de præd. decur. ſine decreto non alien.) 2. *de curatoribus operum vel alterius alicujus negotii Reipubl. creandis.* (l.2. §.2. ff. eod.) 3. *de medicis idoneis eligendis, quorum arti civitas ſeſe committere poſſit.* (l.1. ff. de decret. ab Ord. fac.) 4. *de immunitate liberalium artium antiſtibus & medicis tribuendâ.* (l.1 C. de decret. decur. ſuper immunit.) 5. *de ſalario ob liberalem artem conſtituendo* (l.4. §.2. ff. d.t.) 6. *de grammaticis probatis reprobandis, ſi ſtudioſis non utiles deprehendantur.* (l.2. C. de profeſſor. & Med.) 7. *de tutoribus dandis & ſatisdatione horum.* (l.2 §.5. ff. ad municip.) *Horum decreta ritè facta ſervanda nec reſcindenda, ſi ritè facta ſint; niſi reſciſſio ad publicam utilitatem ſpectet.* (l.5. ff. eod.) *Cenſentur autem tunc ritè facta, ſi non ſint ambitioſa* (l.4. pr. ff. eod. l.2. C. de decret. dec. ſuper immunit.) *& legitimo decurionum numero contracto.* (l.2. & l.3. ff. de decur. l. 45. C. eod. l. 3 C. de præd. decur. ſine decret. non alienand.) *Hæc namque fermè ſunt potiſſima quæ ad ſtatum municipii, quà tale, ſpectant.* Servatur & ordo inter decuriones in dicendâ ſententiâ. *Nam prout in albo ſcripti ſunt, ita & ordine vota proferunt.* (t.t. ff. de albo ſcrib.) *Scribuntur autem eo ordine, ut in lege præcipitur; aut ſi lex ceſſat, quo quisque eorum maximo honore in municipio functus eſt.* (l.1. d.t.) *Habetur & ratio liberorum, ut qui plures liberos habet in ſuo collegio primus ſententiam rogetur, ceteroſque honoris ordine præcellat* [l.6. §.5. ff. de decur.] *Hinc & ita in albo ſcribi jubentur* (l.6. C. de decur.) *ut habentes filios non habentibus præferantur.*

6. Officium decurionum partim in faciendis partim in omittendis conſiſtit. Ad facienda pertinet, quòd ipſi teneantur per ſe & non per ſubſtitutam perſonam curiales functiones implere, niſi illuſtrem dignitatem conſecuti ſint. (*l.62. C. de decur.*) omittendis annumerare poſſumus, quòd nec ipſi per ſe nec per alias perſonas prædia publica colere admittantur. (*l.2. §.1. de adminiſtrat. rer. ad civit. pertinent.*) it. quod nulli decurionum liceat recedere à civitate, niſi licentiâ à Judicibus impetratâ (*l.16. C. de decur.*) quemadmodum contrà nec cogi poſſunt, ut ultra terminos civitatis ſui præſentiam faciant. (*l.25. C. eod.*) it. quòd non poſſint vendere ſua bona immobilia, niſi coram Judice neceſſitatem venditionis probaverint. (*l.1. & 3. C. de præd. curial. ſine decret. non alien. l.2. C. de offic. ei. qui vic. alic. Jud. obt.*) it. quòd non debeant civitates fugere & rus colere, ſub pœnâ amiſſionis ruris. (*l. un. C. ſi curialis relict. civit. rus habit. mal.*) it. ne agros conducant (*l.4. ff. de decur.*) aut ſuæ civitatis vectigalia (*l.6. §.2. ff. eod.*)

 it. ne

it. ne ſubeant tabellionum officium (*l. 15. C. eod.*) aut procuratorium munus (*l. 34. C. eod.*) *Nam leges meritò municipiis proſpiciunt, ne qui conſilio his præſunt ſubeant ea, quibus aut coguntur ſuum officium negligere, aut ſibi civitatique contemptum pariunt vel Reipubl. nocumento ſunt.*

7. Privilegia decurionum ſunt. 1. ne cogantur ad ſubeunda humiliora officia, aut extraordinaria onera, vel etiam ſordida. *Nam ſi id fieret, publica vacillaret utilitas.* (l. 14. C. de ſuſceptor. præpol. & arcar.) *ſufficitque ſi eis civitatum munera per eos ritè compleantur.* (l. 21. C. de decur.) *Cæterum ſi quæ occurrant non ſordida mandari his quandoque poſſunt* (l. 17. §. 7. ff. ad munic.) 2. ne fuſtibus caſtigentur, in metallum damnentur, torturæ ſubjiciantur. (*l. 14. ff. de decur. l. 4. & 33. C. eod.*) (*Quid circa Alexandrinos hac in re conſtitutum. vid. l. 56. & 57. C. eod.*) 3. ne horum honoribus plebeii fungantur, ſed ut ex horum numero magiſtratus creentur. (*l. 7. §. 2. ff. eod.*) 4. *ut lapſis de facultatibus decerni poſſint alimenta, præſertim ſi ob munificentiam in patriam eaſdem amiſerint.* (l. 8. ff. eod.) 5. defenduntur quoque adverſus injurias militum. (*l 42. C. eod.*) 6. ut horum primus cum univerſis muneribus expletis ad ſummum pervenerit gradum, comitivæ primi ordinis fruatur dignitate poſt biennium; ita tamen, ut in curialibus permaneat, (*l. 56. C. eod.*) Tranſeunt autem horum privilegia ad liberos, non modò naturales, ſed & adoptivos. (*l. 2 §. 2. 5. 6. ff. l. 4. C. eod.*) *Nam ut onera tranſeunt, ita & præmia privilegiaque conveniens eſt tranſire.*

8. Decuriones origine qui ſunt fortunam ſuam declinare nequeunt. (l. 62. l. 41. l. 43. C. eod.) *Nam nec liberantur, etiamſi ad provinciarum regimen quâlibet fraude atque ambitione pervenerint.* (l. 51. C. eod.) *aut militiam ſubierint* (l. 55. C. eod.) *aut in fabricenſium numerum pervenerint.* (l. 32. C. eod.) *aut etiam reſcriptum principis impetraverint* (l. 37. l. 43. C. eod.) *aut ſe ad domum principis pertinere prætendant* (l. 39. C. eod.) *Revocanturque à præſidibus provinciarum in ſolum patrium, ſi ſedibus illius civitatis, ad quam pertinent, relictis in alia loca transmigraverint.* (l. 1. ff. eod.) Dignitatem tamen aliquam ſummam patriciatûs nimirum vel conſularem adepti aut magiſtri militum vel præfecti prætorio, orientis aut Illyrici facti, vel urbis adminiſtrationem adepti. it. comites rerum privatarum, ſacrarum largitionum, it. quæſtores aut magiſtri officiorum creati liberantur. (*l. 64. & duab. ſeqq. C. eod.*)

9. Amittunt decuriones dignitatem & privilegia ſua, quando cenſuali miniſterio ſeſe mancipant. (*l. 2. C. de tabular. ſcrib. &c.*) aut ex crimine ordine moventur. (*l 5. ff. ad munic.*) Relegati autem tanto tempore abſtinere honoribus debent, quanto relegati ſunt. (*l. 15. pr. eod. l. 2. & 3. pr. §. 1. de decur.*) honor autem reverſis ex exilio tanto

tempo-

tempore poſt regreſſum committitur, quanto abſuerunt. (*l.2. C. de his qui in exilium dati &c.*)

ARTIC. III.

DE DEFENSORIBUS CIVITATUM.

1. Honores municipales & magiſtratus vel committuntur decurionibus vel tales ſunt ad quos decuriones non admittuntur. Decuriones deſenſores civitatum fieri nequeunt. (*l.2. C. de defenſor. civit.*) ſed eligendi ſunt defenſores ex orthodoxis, & quidem juratò id obtinentibus. (*l.17. C. de epiſc. aud.*) iisque idoneis (*d. l.2. t. Nov. 15.*) Electio autem fieri debet ab Epiſcopis, clericis, poſſeſſoribus & curialibus, relatione factâ ad præfectum prætorio, ut hic confirmet. (*l.8. pr. C. de defenſ.*)

2. Officium horum ſimile eſt tribunorum pl. officio. *Nam jubentur plebem & decuriones ab omni improborum inſolentiâ & temeritate tueri* (l.5. C. eod.) *parentisque vicem hac in re exhibere* (l. 4. C. eod.) *Judicum quoque procacitati occurrere, ſalvâ tamen pudoris reverentiâ; nec cum præſidibus denegantibus perſecutionem injuriarum colludere* (l. 9. C. eod.) *tueri etiam poſſeſſores, ne majoribus menſuris & ponderibus à ſuſceptoribus prægraventur, deferendo ad Judicium horum commiſſum*; (d.l. 9.) *nec admittere, ut ruſtici urbanique deſcriptionibus affligantur* (l. 4 C. eod.) *in ſummâ verò, nihil ſibi inſolenter, nihil indebitum vindicare, ſed nominis tantum ſui fungi officio* (l.5 C. eod.)

3. Poteſtas eorum hæc eſt, ut cognoſcere poſſint de cauſſis levioribus v. g. de ſummâ usque ad ſolidos quinquaginta. it. de fugâ ſervorum (*l.1. C. eod.*) it. de cauſſis ruſticorum. (*l 3. C. eod.*) it. ut in crimina inquirere poſſint, ne impunita creſcant. præſertim latrocinia) *l. 6. C. eod.*) Quam ob cauſſam poteſtatem etiam habent facinoroſos in carcerem conjiciendi (*Nov. 15. cap. 6. §. 1.*) accuſatos & accuſatores denunciandi Judicibus. (*l.7. C. eod.*) multas tamen infligere aut ſæviores quæſtiones exercere ipſis prohibitum eſt. (*l 5 C. eod.*)

4. Officio autem, quod gerunt quinquennale (*l 4. C. eod.*) biennale eſt (*ex Nov. 15. cap. 1.*) renunciare nequeunt, niſi prius impetrato reſcripto principis. (*l. ult. C. eod.*)

ARTIC. IV.

DE HONORIBUS QVI DECURIONIBUS CONFERRI SOLENT ET in ſpecie de duumviris, Irenarchis & cunctis adminiſtrantibus Rempubl.

1. Ho-

1. Honor municipalis definitur adminiſtratio Reipubl. cum dignitatis gradu, ſive cum ſumptu ſive ſine erogatione contingens. (*l.14. pr. ff. Muner.*) *Quapropter de adminiſtrantibus Rempubl. dicendum, & quidem 1. quomodo eligantur. 2. quodnam ſit horum officium, quæq; poteſtas. 3. quomodo honores adimantur.*

2. In conferendis honoribus attendendum. 1. ut eligantur decuriones (*l.7. §.7. de decur.*) 2. non vitioſi, aut de quibus ſuſpicio eſt, quòd vitioſi ſint: *neque enim nominati capitalium criminum in quæſtionibus, non obſtante, quamvis priſtinam dignitatem retineant* (l.17. §.12. ff. ad municip.) *aut accuſati de crimine* (l.21. §.5. ff. eod.) *ſi nondum purgaverint innocentiam* (l. un. C. de Reis poſtulat.) *aut milites ignominiæ cauſâ ſacramento liberati creari poſſunt.* (l 1. C. de his qui non impleт. ſtipend. ſacram. liberati ſunt) licet patres crimen commiſerint. (*l.3. §.9. ff. de Muner.*) 3. qui ſint idonei; *neque enim minus idoneis conferri honores debent, veluti deſtitutis debitâ prudentiâ ob ætatem impuberem* (l.2 §.1. ff. de Jur. Immunit.) *vel minorennem.* (l.8. ff. eod.) *& ex hoc, an quis idoneus ſit, limitantur omnes leges municipales, quibus certæ conditionis homines aliis præferuntur* (l.11. §.1. ff. de munerib.) aut de quibus non dubitatur, an idonei ſint. *Nam ſi contra quem propter honores appellatum eſt, non procedit electio.* 4. non ex eâdem domo honorem continuantes. (*l.1. C. de muner.*) ſed 5. qui meritis digniſſimi ſunt & facultatibus inſtructi, ut functiones publicas implere poſſint. (*l.7. & 40. C. de decur. l.14. §.3. ff. de muner.*) 6. gradatim à minoribus ad majores perveniendo (*l.11. pr. l.14. §.5 ff. de muner.*) 7. non continuatim, niſi nullus alius ſit, qui ſuſcipiat. (*d. l.14. §.5. & 6.*)

3. Electi honores reſpuere non poſſunt. *Nam ſi quis magiſtratus in municipio creatus munere injuncto fungi detrectat; per præſides munus agnoſcere cogitur.* (l 9. ff. de muner.) *Si quæ lateret ex domo producitur additâ pœnâ ei, qui occultavit.* (l 31. C. de decur.) *Si quæ planè reperiri nequeat, in hujus bona alius creatus mittitur, repertusque poſtea bienniô cogitur eſſe duumvir.* (l.18. l.20. C. de decur.) *nec poteſt etiam electus liberari datâ pecuniâ* (l.16. pr.) nec tamen & ipſi ſtatim munus aggredi debent. *Nam tenentur prius confirmationem præſidis expectare.* (l.59. C. de decur.)

4. Creati & confirmati officium tenentur gerere & quidem Duumviri (*quos ſuperius Conſulibus Romæ ſimiles diximus.*) 1. debent Ordini decurionum intereſſe. *Ob hanc enim cauſſam Imperatores Antoninus & Verus reſcripſerunt, gratiam ſe facere jurisjurandi ei, qui juraverat, ſe ordini non interfuturum, & poſtea duumvir creatus eſſet.* [l.38. pr. ff. ad munic ip.] 2. debent quoque, decurionibus ſolenniter in curiam vocatis,

catis, nominationem ad certa munera facere & eam ſtatim ad nominatum deferre, (*l.2. C. de decur.*) 3. tenentur quoque exigere pecunias Reipublicæ legatas. (*l.38. §.2. ff. ad municip.*)

5. Poteſtas Duumvirorum hæc eſt, quòd poſſint decuriones ſuos vindicare & manus injicere. (*l.54. C. de decur.*) it. quod poſſint acta conficere, ut apud hoſce donationes inſinuentur. (*l.2. C. de mag. municip.*) Eſt tamen ita limitata etiam, ut prohibeantur eam extra territorii metas exercere. (*l.53. C. de decur.*)

6. Qui adminiſtrationem operum vel rerum ad civitatem pertinentium adepti ſunt hæc obſervare tenentur. 1. ne in alios uſus convertant quod ad certam ſpeciem civitati relictum eſt (*l.1. & l.2. §.2. ff. de adminiſtr. rer. ad civit. pert.*) 2. ut quod proficuum Reipubl. eſt quærant, ita tamen, ne ob id cuiquam injuriam faciant. (*argt. l.9. §.2. l.2. §.6. ff. d.t. l.1. C. de adminiſtr. Rerump.*) 3. ut apud idoneos vel dominos prædiorum ruſticorum pecuniam collocent. (*l.2. C. de debitor. civitat.*) 4. ne libertatem adeptum ad actus ſerviles Reipubl. exercendos cogant. (*l.1. & l.2. C. Ne quis liber invitus act. Reipubl.*) 5. ne operum exactionem ſine cautione committant. (*l.9. §.3. ff. d.t.*) 6. ut cautiones exigant de fideicommiſſo civitati relicto præſtando (*l.2. C. de adminiſtr. Rerumpubl.*)

7. Eliguntur etiam à decurionibus Judicio præſidum Irenarchæ, qui ad provinciarum tutelam quietis ac pacis per ſingula territoria faciunt ſtare concordiam. (*l.un. C. de Irenarch.*) diſciplinæque publicæ & corrigendis moribus præfecti ſunt. (*l.18. §.7. ff. de muner.*)

ARTIC. V.
DE
LEGATIS.

1. Imitantur municipia Civitatem Romanam & in legatis mittendis. Unde de his hoc loco quoque dicendum. *Eliguntur namque à decurionibus & honorem gerunt munusque perſonale: ut patebit ex ſeqq. Procedemus autem more ſolito, conſideraturi electionem, officium, poteſtatem, privilegia.*

2. Quod concernit electionem, notandum, non debere eligi debitores Reipubl. (*l.4. pr. ff. de legationib.*) nec eos qui Jus poſtulandi non habent. (*d.l.4. §.1.*) *Nam qui non admittuntur à magiſtratibus ut deſiderium vel ſuum vel amici in Judicio proponant* (id enim eſt poſtulare l. 1. §.2. ff. de poſtul.) *multò minus admitti ad legationis munus poſſunt.* it. nec qui legationem ambiunt ſui commodi cauſſâ. (*l.36. l.42. ff. ex quib. cauſſ. maj.*) *Nam ſemper habenda eſt ratio Reipubl. ne detrimentum capiat.*

piat. Nec etiam ex quaque civitate plures quàm terni mitti jubentur (*l.4. §.ult. ff. de legation.*) Non tamen impedit uni plures legationes committi. *Nam ſumptibus parcendum, quantum fieri poteſt.* (*l.16. pr. ff. eod.*) Jubetur & in legatione ordo ſervari, ut nemo aliâs compellendus ſit munere legationis ſungi; quàm ſi qui priores in curiam lecti ſunt functi ſint. (*l.4. §.5. ff. eod.*)

3. Videtur autem legationis munus perſonale eſſe. *Nam ſolitos fuiſſe legationem gratuitam ſuſcipere teſtatur Paulus* (l.11. pr. ff. eod.) *& interdum tantum legatos, qui ad ſacrarium principis mittuntur, ſolere viaticum, quod legativum dicitur, accipere, teſtatur Arcadius Chariſius* (l. 18. §. 12. ff. de muner.)

4. Officium legatorum eſt, ut legationem debitè perficiant. *Nam deſerentes eam moti ordine afficiuntur pœnâ extraordinariâ* (l. 1. ff. eod.) *& qui non, ut oportet, obierunt munus, debent ordini patriæ ſuæ probare, utrum deſeruerint legationem, an ex neceſſariâ cauſſâ moram paſſi ſint.* (l.2. §.1. ff. eod.) *Quin poteſt legatus à ſuis collegis, cum quibus proprio nomine legationem ſuſcepit, deſertæ legationis conveniri.* (l.2. C. eod.) *Hinc etiam legati prohibentur quicquam in rem ſuam agere, antequam legationis officio functi ſint; exceptis iis, quæ ad horum injuriam vel damnum parata ſunt.* (l.10. pr. & l.15. ff. eod.) *& multò magis alienis ſeſe immiſcere* (l.8. §. 2. ff. eod.) *exceptis negotiis pupillaribus* (l.11. §.1. ff. eod.)

5. Poteſtas eorum, quibus legationis munus commiſſum eſt, hæc eſt, ut & per alios officium ſuum expedire poſſint. (*l.4. §.4. l.11. pr. ff. eod.*)

6. Legati habent ſua privilegia tanquam abſentes Reipubl. cauſſâ. *Unde reſtituuntur in integrum, ſi quid damni ob abſentiam ſuam perpeſſi ſunt.* (l.8. ff. ex quib. cauſſ. maj.) *nec neceſſe habent, ut abſentes defendantur,* (l.16. §.1. ff. eod.) *nec etiam tempore legationis ex contractu conveniri poſſunt, niſi hoc actum ſit, ut legationis tempore ſolveretur:* (l.3. ff. eod.) *habent enim Jus revocandi domum, ſeu poſtulandi, litem transferri in locum domicilii, niſi tempore legationis contraxerint.* (l.2. §.3 & 4. l.25. ff. de Judic.) *Vacationem & à muneribus habent, de quâ paulò poſt.*

ARTIC. VI.
DE
SECURITATE QVAM LEGES ROMANÆ PROCURANT REBUSPUBL. NE AB ADMINISTRATORIBUS LÆDANTUR.

1. Leges Romanæ curam habent Rerumpubl. ne ab adminiſtratoribus lædantur. *Nam comparant haſce minorennibus & pupillis, & propter-*

propterea multa ſingulariter præcipiunt ad harum ſalutem pertinentia & prohibent eandem imminuentia. v. g. ne pecunia his legata in alium uſum, quàm in quem legata eſt, aut in id, quod maximè neceſſarium eſt, impendatur. (l.4. l.5. §.1. ff. de adminiſtr. rer. ad civit. pert.) *it. ut immobilia & mobilia harum bona, quæ ſervando ſervari nequeunt, pro utilitate earum alienentur, ut auctoritate principis Conſtantinopoli, ita in cæteris municipiis præſidum.* (l. ult. C. de vendend. reb. civitat.) *it. ne harum debitores admittantur ad honores, antequam ſolverint debitum.* (l.1. C. de debitor. civit.) *it. ut retineantur debitores, qui patrimonia incolumia habent. & uſuræ ſtrenuè exigantur.* (l.2. C. eod.) *it. ut convenire poſſint eos, in quos bona debitorum non amplius idoneorum ſunt translata pro ratâ ſortis & uſurarum.* [d.l.2.]

2. Hinc & ſtudent earundem ſecuritati, per fidejuſſores, & qui horum in modum obligantur, nominatores & patres. *Nam adminiſtratores Rerumpubl. jubent cavere, Rempubl. ſalvam fore, etiamſi ad officiū gerendum compulſi fuerint.* (l. ult. §. ult. ff. ad municip.) *Horumque non modò fidejuſſores pro damno Reipubl. illato in ſortem tenentur* (l. 17. §. 15. l.21. §.1. ff. ad municip. l. un. C. de periculo eor. qui pro mag. intervenerunt. l.2. §.11. ff. de adminiſtr. rer.) *ſed etiam nominatores, qui ſuo periculo magiſtratus nominarunt.* (d.l.17. §.15.) *æquè ac fidejuſſores* (l.11. §.1. l.12. l.13.) *& quidem prius quàm adminiſtratorum collegæ (unde nominatoribus adverſus collegas eorum, pro quibus ſolverunt, actio utilis datur.) Nam collegæ negligentiæ cauſâ, qui verò nominarunt fidei ratione conveniuntur. Non tamen nominatores prius quàm excuſſis fidejuſſoribus conveniri poſſunt.* (l.2 & l. 4. C. Quo quisque ord. conveniatur.) *Pater quoque conſentiens in munus filii ſui, quem in poteſtate habet,* (l.3. §. 7. ff. de muner. l.1. C. de filiisfam. & quemadm. pro his pater teneatur.) *tenetur æquè pro filio ac fidejuſſor,* (l.2. pr. ff. ad municip. l.1. C. de decur.) *licet ipſe immunis ſit,* (l.17. §.1. ff. eod.) *& quidem in ſolidum ejus, quod nomine Reipubl. abeſt.* (l.7. ff. de adminiſtr. rer.) *Idque obtinet etiam tunc, quando pater filium emancipavit propterea, ne pro hoc teneretur* (l.38. §.4. ff. ad munic.) *modò prius conſenſerit, aut non diſſenſerit,* (l.6. §.4. l.7. §.3. ff. de decur.) *etiamſi & ipſe filius exiſtat.* (l. 2. ff. de muner.) *Quin & adoptans decurionem videtur onera decurionatûs ejus ſuſcepiſſe.* (l.21. §.3. ff. ad municip.) *Cenſetur autem pater conſenſiſſe qui præſens eſt nominationi nec contradicit,* (l.2. pr. ff. ad municip.) *cæterum ſi pater non conſenſit, non obligatur pro filio* (l.5. C. de Decur.) *quemadmodum nec heredes patris, ſi poſt hujus mortem filius munus ſuſcepit.* (l.21. §.1. ff. ad municip. l.15. ff. de muner.) *Quamvis, qui non vult conſentire, pater reprehendatur* (l.3. §. 5. ff. de muner.) *tanquam civem patriæ utilitatibus, quatenus poteſt auf-*

 feren-

ferendo. Quod de patre traditum eſt non extenditur ad eum, qui cum electo communia bona habet. (l.7.C. de Decur.)

3. Pertinet autem ad adminiſtratores, & pro hoc etiam fidejuſſores, patres, nominatores obligantur, periculum nominum, quæ tempore curationis ipſorum deteriora ſunt facta (*l.9. §.9. ff. de adminiſtr.*) it, ut ſolvant uſuras pecuniæ, quæ apud eos remanſit, niſi cauſſam moræ allegare poſſint. (*l.9. pr. & §. ult. ff. eod.*) in pecuniâ autem male collocatâ ad adminiſtratores tantummodo ſortis & non uſurarum damnum ſpectat. (*l.un. C. de his qui ex offic. quod adminiſtrarunt conveniuntur*) Obligantur etiam pro collegis, præſertim ſi intervenire & prohibere eos debuiſſent. (*l.2. §. 8. l.9. §. 8. ff. eod.*) horumque bona non ſufficiant. (*l.1. C. Quo quisque ord. conveniatur.*) & quidem ut ante nominatores eorum conveniri poſſint, ſi conjunctim adminiſtrarint, non ſi ſeparatim. (*l.2. C. eod.*) Quin poſſunt & ita creari, ut mutuis periculis teneantur. (*l.3. C. eod.*) Ordo autem obligationis hic eſt, ut ipſi adminiſtratores vel horum heredes, & poſſeſſores bonorum. (*l.3. §. 1. l.9. §. 1. ff. de adminiſtr. rer.*) *modò non ante diem, quo ſubire debebant, defuncti fuerint.* (l. un. C. ſi poſt creat. quis deceſſer.) 2. nominatores. 3. collegæ ſi ſeparatim geſſerint, conveniantur. (*l.4. C. d.t.*) curatores negligentes in ſimplum, doloſi in duplum. (*l. 9. §. 4 ff. de adminiſtr. rer.*) *Nam non modò dolus ſed & negligentia præſtanda* (l. 7. ff. d.t.)

ARTIC. VII.
DE
IIS QVÆ IMMUNITATEM TRIBUUNT ET A MUNERIBUS CIVILIBUS HONORIBUSQVE EXCUSANT.

1. Difficile eſt immunitatem ſeu vacationem à muneribus impetrare. *Nam conceſſa ab alio quàm principe illicita eſt; & ſi princeps eam concedat cauſſa niti debet, quò quoad ordinaria munera valida ſit.* (l. 13. 14. 19. 28. 43. fin. C. de decur.) *Tendit enim immunitas aut in deminutionem fiſci aut in injuriam cæterorum civium: unde contentiones naſcuntur & querelæ.* Et regulariter à muneribus patrimonialibus propterea nulla immunitas datur. *Hæc enim publicè utilitatis gratiâ ab omnibus ſubeunda ſunt* (l. 2. C. de muner. patrim. l.3. §. 1. ff. de muner.) *unde patrimonialia munera etiam iis incumbunt, qui munerum publicorum immunitates conſecuti ſunt.* (l.3. C. de muner. patrim. l.10. ff. de vacat. muner.) *nec ab his vel ætas vel liberorum numerus* (l.5. l.7. C. eod.) *vel ſtudium liberalium artium* (l.6. C. eod.) *vel ſexus excuſat.* (l.9. C. eod. l.11. ff. de vacat. muner.) *aut ſi nonnullis conceditur, non tamen ab annonâ,*

angariis, veredo, nave, hoſpite recipiendo, capitatione datur, exceptis militibus & veteranis, (l. ult. §.29. ff. de muner.) *item magiſtris habentibus immunitatem; grammaticis, oratoribus, medicis, philoſophis, qui & immunes ab hoſpitibus recipiendis ſunt.* (l. ult. §. ult. ff. eod. l. 10. §. 2. ff. de vacat. muner.) *Patet ergò à muneribus patrimonialibus regulariter nullam immunitatem dari; à perſonalibus ob juſtam cauſſam. Quapropter conſiderandum erit, quænam immunitatum ſint juſtæ cauſſæ.*

2. Omnes cauſſæ partim excuſant à ſuſceptis muneribus partim à ſuſcipiendis; à ſuſcipiendis, quæ vel arguunt quem eſſe invalidum muneri gerendo, vel ita de Republicâ mereri aut meritum eſſe, ut muneribus gravandus non ſit; vel ſupra modum aut injuſtè & in detrimentum Reipubl. gravari. Minus ſufficientes muneri gerendo eſſe cenſentur. 1. ſi quis jam curam ſuſtineat, ut ſimul aliis muneribus invigilare nequeat. (*l. 14. §. 1. ff. de vacat. muner. l. 1. C. Quemadm. civilia munera indicuntur. l. 5. §. 3 ff. de Jur. immunit. l. 1. §. 1. de Oper. publ. l. 3. 7. 8. C. de Excuſ.*) *Nam ſi quis munus habeat tale, ut nihilominus & aliud gerere poſſit, v. g. ſi quod vergit in utilitatem privatam habent, non excuſatur à merè publico* (l. 17. pr. ff. ad munic. l. 5. C. de decur. l. 4. C. de Excuſ.) *aut ſi quis nolens quod gerit ſuſcepit* (l. 6. C. de Excuſ. l. 7. C. eod.) *Prætextus autem alterius cujusdam muneris non excuſat.* (l. unic. C. de collegiatis & chartoprat. & nummul.) *quemadmodum nec fratris munus* (l. ult. C. de muner. & honor.) *patris tamen, quia iniquum eſt, ex eâdem familiâ & domo duos ad idem obſequium deſtinari.* (l. 3. C. de filiisfam. & quemad. pater) 2. Si quis neceſſariis requiſitis deſtituatur veluti prudentiâ; & quando quis prudentiorem nominare poteſt. (*l. un. C. de potior. ad mun. nominand.*) it. auditu, viſu, ſermone. (*l. 7. §. 1. ff. ad municip. l. 2. §. 6. de vacat. muner. l. 1. C. Qui morbo ſe excuſant.*) it. viribus corporis & debitâ valetudine. *Nam qui morbo articulari laborant vel podagrâ eo modo, ut ne quidem ſuis rebus ſupereſſe queat, juſtam cauſſam ſeſe excuſandi habent.* [*l. 2. & 3. C. Qui morbo l. 13. C. de decur.*] Ætas quoque ſolet excuſare, ſed non quà talis, verùm quatenus cum defectu virium animi aut corporis aut corporis & animi ſimul conjuncta eſt. Hinc ætas minorennis non modò reddit immunes, ſed etiam ineptos, & non admittendos, licet quammaximè parati ſint munera ſubire. (l. 8. ff. de muner. l. 2. pr. ff. de Vacat. muner.) *præſertim ſi dent operam ſtudiis liberalibus* (l. 1 & 2. C. Qui ætate vel profeſſ. ſe excuſ.) & quamvis decurionum filii minorennes ſportulas accipiant: ad ſuffragia tamen ferenda non admittuntur. (*l. 6. §. 1. ff. de Decur.*) Senium partim ob animi partim ob corporis vires deficientes excuſat. [*l. 2. §. 7. ff. de vacat. muner.*] talis eſt ſeptuaginta annorum (*l. 3. §. 12. de muner. & honor.*

honor. l.10. C. de Decur.) *Quamvis leges hac in re variare videantur.* (l.2. §.ult. de decur. l.1. §.3. de vacat. mun. l.13. C. de decur. l. C. Qui ætate l.8. pr. ff. de vacat. mun.) *Cui lubet poteſt conciliationem petere ex l.5. pr. de Jure immunit.* 3. Si quis egeſtate laboret. *Nam qui domi nihil habet unde vivat, muneribus publicis invigilare nequit. Excuſat ergò facultatum defectus* (l.6. pr fin. ff. ad municip. l.6. C. de iis qui numero liberor. vel paupert.) *ſed ad tempus, donec ſcil. redierint ad meliorem fortunam.* (l.10. §.3. ff. de vac. mun. l.4. §.1. ff. ad municip.)

3. Merita erga Rempubl. excuſant à muneribus, vel quia quis in ſalutem communem quid gerit à quo revocandus ad alia munera non eſt, vel quia benè meritus eſt, & eos honores eſt conſecutus, ut non deceat eum ſubjici muneribus, aut hoc ipſum in præmium adeptus, ut ſit immunis. Benè merentur de Republ. omnes vel arte quâdam vel negotiatione vel rem Reipubl. ſibi delatam gerendo. Artes vel pacis vel belli inſerviunt temporibus: & vel liberales ſunt vel mechanicæ. Ratione artium liberalium immunes ſunt philoſophi, profeſſores & medici. *Nam philoſophi, qui ſe prabent utiles ad ſtudia contendentibus à perſonalibus muneribus & præſertim ſordidis corporalibus excuſantur.* (l.8. §.4. de vacat. mun.) *Philoſophi autem cenſentur, non qui habitum philoſophia inſolenter & indebitè uſurpare cognoſcuntur, ſed qui à probatiſſimis approbati ſunt philoſophis* [l.8. C. de profeſſ. & Med.] *Liberalium quoque ſtudiorum profeſſores, doctores legum, grammatici, medici & maximè archiatri vel ex archiatris cum uxoribus & filiis nec non & rebus, quas in civitatibus ſuis poſſident, ab omni functione & ab omnibus muneribus vel civilibus vel publicis immunes pronunciantur, ut nec in provinciis hoſpites recipere teneantur, nec ad Judicium deduci nec eximi vel exhiberi poſſint; quin potius ſua ſalaria habere debeant, ut eò facilius alios liberalibus artibus imbuant.* (l.6 & ult. C. eod.) *Qamvis autem ex his textibus audeant nonnulli Ddres deducere Conſtantinum à patrimonialibus muneribus etiam liberaſſe profeſſores & medicos: id tamen non auſim aſſerere; quia expreſſè ſit mentio hoſpitationis. Ut verò profeſſoribus & medicis hoc immunitatis privilegium competat, debent eſſe intra ſtatutum numerum. Nam qui intra numerum non ſunt & publicè docent infamiâ notantur & Româ vel Conſtantinopoli expelluntur* (l.un. C. de ſtud. liberal. urbis Rom. & Conſt.) *Quod autem numerum concernit, in auditorio Conſtantinopolitano & Romano ſunt oratores tres; grammatici decem, quinque ſophiſtæ; profundæ ſcientiæ auctores, unus rimans philoſophiæ arcana, duo qui Juris ac legum voluntatem pandunt.* (d.l. un.) *Hi omnes non modò Romæ, ubi profitentur, ſed & in patriâ ſuâ excuſantur* (l.9. pr. ff. de vacat. muner.) *In numero in municipiis ſunt profeſſores ab Ordine approbati* (l.9. C. de profeſſ. & med.)

medici ſeptem primis decurionum judicantibus approbati (l.5. & 10. C. eod.) *non denuò reprobati* (l.2.C.eod.) Artifices cæteri, qui ob artificium ſuum immunes judicantur, propterea quòd interſit Reipubl. eos ſuis artibus invigilare, excuſantur (*l.1.& 2. C. de excuſat. artificum*) *Tribuitur autem non modò his, ſed & eorum diſcipulis immunitas.* Ars quoque militaris, tanquam Reipubl. maximè neceſſaria, plurimum immunitatis tribuit. *Nam qui caſtris operam dant per militiam, his non poteſt munus aliquod perſonale imponi* (l.3. §.1. junct. Gl. ff. de muner.) *Et de militibus quidem à nobis ſuperius dictum &c.* Vecturâ annonæ inſervientes Reipubl. quoque ſuam immunitatem habent. *Nam naviculariì, qui annonæ urbis ſerviunt, quamdiu in hujusmodi actu ſunt habent immunitatem; ob pericula, quæ Reipubl. cauſâ ſubeunt.* (l.5. §.3. & 5 ff. de Jur. immunit. l.5. ff. de muner. l.3. l.9. §.1. ff. de vacat. mun.) *Redemptores quoque vectigalium fiſci qui præſentes negotia exercent* (l.8. §.1. ff. de vacat. mun.) *adeò ut ne quidem admitti ad munera poſſint, niſi paria fecerint i. e. ſecurum reddiderint fiſcum.* (l.5. §.10. ff. de Jur. Immun. l. un. C. Quibus muner. excuſentur hi &c.) *Coloni quoque Cæſaris immunitatem habent, quò idoneiores prædiis fiſcalibus ſint.* (l.5. §.11. ff. de Jur. Immun.) Singulari etiam immunitate gaudent legati. (l.4. C. de legation.) *Tempus enim his datur biennii numerandum ex quo legati facti ſunt.* (l.5. l 8. [illegible] ff. de Jur. Immun. l.3. C. de legation.) *modo tranſmarina fuerit legatio. niſi liberè legationem ſuſceperint: hi enim non publici commodi ſed ſui cauſâ abeſſe videntur.* (l.14. ff. de Jur. Immunit.) *Alias qui Reipubl. cauſâ abſunt tempore quo abſunt, & anno poſtquam redierunt* (l. 4. ff. de Vacat. muner.) *vacationem munerum habent. His annumerandi qui Romæ appellationis gratiâ ſunt.* (l. 3. §. ult. ff. eod.)

4. Ob merita erga Rempubl. & dignitates honoresque, quoque datur immunitas. *Nam majoribus honoribus functi ad minores non debent vocari.* (l. 2. C. Quemadm. civil. munera judic.) *Quique honores ſuſtinent muneribus gravandi non ſunt.* (l.10. ff. de muner.) *Hinc maximarum culmina dignitatum (illuſtres & ſuperilluſtres) conſiſtoriani comites, notarii principis, cubicularii & excubicularii à ſordidis muneribus vacationem habent.* (l.13 l.17. C. de Excuſ.) *it. qui cum honore comitum magiſtri ſcriniorum memoriæ epiſtolarum, libellorum fuerunt.* (l.12. C. eod.) *Veterani quoque ſeu qui poſt vigeſimum annum militiæ, quàm in legione vel vexillatione militaverint honeſtam vel cauſſariam miſſionem conſecuti immunitatem habent.* (l.3. C. de his qui non implet. ſtipend. l.7. ff. de vacat. mun.) *Etiam milites ob provectæ ætatis ſenium miſſi, licet veterani non ſint.* (l.1. C. de his qui non implet.) *Senatoria præterea dignitas immu-*

immunitatem largitur, licet per hanc non tollatur municipalis dignitas (l.12. §.5. ff.ad municip.) *Defenſores quoque Reipubl. ab honoribus aliis & muneribus vacationem habent.* (l.10 §. ult. de vacat. muner.) *Athletis tanquam quoque benè meritis de Republ. Alexander dedit immunitatem* (l.un. C de athlet.) *modo per omnem ætatem certarint, & meruiſſeque ſint coronas non pauciores tribus, æmulis non corruptis. Athletæ autem intelliguntur, qui formandæ & oſtendendæ virtutis gratiâ in palæſtrâ pugnant, non qui mercedis cauſâ in arenâ certant, qui infames ſunt;* (l.1. § 5. verſ. & qui operas. ff. de poſtul.) *Benè meritis erga Rempubl. annumerantur qui dedere operam procreationi liberorum. Quinque enim liberi incolumes & ſuperſtites* (non capti ab hoſtibus l.2. C. de his qui num. liber.) *vacationem à muneribus civilibus tribuunt* (l. un. C. de ſumptuum recuperat. l.2. § 1. & ſeqq. ff. de vacat. muner.) *nec tamen ab omnibus muneribus liberorum numerus excuſat, niſi ſit admodum amplus.* (l.5. §.1. ff. de Jur. Immun.) *Hinc traditur* (l.24. C. de decur.) *numerum quinq; liberorum à muneribus perſonalibus, duodecim etiam à patrimonialibus excuſare.*

5. In ſpecie quoque à certis muneribus nonnulla immunitatem præbent. *Nam à munere legationis excuſant hæc, ſi priores ordine ſint* (l.4. §.5. ff. de Legation.) *item trium incolumium liberorum numerus* (l.1. C. eod.) *A muneribus corporalibus ſexus fœmininus* (l.3. §.3. ff. de muner) *item debilitas corporis. Ab onere Judicandi immunes ſunt, qui minus habiles ſunt ad operam Judiciis dandam* (l.13. pr. de vocat. mun.) *quales ſunt qui ſacerdotium nacti diſcedere ab eo ſine religione nequeunt.*

6. Oritur quoque immunitas inde, ne cives ſupra modum graventur oneribus, aut iniquè, aut alium in finem quàm ſalutem Reipubl. *Hinc excuſantur qui ex inimicitiâ creati ſunt; neq; enim hi in ſalutem Reipubl. ſunt creati* (l. un. C. ſi propter inimicitias creatio facta ſit) *Prohibetur etiam honor pœnæ nomine dari; quia hoc in caſu quoque ceſſat commodum Reipubl. quod principaliter attendendum eſt.* (l. 38. C de decur.) *Defenſione quoque civitatis functus non cogitur denuò extra caſum neceſſitatis eam ſuſcipere* (l.16. ff. ad municip.) *nec qui muneribus aliis functi ſunt, denuò his onerari debent, ſi ſint alii idonei* (l.3. C. Quemadm. civ. mun. indic.) *Ab honore quoque ad eundem honorem quinquennii, ad aliud triennii, à legatione biennii vacatio datur* (l 1. C. de Muner.) *Iniquum enim eſt uni continuè injungi munera, vel eadem ſepius, ſi ſint alii, qui idem gerere queant.*

7. Quæ hactenus traditæ ſunt cauſſæ immunitatis à ſuſcipiendis muneribus regulariter non à ſuſceptis excuſant. *Nam non omnia quæ excuſant à ſuſcipiendis muneribus etiam liberant à ſuſceptis.* (l.5. §.7. ff. de Jur.

de Jur. Immun.) *Quin plerumque excuſantia à ſuſceptis temporalem tantùm largiuntur vacationem.*

8. Excuſantes porrò ſeſe appellationem interponere intra præfinita tempora, duorum menſium nimirum. (*l.1.pr. junct. Gl. ff. de vacat. mun. l. unic. C. de ſumpt. recuperat. l. 2. C. de Decur.*) Si munus nondum ſuſceperunt. (*l.13. §. 3. ff. de vacat. mun.*) *Nam qui ſuſcipiunt videntur juri excuſandi renunciare.*

9. Immunitas quæ ſingulariter datur à principibus vel datur familiæ vel perſonæ, & utrique vel plenior vel minus plena. Immunitas perſonæ data perſonalis vocatur. *Nam non perpetua eſt nec ad heredes tranſit, ſed perit unà cum perſonâ; qualis eſt, quæ contemplatione dignitatis aut militiæ alicui datur.* (l. 14. & 15. C. de Excuſat. l.1. §.1. ff. de Jur. Immun. l. 4. §.3. ff. de Cenſ.) Immunitas familiæ data ad eos duntaxat pertinet, qui ejuſdem familiæ ſunt, (*l. 13. ff. de muner.*) non etiam ad eos qui ex fœminis deſcendunt (*l. 1. §. 2. ff. de Jur. immun.*) Immunitas plenior conceditur, quando & ab honoribus data eſt, minus plena & exiguior, quando nuda muneris vacatio conceſſa eſt. (*l. 13. §. 1. ff. de vacat. mun.*) *Talem habere dicuntur immunitatem comites præſulum & proconſulum procuratorumve Cæſaris.* [l.12. §.1. ff. eod.]

ARTIC. VIII.

DE MUNERIBUS PUBLICIS AD UTILITATEM PRIVATORUM PRIMARIO TENDENTIBUS ET IN SPECIE DE TUTELA ET CURA.

1. Munerum quæ auctoritate publica ſunt, utilitate privata præcipuum eſt tutela. (*l. 6. §. 15. ff. de excuſat.*) de quâ latè tractare ſuadet uſus, quem hæc materia præbet in Jure privato. *Nam nullus pupillus admittitur negotium ſubire quod in incommodum ejus vergere poſſit ſine tutoris auctoritate & conſenſu. Qui namq. hujus ætatis ſunt, ſeipſos ob defectum prudentiæ regere nequeunt; ſed ductore indigent:* (§. penult. I. de Atiliano tut.) *Propterea enim Natura implantando caritatem parentibus hos liberis jungere voluit ut imbecillitati ſubvenirent. Quorum loco tutores ſunt.*

2. Eſt verò tutela munus perſonale, *Nam qui hoc gerunt animi corporisque labores ſine remuneratione impendunt.* (l.1. § 3. ff. de Muner. & Honor.) conſiſtitque in hoc, ut non modò impuberum bona ſalva ſint; ſed etiam, ut ritè pupillus educetur. *Hæc enim cauſſa eſt, quare tutor dicatur perſonæ dari.* [l.14. de teſtam. tut.]

3. Eſt & tutela virile munus. [l. 16. & l. ult. ff. de tut.] *Nam*

cum in fœminis deprehendatur naturalis quidam defectus prudentiæ & ineptitudo quædam ad prodeundum in publicum; muneribus publicis perſonalibus minus commode præficiuntur.

4. Præficiuntur autem tutores pupillis ſeu impuberibus patre, in cujus poteſtate ſunt, orbatis: *i. e. maſculis qui nondum 14: fœminis, quæ nondum 12. annos compleverunt. Romani namque in curâ educationis committendâ ulterius progredi noluerunt; quia maſculis annorum 14; fœminis annorum 12. dederunt poteſtatem ineundi matrimonium & liberos educandi. Ridiculum autem foret hac poteſtate præditos ſubjici alterius tutelæ educandos: Obq; cauſſam hanc puberibus curatores dare maluerunt rebus potius, quàm perſonæ præfectos.*

5. *Tutorum autem & curatorum conſiderabimus 1. Electionem, 2. officium. 3. poteſtatem. 4. excuſationes ab officio injuncto. 5 officii depoſitionem.* Ab Electione initium facientes dicimus, ratione hujus tutelam diſpeſci in teſtamentariam, legitimam & dativam. *Eligit namque aut pater aut lex aut magiſtratus. Pater eligit, quando teſtamento tutorem conſtituit; unde & teſtamentaria tutela nomen habet; lex, quando, nullo à patre conſtituto tutore, generaliter deſignat, quisnam hoc munere fungi debeat; magiſtratus, quando nec ex teſtamento nec lege eſt qui hoc munere fungatur, dare tutorem Jure Romano ſolet; unde dativa tutela ortum trahit.* Patri jura Romana poteſtatem eligendi tutorem ſuis liberis, quos in poteſtate habet, præ cæteris dederunt. *Nam præſumitur hic maximè idoneum electurus, utpote maximâ benevolentiâ eos, quibus præficiendus eſt, proſequens, horumque ingenia & mores, bonaque cognita habens, ut ita de perſonâ, qualis eſſe debeat, cui munus injungendum eſt, optimè judicare queat. Matri autem jus eligendi non datur; utpote quæ ob judicii imbecillitatem de idoneo tutore deliberare nequit, neç etiam poteſtatem in liberos habet: ſi tamen ex liberis quem inſtituerit heredem, eique tutorem dederit, confirmari hic à magiſtratu ex inquiſitione ſolet: quia fides judicio matris tribui nequit.* (l.4. ff. & C. de teſtam.tut.) Eſt autem patris in eligendis tutoribus arbitrium valde liberum. *Nam vel purè vel ſub conditione & ex die vel ad conditionem & diem tutores conſtituere ipſi conceſſum eſt, quod magiſtratibus tutorem dantibus non permittitur.* (l.8. §.2. l.13. ff. de teſtam. tut. l.14. §.5. ff. de teſtamentis. l.14. §.3. ff. de tutel.) *Ex quorumlibet etiam numero, cum quibus teſtamenti factio eſt, ſive liberi ſint homines ſive ſervi eligendi facultas patri competit: proprium enim ſervum, quando tutorem dat, conſequitur hic plenam libertatem fitque tutor* (§.1. & 2. I. de teſtam. tut.) *alienus a. ſervus à patre datus cenſetur ſub conditione conſtitutus, ſcil. ſi liber extiturus ſit* (l.10. §. ult. ff. de teſtam. tut.) *aut ſi redimi poteſt à domino redimendus eſt,* (l. 5. C. eod.) *Pariter ſi dederit*

tutorem

tutorem furioſum, toleratur hoc ipſum, ut ſcil. furioſus cenſeatur ſub conditione conſtitutus, ſcil. ſi ad ſaniorem mentem reverſus fuerit. (l.10. § 3. ff. eod. l.11. ff. de tutel.) *Interea verò magiſtratus dabit tutorem* (l.17. ff. de tutel.) Nec tamen arbitrium hoc patris eò extendi debet, ut quicquam contra leges introducat. *Hinc ſi velit eligere mulierem, ejus electio eſt nulla, etiamſi matrem liberorum denominet* (l. 26. pr. ff. de teſtam. tut.) *Eſt namque tutela munus virile. Nec etiam admittitur qui non eſt civis Romanus; eſt enim tutela Juris civilis & munus civile: Licet non impediat, ex alio municipio eum petere,* (l.32. pr. ff. eod.) *Omnes namq; qui ſub orbe Romano ſunt cives ſunt.* (l.17. ff. de ſtat. hom.) *Fruſtrà quoque eſt patris electio, ſi is incertam perſonam elegerit* (l.20. pr. ff. de teſtam. tut.) *Nam quem pater incognitum habet imprudenter eligit.* Conceſſum quoque patri eſt, electis tutoribus diſtribuere in teſtamento officia, & cui velit adminiſtrationem deferre. *Nam alii tutores honoris causâ dari poſſunt* (l.26. §.1. ff. eod.) *it. notitiæ.* (l.31. §.1. ff. eod.) *Adminiſtratio autem penes quem eſſe debeat, ex patris Judicio primùm petitur.* (§ 1. J. de ſatisdat. tut.) Iis autem liberis, quos in poteſtate habet, regulariter pater tutores dare poteſt. *Id enim ita LL. XII. tabb. conſtitutum eſt; modò liberi in eâ causâ ſint, ut moriente teſtatore ſui Juris futuri ſint. Nam ſi avus nepotibus tutorem dederit recaſuris in poteſtatem patris poſt mortem ſuam, nihil agit; quia tutores dantur pupillis non impuberibus patrem habentibus. It.* poſthumis caſuris in poteſtatem ſi teſtator viveret (*l. 1. & ſeqq. ff. eod*) *Qui tamen non niſi nato poſthumo pro tutoribus habentur* (*l.19. §.2. ff. eod.*) Ne etiam facilè inanis fieri poſſit voluntas patris circa tutorem conſtituendum, magiſtratûs confirmatione ſuccurritur eidem. *Nam ſi aut invalidum ſit teſtamentum* (l. 31. ff. de teſtam. tut. l. 3. l. 2. C. de confirm. tut.) *aut pater iis liberis dederit, quos in poteſtate non habet* (l. ult. C. de confirm. tut.) *aut aliâ ratione minus legitimè facta ſit electio* (l. 1. §. 1. ff. eod.) *magiſtratus confirmationem addit.* Confirmatur quidem & tutor à matre vel ab extraneo qui pupillum heredem inſtituit conſtitutus, ſed aliter ac is qui à patre minus legitimè datus eſt. *Nam hic ſine inquiſitione confirmatur; quia præſumitur pater idoneum elegiſſe ille non item.* (l.2. & 4. l. 1. C. eod. l. un. C Si contra matr. volutat.) *niſi quid accedat, quod inquiſitionem ſuadeat, ut ſi pater malitiam tutoris prævidere non potuit, quæ poſtea ſeſe exerit* (l. 8. 9. 10. ff. eod.)

6. Si pater nullum teſtamento nominaverit tutorem, leges XII. tabb. deferunt tutelam proximo agnato, qui propterea legitimus tutor vocatur. (*l. 5. pr. l. 6.* ff. de legit. tut.) *Nam cum proximus agnatus mortuis ab inteſtato impuberibus commodum hereditatis conſequatur; Juſtitia*

autem diſtributiva (ut part. 1 docuimus) *ſuadeat, ſecundum proportionem commodorum imponi onera: meritò tutelæ onus proximo agnato pupillorum i.e. ei qui per maſculinum ſexum & ex eâdem familiâ pupillis conjunctus eſt, defertur.* Tunc autem proximus agnatus fit tutor, ſi is ſit idoneus. *Nam ſi mulier fuerit, cum tutela munus virile exiſtat, in remotiorem agnatum transfertur.* (l.1. §.1. l.10. pr. ff. de Legit. tut.) *it. ſi minorennis fuerit, aut ſurdus vel mutus, non exiſtet tutor.* (l.5. C. l.10. §. 1. l.11. ff. eod.) Eandem ob cauſſam & patronus fit legitimus tutor impuberum libertorum. (*t.t. J. de Legit. patron. tut.*) & pater liberorum emancipatorum (*t.t. J. de Legit. parent. tut.*) Poſtquam etiam Juſtinianus æquè ad cognatos ac ad agnatos hereditatem transferri voluit, non immeritò & proximis cognatis etiam legitima tutela imponitur; (*l.1. C. de Legit. tut. Auth. Sicut hereditas. eod.*)

7. Si nec exiſteret tutor legitimus, olim à toto populo datus eſt tutor, donec ex lege Atiliâ à prætore urbano & majore parte tribunorum pl. repræſentantibus plebem daretur. (pr. I. de Atil. tut.) *Hæc eſt cauſſa, quare, licet magiſtratus cœperint dare tutores, non tamen pro ſuâ ſibi propriâ Juriſdictione darent. Unde dicit Ulpianus* (l.6. §.2. ff. de tutel.) *tutoris dationem nec Imperii eſſe nec Jdictionis; ſed ei ſoli competere, cui nominatim hoc dedit vel lex vel SCtum, vel princeps.* Poſtea & aliis magiſtratibus data eſt hæc poteſtas. (*l.1. ff. de tutor. & curat. dat. t.t. J. de Atil. tut.*) donec tandem & magiſtratus municipales in ſuis municipiis cœperunt dare. (l.3. ff. eod.) *Licet enim nullus magiſtratus vi ſuæ Jdictionis daret tutores, ſed ex ſingulari conceſſione; nemo tamen ulterius, quàm Juriſdictio pateret, poteſtatem conceſſam extendere poterat.* (§.4. J. d.t.) *Quâ ratione, ſi diverſis in regionibus pupillus bona habeat, ſinguli magiſtratus ratione bonorum ſeorſim tutores dare poſſunt.* (*l.27. pr. ff. eod.*) Poteſtas autem magiſtratuum in dandis tutoribus paulò reſtrictior quàm patrum eſt. *Nam magiſtratus ſervum pupilli eligere nequit: afficeretur enim damno pupillus, ſi ſervus eſſet manumittendus; pater autem poteſt, qui aliàs manumittendi poteſtatem habet.* (l.7. C. Qui dat. tut. vel curat.) *multò minus conceſſum eſt magiſtratibus privilegiatos aut invalidos muneri gerendo eligere,* (l.4. l. ult. C. eod. l.21. §.3. & 4. ff. de tutor. & curat.) *vel ſeipſos* (l.4. l.21. §.6. ff. eod.) (*ſuſpectus enim eſt qui muneri ſeſe ingerit.*) *vel eos qui patre pupillorum prohibiti ſunt eſſe tutores* (l.21. §. 2. ff. eod.) *it. creditores & debitores pupillorum* (l.8. junct. Auth. ſeq. C. Qui dat. tut.) *it. mulieres* (l.1. C. Quando mulier.) *it. quos ſub Jdictione ſuâ non habent* (l.1. C. Qui dat. tut.) (*neque enim cogere ad munus ſubeundum poſſunt quos ſubjectos Jdictioni non habent.*) *quemadmodum nec iis dare poſſunt pupillis, quos ſub Jdictione non habent,* (l.1. §. 2. ff. de tutor. & cur.)

cur.) *Magiſtratibus tamen municipalibus ex alio municipio dare tutores conceſſum eſt, ſi in ipſorum municipio nullus idoneus ſit* (l.24 ff. eod.) *Implorare enim auxilium rectoris provinciæ poſſunt ad eum cogendum.* Et quia magiſtratus ſuperiores ex inquiſitione in mores & facultates dant tutores; municipales ſine inquiſitione: ſuperiorum officium eſt, quando eligunt, non habito reſpectu dignitatis inquirere (*l 18. ff eod.*) *Id enim ſuadet favor pupillorum.* Inquiſitio autem magis in mores quàm in facultates & dignitatem facienda eſt: *hæ enim non æquè ſunt ſufficientes ad fidem quàm boni mores.* (*l. 21. §. 5. ff. eod.*) Magiſtratus autem municipales, quia ex inquiſitione dare non poſſunt, curam habere debent, ut tutores ab his dati ſatisdent, rem pupilli ſalvam fore: *quò ex fidejuſſoribus ſecuriores fiant.* (pr. J. de ſatisdat.) Quia verò magiſtratus implorandi ſunt, quò dent tutores: committitur hoc officium matribus & libertis pupillorum. *In utriſque enim, ut id faciant & curent, ſuadet caritas* (l.1. l.2. §.1. ff. Qui pat. tut. l.3. C. eod.) *Quin & matri injungitur obſervare, ne quid ſecus à tutoribus in bonis pupilli fiat.* (l.6. C. eod.) *Si officium ſuum mater neglexerit ſucceſſione privatur.* (l. 2. §.1. verb. mater enim. §.2. l 4. §.3. & 4. ff. eod.) *niſi neceſſitate fuerit impedita* (l.8. C. eod.) *Et quia caritas quoque naturaliter matribus erga naturales liberos implantata eſt, etiam his jubentur tutores petere.* (l.11. C. eod.) *Libertorum ſuum officium non facientium eadem eſt pœna quæ deſerti obſequii* (l.2. C. eod.) Quòd ſi hi, quibus neceſſitas petendi imponitur, id non faciant aut non exiſtant, cæteri cognati & affines, vel etiam impuberum educatores id facere poſſunt. (*l. 2. pr. §. 1. l.2. ff. l.5. l.10. C. eod.*) In petendo autem tutore à magiſtratu, ne ab alio quàm à quo debebat petatur, inſpiciendus eſt locus originis vel domicilii impuberum (*l. un. C. ubi tutor.*)

8. Curatores differunt à tutoribus, eſtque aliud tutela aliud cura. *Nam tutores dantur perſonæ Impuberum* (l. 14 ff. de teſtam. tut.) *ut ſcil. curam habeant educationis: at curatores magis rei. Videtur Curatoria definiri poſſe* Officium tribuens poteſtatem & imponens neceſſitatem adminiſtrandi & regendi negotia eorum, qui ipſi ſuis rebus præeſſe non poſſunt. Poteſtatem eligendi curatores regulariter patres non habent. *Nam tutores dantur in locum patris, ut curam habeant educationis, & quidem invitis pupillis: at curatores ſuccurrunt tantum ſuâ prudentiâ iis qui ipſi negotiis ſuis commodè præeſſe nequeunt, educatione autem non indigent; quales Jure Romano cenſentur eſſe puberes minores viginti quinque annis.* Sed magiſtratus eligere ſolent, aut electos à patribus confirmare. (*pr. & §. 1. J. de Curat. l. 7. §. 1. & 6. C. de curat. furioſ. l. 13. l. 16. ff. eod.*) Præficiuntur autem curatores iis qui ſuis rebus

præeſſe nequeunt vel ratione ætatis vel ratione vitii ſeu animi ſeu corporis, item bonis. (*l. 11. C. qui dare tut. l. 3. §. 2. ff de tut. l. 2. C. In quib. cauſſ. tut. vel cur. hab. l. 15. ff. tutor. & curat. dat. ab his. l. 1. pr. l. 6. ff. de curat. l. 1. C. eod. l. 2. l. 3. l. 5. l. 9. ff. eod.*) Eos autem curatores poſſunt magiſtratus eligere quos & tutores: *par enim eſt ratio.* (l. 21. pr. de tutor. & cur. l. 4. C. de curat. fur. l. 3. C. qui dare tut. poſſ.) *Quâ de cauſſâ quæ de tutelâ dicta ſunt huc referri debent. Singulare eſt, quod maritus uxori curator eſſe nequeat.* (l. 14. ff. l. 2. C. de curat. fur.) Aliter autem curatores aliter tutores præficiuntur. *Nam cum curatores rei dentur, contingit eos vel ad omnem cauſſam vel ad certam rem dari, v. g. ad litem:* (l. 4. ff. de tut. l. 9. ff. de tutor. & cur. l. 15. eod. l. 3. & l. ult. C. In quib. cauſſ.)

9. Circa tutorum & curatorum officium ita commodè progredi poſſumus, ſi perpendamus, quæ his veniant obſervanda. 1. initiô adminiſtrationis. 2. in ipsâ adminiſtratione. 3. in fine, quando adminiſtrationem deponunt. Quod initium adminiſtrationis concernit, notandum, alios tutores eſſe honorarios, alios adminiſtrantes. *Nam aut ſolo conſilio præſunt aut ipſo facto adminiſtrant; illi honorarii vocantur* (l. 3. §. 2. de adminiſtr.) *& quaſi obſervatores adminiſtrantium exiſtunt.* Ii quibus adminiſtratio commiſſa eſt, aut maturè ſe excuſare aut adminiſtrationem ſuſcipere coguntur. (l. 19. C. eod.) *Eſt enim hoc officium perſonale quod cives certis privilegiis non gaudentes coguntur ſubire.* Par eſt ratio in curatoribus ac in tutoribus quibus adminiſtratio commiſſa eſt. *Nam & curatela munus perſonale eſt.* Nonnulli etiam antequam adminiſtrationem aggrediantur ſatisdare tenentur. *Nam leges ſtudent ſecuritati eorum qui ſub tutelâ & curâ ſunt. Hinc tutorum curatorumque bona tacitè pignori ſunt obligata, ut qui ſub tutelâ vel curâ ſunt legalem in his habeant hypothecam.* (l. 20. C eod.) *Quia verò contingit quandoque & facultatibus minus idoneos eſſe nonnullos tutores; velut legitimos & eos qui à magiſtratu municipali dantur. (Leges enim univerſaliter dant & de ſingulis judicium non ferunt; magiſtratus autem municipales non dant ex inquiſitione) quò ſecuritati eorum, qui ſub tutelâ & curâ ſunt, eò melius conſulatur, jubentur hi ſatisdare* (pr. J. de ſatisdat.) *Quæ ſatisdandi neceſſitas & in curatoribus non modò furioſorum, ſed & ventris & bonorum ſi ex inquiſitione dati non fuerint locum habet* (l. 8. ff. eod.) *Qui autem curatores teſtamento dati ſunt aut ex inquiſitione, juratoriam, antequam adminiſtrent, cautionem præſtare jubentur* (l. 7. §. 4 & 5.) *Authentica autem* (Quod nunc. eod.) *omnes jurare jubet; quemadmodum & hodiè in tutoribus id obſervari ſolet.* Adminiſtratur porrò tutela vel ab uno vel à pluribus. *Nam pluribus tutoribus conſtitutis, id agit prætor, ut*

tutela

tutela per multos adminiſtretur; quia facilius unus tutor & actiones exercet & excipit. (l.3. §.6. ff. eod.) *Et quomodo id perficere ſoleat oſtenditur* (§.2. J. de ſatisdat.) Quando plures adminiſtrant, quod tunc contingit, quando in unum conſentire tutores nolunt, (*l.3. §.7. & 8. C. eod.*) vel ſinguli in ſolidum vel pro partibus diviſione factâ adminiſtrationem ſuſcipiunt. Diviſio fit vel ratione bonorum vel ratione regionum (*l. 3. §. ult. ff. eod.*) tribuitque modum adminiſtrandi (*l.4. l.36. ff. eod.*) & injungit cuilibet, ut ſecundum ſuam regionem agenda agant. (*l.39. §.3. & 8.*) Omnibus in ſolidum adminiſtrantibus, id ratum eſt, & quidem ex æquitate, quod unus eorum geſſit. *Licet enim ſtrictum jus exigat, omnes aut maximam partem eorum conſentire in id, quod geritur; ne tamen negotia pupillaria detrimentum capiant, id benignè receptum eſt, ut & unius acta rata habeantur.* (l.24. §.1. l.3 pr. ff. eod.) Principium adminiſtrationis omnes ſeu tutores ſeu curatores à conficiendo inventario meritò faciunt: nec quicquam prius agere debent, antequam hoc confectum ſit: niſi negotium dilationem nullam patiatur. (*l.7. pr. ff. l.2. & 4. C. eod.*) *Nam inventarium fundamentum eſt rationum reddendarum.* Hæc circa ingreſſum adminiſtrationis notanda ſunt: Ipſa adminiſtratio in duobus conſiſtit: vel enim tutores & curatores nomine eorum, quorum tutelam aut curam gerunt quid agunt, vel negotia ſua gerentibus aſſiſtunt auctoritatem accommodando. Circa ipſam adminiſtrationem notari poſſunt generalia & ſpecialia. Generalia ſunt 1. quòd nec tutor nec curator ulterius poſſit aut debeat progredi, quàm ad quod datus eſt. *Nam interdum contingit tutorem & ad certum quid dari, velut ad augmentum.* (l.9. §.8. ff. d. t.) *De curatoribus id præcipitur.* (l.1. C. eod.) 2. quod nomine pupilli vel minorennis debeant facere quod quivis diligens paterfam. faceret. (*l.33. l.10. ff. eod.*) 3. quòd debeant leges eorum, à quibus electi ſunt, ſervare in adminiſtratione; quæ tamen limitantur aliquâ ſupremâ lege jubente in omnibus pro fine habere ſalutem pupillorum & minorennium. (*l.27. pr. & §.1. l.5. §. 8. & 9. ff. eod.*) 4. quòd debeant collegas obſervare & malè gerentes ſuſpectos poſtulare. (*l.14. l.7. §.14. ff. eod.*) *Pupilli enim ſalutem non modò tutores quærere pro viribus debent, verùm & mala, quæ alii ſtruunt avertere.* In ſpecie verò quæ geruntur alia ſunt Judicialia, alia extrajudicialia; & hæc in tutoribus vel concernunt perſonam vel res; in curatoribus non niſi res. *Nam curatores rebus, tutores perſonæ magis dantur, ut ſæpius dictum.* Perſonam concernit cura educationis, ut ſcil. tutor morum & alimentorum rationem habeat. (l.7. §. 8. l. 12 §. 3. ff. eod.) *Nam educatio ad corpus & animum ſpectat.* (add. tt. ubi pupill. educ. vel mor.) Rerum extrajudicialium adminiſtratio ex ipſis rerum

rum ſpeciebus, qualis eſſe debeat, addiſci poteſt. *Nam aliæ res ſunt corporales, aliæ incorporales; corporalium aliæ mobiles aliæ immobiles, aliæ in genere aliæ in ſpecie functionem recipientes. Circa quas ſingulas obſervanda præcipiunt ll.* (l. 13. pr. §. 2. l. 15. l. 7. § 2. & 7. l. 5 pr l. 12. §. 2. l. 46. §. ult. ff. l. 18. l. 22. l. 24. l. 16. C. eod.) *quæ pervolvi poſſunt. Hic iſta leviter attingimus; quia in Elementis Juris privati de his latius agatur.* De Judicibus, & quodnam in his ſit officium tutorum & curatorum tractatur ſeqq. LL. (*l. 23. l 39. § 12 ff. l. 13. l. 28. §. 3. l. 6. l. 28 pr. l. 11. l. 5. C. eod.*) Quæ ſpecialiter injuncta ſunt curatoribus addiſci poſſunt ex LL. ſeqq. (*l. 52. ff. l. 9. C. de curat. fur.*) In furioſis quandoque interrumpitur curatela, quando ſcil. habent luculenta intervalla (*l. 48 ff. de adminiſtr.*) Circa finem adminiſtrationis notandum, quòd quandoque neceſſitas gerendi negotia pupillaria extendatur ad tempus, quo jam finita eſt tutela. *Nam litem, durante officio captam tutores eo finito perducere ad finem coguntur, ſi nondum rationes redditæ nec inſtrumenta reſtituta ſint pro informandâ actione.* (l. 5. § 6. ff. eod.) *Item & hoc annexum tutelæ eſt, ut finitâ eâ tutores moveant ſuos pupillos jam puberes factos, quo ſibi curatores petant* (d. l. 5. §. 5.) *Hinc dicitur* (l. 33. §. 1. ff. eod.) *tutelæ officium finiri curatoribus conſtitutis.* Ita patet, quomodo tutores & curatores teneantur facere ſuum officium pupillorum minorenniumque bona adminiſtrando: conſequens eſt, ut de auctoritate accommodandâ dicamus. Auctor fieri dicitur tutor, quando dicit, ſe probare quod geritur. (*l. 3. ff. de auct. tut.*) Nihil verò tutor vel curator probare debet, quod non videt ad utilitatem tuendi vel curandi pertingere (*l. 11. ff. eod.*) *Salus enim pupillorum & minorennium ſuprema quaſi lex eſt, quam tutores & curatores in ſuis negotiis obſervare debent.* Debet etiam tutor negotio præſens intereſſe ſingulasque facti circumſtantias perpendere & liberè vel approbare vel reprobare. (l. 14. l. 9. §. 5. & 6. l. 1. §. ult. ff. eod.) *Nam tutorum & curatorum eſt ſuâ prudentiâ ſupplere quod prudentiâ deſtitutis deeſt: eſt autem prudenter rem gerere minutiſſimas quasque negotii circumſtantias perpendere & ex his perpenſis conſilium ſuſcipere.* Iis tamen in negotiis tutorum auctoritas eſt neceſſaria, quæ damnum aliquod afferre poſſunt. *Nam in cæteris fruſtrà requiritur.* (l. 11. ff. eod.) Nullus porrò tutor in re ſuâ auctor fieri debet. (l. ult. l. 12. l. 11 ff eod.) *Nam amore ſui occæcatus ſuam potius quàm pupilli quærit ſalutem qui in propriâ re auctoritatem accommodat.* Requirunt quoque Jura Romana, ut auctoritas purè & non conditionaliter interponatur. (*l 8. ff. eod.*) Si plures ſint tutores, unius auctoritas ſufficit. *Nam non debet pupilli negotiis mora injici convocando ſemper omnes tutores: niſi actus talis ſit, qui finit tutelam* [l. 4. ff. & l. 5. C. eod.] *Nam ejusmodi actus approbandus*

vel

vel reprobandus unius arbitrio committi non debet. Non eſt autem in arbitrio tutoris auctoritatē accommodare vel non. *Nam nî fecerit, quando in ſalutem pupilli faciendum eſt, periculum in ſeſe derivat.* (l. 10. & l. 17. ff. eod.) *quia nihil omitti debet eorum, quæ ad ſalutem pupilli faciunt.*

10. Poteſtatem adminiſtrandi bona pupillaria abſolutam quandam tutores habent. *Nam tutores qui tutelam gerunt, quantum ad providentiam pupillarem, domini loco habentur.* (l. 27. ff. de adminiſtr.) *patris namque loco ſunt. Hinc & tutor negotia alii mandare poteſt, qui actor vocatur.* (l. 24. pr. ff. eod.) *& alia facere quæ domino in bonis ſuis competunt.* (l. 1. §. 4.) *Hæc tamen poteſtas non eò eſt extendenda, ut & donare temerè & profundere bona pupillaria iis liceat.* (l. 16. C. eod.) *Hinc multa quæ gerunt tutores deſiderant decretum magiſtratus* (l. 25. C. eod. t. t. ubi pupill. educ. t. t. de rebus eor. qui ſub tut. vel curâ ſunt. ff. & C.)

11. Cauſſæ juſtæ excuſationum in tutoribus & Curatoribus fermè eædem ſunt cum his, quas (*præc. artic.*) tradidimus. *Nam tutela perſonale munus eſt: & proinde tutoribus quoque conducent quæ ad vacationem perſonalium munerum prodeſſe diximus. Hinc cauſſas excuſationum æquè in duas claſſes diſpeſcere poſſumus, vel quia tutores gaudent privilegiis ob benè merita erga Rempubl. aut quia de eâdem nunc benè merentur & alia magis neceſſaria tractant; vel quia deſtituuntur neceſſariis requiſitis. Ob privilegia ergò excuſantur* 1. excolentes liberales artes & philoſophiam. (*l. 6. §. 1. & ſeqq. ff. de excuſat.*) Juriſprudentiam, Medicinam (*l. 30. pr. l. 6. §. 1. & ſeqq. ff. l. ult. C. eod.*) 2. habitus corporis tractantes, velut athletæ ex certaminibus coronati. (*d. l. 6. §. 13*) 3. milites, partim qui actu militant, partim emeriti. (*l. 8. ff. eod.*) *niſi pupilli ſint nati ex parentibus ejuſdem ordinis.* (*d. l. 8. pr.*) 4. Magiſtratus, qui à ſuſcipiendâ non à ſuſceptâ tutelâ excuſantur. (*d. l. 6. §. 14. & ſeqq. l. 17. §. 5. l. 23. l. 41. §. 1.*) 5. Legati itidem à ſuſcipiendis tutelis non à ſuſceptis. [*l. 10. pr. ff. eod. t. t. C. Si tut. vel cur. Reip. cauſâ abſ.*) horumq; comites (*l. 41. §. 2. ff. eod.*) 6. Qui in certis corporibus & collegiis ſunt. (*l. ult. pr. & §. 1. l. 26. ff. eod.*) Deſtituti requiſitis & ob id excuſati ſunt 1 Imperiti literarum. (*l. 6. §. 19. ff. eod.*) 2. furioſi (*l. 10. §. 7. l. 12. pr. ff. eod. l. un. C. qui morbo*) 3. pauperes (*l. 7. l. 11. §. 2.*) 4. Adverſæ valetudinis qui ſunt. (*l. 10. §. 8. l. 11. l. 12. ff. eod.*) 5. Ratione ætatis minorennes. (*§. 14. J. de Excuſ.*) & ſenes (*l. 2. pr. & § 1 ff. eod. l. un. C. qui ætate.*) 6. Abſentes ex neceſſitate. (*l. 28. §. 2. & l. 29. pr. l. 8. §. 9. l. 19. l. 20. §. 4. l. 21. §. 3. ff. l. 2. & 11. C. eod.*) 7. Tria onera tutelæ gerentes. (*l. 2. §. ult. l. 3. ff. eod. l. un. C. Qui numer. tutel.*) niſi affectata ſint. [*l. 15. §. 15.*

ff. eod.) 4. Remittit quoque à tutelâ & Curatoriâ liberorum multitudo: *(l.2.§.2. & ſeqq.ff. eod. l.1. C. qui num. liberor.)* modò ſint ſuperſtites aut bello amiſſi. *(l.18. ff. eod.)* 5. Excuſantur & Muti *(l. un. C. Qui morbo)* 6. Tutores à patribus ex inimicitiâ & odio electi. *(l.6.§ 12. ff. eod.)* aut ſi aliàs inimicitiæ capitales intervenerint. [*l.6.§.18.*] *Tales enim tutores pupillis debitam diligentiam exhibere nequeunt.* Contrà juſtæ excuſationum cauſſæ non eſſe reputantur 1. diverſitas religionum *(l.15.§.6.)* 2. diverſitas dignitatum [*l.15.§.2.& 3*] niſi ingenuus libertino datus ſit. *(l.44. ff. eod.)* 3. Conductio vectigalium. *(l.15.§.10. ff. eod.)* &c. Excuſatione autem opus habent qui eligi poſſunt. *Nam qui eligi legibus prohibentur nec indigent excuſatione. Licet interdum magiſtratibus honor ſit habendus & proponenda excuſatio, ubi non opus videtur.* (l.1.§.3. ff. l.3. C. eod.) Nonnulli cauſſis excuſationum uti prohibentur. *Caſus eſt (l.5. C. eod. l.15. §.1. l.16 l.41. §.3. ff. eod.)* Porrò quale tempus obſervari debeat, intra quod veniat proponenda excuſatio, latè tractatur *(l.13.§.1.& ſeqq. ff. eod.)* Id etiam in tutoribus peculiare eſt, quòd non teneantur appellare, quod tamen aliàs à munere perſonali ſe excuſare volentes facere debent, ut patet ex artic. præced. (§.17. J. *de Excuſ.)*

12. Finitur tutela regulariter cum pupilli pupillæque puberes eſſe cœperint, maſculi 14; fœminæ 12. annorum; *(pr. J. Quib. mod. tut. finitur.)* Cura, minorennibus 25. annos adeptis, vel furioſis prodigisque illis ad ſaniorem mentem, his ad ſaniores mores reverſis. *(l.1. pr. ff. eod.)* Nonnunquam contingit citius tutelam vel curatoriam finiri, ut ſi pupilli aut minorennes patiantur aliquam capitis deminutionem etiam minimam. *Nam quando patiuntur ſe arrogari fiunt filiifam. quibus nullus datur tutor.* (*§.1. J. Quib. mod. finitur*) Tutoris quoque capitis deminutione maximâ mediâque finitur tutela. (*§ 4. J. eod.*) *Eſt enim munus civile, & per conſequens nemini competens niſi civi.* Minima autem capitis deminutio in tutore legitimo olim quoque finiebat tutelam. (*§.4. l. eod.*) *Nam legitima tutela nemini niſi agnato competebat. Jus autem agnationis minimâ capitis deminutione tollitur.* Teſtamentaria etiam tutela certis quibusdam modis finitur. *Nam cum poſſit ad tempus & ad conditionem dari, finitur etiam ea tempore vel conditione exiſtente.* (*§.2. J. eod.*) Omnis autem tutela morte pupillorum vel tutorum finitur. *Nam defertur hoc munus ex electione certæ perſonæ & propterea ad heredes non transfertur.* (*§ 3. J. eod.*) Curatoria ſingulariter finitur, quando curatore ad certam rem dato, res & negotium ad finem perductum eſt. *Nam cum curator rei datur, etiam certo alicui negotio præfici poteſt, quo finito & officium ejus finiri neceſſe eſt. It.*

quando

quando minores veniam ætatis impetrarunt. (l.12. C. de admin. tut.) *Ex his conſtat, quatenus tutela juris publici ſit, & quatenus hujus contemplatio ad Jus publicum ſpectet. Quæ reliqua ad Jus privatum pertinent, quatenus pupillus & tutor ex quaſi contractu in hoc Jure publico fundato invicem obligentur, dicentur, quando de Jure privato acturi ſumus.*

CAP. XI.
DE
VARIIS COLLEGIIS ET CORPORIBUS HOMINUM DIVERSI vitæ generis exiſtentium iisque qui miniſteria ſua Reipubl. præbent, horum item Privilegiis & Oneribus.

1. Vitæ genera varia ſunt: *Alii enim homines liberalia tractant ſtudia & ſapientiam; alii militiam; alii artes vel liberaliores vel magis ſordidas; alii ſolis laboribus corporis vitam ſuſtentant; alii agris colendis, alii paſturæ pecorum, alii venationibus dant operam.*

MEMBR. I.
DE
CULTORIBUS STUDIORUM LIBERALIUM.

1. Cultores ſtudiorum liberalium vel in theoriâ vel in praxi verſantur. Theoretici docendis diſciplinis operam dare ſolent. In praxi verſantur, qui præcepta prudentiæ civilis variis caſibus in foro applicant, quales ſunt advocati, aut Judiciis ſuâ prudentiâ aſſiſtunt, quales ſunt Aſſeſſores.

ARTIC. I.
DE
STUDIIS LIBERALIBUS URBIS ROMÆ ET CONSTANTINOPOLITANÆ.

1. Imperatores tribus in Urbibus Romæ, Conſtantinopoli & Beryto certum numerum profeſſorum conſtituerunt. Extra quos qui nomina profeſſorum ſibi uſurpabant infamiæ notam ſubibant & urbe pellebantur. (*l.un. C. de ſtud. liberal. urb. Rom.*) *Intereſſe enim Reipubl. putabant, non quemlibet temerè ſibi uſurpare facultatem docendi: ne varietate doctrinæ turbentur adoleſcentum ingenia, & quid doceatur quod perniciosum Reipubl. exiſtat.*

2. Non autem omnibus ſalarium publicè conſtitutum fuiſſe videtur ſed rhetoribus, grammaticis, geometris, medicis. *Nam philoſophi (qui ſectantur ſtoicam philoſophiam) primum hoc profiteri debent,*

mercenariam operam ſpernere. Et Jurisprudentia, quamvis res ſanctiſſima ſit, precio tamen numario non æſtimanda & dehoneſtanda eſt. (l. 1. pr. §. 1. & ſeqq. ff. de Extraord. cognit.) *unde nec de horum promiſſo ſalario prætor cognoſcebat.*

ARTIC. II.
DE
ADVOCATIS.

1. Advocati clariſſimis annumerantur ab Imperatoribus, multumque privilegiis gaudent. (*l. 1. C. de advoc. div. Judic.*) *Ita namque de his loquuntur Leo & Anthem. Impp.* (l. 14. C. de advoc. diverſ. Judicior.) *Advocati, qui dirimunt ambigua facta cauſſarum, ſuæque defenſionis viribus ſæpè publicis in rebus ac privatis lapſa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi, quàm ſi prœliis atque vulneribus patriam parentesque ſalvarent. Nec enim ſolos noſtro imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis & thoracibus nituntur; ſed etiam advocatos. Militant namque cauſſarum patroni, qui glorioſa vocis munimine confiſi laborantium ſpem, vitam & poſteros defendunt. Circa advocatos autem conſiderabimus Electionem, horum collegium ſeu corpus, ſalarium, officia & onera & tandem privilegia.*

2. Non temerè quoslibet ad advocaturam admittendos: & recta ratio ſuadet, & Jus Romanum præcipit. *Nam ſi imperiti quivis admittuntur, lites protrahuntur tempusque teritur in diſceptatione frivolorum & ad merita cauſſæ non ſpectantium. Hinc Anaſtaſius* (l. 3. C. de advoc. diverſ. Judic.) *prohibet de cætero quenquam ad juramentum & togatorum numerum admitti antè quàm per ſtatuta tèmpora legum eruditioni noſcatur inhæſiſſe: hæc autem præfixit Juſtinianus* (procem. ff.) *de quibus ſuperius diximus. Quapropter & ad advocationem in curiâ præfecti prætorio ſine teſtimonio eruditionis à Juratis dato non admittebantur.* (l. 11. §. 1. C. de advoc. diverſ. Judicior.) *Quòd ſi in advocatorum numerum recepti provinciam aliquam regendam vel aliquam poteſtatem acceperint, non prohibentur denuò depoſito officio ad advocationis munus redire* (l. 9. C. de advocat. diverſ. Judicior.)

3. Quod corpus horum & collegium concernit, in unoquoque foro fuit certa matricula certusque numerus. *Nam prætoriana advocatio numero centum quinquaginta togatorum incluſa eſt,* (l. 8. C. eod.) *qui ſtatuti dicti ſunt ad differentiam ſupernumerariorum, quibus licuit apud proconſulem, præfectum Auguſtalem cæterosque rectores provinciarum negotia perorare* (l. 11. §. 2. C. eod.) *Nec tamen numerariorum officium fuit perpetuum.* (l. 8. l. 16. & 17. C. eod.)

4. Sala-

4. Salarium non niſi advocatis fiſci conſtitutum eſt (*l.6.l.7. §.4. de advoc. div. Judic.*) reliquis verò patrocinium privatis præbentibus ab iisdem ſalarium petere conceſſum fuit. *Hoc enim tempore Claudii obtinuit, fruſtrà nitentibus Patribus legem Cinciam, quâ cavebatur antiquitus, ne quis ob cauſſam orandam pecuniam donumque acciperet, urgentibus,* (Tacit. lib.11. ann. c. 5.6. & 7.) *Et ita deinceps obſervatum fuit, ut liceret ex advocatione vitæ ſubſidia petere.* (l.9. C.eod.) *Rationes quare danda ſalaria ſint advocatis in Suilii & Coſſutiani oratione ad Claudium & Senatum, quæ habetur apud Tacitum* (cit. loc.) *continentur: verba ibi hæc recitantur:* Quem illum tantâ ſuperbiâ eſſe, ut æternitatem famæ ſpe præſumat? *i.e. propterea addiſcat quæ advocato ſcienda ſunt, ut hoc ipſo æternam gloriam ſibi paret, quod lex Cincia ſtudioſis Juris perſuadere voluit.* Uſui & rebus ſubſidium præparari, *i.e. ſtudio huic operam navari utilitatis & neceſſitatis non ſolius honeſtatis gratiâ*, ne quis inopiâ advocatorum potentioribus obnoxius ſit. neque tamen eloquentiam gratuitò contingere: Omitti curas familiares, ut quis ſe alienis negotiis intendat: multos militiâ, quosdam exercendo agro tolerare vitam. Nihil à quoquam expeti niſi cujus fructus antè providerit.

5. Officia advocatorum ſunt. 1. ut patrocinium præbeant iis quibus à prætore dantur: *Ait enim prætor: ſi non habebunt advocatum ego dabo.* (l.1. §.4. ff de poſtul.) *Hinc & foro carere jubentur, qui patrocinium litigantibus recuſant, cum illud coacti tenentur ſuſcipere* (l. penult. C. de poſtul.) 2. ne privatorum cauſſas defendant contra civitatem. in quâ honorem ſunt conſecuti. (*l.2. C. de advoc. div. Judicior.*) 3. Ne cauſſam, quam improbam & deſperatam cognorunt, defendant. *Ad hoc enim obligantur vi Juramenti, quod iisdem præſtandum imponitur* (*l.14. §.1. C. de Judic.*) neve juſtam temerè fallaciis & doſis involvant. 4. Ne ſtatuti in præfecturâ urbicâ peregrinentur & ab urbe ultra triennium abſint; in foro præfecti prætorio autem ſine commeatu ultra biennium, cum commeatu ultra quinquennium.

6. Privilegia, præter ea, quæ (*num. 1.*) enarravimus, hæc data fuêre advocatis, ne qui nexibus curialibus illigati non ſunt provinciales ſuſcipiant functiones. (*l.3. C. de advoc. div. Judicior.*) nec ullo munere, præterquam Judicandi, graventur. (*l. 6. C. eod*) It. ut, ſi filiifam. ſint, gaudeant peculio caſtrenſi & ſibi proprium habeant quod advocatione ſibi parârunt, exemplo militum. (*l.4.C.eod.*) it. ut ſi contingat, advocatos fiſci mori, ſalarium totius anni, in quo moriuntur, ad ſuos ſucceſſores transmittant. (*l.15. §.1. C.eod.*) it. ut filii horum præ cæteris in numerum ſtatutorum recipiantur (*l.11.§.1.C.eod.*)

ARTIC. III.
DE
ASSESSORIBUS.

1. Aſſeſſores ſunt qui Judicibus & magiſtratibus conſilio adſunt. *Nam conſiliarii Judicum vocantur* (l. 10. C. de aſſeſſor.) *quia ſcil. conſilium ferunt in cognitionibus, poſtulationibus, libellis, edictis, decretis, epiſtolis* (l. 1. ff. de Offic. Aſſeſſ.) *Et hinc ipſi libellos ſubſcribere nequeunt* (l. 2. C. eod.)

2. Sunt autem alii aſſeſſores majorum alii minorum magiſtratuum, curatorum nimirum Reipubl. Aſſeſſores magiſtratuum majorum ſunt, qui præfecto prætorio, urbi, magiſtris militum, officiorum &c. conſiliis præſtò ſunt. (*l. 11. C eod.*)

3. Majorum magiſtratuum aſſeſſores ex eâdem provinciâ oriundi eſſe non debent, quibus magiſtratus illi præſunt. [l. 3 ff. eod.] *Hinc ſi in ſuâ provinciâ moderatoribus aſſederint ultra quatuor menſes, ob hoc velut publicum crimen accuſari poſſunt.* (l. 10. C. eod.) *Ratio eſt ne in popularium favorem aut odium quid à Jure alienum ſuadeant.* Contrà aſſeſſores Curatorum Reipubl. ex eâdem civitate eſſe nihil prohibet. (*l. ult. ff. eod.*) *Nam hi publico ſalario non fruuntur: unde nec facilè alius ad hoc officium gerendum eligi poterit, quàm qui ex eâ civitate natus eſt.*

4. Commune eſt aſſeſſorum, quod poſſint eligi ex numero etiam libertorum. (*l. 2. ff. eod.*) modò Studioſi Juris fuerint (*l. 1. ff. eod.*) nec jam Judiciis conſilio adſint. *Nam plurium Judiciorum aſſeſſor nemo eſſe debet.* (l. 13. §. 1. & ult. C. eod.) *Dum enim uni interſunt ab altero abeſſe coguntur & ita neutri ſufficiunt.* Nec etiam admittuntur qui munere advocatorum funguntur. (l. 13. pr.) *neque enim incorruptè judicare poſſunt memores ſe in cauſâ, de quâ judicare debent advocatos fuiſſe, & ſententiam alterius partis defendiſſe. In alio tamen Judicio advocationis munere eos fungi nihil prohibet.* [l. 5 ff. eod.]

5. Eundem iiſdem Judicibus ſecundâ ac tertiâ vice adjungi nihil prohibet. (l. 12. C. eod.) *Nam qui ſemel rectè cognitus eſt non debet ob hoc ſolum, quod jam probatus eſt improbari.*

6. Privilegia hæc habent. 1. ut præſide ante tempus mortuo conſequantur totum ſalarium, niſi alii aſſidere cœperint. (*l. 4. ff. eod.*) 2. ut, ſi filiifam. ſint ſibi acquirant ex ſuo officio. (*l. 7. C. eod.*) 3. Aſſeſſores majorum magiſtratuum poſt depoſitum etiam officium ab omni indictionis onere ſunt immunes. (*l. 11. C. eod.*)

7. Præſidum aſſeſſores itidem ac ipſi præſides quinquaginta dies in provinciâ commorari debent. (l. 3. C. eod.) *Aliàs enim accuſati pro confeſſis habentur.*

MEMBR.

MEMBR. II.
DE
HIS QVI SENATUI ET JUDICIIS MINISTERIUM PRÆBENT.

1. Senatui, Judiciiſque inſerviunt ſcribæ & apparitores: De quibus hoc loco commodè dici poſſe videtur.

ARTIC. I.
DE
CURIALIBUS URBIS ROMÆ.

1. Curiales Romæ erant adſcripti negotiis curiæ, qui acta ſenatûs ſcribebant & ſcrinia cuſtodiebant. Quique his præerat Rector vel Judex curiæ dicebatur. *Nam coram hoc decuriales erant conveniendi* (l.1. C. de Curial. urb. Rom.) *ſi lis eſſet de re ad officium ipſorum pertinente. Videturque ad munus hujus Judicis ſpectaſſe curiales tueri, ne quid de ſuis privilegiis, quæ ipſis denuò confirmantur* (l.2. C.eod.) *amittant.*

ARTIC. II.
DE
SCRIBIS.

1. Scribæ ſunt qui deputati erant actis conficiendis circa majores Judices, dicti ſcriptores, notarii libellenſes.

ARTIC. III.
DE
APPARITORIBUS.

1. Apparitores antiquitus viatores, lictores, accenſi & Stratores dicti ſunt; & poſtea adminicula dignitatum, Executores it. officiales, addito epitheto, ut ſciretur quales eſſent. *Vocabantur enim Cæſariani, Præfectiani, Magiſteriani, Auguſtales, Rationales, Præſidiales, Largitionales, Opinatores &c.*

2. Apparitorum præfecti prætorio hoc munus erat, ut citatos in Jus vocarent, prehenderent, ſententias exequerentur. Et ex horum numero erant nonnulli, qui cæteros antecedebant, ut Cornicularii præfectiani &c. de quibus (*t.t. C. de apparitor. præfector.*)

3. Apparitores præfecti urbis completo officio accipiebant poteſtatem adorandi purpuram imperatoris. Cæterùm & graviter puniebantur, ſi clandeſtinâ fraude piſtores concuterent. (*t.t.C. de apparit. præf. urb.*)

4. Appa-

4. Apparitores magiſtrorum militum erant ordinis militaris [*l.2. C. de apparit. mag. milit.*) nec poterant ſumi ex curialibus vel cohortalibus, vel cenſibus adſcriptis. (*l 3. C. eod.*) Erantq; alii numerarii alii ſupernumerarii: illi exeuntes de ſuâ militiâ tribunorum prætorianorum dignitatem conſequebantur (*l. 4. C. eod.*) ab omnibus indictionibus tam civilium quàm militarium Judicum immunes erant. (*d.l.4.*) & fori præſcriptione muniebantur. (*l.5. C. eod.*) Hi quaſi militantes nec coram aliis Judicibus conveniri poterant. (*d.l.5*)

5. Apparitores proconſulum & legatorum non ſumebantur ex numero curialium. (*l.1. & 2. C. de appar. proc.*) erantque quadringenti deputati (*d.l.2.*) Præcipitur his, ne alienis officiis impudenter ſeſe immiſceant. (*l.3. C. eod.*)

6. Apparitores Comitis orientis non plures erant, quàm ſexcenti. *Nam tot putabantur publicis neceſſitatibus ſufficere.* (l.unic. C. de appar. com. or.)

7. Apparitores præfecti annonæ canonem, qui ad officium ſuum pertinet, jubentur exigere. (*l.2. C. de appar. præf. an.*) *Ob hoc enim annonarii vocabantur, ne immiſcerent ſeſe præfectianis* (l. 1. C. de appar. præf. ann.) *Nam & præfectus urbi curam annonæ habebat.*

8. Solebant autem apparitores ſeu officiales Judicum in modum militum in cohortes redigi. *Inde enim vocabantur cohortales, quando nomina eorum in matriculam erant recepta* (*l.10 C. de cohortalib.*) Qui ita in numerum recepti ſuam conditionem ſpontè deſerere non poterant. *Nam nullus Judicum quenquam ex cohortalium numero ſine ſacrâ probatoriâ ad aliud munus promovere poterat; niſi ad curſûs publici exhibitionem.* (l. 2. C. de cohort.) *quia ſolebant præſides quotannis ex cohortalibus mittere ad manſiones qui curarent exhibitionem curſûs publici & evectiones inſpicerent. Sique auſi eſſent ullam affectare militiam revocabantur.* (*l.12. & l.4. C. eod.*) In numerum autem recipiebantur non vano militiæ nomine immania lucra ſectantes, ſed qui neceſſitatem officii ſolicitudinibus debitis exequuntur. (*l. 9. C. eod.*) Facultatum verò ratio non habebatur (*l. 4. C. de diverſ. officiis & apparit.*)

9. Erant inter apparitores Cornicularii, officiales præfectorum ſententiis damnatorum exequendis prælati; item commentarienſes ſeu clavicularii, carceribus præfecti; quibus parebant Stationarii ex cohortalibus ſumpti qui ſtationes agebant & tributa exigebant. (*argt. l.1. C. eod.*)

10. Cohortalibus militibus præerant primipili tanquam principes cohortalis officii; qui aſpirantes ad aliam militiam ſtatim curiæ reſtitui jubentur. (*l.13. C. eod.*)

MEMBR.

MEMBR. III.
DE
PRÆBENTIBUS MINISTERIUM CIRCA TRIBUTA.

1. Varia ſunt miniſteria circa tributa, nimirum exactorum, ſuſceptorum & tabulariorum logographorumque &c. De quibus diſtinctis articulis dicturi ſumus.

ARTIC. I.
DE
EXECUTORIBUS ET EXACTORIBUS.

1. Executores & Exactores erant officiales majorum magiſtratuum qui mittebantur per provincias, ut inſtarent præſidibus & officiis eorum, ut ſuâ auctoritate & periculo ſuo univerſa debita exſolverentur. (*l.1. C.de Execut.*)

2. Prohibentur vagari & provincialibus militari terrore eſſe, bona vi capere, aut prædia alicujus pro debitis alienis invadere, aut ullo modo vim inferre capiendo pignora (*d.l.1, l.4.l.5.C eod.*)

3. Jubentur etiam annuo ſpacio exactionem commiſſam peragere (*l.3. d.t.*)

ARTIC. II.
DE
SUSCEPTORIBUS.

1. Suſceptores dicuntur, qui tributis & annonis recipiendis præpoſiti ſunt. *Quorum videtur mentio fieri* (l.5. §. ult. ff. de Cenſib.)

2. Ad ſuſceptorum officium pertinet, præſentibus defenſoribus civitatum præſcribere modum jugationis cujusque & ſpecies ſingulas vel earum quantitatem, quam fiſco inferri oportet. (*l.10. C. de ſuſcept.*) it. ut absque omni morâ aurum ſuſcipiant, ne quis per hanc occaſionem ſumptus facere compellatur. (*l.1.C.eod.*)

3. Eſt verò horum officium annuum: quo depoſito, rationes reddere compelluntur: (*l.4.C.eod.*)

4. Suſceptoribus videntur contradiſtingui Præpoſiti & Arcarii, ita: quòd præpoſiti tributa ſpecierum è manibus ſuſceptorum conſequantur & in horreis fiſcalibus reponant; (*quibus injunctum eſt quod habetur l.6.C.eod.ne horreis fiſcalibus alia quàm fiſcalia frumenta reponant*) Arcarii autem aurum argentumque à ſuſceptoribus accipiant inferendum in arcam præfecti prætorio. (*l.ult.C.eod.*)

ARTIC. III.
DE
PONDERATORIBUS.

1. Ponderatores zygoſtatæ græco nomine dicti ſunt; quibus commiſſum erat aurum argentumque, quod inferebatur, librare. *Nam aurum quod tributi nomine ſolvebatur ſeu in maſſâ ſeu in ſolidis daretur, appendebatur, quemadmodum in mancipationibus (unde actibus, qui mediante imaginariâ emptione & venditione perficiebantur, libripens ſeu ponderator intereſſe ſolebat.)*

2. Officium autem ponderatorum erat, æquâ lance & libramentis paribus tributa ſuſcipere: (*l.1. C. de ponderat.*) item, dirimere contentionem natam de qualitate ſolidorum. (*l.2.C.eod.*)

ARTIC. IV.
DE
TABULARIIS ET LOGOGRAPHIS.

1. Tabulariorum officium erat perquirere nomina debitorum, & in acta referre. (*l.1. & 7. C. de exactor. tribut.*) Logographi itidem in rationibus tributorum conſcribendis occupati erant. (*Nov.128. cap.1.*)

2. Hi ſuo collegio ſeu corpori adeò erant adſtricti, ut nec alicujus privilegii colore ſe excuſare poſſent: (*l.ult.C.de Tabular.*) munuſque ſuum ad liberos derivabant. (*l.1.C.eod.*)

MEMBR. IV.
DE
REI MILITARI INSERVIENTIBUS.

1. Militia duplex eſt terreſtris & navalis. De terreſtri militiâ tanquam præcipuâ ſuperius diximus. Reſtat hic dicendum de Claſſicis item iis qui vel arma conficiunt vel exercitium armorum tractant. *Nam vilis ſemper apud Romanos navalis militia exſtitit: unde plerumque homines vilis & abjectæ conditionis adhibiti ſunt: qui ne quidem jus civitatis Romanæ habuerunt.*

ARTIC. I.
DE
CLASSICIS.

1. Claſſicorum militum numerum augeri placuit & compleri ex incenſitis vel adcreſcentibus, ſeu remigū filiis tanquam rei nauticæ adſuetis. *Nam licet claſſicorum conditio eſſet vilis; noluerunt tamen glebæ adſcriptos vel cenſitos horum in numerum cooptare.* (l.un. C. de claſſic.)

ARTIC.

ARTIC. II.
DE
FABRICENSIBUS.

Fabricenſium corpus conſtitit ex artificibus, qui in publicis fabricis arma fabricabant. *Nam in nullâ privatâ officinâ conceſſum erat arma conficere.* (Nov. 85. cap. 1.) *Sed erant publicæ fabricæ, in Illyrico quinque, in Italiâ ſex, in Galliâ octo &c. Quod quidem ſtatu exiſtente tyrannico admodum conſultum eſt; cui intereſt, non à quolibet arma confici, ſed à ſolis iis qui publicè Imperatori conficiunt. Quæ etiam ratio eſt, quare fabricenſes prohiberentur privatis arma vendere.*

2. Armamentarii, in quod confecta arma deferebantur, inſpectionem habebat primicerius, qui exacto biennio in præmium immunitatem à muneribus publicis perſonalibus adipiſcebatur. (*l. 2. C. de fabricenſ.*)

3. Pro armis conficiendis conferebatur ferrum, quod ſtrictè ſolvendum erat; adeò ut non æſtimatio loco ejus dari poſſet. (*l. 1. C. eod.*) *Nam arma ex optimo ferro & quod facilè deduci ignibus poſſet conflabantur; adeoque optimum etiam præcisè à provincialibus conferendum erat.*

4. In ordinem fabricenſium non recipiuntur, niſi qui docerent, à curiali conditione ſeſe liberos eſſe. (*l. 4. C. eod.*) Tironum in ordinem receptorum brachia ſtigmate notantur: ut latitantes hoc modo dignoſci poſſent. (*l. 3. C. eod.*)

5. Fabricenſes porrò artibus propriis inſerviunt, ut cum ſobole profeſſioni immorentur, cumnati ſunt. (*l. 5. C. eod.*) prohibenturque aliquam adminiſtrationem vel agriculturam ſuſcipere. (*l. 7. C. eod.*)

6. Privilegium eorum eſt, ut non niſi coram præfecto prætorio conveniantur. (*l. 6. C. eod.*)

ARTIC. III.
DE
EXERCENTIBUS ARMA.

1. Exercitium armorum nemini conceſſum, niſi cui princeps indulſerit. *Nam uſu armorum omnibus temerè conceſſo, tyrannicus ſtatus ſalvus eſſe nequit: ſemper erunt turbæ metuendæ.* (l. un. C. de armor. uſu.)

MEMBR. V.
DE
ARTIFICIBUS AD DIVINAM DOMUM PERTINENTIBUS.

1. Sunt certa corpora artificum ad divinam, principis nimirum, domum pertinentium, velut murilegorum, gynæciariorum, linteariorum, monetariorum, de quibus agitur. (*tit. 7. lib. XI. C.*)

2. De his generaliter notandum, quòd quemadmodum non poſſint ſine ſacrâ probatoriâ in corpus adſcribi; (*l. ult. C. de murileg.*) ita nec, quando adſcripti ſunt, munus ſuſceptum deſerere vel dignitatis cujuscunque privilegio à corpore liberari. (*l. 1. l. 15. C. eod.*) niſi id ſpecialiter impetraverint & æquè idoneum in ſuum locum ſubſtituerint, qui horum periculo munus exerceat.

ARTIC. I.
DE
MURILEGULIS.

1. Murileguli vel muricileguli ita dicti ſunt, quòd murices & conchilia, ex quibus tyrius color conficiebatur, legerent; & peculiariter inſerviebant domui principis. *Nam ſanguine conchiliorum tingebantur veſtimenta Imperatorum propria, ne de aſpectu principis poſſet errari* (Plin. lib. 9. cap. 36.)

2. Hi ſuæ conditioni & corpori ita erant addicti, ut ad nullam dignitatem vel militiam poſſent adſpirare; (*l. 11. C. de muril.*) & ſi mutaſſent ſuam conditionem revocabantur. (*d. l. 11.*) transferebantque parentes hoc vitæ genus ad ſuos liberos, ſeu pater ſeu mater eſſet huic obnoxia. (*l. penult. l. 12. C. d. t.*)

ARTIC. II.
DE
GYNÆCIARIIS, BAPHIIS ET TEXTRINORUM PROCURATORIBUS.

1. Gynæciarii addicti erant contexendis & conficiendis Imperialibus veſtimentis. *Nam Gynecium textrinum eſt, in quo ſtamina ſubtexuntur tincta conchilio.* (l. 4. C. de veſtib. holober.) *ita dictum, quia texere opus muliebre eſt.*

2. Erant & hi corpori ſuo ſervilem in modum adſtricti: (*l. 5. & 6. C. de murilegul.*) hoc tamen non obſtante ſoliti ſunt homines ambire ſuffragia, quibus in corpus hoc reciperentur. (*l. 2. C. de murileg.*) Id quod propterea ibidem prohibitum eſt; *quia qui non ſatis idonei ſunt corrumpunt ſpecies, & principis ſubſtantiam attenuant.*

3. Horum conditionem vilem ſubibant & mulieres ingenuæ contubernio ſe his ſociantes. (*l. 3. C. eod.*)

4. Baphii ſunt tinctores veſtium Imperialium, ejuſdemque cum Gynæciariis conditionis. (*argt. l. 2. C. eod.*)

5. Baphiis & gynæciariis erant certi præpoſiti, procuratores gynæcii & præpoſiti baphiorum dicti; qui curabant, ut rectè lana tingeretur, & mox in fila deducta texeretur. *vid. Pancirol.* (*Notit. cap. 74.*) Hi autem procuratores & præpoſiti literas approbatorias, quibus recipiebantur ad munus hoc, prius conſequi non poterant, quàm caviſſent datis idoneis fidejuſſoribus. (*l. 14. C. eod.*)

ARTIC. III.
DE
MONETARIIS.

1. Superius traditum, penes ſolum Imperatorem fuiſſe poteſtatem cudendæ monetæ. *Ideò vetat Valentinianus Imperator numos alios quàm ſuâ imagine formatos in negotiationibus adhiberi*, (l. 1. C. de veter. numism. pot.) *nec quisquam præter Imperatorem cuſionem ſibi arrogare potuit.* (l. 2. l. ult. C. de falſ. monet.)

2. Uſi autem ſunt principes in cudendis monetis artificibus, qui monetarii dicti ſunt: quorum officium licet vile eſſet; gaudebant tamen corpore latè diffuſo. *Nam haud paucos eſſe decebat, ut tantæ moli pecuniam, quæ ſufficeret condere valerent: quibus tamen prohibitum erat ſuam conditionem mutare.* (l. 1. C. de murileg.) *Hinc nullæ ingenuæ mulieres his nubebant; quia ſi nupſiſſent & ipſæ monetariæ fiebant.* (l. 3. C. eod.) *Et contrà etiam mulieres ex monetariis genitæ ingenuis copulari non permittebantur.* (l. 7. C. eod.)

3. Monetarii portò initio officii coram præfecto monetali Juramentum præſtare tenebantur de ordinationibus monetariis obſervandis. *Nam in tantâ horum copiâ fraudes eorum vix coërceri aliâ ratione poterant. Quamvis & graviſſimæ pœnæ in falſificatores monetæ conſtitutæ eſſent.*

ARTIC. IV.
DE
METALLARIIS ET PROCURATORIBUS METALLORUM.

1. Metallarii ſunt qui metalla & quæ precioſa natura in terrâ abſcondidit effodiunt, effoſſa à viſceribus terræ deducunt & in ſimplicem materiam redigunt. (*l. 3. C. de metallar.*)

2. Et quamvis cuilibet privato, modò ſolveret canonem metallicum, quodque ultrà reperiebat venderet fiſco, facultas quærendi metalla & ſaxa competeret: (*l. 1. l. 3. l. 6. C. de metallar.*) erant tamen nonnulli huic vitæ generi obnoxii, qui illud mutare & aliò migrare non poterant. (*l. ult. C. eod.*)

3. Procuratores metallorum exigebant canonem metallicum & ex numero decurionum eligebantur. *(l.4. C. eod.)*

ARTIC. V.
DE
BASTAGARIIS.

1. Baſtagariis incumbebat vectura rerum ad fiſcum pertinentium, horumque munus erat perſonale. *Nam equos, quos habebant, tenebantur producere ad provehendas res; ſed ita, ut morientibus animalibus quintum è fiſco præberetur.* [l.4. C. de murileg.]

2. Erantque ſuo muneri ita adſtricti, ut ante illud impletum militiæ nomen dare haud poſſent. *(l.8. C. eod.)*

MEMBR. VI.
DE
CORPORATIS URBIS ROMÆ.

1. Corporati urbis Romæ dicti ſunt, qui erant membra alicujus ſocietatis vel collegii Romæ recepti. Qualia erant ſuariorum, piſtorum naviculariorum.

2. Hi corporati, eo ipſo, quo albo incolarum ſunt inſcripti, gaudent privilegiis civium Romanorum. *(l.un.C. de Corporat. urb. Rom.)*

3. Sunt hi obnoxii civitati, & ad eam retrahi poſſunt, ſi mutaverint domicilium. *(d.l.un.)* *Intereſt enim civitatis eos ſervire ſuis functionibus.*

ARTIC. I.
DE
PISTORIBUS.

1. Incorporati Romæ fuêre piſtores, urbici piſtores dicti *(l. ult. §.1. ff. de Excuſ. tut.)* qui & collegium Conſtantinopoli habuerunt. *Nam piſtores annonæ publicæ inſerviebant non modò coquendo panes, ſed & molendo grana; horumque alii panes civiles conficiebant, qui civibus per ſcholas diſtribuebantur;* (l.1. C. de frument. urb. Conſtant.) *alii in palatio panes Cæſaris coquebant.)*

2. Erant & hi ſervili modo adſtricti collegio, ut liberari ab eodem non poſſent. *Hinc mancipia Comitis horreorum vocantur.* (l.un.C. de piſtor.) *Hujus namque directioni ſubjecti erant.*

3. Privilegium habuêre urbici piſtores, ut à tutelâ etiam collegarum excuſarentur; ſi modò per ſe piſtrinum exercerent. *(l.ult.pr.& §.1.ff. de excuſat. tutor.)* & intra numerum eſſent. Palatii autem piſtores coram nullo alio, quàm procuratore Cæſaris vel præfecto urbi cogn-

conveniri poterant. (*l.6.& 7.C.ubi cauſſ. fiſcal.*) Et quia nonnunquam ab apparitoribus præfecti urbi piſtores urbici duriter tractabantur: conſtitutum, ut ſi quis ejusmodi concuſſiſſet piſtorem corpori piſtorum, perpetuoque panificio addiceretur. (*l.2.C.de apparit. præf. urb.*)

ARTIC. II.
DE
SUARIIS.

1. Suarii ſeu porcinarii erant qui ſuillam carnem à collatoribus ſuſcipiebant ad victum civium Romanorum, & hoc curabant, ne cives Romani egerent carne ſuillâ. *Hanc ob cauſſam etiam eos gaudere ſuis privilegiis, tradunt Imperatores* (l.1.C. de ſuar.) *quando ajunt: porcinatores urbis æternæ, cum pervigilem laborem commodis populi Romani exhibeant: ſordidis ſemper muneribus liberentur.*

2. Officium horum erat carnes juſto precio diſtrahere. *Hujus namque gratiâ fuerunt ſub inſpectione præfecti urbi* (l.1. §.11. ff. de Offic. præf.urb.) *unde & apud hunc forum ſortiti ſunt.* (l.2. C. de ſuar.)

ARTIC. III.
DE
VINARIIS.

1. Vinarios, qui vini negotiationem in urbe exercuerunt itidem peculiare collegium habuiſſe Rubrica (*tit.C. de ſuariis*) indicat & id teſtatur etiam Lampridius, (*in vitâ Alexandri*) *Narrat enim ab Alexandro collegium vinariorum inſtitutum, & huic Rationalem vinorum præpoſitum.*

ARTIC. IV.
DE
NAVICULARIIS SEU NAUCLERIS.

1. Navicularii ſeu naucleri domini ſunt navium: quorum certum fuit apud Romanos corpus ſeu collegium (*l.5.§.6. & ult. ff de Iur. Immun.*) non modò in urbe ſed & in provinciis, ob hoc approbatum, ut non modo res privatorum, ſed & publicas à provincialibus tributi & annonæ nomine datas transveherent. *Ex quibus facilè cognoſci & dijudicari poteſt, quale horum fuerit officium, qualia onera, qualia privilegia.*

2. Naviculariorum officium eſt, ne ſpecies publicas in negotiationis emolumentum convertant, prætendentes ſe vi tempeſtatis impeditos juſto tempore non potuiſſe eas debitum transportare in locum. *Hanc enim ob cauſſam precipitur iis, qui annonam in Italiam urbemq; & ad caſtra*

caſtra militum transvehendam habent, ut intra annum eam inferant. (l. 2. C. de Navicular.) *Hyemis enim tempus tanquam periculoſum remittitur; & ita generaliter annus determinatur, licet aliàs dimidius ad navigationem ſufficiat.* (l.3. fin. C. de naufrag.) *Et ita per annum intelligitur tempus, quo in anno navigari ſolet.* It. Ne navigationis curſum immutent & iter devium ſuſcipiant. *Nam ſi fraudem fecerint commorando, cùm res deportandas transvehere poſſent, deportationis; ſi fiſcales res diſtraxerint, gladii pœnâ afficiuntur.* (l. 5. C. de navicular.) *It.* Ne in naves oneratas publicis ſpeciebus privatas res & aliena onera recipiant. *Nam & in eos qui audent pertitores annonæ publicæ ad onera alia ſuſcipienda impellere, hoc ſtatuitur, ut non in diſpendium ſolum atque naufragii damnum teneantur obligati, ſed etiam publicæ coërcitionis experiantur rigorem.* (l.un. C. Ne quid oneri publ. imponatur.) *It.* Ne prætendant naufragium factum, quò ſpecies transvehendas lucrentur. *Hinc qui publicas ſpecies receperunt, ſi naufragium patiantur Judicem illius loci, quo paſſi ſunt, adire debent & intra annum id per teſtes probare.* (l.2. & 5. C. de naufrag.) *Quo in caſu tamen ſufficiunt teſtes qualescunque, qui ex naufragio ſuperfuerunt* (l.3. C. eod.) *ſi alii magis idonei non ſint. Ratio autem quare onus probandi innocentiam devolvatur in nauclerum, hoc eſt; quia ex naufragio, quod ſine culpâ naucleri contingit fiſcus detrimentum patitur; non collatores, qui ſemel ſuo munere functi ſunt, ſolutis annonariis ſpeciebus.* (l.4. C. eod) *Quæ etiam ratio eſt, quare, ſi culpâ naviculariorum ex annonâ publicâ quid perierit, ad eos, qui de corpore naviculariorum ſunt, pro ratâ periculum pertineat; & totum collegium quod amiſſum eſt reſtituere teneatur.* [l.ult. C. eod.] *Fit enim hoc in ſecuritatem fiſci, cujus cauſſa favorabilis exiſtit.*

3. Naviculariorum autem ſpecies publicas transvehendas accipientium à ſuſceptoribus res omnes fiſco in ſecuritatem ſunt obligatæ. *Nam ejus, qui cum fiſco contrahit, bona veluti pignoris titulo obligantur, quamvis ſpecialiter in contractu id non exprimatur.* (l.2. C. in quib. cauſſ. pign. vel hypoth.) *Hinc etiam ſi navicularius aliquam rem vendit, tranſit illa cum ſuo onere* (l.1. C. de præd. & omnib. reb. navicul) *non obſtante licet emptor hujus è domo principis ſit.* (l.1. & 2. C. eod.)

4. Cæterùm quemadmodum naves naviculariorum obſtrictæ ſunt ſpecies publicas recipere: ita quælibet navis tenetur neceſſitatibus publicis ſubvenire. *Hinc nulla navis vel privilegio dignitatis vel religionis intuitu aut prærogativâ perſonæ excuſari poteſt à felici embolâ i. e. transvectione publicæ annonæ.* (l. 1. & 2. C. de Navib. non excuſ.) *& ſi qui præſcribunt navibus titulum potentum, ut evitent onera, amittunt navem fiſco appropriandam.* (d.l.1.)

5. Privi-

5. Privilegia naviculariis hæc tribuuntur ut dum transferunt ſpecies annonarias, nec concuſſiones patiantur nec aliquod genus incommodi, ſed venientes ac remeantes omni ſecuritate potiantur, pœnâ in violatores conſtitutâ (*l. 1. & 3. C. de navicul.*) Quin qui horum ſecuritatem violat publicam violat ſecuritatem, & reus videtur criminis læſæ Majeſtatis (*l. 1. ff. ad l. Jul. Maj.*) *Gerunt namque negotium ejus, qui Jura Majeſtatis habet, navicularii.*

MEMBR. VII.
DE
TRACTANTIBUS EA QUÆ SPECTANT AD VOLUPTATEM CIVIUM.

1. Moris fuit varia ſpectacula varioſque ludos civibus Romanis exhibere, præſertim initio tyrannidis: unde nata ſunt varia corpora eorum qui vitam exercendis ludicris conſecrabant. *Nam cum olim, etiam ſeveris adhuc moribus, ſpectaculis delectarentur Romani, id Imperatores adhibuere ad corrumpendam plebem, ut illecebris voluptatum immerſa negligeret libertatem ſuam, nullamque rerum ad publicam ſalutem ſpectantium curam haberet. Nam ipſe Auguſtus ſtatim à talibus non abhorruit ſtudiis, civile ratus miſceri voluptatibus vulgi* (*i. e. ſpectaculis interesse*) *Quo ipſo tam celeriter mollis redditus eſt plebis animus, ut nec Tiberius auderet eam ad duriora vertere.* (1. annal. 54.) *Data etiam legimus ab Auguſto privilegia hiſtrionibus, juſſoſque immunes verberum eſſe.* (1. annal. 76. & 77.) *His autem ita deditus delectatusque fuit Nero, ut exinde patrii mores penitus abolerentur, funditusque everterentur per accitam laſciviam* (*i. e. externorum, græcorum nimirum, quorum operâ in ludis utebatur, nequitiam*) *ut, quod uſquam corrumpi & corrumpere poſſet, in urbe viſeretur, degeneraretque ſtudiis externis Romana juventus, gymnaſia & otia, & turpes amores exercendo, principe & Senatu auctoribus, qui non modo licentiam vitiis permittebant, ſed vim adhibebant.* (14. annal. 20.) *Excuſabantur autem hæc prætextu ſpecioſo: Majores quoque non abhorruiſſe ſpectaculorum oblectamentis, pro fortunâ, quæ tum fuerat; eoque à Thuſcis accitos hiſtriones, à Thuriis equorum certamina, & poſſeſsâ Achaiâ, Aſiâque, ludos curatius editos.* (14. ann. 21.)

2. Hic mos ludorum adeò invaluit, ut nec Chriſtiani Imperatores auderent eosdem in totum abrogare. *Nam Conſtantinus M. tantum cruenta ſpectacula prohibuit tanquam in otio civili & domeſticâ quiete horrenda.* (l. unic. C. de gladiatorib. penitus toll.) *Circenſia certamina & Xyſtica aliquandiu manſerunt. Quin primates viros cohortantur Impp. ad amplectenda felicis populi ſtudia* (l. 1. C. de ſpectac.) *tantum diebus*

 Solis

Solis celebrari prohibuerunt ſpectaculorum editionem. (l. 2. C. Theod. de ſpectat.) *Pugna quoque cum beſtiis penitus damnata* (l.ult.C. de feriis) *niſi quod leones & feras agros devaſtantes totique regioni damnum inferentes occidi conceſſum fuerit.* (l. un. C. de venat. ferar.) *Majumæ quoque ludi antea prohibiti reſtituti ſunt, ſi in his caſtitas & honeſtas ſervetur.* (l. un. C. de Majumâ)

MEMBR. VIII.
DE
RUS COLENTIBUS ET HORUM SOCIETATIBUS.

1. Reſtat conſiderandum Corpus agricolarum, quorum alii fuere liberiores ruſticani dicti; alii magis ſerviles, Adſcriptitii, Cenſiti, Coloni.

ARTIC. I.
DE
RUSTICANIS.

1. Ruſticani ſunt qui ruri habitantes proprios agros colunt, dominique rerum ſuarum ſunt, adeò, ut de his teſtari valeant. (*l. ult. C. de teſtam.*)

2. His datur privilegium (*l. 2. C. ut ruſticani ad nullum obſequ.*) ut nullum teneantur ſubire obſequium præter capitationem & congruam annonam. *Nam capitationem ſoli præſtant agricolæ; quia Conſtantinus noluit Romanos cives capitationem pendere.* (l.un.C. de capitat. civ. cenſib. eximendâ.) *Adeoque ii tantum capitationem ſolvebant qui extra muros poſiti erant.* (l.1.C. ut ruſticani.)

ARTIC. II.
DE
AGRICOLIS SERVILIBUS.

1. Magis ſerviles ſunt homines glebæ adſcripti; quorum ſucceſſu temporis alii coloni dicti ſunt, qui pro parte fructuum agros quosdam coluerunt; alii cenſiti ſeu tributarii; qui pro poſſeſſione quam tenebant, cenſum dominis præſtabant. (*l. penult. C. de agric. l. 2. C. In quib. cauſſ. coloni.*)

2. Sunt autem hi non æquè hominum quàm prædiorum ſervi. *Hinc noluit Juſtinianus adſcriptitios propriâ confeſſione fieri* (l. cum ſcimus. 22. C. de agric.) *niſi concurrant alia argumenta, veluti tabulæ cenſuales. Domini etenim tenebantur colonos & inquilinos quos habebant in cenſu profiteri unà cum agris, tanquam horum ſervis.* (l. 4. §. 8. ff. de Cenſib.)

unde

unde ſit, quòd nec momento à prædiis ſeparari poſſe dicantur; (l. 15. C. de agric.) *nec ſine his alienari vel obligari;* (l. 7. C. eod. l. 112. ff. de legat. 1.) *ſed unà cum alienatis prædiis tranſire* (d. l. 7. l. 2. l. 13. fin. C. eod.) *Ratio hæc fuiſſe videtur, ne ulla pars terræ deſtitueretur ſuis cultoribus.*

3 Hanc autem ſuam conditionem transferunt etiam ad poſteros ſuos, à quâ hi nullâ ratione liberari poſſunt. (*l. 11. C. eod.*) ſed ſi aliò migraverint, revocantur. (*l. 9. l. 14. C. eod.*) punitis receptoribus. (*l. 12. C. eod.*)

4. Super nullo autem tributo ratione prædiorum ſolvendo inquietari debent; niſi & ipſi proprios agros habeant. (l. 13. Nov. 128. l. 4. C. eod.) *Nam domini, qui ex ſuis fundis fructus percipiunt, etiam penſitationes agnoſcere tenentur. Intereſt etiam Reipubl. Colonos ad extraordinaria onera non trahi.* (l. 1. C. eod.) *ne agricultura negligatur.* Tributum tamen capitationis tenentur ſolvere. (*l. 11. C. eod.*)

5. Nec debent etiam à colonis domini graviorem cenſum exigere; niſi velint ab his accuſari; (*l. 1. C. In quibus cauſſis coloni*) nec etiam injuriâ eos afficere (*l. 2. C. eod.*)

6. Quod de colonis generaliter diximus, id & in palæſtinis & Illyricanis obtinebat; ut ſcil. ſi vagabundi ſint, à dominis revocari poſſent. (*l. un. C. de Colon. palæſt. l. un. C. de Colon. Illyric.*)

7. Coloni Thracenſes æquè adſtricti erant ſuis prædiis, liberi tamen à capitatione. (*l. un. C. de colon. Thracenſ.*)

CAP. XII.
DE
POTESTATE PRIVATORUM CIRCA BONA VITÆ INSERVIENTIA.

1. Non omnes homines in civitate vel populo æquali facultate gaudere poſſunt circa parandum dominium in res vel bona quæ vitæ humanæ conſervandæ inſerviunt. *Nam demonſtravimus* (lib. 1. huj. part.) *hominibus ſervilibus non concedendam eſſe facultatem dominium exercendi in bona; propterea quòd ignorantes modum utendi hiſce ſunt indigni; Juſtitia autem diſtributiva indignis prohibeat quid adſignare.* Quapropter, licet tractatus de Jure perſonarum ad Jus privatum referatur, quod Jure Romano in Jus perſonarum, rerum & actionum dividitur; eſt tamen Jus perſonarum in Juſtitiâ diſtributivâ fundatum tribuens tantum principia Juri privato, quod à Juſtitiâ commutativâ regitur. *Nam quibus hominibus & qualiter facultas dominandi rebus tribuenda, ex ſalute Reipublicæ æſtimandum eſt. & ita vel communis Juris publici definitio arguit fundamenta Juris perſonarum ad Jus publicum eſſe referenda.* Quin

 omne

omne Jus privatum fundatum eſt in Jure publico. - Nam ſalus communis ſalus ſingulorum eſt & menſuram præbet Juri quod de ſingulorum ſalute tractat. Jus ergò publicum rationem diviſionis perſonarum aſſignat, Jus privatum diviſione hac velut principio & fundamento utitur. Initium ergò à diviſione perſonarum facturi ſumus.

MEMBR. I.

DE VARIA PERSONARUM DIVISIONE ET INDE NATO STATU HOMINUM.

ARTIC. I.

DE DIVISIONE PERSONARUM IN LIBEROS ET SERVOS.

1. Summa de jure perſonarum diviſio eſt, quòd omnes homines aut liberi ſint aut ſervi. (l 3. ff. de Statu hom.) *Nam conſiderantur hìc perſonæ quatenus aptæ ſunt ad acquirendas res ſeu bona vitæ conſervandæ inſervientia. Jam verò omnes homines aut aliquid facultatis habent rebus dominandi aut nihil; qui quid facultatis habent liberi ſunt; qui nihil, ſervi. Unde ſequitur hanc in liberos & ſervos diviſionem primam & ſummam eſſe.*

2. Quinam liberi homines habendi qui ſervi longè aliter in Reſpubl. Romanâ definitum fuit, quàm in Optimâ Republicâ id fieri debere. (*lib. 1. huj. part.*) docuimus. *Nam in optimâ Republicâ is liber homo eſt, qui appetitui non paret, ſed ſeipſum intellectu ſuo regere, adeoque ipſe ſibi vivere poteſt. Quo in ſenſu & vocem libertatis accipit Cicero, quando ait: legibus ſervimus, ut liberi ſimus: quia parendo legibus virtuoſa præcipientibus, & ita crebrò virtuoſa agendo reddimur virtuoſi. Contrà is ſervus eſt, qui nullâ prudentiâ inſtructus & virtute rapitur affectibus & ducitur, quò fert appetitus irrationalis. Quâ eſſentiâ liberorum & ſervorum hominum ita poſitâ, facilè reddi ratio poteſt; quare liberi homines ſibi operentur & dominium mereantur in bona vitæ inſervientia; contrà ſervorum nihil proprium eſſe debeat; quia hi ignorant modum utendi bonis externis; illi optimè, utpote Juſtitiâ, liberalitate, magnificentiâ &c. inſtructi. JCti autem Romani definiunt libertatem, naturalem facultatem ejus, quod cuique facere libet, niſi ſi quid vi aut jure prohibetur.* (l. 4. ff. de ſtatu hom.) *Scil. ſumpſêre definitionem in Democratiis uſitatam, in quibus plebs putat, ſe tunc verè liberam eſſe, quando facere*

facere poteſt quod vult; & addidêre limitationem quandam, quâ tegerent vitium quod definitioni ineſt. Et hac in ſignificatione voce libertatis ſumptâ conceperunt libertatem Juris naturæ eſſe, quòd initiò omnes homines, quemadmodum & feræ in naturali facultate faciendi quod lubet producti fuerint. Libertasque adeò ipſis eſt facultas quædam naturalis, quam non modò ab initio omnes homines habuerunt, ſed & quâ feræ beſtiæ gaudent, faciendi quod lubet, legibus & Jure in hominibus limitata & quandoq; vi præpedita. Servitus contrà quædam iſtius facultatis violenta ademptio. Unde definitur, (l.4. §.1. ff eod.) quòd ſit conſtitutio Juris gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam ſubjicitur.

3. Liberi & ſervi ex ſententiâ Juris Romani caſu fiunt, & non ex Jure diſtributivo. *Nam ii, quibus accidit naturalem ſuam facultatem faciendi quod lubet retinere vel ademptam recuperare ſunt liberi; quibus verò contingit, ut hac ſuâ naturali facultate priventur vel ſtatim à nativitate vel poſteaquam aliquandiu in libertate vixerunt, hi ſervi ſunt.*

4. Non modò ergò ſervi ſed & liberi aut naſcuntur aut fiunt. Qui naſcuntur liberi ingenui dicuntur. *Nam ingenuus eſt is, qui ſtatim ut natus eſt liber eſt* (pr.J. de Ingen.) *Cenſetur autem ſtatim ac naſcitur liber, qui vel ex ſolâ matre eâque vel unico momento ſeu conceptionis ſeu partûs ſeu medii temporis, quo fœtum in utero geſſit, liberâ natus eſt* (t.t. J. de Ingen. l.5. §.2. & 3. l.18. ff. de ſtat. hom.) *Nam ſemel parta libertas fœtui calamitate matris auferri nequit. Hinc natus ex ancillâ, quæ vi pacti & ex contractu deberet eſſe manumiſſa & propterea libera habetur* (ex l.1. & 2. C. ſi mancip. ita fuer. alienat.) *ingenuus naſcitur* (l.22. ff. de ſtat. hom.)

5. Qui fiunt liberi libertini dicuntur. *Nam quibus in verâ aliquâ ſervitute exiſtentibus datur libertas, libertini ſunt. Hinc definiuntur libertini* (l.6.ff. eod.) *qui ex juſtâ ſervitute manumiſſi ſunt. Additur* ex Juſtâ; *quia contingit aliquem ingenuum in ſervitute eſſe; qui licet manumittatur per hoc ingenuitatem ſuam non amittit.*

6. Manumiſſio actus ille eſt, quo qui veri ſervi ſunt liberi fiunt. *Manumiſſio enim eſt de manu datio. nam quamdiu aliquis in ſervitate eſt manui & poteſtati ſuppoſitus eſt: & manumiſſus liberatur poteſtate.* (pr. J. de Libertin.) Conceſſum verò fuit cuilibet domino ſuum ſervum manumittere, contrà ac ſuadet recta ratio. *Nam poteſtate manumittendi cuilibet conceſſâ, flagitioſis nonnunquam hominibus repletur civitas, dominis quandoque temerè manumittentibus, & non ſatis judicare valentibus, quinam libertate digni ſint vel non: præterquam quòd alii abuſus accedant. Hinc L. Ælia Sentia orta eſt prohibens in fraudem creditorum manumittere & manumiſſionem, ſi qua facta ſit, nullam declarans* (pr. J. Quib.

 ex

ex cauſſ. manumittere non licet.) *Eadem L. Ælia Sentia circa minores viginti annis introduxit, quod generaliter in omnibus manumittentibus fuiſſet obſervandum: nimirum, ne domino minori 20. annis aliter manumittere permittatur, quàm ſi coram prætore & conſilio juſta cauſſa manumiſſionis fuerit approbata* [§. 4. J. Quib. ex cauſſ. manumitt. non licet] *Eadem levitas, quâ ſæpè ducti homines ad manumittendum proſiliunt, peperit L. Fuſiam Caniniam certum modum in ſervis manumittendis conſtituentem: gloriam namque ex multitudine ſervorum manumiſſorum captabant cives Romani; quia liberti pileati comitabantur funus; & ita multi ſceleſti reddebantur cives Romani. Quam tamen legem veluti libertates impedientem & quodammodò invidam abrogat Imperator* (t.t. J. & C. de L. Fuſ. Canin. toll.)

7. Libertinorum ſtatus olim tripertitus erat. *Nam qui manumittebantur vel fiebant cives Romani vel Latini vel Dedititii.* (§. 3. J. de Libertin.) *Erant namque & in Imperio Romano alii cives, alii non quidem cives, immunes tamen à vectigalibus & ſervitiis, alii tributarii & ſordida munera præſtantes qui dedititii vocabantur. Dedititii ergo erant illi libertini qui eodem Jure & conditione erant, quâ illi populi qui à Romanis devicti ſeſe his dederant, parumque à ſervis aberant. Et hi nullam ſpem conſequendæ civitatis habebant. Latini fiebant ex L. Juniâ Norbanâ, quæ juſſerat omnes per amicos vel epiſtolam manumiſſos eodem loco eſſe, quo olim erant Latini: qui, quemadmodum Latini ex L. Juliâ in civitatem recepti itidem eam conſequi poſſunt. Perfecta libertas comitem habens civitatem acquirebatur, ſi manumiſſio fieret Cenſu (quando ſervi juſſu dominorum inter cives Romanos cenſum profitebantur. In cujus locum ſubſtituta eſt à Conſtantino manumiſſio in Eccleſiâ) Vindictâ (i.e. coram prætore percuſſione quæ virgulâ vindictâ appellatâ fiebat) & Teſtamento.* (t.t. C. de Vindictâ & ap. Conſil. manumiſſ. & t. ſeq. t.t. ff. de manumiſſ. & ſeqq.) *Verùm cum omnes, qui ſub orbe Romano eſſent, jubebantur eſſe cives Romani* (l. 17. ff. de ſtat. hom.) *nec videbatur ulterius hæc diſtinctio in manumiſſis tolerari poſſe. Unde Juſtinianus eam abrogavit.* (§. ult. J. de Libertin. t.t. C. de Lat. libert. toll. & l. un. C de dedit. libert. toll.)

8. Servi naſcuntur ex ancillis. (*§. penult. J. de Jure perſonar.*) *Nam ancillæ ut & ſervi nihil ſui ſed omnia dominorum gratiâ operantur. (Quicquid enim ſunt dominis ſuis ſunt) Ergò & dominorum gratia pariunt: horum itaque partus eſt & non ſui Juris.* Fiunt ſervi aut Jure gentium i.e. ex captivitate. (*d. §. penult.*) *Nam tacitâ conventione & rectâ ratione in hypotheſi fundatâ (ne ſcil. bello omnes interimerentur à victorib. ſed ſervarentur; unde & à ſervando ita dicti cenſentur. §. 3. J. eod.) introductum inter omnes olim gentes fuit, ut capti bello fierent ſervi capientium.*

tium. Aut Jure civili. *quando ſcil. liber homo major viginti annis participato precio patiebatur ſe venundari.* (d. § penult.)

ARTIC. II.
DE
DIVISIONE PERSONARUM IN EAS, QUÆ ſui Juris ſunt,& eas quæ alieno Juri ſunt ſubjectæ.

1. Sequitur de Jure perſonarum alia diviſio: quòd quædam perſonæ ſui Juris ſunt, quædam alieno Juri ſubjectæ. Rurſus earum, quæ alieno Juri ſubjectæ ſunt, vel ſunt in poteſtate parentum vel in poteſtate dominorum. (*pr. Inſt. de His qui ſui vel al. Jur. ſunt.*)

2. Qui alieni Juris ſunt nihil ſibi acquirunt ſed ei, cujus poteſtati ſubiecti ſunt. (*l. 2. C. de patr. poteſt.*) quamvis Jure naturæ alia ratio ſit ſervorum, qui ſub dominicâ; alia filiorumfam. qui ſub patriâ poteſtate exiſtunt. *Nam Jure naturæ ſervi acquirunt dominis velut inſtrumenta quædam, quæ dominorum gratiâ ſunt quicquid ſunt, nihilque ſui cauſâ operentur: at filiifam. tanquam partes familiæ exiſtentes acquirunt toti ſocietati cujus partes exiſtunt; & ita ſui gratia operantur: ſi enim toti familiæ benè eſt, & hi felices ſunt. Hinc liberi qui ſunt in familiâ vivo patre quodammodo exiſtimantur domini paternorum bonorum.* (l. 11. ff. de Lib. & poſthumis hered.) *At jure Romano hæc diſtinctio non eâ ſubtilitate, quâ debebat, perpenditur: ſed quomodo ſervi dominis: ita filii patribus dicuntur acquirere. Et quod Ariſtoteles de barbaris refert, quòd utantur ſuis liberis velut inſtrumentis & in modum ſervorum, id videmus Romanos itidem feciſſe, concedentibus hoc Juribus, quò allicerentur cives ad procreationem liberorum.*

3. Poteſtas dominorum in ſervos olim erant abſoluta velut in beſtias. *Nam domini quidvis in ſervos ſtatuere, & ſi ita placeret, occidere eos poterant.* Sed hæc poteſtas tempore Impp. limitata eſt. *Nam licet Jure gentium introducta videatur poteſtas vitæ & necis in ſervos: nullis tamen hominibus ſub Imperio Romano exiſtentibus conceſſere Imperatores ſupra modum & ſine cauſâ legibus cognitâ in ſervos ſævire. Ex conſtitutione enim Antonini, qui ſine cauſa ſervum ſuum occiderit, non minus puniri jubetur, quàm qui alienum ſervum occiderit* (l. 1. ff. de his qui ſui vel al. jur. ſunt. l. 1. § 2. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. un. C. de emendat. ſervor.) *Sed & major aſperitas dominorum ejuſdem principis conſtitutione coërcetur, quæ habetur* (l. 2. ff. eod. & §. 3. J. eod.)

4. Similis dominicæ & planè tyrannica fuit quoque olim patrum in li-

in liberos poteſtas. *Nam olim patribus jus vitæ in liberos necisque poteſtas erat permiſſa.* (l. ult. C. de patr. poteſt.) *item vendendi liberos & quidem ter, ſi hoc egeſtas ſuaderet; ita tamen, ut reſtituto precio emptori vel alio dato mancipio ingenuitati reſtituerentur.* (l. 2. C. de patrib. qui liber. diſtraxerunt.)

5. Sed atrocitas hæc patrum ab Imperatoribus inhibita, & liberos non omnium proprietatem parentibus acquirere conſtitutum eſt. *Nam D. Hadrianus fertur, cum in venatione filium ſuum necaverat quidam, propterea quòd novercam adulteraſſet, in Inſulam eum deportaſſe: quod latronis magis, quàm patris Jure eum interfeciſſe videretur. Nam patria poteſtas in pietate debet, non in atrocitate conſiſtere.* (l. 5. de L. Pompejâ de parricid.) *Acerba quoque parricidii pœna à Conſtantino M. dictata eſt in parentes qui liberos occidunt* (l. un. C. de his qui par. vel liber. occid.) *Limitatum quoque eſt Jus patrum acquirendi per liberos, conceſſis filiisfam. Caſtrenſi & quaſi caſtrenſi peculiis. i.e. ut in his, quæ militantes vel armatâ vel inermi militiâ filiifam. acquiſiviſſent haberentur pro patribusfam.*

6. Id incongruum planè fuit naturali rationi, quòd patres ſuos liberos poſſent in poteſtate ſuâ retinere quouſque vellent, adeò, ut ſi patres nollent emancipare eosdem, nihil diſſolveret patriam poteſtatem, niſi mors vel naturalis vel civilis i.e. amiſſio libertatis aut civitatis. *Nam eatenus natura ſubjicit liberos patriæ poteſtati, quatenus indigent ratione patris tanquam facultate aſſiſtente & ſubveniente imbecillitati, quæ oritur ex defectu prudentiæ. Unde ſequitur, liberos emancipandos & à patriâ poteſtate liberandos eſſe quando id prudentiæ nacti ſunt, ut ſibi ipſis proſpicere valeant. Verum quò allicerentur cives ad procreationem liberorum talem iis in liberos conſuetudo dedit poteſtatem, qualem nullæ aliæ gentes ſibi arrogarunt: adeò, ut nullus pater poſſet adigi ad emancipandum liberos. Et quia in captando potius ex his lucro, quàm educatione eorundem patria poteſtas conſiſtebat, nec eam furor diſſolvebat,* (l. 8. ff. eod.) *ſed mors vel patrum vel liberorum naturalis: ultra mortem enim patria poteſtas ſeſe non extendebat. Nec tamen & ſic ſemper penitus liberabantur qui ſub poteſtate patria erant: ſi enim avus haberet filiũ & ex hoc nepotes in poteſtate; (nepotes enim nati ex filio in poteſtate exiſtente in avi poteſtate quoque erant) mortuo avo recidebant nepotes in filii, ſui patris ſcilicet, poteſtatem.* (pr. J. Quib. mod. Jus patr. pot. ſolv.) *Tollebat & patriam poteſtatem mors civilis cum patrum tum liberorum. i. e. ſi vel patres vel liberi amitterent civitatem aut libertatem. Nemo enim vel habere aliquem in poteſtate patria vel eſſe in alterius poteſtate poterat, niſi civis Romanus exiſteret. Hinc deportatio in Inſulam (quæ erat genus pœnæ adimens civitatem) modus erat*

finiendi

finiendi patriam poteſtatem (§.1. J. d.t.) *it. ſi ſervus pœnæ quis efficeretur, damnatus ſcil. in metallum vel ad ultimum ſupplicium* (l. 8. §. 4. l. 9. §. in miniſterium. l.29 ff. de pœn.) *Quamvis novo Jure nemo amplius ſervus pœnæ fiat* (Nov.22.cap.8.) *Cumque olim nec conſularis dignitas à poteſtate patriâ liberaret, à Juſtiniano tandem conſtitutum* (Nov.81. cap.1.v.1.) *ut vim liberandi haberet quævis dignitas à decurionatûs munere liberans. Temporibus quoque Imperatorum introductum, ut is pater, qui ad turpitudinem adigit liberos & nimis duriter tractat ad emancipandum cogi poſſit.* (l. ult. ff. ſi à parente quis manumiſſus ſit, l. ſi lenones 12. C. de Epiſcop. audient.)

7. Si patres nollent in poteſtate retinere liberos, emancipabant eosdem. Erat enim emancipatio actus ſolennis, quo pater è poteſtate & familiâ dimittebat filium: cujus tamen ſolennitates immutatæ variis temporibus ſunt. *Nam cùm olim patribus conceſſum eſſet vi patriæ poteſtatis ter vendere liberos; & aliàs à contractu emptionis venditionis vel ut notiſſimo peterentur variorum actuum ſolennitates: commodum exiſtimatum fuit emancipationem mediante trinâ imaginariâ venditione & manumiſſione celebrare. Quaſi ita pater poſtquam ter vendidit renunciaverit omni poteſtati, quam in filium habuit,* (l.ult. C. de Emancip.) *Poſtea ex lege Anaſtaſii cœpit emancipatio fieri interveniente magiſtratûs auctoritate & deſuper accedente Imperatoris reſcripto* (l. penult. C. eod.) *Tandem* Juſtinianus (d.l.ult.) *conſtituit, ut ad hunc actum ſufficeret ſimplex conteſtatio apud magiſtratum ordinarium.*

ARTIC. III.
DE
STATU HOMINUM ET CAPITIS DEMINUTIONE.

1. Status qualitas quædam ſeu conditio perſonæ eſt tribuens diverſas facultates in acquirendo & conſervando res ſeu bona vitæ inſervientia. *Nam ſtatus & dignitas admodum vicina ſunt ratione eſſentiæ & tamen differunt: idque quomodo contingat, ex noſtra definitione cernere poſſumus. Dignitas enim conſiſtit in facultate competente circa honores; ſtatus in facultate circa acquirendas res. Conveniunt ergò, quod utrumq; ſit facultas quædam circa bona externa competens; differunt, quod alterum circa honores, alterum circa res ſeu bona vitæ inſervientia occupetur. Hinc fundamenta eorum, quæ ad ſtatum pertinent, referimus ad Jus publicum, quemadmodum ea ex quibus petitur ratio dignitatum: proveniunt enim utraque ex Juſtitia diſtributiva.*

2. Status triplex eſt Jure Romano, conſiſtens nimir. in libertate,

 civi-

civitate & familiâ. *Nam tot modìs facultas circa bona vitæ competens variabatur olim apud Romanos: quippe non omnès qui ſub orbe Romano erant civitatis Jus habebant; ſed nonnulli utebantur peregrinorum Jure: Unde & duo creati ſunt prætores qui Jus dicebant, alter peregrinus, alter urbanus dictus. Qui liberi erant tantum & non cives ex ſolo gentium Jure acquirebant, rètinebant & alienabant ſua bona; Cives ſingularem habebant facultatem peregrinis non competentem v. g. ut poſſent ex teſtamento quid capere, quod non tribuebatur peregrinis. Qui autem in certa familia erant juribus illius familiæ gaudebant, nimirum in ſucceſſionibus ab inteſtato: legibus enim XII. Tabb. Jus ſuccedendi competebat proximo agnato, ſeu ei, qui ejusdem cum defuncto familia exiſtens quam proximè gradu ad defunctum accedebat. Ex quibus patet, ratione facultatis acquirendi, conſervandi & transferendi in alios bona externa ſtatum triplicem fuiſſe.*

3. Civium Romonorum alii patresfamiliâs alii filiifam. erant; item alii maſculini alii fœminini ſexûs. (l.4. ff. de his qui ſui vel al. Jur. ſunt.) *Hujus ſubdiviſionis mentionem hoc in loco faciendam ſuadet ratio; quia horum ſingulorum diverſa fuère Jura in tractandis negotiis ad rem familiarem pertinentibus. Nam fœminæ multis in Juris articulis patribusfam. deteriores ſunt* (l.9. ff. de Stat. hom.) Huic diviſioni & eam poſſumus adjicere; quòd alii ſint nati alii naſcituri. *Habet namque & hoc ſuum uſum; quia in toto Jure civili qui in utero ſunt habentur pro jam natis, quoties de commodis ipſorum agitur.* (l.7. & 26. ff. eod.)

4. Statûs porrò immutatio capitis deminutio vocatur. (pr. J. de capit. deminut.) *Nam caput habere dicuntur qui pars alicujus ſocietatis humanæ exiſtunt: tot enim vel tot capitum ſocietatem aliquam eſſe dicimus. Ita in ſocietate univerſali liberorum hominum eſt qui liber exiſtit; in ſocietate civili civis; in familia aliqua aut gente qui illius pars exiſtit. Minuitur itaque capite qui illius ſocietatis, cujus pars eſt, & ob quam certis juribus gaudet, pars eſſe deſinit.* Et quia ſunt tres ſpecies ſtatûs, etiam tres ſunt ſpecies capitis deminutionis; maxima, quâ amittitur libertas; media ſeu minor, quâ amittitur civitas; minima, quâ familia mutatur. (*t.t. J. de capit. deminut.*)

5. Cæterùm, ut olim magnum erat, eſſe civem Romanum; ita cœpit hoc vilipendi tempore Imperatorum, poſtquam omnes qui ſub orbe Romano ſunt juſſi ſunt cives Romani eſſe (*l. 17. ff. de ſtat. hom.*)

MEMBR. II.

DE FACULTATE QVAM SINGULÆ PERSONÆ HABENT circa res acquirendas & adminiſtrandas.

1. *Videmur hanc materiam commodè abſolvere poſſe, ſi dicamus primò de diviſione rerum quæ vitæ humanæ inſerviunt; ſecundò, de diverſis acquirendi modis; & tertiò ſecundum quem modum unicuique perſonæ competat facultas acquirendi; quartò quænam circa facultatem adminiſtrandi veniant notanda.*

ARTIC. I.

DE DIVISIONE RERUM VITÆ HUMANÆ INSERVIENTIUM.

1. Res ſunt, quæ vitæ humanæ quaſi quædam inſtrumenta inſerviunt, eæque dividuntur in corporales & incorporales. (l. 1. §. 1. ff. de Rer. diviſ. t.t. J. de Reb. corpor. & incorpor.) *Nam res omnes quæ vitæ humanæ inſerviunt vel à natura hominum gratiâ producuntur vel ab arte quadam; quæ cum aliquo ſenſuum percipi poſſint. exiſtentes corpora quædam, res corporales vocantur. Præter verò res iſtas prudentia introduxit res in ſolo intellectu conſiſtentes & vitæ humanæ quoque inſervientes, quatenus his res corporales parantur. v.g. Titius mille aureos dedit mutuò Mævio & hunc interveniente ſtipulatione obligavit ad quinquaginta aureos uſurarum nomine quotannis ſolvendos. Hæc ad uſuras ſolvendas obligatio eſt res incorporalis in intellectu ſolo conſiſtens inſerviens vitæ Titii conſervandæ, quatenus vi hujus quotannis expectandos habet quinquaginta aureos, quibus varias res corporales ſibi comparare poteſt. Vocantur ejuſmodi res incorporales jura; quia poſita ſunt in facultate quâdam acquirendi, detinendique bona corporalia, it. utendi, fruendi iiſdem.*

2. Omnes porrò res vel acquiruntur & poſſidentur, ſingularique indigent curâ quò uſum vitæ humanæ debitum præbeant, vel nullâ peculiari curâ indigent. Quæ præſtò ſunt omnibus ad uſum, licet harum nulla cura habeatur, communes vocantur: velut aër, aqua profluens vel ea quæ in mari eſt. (*l. 2. ff. de rer. diviſ.*) *Nam quantum aut aëris ſufficit ad refrigerandos pulmones; aut quæ ad potum; tantum præſtò ſemper eſt, licet nemo aëris vel aquæ curam habeat. Sunt ergò res propriè dictæ communes, quas non neceſſe eſt unquam proprias fieri, ſed perpetuò in promptu ſunt omnibus ad uſum, & propterea nullius in bonis ſunt. Quamvis negari nequeat, eam aëris particulam, quam attraxi tamdiu meam eſſe, quamdiu ea corpori meo ineſt. Aliâ in ſignificatione feræ beſtiæ in ſylvis, lapilli item & gemmæ in litoribus communes dicuntur.* (l. 3. ff. de Rerum diviſ.) *propterea ſcil. quòd, antequam acquiſitæ ſunt, commune hominum dominium in eas competat, ut quilibet eas acquirere poſſit.*

3. Quæ peculiari aliquâ curâ indigent, quò debito modo uſibus humanis inſerviant, propriæ hominum fieri ſolent: & hæ exiſtunt vel propriæ populi aut Imperii, aut alicujus civitatis, municipii, vel collegii, vel ſingulorum, quatenus patresfam. ſunt, & ut privati conſiderantur, vel tales ſunt quæ ſingulorum fieri poſſunt; aut tandem tales quæ uſibus ſingulorum exemptæ ſunt. (*l.2.ff.eod.*)

4. Contingit nonnullis rebus, ut proprietas vel populi vel univerſitatis cujusdam vel ſingulorum ſit, uſus tamen omnibus pateat. Et eæ quidem, quæ propriæ populi ſunt, abſolutè publicæ quaſi populicæ, vocantur. *v.g. flumina quorum proprietas eſt populi Romani vel Imperatoris hujus jura habentis.* (l.4. §.1.ff.eod. §.2.J.eod.) *His videntur quidem & accenſeri poſſe litora; ſed in Jure Romano rebus communibus annumerantur, propterea quòd, quemadmodum quilibet particulam aëris attrahere eamque ſibi habere poteſt; ita & conceſſum ſit cuilibet locum occupare in litore, caſam ibi ædificare & ſubſiſtere quamdiu libuerit: negari tamen non poteſt, ſubtiliter loquendo litorum naturam paulatim ab eſſentiâ rerum communium abire. Nam in litoribus populi vicini Juris dictionem exercere ſolent, & ita eorum curam habere, ne alter alterum in uſu eorundem impediat.* (l.14. de Acquir. rer. dom. l.3. Ne quid in loc. publ. fiat.) *Unde fit, ut nonnunquam litora publica vocentur. Sed non eſt ut ſubtilius iſta rimemur terminos, publicum & commune, JCtis confundentibus* (l.1. pr. l.10. ff. de rer. diviſ.) Quæ autem res in proprietate privatorum ſunt, uſum verò omnibus præbent, velut ripæ in fluminibus (quorum enim prædiis adhærent, eorum quoque ſunt) non abſolutè publicæ vocantur, ſed uſu publicæ. (*§.4. & 5. J. eod.*) *Nam cuilibet navigandi & piſcandi gratiâ in iis conſiſtere licet; ut adeò ratione navigationis & piſcationis communes ſint.*

5. A publicis rebus differunt Res univerſitatis, per hoc, quòd uſus earum non niſi iis pateat, qui univerſitatis vel ſocietatis illius membra ſunt. Unde res univerſitatis definiri poſſunt, quæ cùm ſint alicujus civitatis vel collegii, omnibus illius ſocietatis membris ad uſum patent. *Quamvis cùm & populus univerſitas quædam ſit, etiam quæ publicæ exiſtunt res univerſitatis vocentur.* (l.1. pr. fin. ff. eod.) *Videntur autem res univerſitatis duobus modis communiter uſum partibus ſocietatis præbere: dum vel ad uſum proſtant ſingulis civibus ſeu membris ſocietatis; velut theatra, ſtadia* (l.6. §.1. ff.eod.) *it. balnea & paſcua publica, quæ ſingulis civibus ſeorſim utilitatem præbent; vel verò eorum adminiſtrationi & directioni ſubjacent, qui ſummam poteſtatem habent, & eadem ad ſalutem Reipubl. dirigere poſſunt: cujus generis ſunt res fiſci, reditus publici.* Sunt porrò res univerſitatis ita propriæ univerſitatis, ut non ſinguli poſſint

dicere

dicere hoc eſt meum. *Hinc cùm regulariter ſervus contra dominum torqueri nequeat; ſervus publicus, qui univerſitatis eſt, adverſus ſingulos torqueri poteſt; & libertus univerſitatis non ſingulorum libertus eſt.* (l. 6. §. 1. ff. eod.)

6. Res uſibus humanis exemptæ ſunt ſacræ, ſanctæ & religioſæ. Res ſacræ ſunt quæ Dei tanquam excludentis homines propriæ eſſe cenſentur. *Tales ſunt, quæ debitis adhibitis ceremoniis, quas religio quæque exigit, Deo conſecratæ ſunt, ut inſerviant cultui ejusdem.* (§. 8. J. & l. 6. §. 3. l. 9. pr. ff. eod.) *Has acquirere privatis prohibitum, niſi diſtrahantur in redemptionem captivorum.*

7. Res religioſæ ſunt loca cuſtodiendis cadaveribus humanis inſervientia. *Propterea autem hæc exempta ſunt uſibus humanis, ne cadavera ſemel ſepulta turbentur. Religioſum autem locum Jure Romano quisque ſuâ voluntate facere poteſt, dum mortuum infert in locum ſuum.* (§. religioſum 9. J. eod.)

8. Sanctæ res ſunt, quæ conſtitutâ in violatores gravisſimâ pœnâ inviolabiles redditæ ſunt: quales ſunt muri civitatis. *Nam in violatores capitale ſupplicium conſtitutum eſt: propterea quòd & Romuli frater Remus occiſus ferretur, quod murum tranſcendere voluerit.* (l. ult. ff. eod.) Fuêre autem ſanctæ res olim ſacris propemodum ſimiles, itidemque divini Juris: *ſolebant quippe Romani muros diis tutelaribus conſecrare.*

9. Res uſibus humanis exemptæ generaliter res nullius vocantur: dicuntur autem & res nullius omnes eæ quæ, cum ſub nullius hominis dominio ſint, à privatis acquiri posſunt. *Nam Nullius aliquid dicitur duobus modis, vel quia nullius privati aut actu eſt aut potentiâ, quale eſt omne illud quod uſibus humanis exemptum eſt; vel quia nullius quidem privati actu eſt, poteſt tamen alicujus fieri quando apprehenditur.*

10. Singulorum dicuntur res, quæ ſub alicujus privati dominio ſunt. *i.e. alicujus certi patrisfam. gratiâ ſunt illiusque vitæ conſervandæ velut inſtrumenta quædam inſerviunt.*

11. Eſt & alia rerũ diviſio, quòd aliæ res ſint mobiles aliæ im̃obiles: quas ab invicem diſtinguere & definire difficile videtur. *Nam JCti vulgò definiunt res immobiles, quæ loco moveri nequeunt. At hoc pacto nec terra tota ex mente Copernici immobilis erit; nec domus ulla; quia & homines domum de loco in locum machinis ſuis movere posſunt. Nos autem ex naturâ Rerum procedentes definimus res immobiles,* quæ ratione uſûs ſui, quem habent, hominem certo terræ loco adhærere faciunt. *Ita v. g. arbor viva, quà talis, licet posſit de loco moveri; eſt tamen res immobilis; quia nemo hac uti poteſt, niſi certo terræ in loco conſiſtat & eidem quaſi adhæreat.*

Res mobiles contrà erunt, quæ ratione ſui uſûs, quem præbent domino, eum comitari poſſunt. *i. e. quæ circumduci aut circumferri poſſunt & uſum quocunque terræ in loco præſtare. Ita autem rectè formari definitiones, addiſcere exinde poſſumus, quòd ſæpè diximus, res, quæ acquiruntur ab hominibus, eſſe quædam inſtrumenta hominum vitæ inſervientia: omniũ verò inſtrumentorum definitio à materiâ & uſu, quem habent, peti ſolet. Res ergò, quarum natura in uſu conſiſtit, quæque inſtrumenta vitæ ſunt vel utentem ad certum locum adſtringunt, & immobiles ſunt, vel utentem quovis in loco comitari poſſunt & mobiles dicuntur.*

ARTIC. II.
DE
DIVERSIS ACQUIRENDI MODIS.

1. Acquiſitio alia per ſe eſt, alia per accidens; ea, quæ per ſe fit, duplex eſt, Originaria & Derivativa. *Nam res, quæ ſub privatorum patrimonium cadunt, aliæ ſunt nullius i.e. à nullo hactenus occupatæ, aliæ ſingulorum i.e. jam acquiſitæ: Illarum acquiſitionem originariam vocamus; harum derivativam; quia hæ à domino in alios transferuntur. Unde originaria acquiſitio definiri poteſt actus, quo nobis paramus dominium rei quæ nullius eſt; Derivativa actus, quo quod alterius eſt in nos transferimus.*

2. Acquiſitio originaria fit vel occupatione ejus quod natura hominum gratiâ produxit & nullius eſt actu; vel productione novæ alicujus ſpeciei ſeu rei ſingularis: quæ iterum duplex eſt, vel artificioſa vel naturalis. Artificioſa eſt, quando aliquam novam ſpeciem producimus; quæ etiam ſpecificatio vocari ſolet. Naturalis productio eſt, quando quæ ſub dominio noſtro ſunt aliquid operante in his naturâ producunt. *veluti pecudes procreantes ſibi ſimile, agri proferentes ſuos fructus.*

3. Occupatio eſt vel rerum mobilium vel immobilium; Res mobiles ſunt vel viventes beſtiæ vel aliæ res; occupatio beſtiarum ferarum triplex eſt: Venatio, piſcatio, aucupatio. Cæterarum rerum mobiliũ occupatio inventio vocatur; & contingit vel circa eas res, quæ hactenus nullius fuerunt; vel quæ fuerunt alicujus; ſed aut pro derelicto habitæ ſunt, aut longo tempore abſconditæ, ut earum dominus ignoretur, quæ theſauri nominantur. Occupatio immobilium propriè occupatio appellatur. *veluti quando quis Inſulam in mari natam occupat.* (*§.* Inſula 22. J. de Rer. diviſ.)

4. Derivativa contingit circa univerſitatem ſeu integrum corpus bonorum, *v. g. in hereditate;* *vel* circa ſingularia bona: utraque fit vel

fit vel non invito domino, ex conventione & conſenſu ſcil. domini & ejus qui acquirit aliisq; modis, vel invito domino; quæ rurſus vel violenta vel clandeſtina eſt, omnisque regulariter injuſta eſt; niſi ea quæ bello fit. *Nam hoſtium bona per vim vel clam invadere non eſt injuſtum.*

5. Acquirimus per accidens acceſſione, quando aliquid noſtris bonis velut pars accedit. Et hæc rurſus fit vel caſu à naturâ vel facto hominis; naturâ v.g. quando prædiis, quæ fluminibus vicina ſunt, per alluvionem quid accedit; facto hominis, per inædificationem, implantationem, inſitionem, intextionem, ſcriptionem, pictionem.

ARTIC. III.
DE
JURE QUOD SINGULIS PERSONARUM SPEciebus circa acquiſitionem competit.

1. Ex dictis (*lib. 1. huj. part.*) apparet, Jus ſeu facultatem acquirendi dominium in bona, ex Juſtitiâ diſtributivâ dependere. *Nam ſecundum dignitatem, quæ ex facultate utendi bonis æſtimanda venit, poteſtatem acquirendi diſtribuendam, & per conſequens ſolis virtuoſis hominibus in optimâ Republ. concedendam; ſervilibus denegandam eſſe ibidem demonſtravimus.*

2. At Jus Romanum id non attendit; ſed omnibus etiam noncivibus, modò liberi ſint, *i.e. hactenus à nemine in juſtam ſervitutem redacti*, concedit facultatem per occupationem acquirendi. *Nam jus Romanum occupationem Juris gentium facit: quicquid autem Juris gentium eſt omnibus etiam liberis hominibus competit. Non modò ergò civibus ſed & peregrinis liberis hominibus Jura Romana concedunt jus venandi, piſcandi, aucupandi, lapillos gemmasque in litoribus quærendi &c. Cùm enim olim nondum ſatis auctis populis hæc acquirendi genera quâvis in regione libera eſſent: conceperunt Romani ea Juris naturæ eſſe. Tantùm autem abeſt, ut venationes, aucupia, piſcationes omnibus etiam peregrinis concedendæ ſint, ut potius certis civibus demandandæ veniant. Nam ſi cuncti cives hiſce dederint operam, & ſpecies extinguentur, & dum vitæ generi nonnulli ſeſe dedunt qui apti non ſunt, negligentur ea, ad quæ quisque perficienda quam maximè idoneus eſt. Longiſſimè itaque hac in parte abitur ab optimâ Republ. quæ nihil temerarium admittit, ſed bona vitæ præſertim immobilia ex dignitate cujusque perſonæ diſtribuit. Sed ut eſſet inter cives & peregrinos quædam diſtinctio; in acquiſitis tributum eſt Quiritibus plenum aliquod & perfectiſſimum dominium; peregrini autem quod acquiſiverant in bonis tantum habere dicebantur. Verum poſtquam omnes, qui ſub*

Orbe

Orbe Romano ſunt, cives Romani eſſe juſſi ſunt, factum hoc fuit ænigma quoddam. Unde & Juſtinianus (l.un.C. de Nodo Jur. Qu. toll.) *hoc velut antiquæ ſubtilitatis ludibrium expellit, nullam inter dominos admittens differentiam. Caterùm hæc facultas temeraria, quæ democratiarum propria eſt, admittentium cuilibet libertatem & ex libertate facultatem faciendi quod vult, manſit etiam in monarchico ſtatu. Nam plerumque contingit, ut mutato aliquo ſtatu, præſertim per dolum, maneant veſtigia priſtinæ formæ.*

3. Quando res noſtræ ſeſe multiplicantes producunt novas res, naturali rationi conveniens eſt, quod tradit jus Romanum, ut ex noſtræ fiant. (§. *item ea.19.* J. *de Rer. diviſ.*) *Nam quæ ſub dominio noſtro ſunt quicquid ſunt noſtri gratiâ ſunt. Ergò & noſtri gratiâ operantur, noſtrique gratiâ producunt fœtus, fructusque ſuos. Quæ autem noſtri gratiâ producta ſunt noſtra ſunt & ſub dominio noſtro. Par eſt ratio in ſervis acquirentibus: hi enim ſemper ſuis dominis acquirunt; quia dominorum gratiâ ſunt & operantur, velut horum inſtrumenta.*

4. Producens ſpeciem aliquam ex ſuâ materiâ illius dominus itidem naturali ratione fit. *Nam nemo dignior eſt eo dominio; quia liber homo is eſt qui ſui gratiâ eſt & operatur. (ſervus enim contrà quicquid eſt alterius eſt) ſi ergò ſui gratiâ operatur, etiam ſpeciem ſui gratiâ producit. In hoc tantùm JCti Romani deſudarunt, ſi ex alienâ materiâ conficiatur ſpecies, cujus eſſe debeat. Nam ut dominus materiæ in gratiam ſpecificatoris ſuum amittat dominium, iniquum videtur; ut etiam ſpecificator fruſtra laboraſſe concipiatur, durum eſt & contra libertatem: præſertim, cùm introductâ novâ formâ priſtina res perierit; adeoque dominus materiæ non poſſit dici priſtinum dominium retinuiſſe ſed potius novum conſecutus, ſi ſpeciei dominus declaretur. Verùm cum hæc non ex Juſtitiâ diſtributivâ ſed commutativâ dijudicanda veniant, magis ad Jus privatum pertinent: quorſum etiam remittimus.*

5. Derivativa acquiſitio, quæ fit mediantibus pactis & conventionibus, emptione ſcil. venditione aut permutatione omnibus, qui liberi homines ſunt conceſſa eſt. *Nam cùm Jure gentium dominia ſint diſtincta, agris termini poſiti, ædificia collocata, commercium, emptiones venditiones, locationes conductiones, obligationes inſtituta:* (l.5. ff. de Juſt. & Jur.) *etiam omnibus peregrinis facultatem commerciorum concedere Romani voluerunt. Et hoc etiam ſuaſit ſalus civium, ut peregrini ad contractus admitterentur. Hoc tamen circa derivativam acquiſitionem, quæ mediantibus contractibus fit, notandum videtur, malè conceſſum fuiſſe privatis pro lubitu bona immobilia, nullo magiſtratu conſtituto, qui contractibus intereſſet & alienationes annotaret, alienare. Hinc enim contigit, ut*

dominia

dominia in incerto eſſent, & nemo ſecurè res emptas poſſidere poſſet; & ut propterea alia remedia violenta eſſent quærenda; ademptio nimirum dominii per uſucapionem &c.

6. Jus ſuccedendi defuncto in familiâ, ſeu hereditate relictâ peregrinis denegatum ſolis competiit civibus Romanis. *Nam admittere, ut peregrini capiant hereditatem eſt eos reddere patresfam. in civitate; id quod minuit civitatis auctoritatem: neque enim ex voluntate alicujus privati hereditatem in peregrinum concedentis jus habendi familiam in civitate permittendum. Hinc ſucceſſio Juris civilis eſſe dicitur & nullis niſi civibus Romanis competere. Verum de ratione ſucceſſionum ſeqq. duobus articulis tradetur.*

7. Bello capta ſua facere Juris quoque gentium eſſe dicitur: unde Romani acquiſitionem quæ bello fit, inter modos jure naturæ acquirendi referunt. (*ſ. item ea. 17. J. eod.*) cùm tamen, ſi ipſam naturam ſpectes & ex Juſtitiâ diſtributivâ procedas, videatur paulò aliter ſe res habere. *Nam bella vetuſtisſimis temporibus in homines feros & beſtiis ſimiles fuère exercita (unde Ariſtoteles homines in feros & manſuetos diſtinguit) quæ naturam venationis habuerunt teſte Ariſtotele* (lib. 1. polit.) *Et hæc bella Juſta fuère ob hoc, quòd natura intendat homines regi rectâ ratione, eosque, qui ipſi nullam habent, alienâ. Quòd verò poſtea ad omnia bella, quæ inter gentes diverſas geruntur, ſit extenſum, abuſus illius Juris fuit & ex tacito tantum conſenſu populorum obtinuit, magisque fuit Juris poſitivi quàm naturalis. Et quamvis ponamus, Juris naturæ eſſe, ut capta ab hoſtibus capientium fiant; non tamen inde inferri poteſt, ea quæ ſinguli milites bello capiunt ſua facere. Nam bona hoſtium alia mobilia, alia immobilia ſunt; hæc ſingulorum capientium fieri nemo facilè inſpiciens communem conſuetudinem aſſeret; quia hoſtium immobilia ſibi ſumere ſolent quorum auſpiciis bella geruntur: mobilia autem ſingulis capientibus relinqui adhuc hodiè uſitatum eſt: at Juſtitia diſtributiva ſuadet, prædam occupatam communem ſervari & ſingulis ſecundum merita diſtribui. Ex eo namque, quod quisque contulit ad victoriam obtinendam, perſona cujusq; in aſſignatione prædæ æſtimanda eſt.*

8. De modis per accidens acquirendi mediante acceſſione hîc non attinet dicere. *Nam magis ex re quàm perſonæ dignitate proveniunt. Fundata enim eſt ratio acquirendi per acceſſiones in hoc principio: quòd ejus, cujus eſt totum, etiam fiat, quod totius pars redditur. Hinc augmentum latens ſeu id quod à flumine paulatim adjicitur agro non limitato, quæ accretio alluvio vocatur, pertinet ad dominum agri; quia hujus pars fit. At in agris limitatis aliter ſe res habet, utpote qui quantitate & non flumine terminati id quod accedit tanquam partem ſui recipere nequeunt.* (L in agris

16 ff. de acquir. rer. dom.) *Hæc etiam cauſſa eſt, quare pars agro alterius violenter ablata & noſtro agro adjecta nō ſtatim fiat noſtra, ſed tunc ſi arbores conſiſtentes in parte adjectâ radices in noſtro agro egerint.* (§. Quòd ſi. 21. J. eod.) *Tunc enim Romani exiſtimarunt verè partem agri rem adjectam dici poſſe. Acceſſionis ſpecies eſt acquiſitio inſulæ in flumine natæ; quia præſumuntur domini prædiorum flumine terminatorum progreſſuri fuiſſe ulterius & quidem æqualiter uſque ad medium alvei, ſi flumen non obſtitiſſet: unde infertur, alveum flumine tectum actu publicum potentiâ vicinorum eſſe, quæ in actum deduci poſſit aquæ obſtaculo remoto. Acceſſiones quæ facto hominis contingunt, velut inſitio, implantatio, intextio, inædificatio incidunt in aliquam accidentariam commutationem; cujus tandem facto contigerint. Quin ſi vi fluminis avulſa ſit particula terræ & adjecta alterius agro, commutatio quædam eſt caſu contingens: unde ei, cujus pars illa terræ fuit, propterea à novo domino conſequendo datur utilis in rem actio* (l. 5. §. 3. ff. de Rei Vendicat.) *Et propterea quæ de hiſce dici poſſunt ad Jus privatum, quod in commutationibus conſiſtit differimus.*

ARTIC. IV.
DE
SUCCESSIONE AB INTESTATO.

1. Derivativæ acquiſitionis ſpecies eſt ſucceſſio in familiâ defuncti, quæ hereditas vocatur, & confertur vel ex voluntate defuncti teſtamento comprehensâ; vel ab inteſtato. De utrâque hic dicendum. *Nam fundamentum ſuccedendi ex Jure publico petendum: politiis enim conducit nulli civi concedere facultatem liberam teſtandi; demonſtrante hoc ipſum Ariſtotele* (lib. 5. politic.) *In oligarchiis conducit ſucceſſio ab inteſtato, quâ per maſculinum ſexum conjuncti admittuntur; quò familiæ, penes quas eſt imperium, conſerventur: at in democratiis & tyrannidibus nulla habetur ratio familiarum; ſed æquè ad agnatos ac ad cognatos devolvuntur hereditates. Ex quibus patet, fundamentum ſucceſſionum in Jure publico quærendum eſſe. Quapropter hoc articul. de ſucceſſionibus ab Inteſtato differemus.*

2. Inteſtatorum autem hereditates ex lege XII. tabb. primùm ad ſuos heredes pertinent. (§ 1. J. *de Heredit. quæ ab Inteſtato defer.*) i. e. liberos qui ſunt in poteſtate patris morientis ſui juris poſt mortem ejus futuros. Id quod partim cum Jure naturæ convenit partim ab eo recedit. *Nam cùm parentes liberorum gratiâ cuncta acquirant, fiunt liberi, qui in familiâ ſunt, quodammodo domini paternorum bonorum viventibus adhùc patribus.* (l. in ſuis. 11 de lib. & poſth. §. ſui autē J. de hered. qual.) *cujus enim gratiâ unumquodque bonum vitæ conſervativum eſt, ad ejus do-*

minium ſpectat: dominium quippe facultas eſt circa rem quæ quicquid eſt noſtri gratiâ eſt. Unde liberi non æquè videntur hereditatem patris acquirere, quàm dominium quod habent liberius exercere. Hinc Paulus (l.7.ff. de bon. damnator.) *dicit: rationem naturalem, quaſi legem quandam tacitam, liberis parentum hereditatem addicere, velut ad debitam ſucceſſionem eos vocando; ac ne Judicio quidem parentis, niſi meritis de cauſſis ſubmoveri ab eâ ſucceſſione poſſe. Et* (l.1. §. largius 12.ff. de ſucceſſor. edict.) *tradit Ulpianus, liberos propè ad propria bona venire. Quâ de cauſſâ & liberi etiam ignorantes fiunt patrum heredes, citra ullum ſuum factum* (§.3. J. de her. quæ ab inteſtat.) *Verùm licet hæc ita ſe habeant, & patres naturaliter liberorum gratiâ bona acquirant: non tamen Juſtitia diſtributiva admittit omnes liberos æquè ad hereditatem; ſed eos tantum qui digni ſunt patremfam. defunctum repræſentare. (Secundùm dignitatem enim perſonarum Juſtitia diſtributiva cuncta tribuit & aſſignat) De fœminis autem id naturaliter aſſeri nequit: ſunt enim hæ non aptæ ut præſint familiæ, ſed ut ſub patrefam. tanquam capite exiſtant. Ideoque filiabus ex paternâ hereditate nihil præter dotem debetur, ut ſcil. honeſtè & ſecundum dignitatem familiæ dotentur; quò matresfam. evadere poſſint.*

3. Si nemo ſuus heres exiſtat, qui ſucceſſionem amplectatur: tunc ex lege XII. tabb ad agnatum proximum pertinet hereditas; (*pr. Inſtit. de Legit. agnat. ſucceſſ.*) excluſis emancipatis; juſtè quidem Jure naturæ; iniquè ex hypotheſi Juris Romani. *Nam Emancipatio Jure naturæ eſt, quando filius ſibi ipſi de ſalutaribus ad vitam proſpicere valens exit è patris familiâ cum aliquâ parte bonorum, quanta ſecundum proportionem ipſi competit. quo facto nihil Juris amplius in bonis paternis habere poteſt. At Jure Romano licebat patribus in poteſtate retinere liberos quousq; vellent, eosque, quomodo & quando liberet, emancipare, ſeu puberes ſeu impuberes ſeu majorennes ſeu minorennes: quo contingebat, emancipatos ab omnibus paternis bonis miſerè excludi. Quòd verò ad agnatos i.e. per virilis ſexûs cognationem conjunctos lex XII. tabb. detulerit hereditates, cauſſa hæc fuiſſe videtur; quia eo tempore ſtatus tendebat ad oligarchiam, ſtudebantque patricii conſervationi familiarum. Hinc etiam inter maſculos, etiamſi longiſſimo gradu eſſent, agnationis Jure ultrò citroq; hereditas capiebatur. Quod ad fœminas verò attinebat, ita placebat, ut ipſæ conſanguinitatis tantùm Jure caperent hereditatem, ſi ſorores eſſent, ulterius non caperent.* (§. Cæterum. 3. J. de Legit. agnat. ſucceſſ.)

4. Hæc Jura ſuccedendi prætor naturalem æquitatem introducere volens emendare niſus eſt. *Nam cùm emancipatio familiæ & agnationis Jura ſucceſſionem tribuentia perimeret;* (l.nam &. 6. ff. de capite minut.) *& ita emancipati nihil paternorum bonorum ab inteſtato conſe-*

querentur: prætor naturalis æquitatis eſſe ratus iisdem ſuccurrere voluit, eos ita vocando ad ſucceſſionem, quaſi capite minuti non eſſent, ſed quaſi jus ſuorum heredum adhuc haberent. Et quia ſola lex heredes facere poterat, dabat iis prætor bonorum poſſeſſionem i. e. concedebat ipſis omnia Jura quæ heredes à lege dicti habebant in bonis defuncti. Vocabaturque hæc bonorum poſſeſſio Unde liberi. à primis ſcil. Edicti verbis. Adeoque Jure prætorio emancipati ſuorum Jura adepti ſunt: (§. ſunt autem. 1. verb. & primo loco. J. de bonor. poſſeſſ.) ita tamen, ut à prætore bonorum poſſeſſionem petere opus haberent. Sed Juſtinianus (Nov. 118. cap. 1.) emancipatis Jure civili competere hereditatem voluit, non tamen, ut eodem modo cum ſuis ſuccederent, ſed aditione opus haberent. Quæ tamen de naturalibus liberis intelligenda ſunt. Nam adoptivos emancipatos prætor ad bonorum poſſeſſionem non vocabat (§. minus ergò. 11. de hereditat. quæ ab inteſtat.) Deinde quia lex XII. tabb. ita ſtricto Jure utebatur, ut nullos per neceſſitudinem fœminini ſexûs ſibi junctos ad ſucceſſionem admitteret; etiam cognatos ad bonorum poſſeſſionem honorarium jus vocare voluit; ſed tertio loco & poſt agnatos (l. 2. ff. unde cognati t. t. J. de Succeſſione cognator.) Quia quoque inter matrem & filium filiamve hereditatis capiendæ Jus ex LL. XII. tabb. nullum erat; prætores demum poſt omnes agnatos matrem admittebant: Hadriani autem temporibus factum eſt SCtum Tertullianum, quo cautum eſt de ſucceſſione in bonis liberorum matri non aviæ deferenda, ut ſcil. mater ingenua trium liberorum Jus habens; libertina, quatuor, ad bona filiorum filiarumve inteſtatò mortuorum admitteretur (§. ſed hæ juris. 1. J. de SCto Tertull.) Quod jus à Juſtiniano (l. ult. de Jur. liberor.) extenſum eſt, datumque matri Jus ſucceſſionis, licet ingenua tres vel libertina quatuor liberos non pepererit. Cumq; SCtum Tertullianum hoc beneficio voluerit fœminas excitare, ut darent operam procreationi liberorum; Juſtinianus putans ſimpliciter iis deberi ſucceſſionem etiam ſimpliciter eandem illis adſignare voluit. Per contrarium etiam liberi ad bona matrum inteſtatarum admiſſi ſunt ex SCto Orphitiano, quod Orphitio & Rufo SS. effectum eſt D. Marci temporibus: & data eſt tam filiò quàm filiæ legitima hereditas, etiamſi alieno Juri ſubjecti ſint: prælatæque ſunt conſanguineis & agnatis defunctæ matris. Verùm cùm hoc SCtum ſubſtitiſſet in liberis primi gradûs: idem conſtitutionibus Imperialibus emendatum eſt ut ad ſimilitudinem filiorum filiarumque & nepotes & neptes vocarentur. (t. t. J. ad SCt. Orphit.) Scilicet has confuſiones varias circa ſucceſſiones peperit, quòd præſupponerent Romani, hereditates etiam jure meritò ad fœminas ſpectare: donec tandem Juſtinianus in gratiam ſexûs fœminini cognatos agnatosq; exæquans (Nov. 118.) omnes priſtinas leges circa ſucceſſionem vacare jubens novam rationem ſuccedendi introduxit.

5. Ratio

5. Ratio autem ſuccedendi; quam Juſtinianus ſublatis veterum ambagibus Nov.118. introduxit, hæc eſt: ut ſcil. primo loco ſuccedant liberi tam ſui quàm emancipati: poſterique tam agnati quàm cognati *v.g. nepotes neptesve ex filiabus*: ita,ut inter poſteros fiat diviſio pro ſtirpibus, non pro virilibus portionibus. Poſt liberos ſecundo loco vocantur parentes gradu proximiores tam cognati quàm agnati,cum quibus concurrunt fratres vel ſorores utroq;parente conjuncti conjunctæq; in capita ſuccedendo. Quòd ſi ſint plures parentes ejusdem gradûs, hereditas non in capita, ſed in ſtirpes dividitur. Tertius ordo eſt eorum qui ex transverſo veniunt, & ſeu agnati ſeu cognati ſint admittuntur, ita, ut proximus reliquos excludat: fratres tamen germani cæteris uterinis & conſanguineis præferuntur: quemadmodum & fratris utroque parente conjuncti liberi excludunt fratris altero tantum parente conjuncti liberos. In hoc ordine Jus repræſentationis habet locum, quando fratres fratrumque liberi concurrunt. quo caſu ceſſat regula, proximiorem reliquos excludere. fitque ita ſucceſſio in ſtirpes, quando fratris liberi cum patruo concurrunt: cùm aliàs in capita ſuccedant, ſi fratrum liberi ſine patruo ſint. Ultra fratrum autem liberos jus repræſentationis ſe non extendit. *Hanc rationem ſuccedendi Juſtinianus introduxit propriam tyrannici vel etiam democratici ſtatûs, in quibus nulla habetur ratio dignitatis familiarum, ut illa conſervetur.*

6. Hæc ſufficiant hoc in loco de ſucceſſionibus ab inteſtato. *Nam præſenti tractatu tantum hoc agimus, ut fundamenta ſuccedendi ad Jus publicum ſpectantia examinemus.*

ARTIC. V.
DE
TESTAMENTIS.

1. Diſponere de ſuis rebus cuilibet civium Romanorum prout voluerit conceſſum fuit: *Ita namque leges XII. tabb. edixêre: uti quisque legaſſit de ſuâ re ita Jus eſto. Quod interpretatur Imperator* (Nov. 22. cap. 2.) *cuilibet licitum eſſe de ſuâ re diſponere, ejusque voluntatem legem eſſe, cui nec ullâ Imperatoriâ conſtitutione derogari poſſit.*

2. Quò autem ultimæ voluntates eſſent ratæ; teſtamenta quibus hæ comprehendebantur continere debebant debita requiſita. *Nam teſtamenti factio Juris publici eſt* (l. 3. ff. de teſtam.) *Cui voluntate privatorum nihil detrahi poteſt. Hinc etiam Imperator & Auguſta in teſtamenti factione tam activâ quàm paſſivâ Jure communi uti voluerunt: quo Juri publico ſua maneret firmitas.* (l. 7. C. Qui teſtam. fac. poſſ. l. 3. C. de teſtam.) Quamvis nec omnia teſtamenta ſolennitates omnes exactè requirerent.

rent. *Nam militibus conceſſum erat teſtari prout vellent, ſolennitatibus omiſſis. Unde nata eſt diviſio teſtamentorum in paganum & militare. De quorum origine dicturi nunc ſumus.*

3. Duo olim fuêre genera teſtamentorum; quorum altero in pace & otio utebantur, quod calatis comitiis appellabatur; altero cùm in prœlium exituri eſſent, quod in procinctu dicebatur. *Nam ſi eſſent in otio, comitiis à pontificibus convocatis teſtamenta faciebant, propterea, ut juſſus totius populi voluntati teſtatoris vim legis adderet: & ita robur firmiſſimum teſtamenta conſequerentur. Unde cauſſam haurimus; quare teſtamenti factio Juris publici dicatur* (d. l. 3.) *Cùm verò in prœlium exituri eſſent, hic mos fuit, ut antequam ſumerent ſcuta ſuccincti, tribus aut quatuor audientibus teſtamenta facerent.* (Plut. in vitâ Coriol.) *quod genus teſtamenti èndo proſinctu vocatum eſt.*

4. Sed in locum ejus, quod calatis comitiis fiebat, ſubſtitutum aliud, per æs & libram dictum. *Nam cùm aucto populo & aliis impedimentis intervenientibus non ſemper eſſet copia calatis comitiis teſtandi: voluerunt uti actu ſolenni, quo res mancipi optimo Jure in accipientem tranſibant. Veteres enim optimum modum acquirendi emptionem exiſtimabant; & propterea utebantur in tranſlationibus rerum imaginariâ emptione venditione, more veterum inſtitutâ, cùm nondum ſignatam pecuniam haberent. Unde referente Boeth.* (in Top. Cic.) *nata fuit formula: Ego hanc rem ex Jure Quiritium meam eſſe ajo, emptam mihi hoc ære aneâque librâ. Quâ ſi ergò empta familia eſſet tranſibat ea ad heredem. Ceterùm in imaginariâ iſtâ emptione venditione adhibebantur libripens, emptor familiæ & quinque teſtes; libripens & emptor familiæ, quò conſtaret de imaginariâ emptione venditione; quinque autem teſtes, fortaſſe ob hoc, ut, quia quinque erant claſſes civium, ex ſingulis claſſibus ſumerentur qui totum quaſi populum repræſentarent. Unde natum, ut claſſici dicerentur teſtes qui maximè eſſent idonei, & in ſignandis teſtamentis adhiberi poſſent. Non tamen exiſtimandum introducto per æs & libram teſtamento ceſſaſſe illud, quod calatis comitiis fiebat; ſed utrumque in uſu fuiſſe, prout teſtatoribus placeret. Unde Imperator id, quod per æs & libram fiebat, proponit tanquam tertiam ſpeciem* (§. 1. Inſtitut. de teſtam. ordinand.) *Quod Gellius facit* (15. noct. 27.)

5. Sed prædicta quidem nomina teſtamentorum ad jus civile referebantur: poſtea verò ex dicto prætoris forma alia teſtamentorum faciendorum introducta eſt, nimirum, ut ſeptem teſtium ſigna ſufficerent citra ſolennitates illas nexûs & emancipationis. (§. *ſed prædicta.* 2. *J. eod.*) *Nam licet ejuſmodi teſtamentum non valeret Jure civili, ut ex eodem quis heres fieret; tamen poſſeſſio bonorum ſecundum illud à pretore dabatur.*

ba'ur. *Quod teſtatur Vlpianus* (tit.28. de poſſeſſ. dand. §. etiam.5.) *Et inde originem habent ſeptem teſtes in ſolenni teſtamento adhiberi ſoliti: prætor enim cùm cerneret teſtamenti factioni per æs & libram ſeptem intereſſe perſonas, voluit ſeptenarium numerum retinere ne pauciores teſtes adhiberentur.* Huic ſubſignationi teſtium, quæ Jure prætorio requirebatur, conſtitutiones Imperatorum addidêre ſubſcriptionem teſtium, quò teſtamentum pro firmo validoque haberetur.

6. Hinc ſucceſſu temporis duo genera teſtamentorum orta ſunt, paganum, in locum ejus quod fiebat olim calatis comitiis, & militare, quod olim in procinctu dictum eſt. Pagani præter ſeptem teſtes (*de quibus unde originem traxerint modò dictum*) porrò varia requiſita ſunt 1. Ratione perſonæ teſtantis, ut ſit homo liber (*l.8. pr ff. Qui teſtam.*) civitatis jura habens (*d.l 8. §.1.*) certusque de ſuo ſtatu *i.e. ut ſciat ſe civem eſſe* (*l.14. & l.15 ff.eod.*) paterfam. non filiusfam. (*l.6.pr.ff.eod.*) *Nam filiusfam. nec conſenſu patris teſtari poteſt* (l.6. pr.) *utpote cùm nullam familiam habeat de quâ teſtari queat.* ætatis juſtæ, maſculus 14. fœmina 12. annor. (*l.5. ff.eod. l. 4. C. Qui teſtam fac. poſſ.*) integræ mentis eo tempore quo teſtatur. (*l.2. l.16. §.1. l.17. ff.eod.*) non inteſtabilis (*l.18. §.1. ff. eod.*) *Id quod contingit, quando ob delictum aliquod commiſſum prohibetur quis teſtimonium ferre, aut alius huic teſtimonium dicere.* (l.26. ff. eod.) *Vnum namque horum ſi deſit, voluntas teſtatoris pro Jure in civitate Romanâ haberi nequit.* Olim mutus & ſurdus à principe cogebantur facultatē teſtandi impetrare (*l.7.ff.eod.*) ſed id emendatum. (*l.10. C. Qui teſtam. fac. poſſ.*) 2. Ratione perſonæ teſtium, ut Juris civilis communionem habeant (*l. 20. §. 7. ff. eod.*) & his nulla quæſtio ſtatus mota ſit. (*l.1. C. de teſtam.*) it ut habeant teſtamenti factionem activam (*l. 18. pr.*) *Qui quales eſſe debeant ex præcedentibus requiſitis cognoſci poſſunt.* utque ſint maſculi. (*l.20 §.6. ff. eod.*) *Nam fœminæ Jus comitiorum non habent, & proinde nec populum in comitiis jubentem teſtamentum ratum cum aliis repræſentare poſſunt.* Tandem, ut adſint reliqua quæ in teſtibus requiri ſolent. *Hinc qui in poteſtate teſtatoris eſt, aut teſtamento heres inſtitutus eſt aut aliàs in Judicio ut teſtis non admittitur teſtis officio in teſtamento fungi nequit.* (l.20. pr. § 3 & 5. ff. eod.) 3. Ratione actus teſtandi, ut teſtes ad actum teſtandi accedant rogati, non ſint inviti detenti. (*l.20. §. 1. l. 21 §. 2. ff. eod.*) ſuoque officio fungantur in præſentiâ teſtatoris. (*l.9 C. de teſtam.*) durentque donec ſuprema conteſtatio peragatur *i.e. teſtamentum perficiatur.* (*l 20. §.8. ff. eod.*) quò poſſint de ſingulis quæ viderunt & audiverunt teſtimonium dicere. (*d.l.20. §.9.*) ut apponant ſigna diſtinctè, ne turbentur, ſed ſciri poſſit, quodnam cujusque ſignum ſit, addita ſubſcriptione. (*l.22. §.3. & 4. ff. eod.*) & ſubſigna-

ſubſignatio annulo fiat, (*d. l.22. §.5.*) licet nihil interſit, cujus quis annulo utatur. (*d.l.22. §. 2.*) nec etiam quo teſtamenti loco ſigna apponantur; adeò, ut linteo poſſint imponi cui teſtamentum involutum eſt. (*d.l.22.§.7.*) Tandem ut actus ſit unus & continuus, nec huic alius immiſceatur, niſi quid fiat, quod neceſſitas naturæ requirit. (*l.21. §.1.§.3. ff.eod.l.28.pr.C.eod.*) 4. Ratione contentorum in teſtamento; ut ſcil. filii in poteſtate conſtituti vel heredes ſcribantur vel nominatim purèque & ſine conditione exheredentur (*l.1. l.2. l.3. pr. l.7. l.30. ff. de Liber. & poſth. l.4. C. de liber. preter.*) *Nam his Jure naturæ debetur hereditas, adeò ut domini paternorum bonorum eſſe cenſeantur, etiamſi non ſint heredes inſtituti.* (l.11. ff. eod.) *Hinc fit, ut teſtamentum pro invalido habeatur, aut etiam agnatione poſthumi præteriti & non nominatim exheredati rumpatur.* (l.3. pr. ff. de Injuſto, rupto & irrit. l.1.& 3. C. de poſth. hered.) it. ut heredis inſtitutio non ſit turpis (*l.9. §.1. ff. de liber. & poſth.*)

7. Paganum aliud eſt in ſcriptis aliud nuncupativum: Hujus requiſita ſunt: ut teſtator heredes nuncupet palàm, quò exaudiri poſſint. (*l.21. pr. ff. Qui teſtamenta fac.*) it. ut teſtes uno eodemque tempore collecti teſtatoris voluntatem audiant. (*l. 16. l.21. §. 2. C. de teſtam.*)

8. Cæterum quemadmodum in locum ejus, quod calatis comitiis fiebat, introductum eſt illud quod fit adhibitis ſeptem teſtibus: ita ſi quis nolit ejusmodi ſolennitatibus obſervandis implicari, liberum habet teſtamentum coram principe facere aut factum per preces principi offerre; quod erit validisſimum. (*l.19. C. de teſtam.*) *Nam cum principi jura populi competant; eodem recidet, ac ſi ejusmodi teſtamentum juſſu populi in comitiis factum ſit.*

9. Facultas autem teſtandi liberrima fuit apud Romanos. *Nam quemcunque quis vellet, modò eſſet civis aut civi Romano acquireret (quales erant ſervi) heredem ſcribere poterat; adeò ut quis etiam ſervum proprium heredem ſcribere poſſet. (qui fiebat heres neceſſarius) Quin & quot quisque vellet poterat heredes inſtituere, familiamque ſuam dividere prout placeret,* (t.t. J. de Heredib Inſtit.) *etiam in locum datorum, ſi vel nollent vel non poſſent eſſe heredes, alios ſubſtituere, item pupillis ſuis heredes eligere & ita pupillariter ſubſtituere.* (t.t. J. de vulgari ſubſt. & t. t de pupillar.) *Talem autem teſtandi libertatem omnibus Rebuspubl. non prodeſſe ſuperius ex Ariſtotele docuimus.*

10. Teſtamentum militare valet etiamſi requiſita in pagano obſervata non fuerint; modò confectum ſit à milite qui in expeditione eſt, (*l.1. l.15. l.17. C. de teſtam. militar.*) & in numeros receptus. (*l.42. ff. eod.*) *Nam Imperialibus conſtitutionibus* (l.2.C.eod.) *militibus datum*

eſt

eſt hoc privilegium, ut nuda eorum voluntas nullisque ſolennitatibus veſtita ſufficiat ad diſpoſitionem circa bona faciendam (l.1.pr. ff. eod.) *liceatque eis teſtamenta facere, prout velint & poſſint. Hinc cùm nullus paganus pro parte teſtatus pro parte inteſtatus poſſit decedere ſed de totâ familiâ diſponere debeat, militi id conceſſum eſt* (l.6. l.11. §. 2. l. 19. pr. de teſtam. milit.). *it. cùm teſtamenta paganorum nulla ſint ob præteritionem & rumpantur agnatione ſui heredis præteriti; id circa teſtamentum militare non contingit* (l. 41. §.3. l.7. l.8. l.9. ff. eod.) *præteritio enim pro exheredatione habetur.* (l.9. & 10. C. eod.) *it. cùm pagani capitis damnati teſtari nequeant; damnatus ob delictum militare licentiam teſtandi habet.* (l.11. pr. ff. l.13. C. eod.) *it. cùm omnis paganus debeat eſſe certus de ſtatu ſuo ſi efficaciter teſtari velit, etiam incerti de ſuo ſtatu milites teſtamentum facere poſſunt.* (l. 11. §. 1. ff. eod.) *it. poſſunt milites omnes ferè, qui teſtamenti factionem paſſivam non habent, inſtituere.* (l. 13 §. 2. ff. eod.) *modò tempore mortis capere heres poſſit. it. poſſunt cancellatum teſtamentum jubere iterum valere, quod paganis non conceditur* (l.15. §. 1.) *it. heredem ad tempus facere & poſtea alium* (l.15. §. 4. l. 41. pr. ff. l.8. C. eod.) *it. pupillariter ſubſtituere, licet ſibi teſtamentum non fecerint.* (l.25. §.5. l.41. §. 5. ff. eod.) *it. relinquere plures hereditates quaſi plurium hominum* (l.17. § 1. ff. eod.) *pluraque teſtamenta facere* (l.19. pr. ff. eod. l.1. C. eod.) *it. extraneum heredem inſtitutum in eodem teſtamento exheredare.* (l.17. §.2) Cæterùm quamvis privilegia ſoleant laxam recipere interpretationem: hæc tamen militum non eò extendenda, ut vel noceant militibus ipſis. (*l.13. §.3. l.15. §.3. ff. eod.*) vel in aliorum fraudem vergant. (*l.15. pr. l. 16. l.28. l. 29. §. 1. l. 41. §. 2. ff. eod.*) *aut etiam ei, quod turpe eſt vim addant.* (l.29. §.2. ff. eod.)

II. Ex his conſtat, poteſtatem circa teſtamenta condenda & heredes eligendos liberrimam fuiſſe & talem, quæ in politiâ aliquâ tolerari nequit. *Nam in politiis decet moderata ſingulos poſſidere bona: at, quando cives per teſtamenta relinquere poſſunt familiam ſuam, ac cui volunt; plerumque contingit ad ditiſſimos devolvi hereditates; utpote quorum favorem homines teſtando quærunt. Eoque modo etiam initio tyrannidis Imperatores plerumque à ditiſſimis teſtamentis heredes dicebantur. quo ipſo potentia eorum augebatur, civium imminuebatur. Et hæc cauſa videtur fuiſſe, quare conſtitutiones principum hanc teſtandi libertatem tantopere ſeverint.*

ARTIC. VI.
DE
POTESTATE ADMINISTRANDI RES.

I. Poteſtas adminiſtrandi bona quæ quisque habet ſuæ vitæ inſervientia non omnibus libera permitti poteſt. *Licet enim quisque ſit*

moderator & arbiter rerum ſuarum: (l. 21. ff. Mandat.) *Intereſt tamen Reipubl. ne quis re ſuâ malè utatur; ac proinde non omnia nec omnibus dominis ex proprio animo gerere permittendum eſt. Ex civium namq; bonis & facultatibus potentia civitatis æſtimatur; quia ſuprà demonſtravimus, partem potentiæ conſtituere pecuniam.*

2. Ratione ergò poteſtatis adminiſtrandi bona Jus Romanum cives ſecundum ætates diſtinguit. *Nam hoc Jure alii ſunt majores viginti quinque annis, alii minores, & hi iterum vel puberes vel impuberes; puberes maſculi quatuordecim; fœminæ duodecim annorum. Impuberes vel infantes vel qui fari poſſunt, & hi iterum vel infantiæ vel pubertati proximi.*

3. Impuberes orbati parentibus ſeu pupilli conſequuntur tutores: nec ullum negotium, quod gerenti incommodum afferre poteſt ſine horum auctoritate gerere poſſunt. *Placuit namq; meliorem quidem conditionem licere pupillis facere, etiam ſine tutoris auctoritate; deteriorem verò non aliter, quàm cum tutoris auctoritate. Unde etiam fit, ut in his cauſis, ex quibus obligationes mutuæ naſcuntur, ut in emptionibus venditionibus, locationibus conductionibus, mandatis, depoſitis &c. ſi tutoris auctoritas non interveniat, ipſi quidem, qui cum his contrahunt, obligentur; at non invicem pupilli* (pr. J. de auctor. tut. l. 9. ff. eod.) *Idem obtinet, ſi auctoritas malè ſit interpoſita,* (l. 2. ff. eod.) *Ratio eſt, quia in negotiis, quæ gerentibus incommodum afferre poſſunt, opus eſt conſultatione, quæ bona non eſt, niſi à prudentiâ proveniat: hæc autem in impuberes non cadit: quia unà cum ætate paratur.* Qui autem infantes ſunt, nec negotia gerere poſſunt auctoribus tutoribus, ſed loco horum tutores cuncta perficere tenentur. *Neque enim quid rerum agant, loquantur aut dicant infantes ſciunt.*

4. Puberibus autem minoribus viginti quinque annis junguntur jure Romano curatores. *Nam licet qui hujus ætatis ſunt aliquid prudentiæ habeant, ut de ſalutaribus ad vitam conſultare valeant, etiamnum tamen ad lapſum faciles ſunt. Et quamvis olim non niſi propter laſciviam ſeſe exerentem curatores acciperent; Marcus tamen Philoſophus conſtituit, ut non redditis cauſis id fieret,* (l. 1. & ſeqq. ff. de Minor.) *& ſine notâ laſciviæ. Nec tamen propterea invitis dantur.* (§. 2 J. de curator.) Differunt curatores à tutoribus, quòd hi potius perſonæ illi potius rei dentur. *Nam tutoribus committitur perſona pupillorum, ut curam educationis habeant; at curatoribus magis datur poteſtas adminiſtrandi negotia.*

5. Majorennibus quoque dantur quandoque curatores; & quidem vel ob vitium animi vel corporis; ob corporis vitium furioſis (*l. 6. ff. de curat. furioſo &c. dand. l. 1. C. eod.*) & perpetuo morbo laborantibus ut præeſſe rebus ſuis nequeant; ob vitium animi prodigis. *Nam Jure Romano qui à magiſtratu prodigi declarati ſunt furioſis æquiparantur.*

(l. 1. pr.

(l.1. pr. ff. eod.) *Vitium enim prodigalitatis æquè omnem, quæ in contractibus requiritur, prudentiam hominibus adimit ac furor. Sed de tutoribus & curatoribus ſuperius diximus.*

CAP. XIII.

DE FACULTATE CIRCA FAMILIAM PROPAGANDAM CIVIBUS COMPETENTE.

1. Jure Romano cives habent facultatem propagandi familiam ad poſteros vel procreando liberos vel ex lege ſibi ſumendo tanquam ex ſe natos, qui ex aliis nati ſunt, ſeu adoptando. Quâ de cauſsâ duobus diſtinctis membris hoc caput abſolvemus: quorum priori de Nuptiis, poſteriori de adoptionibus agetur.

MEMBR. I.

DE NUPTIIS.

1. Propagatur familia ad poſteros juſtis nuptiis: quæ etiam patriam poteſtatem dant in liberos ex his procreatos. *Nam qui ex te & ex tuâ uxore natus eſt in poteſtate tuâ eſt: item qui filio tuo (quem in poteſtate habes) & ex uxore ejus naſcitur i.e. nepos tuus & neptis æquè in tuâ ſunt poteſtate: & pronepos & proneptis & deinceps cæteri inquit Imperator (§.1. J.* de patriâ poteſtate.) *Quique ita in patrum poteſtate usq; ad mortem ejus perſeverarunt familiam retinent & ad poſteritatem propagare poſſunt.*

2. Quò autem nuptiæ juſtæ ſint, requirunt Jura Romana, 1. ut inter cives ſint contractæ Romanos: *(pr. J. de nupt.) Nam ex juſtis nuptiis nati cadunt in poteſtatem patriam, quæ nullis niſi civibus Romanis conceditur Jure Romano.*

3. Secundum requiſitum eſt, ut ſint initæ inter maſculos puberes ſeu quatuordecim annorum & fœminas viripotentes, quæ annos duodecim complerunt. *(pr. J. de nupt.) Hisce namque temporibus natura habilitatem generandi hominibus concedere videtur. Idque jura Romana avidè apprehenderunt tendentia ad hoc, ut cives omni modo darent operam procreationi liberorum. Verùm natura non uno temporis momento perfectam generandi potentiam tribuit, ſed initiò valde imperfectam, quæ ſucceſſu temporis paulatim perficitur. Intereſt ergò Reipublicæ, ne quid mancum, mutilum aut debile procreatur facultatem contrahendi nuptias tunc concedere, quando habilitas procreandi eſt perfecta, & qui has contrahunt apti ſunt ad regendam familiam & benè educandos liberos: neq; enim matrimonium initur in hunc tantum finem, ut liberi procreentur, ſed etiam, ut debito modo educen-*

ducentur. Quapropter nec ſola habilitas generandi tribuit dignitatem contrahendi matrimonium, ſed requiritur etiam prudentia debita; ſine quâ ſocietas conjugalis felix non eſt. Id autem pro Jure cujusque ſocietatis habendum, per quod unaquæq; felix eſt.

4. Quia verò patribus conceſſum erat filios quousque vellent in poteſtate retinere, etiam his permittendum fuit matrimonium inire, ita tamen, ut id facerent patrum conſenſu, (*pr. J. de nupt.*) *Nam patria poteſtas non admittebat invitis patribus in familiam aſſumi fœminas gratiâ procreandorum liberorum in eorundem poteſtatem caſurorum. Et olim quidem rigor poteſtatis patriæ exigebat, ut juſſus expectaretur: quò pertinent verba Triboniani* (d.pr.) *qui tamen poſtea & quoad hanc cauſſam mitigatus eſt* (l. in ſponſalibus. 7. §. 1. ff. de ſponſal. l. ſi ut proponis. 5. C. de Nupt.) *Jure naturæ matrimonium tunc ineunt liberi qui patres habent, quando digni ſunt, ut emancipentur adeoque tantùm hoc exigit à liberis, ut conſilio parentum utantur. Nam cùm amicitia jubeat Juniores audire conſilia prudentum; tum vel maximè id requirit in liberis, dum deliberant de familiâ propagandâ.*

5. Ut & quid temperantiæ obſervaretur in matrimonio ineundo, inter cognatos & affines uſque ad certos gradus prohibitæ ſunt hoc Jure nuptiæ. *Nam quæ contrahuntur inter cognatos in lineâ aſcendente & deſcendente, nefariæ dicuntur (nefarium autem videtur deductum à farre, quo Romani utebantur in ſacris, quibus ſcelerati indigni erant) & inceſtæ, quæ toties celebrari traduntur,* (l. 39. ff. de nupt.) *quoties ineuntur inter eas perſonas, inter quas non Jure civili ſed moribus i. e. Jure gentium prohibitæ ſunt. In lineâ collaterali prohibitæ ſunt uſque ad tertium gradum incluſivè. Nam conſobrinis conceſſæ ſunt;* (§. 4. J. & l. 19. C. eod.) *ſororem autem aut fratris vel ſororis filiam, neptem & deinceps ducere prohibitum.* (§. 2. & 3. J. eod) *Quamvis enim Claudii temporibus lege quâdam nuptiæ cum fratris vel ſororis filiâ fuerint approbatæ Claudio ipſo has ineunte, non tamen repertus eſt niſi unus talis matrimonii cupitor, Talledius Severus eques Romanus, quem pleriq; gratiâ Agrippinæ impulſum ferebant, teſte Tacito* (12. annal. cap. 7.) *Nam ſuprà, cùm de delictis tractaremus, demonſtravimus homines naturali duci horrore, quo ab ejuſmodi nuptiis abſtineant. Hinc etiam lex iſta iterum abrogata eſt, nuptiis talibus inceſtuoſis pronunciatis.* (l. nemini. 17. C. eod.) *nec leviter Anaſtaſius Claudium perſtringit* (l. ult. C. de inceſt. nupt.) *Cæterum rectius feciſſent Jura Romana, ſi quoque inter conſobrinos nuptias denegaſſent: plerumq; enim accidit, ob cognitum avum vel cognitam aviam alterutrum ex conſobrinis aliquā ſentire ſanguinis identitatem.*

6. Affinitatis quoq; veneratione à quarundam perſonarum nuptiis abſtineri Jus Romanum voluit: nim. in primo genere affinitatis

quo

quo prohibitæ ſunt inter eas perſonas quæ parentum liberorumque loco ſunt. *Nam vitricus ſuam privignam aut ſocer nurum privignus ſuam novercam, gener ſocrum ducere nequeunt.* (§.adfinitatis.6.&7.J.eod.) *quia & pater filiam & filius matrem ducere non poſſunt. Id quod etiam extenſum eſt ad ſponſam filii patriſque; item eam, quæ ex uxore poſt divortium ex alio procreata eſt.* (§.ſi uxor. 9. J.eod.)

7. Eſt & Jure Romano polygamia prohibita (§.6. J. *eod.*) Juri naturæ & divino conveniente. *Id enim ſuprà demonſtratum eſt, cum de delictis ageremus.*

8. Dignitas quoque impedimento nuptiis eſt. *Nam ſenator libertinam ducere nequit.* (l.oratione.16 l. ſciendum.31. & l.ſeq. l.42.§.1. & ll.ſeqq. ff. de Rit.nupt.)

9. Effectus nuptiarum Juſtarum Jure Romano eſt, ut liberi ex his procreati cadant ſub poteſtatē patriam: cæterùm, ſi quis ex concubinâ procreaverit liberos, poteſt hos mediante legitimatione ſuæ poteſtati ſubjicere: quæ fit vel per principale reſcriptum, vel per oblationem curiæ vel per ſubſequens matrimonium. (§.*ult.J.eod.Nov.*74.*c.*2.*Nov.* *89.cap.9.* & *10.*)

MEMBR. II.
DE ADOPTIONIBUS.

1. Adoptio actus eſt, quo ex voluntate privatorum vim legis conſequente Jura liberorum & parentum conſequuntur, qui non ſunt. Eſtq; duplex, Adoptio in ſpecie ſic dicta & arrogatio; hæc imperatoris auctoritate fit, illa imperio magiſtratus. (§.1.*J. de adopt.*) *Nam cùm duo ſint genera eorum, qui adoptari poſſunt; patresf. nimir. & filiifam. & hi quidem de poteſtate ſui patris, in quâ ſunt, transeant in adoptantis poteſtatem; illi verò, cum ſui juris ſint, privent civitatem patrefamilias: nec hæc adoptio in liberâ Republ. fieri olim poterat, niſi conſentiente & jubente populo. Quapropter & adoptio patrisf. arrogatio dicta eſt; quia rogabatur populus in hunc modum:* Velitis jubeatis Quirites ita eum eſſe filium, ac ſi ex ipſo & matrefam. ejus natus eſſet. *Quamvis Cajus* (l.2. ff.de adopt.) *hujus veteris moris immemor propterea arrogationem nominatam eſſe putet, quod adoptans & adoptandus rogati fuerint: cùm tamen Auguſtus adhuc Tiberium lege curiatâ i.e. Juſſu populi comitiis curiatis adoptârit.* (Sueton in Aug.cap.65.) *Sed cùm in ſtatu monarchico Jus populi Imperatores in ſe tranſtuliſſent, horum juſſu arrogationes cœperunt fieri.*

2. Adoptio olim in liberâ Republ. erat quædam quaſi ſolennis in Jure facta ceſſio aut traditio filii; nec Juſſum populi requirebat ſed fiebat Imperio magiſtratus. *Nam filius à patre, in cujus poteſtate erat, tertiâ*

mancipatione in Jure cedebatur, atque ab adoptante coram magiſtratu, apud quem legis actio erat vindicabatur, atque à magiſtratu illo vendicanti addicebatur, Sed loco hujus veteris moris poſtea introductum, (l. ult. C. de adopt.) *ut tantummodo apud magiſtratum actis intervenientibus conteſtatio fieret. Caterùm quòd ſingulariter à Juſtiniano circa hanc adoptionis ſpeciem introductum eſt: ne ſcil. adoptatus tranſeat in poteſtatem & familiam extranei adoptantis; magis in privato Jure fundatum eſt; nec hujus loci.*

3. Hæc erat ratio liberos ſibi fingendi & ſolâ lege conſtituendi: quam tamen oligarchiis in nobilitate fundatis non puto conducere. *Nam evileſcit dignitas familiarum; ſi fingere ſibi liberos licet. Ceſſat namq; opinio, quam vulgus habet de virtutibus à majoribus partis. Hinc tradit Tacitus* (12. annal. 25.) *peritos annotaſſe; nullam antehac adoptionem inter patritios Claudios reperiri, eosq; ab Attâ Clauſo continuos duraviſſe.*

CONCLUSIO
Tractatûs
DE JURE PUBLICO JUSTINIANÆO.

1. *Ex elementis noſtris, ſi eadem legibus hactenus enarratis applicamus, addiſcimus Rationem ſtatûs Romani, qui in Imperio poſt Conſtantinum M. obtinuit, in hoc conſtitiſſe,* 1. ut Principatus eſſet purus nulliq; Reipub. immixtus. *Ob hoc enim Roma municipio cuidam adequata eſt, omniumq; magiſtratuũ poteſt. u everſa, ut nihil aliud eſſent, quàm Imperatorum miniſtri iisdẽ in Judicando inſervientes, Judices propterea appellati.* Hæc autem ſtatûs ratio conjuncta fuit cum defectibus haud levibus: quos deprehendit Vopiſcus. *Hic namq; mala quæ inde oriri ſolent enarrat (in vitâ Aureliani) his verbis:* Quæritur quidem, quæ res malos principes faciat; Jam primùm nimia licentia, deinde rerum copia, amici præterea improbi, ſatellites deteſtandi, Eunuchi avariſſimi, aulici vel ſtulti vel deteſtabiles, &, quod negari non poteſt, rerum publicarum ignorantia; ſed ego à patre meo audivi, Diocletianum principem jam privatum dixiſſe: nihil eſſe difficilius, quàm benè imperare. Colligunt ſe quatuor vel quinq; atq; unum conſilium ad decipiendum Imperatorem capiunt; dicunt; quid probandum ſit. Imperator domi clauſus eſt, vera non novit; cogitur hoc tantum ſcire quod illi loquuntur; facit Judices, quos fieri non oportet, amovet à Republicâ, quos debebat obtinere, Quid multa? ut Diocletianus ipſe dicebat: bonus; cautus, optimus venditur Imperator.

2. Pro conſervando ſtatu etiam hoc intenderunt Imperatores, ut honores & munera redderentur hereditaria, eoq; ipſo & Imperatoria dignitas. *Nam propterea liberi Senatorũ, Decurionum, & aliorũ in collegiis viventiũ, quin & bellica munera gerentium, ſuerũ parentum munera & honores*

ſubire

ſubire juſſi ſunt. Et ipſe Conſtantinus M. Imperiũ velut hereditatẽ & familiam ſuis liberis reliquit. Quod ipſum quidem videtur optimũ medium ſtatũ conſervandi: Si enim fundamentum dignitatis perſonarum ponitur nativitas, & quilibet in Imperio concipitur eâ gaudere, quam ipſi tribuit natura; de hac diſtributione nemo videtur conqueri poſſe. Verùm conjuncta eſt hæc ratio conſervandi Imperii maximo cum malo ejusdem. *Nam qui ſucceſſores dignitatum ſunt ſcientes, ſe eas obtenturos ſive debitis inſtructi ſint virtutibus ſive non, ſtudium virtutũ negligunt, & qui Imperio regendisq; militibus deſtinati ſunt homines imbelles voluptatibusq; dediti ſunt. Contrà qui ſervilibus muneribus detenti ad altiora adſpirare nequeunt aut non ſunt contenti ſuo ſtatu & nova moliuntur; aut verò permanent abjecti vilisq; animi: & ita maxima pars Imperii hominibus vilibus, imbellibus & voluptatibus corporis deditis repletur.*

3. Vana fuit quoq; opinio Imperatorum, quòd exiſtimarent, ſe Deo gratos & acceptos futuros, ſi ſcirent tantùm, quæ orthodoxi theologi adverſus hæreticos defenderent, hosque honoribus ſummis & divitiis mactarent. *Nam hoc ipſum auxit in his & ſuperbiam & avaritiam. Quid enim hominem ſuperbiorem reddere poteſt, quàm ſi audiat ſucceſſor Petri, & obtentor ſedis, quæ caput eſt totius eccleſiæ? Avari redditi per hoc ſunt, quòd conceſſum ipſis fuerit, parſimoniâ & ſcientiâ ſcripturarum aut mercaturâ honeſtâ bona congerere; quòdque in his, quæ occaſione clericali acquiſiverunt, juſſi ſunt habere privilegia, quæ milites filiif. in caſtrenſibus bonis. Quaſi verò ſpe lucri excitanda eſſent præclara ingenia ad vitam clericalem.*

4. Circa militiam deſiderari poſſe ex ſuperioribus didicimus, 1. quòd tam plurimi à militiâ excluſi fuerint. *Nam coloni homines ad labores & moleſtias perferendas maximè idonei non ſunt admiſſi; decuriones & horum filii itidem, qui tamen à teneris adſuefaciendi fuiſſent, præſertim barbarorum incurſu, quò in ſuis municipiis ingruentibus hoſtibus reſiſtere potuiſſent.* 2. quòd officia militaria à Conſtantino M. reddita ſint hereditaria. *Quid enim magis pernicioſum eſſe poteſt imperio, quàm reſpicere ad nativitatem & genus, ubi opus eſt virtute?* 3. quòd ad militiam magis ſpe ſtipendiorum & lucri, privilegiisque in acquirendis divitiis quàm honoribus allecti homines fuerint. *Nam potiſſima militum privilegia in hoc conſtitêre, quòd milites filiifam. ſua caſtrenſia habuerint privilegia. Et quod præter hoc ſuperfuit præmium, officiis militaribus hereditariis exiſtentibus? Ceſſavit ergò in militibus omnis æmulatio, omneque de virtute certamen.*

5. Dolendum quoque, tot hominum corpora & collegia voluptatibus corporis & inani Imperatorum, qui orbem Chriſtianum regere debebant, luxuriæ inſerviiſſe. *Nam omnes hi homines unà cum cæteris in orbe Romano viventibus molles & effœminati redditi ſunt; Quid ergò mirum, tantum & tam latè patens Imperium tam miſerè devaſtatum à barbaris fuiſſe?*

6. Infor

6. Informare autem quoque Interpretem Juris publici Elementa noſtra poſſunt, quomodo facienda fuerit interpretatio Juris hujus; nimirum emendando paulatim quæ ſummè pernicioſa fuiſſe videntur. *Nam Juris publici interpretatio haud melius videtur fieri poſſe, quàm ſi ab eo quod pernicioſum eſt, quantum quidem licet, recedatur & ad optimam eatur Rempublicam.*

7. Emendari ergò à prudente JCto hæc mala potuiſſent; & quidé primum (*n.1.*) enarratū urgendo illud quod Theodoſius & Valentinianus conſtituerunt (*l.8.C.de LL.*) & contrà diſſuadendo id, quod contrà inſectatur Juſtinianus (*l.ult. C.eod.*) nimirum, licet Majeſtate Imperiali nil majus ſanctiusq; ſit; decere tamen Imperatorem nil in publicâ privatâque cauſsâ decernere, niſi quod in duplici Senatu, palatii nempe & curiæ prius tractatum ſit. *Ita namq; ad aliquam paulatim reditum eſſet Rempubl. & minuta fuiſſent mala ex licentiâ nimiâ Impp. & abuſu Conſiliariorum provenientia, de quibus* (n.1.) *diximus: præſertim ſi in utroque Senatu nulli niſi prudentes & virtuoſi viri tolerati fuiſſent.*

8. Secundo malo prudens JCtus potuiſſet occurrere perſuadendo Imperatori, ut conderet legem: neminem impoſterum ullo in munere paterno toleratum iri, niſi qui benè educatus & à Senatu utroq; dignus repertus fuerit. *Nam metu amiſſionis paternæ dignitatis majorem operam prudentiæ & virtutibus dediſſent, & parentes ipſi circa bonam educationem plus curæ impendiſſent.*

9. Epiſcopis cæteriſque clericis potuiſſet imponi, ut nullâ aliâ de re, quàm de amore Dei & proximi diſceptarent; eique, qui plurimum doctrinâ & exemplo potuiſſet, maximi inter clericos honores decerni. *Nam hoc pacto inutiles concertationes, avaritiam, ſuperbiam & vanarum rerum curam ex animo dimiſiſſent, & potius humilitati & aliis virtutibus Chriſtiano homine dignis dediſſent operam: præſertim ſi aliud agentes ignominioſè remoti ab officio fuiſſent.*

10. Gregariis militibus quoque præmia honorum conſtituenda fuiſſent, tentatis tirociniis & in quorumlibet ruſticanorum liberis. *Nam hi quàm maximè idōnei ſunt ad labores & moleſtias bellicas perferendas.*

11. *Hæc & talia ſimilia, quæ noſtra elementa ſuggerunt emendandi ſtatûs gratiâ JCti tentare potuiſſent. Ex quibus patet, quisnam ſit noſtrorum elementorum circa interpretationem Juris publici uſus; nimirum, ut inde cauſſas illius hauriamus; & ſi quid minus ſalutare occurrat emendare ſtudeamus. Quo neglecto & inſuper habito, Interpretes Juris & Conſiliarii Imperatorum aut ſtatuum Imperium potius evertunt quàm ſuâ operâ conſervant. Nonnulli enim exiſtimant, Imperatores eò feliciores futuros, quò magis abſolutè imperant: (Id quod Tribonianum feciſſe arguit* d.l. ult. C.de LL.) *Sed decipiuntur & decipiunt: cujus cauſſa eſt, quòd ſolidis fundamentis & exactâ univerſalium cognitione deſtituuntur.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google